[illegible]

Illefonſs



Typis Illefonsi Ciaccony excudebat Carolus Vulliettus Anno Domini MDCIIII.

IOANNIS BAPTISTAE
VILLALPANDI
CORDVBENSIS
E SOCIETATE
IESV
TOMI SECVNDI
EXPLANATIONVM
EZECHIELIS
PROPHETAE
PARS PRIMA
IN TREDECIM CAPITA
SVBSEQVENTIA

Ex quibus hoc primo primae huius editionis volumine vigeſimum ſeptimum & vigeſimum octauum dumtaxat euulgatur. cuius rei ratio in praefatione reddetur.

✻ PRAE-

PRAEFATIO.

MIRABITVR fortasse quispiam, siue quòd alter hic explanationum Tomus in duas iterum sit partes distributus, siue quòd prior pars inchoata necdum absoluta proferatur in lucem, siue quòd haec priora secundi Tomi capita duo huic primo adglutinentur. Has ego tres admirationis causas breui mihi oratione censeo profligandas. Nam bifariam fuit secundus hic Tomus propterea diuidendus, quòd rerum ita diuersitas postularet. Etenim immaturus Patris Hieronymi Pradi obitus non modo ipsius vitae, sed etiam communis huius inter nos operis, non ex ea quidem parte, de qua inter nos ante conuenerat, sed ex ea, vnde Deo visum est, fila praecidit: quippe qui simul cum ea, quam ipse mihi sumpseram, non exiguam mihi partem socij reliquerit persequendam. Quapropter cum alterum Tomum necessario fecerim ampliorem, in duas eum distinxi partes: quarum prior ad socium, posterior, vt inibi quoque dicitur, ad me proprie pertinebat. Cur est igitur prior haec secundi Tomi pars mutila? Equidem eo consilio coeperam, post Pradi mortem, in alia deinceps Prophetae capita scribere, eaque simul praelo subijcere (quod alibi me indicare memini) vt ad ea, in quibus de templo agitur, continuata opera peruenirem. Verum & valetudine impeditus identidem,

dem, & amicorum consilio, precibus, ac pene quotidiano conuitio, eorum capitum explicationem interrumpere coactus, quam vel alij melius (si forte mihi non licuerit) persequantur; in tertium Tomum, & in alteram secundi partem, meam omnem operam ac studium contuli. Quae quidem singulari Dei beneficio, iam sunt prope omnia typis excusa. Iam vero cum essent mihi haec eadem, vt fit, in volumina digerenda, nullum hoc reperi locum his duobus capitibus aptiorem. quod vt eo libentius agerem, & argumenti similitudo, & primi huius Tomi breuitas persuasit. Huc postremo accedit, quod si quando Deo bene iuuante, reliquorum vndecim huius partis capitum explanationem fas erit absoluere; facili quoque negotio, suo illa loco licebit annectere. Haec habui, quibus admirationi lectoris occurrerem: quem ad extremum illud admonendum censeo, his ipsis duobus capitibus, ne quid in eis desideraretur, suos quoque, vt ceteris, indices accessisse.

EXPLA-

EXPLANATIONES IOANNIS BAPTISTAE Villalpandi Cordubensis è Societate IESV

IN RELIQVA DVO ET VIGINTI CAPITA.

EZECHIELIS PROPHETAE

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

Sub nauis onerariae allegoria superbiam, diuitias, atque iactantiam Tyri commemorans, eiusdem ruinam naufragio non absimilem praedicit Vates.

I. *ET factum est verbum Domini ad me, dicens:*
II. *Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum:*
III. *Et dices Tyro, quae habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: haec dicit Dominus Deus: O Tyre, tu dixisti: perfecti decoris ego sum,*
IIII. *Et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te aedificauerunt, impleuerunt decorem tuum:*
V. *Abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum.*
VI. *Quercus de Basan dolauerunt in remos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & praetoriola de insulis Italiae.*
VII. *Byssus varia de Aegypto texta est tibi in velum, vt poneretur in malo: hyacinthus, & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.*
VIII. *Habitatores Sidonis, & Aradij fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.*
IX. *Senes Giblij, & prudentes eius habuerunt*

A *nautas ad ministerium variae supellectilis tuae: omnes naues maris, & nautae earum fuerunt in populo negotiationis tuae.*

Persae, & Lydij, & Libyes erant in exercitu X.
tuo viri bellatores tui: clypeum, & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.

Filij Aradij cum exercitu tuo erant super mu- XI.
ros tuos in circuitu: sed & Pigmaei, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleuerunt pulcritudinem tuam.

Carthaginenses negotiatores tui, a multitudi- XII.
B *ne cunctarum diuitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleuerunt nundinas tuas.*

Graecia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui: XIII.
mancipia, & vasa aerea aduexerunt populo tuo.

De domo Thogorma equos, & equites, & mu- XIIII.
los adduxerunt ad forum tuum.

Filij Dedan negotiatores tui: insulae multae ne- XV.
gotiatio manus tuae: dentes eburneos, & ebeninos commutauerunt in pretio tuo.

Syrus negotiator tuus propter multitudinem XVI.
operum tuorum, gemmam, & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo.

XVII. *Iuda, & terra Israel ipsi institores tui in frumento primo, balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis.*

XVIII. *Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuersarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi.*

XIX. *Dan, & Graecia, & Mosel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte, & calamus in negotiatione tua.*

XX. *Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum.*

XXI. *Arabia, & vniuersi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuae: cum agnis, & arietibus, & haedis venerunt ad te negotiatores tui.*

XXII. *Venditores Saba, & Reema, ipsi negotiatores tui: cum vniuersis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro, quod proposuerunt in mercatu tuo.*

XXIII. *Haran, & Chene, & Eden negotiatores tui: Saba, Assur, & Chelmad venditores tui.*

XXIV. *Ipsi negotiatores tui multifariam inuolucris hyacinthi, & polymitorum, gazarumque pretiosarum, quae obuolutae, & astrictae erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis.*

XXV. *Naues maris, principes tui in negotiatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.*

XXVI. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus auster contriuit te in corde maris.*

XXVII. *Diuitiae tuae, & thesauri tui, & multiplex instrumentum tuum, nautae tui, & gubernatores*

A *tui, qui tenebant supellectilem tuam, & populo tuo praeerant: viri quoque bellatores tui, qui erant in te cum vniuersa multitudine tua, quae est in medio tui, cadent in corde maris in die ruinae tuae.*

A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes. XXVIII.

Et descendent de nauibus suis omnes, qui tenebant remum: nautae, & vniuersi gubernatores maris in terra stabunt: XXIX.

Et eiulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè: & superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur. XXX. B

Et radent super te caluitium, & accingentur ciliciis: & plorabunt te in amaritudine animae ploratu amarissimo. XXXI.

Et assument super te carmen lugubre, & plangent te: Quae est vt Tyrus, quae obmutuit in medio maris? XXXII.

Quae in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum ditasti reges terrae. XXXIII.

C *Nunc contrita es a mari, in profundis aquarum opes tuae, & omnis multitudo tua, quae erat in medio tui, ceciderunt.* XXXIV.

Vniuersi habitatores insularum obstupuerunt super te: & Reges earum omnes tempestate perculsi mutauerunt vultus. XXXV.

Negotiatores populorum sibilauerunt super te: ad nihilum deducta es, & non eris vsque in perpetuum. XXXVI.

EXPLA-

EXPLANATIO EIUSDEM CAPITIS
VIGESIMISEPTIMI.

I. E*T factum est verbum Domini ad me dicens* Hebraicè ויהי vaihi, à verbo היה haiah, quod verbum substantiuum est, & significat esse, fieri, vel factum esse, ex quo nomen illud ineffabile Dei יהוה Adonai diuinam essentiam significans, deducitur. illam inquam, significans essentiam, quae ab aeterno sine principio fuit, semper sine mutationis, aut temporis fluxu est, & in aeternum absque senio, defectu, aut fine erit, à qua omnia, quae fuerunt, sunt, erunt, esse per creationem accepere, quo conseruante retinent, cuiusque liberrima dispositione iubente persistunt, aut permittente abolentur, siue in alia conuertuntur. Estque frequens huius nominis cum verbo, à quo deducitur, vsus apud Prophetas, sicut in praesenti, possetque ita reddi. Fuit eius, qui est, *verbum ad me*. quasi dicat, cuius est esse, fecit esse verbum suum in me, vel super me, vt annunciarem illud: vel ad me, vt exsequerer, quod mihi praecipiebatur. Qua quidem phrasi, & more loquendi, prophetiae dignitatem, ac veritatem innuunt Prophetae. cum sit verbum eius, cuius dicere, idem atque facere est, prout apertè satis ostendit Genesis historia illis verbis. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux*. Hebraicè יהי אור ויהי אור iehi or vaihi or, sit lux, & fuit lux. ex quo facile colligi potest, quàm sint eius credibilia testimonia, seruanda praecepta, speranda promissa, & timenda, quae comminatur, supplicia.

Nomen Dei ineffabile. — *Prophetiae dignitas, & veritas.* — *Gen. 1. ℣. 3.*

Et factum est. Coniunctio, Et, initio sermonis praeposita, non solùm affirmatiua particula est, vt initio propheticae loquutionis saepe solet, verùm etiam coniunctionis retinet vim: quoniam eiusdem argumenti, ac praecedens, praesens caput est, eundemque Dominum inducit loquentem, qui loquebatur in fine praecedentis.

Et, coniunctio affirmatiua, & coniunctiua est.

II. *Tu ergo fili hominis*. Hebraicè בן אדם ben adam. Phrasis haec sacrae Scripturae frequens hominem significat, hominem, inquam, carni, & sanguini addictum, haeredem peccatoris Adami. Sic in Genesi: *Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam aedificabant filij Adam*, hoc est, peccatores. Postea verò vsus obtinuit, vt significaret homines infimae condicionis, plebeios, & abiectos, vt videre est in Psalmo: *Quique terrigenae, & filij hominum simul in vnum diues, & pauper*. ex Hebraeo sic verti potest: Filij Adam, & filij viri, quam versionem sequutus est Hieronymus. & apud Isaiam reperitur similis phrasis: *Et incuruauit se homo* vilis adorans idola. *Et humiliatus est vir*, hoc est potens, & magnus se demisit coram idolis, *ne ergo dimittas eis*. Ex qua vocis acceptione intelliges eximiam Iesu Christi Domini nostri caritatem, qua tam assiduè sibi assumit in Euangelio nomen hoc filij hominis, seu filij Adam: vt exploratum sit nobis, quod *semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Verum hoc loco hominem significat, quatenus, quod humanum est, exigitur ab eo, nempe commiserationis, amorisque sensus, dolor, & lacrymae. ideo subdit.

Filius Adam, siue hominis quid significet. — *Gen. 11. ℣. 5.* — *Ps. 48. ℣. 3.* — *Isai. 2. ℣. 9.* — *Christus Dominus quare dicatur filius hominis.* — *Philip. 2. ℣. 7.*

Assume super Tyrum lamentum. Assume Hebraicè נשא sa, à verbo נשא nasa, cuius tam latè patet significatio, vt vix multis verbis aliarum linguarum exhauriri possit. primaria tamen eius significatio est, leuare, tollere. diciturque de singulis corporis membris, quò significentur eorum operationes, vt Genesi. *Leuauit Iacob pedes suos, & abijt*, Et iterum. *Leuauit Iacob oculos suos, & vidit*, &c. Verùm, quod magis ad propositum facit, significat hoc verbum, portare, leuare, seu tollere id, quod graue, & onerosum est nam in Genesi, vbi nos legimus *At illi portantes frumenta*, Forsterus vertit Et leuauerunt frumentum suum super Asinos. tale est & illud Leuitici: *Si peccauerit anima*. anima pro homine, hoc est homo uiuens, *& audierit vocem iurantis*. hoc est iudicis iuramento praeuio interrogantis. *testisque fuerit, quòd aut ipse viderit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam*. hoc est, reus erit violati iuris iurandi: Vel si iniquitatem pro poena accipias, sensus erit. *portabit*, hoc est, sustinebit admissi sceleris debitas à Deo poenas. In hac eadem significatione vsurpatur verbum ab Isaia de Christo Domino loquente: *Infirmitates nostras ipse tulit*, portauit, siue sustinuit. Quod quidem iniquitatis onus tam graue, & durum est, vt vix ab impio Caino sustineri potuerit, atque adeo falsa quadam opinione deceptus putarit miser, ne à Deo quidem sustineri posse. Quare dixit: *Maior est iniquitas mea* מנשוא minneso, hoc est, quàm sustinere, vel parcere, subintellige, possit Deus, vt R. Abraham interpretatur, sed aptiùs, & manifestius Hieronymus, *quàm vt veniam merear*. Vnde R. Selomo cum admiratione interpretatur locum istum, quasi dicat Cain: Tu Domine, qui sustines superiora, & inferiora, & iniquitatem meam non poteris ferre. Vel verbum נשא nasa potest referri ad ipsum Cain, ita vt sensus sit *Maior est iniquitas mea*, quàm vt sustinere, seu portare possim: cui consonat quod subdit: *Eijcis me à facie terrae, & à facie tua abscondar*, &c. Quem locum mirificè interpretatur Hieronymus, sic scribens ad Damasum: Eijcior à conspectu tuo, & conscientia sceleris tremebundus lucem ipsam ferre non sustinens, *abscondar* vt latitem: eritque, *omnis qui inuenerit me, occidet me*, dum ex tremore corporis, & furiatae mentis agitatu eum me esse intelliget, qui mereatur interfici. Verùm Deus nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradens poenae, qua se ipse damnarat, ait: Non sic: sed viues vsque ad septimam generationem, & conscientiae tuae igne torqueberis, ita vt quicunque te occiderit, aut in septima generatione, aut septimo te liberet cruciatu: non quòd ipse, qui occiderit Cain, septem vltionibus subijciendus sit, sed quod septem vindictas, quae in Cain tanto tempore cucurrerunt, soluat interfector, occidens eum, qui vitae fuerat derelictus ad poenam. Hactenus Hieronymus. Hoc ergo eodem verbo alloquitur Dominus Prophetam nostrum dicens: *Assume lamentum*, quasi dicat. Sustine tantisper, vel perpende commiseratione prosequutus calamitates, & miserias Tyri. Quare Polychronius ait: Diuinae clementiae, ac bonitatis magnitudinem significant haec verba: docetque nos omnino, vt peccantes

Variae significationes verbi assumere. — *Gen. 29. ℣. 1. iuxta Hebrae. c. 33. ℣. 1.* — *Gen. 42. ℣. 26.* — *Forsterus in dictionar.* — *Leu. 5. ℣. 1.* — *Isa. 53. ℣. 4.* — *Onus peccati quàm graue sit.* — *R. Abrahā.* — *Hieronym.* — *R. Selomo.* — *Hieron. ep. 125 ad Damasum q. 1.* — *Conscientiae ignis sontes vehementer torquet.* — *Assumere lamentum quid significet.* — *Polychron.*

corrigamus, non ex odio, aut simultate, sed compatientes, & valde dolentes, etenim ipse, qui merito, ac iure optimo damnabat, lamentari Prophetam iubet ciuitatem, quae plectebatur, declarans quemadmodum affectus esset, dum puniret. Cui consonant verba Hieronymi, dicentis: Qui plangitur, adhuc curae est ei, a quo plangitur. ergo & Samuel flebat, atque plangebat super Saul. Et Apostolus Paulus lamentatur, & luget super eos, qui fornicati sunt, & non egerunt paenitentiam. Et Ieremias lamentationes super euersione Hierusalem quatuor scripsit alphabetis. Si vero aliam vocis significationem, & genuinam quidem attendamus, *Assume*, idem erit, quod eleua, extolle *lamentum*, hoc est, lamentabilem vocem: quasi dicat: tantus sit commiserationis sensus animo conceptus, vt, cum non possit amplius contineri, prorumpat in gemitus, & lamentabiles voces.

Hieronym.

Assumere, idem quod eleuare, vel extollere lamentum.

III. *Circunstantiae sigillatim notantur personarum & loci.*

Et dices Tyro, quae habitat in introitu maris. Mirificè exornat Vates orationem suam, omnes enumerans circunstantias personarum. Appellat enim loquentem Deum ineffabili nomine tetragrammato, eum qui cum loquitur, filium hominis, & vrbem, de qua loquitur, omnibus suis numeris absolutam esse describit ex situ: *quae habitat in introitu maris*, ex commercio, & frequentia aduenarum, & indigenarum gentium *negotiationi populorum ad insulas multas*. ab antiquitate, & nobilitate fundatoris, & fundationis: *finitimi tui, qui te aedificauerunt, compleuerunt decorem tuum*, &c.

Portus quasi porta maris.

Quae habitat in introitu maris. Hebraice מבואת meuoos, quae vox deducitur a verbo בוא bo, quod significat ingredi, seu venire. Quare significabit aduentum, seu concursum nauigantiũ, venientium Tyrum. & meritò sic vocatur, quia insignis erat tutissimis portubus Tyrus, qui eleganti periphrasi nuncupantur introitus, siue portae maris, quia tum intrantes nauigaturos mare, tum egredientes absoluta nauigatione, per portus, quasi per maris portas egredi, aut ingredi necesse est. Vbi notandum est, causam aemulationis, & inuidiae Tyri, qua aduersabatur Hierusalem, similitudinem in frequenti concursu fuisse. Dixerat enim supra *Tyrus de Hierusalem, euge, confractae sunt portae populorum*, nunc

Causa aemulationis Tyri aduersus Hierusalem, Supra c. 26. ✝. 2.

D

Dominus Tyrum vocat introitum, siue portas maris, eadem prorsus ratione. erat enim frequentissima Hierusalem populis infinitis vndequaque confluentibus ad solemnitates, & Paschata. erat non minus frequens Tyrus nautis vndique illuc adnauigantibus: Verùm, erat longe diuersum horum, atque illorum studium, diuersus amor. illos enim diuinus amor, caelestiumque diuitiarum mercatura patria extorres, diuino cultui Hierosolymis mancipabat: hos vero iniqui mammonae, peruersique auri sacra fames periculis maris obiectos Tyrum Insulam frequentare cogebat. propterea subdirur.

E

Quare dicatur Tyrus negotiatio populorum.

Negotiationi populorum ad insulas multas. Hieronymus Tyrus est negotiatio populorum ad insulas multas, siue de insulis multis. quod quidem vsque hodie perseuerat, vt omnium propemodum gentium in illa exerceantur commercia. quam autem fuerit celebre emporium, vt habent Septuaginta, vel ex eo maxime colligi potest, quod ait Isaias: *Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam*, hoc est, quae se, vt omnium insularum, vel vicinarum ciuitatum reginam iactabat. vel allusio est ad situm vrbis in cacumine montis, seu rupis constructae in medio maris, quod indicat ipsum nomen צור tsor, quod rupem, & saxum propriè significat. Nam teste Masio a scopulo vndequaque al-

Isa. 23. ✝. 8. *Coronata Tyrus quare dicatur.*

Masius in Iosue 19.

A

tissimo mari circundato, in quo vrbs ista erat exaedificata, nomen ei est a priscis hominibus impositum. Quare moenia, & turres montis caput cingentia, coronae castrensis imaginem praeseferebant. Vel, teste Hieronymo, quòd sicut Rex inter plurimam hominum multitudinem, ornatum diademate erigit caput: ita Tyrus fulgens, & excelsa opibus, auroque, & gemmis, & serico, ac purpura nitens, Regina sit in cunctis gentibus existimata. *Cuius negotiatores principes*. vel quia principes aliarum regionum non aspernabantur negotiationem opulentissimam Tyri, vel (quod magis ad rem facit) quia negotiatores eius ita erant diuites, & opulenti, vt aliarum regionum principes imitari, vel potius exaequare viderentur.

Hieron. lib. 5. super Isa.

B

Ad insulas multas. Vel quod merces suppeditaret, quae ad insulas multas deferrentur, vel quod à multis insulis in eam merces conueherentur. vtrũque enim contingat necesse est insulae vndique mari cinctae, qualis erat ea tempestate Tyrus. quod innuit Hieronymus, dum commentatur haec verba, & ait siue de insulis multis.

Hieron.

Haec dixit Dominus Deus. Septuaginta vocem ipsam Hebraeam posuere dicentes, Adonai Dominus. אדני Adonai verò si Hebraeis fides habenda est, significat sustentatorem, basim, & fundamentum, cui innituntur omnia quae sunt. & sic interpretantur plura sacrae Scripturae loca, in quibus hoc Dei nomen reperitur. In Genesi, cum vidisset Abraham tres viros, *adorauit in terram, & dixit Domine*, Adonai, hoc est, sustentator, vel, sustentator mi, *si inueni gratiam in oculis tuis*, &c. & in Psalmo: *Dixi Domino Deus* Adonai sustentator *meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.* Chaldaeus vertit, bonum meum non procedit nisi à te, ac si dicat: Tu Domine mei non indiges, ego tui vel maximè. Et Daniel in illa feruentissima oratione, qua Deum deprecabatur pro populo hoc, subdit: *Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam.* Signum indulgentiae, amoris, & beneuolentiae. *Super sanctuarium tuum, quod desertum* a te, ac propterea corruit, & desolatum est, *propter temetipsum* Hebraicè *Adonai*, quasi dicat, propter hoc nomen tuum, quo merito gloriaris te sustentatorem esse vniuersorum, deprecamur te Domine, vt dirutum sanctuarium tuum erigas, & solito fauore prosequaris. Aptissimè ergo Deus omnium sustentator inducitur, lacessens ingratam Tyrum, quae sibi arrogat decorem, ac pulcritudinem a Deo acceptam.

Nomen Dei Adonai quid significet.

C

Gen. 18. ✝. 2. & 3.

Ps. 15. ✝. 2.

Dan. 9. ✝. 17. & 18.

D

III. *Superbia & arrogantia Tyri recensetur.*

Hieron.

O Tyre, tu dixisti, perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita. Septuaginta: Tu dixisti, ego circumdedi mihi decorem meum, in corde maris termini tui. Hieronymus. Primum crimen est Tyri, quòd si quid videtur habere boni, non Dei putet, sed suum, & omnem pulcritudinem, quae illi de diuersis venit regionibus, propriae tribuit diligentiae, atque virtuti. Dixit enim *perfecti decoris ego sum*, siue ego mihi circundedi decorem. cum sit in corde, hoc est, in medio maris sita, & quasi insula moueatur, & fluctuet, & vndarum illisionibus confringatur.

E

Perfecti decoris. Hebraicè כלילת יפי chelilat iophi, à radice כלל calal, quae perfectionem, seu vniuersitatem significat: quare interpretari possumus verba Tyri ita, vt sensus sit: perfecta, siue vniuersalis pulcritudo mihi inest, nihil potest decori meo superaddi, nihilque desiderare possum, quod pulcritudinem meam augeat. quod quidem arrogantiae aut superbiae genus est maximè execrandũ nulli enim

eiusmodi

D. Dionys. Areopag. de diu. nom. c. 4.

eiusmodi pulcritudo conuenire potest, nisi soli Deo. Teste etenim Dionysio: Pulcrum, & per omnia pulcrum, & supreme pulcrum illud est, quod semper sit secundum eadem, & eodem modo pulcrum, & neque oritur, neque occidit, neque augetur, neque interit. Quam quidem immutabilem pulcritudinem bene amouet à Tyro Dominus subdens, *in corde maris sita:* quasi dicat: quo modo tibi arrogas perfectum decorem, quae subiaces maris fluctibus, & vndarum illisionibus? Vel possunt haec omnia de Tyro intelligi dicente *Perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita*, ac si dicat, cuius pulcritudinem auget caeruleus maris color, argenteaeque spumarum orae, atque immensa maris aequora, cuius pulcritudini similes ait esse

Ezech. 1. ℣. 16.

Vates noster rotas diuini currus dicens *Et aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris*. Et licet abusa sit Tyrus pulcritudine, quam à Deo acceperat: non tamen negari potest eam pulcherrimam fuisse. cuius rei vel illud vnum efficax argumentum est, quod a Deo ipso tanquam pulcherrimae vrbis singulare exemplar assumitur, dum dicit *Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulcritudine*. tam pulcher erat Ephraim, tamque Dei vallatus auxilio, ait Hieronymus, vt Tyrus mari, in pulcherrimoq. fundata erat solo: ita vt pulcritudini ipsi comparari posset.

Ose. 9. ℣. 13.

Hieron.

Quid significet in corde maris.
Hieron.
Ps. 45. ℣. 3.
Matth. 12. ℣. 40.

In corde maris. hoc est in medio mari, vt interpretatur Hieronymus, subdens illud Psalmi, *non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*, Ita Dominus noster fuit tribus diebus in corde terrae, hoc est intra terram in sepulcro. Et sanè aptissimè dicitur Tyrus sita in corde maris: erat enim rotunda forma, super rupem durissimam. ac quondam, prout ex Graecis, Latinis, ac Barbaris historijs colligitur, insula fuit, quae nullum habens de continenti accessum, prae alto mari, iuxta Q. Curtium, quatuor stadijs, hoc est quingentis passibus, seu semimilliario, Plinio autem, & D. Hieronymo septingentis passibus à continenti diuisa, tota maris fluctibus vndique ambiebatur, sed opera primum Nabuchodonosoris Chaldaeorum Regis, deinde Alexandri Magni Macedonum Regis, multis aggeribus in mare coniectis, continenti ab oriente adiuncta, ex insula facta est peninsula, vt facilior esset expugnationi aditus. atque in hodiernum diem perseuerat eiusmodi accessus. R. Selomo quod antea de sancta ciuitate Hierusalem dicebatur scilicet. *Perfecti decoris gaudiū vniuersae terrae*. modo inflata, & superba, talia epithera vsurpas, quasi dicat, vniuersum decorem, quem illa destructa perdidit, tu continere tecit edis.

Q. Curt. de rebus gestis Alex. lib. 4.
Plin. lib. 5. c. 19.
Hieron super actus Apost. & Isai. 23.
Diod. Sicul. lib. 17. Biblioth. anno 4 Alexan.
R. Selomo.
Thren. 2. ℣. 15.

Finitimi tui, qui te aedificauerunt. Hoc est, Phoenices. Fuit enim Tyrus omniū, quas Phoenicia haber, munitissima, & maxima ciuitas, atque vniuersae Phoeniciae metropolis. De origine Tyri Adricomius sic scribit: Certum est iuxta veterum traditiones, atque Berosum, quod Tyras septimus filiorum Iapher, paulo post diluuium, eam condiderit; illisque à suo sumptum vocabulo nomen indiderit. atque hinc Tyrus ab Isaia a diebus pristinis in conditionis suae antiquitate gloriata fuisse describitur. Tempore Iosue Israëlitarum ducis à Phoenice Rege, vt & supra memini, instaurata, Phoeniciae meruit fieri metropolis. Quòd autem Iosephus ducentis quadraginta annis, antequam Salomonis templum exstrueretur, hoc est sub Gedeone Iudice Israël: Iustinus verò ante annum Troianae cladis, id est, septennio ante Sampsonis Iudicis tempora, Tyrum a Sidonijs conditam scribunt, id potius de eius instauratione, atque renouatione intelligendum esse reor. Ex dictis facile intelligitur Prophetam in praesenti loqui de Sidonijs, qui merito finitimi vocantur, & aedificatores Tyri dicuntur, quia teste Hieronymo, Tyrus colonia fuit Sidonis, quod probat ex Isaia, qui, cùm sermonem contra Tyrum instituisset: *Tacete*, inquit, *qui habitatis in insula* Tyro *negotiatio Sidonis*, & subdit, *Erubesce Sidon. ait enim mare fortitudo maris, dicens, non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines*. quem locum interpretatur Hieronymus, his verbis: Dixi supra, coloniam Sidoniorum esse Tyrum. audi igitur, mater, cuncta simul contra filiam tuā maria clamantia, frustra diuitias cōportauimus, sine causa de toto orbe in Tyrum opes contulimus, Illa diues, illa luxuriosa, & populorum quondam gaudens multitudine, in qua nascebatur turba mortalium, caterua puerorū, iuuentutis examina, cuius plateae virginum, & infantium, ac iuuenum, & puellarum lusibus perstrepebant, nunc ad solitudinem redacta est. At vero Q. Curtius testatur Tyrum, ac Sidonem ab Agenore conditas fuisse. Verum quidem est, amplificatam, ac miris aedificijs insignitam fuisse Tyrum ab Hiramo aequali Salomonis, qui & Olympij Iouis templum, quod in insula situm erat, iactis aggeribus, vrbi adiunxit, & aureis anathematis exornauit, prout refert Dius. Erit ergo loci sensus huiusmodi, vt dicat Tyri superbiam infringens: Tu tibi arrogas decorem tuum: at falleris. Finitimi tui compleuerunt decorem tuum. quod idem Isaias, vt interpretatur Hieronymus, mare fecisse testatur: nam per mare conuehebantur omnia, quae decori poterant esse Tyro insulae in medio mari sitae. Septuaginta interpretes longe aliter verterunt locum istum. Beelim filij tui circumdederunt tibi decorem tuum: vel vt legit Theodoretus: In corde maris Baalim. Quem locum sic interpretatur, quasi Tyrus reprehendatur, quòd Baalim Idolo adscriberet, quae à beneficentissimo Deo acceperat decoris, & ornamenti munera. in quo de duplici impietatis scelere Tyrus accusatur. tum quòd datorem bonorum omnium non obliuisceretur solum, sed penitus ignoraret: tum quòd pulcritudinem ijs referret acceptam, qui nec sibi quidem ipsis pulcritudinem ullam vindicare possunt. Eundem ferè sensum assignat Polychronius, & vtrumque sequitur unus, atque alter Scholiastes, qui omnes affirmant de Idolo Baal sermonem fieri. Verùm hanc versionem reprehendit Hieronymus, arbitratus Beelim posuisse Septuaginta pro גבוליך geuulaic, quod significat terminos tuos. & quod subdunt, Filij tui, verbi ambiguitate decepti sunt, inquit, & scripturae similitudine, dum pronunciatione diuersa eaedem litterae cemētariorum, & filiorum בניך bene, & בניך benaic leguntur. Verùm, cum difficile videatur reijcere, aut damnare versionem Septuaginta, quae testimonio Augustini tantopere commendatur, vt credat Septuaginta interpretes diuino afflatos spiritu interpretatos fuisse: ita vt vbicunque varient, aut discrepant ab Hebraeis codicibus, innuant alterum aequè intentum à Spiritu sancto sensum. quod etiam probat Apostolorum exemplo, qui ea versione vsi sunt, citantes eius testimonia, non minus, quam Hebraici codicis, Cum, inquam, haec ita sint, non erit omnino difficile, consonum vulgatae sensum ex verbis Septuaginta eruere cum interpretatione Graecorum: immo vero propemodum eundem. Arrogat enim Tyrus sibi decorem suum. Deus autem aliatum affirmat à finitimis

Iosephus 8. antiq. c. 3.
Iustinus lib. 18. histor.
Tyrus metropolis Phoeniciae
Adricomius de Tribu Aser. nu. 84.
Isai. 23.
Hieron. super Isa cap. 23. ℣. 2. & 4.
Q. Curt. lib. 4 de vita Alex.
Dius in Thoenicū histor. citatus à Ioseph. lib. 1. cōtra Apio.
Idolis beneficia Dei accepta referre magnum Tyri scelus. Theodor.
Polychron. Scholiast.
Alter Scholiast.
Hieron.
Editio Septuaginta commendatur, & cocordatur cum nostra vulgata.
August. lib. 18 de Ciui. c. 43. & lib. 2 de doctr. Christ. c. 15.

aedificatoribus, vel à filijs Tyri, nempe Baalim, iuxta Septuaginta. cum verò frequens sit in sacris, vocare filium non solum procreatione, sed etiam eum, qui in ciuitate degit, vt in Threnis. *Filij Sion inclyti*. Filij Tyri habitatores Tyri intelligentur: qui quidem originem ducebant à Sidone, vel alijs finitimis regionibus, ipsi aedificauerunt in Tyro magnifica, & superba templa, Idolis Baal & Astartae, quibus decoratam se putat Tyrus. quapropter eiusdem sensum improperat illi Dominus, quasi dicat, ironicè: isti nefarij cultores Baal, qui te foedauerũt, complentes te abominationibus, isti compleuerunt decorem tuum isti inquam, qui te sacrilegam, infamemque apud exteras nationes, atque apud ipsos Idololatras reddiderunt, ipsi compleuerunt decorem tuum, qui quidem decor, cùm nihil decori cõsonum habeat, sed omni turpitudine, & abominatione sit plenus, aptissime potuit obijci Tyro, se propter eadem scelera iactanti. Quàm autem fuerit foedata Idololatria infamis Tyrus, patet ex Curtio, qui de Carthaginiensibus oratoribus, Tyrum solatio missis, inibique commorantibus, cum ab Alexandro oppugnaretur, sic scribit: Sacrum quoque, quod quidem dijs minime cordi esse crediderim, multis saeculis intermissum repetẽdi, auctores quidam erant, vt ingenuus puer Saturno immolaretur. quod sacrilegium verius, quam sacrum Carthaginienses à conditoribus (Tyrijs) traditum, vsque ad excidium vrbis suae fecisse dicuntur ac nisi seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio vicisset. Hactenus Curtius.

Filius quis dicatur in sacra Scriptura.
Thren. 4 ℣. 2.
Q. Curt. lib. 4. de vita Alex.

V. *Abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris*. Hieronymus: Loquitur, inquit, quasi ad nauem τροπικῶς tropicos vrbis significans pulcritudinem, & rerum omnium abundantiam, vt, postquam vniuersam illius supellectilem descripserit, malum, antennas, remos, vela, proram, carinam, funes, opertoria, pelles, &c. quibus nauium optime instructarum vsus indiget, tunc tempestatem illi, & ventum austrum, quo fluctus maximi commouebuntur, venire denunciet, & eam subiacere naufragio. Haec Hieronymus. Et Apollinarius. Quod esset, inquit, maritima Tyrus, persequitur eius splendorem, veluti de naui. cum verò parietes dicit, & malum, & velum, seu carbasum, & tegumentum ipsorum, vel potius ipsius Tyri praestantem, eximiamque formam describit. Haec ille. Notandum hoc loco est, quam artificiosè nauem, siue malis triremem, eo, quo construitur, ordine describat vates. primo enim carinae in imo iacenti eriguntur hinc inde curuatae costae, oblongis trabibus a prora ad puppim discurrẽtibus innixae, quae transtris ad latera nauis pertingentibus continentur, ne pondere nauis oppressa, diffindatur. atque haec sunt, quae nauem tanquam animalis ossa continendo stabiliunt. Succedunt tabulae, seu asseres nauem vndique claudentes, & maris vndas excludentes, atque aliae transtris immissae nauem totam varietati mercium conuehendae accommodatam in varias concamerationes distribuentes. nec desunt aedificio nauis, praeter ea, quae ad firmitatem, & vsum necessaria sunt, quamplurima alia membra venustati, & pulcritudini deseruientia: haud secus, quàm aedificijs domorum, haec sunt praetoriola, & cubicula ex versicolore, politaque materia tessellato opere confecta. his accedunt alia membra motui necessaria, qualia sunt volucribus alae, quas ventis expandunt. ea sunt vela antennis extensa, malis suspensa, siue etiam remi, qui quasi reptilium

Hieron.
Apollinar.
Nauis siue triremis descriptio.

A pedes, mare sulcando, nauem conuehunt, & hac, illacque detorquent. Est etiam triremi operimentũ necessarium, quo remiges suos ab inclemẽtia caeli, ac temporum iniurijs protegat. mitto hic remiges, nautas, gubernatores, milites, duces, negotiatores, & alios conuehendis, & distrahendis mercibus necessarios. quae omnia nauis praesidia, & ornamenta dum sigillatim persequitur Vates, singulaque percenset, ex pretiosissima materia, singulari artificio, mirabilique opere confecta, dumq. ministros omnes incredibili sapientia, & longa exercitatione industrios esse commemorat, quibusdã quasi symbolis, ac hieroglyphicis characteribus Tyri diuitias, ornamenta, munitiones, & copias, Tyriorumq. B splendorem, nobilitatem, sapientiam, potentiam, & gloriam, laudibus in caelum tollit: quo magis miserandam eius vrbis ruinam, ciuiumque interitum oculis mortalium intuentibus, eorum animi commiseratione tacti, sibi ipsis prouidentes à consimili vitiorum tramite reuocentur, consimilem exitum metuentes.

Abietibus. Hebraice ברושים berosim plurale vocis ברש barasi, quam cedri quoddam genus significare affirmant Hebraei. ex quo hastae, tela, cistae, & instrumenta musica conficiebantur. Verùm diuersam esse à cedro hanc arborem constat manifestè ex epistola Hirami, quam scripsit ad Salomonem dicens: *Ego faciam omnem voluntatem tuam in li-* C *gnis cedrinis. & abiegnis*. & ex eo, quòd superbiens Sennacherib dicebat contra montem libanum: *Et succidam excelsa cedrorum eius, & electas abietes illius* quibus locis reperitur haec vox distincta à cedro. Quare R. Dauid Kimchi buxum interpretatur, forsan quia huius arboris materia buxo sit persimilis. Neotericus verò quidam significari arbitratur hac voce arborem illã, quam Latini mutuato ab Hebraeis nomine, fraxinum vocant, ea ductus fortasse coniectura: quia vbi nos legimus apud Nahum: *Agitatores consopiti sunt*. Hebraice legitur והברושים vehabberosim, vertere posses, & abietes pauefactae, vel consopitae sunt. quem locum ita interpretatur R. Dauid quasi sit sermo de hastis, aut D lanceis ex tali materia. Cumque videret hic auctor ex fraxino lanceas fieri, ideo arbitratus est hac voce significari fraxinum. Verum melius interpretabimur locum Nahum, si hac voce intelligãtur metaphorice potentes, ac magnates, seu gubernatores vrbis. vt interpretatur locum R. Ioseph. quo modo etiam intelligendus est paulo ante prolatus Isaiae locus de Sennacherib. Estq. consona vulgatae interpretatio, quae potentes, aut gubernatores vocat actores, in assumpta currus metaphora persistens. Ex quibus tam varijs sententijs facile intelligimus, quàm difficile sit arboris proprium nomen, quae fortasse in vna tantùm, aut in aliquibus, non tamen in omnibus regionibus nascitur, exprimere quid si- E gnificet: sanisque fecisse existimandum est eum, qui nomine aliquo alterius arboris, cuius species, folia, materia, vel vsus consimilia sint, tale nomen interpretatus fuerit. Vnde intelligitur, quam aptè D. Hieronymus Hebraeam vocem ברש baras transtulerit in abietẽ, quoniam eius est persimilis materia, & vsus: cuius rei idem Hieronymus testis oculatus fuit, dum Palaestinam, montesque Libani, Sanir, & Hermon peragrauit. Vtramque enim arborem, si non eandem esse malis (vt ipsi quoque incolae illorum locorum testantur: quos nunc Maronitas dicimus, quique Romae in Collegio a Summo Pontifice Gregorio Tertiodecimo instituto versantur.) mirae proceritatis esse constat. nam de illa in Psal-
mo

Abietum varia genera, & qualis materies.
3 Reg. 5. ℣. 8.
Isai. 37. ℣. 24.
Forsterus in dictionario.
Nahum 2. ℣. 3.
R. Dauid.
R. Ioseph.
Vulgata editio defenditur.

Psal. 103. ℣. 18. mo vbi septuaginta legunt: *Herodij domus dux est eorum*. in Hebraeo habetur ברושים berosim quem *Hieronym.* locum sic transtulit Hieronymus: Miluo abies domus eius. *Rabbini.* Sic & Rabbini ferme omnes. Ciconiae domus abietes: hoc est Ciconia in procerioribus arboribus, cuiusmodi sunt abietes, aedificat, seu nidiculatur. Cui consonant sequentia, *montes excelsi ceruis*, &c. Septuaginta verò, *dux est eorum* transtulerunt, sensum potius reddentes, seu mysterium significantes, quasi dicant, nidificans in altissimis arboribus Ciconia, seu Herodion, quasi dux est, & princeps passerum, seu volucrum in inferioribus nidificantium. vel possumus loci sensum sic instituere: *Illic in lignis campi, vel cedris libani passeres nidificabunt*. at verò *Herodij* Ciconiae *domus* nidus in altissimis abietibus constructus dux excelsior omnium *est eorum*. De abiete vero Plinius *Plin. lib. 16. cap. 39.* sic scribit: Larici, & magis abieti succisis humor diu defluit. Hae omnium arborũ altissimae ac rectissimae. Est etiam ברש barase materia musicis instrumentis aptissima. Scribitur enim in libro Regum: *2. Reg. 6. ℣. 5.* *Dauid autem, & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis* Hebraice ברושים berosim abietum, vel abiegnis, hoc est, musicis instrumentis fabrefactis ex lignis abiegnis. Abietem autem *Abietis descriptio.* eiusmodi instrumentis aptissimam esse, quotidiana nos docet experientia. Verùm ad maiorem huius *Vitru. lib. 2. c. 3.* loci explicationem, quid de abiete scribat Vitruuius, libet adiũgere. Et primùm abies aëris habens plurimùm, & ignis, minimùmque humoris & terreni, leuioribus rerum naturae partibus (sic legendũ, non, potestatibus, vt mendosi codices habent) comparata, non est ponderosa. Itaque rigore naturali contenta, non cito flectitur ab onere, sed directa permanet in contignatione. Vitruuium sequutus *Plinius citatus.* Plinius, subdit. Nauium malis, antennisque propter leuitatem praefertur abies. Et alibi. *Et eodẽ lib. 16. c. 42.* Firmissima ad tectum abies, eadem valuarum repagulis, & ad quaecunque libeat intestina opera (intestina vocat, quae ex materia, id est, ex ligno cõstant) aptissima, fabricae genere spectabilis. Ex his Plinij, & Vitruuij locis facile intelligitur, quàm pulcra, & vtilis sit ad omnes, praesertim verò ad nauium vsus abietis materies. quamobrem meritò eam primò commemorat Vates, constructam dicens nauem ex abietibus. cuius rei aliam etiam rationem affert *Hieron. hic.* Hieronymus, propter leuitatem, iuncturasque tabularum mollius inuicem se tenentium, atque mordentium. *Plin. lib. 16. c. 42.* cuius rei meminit Plinius, dicens abietem ita sociabilem esse glutino, vt findatur antequa solida est.

De montibus Libano, Sanir, & Basan. *Abietibus de Sanir*, &c. *Cedrum de libano*, &c. *quercus de Basan*. *Theodor.* Theodoretus. Hi montes diuersa ligna producunt. enumerat igitur quae vndique ipsi afferebantur, & malos, inquit, à Libano excisos comportabas, & a Basanitide remos, & aedificia à Sanir. Haec ille. Verum inter hos montes celeberrimus *Libanus.* est Libanus, sic dictus à voce לבן lauan quae albedinem, seu candorem significat, à qua non multum distat Latina vox, album. Ex hac radice deducitur vox לבונה leuona, qua putant Hebraei tus significari propter candorem, ac si dixisses, candidum, atque inde dictum putant Libanum, quasi turiferum. vnde Graeci quoque suas voces λίβανον libanon. & λιβανωτὸν libanoton videntur esse mutuati. quibus tus appellant. quam Libani agnominationem respexisse crediderim Oseam prophetam de *Ose 14. ℣. 7.* Israële dicentem: *Et odor eius vt Libani*. Posses vertere, vt turiferi. Posset tamen Libani interpretatio à primaeua nominis significatione deduci,

A &Libanum quasi album nuncupari. talis enim erat aspectus Libani mõtis fere semper niuibus albicantis. quod innuunt verba Ieremiae dicentis, *nũquid deficiet de petra agri nix Libani?* *Iere. 18. ℣. 14.* vel, vt Septuaginta habent, nunquid deficient de petra vbera, aut nix de Libano? quae verba sic interpretatur Hieronymus. *Hieron.* quo modo nix de Libani summitatibus deficere non potest: sic &c. Propter quam quidem rationem Masius citat nonnullos, arbitrantes partem orientalem huius montis vocari Hermon. *Masius in Iosue c. 12. ℣. 6.* Nec tam tantum montis partem, sed totum Libanum montem; *Hermon.* quod probat ex Nehmanni sententia, qui affirmat חרמון Hermon non proprium certi loci nomen, sed Libani epitheton esse, ab inhospitalita

B te, siue vastitate ei attributum. Nam חרם Cherem, rem excisam, separatam, hoc est perditã, quae nulli sit vsui, significare nulli dubium est, Libanus autem in ijs certè locis, quae plurima sunt, in quibus niue coopertus iacet, & frigore rigidus, nullum praebet hominibus vsum. Quin & Sanir quoque, *Sanir.* inquit ille, dictus idem mons est à tuiibus. nam & Chaldaeus hoc nomen niuosum interpretatur. Verum Masio libẽter assentirer, quatenus orientalem partem Libani, Hermon, aut Sanir nuncupari contendit, si interpretationem vocis Hermon à radice Charam aliter deducat: significat enim ea quidem rem perditam, excisam, separatam, hoc est, anathema non tamen propter niues, quae montibus vber- *Niues terrenis vtiles.*

C tatem, & quandam veluti pinguedinem afferunt, condensa siluarum, vberrimaque armentis pascua producentem. cuius rei argumentum ex praesenti, quem interpretamur, textu manifestissimum desumitur. Sed cùm ab Hieronymo, & Remigio Anathema *Hieron. & Remig. super Ps. 41.* vocetur mons Hermon, fortasse ita vocatur ea Libani pars, quòd loco sit excisa, vel separata, & aliqua interiacente valle seposita. neque propterea negare contendo niuosam esse eam Libani partem: quinimmo, cum totum Libanum niuosum fuisse probauerim, eam maximè niuosam crediderim eius partem, quae ad Orientem sita, magis ab Occidentali mari, vnde temperati seu calidi spirant venti, seposita est: praesertim cum accedat Hie-

D ronymi testimonium asserentis, ab Hermone Tyrum *Niuis antiquus vsus.* niues deferri solere, vt suauius potarent voluptatum architecti. Nec deest solidum argumentum probans eundem esse montem Hermon, & Sanir, *Sanir.* cum sic legatur in Deuteronomio: *Deut. 4. ℣. 8.* *Tulimusq. illo in tempore terram de manu duorũ regum Amorrhaeorum, qui erant trans Iordanem, à torrente Arnon vsque ad montem Hermon, quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhaei Sanir.* Ad locum huius montis allusisse videtur ille Psalmus, *Ps. 41. ℣. 8.* qui ab exulantis personam induentibus filijs Core canitur, dicitque ad, id est, apud *meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui* mirabilia multa patrantis cum habitantibus confinia terrae sanctae, *de terra*

E *Iordanis, & Hermonij*, ipsis fontibus Iordanis imminentis, & *à monte modico*, quasi dicat, non solum ostendis mirabilia tua in excelsis, nobilibusq. Hermonij montibus: verum etiam in humillimis quibusque, ac minimis illius experendae patriae collibus. Sic interpretatur psalmum Genebrardus. *Genebrar.* Eisdemq. tribus nominibus compellat montem *Libanus, Sanir, & Hermon pro eodem accipiuntur monte.* Libanum, alliciens dilectam sponsus, his verbis: *Cant. 4. ℣. 8.* *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon de cubilibus leonum, de montibus pardorum* persistit in perpetua allegoria potentissimi, felicissimi, ac pulcherrimi Regis, deperditè amãtis puellam virginem, pulcram eam quidem, verùm ignobilem

bilem, rusticanam, assuetamque modò vinearum, modò verò gregum custodiae: degentis quidem in monte Libano, in quo vinearum copia, & mirabilis fructus, quod significauit Oseas de sanatis, & dilectis à Deo Israëlitis loquens his verbis. *Germinabunt quasi vinea: memoriale eius sicut vinum Libani.* De pascuis vero psaltes dum ait: *Confringet Dominus cedros Libani,* potentes, sublimes, & gloriosos terrae, *& confringet eos tanquam,* non secus ac *vitulum Libani,* hoc est diuites, deliciosos, ac pingues, quasi vitulum assuetum pascuis montis Libani. Hanc ergo sponsam vocat, delicias, gloriam, & regnum promittens futuri status sponsalitij regij, proponens miserias praesentis, in quo erat. *Veni* Hebraicè, mecum à Libano niuab, & rigido monte, *Sponsa,* quam dilectione, & nimia caritate mihi despondi, *veni* ergo: *coronaberis,* vt tanti regis sponsa, *de capite* Hebraicè, spectes, prospicias (neque enim fieri posse crediderim, vt tam incredibili mea pulcritudine perspecta, non capiaris) spectes de vertice, siue colle isto *Amana,* vbi iam resides, *de vertice Sanir* niuoso, *& Hermon* anathemate, *de cubilibus leonum, de montibus pardorum,* inibi inter siluas istas cubantium, & frementium. Commemorans ergo Vates noster hos montes, felicissimam describit Tyrum, quasi nihil exoptandum sit, cui prope iacens Libanus omnium ferè rerum copiam abundè suppeditet. *Cum omnibus tabulatis maris.* Hebraicè כל לחתים cal luchotham duale nominis, quod deducitur a radice לוח luach, quae tabulam significat saepius in Exodo. eritque sensus. ex abietibus construxerunt te, & omnes tabulas duplices, siue, vt aptissime Hieronymus, tabulata duplicia. addens verò Hieronymus *maris,* ea tabulata intellexit, quae mare impediunt, ne nauem ingrediatur. quae quidem duplicia fuisse innuit textus, nempe interiorem, & exteriorem costarum partē ambientia, quò tutior fieret nauis ab importunitate fluctuum, contendentium per quascunque etiam subtilissimas tabularum rimulas ingredi. Vel certè duplicia tabulata intelligit, quorum nos in constructione nauis paulo ante meminimus. Chaldaeus pro tabulatis, transtulit, pontes. in quo acrius reprehenditur à nonnullis. verùm ab omni reprehensione immunis erit, si intelligatur transitum fecisse, vt solent frequenter interpretes, a metaphora ad rem significatam: &, sicuti Theodoretus affirmat, mentionem hoc loco fieri de varijs lignorum generibus, quae afferebantur Tyrū, ex quibus contignabantur amplae domus, magnifica palatia, ac superbissima templa. Sic etiam Chaldaeus per transtra nauis, pontes significari putat, qui frequentes erant in singulis fluminibus vrbis quos ex allatis è Sanir abietibus exaedificari solitos fuisse commemorat.

Ose 14. ℣. 8. — *Ps. 28. ℣. 5.* — *Exo. 24. ℣. 22. & c. 27. ℣. 8.* — *Hieron.* — *Chaldaeus.* — *Theodor.*

Cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum. Omnia quae possunt in ligno desiderari, vt ex eo fiat nauis malus, omnino repetiuntur in cedro, quae vocatur Hebraicè ארז erez cum sex punctis. quae vox deducitur, vt aliqui arbitrantur, a radice רזח razach. sic dicta propter gracilitatem, & proceritatem. adde etiam his fragrantiam foetori nauis, & maris, remedium, duratione quoque perpetuam, & alia, quae facile deducentur ex dictis. per malum hunc innui quidam putant templum illud superbissimum, cuius meminit Dio sic scribens: Abibalo moriente filius eius Hiramus regnauit. Hic partes orientales ciuitatis ampliauit, vrbem potiorem fecit: & Olympij Iouis templum, quod in insula situm erat, iactis aggeribus, vrbi adiunxit, & aureis

De cedro. — *Forsterus in dictionario.* — *Malo nauis templum significatur. Dio apud Iosephum lib. 1. cōtra Appio.*

A anathematis exornauit. Ascendens autem in Libanum siluas incidit ad templorum aedificationem. eadem fere refert alijs verbis Menander.

Quercus de Basan dolauerunt in remos tuos. Quercus materies remis aptissima propter rationes allatas a Vitruuio his verbis: Quercus terrenis principiorum satietatibus abundans, parumque habens humoris, & aeris, & ignis, cum in terrenis operibus obruitur, infinitā habet aeternitatem, ex eo quòd, cum tangitur humore, non habens foraminum raritates propter spissitatem, non potest in corpore recipere liquorem: sed fugiens ab humore, resistit. Hactenus Vitruuius. Ac propterea dixit Plinius, fortius lignum (inter glandiferas arbores) quercus B habet, & incorruptius. cuius quidem rei nullum potest firmius adduci testimonium experientia quotidiana, quae ex quercu remos confectos esse demonstrat. Eiusmodi autem ligna non pauca afferebantur Tyrum de terra Basan, cui imperauit Og de reliquijs gigantum. Eam sic describit Masius: Continet autem Basaanitis regio partem Galaaditidis, quae a Iabo in Septemtrionem porrigitur, atque insuper Trachonitidem, ac Gaulonitidem. Sunt enim illi eius fines australes, quos Sehonis regni aquilonares esse dicebamus. Septemtrionem verò claudit mons Hermon, Occidenti oppositus est Iordanis, denique Orienti mons Galaad, & procurrentia montis Hermonis iuga. Hęc ille.

De quercu & eius materie. — *Vitru. lib. 2. c. 9.* — *Plin. lib. 16. c. 6.* — *Basanitidis regionis descriptio.* — *Iosue 12. ℣. 4.* — *Masius ibi.*

G *Et transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico.* Septuaginta templa tua, quae vox idem significat, ac Latina nostra. Teste enim Sexto Pompeio, templum tignum quoddam est, quod in aedificio trāsuersum ponitur. De transtris verò idem tradit esse ligna, quae à pariete in parietem porriguntur: vnde merito nonnulli cum Caesare interpretantur transtra esse remigum sedilia, iuxta illud Virgilianum.

De transtris. — *Sext. Pomp.* — *Caesar.*

Transtra per, & remos.

Virgil lib. 5. Aeneid.

Transtra verò quasi transuersim strata dicuntur. Theodoretus porro quosdam refert interpretantes cornu tuum, de antenna loquutos existimans, siue etiam de Idolis, phrasim prospiciens Scripturae sacrae frequentissimam, qua cornu significat robur, D & vires, quales animalia cornibus exercent. cumque omne robur regni, reipublicaeque vires in religione consistant, non immeritò per vires, & reipublicae robur, Idola intellexit Theodoretus. nisi forte malis ad communem significationem vocis, templa retulisse, dum transitum facit a templis nauis ad Idolorū templa. Hebraea vox קרש Ceres latius patet, significat enim asseres, prout saepius in Exodo videre licet, quam vertit Hieronymus tabulam. Ea autem transtra ex ebore Indico, cuius quidem vsum in magno pretio fuisse declarat eburneum Salomonis solium. at ne quis putet ex aliqua ligni materia, quae nitore, & candore ebur imitetur, huiusmodi transtra confecta, in Hebraeo habetur שן sen, hoc est dens. Solum autem elephantis dentem E ebur esse affirmat Plinius. reliqua ossa, licet dentium penuria in laminas secari coeperint Plinij temporibus, tamen exigui semper pretij, & aestimationis fuerunt. Dubium tamen posset alicui suboriri, quo modo ex ebore transtra fieri possint, cum haec longiora dentibus elephantinis fieri sit necesse; cum item transtra recta, dens curuus quasi cornu, nullis vsibus videatur posse conuenire; praesertim cum sacra Scriptura licet figuratè loquatur, sub nauis nomine Tyrum describens, non tamen propterea res vllas commemoret, quae naui non possint cōuenire. Quam quidem quaestionem facile soluit modo allatus Plinij locus, contestans ebur in laminas

Theodor. — *Cornu robur significatur.* — *Exo. 26. ℣. 18. & 19.* — *De ebore.* — *3. Reg. 10. ℣. 18.* — *Plin. lib. 8. c. 3.*

nas

nas secari, quibus ligna operirentur, quae varijs caelaturis exornari solent. qua quidem re superbissimus Tyri fastus adumbratur: siquidem abiecta remigum sedilia ex pretiosa materia confiata, pretiosiore exornabat opere.

A

Et praetoriola de insulis Italiae Septuaginta: domos siluestres de insulis Chethiim. Theodoretus domos nemorosas tabulis confectas interpretatur ex Aquila. praetoriola idem Hieronymus interpretatur cellaria, quae confecta fuisse ex pretiosissima materia significans, nominat ea loca, de quibus eiusmodi ligna afferebantur. Subditque idem Hieronymus: De insulis Chethiim, quod nos in Italiam vertimus, ex ea regione, quae Graeciae propinquior est, omnes occidentalium insularum partes intelligentes. Theodoretus: Chethiim verò Graecas insulas appellat, etenim per Ieremiam Deus ait. *Transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, si factum est huiusmodi,* &c. Et per Cedar sitas ad Orientem gentes declarat: per Chethiim ad Occidentem. Cittium verò oppidum in Cypro est, & ad haec vsque tempora ita nuncupatur. quod aspirationis nota signatum secundum Hebraeorum idioma, cum voce Chethim cognationem ostendit. & Cyprus eo tempore insularum imperio potiebatur, iccirco Graecas insulas Chetium vocat. quam quidem sententiam ex Iosepho desumpsisse videtur Theodoretus, qui sic habet: Porro Chethimus (hic fuit tertius filius Iauan, qui fuit quartus Iaphet tertij Noe, diciturque *Cetthim* a nostra vulgata) insulam occupauit tunc Chethimam, nunc Cyprum: quò factum est, vt tum insulas omnes, tum pleraque loca maritima Hebraei gentili voce Chetim significent. Attestatur mihi vna è Cyprijs vrbibus, quae adhuc nomen retinet: Cittiũ enim vocatur ab his, qui in Graecum sonum vocabula detorquent, nec sic quidem abludens à Chethimi nomine. Hactenus Iosephus. Verum quae gens, siue quae insulae propria huius vocis significatione intelligantur, ex Numerorum, ac Danielis vaticinijs, eorumq́ euentu facile colligitur. Balaam enim ait: *Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebraeos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.* Quo loco pro Hebraeo כתים chittim aptissimè posuit Latinus interpres Italiam, euentus enim probauit in solis Romanis hanc prophetiam expletam fuisse: quod intellexit Chaldaeus rem ipsam interpretatus רומאי Romae Hoc idem ex Daniele colligitur dicente. *Et venient super eum trieres, & Romani, & percutientur,* &c Hebraei autem, & ipsi Scholiastae Rabbini agnoscunt eo loco per Chethim intelligi Romanos. Quod confirmat Chaldaeus in hoc Ezechielis loco, pro Chettim, scribens Apulia neque enim vt omnes constanter affirmant interpretes, de vna, vel alia ciuitate, aut insula sermo est: sed de ingenti terrae tractu, sicuti neque de hoc, vel illo ligni genere, sed de multis, quae ideo in magno habebantur pretio, quia ex remotissimis regionibus mari aduecta erant. Etymologiam vero vocis *praetoriola* exquirens, nullam aliam reperio, quàm esse diminutiuum vocis, praetorium: quae pro magnifico conclaui sumitur a Suetonio sic de Caligula scribente. In exstructione, inquit, praetoriorum, atque villarum, omni posthabita ratione, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod effici posse negaretur. Hac tamen voce Vulgatus interpres forsan magnifica palatia, laqueatas domos, ampla triclinia, mirabiles exedras, conclauia, atque cenacula Vrbis significare volebat.

Et quae sint insulae Chethiim.
Aquila.
Hieron.
Hieron.
Suidas Canaan Palestinae gentes Chethaeos vocat.
Theodoret.
Ierem. 2. ℣. 10.
Ioseph 1. Antiq c 6.
Gen. 10. ℣. 4.
Num. 24. ℣. 24.
Roma dicitur Cetim.
Dan. 11. ℣. 30.
Praetoriola quae dicantur
Sueton in vita Caligulae

VII. *Byssus varia de Aegypto texta est tibi in velum: vt poneretur in malo.* Hebraicè שש sesh, lini genus subtilissimi, & candidissimi, cetera lina pretio vincens, & nomen habet à candore, quasi dicas candidum. Interpretes ferè verterunt, byssum: quod quidem facile probant ex aliquibus scripturae locis esse byssum, quanquam vox בוץ buts magis respondere videatur bysso. Eam describere videtur Iosephus, de velis operientibus fores adyti dicens. Hyacintho, purpura, cocco, byssoque splendidissima, ac mollissima fuisse distincta. Hoc lini genus varijs ex arboribus, varijsque locis produci tradunt veteres. Philostratus: Byssum, inquit, ex arbore nasci ferunt, quae altitudine quidem populos aequat, folijs autem salici aequiparatur. Pausanias affirmat in Graecia quoque eiusmodi arbores nasci. Et Herodotus ibidem nasci prodit lanigeras arbores, pro fructu lanam ferentes, praecellentiorem ouina, tum pulcritudine, tum bonitate, qua in vestiarium Indi vtuntur. Et Strabo de Nearcho, Hic ait lanigerarum arborum florem nucleum habere, quo detracto, reliquum, vt lana, carminetur. In magno autem pretio fuisse byssum, patet ex eo, quod Pharao honoris ergo vestiuit Iosephum *stola byssina* Et apud Lucam diues *induebatur purpura, & bysso*. Philostratus etiam refert solis nobilibus licuisse bysso indui. Plinius varia enumerans lini genera de Aegypto, sic scribit: Superior pars Aegypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui gossipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. paruus est, similemq́ue barbarae nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur, nec vlla sunt eis in candore, molliriave praeferenda: vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae. Haec Plinius. Quod autem postremum affert de sacerdotibus, non caret exemplo Hebraeorum, referente sacra historia, factas esse & tunicas byssinas opere textili Aaron, & filijs eius. Gossipij ferax est nostra Baetica quod gentilitio nomine vocat algodon. Mirandum vero Aegyptiorum in lini opera artificium declarat idem Plinius, sic scribens: Vidimusque iam tantae tenuitatis (plagas lineas concidentes apros) vt anulum hominis cum epidromis transirent, vno portante multitudinem, qua saltus cingerentur. Nec id maxime mirum, sed singula earũm stamina centenis quinquagenis filis constare. *Varia:* Hebraicè ברקמה berichma à radice רקם rocham, quae significat talem opificem, qui varias formas, & figuras multis coloribus effigiare nouit, sicut acu pictores: vel qui varia fila diuersorum colorum intexentes, rerum omnium imagines imitantur. vnde nomen ricma significat vestem acu pictam, cuius vsum antiquissimum fuisse tradit Plinius, pictas vestes dicens iam apud Homerum fuisse, vnde triũphales natae. Acu facere, id Phryges inuenerunt, ideoque Phrygiones huiusmodi opifices appellati sunt. Plurimis vero licijs texere, quae polymita appellant, Alexandria instituit. Huiusmodi vestis vulgo in Italia dicitur ricamata, Hebraea voce retenta. Illa autem nomini praeposita littera ב beth, quae reddi solet per è, vel ex, materiamque denotat, contextum velum significat ex bysso, varijsque licijs, polymitum vocare posses. *In velum.* Hebraice נס nes à נסה nasa, quod est eleuare, seu exaltare, significatque נס nes tum vexillum, tum velum, quod vtrunque exaltetur super malum, in nauibus praesertim imperatorijs. quare vtriusque significationis reperies in sacris litteris exempla non pauca, praesertim in Isaia: *Et eleuabit* נס *nes signum*, vexillum, *in nationibus procul*. Et iterum: *Qui stat in* *signum*

B C D E

Byssus quid.
Ioseph. 8. Antiq c. 2.
Philostr. lib. 2. vitae Apollo c. 9.
Pausan lib. 6 ad fin.
Herodo. lib. 3.
Strab. lib. 15 Nearchus apud eund.
Gen. 41. ℣. 42.
Luc. 16. ℣. 19.
Citatus.
Plin. lib 19. c. 1.
Aegyptus byssum producit.
Descriptio fruticis gossipium proferentis.
Exod. 39. ℣. 25.
Baetica prouincia Hispaniae gossipij ferax.
Plin. ibid.
Quid dicatur byssus varia.
Plin. lib. 8. c. 48.
Isa. 5. ℣. 26. & ℣. 12.

signum vexillum *populorum* populis, *ipsum gentes deprecabuntur*. Et subdit: *Et leuabit signum in nationes*, vel inter nationes, *& congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terrae*. Et in Exodo: *Aedificauitque Moyses altare, & vocauit nomen eius* יהוה נסי Adonai nessi, hoc est *Dominus exaltatio mea*, seu vexillum meum. De velo idem Isaias: *Laxati sunt funiculi tui, sed non praeualebunt: sic erit malus tuus*, impotens, & instabilis, *vt dilatare signum* נס nes *non queas*. Quo loco tyrannidem naui, vel triremi comparat, Regem malo, principes, & duces funibus eum sustinentibus, instructas acies militum velo: quo modo etiam in praesenti loco licebit interpretari. At Theodoretus per hoc velum significari dicit tapetes, & alia similia ex Aegypto Tyrum afferri solita. Hieronymus autem argui putat Tyrum, quae sibi arrogabat decorem, dum sigillatim ostenditur illi, quid à singulis accipiat regionibus, quasi dicatur illi: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

[Exo. 17. ✠. 15. — Isai. 33. ✠. 23. — Ibi ✠. 22. — Theodor. Velum nauis ex qua materia confectum fuerit, & quid significet. — Hieron. 1. Cor. 4. ✠. 7.]

Hyacinthus, & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. Hyacinthus pro lana sumitur violacei coloris, seu caelestis. Hebraicè תכל teckel. Quidam scribunt vermiculum esse, cuius humor sit flaui coloris: alij putant piscem esse, ex cuius sanguine color fiat caeruleus. Eiusmodi veste idola honoris causa vestiri solita fuisse testatur Ieremias, cum ait: *Hyacinthus, & purpura indumentum eorum*. Hyacinthinum saepe redditur ab interpretibus, atque adeo a Iosepho, ne fortè lapillum pretiosum putares. Verùm Imperator in lege mox afferenda, hyacinthinum colorem cum purpura confundit. Purpurae colorem, & vnde educatur, docet Plinius sic scribens: Purpurae (pisces sunt ex conchyliorum genere) viuunt annis plurimum septenis, sed purpurae florem illum tingendis expetitum vestibus, in medijs habent faucibus: liquoris hic minimi est in candida vena: vnde pretiosus ille bibitur nigrantis rosae colore sublucens. eorum conchyliorum naturam, & formam fusius ibidem describit idem Plinius Fuit autem purpureus color, atque eo infecti panni in maximo pretio, quod probat illud Homeri, referentis famulam, Helenae colum attulisse, hyacinthinam lanam habentem. Eum colorem multis rationibus cōmendat Plinius Huic, inquiens, fasces, securesque Romanae viam faciunt, idemque pro maiestate pueritiae est, distinguit ab equite curiam, Dijs aduocatur placandis, omnemque vestem illuminat, in triumphali miscetur auro: quapropter excusata & purpurae sit insania. Hactenus Plinius. Haec verò luxus insania cùm iam ad equites, & fortasse ad inferiores deuenisset, lege cautum fuit, ne quisquam, praeter principes, purpura indueretur. Fucandae, atque distrahendae purpurae, vel in serico, vel in lana, quae blatta, vel oxiblatta, atque hyacinthia dicitur, facultatem nullus possit habere priuatus. Sin autem aliquis supra dicti muricis vellus vendiderit, fortunarum se suarum, & capitis sciat subiturum esse discrimen. Ex dictis etiam intelligere licet, quid intersit inter hyacinthum, & purpuram, quorum vtrunque similem valde esse crediderim violarum colori. Et quoniam is permistus est ex rubeo, & caeruleo, purpuram magis ad rubeum, hyacinthum verò magis ad caeruleum, accedere puto. Quod quidem colorum discrimen, & in ipsis violis Romae aliquando obseruauimus. His accedit ex rariore, ac propterea pretiosiore, conchylio purpurae, quam hyacinthi fucum educi solitum. Verum quoniam in maritimis tātùm locis huiusmodi conchylia inueniuntur, ideo subdit *de insulis Elisa*, quas Graeciae insulas intelligēdas censet Theodoretus cum Polychronio: At Hieronymus esse insulas Ionij maris putat. Chaldaeus verò Italiae insulas vertit. Quidam arbitrantur Graecos Aeoles dictos ab Elisa, primo Iauani filio, ab eoque vna cum insulis maris Ionij originem duxisse. Verùm ex consimili vocum significatione putarunt aliqui, quas modo Fortunatas nuncupamus insulas, Elysias dictas, cùm Graeci Fortunatorum nemorum insulas, & beatorum domicilia à suis finibus remota, Elysios campos nuncupare consueuerint. Cui rei consentaneum est, extra fretum Hispanicum, & Africum constitutam esse Gades insulam, cui è regione situs est amoenissimus, vberrimusque campus omnium frugiferarum arborum varietate consitus, praesertim earum, quae pulcritudine, ac perpetuo foliorum virore, suauissimorum florum fragrantia, atque aureorum pomorum copia quae saepius in anno maturescunt, Elysios, seu potius terrestris paradisi cāpos imitari videntur, quos interluit argenteus, latusque fluuius, lethei adhuc nomine retento: dicitur enim vulgò, praeposita Arabica particula, quae fluuium significat, guadalete, quasi dicas fluuius letheus. Verùm hic dubitare adhuc posset quispiam. cùm enim Plinio, & alijs profanis scriptoribus commendatissima sit Tyrus conchylio, ac purpura, quonam modo ex remotissimis *insulis Elisa* afferri dicatur illi hyacinthus: cui responderi potest, commendari Tyrum, conchylio, & purpura aliunde allatis tam copiosè, vt alijs multis regionibus mittat vendenda: sicut aetate nostra commendatissima est Hispalis Hispaniae ciuitas, auro, & argento, non quòd ibi nascatur, sed propter infinitam paenè auri, & argenti vim, quam quotannis ad eam deferunt Regiae naues ex Peruanis, & Mexicanis Indijs. Vel dici potest, loqui Prophetam non de fuco, aut coloribus, qui in oris Tyri nascerentur, sed de infectis vestibus, aut lanis ex insulis adductis. cui dicto fauent Theodoreti verba. Graecia enim, inquit, indumenta tibi mittebat, omnis quidem generis purpurea, sed & hyacinthino quaedam colore tincta: quae desumpsisse videtur ex Polychronio. Hieronymus verò, quid significet operimentum nauis, desertissimis verbis exponit, dicens: Operimentum, quod in Solis calore, atque tranquillo nautis, atque vectoribus praebet vmbraculum de hyacintho, & purpura; vt his operta gloriosior fiat, & circumdata amictum habeat pulcriorem. Fit autem hic mentio byssi, purpurae, & hyacinthi: quibus si superaddas coccinum, materiam habebis vestimentorum sacerdotalium, in quibus *totus erat orbis terrarum* (teste Salomone) quatuor constans elementis, quae his quatuor quasi symbolis adumbrantur, bysso terra, purpura verò aqua, ex quibus videlicet procreantur, Hyacintho aer, coccino ignis: quos coloribus imitantur: quibus elementis constant ea omnia, quae Tyrus sibi superbè arrogat, nec Deo beneficentissimo largitori refert accepta. Vel dicendum trium tantum elementorum hic fieri mentionem, vt quartum nempe ignem sibi videatur reseruare Deus vindicem admissorum scelerum Tyri, dum reliquis peruerse frueretur.

[De hyacintho. — Ierem. 10. ✠. 9. — Ioseph 6. bel li Iud. c. 6. — Plin. lib. 9. cap 36. — Homerus Odiss. 4. — L. penul. & fin C. de vest. olobel. lib 10. & l. 1. C. quae res vendi non poss. — Purpura, & hyacinthus in quo differant. — Quae sint Elisa insulae. Theodor. Polychron. Hieronym. Chaldae. — Plin. lib. 5. c. 19. — Hispalis auro, & argento commendata. — Theodor. — Polychr. Hieron. — Operimentum nauis quid significet. — Quaternis coloribus eadem elementa significantur. Sapient. 8. ✠. 24. — Ignis vindex est scelerum in reliquorum elementorum vsu admissorum.]

VIII. *Habitatores Sidonis, & Aradij fuerunt remiges tui*. Sidon perantiqua, opulenta, & celebris Phoeniciae vrbs, Chananaeorum olim ad Aquilonem respiciens terminus fuit. Eam Sidon primogenitus filiorum Chanaam condidit, iuxta ortum Libani: à conditore vero nomen accepit: licet Iustino videa-

[De Sidone. — Iust. lib. 18. b. ß.]

tur

tur à multitudine piscium sic dicta, quia Phoenices pisces Sidon vocant. Haec autem ciuitas pertinuit ad tribum Aser, licet numquam eam de manu gentium abstulerit. Eadem finiuit terram promissam promontorio sui litoris, quod sacra Scriptura vocat Hor.

Mons Hor. Num. 34. ℣. 7.

Nam in libro Numerorum Latinus interpres dixit *montem altissimum*, pro Hebraico Hor monte alto, siue promontorio excedente litus. Iosephus sic scribit de Sidone: Chananaeo quoque filij fuerunt hi, Sidonius, qui & vrbem sibi cognominem condidit in Phoenice, Sidonem a Graecis vocatam.

Ioseph. 1. antiq. c. 6. Sidonis primus fundator.

Fuit autem haec ciuitas Tyro non vicina solum, verum foedere, & amicitia coniuncta, cuius rei alijs omissis, hoc vnum sufficiat testimonium Curtij.

Q. Curt. lib. 4. de vita Alex.

De vastatione enim Tyri per Alexandrum facta loquens, postquam omnes Tyri incolas, ne pueris quidem, virginibusque exceptis, internecione, gladio, & flamma consumptos commemorauerat, subdit haec verba. Multis tamen saluti fuere Sidonij, qui intra Macedonum praesidia erant. Hi vrbem quidem inter victores intrauerant, sed cognationis cum Tyrijs memores (quippe vtramque vrbem Agenorem condidisse credebant) multos Tyriorum etiam protegentes ad sua perduxere nauigia, a quibus occultati Sidona deuecti sunt: quindecim millia hoc furto subducta saeuitiae sunt. Hactenus Curtius.

Aradum insula. Plin. lib. 5. c. 20.

Aradum etiam insula non procul a Sidone est, cuius frequens mentio apud Plinium, qui enumerans opida, quae in ora subiecta Libano erant, refert Tripolim, quam Tyrij (inquit) & Sidonij, & Aradij obtinent. Et subiungit: contraque Aradum Antarados septem stadiorum opidum, & insula ducentos passus a continente distans. Atque iterum de insulis agens, sic scribit.

Plin. lib. 7. c. 31.

In Phoeniceo deinde mari est ante Ioppem Paria, & iam dicta Arados, inter quam, & continentem quinquaginta cubita alto mari (vt auctor est Mutianus) e fonte dulcis aqua, tubo corijs facto vsque a vado trahitur. Haec Plinius. Hanc ciuitatem condidisse videtur Aradius nonus filius Chanaam, & cum suis totam insulam possedisse: vnde eius habitatores dicti sunt Aradij. Septuaginta interpretes hunc locum ita verterunt: Principes tui habitatores Sidonis, & Aradij fuerunt remiges tui.

Theodor.

Vbi Theodoretus: Hebraeorum, inquit, & Syrorum volumina non habent principes tui, sed finitimi tui. Vt autem Septuaginta interpretationem intelligamus, ita accipiamus. Sidonij olim tibi imperantes, nunc vna cum ijs, qui Aradum colunt, naualem tuam classem complent, tuas remis naues impellentes.

Hieron.

Hieronymus: dixerat suprà *finitimi tui, qui te aedificauerunt, compleuerunt decorem tuum*: antequam veniat ad eos, qui longè habitant, proximatum prouinciarum describit auxilia. Habitatores, inquit, tui, siue principes Sidonis, & Aradij, quae vicina est insula, *remiges* tui. Haec Hieronymus.

Remiges, qui dicantur.

Remiges autem Hebraicè dicti שטים Satim à radice שט Sut, quae circuire, vel explorare significat, erunt remiges, qui sulcando maria circumeant. Quare meritò significabunt eos, qui merces conuehebant Tyrum: siue etiam artifices mechanicos, qui assidua defatigatione Rempublicam conuehunt, non secus, ac remiges nauem: conuenitque hoc munus Sidonijs, quorum ciuitatem artificem vitri vocat Plinius.

Plin. lib. 5. c. 19.

Ex quo coniectari licet in omnibus alijs artificijs ingeniosam fuisse: quadratque, quod scribit Scholiastes Graecus.

Scholiast.

Remiges, inquit, hoc est dispensatores.

Gubernatores sapientes tui.

Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. Cùm reliqua nauis ministeria exteris gentibus tribuat, hoc vnū, nempe gubernandi munus indigenis com-

A mittebat Tyrus: non tamen quibuscumque, sed tantum sapientibus. Quae duo maximè necessaria sunt in nauarcho, sed multò magis in vrbis, aut Reipublicae gubernatore: sapientia nempe, & patriae amor, seu pietas.

Gubernatores Reipublicae sapientes sint. Prou. 11. ℣. 14.

De primo ait Sapiens: *Vbi non est gubernator, populus corruet*. Septuaginta: Quibus non est gubernatio, cadent tanquam folia.

Theodotio.

Theodotio. ἐν ἀνοίᾳ πεσεῖται λαὸς en anoia pesite laos. hoc est, incogitantia, dementia, vel insipientia corruet populus.

Plato de Rep. dialog. 5.

Quod intelligens Plato, dicebat felices futuros populos, in quibus aut philosophi, hoc est sapientes, regnent, aut Reges philosophentur, hoc est, sapientes sint.

Gubernatores sint indigenae.

Quòd ad secundum spectat, scelera Amani principis enumerans Artaxerxes, dum scri-B bit ad principes prouinciarum, omnium malorum causam adscribit diuersitati nationis, & amoris. Sic enim ait:

Esther 16. ℣. 10.

Aman filius Amadathi, & genere Macedo, alienusque à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est, & tantam in se expertus humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus: qui in tantum arrogantiae tumorem sublatus est, vt regno niteretur priuare nos, & spiritu. Quapropter volens Moyses principes populi constituere, haec duo requisiuit in eis, dicens ad populum.

Deut. 1. ℣. 13.

Date è vobis, non ex alienigenis, sed ex eis, qui origine vestri sunt, *viros sapientes, & gnaros, quorum conuersatio sit probata in* C *tribubus vestris*, non alibi, vt non solum origine, sed etiam educatione, & familiari, assiduaque consuetudine, vos ex animo diligant: *& ponam eos principes*. Tales autem fuisse Tyrios principes probant annales, eorundem perpetuam successionem enarrantes, & inter eos quidem, referente Iosepho, Iramum Salomonis aequalem, & amicum ferunt, eiusque causam his verbis.

Ioseph. lib. 1. cont. Apio.

Praecipuè autem inter eos amicitiam sapientiae studium conciliauit: problemata enim soluenda alter alteri transmittebat.

Hieron.

Tyriorum tamen sapientiam damnare videtur Hieronymus, tamquam huius saeculi, & propterea nauem, quam Tyrij ad portum securae felicitatis perducere conabantur, ad miserum inte-D ritus naufragium perduxere.

G blij qui sint.

Senes Gibly, & prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium variae supellectilis. Septuaginta, Hieronymus, Theodoretus, Eucherius cùm vulgata etiam in Complutensi legunt, Biblij, cum tamen in Hebraeo, & correctioribus vulgaris per G. non per B. legatur hoc nomen.

Hieron. Theodor.

Eucher. in lib. 3. Reg.

Eucherius verò ait: Biblus est ciuitas in Syria Phoenicis, à qua Biblij sunt vocati, cuius meminit Ezechiel: pro quo in Hebraeo continetur Gobel, siue Gebal, qui interpretatur definiens, siue determinans. Haec ille. Est autem Hebraea vox גבל geual, à radice גבל geual, quae terminare, seu definire significat.

R. David. 3. Reg. 5. ℣. 18.

Rabbi Dauid super locum illum libri Regum: *Porro Gibly praepa-E rauerunt ligna, & lapides ad aedificium domus*, inquit גבלים gaulim sunt dolantes ligna, & lapides regula, & mensura, à voce גבול geuul, hoc est termino, sic appellari, quod terminum mensurae, vel iuxta mensuram lapidibus ponant. quamquam sunt, qui exponant viri Gebal, qui erant lapicidae. Alij sic interpretantur, Gebalitae ingeniosi erant architecti, & praeerant in Tyro publicis aedificijs erigendis, & reficiendis.

Ciuitas Gobel, quae.

Eorum ciuitas Hieronymo vocatur Gobel, videturque esse eadem, ac Biblus Ptolemaei, & Pomponij, quae erat vicina Libano monti iuxta Damascum. Huius meminit psaltes dicens:

Psal. 82. ℣. 8.

Gebal, & Ammon, & Amalech alienigenae cum habitantibus Tyrum. Ex Hebraeo sic verti potest. hic

noster

A noster versus: Senes Gebal, & sapientes eius instaurauerunt in te rimas tuas. Ad artem illam alludere videtur, qua rimas, vel fissuras nauis extrinsecus, stupa, oleo, ac pice infecta obturare solent: cuius artis magistros vulgo in Hispania nuncupamus calafates, artificium vero calafatear. Suppler enim haec ars, quod ars fabri lignarij minus assequitur: haec enim non coagmentat tabulas maris, ita vt haec enim non relinquat, quas maris aqua naturali sufissuras non relinquat, quas maris aqua naturali superiorum partium pondere pressa penetrat, nauemque se completuram minatur, nisi sint alij artifices, qui eiusmodi rimas obturent, siue alias quascumque rimas, quas turbidis procellarum vndis concussa nauis fecerit: ac propterea à naui ad Rempublicam transitum facientes Septuaginta, verterunt. Senio- B res Bibliorum, & sapientes eorum, qui erant in te,

Senum, ac sapientum consilia quantum Respub. prosint.
Hieron.
Theodor.

isti ἰσχύων τὴν βουλήν σου eischyon tin boulen su, hoc est, confortabant, siue vt legit Hieronymus, confortauerunt consilium tuum. Theodoretus: Non propriam vrbem confirmabant, sed tibi optima consilia, consultationesque afferebant. Ex quibus quidem verbis mirabili nauis exemplo apertissimè significatur, quantum Republicae conducant senum, ac sapientum consilia. Quidquid enim principis sapientia, ars, iudicium non assequitur, id assequuntur consilia. quod si princeps consilio id assequatur, non tamen possit exequutione, id confortant sapientum consilia, & ad finem vsque perducunt: C instauratisque quibuscumque nauis rimis, inter omnes procellarum vndas tutissimam, ab omnique naufragio liberam ad felicissimum salutis portum totam Rempublicam, ciuesque perducunt. Quocirca aptissimè Apollinarius: Aduenas habuisti eos, qui prudentia erant valde celebres, vt & ciuitatis eis administratio committeretur, & incommoda, ac res difficiles propulsarent, splendoremque, ac magnificentiam augerent. Et subdit, commendari Tyri dignitatem ex ministris, qui quasi nauis essent naugae. Chaldaeus paraphrastes sic habet: Senes Gebal, & sapientes eius fuerunt in te, prouidentes necessaria. Alius vero Scholiastes, non de remigibus, & gubernatoribus loqui, quod adiungitur, arbitratur: Seniores enim illos dicit in libris, deceptus videtur fuisse voce, habent enim Septuaginta πρεσβύτεροι presbyteri, βιβλίων biblion, quae vox tum libellos, tum Biblos populos potest significare. D

Apollinar.
Chaldae.
Alius Scholiast.

Omnes naues maris, & nautae earum fuerunt in populis negotiationis tuae. Ex Hebraeo sic vertunt locum hunc nonnulli. Omnes naues maris, & remiges earum fuerunt in te, ad negotiandum negotiationem tuam: uel, vt quidam interpretatur, ad distrahendum merces tuas. Septuaginta interpretes longè aliter: Omnes naues maris, & remiges earum, facti sunt tibi in Occidentem Occidentis. Sic habet noua editio, Septuaginta, & Complutensis textus cum Hieronymiano, & multis alijs codicibus. Verùm Theodoreti codex. Fuerunt in te, inquit, permutantes commercio tuo, & facti sunt tibi in Occidentem Occidentis: quem locum ita interpretatur idem Theodoretus. Vndique, inquit, ad te mercatores confluebant, tum vendentes, tum ementes: hoc enim significat, permutantes commercio tuo: & non solum finitimi tui ad portus appellebantur; sed etiam extremas Occidentis partes incolentes. illud enim, ad Occidentem Occidentis, hoc declarat, quia non solùm illi, inquit, qui habitant tibi ad Occidentem, sed etiam ij, qui magis, quàm illi, incolunt ad occasum. Sic Theodoretus. Hieronymus verò, phrasim Hebraeis familiarem declarans, ait. Sicut dicitur Canticum canticorum, hoc est maius E

Futab.
Theodor.
Theodor.
Hieron.
Quid significet Canticum canticorum.

A alijs, sic appellatur Occidens Occidentis, vt magnitudinem occidentalium partium significet. Hoc autē videtur velle significare Hieronymus hac phrasi intelligendum, quamplurimas naues ex compluribus occidentalibus regionibus venire solitas ad nundinas, & negotiationem Tyriam: neque enim aliunde poterant, quàm ab occidente cum Tyro, sicut toti Phoeniciae, aut Palaestinae, mare situm sit ad Occidentem. At quoniam Patrum interpretationes adduximus, nostri muneris esse putauimus causas inquirere, propter quas interpretes sacri tam varias reddant huius loci interpretationes, & quo modo in eodem sensu conueniant. Et primùm varietatis causam non aliam puto, quàm copiosam, B ac multiplicem significationem vocis, seu radicis ערב gharau. Sic enim habes in Origine: בכל ערב מער vac lagharon, magharauec, quae vtraque vox deducitur à praedicta radice ערב gharau, quae vniuersè significat commisceri, conuenire, congruere inter personas, vel res, habetque duos modos significandi. Primo, quando refertur ad pacta, contractus, commercia, & conuenta, quae vel data, vel accepta fide, siue pignore, siue cautione transiguntur. In hac prima significatione accepit hoc verbum Iudas, cum principe Aegypti Iosepho fratre loquens: ait enim. *Ego propriè seruus tuus sum, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi.* & in Prouerbijs: *Noli esse cum his, qui defigunt manus suas* Hebrai- C cè cum fideiussoribus, *qui vades se offerunt pro debitis.* hoc est, Noli esse ex his, noli fideiubere pro debitis alterius. Inde fit, vt hac voce significentur negotiatores (inquit R. Dauid) quod ij, dum emunt, aut vendunt, spondent, aut fideiubent alter alteri. Quare aptissimè vulgatus vertit, *in populis negotiationis tuae*, & Hebraei, negotiantes negotiationem tuam. Secundò, quando vox haec vsurpatur extra pacta, & conuenta, tunc significat aliquid conueniens voluntati, vel sensibus, quos sibi quodam modo deuinciat, & conciliet: vt in Psalmo, *Suscipe seruum tuum in bonum*, hoc est congruere fac seruum tuum bono, vel apta seruum tuum bono, vel dirige. Hieronymus, & R. Abraham: Sponde, vel fideiube D pro seruo tuo in bonum. R. verò Dauid. Exhilara, & dirige seruum tuum in bono. Targhum: Oblecta seruum tuum bono. Et in Prouerbijs, *Desiderium, si compleatur, delectat animam*, vel desiderium expletum suaue erit animae. Tertiò, inde deducitur nomen ערב ghereu, hoc est vespera, tempus nempe illud, quo tenebris commiscetur dies, existente Sole in Occidente, occultanteque crepusculi radios. In quo sensu accipitur ab Isaia, dum dicit, *Deserta est omnis laetitia*, hoc est, obtenebrata est, vel occidit: sumitur enim pro Occidente ab ipso Isaia. vbi ait: *Vt sciant hi, qui ab Ortu Solis, & qui ab Occidente, quoniam, &c.* Hanc vocis significationem videntur sequi Septuaginta non sine mirabili allusione ad E commerciorum effectus, fideiubent, seu spondent animas suas. quod innuere videtur Chrysostomus dicens: Eijciebat Christus Dominus ementes, & vendentes de templo, significans, quia homo mercator vix, aut numquam potest Deo placere, & ideo nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, proijciatur de Ecclesia Dei, dicente Propheta: Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini. Haec ille, & causam huius subdit quia vix sine mendacio, & periurijs potest exerceri mercatura: quare spopondisse videtur mendacio mercator, ac propterea à veritatis lumine longè abhorret. atque adeo Occidens, seu vesper meritò vocabitur. Siue etiam vespera dicuntur

Quare interpretes varient, & differant.
Gen 44. ℣. 32.
Prou. 22. ℣. 26.
R. Dauid in lib radic & in commen.
Psal. 118. ℣. 122.
Hieronym.
R. Abrah.
R. Dauid.
Targhum.
Prou. 13. ℣. 19.
Isai 24. ℣. 11. & cap. 45. ℣. 6.
Matth 21.
Chrysost. hom. 38 in Matth.
Ementes, & vendentes quare eiecerit e templo Dominus.
Psal 70. ℣. 16.
Mercatores dicuntur vesper, & occideas.

Sophon. 3. ℣. 3.
Clemens Alexan. 2. strom.
Matth. 19. ℣. 24.
Marc. 10. ℣. 25.
Luc. 18. ℣. 25.
Arist. 3. Polit.
Apoc. 18. ℣. 23.
Hieron.

tur mercatores, quia pauperum bonis inhiant, velut lupi vesperae: ita enim vocantur iudices rapaces apud Sophoniam: *Iudices eius lupi vesperae*, sic dicti, quia eo tempore solent excurrere ad praedam, inedia diei incitati, & velut impulsi: siue etiam mercatores dicuntur vespera, vel Occidens, propter mentis caecitatem, quam affert lucri cupiditas. Quapropter Clemens Alexandrinus sic interpretatur, & legit Euangelij locum, dicens facilius fore camelum per foramen acus transire, quam diuitem philosophari. Quare apud Thebanos (Aristotele teste) legem sancitam ferunt, ne prius quis ad publicam administrationem admitteretur, quàm probasset per decennium se à mercatura abstinuisse. Adde etiã, quòd mercatura multis iucundissima, & gratissima est, haud secus, quam sponso sponsa. Ad haec ergo mercaturae nomina respexisse videtur Ioannes, seu potius Angelus in Apocalypsi, dicens ad collapsam Babylonem, *& lux lucernae non lucebit in te*, ecce primum vesperae, seu Occidentis nomen: *& vox sponsi, & sponsae non audietur adhuc in te*: ecce secundum *quia mercatores tui erant principes terrae*. ecce de quibus loquatur mercatoribus, nempe de ijs, qui suis cõmercijs dominari conabantur in vniuerso terrarum orbe. Quare aptissimè Hieronymus ait Et pulchre naues maris, & nautae earũ, & remiges, qui in Tyriae nauis auxilio sunt, non pergunt ad Orientem, neque ad ortum luminis, vbi sol iustitiae nascitur: sed ad Occidentem Occidentis, ubi lumen occumbit (vitae praesentis) & vbi tenebrarum exordium est, exteriorum inquam. Chaldaeus verò paraphrastes locum istum sic vertit: Omnes descendentes in mare, & nautae eorum fuerunt remiges in te: quasi dicat: tanta erat magnificentia, & gloria Tyri, vt remiges sibi adsciscerit eos, qui aliarum gentium nautae fuerant, & nauium gubernatores. Neque ab re erit locum Isaiae afferre, mirificè extollentem gloriam Tyri: *Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores erant principes, institores eius inclyti terrae*? Super quo Hieronymus: Miramur legatum Pyrrhi quondam dixisse de vrbe Romana, vidi ciuitatem Regum. Ecce multò ante illa tempora negotiatores, & institores Tyri principes, & inclyti describuntur: ut per haec ostendatur opulentiae magnitudo, cùm negotiator Tyri alterius urbis esse Rex possit.

Isai. 23. ℣. 8.
Hieron.

Persae, & Lydy, & Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui. Quidam Graecus Scholiastes sic ait: Extremas orbis terrae regiones dicit, uidelicet Persas, Lydios, & Libyas; multùm enim hi distant inter se. Polychronius: Quasi dicat ex diuersis locis eorum, qui in extremis oris habitant. Theodoretus: Enarrata lignorum diuersitate, uestium item uarietatibus, nauticis gubernationibus, consiliarijs, qui quid facto opus esset indicarent, mercatoribus undique aduentantibus, militarem quoque exercitum recenset è diuersis nationibus, & ciuilia instituta edoctis profectum. Hieronymus: Persas fuisse fortissimos, quorum Rex Cyrus, ut Isaiae uaticinio praedicatur, profligato Astyage Rege Medorum, Babylonem ceperit, & sacra, & saecularis narrat historia. Hactenus Hieronymus. Verum, ne nos omnia silentio praeterijsse uideamur, nonnulla de Persico imperio percensere libuit: & primum eius amplitudinem, latissimamque ditionem commemorat liber Esther, ubi Assuerus ille Persarum Rex dominatus esse dicitur ab India, usque ad Aethiopiam, in centum uiginti septem prouincias, cunctasque maris insulas. Adde, Cyrum

Scholiast.
Polychron.
Theodor.
Hieron.
Persae, quae gens
Isai. 45.
De amplitudine Persici imperij.
Esther 1. & 10.

A primum Persarum Regem, regnum Chaldaeorum bello subactum adiunxisse suo. Quod ad diuitias pertinet, Daniel comparat Persicum regnum cum argenteo pectore, & brachijs statuae, idque propter immensam Persici imperij opulentiam, atque incredibilem uim, & copiam diuitiarum, quam Cyro promiserat Deus per Isaiam dicens: *Et dabo tibi thesauros absconditos*. Deuicto namque Craeso Lydorum Rege, totius Asiae ditissimo, superato etiam Chaldaeorum Rege, omnes illorum opes in suam potestatem redegit: ita, ut (teste Plinio) ex Asia tantùm pondo auri triginta quattuor millia reportauerit, praeter uasa aurea, aurumque factum, & in eo folia, ac platanum, uitemque, necnon argenti B quingenta millia talentorum. Imperij uerò Persici militaris disciplina, & potentia ex multis alijs potest colligi argumentis. Ego Xerxem solum commemorabo, qui coacto illo suo innumerabili exercitu uniuersam Graeciam debellare uoluit. De Lydijs uerò idem Hieronymus: Lydos quoque illo tempore inter gentes robustissimos reputatos, eorumque Regem Croesum ab eodem Cyro captum esse Xenophon scribit plenissimè. Et Libyas cum Troglodytis, atque Aethiopibus uenisse contra Hierusalem in Paralipomenon uolumine legimus: qui, quia illis temporibus florentissimi erant, & celebres in praelio pugnatores, ideo Tyriae urbis defensores esse memorantur. Haec ille. Sed de Libybus, & C Lydijs aliàs.

Daniel 2. De diuitijs eiusdem
Isai. 45. ℣. 3.
Plin. lib. 33. c. 3.
Lydij populi qui.
Libyes qui. 2. Paralip. 12. ℣. 3.
Infra c. 30. ℣. 5.

Clypeum, & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. Septuaginta peltas pro clypeis ponunt, quas Theodoretus dicit esse scuta parua, quae leuis armaturae milites gerunt, quibus etiam utuntur Pyrricham ludentes. Fuit autem hoc ludi genus, quo armati Lacedaemoniorum liberi à quincto aetatis anno exercebantur, Aristoxeno teste. De nominis tamen origine Plato, Plinius, Aristoteles, & Suetonius uariè dissentiunt. Clypeus Hebraicè מגן magen à uerbo גנן ganan, quod significat protegere: ideo clypeus, seu scutum sic appellatur, quòd ferentem protegat. Ad hanc uocis significationem respexisse uidetur Dominus, dicens: *Noli timere Abra*- D *ham ego protector tuus sum*, uel clypeus tuus sum. Et benedicens Moyses populo Israël ait: *Quis similis tui popule, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui*, uel scutum auxilians, & protegens te, *& gladius gloriae tuae*. Transfertur haec uox ad significandos principes, & magnates, quòd ipsorum sit tueri urbes, & populum. Sic in psalmo: *Quoniam dij fortes terrae vehementer eleuati sunt*. fortes Hebraicè מגני maganne, scuta terrae. Sic paraphrasis Chaldaica reddidit: Quoniam coram Deo scuta terrae uehementer exaltata sunt. Quos sequutus Hieronymus, uertit: Quoniam dij scuta terrae. Galea Hebraicè קבע coubgh, galea rotunda instar colliculi in capite desidens, prout usurpatur ab Isaia, & E *galea salutis*, siue salutaris, protegens ad salutem, *in capite eius*. *Suspenderunt in te pro ornatu tuo*. hoc est ipsi auxerunt splendorem tuum, suspensis in te scutis: consueuerunt enim milites nauales, dum à militaribus cessant muneribus, ad marginem nauis appendere scuta uarijs coloribus, auro, & argento distincta, in quibus etiam, uel maiorum stemmata, uel egregia ipsorum militum facta essent expressa: quo uidelicet scutorum ornatu, atque splendore nauis illustratur, & hostibus terror incutitur.

Theodor.
Aristoxen.
Plato 7 de legib.
Plin. lib. 7. c. 57.
Sueton. in Caesare.
Arist.
Clypeus dicitur quasi protegens.
Gen. 15. ℣. 1.
Deut. 33. ℣. 29.
Principes clypei dicuntur.
Psal. 46. ℣. 10.
Hieron.
Galea quid significet.
Isai. 59. ℣. 17.

Filij Arady cum exercitu tuo erant super muros XI.
tuos in circuitu. Hieronymus: Aradum insulam, quae tota sit ciuitas, & contra se positum oppidum Antaradum habeat, vicinaque sit Tyro, & praetendat

Aradij qui. Hieron.

tendat in Phoenices litore continentis terrae, vsque hodie cernimus. Haec Hieronymus. Aradij ergo tamquam strenuissimi milites, exercitatissimique ad proelium *cum exercitu tuo*, quasi magistri militum, *erant super muros tuos.* Transitum facit ab allegoria nauis ad ciuitatis veritatem, quam custodiebant cum Tyrijs *Aradij*.

Pygmaei quid. Hieron. Aquil. Symmach. Theodot.

Sed & Pygmaei, qui erant in turribus tuis. Hieronymus: verbum גמדים gamadim, Aquilae prima editio Pygmaeos, Symmachus Medos, Septuaginta custodes, Theodotio ipsum gamad in Hebraicum interpretati sunt. Siue Pygmaei sunt, inquit, hoc est bellatores, ἀπὸ τῆς πυγμῆς apo tis pygmis, quae Graeco sermone in certamen vertitur. Hactenus Hieronymus. Verùm vox Hebraea גמדים gamadim à radice גמד gamad deducta est, quae cubitum significat, vt in libro Iudicum, vbi sic scribitur: *Qui Aod fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmae manus.* Hebraicè גמד gamad, id est cubitus longitudo eius gladij, quem idem Hieronymus post pauca vocat *sicam*. Hinc deducitur nomen גמד gamad, cuius plurale גמדים gamadim cubitalis, & cubitales significans, Graecè πυγμαῖοι pygmaei, sic dicti, quasi πηχυαῖοι pichyaei, hoc est cubitales: πυγὼν pygon enim cubitum significat. Plinius verò scribit fuisse populos in extrema parte montium Indiae habitantes, salubri caelo, semperque vernante, qui ternos dodrantes non excedunt. Dodrans verò mensura est extensae manus ab extremo minimi vsque ad summum pollicis, quam bis continet cubitus, vt latius in libro de mensuris suo loco tractabimus. Huius gentis meminit etiam Augustinus. Alij statura cubitales, inquit, quos Pygmaeos à cubito Graeci vocant. Haec ille. Pugnāt cum gruibus teste Aristotele. De eis Plinius: A gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est insidentes arietū, caprarumque dorsis, armatos sagittis, veris tempore vniuerso agmine ad mare descendere, & oua, pullosque earum alitum consumere. Haec ille. Eorum etiam Iuuenalis, quaedam asserens, quae conficta videntur, potius quàm uera, his uersibus meminit:

Iudic. 3. ✠. 16.

Ibi ✠. 21.

Plin lib. 7. c. 2. & lib 4. c. 11.

Dodrans quid sit.

August. lib. 16. de Ciu. Dei c. 8. Arist lib. 8. de histor. anim. c. 12. Plin. lib. 7. c. 2.

Iuuen. Sat. 13.

Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmaeus paruis currit bellator in armis.
Mox impar hosti, raptusque per aera curuis
Vnguibus, à saeua fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic
Quamquam eadem assidue spectentur proelia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno.

Verùm D. Hieronymus, qui bene percalluit phrasim, & mores gentis saltem posterioribus saeculis expertus fuerat, aliò deduxit significationem uocis, non credens huiusmodi gentem murorum Tyri custodiae aptam esse potuisse, quin etiam, si fuisset, non esse textui conuenientem eiusmodi interpretationem: fuerant enim connumerati ex omnibus ferè orbis terrarum oris fortissimi quique milites, Persae, Lydij, Libyes, communientes, & exornantes Tyrum: quorsum his annumeret Pygmaeos ridiculam gentem uiribus, bellandique facultate uolucribus inferiorem? Quapropter Septuaginta non Pygmaeos, sed custodes reddiderunt, quos Symmachus Medos dixit, & Theodoreti textus uersionem utramque coniungit: habet enim: Sed etiam Medi in turribus tuis erant custodes. Sed quare custodes turrium dicantur Pygmaei, uel cubitales, rationem oportet assignare. Quam attulit Hieronymus ex Graeco, aptissima est: verum aliam alij assignant etiam Hebraeo textui congruentem. Dicuntur enim turrium custodes Pyg-

Symmach. Theod.

Quare custodes murorum dicantur Pygmaei.

A maei, quia prae altitudine turrium hominibus infrà stantibus deficiente visu non homines videbantur, sed Pygmaei, hoc est staturae cubitalis. Nisi malis Pygmaeos dici sagittarios, quoniam gens illa sagittis assueta belligerare, familiarem habebat sagittarum vsum: quadratque huic interpretationi, quod sequitur.

Pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum. Pharetras suas, Hebraicè שלטיהם Soltehem, quam vocem frequenter vertit Hieronymus armorum generali nomine. Nam in libro Regum Ioiada dedisse dicitur sacerdotibus *hastas, & arma Regis Dauid.* Hebraice habetur haec vox. Et in Canticis. *Omnis armatura fortium*, similiter habetur eadem

Pharetra vnde dicta.

4 Reg. 11. ✠. 10.

Cantic. 4. ✠ 4

B vox, & alibi saepe. Pharetras ergo, & omnem armaturam suam, qua nempe hostes deuicerant, & praeclara facinora gesserant, quasi victoriae trophaea interposuerant murorum minis. Vsitatum enim erat Palaestinis, & Phoenicibus, arma, quibus hostes deuicerant, in locis publicis asseruare, quae pietatem colentes Deo suo in templis offerebant: sicut de gladio, quo Dauid percusserat Philisthaeum, scriptum legimus in libris Regum. Et apud Iosephum sic habemus: Circum templum affixa erant spolia barbarica, quae omnia Herodes denuo dedicauit, additis etiam recentibus Arabicis. Quod quidem trophaeum non in templo, sed in monte fecisse scribitur Saul repulsus à Deo. *nunciatum est* enim *Samueli eo, quod venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem*. Vel *pharetras*,

Alibi 2 Paral. 23 ✠ 9. & 2. Reg 8 ✠. 7.

Emeriti milites arma victoriae instrumenta affigebant, vel Deo consecrabant.

1 Reg. 12. Ioseph. 15. Antiq cap. 14.

1 Reg. 15. ✠. 12.

C seu arma *suspenderunt in muris*, tamquam illis non amplius egentes: significat enim in sacris litteris deponere arma, pacem, & securitatem, quam perpetuam futuram in Ecclesia Christi praedixit Isaias illa eleganti phrasi: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltra ad proelium.*

Arma ponere pacis symbolum.

Isa. 2. ✠. 4.

Ipsi compleuerunt pulcritudinem tuam. Ipsi, nempe omnes supra memorati, Sidonij, Aradij, Persae, Lydij, Libyes, & Pygmaei, *compleuerunt pulcritudinem tuam*. Chaldaeus paraphrastes suprà etiam,

Chaldaeus supra ✠. 10.

D vbi nos legimus, *pro ornatu tuo*, vertit, ipsi multiplicauerunt decorem tuum. Itaque ter repetendo inculcat illa verba, quae dixerat Tyrus, *perfecti decoris ego sum*, vel ego circumdedi mihi decorem meum. & tamquam offensus princeps, & maximè iratus alta mente reposita illatae iniuriae verba repetit, reprehendit, accusat, rationibusque, & argumentis probare non desistit, ea esse falsissima, & immerito prolata, ac si dicat: Tu, tu, inquam, circumdedisti tibi, praesumptuosa, decorem tuum? non potius finitimi tui? nonne de longè venientes? nonne milites? nonne mercatores? omnes attulerunt aliquid decori tuo, ita vt non amplius possit dici decor tuus, sed emendicatus, sed neque perfectus,

Eadem verba, quae dixerat Tyrus, Deus repetit maximè offensus.

E qui tam varijs, & tam incertis, ac dubijs adminiculis eget. Quo quidem ostendit Dominus, se esse proprij honoris zelatorem perpetuum, expetereque merito a nobis videtur, quod petierat à discipulo Thales Milesius Is enim cum quandam nouam de caelo ratione senex inuenisset, eamque docuisset amanter Mandritam philosophum, rogatus à discipulo, qua mercede sibi tantum donum rependi vellet? Respondit ille, satis mihi fuerit o Mandrita, si id, quod a me didicisti, cum proferre volueris, tibi non adscripseris, sed eius me potius repertorem praedicaueris.

Dominus sui honoris zelator est. Petit Thales a discipulo grati animi monumentum sibi non arrogare, quae ei didicerat.

Carthaginienses negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum. Hieronymus sic, non solum in praesenti loco, sed & in Isaia, vbi scriptum est:

Carthaginienses qui. Hieron. Isa. 23. ✠. 1.

A est: *Vlulate naues* Carthaginis · ceteri interpretes verbum Hebraicum transtulerunt Tharsis, quam coloniam esse Tyriorum nulli dubium est, ipsi de Occidentis partibus argento, ferro, & plumbo Tyri nundinas repleuerunt.

Theodor.

Theodoretus vero prope eadem aliter refert: Carthago, inquit, metropolis est illius, quae olim Libya, nunc Africa nominatur, & Syrus, & Hebraeus Tharsis appellat, & per metropolim negotiationem earum rerum, quae ex omni natione afferebantur, è multiplici materia ibi inuentarum declarauit.

De significatione Tharsis.
Gen. 10.
Psal. 71. ℣. 10
Chaldaeus.

Vox autem Hebraea תרשיש Tharsis primum imposita fuit secundo filio Iauan, filij Iaphet, filij Noe, a quo Tharsus Ciliciae metropolis cognominata creditur, ortu etiam sancti Pauli Apostoli nobilissima, de qua psalmus: *Reges Tharsis, & insulae munera offerent.* Chaldaeus reddidit מלכי טרוסים malched tarsis id est, Reges Tharsenses, Cilicum, inquam & finitimarum nationum, quae oram maritimam Syriae vicinam colunt. Tharsis ergo Ciliciam designat, ad quam Ionas Propheta properabat, delegatum sibi à Deo munus defugiens: Sic enim illius habetur

Ionae 1. ℣. 3.

prophetia: *Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis*, id est, quae petebat Ciliciam. Verum generali appellatione à colore caeruleo mare altum, & magnum dicitur, Tharsis, duplexque est, vel internum, quod mediterraneum nos vocamus; scriptura verò occidentale, vel Occidentem ipsum maris propterea

Infra, c. 41.
Duo maria alterum externum, siue Oceanum, alterum internum, siue mediterraneum.

nomine nuncupare solet, vt infra patebit, aliud est mare externum, quod nos Oceanum vocamus, in quo naues magnae uersantur. & in hoc differt Tharsis à ים iam, mare, quo hoc nomine stagna, lacus, vel quaslibet minores aquarum collectiones nuncupare solent Hebraei. Quibus ita notatis nullo negotio verus loci sensus elicietur, ex adiunctis coniectando, de quo mari fiat sermo. Sicut enim praedicta loca interpretati sumus de Cilicia, & mari Ciliciae, & Chananeae obiecto, quod geographi Phoenicium, & Syriacum nominant: sic alia quamplurima intelligenda sunt de Oceano, siue externo mari: quale est illud Psalmi: *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*. & Isaiae. *Et super omnes naues Tharsis*. & iterum: *Vlulate naues* Tharsis *maris*.

Psal. 47 ℣. 8
Isa. 2. ℣. 16. & cap. 23. ℣. 1.
Hebraei omnia maria Tharsis vocant nomine sui maris.

Ratio autem, propter quam Hebraei nomine peculiari Tharsis omnia maria intelligant, ea videtur esse, quod Israelitae, qui nullum aliud mare praeter illud Tharsense, siue quo petebatur Tharsum, nouerant, omnia maria vocabant Tharsis, more Ponticorum populorum, qui, quod nullum praeter suum mare esse crederent, aut id existimarent ceteris praestare, pontum vocauerunt quoduis mare, per Synechdochen eodem nomine suum mare, & cetera maria complexi. Sic populus Dei nomine Tharsis maris sibi cogniti, cetera quoque maria nominauit.

Mare quod ibat classis Salomonis.
3 Reg. 9. ℣. 26.

Ex dictis etiam constat, quod sit illud mare Tharsis, in quod ibat classis Regis Salomonis facta in Asiongaber *deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pauos*. Verùm, quia haec disputatio longiorem exigit indaginem, disputationi de diuitijs Salomonis multo aptiorem, ideo consulto eam in illum locum fusiùs tractādam reijcimus.

Gemma Tharsis, quae.
P. Pradus super Ezec. c. 1. ℣. 16

Tertiò etiam Tharsis nomen est lapidis pretiosi, colore caeruleo mari similis, de quo etiam sunt uariae interpretum opiniones. quarum nōnullas recensuit Pater Pradus, & nos fusiùs, cum de lapidibus rationalis disputaturi sumus, de eo loquemur. Quare haec iam praeterimus, hoc vnum addentes, quod breuiter R. Mose Hadarsan scribit de significatione vocis Tharsis. Tharsis, ait, vt aliqui opinantur, Ciliciae ciuitas, vt alij, Carthago, vt alij, India, ut alij, mare.

R. Mose comment. in psal. 71. al. 72.
De Carthagine.

Verùm pro Hebraeo Tharsis, Hieronymus hoc loco posuit Carthaginem, imitatus Septuaginta, qui allato Isaiae loco, *Vlulate naues maris* Hebraicè Tharsis, Septuaginta reddiderunt, nauigia Carthaginis. Itemque in alio Ezechielis loco scribunt Seba, & Dedan, & mercatores Carthaginienses, pro *negotiatores Tharsis*: hisque quadrat Chaldaei etiam paraphrasis apud Ieremiam, vbi pro Tharsis dixit Africam.

Ezech. 38. ℣. 13.
Ierem. 10. ℣. 9.
Plin. lib. 5. c. 19.

Fuit enim Carthago Africae, seu Libyae metropolis: quam commendat, B siue potius quasi arrogantem reprehendit Plinius, dum Tyri coloniam fuisse eam affirmat his verbis. Tyrus olim portu clara, vrbibus genitis Lepti, Vtica, & illa Romani imperij aemula, terrarum orbis auida Carthagine.

Q. Curt. lib. 4. vitae Alex.

Eadem Curtius, qui enarrans, quibus praesidijs confisi Tyrij Alexandro resistere decreuissent, subdit: haud parua dictu res Tyriorum fiduciam accendit. Carthaginiensium legati ad celebrandum anniuersarium sacrum more patrio tunc venerant, quippe Carthaginem Tyrij condiderunt, semper parentum loco culti. Hortari ergo Poeni coeperunt, vt obsidionem forti animo paterentur, breui Carthagine auxilia ventura: namque ea tempestate magna ex parte Pu- C nicis classibus maria obsidebantur. Ex qua Curtij historia facilè intelliges, quam ob causam Propheta Carthaginienses vocauerit negotiatores Tyri.

XIII.
Hieron.
Graecia à Iauan condita.

Graecia. Hieronymus: Iones, inquit, qui Hebraicè appellantur יון iauan, quod eisdem omnino apud Hebraeos scriberetur characteribus, punctis tantummodo mutuatis, יון iauan, & יון ion. Fuit autem hoc nomen Iauan quarti filij Iaphet, qui aedificata Ionia nomen dedisse videtur Ionibus. Hi autem postea cum ceteris eiusdem gentis concesserunt in nomen Graecorum, concordatque lectio Septuaginta, qui dixerunt ἑλλάς hellas, hoc est, Graecia · & apud Isaiam pro Iauan Hebraeo dixerunt D ἑλλάδα hellada, Graeciam. Similiter apud Ioëlem, Iauanim plurale vocis Iauan conuerterunt Ἕλληνας hellines, quam similiter nostra vulgata reddidit *Graecos*.

Isai. 66. ℣. 19.
Ioel. 3. ℣. 6.

Alias saepe Septuaginta retinent vocem Hebraeam Iauan, variant tamen in scribendo. quandoque Ἰωυὰν Iauan, nonnumquam, Ἰαυὰ Iauan, aliquando etiam Ἰωύνων Iounon. Sed ad Iones reuertamur: ab his Athenienses originem trahunt, quorum nomine olim censebantur, vt auctor est Plutarchus in Theseo, qui cum agrum Megaricum adiunxisset Attico, celebrem pilam erexit in Isthmo, in qua Orientem versus hoc inscripsit: Haec non sunt Peloponnesus, ast Ionia: & versus Occidentem. Sunt Peloponnesus ista, non Ionia.

Plut. in Theseo.
Hecataeus apud Strab. lib. 9.
Hieron.

Iones E autem ex Asia in Graeciam venisse Hecataeus docet. Nomen Iauan interpretari solitos testatur Hieronymus Hebraeos: est, & non est quod ad fallaces doctrinarum haereses refert. Alij uero eius interpretationis aliam rationem assignant, quia scilicet, cum semper mercaturae operam dent, cui sunt addictissimi, vix alicubi reperies illos stabile domicilium incolere, sed mox ac comparent, aut sunt in hoc portu, discedunt, & non amplius sunt in eo: ac propterea (est, & non est) dicuntur Graeci.

Hieron.
A Thubalis quae gens denominatur
Euch. lib. 2. instruc. c. 4.

Thubal. Hieronymus: id est, Iberi orientales, vel de Occidentis partibus Hispani, qui ab Ibero flumine hoc vocabulo nuncupantur. Eucherius, *Thubal* Iberi, qui & Hispani. Hispania

Strabo. *Plin.* *D. Eulogi.* *De Hispania, quare sic dicta.* *Ambros. de Moral. in vita Eulogij.* *Appia. Alex.* *Postel.* *Arias Montan. in Abdi. & in Apparat.*

quondam Ἰβηρία Iberia, & Ἑσπερία Hesperia auctore Strabone, Plinio, alijsque Ἰσπανία Ispania sine aspiratione dicta est. Ptolemaeus, & Stephanus, eandem Παννονίαν Pannoniam vocant. D. etiam Eulogius, ante septingentos annos scripsit Spaniam, non Hispaniam, teste Ambrosio de Morales. Eadem Celtiberia quondam dicta, teste Appiano Alexandrino. Hebraeis Sepharad dici scribit Postellus, & Arias Montanus, qui Spaniam à Chaldaeis appellari etiam testatur. Verùm Arias Montanus Iberiam Asiaticam, quam orientalem vocat Hieronymus, Ptolemaeus Caucasum, Strabo Albanos, & Iberas putat in sacris libris nonnunquam describi sub nomine Thubal, atque hinc profectos Hispanos, qui Europae vltimam partem versus Occidentem occupant. Cui quidem sententiae, & praecedenti de Graecia, Hebraeis dicta Iauan, patrocinantur Iosephi verba sic scribentis: Iapheto Noe filio filij fuerunt septem. Horum sedes à Tauro, & Amano montibus incipientes, pertinebant in Asia ad amnem vsque Tanaim, in Europa vsque Gades, in terris hactenus vacuis occupatae: quò factum est, vt ipsorum nomina gentibus imponerentur. Quos enim nunc Graeci Galaras vocitant, Gomarenses olim dictos, Gomar condidit. Magoges verò Magogarum a se denominatorum fuit auctor, qui ab ipsis vocantur Scythae. Ex alijs Iapheti filijs, Iauane, & Mado, ab hoc Madaei descendunt, Graecis Medi nominati: à Iauane verò Ionia, totusque Graecorum genus. Quin & Thobelus Thobelio sedem dedit, qui nunc sunt Iberi. Haec Iosephus. Ex quibus liquidò constat, quinam tractus nempe Europaeus coeperit incoli a filijs Iaphet, nempe meridianus, vtpote ab Asia, cuius paulo ante meminerat, Gades vsque. Verùm his tam firmis testimonijs innixam veritatem quidam ex recentioribus eludere velle videtur, & primum Iosepho se opponit dicens, à Thubal Thubaleos, qui sunt Iberi, vel Hispani, putat dictos Iosephus sine vlla ratione, & subdit testimonium Septuaginta, & Chaldaei, qui idem nomen Thubal nonnunquam integrum retinuerunt, quo significarunt, inquit, Scripturae sacrae interpretes, se ignorare, quinam essent Thubalei. Sed quaeri posset ab hoc scriptore, qua ratione ductus, affirmare non vereatur sine ratione vlla à Iosepho, sine vlla scientia ab interpretibus Thubaleos reddi, vel Hispanos dici? Respondebit, quia eiusmodi sententia non ex aequo respondet quamplurimis sacrae Scripturae locis, praesertim Ezechielis, simul referentis Mosoch, & Thubal cum alijs Arabiae Phoenicis, aut Syriae vicinis opidis. Verùm haec ratio si quid probat, probabit etiam, Graeciam esse Phoeniciae vicinam, Persas, Lydos, ac Lybias, non immenso terrarum tractu sepositos, sed vicinos inter se, ac finitimos, quod ab omni ratione alienum est: aduersaturque Polychronio, cuius haec sunt verba. Propter vrbis tutum situm etiam ex remotis regionibus audebant mercatores aduentare, tanquam ad tutum portum confugientes: quin & eiusdem auctoris argumentis conuinci potest. Quapropter rationem eandem, quam huic dubiae, difficilique quaestioni lucem allaturam maximam sperabat hic auctor, credimus sequutum esse Iosephum. Mitto assiduam lectionem historiarum tum Hebraicarum, tum Graecarum, nec non Chaldaicarum paenè omnium, in quibus versatus fuerat Iosephus. Ratio verò huius auctoris est huiusmodi. Quod si mercaturae, inquit, illius temporis nota esset nobis ratio, & sciremus, quae ex

Ioseph. 1. antiq. c. 6. (beside "patrocinantur Iosephi verba")

Math. Berosl. lib. 4. Chronic. (beside "tam firmis testimonijs")

Ezech. (beside "pturae locis")

Polychron. (beside "alienum est")

A quibus regionibus merces solitae essent comportari Tyrum, certius aliquid de his populis statuere possemus. Haec sunt eius verba. Quae quidem omnia non ignorasset, si nostrum Prophetam attentè legisset: qui, cum argenti, ferri, stanni, plumbique, quae afferebantur Tyrum, meminisset, subdit, *Graecia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui.* Neque erat ignotum Iosepho, in quibus regionibus haec metalla affatim gignerentur: cum narret, Agrippam suadentem Iudaeis, vt Romanis parerent, commemoratis quamplurimis subiugatis regionibus, subdidisse. Neque Hispanis, inquit, nascens in agris aurum, pro libertate bella gerentibus, profecit. legeratque sine dubio libros Machabaeorum, B in quibus scribitur: audiuisse Iudam *nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, & quanta fecerint in regione Hispaniae, & quod in potestatem redegerint metalla argenti, & auri, quae illic sunt.* Legisse etiam posset hic auctor Pomponium Melam, de Hispania in haec verba scribentem: Viris, equis, ferro, plumbo, aere, argento, auroque abundans. Quibus quasi commentarium nostro textui facere videtur: fusiorem Plinius. Metallis, inquit, plumbi, ferri, aeris, argenti, auri tota fermè Hispania scatet citerior, & specularibus lapidibus Baetica, & minio. Sunt & marmorum lapidicinae. Haec Plinius. Ex quibus omnibus planè doctissimi viri affirmant Thubalem fuisse Hispaniae conditorem. C Verùm, vt frequenter solet, suboritur statim contentio inter Hispaniae partes, quas enumerat idem Pomponius, Tarraconem, Lusitaniam, & Baeticam de primatu obtinendo. quarum incolae ducti coniectura, quam etiam ex quibusdam apocryphis Berosi scriptis confirmant, primam Hispaniae vrbem Thubalis nomine insignitam fuisse arbitrantur. Tarraconenses igitur primatum ambiunt, leuissima coniectura freti, ex similitudine nominis Thudelae vrbis, quam incolunt, cum nomine Thubalis, dictamque putant quasi Thubelam, vel Thubaleam. Cui coniecturae nonnihil adderent momenti, aut ponderis, si aut tale nomen ab antiquis, probatisque auctoribus commemoratum, aut D eius vrbis tantam fuisse originis vetustatem aliqua ratione probarent. Lusitani consimili, sed vero similiori argumento contendunt, eam esse primam Hispaniae ciuitatem, quam ipsi Setuval vocant, hoc est, sedes Thubal, se, enim eorum lingua sedem significat, in cuius nomine totum Thubalis nomen plenè reperiunt. Verum ea ipsa coniectura, qua hoc ipsum confirmare contendunt, id ipsum infirmant. Prope Setuvalum, inquiunt, ruinae visuntur, & quamplurima antiquitatis monumenta cuiusdam ciuitatis magnae, eam incolae Troiam appellant: qua quidem fatentur, Troiam illam vetustiorem multo Setuvalo fuisse: ergo haec recens. Quod si nomen translatum, non antiquitas. praesertim E cum Iosephus de eo Europae tractu, qui ab Asia Gades vsque distenditur, loqui videatur, dum Thobelum Thobelio sedem dedisse commemorat: qui quidem totus mediterraneo, ac meridiano mari obijcitur tantum. Lusitania vero teste Pomponio, Oceano tantummodo obiecta est. Vnde facilè coniectare possem, quod & ipsi verentur, Baeticae deberi eiusmodi principatum, nisi eo ipso, quòd in alijs reprehendo, notari posse viderer, nempe amore patriae potius, quàm certis rationibus hanc suscepisse disputationem.

Hispania metallis omnibus scatens. *Ioseph 2. bel. li. cap. 16.*

1. Mach. 8. v. 4. & 3.

Pomp. Mela lib. 1. c. 6.

Plin. lib. 3. c. 3.

Baetica specularium lapidum abundans

Thubal Hispaniae conditor.

Pomp. cita.

Pomp. cita.

Et Mosoch. Hebraicè משך mesech. Hieronymus Mosoch, quos Cappadoces intelligimus, quorum metropolis, quae postea ab Augusto Caesare, Caesarea

De significatione vocis Mesech, & quam gentem ind. cet. Hieron.

sarea appellata est, ad haec vsque tempora lingua ipsorum Mazaca dicitur. Idem ferè Iosephus Meschini, inquit, à Mescho auctore appellantur. (is fuit sextus filius Iapheti) Cappadocum enim appellatio noua est, veteris autem vestigium adhuc superest. Vrbs enim est apud eos hodie quoque Mazaca, satis indicans intelligere volenti, hoc priscum fuisse genti nomen. Haec Iosephus. Verum his etiam opponit se testimonijs idem, qui suprà, contendens similiter, Moloch fuisse Syriae, & Arabiae vicinum populum, quasi vero non possent naues ex longinquis regionibus Tyrum appelli, mercesque conuehere: & affert suae sententiae testimonium, vt ipse putat, firmissimum, locum psalmi: eo enim loco, inquiens, vt Hebraea habent, sic de miseria sui exilij queritur Dauid: Heu me miserum, quia peregre ago in Mosech, habito in tabernaculis Cedar. Quem locum ita reddidit Chaldaeus paraphrastes: O me miserum, quia peregrinatus sum cum Asianis, habitaui cum tabernaculis Arabum. Et subdit homine pio indignam sententiam: Septuaginta malè locum reddiderunt, quos sequuti Latini, ita versum hunc conuerterunt: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar.* Quod quidem fundamentum Caluinianam haeresim redolet, temerè vulgatam nostram Latinam improbantem, praesertim in psalmis, de quibus Caluinus verba non minus impiè, quàm petulanter adiungit vix esse tres continuos versus non insigni aliquo errore foedatos: quod vt confirmet, nonnulla profert testimonia Hebraicis fontibus non respondentia. Verùm aduersus huiusmodi calumniatores, sacri Concilij Tridentini decretum sit satis opponere, cuius quidem vim, & efficaciam nullo modo eludere poterit quisquam, ad varios recurrens Latinos codices, cum toto prope terrarum orbe resonent Ecclesiae Catholicis psallentium vocibus: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Confirmat hoc etiam sacrosancta, vetustissima, celeberrimaque Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum in Vaticano Romae Basilica, quae felicis recordationis Pio V. Pontifice Maximo consentiente, & comprobante, integrum, ac inuiolatum suum Latinum psalterium à maioribus traditum, mira veneratione conseruat. Quo ante duos annos in lucem edito fruimur, liberalitate humanissimi Suessani Ducis, Regis Catholici apud S. D. N. Clementem VIII. Oratoris. Quod quidem psalterium licet interdum à nostro nonnihil differat: tamen hoc in loco nihil omnino discrepat. Et quidem non propterea videri volumus ad sacram anchoram confugere, quasi vereamur, vt argumentorum vim sustinere possimus, aut rationum tela retundere. Sed, ne quis post hac sibi credat licere, facili quadam coniectura, & Hebraearum vocum significatione Latinam nostram vulgatam reprehendere, venio ad argumenta, vnde probat hic auctor, in eo psalmo loqui Dauidem de suo inter Asianos, & Arabes exilio; cum tamen nulla, aut sacra, aut profana historia eiusmodi incolatus mentionem faciat. Quamobrem Hilarium legamus, & doctissimum, & antiquissimum Romanae Ecclesiae diaconum sic scribentem: Cedar genus est Ismaelitarum deserta incolens, cuius fines vsque ad Medos, & Persas proferuntur. Cedar enim Ismaël filius fuit, Genesi restante: Primitiuus, inquit, Ismael Nabaiothet Cedar: ij sunt nunc Sarraceni nuncupati. Qui ergo psalmos istos terreno ingenio intelligendos putant, id volunt ex persona populi captiui Prophetam conquestum, quod in habitaculis Cedar longus ei fuerat incolatus: sed verbi vim non intelligentes, nec Prophetae spiritum sentientes, auctoritatem nominis ad confirmationem stultae opinionis assumunt, psalmo omnino nihil, quod captiuitati populi congruat, continente. Haec Hilarius. Adde Remigium sic scribentem: & ne aliquis putaret eum de incolatu corporis dicere, addit, *multùm incola fuit anima mea.* Haec Remigius. Si ergo non est de incolatu corporeo intelligendus psalmus, frustra laborat in exquirenda locorum vicinia. Sed vrget Hebraeam vocem משך mesech, quod est loci nomen. Verùm hoc vnum probandum supererat huic auctori, vel etiam alijs Rabbinis, sentientibus hic alicuius loci sermonem fieri, nempe vocem Mesech locum significare, nihil praeterea, quod quidem falsum, & improbabile omnino est: omnium enim Hebraeorum consensu vox haec à משך masach deducitur, quae significat, traxit, protraxit, perrexit, profectus est. Vnde nomen mesech significat tractum, protectum, aut protractum: propriéque dicitur de iactu seminis, quod in terram proijcitur, dum seminatur. Sic in psalmo: *Euntes ibant, & flebant, mittentes* משך הזרע mesech hazaragh *semina sua*, iactum seminis posses interpretari. R. Dauid pretiosum semen interpretatur, allusionem faciens ad significationem vocis, dum subdit: res enim pretiosa ad longinquas partes suum nomen trahit. & apud Iob: *Trahitur autem sapientia de occultis.* Hebraicè ומשך vmesech. R. Dauid pretiosior est sapientia margaritis. Targhum: & tractio sapientiae plusquam margaritae. R. quoque Leui, & R. Mosech interpretantur: & tractio sapientiae, id est sapientia, quae est tracta, ascendit (dignior est margaritis) supra margaritas. longum esset singula percensere, cùm satis iam constare videatur, vocem mesech significare prolongationem. Quare aptè Hieronymus: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est. aptè etiam Septuaginta, οἴμοι, ὅτι ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη oimi oti i paroicia mu emacrynthi. aptissimè Latinus interpres vocis significationem sequutus, interpretatur, *prolongatus est.* Quam lectionem duo interpretes, qui à Chrysostomo afferuntur, luculenter confirmant; quorum alter vertit παροικῶν παρείλκυσα paricon parilcysa, incolens protraxi, videlicet incolatum meum. Alter προσηλύτευσα ἐν μακρυσμῷ proselyteusa en macrismo, aduena fui in prolongatione, hoc est iamdiu aduena fui. Qui etiam Hebraicam videtur phrasim expressisse, vt voci משך mesech subaudiatur praepositio ב beth hoc est, in, quasi dicat, peregrinatus sum in protractu. Vbi notandus est loquendi mos Hebraeis frequens: nam cùm saepe careant aduerbijs, vtuntur nominibus cum particula ב beth loco aduerbiorum, vt in Psalmo: *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, id est, iracundè, *& in furore suo conturbabit eos*, id est furiosè. atque ita sensus erit in protractu, hoc est protractè diu. Itaque, licet daremus huic Hebraicae veritatis zelantissimo viro, Mesech significare nomen loci; non tamen propterea malè interpretatos fuisse Septuaginta concederemus. cum ipsi etymologiam loci interpretantes, verum loci sensum reddiderint, nempe: Heu me, ita me à patria extorrem, exulemque doleo, ac si inter remotissimos Meschenos, siue Asianos commorarer, in tabernaculis, aut papilionibus more Cedarenorum coactus habitare. Iosephus filius Gorionis scribit esse Tusciam, siue Etruriam. & R. Mosech interpretans illud Isaiae: *Equi amatores, & emissarij* משכים masechim, equi bene pasti, inquit, id est Tusci fuerant,

Marginalia: Ioseph. 1. ant. iuq. c. 6. — Matth. Beroal. lib. 4. Chron. — Psal. 119. ℣. 5. — Vulgatae psalterium ab haereticorum calumnijs vindicatum. — Psalterium Vaticanum. — Hilarius. — Remigius. — Psal. 126. ℣. 6. — R. Dauid. — Iob. 28. ℣. 18. — R. Dauid. Targhum. R. Leui. R. Mosech. — Hieron. — Chrysost. in Scholijs. — Hebraei loco aduerbij, quo frequenter carent, vtuntur nominibus cū particula, in. Ps. 2. ℣. 5. — Iosephus filius Gorionis. R. Mosch.

A fierunt, è Tuscia enim veniebant equi fortes. Ex quibus omnibus tam latè discussis, hoc vnum certò colligitur, falso contendere hunc audio rem, ex loco Psalmi posse probari, Mosoch fuisse vicinum locis Tubal, & Syriae, cum omnino oppositum probetur etiam ex vocis etymologia. Apollinarius, Polychronius, & quidam Scholiastes Graecus putant cum Hieronymo Cappadoces intelligi.

Apollin. Polychr. Scholiast. Hieron.

Mancipia, & vasa aerea adduxerunt populo tuo. Septuaginta, in animabus hominum. Polychronius: Ex Graecia tum alia, tum aes exportari solitum. Pro ijs verò, quae portabantur, accipiebant homines in seruos, per quandam tyrannidem quosdam trahentes in seruitutem: ac ne processu

Tyriorum impietas in vendendis hominibus.

B temporis libertatem arguerent, ad extremam redigentes miseriam eos hospitibus reddebant: hoc enim significat in animabus hominum. Ferme idem alius Scholiastes: Magnam, inquit, illorum accusat iniustitiam, quippe, qui homines per vim vendant: & ne vmquam libertatem nanciscantur, in Graeciam illos vendebant. Hieronymus contra, sed magis iuxta nostrae vulgatae sensum, putat mancipia ab his gentibus deferri Tyrum, non asportari è Tyro, vt interpretantur Graeci, quos attulimus. ait enim: Isti pretiosum Tyri fecere commercium, vt mancipia, & aenea vasa ex Corintho adducerent Tyrum. Aeris autem Corinthij saepe Iosephus mentionem facit, atque inter pretiosissima metalla

Scholiast.

Hieron.

Aes Corinthium.

C computat. Vidimus Romae ex tali aere mensuram pedis Romani antiqui, apud R. P. Fratrem Illefonsum Ciaconem, diligentem rerum memorabilium indagatorem, sollertemque earundem conseruatorem. Hebraicè sic habet hic textus בנפש אדם benephes Adam, possetque verti in anima hominis, quod verterunt Septuaginta in animabus hominum. Quae quidem phrasis non semel reperitur in sacris libris: significat enim in anima idem, ac si dixisset, cum ingenti vitae periculo. Quod manifestum est in Threnis, *in animabus nostris*, inquiunt Hierosolymitani, *afferebamus panem nobis à facie gladij*. quem locum ita interpretatur Hieronymus: cum animarum nostrarum periculo quaesiuimus nobis victum, in deserto gentium constituti. Huic est con-

In anima, vel in animabus, idem est, ac si diceret, cum ingenti vitae periculo.

Thren. 5. v. 9.

Hieron.

D similis phrasis illa Psalmi: *Anima mea in manibus meis semper*; hoc est, semper expositus sum mortis periculo, & tamen *legem tuam non sum oblitus*. Allusionem videtur facere ad vas aliquod vitreum, quod, dum prae manibus gestatur, in maximo periculo est, ne è manibus elapsum confringatur: vel ad ludentes, qui, quas habent in manibus pecunias, maximo sciunt subijci periculo eas amittendi, seu potius perdendi. Ex qua similitudine orta est phrasis Hispanica, tiene la vida Iugada, hoc est, vitam aleae exposuit, id est maximis periculis. Haec autem interpretatio non opponitur Latinae nostrae; verum ad adyta, ac penetralia significationis nos

Psal. 118. v. 109.

E deducit, dum non minora commercijs inesse significat vitae, ac libertatis spiritualis pericula, quàm corporalis ipsis mancipiis in nundinis expositis: quinimmo ipsammet diuitiarum affluentiam, seruitutem quandam esse affirmat Cyprianus, his verbis de diuite loquens: Nec intelligit miser, speciosa esse sibi supplicia, auro se alligatum teneri.

Mercatura non sine magno vitae periculo exercetur.

Cypr. lib. 2. epist. 2. ad Donatum.

De domo Thogormae equos, & equites, & mulos adduxerunt in forum tuum. De Thogormaeis Iosephus. Gomaris autem trium liberorum parentis, vnus filius Aschanaxes originem Aschanaxis dedit, qui nunc Rhegines à Graecis nominantur Rhiphates vero Riphthraeis, nunc Paphlagonibus: & Thygrammes Thygrammaeis, quos Phrygas Grae-

Ioseph. 1. Antiq. c. 6.

Thogorma eadem, ac Phrygia.

A cis libuit vocare. Theodoretus, equos, & equites, & mulos tibi Phrygia mittebat. ita enim domum Thogorma interpretantur. Sunt qui putent Turcas Thogormaeos esse, quare Iudaei nunc Turcarum Imperatorem nominant Thogar. Alijs Thogorma dicitur Germania, quoniam Chaldaeus paraphrastes hoc loco posuit גרמניא garmania. Verum, quis non videat eandem esse hanc vocem, & Hebraicam Thogorma, sublata addititia priori litera, & retentis tribus (quas Hebraei vocant) radicalibus? Equos vero adduci ex Phrygia Tyrum non mirum est: equitatui enim assueta gens fuisse videtur ex Plinio, qui refert, inuenisse equo vehi Bellerophontem, frenos, & strata equorum Pelethro-

Theodoret.

Plin. lib. 7. c. 56.

B nium, pugnam ex equo Thessalos, qui Centauri appellati sunt, habitantes secundum Pelium montem: & addit, bigas primum iunxit Phrygum natio; quadrigas Erichthonius. Haec ille. *& equites.* Hebraicè פרשים vparasim à voce פרש paras, quae equitem significat apud omnes, sic dictum à calcaribus, quibus incitat pungens equum: vox enim primitiua significat pungere, posses reddere calcariatum. Quidam singulare quoddam equorum genus significari putant hoc loco, quorum vsus praecipuus in bello est, qui sunt armis, paludamentis, phalerisque prae ceteris militaribus equis conspicui, & cataphracti appellantur. Hispanicè cauallos de armas. Verum R. Dauid ea interpretatione locum non

De equitibus.

De equis.

R. Dauid.

C egere putauit. quare mancipia significabit, prout significauit vulgatus, vel stipendiarios milites in equorum agitatione exercitatissimos. De mulis Plinius. Generantur ex equa, & onagris mansuefactis, mulae veloces in cursu, duritia eximia pedum, verùm strigoso corpore, indomito animo, sed generoso, onagro, & asina genitus omnes antecellit. Onagri in Phrygia, & Licaonia praecipui. Quae quidem Plinij testimonia non ideo adduxi, quòd putem illud, *domus Thogormae*, significare Phrygios, aliquo alio testimonio, aut probatione indigere, quod superuacaneum omnino fore credendum est: nam vbi indubitatum Iosephi testimonium habetur, à Patribus omnino receptum. nisi

De mulis. Plin. lib. 8. cap. 44.

D manifestè rationi aliunde probetur opponi, illud quidquid sit, nullo modo à cordato viro negari potest. Verùm ideo talia protuli testimonia, vt intelligatur, quam conueniant cum sacris profanae historiae.

Filij Dedan negotiatores tui. Septuaginta: Filij Rhodiorum: Polychronius, & Theodoretus. Haec Rhodij, mare permeantes ad se ferebant, & horum tibi vsum supplebant. Hieronymus. Nescio quid, inquit, volentes Septuaginta, filios Rhodiorum pro Dedan interpretati sunt, nisi fortè primae litterae falsi similitudine vt pro דדן dedan legerent רדן redan, quae & ipsa Cycladum maxima est, & in Ionio mari quondam vrbs potentissima, naualique certami-

Filij Dedan Rhodij, qui & Colossenses.

Polychron. Theodor. Hieron.

E ne gloriosa, & propter tutissimum portum, mercatorum omnium receptaculum. Haec Hieronymus. Nos tamen cum bona venia sanctissimi Patris Hieronymi, non putamus deceptos esse similitudine litterarum Septuaginta, sed nec ipsos sapientissimos Hebraeos, viros in re tam manifesta alucinatos fuisse credimus; aliud conijcimus, a Dedan quarto filio Iauan conditam vrbem, ab eoque nomen accepisse: verum processu temporum, corrupta voce Redam pro Dedam coepisse nuncupari, quam Graeci suo idiomati aptantes ῥόδον Rhodon nuncuparunt. Quod Septuaginta intelligentes, Hebraeam vocem Dedam in Graecam ῥόδον Rhodon Rhodum conuerterunt: cuius coniecturae illud vnum argu-

mentum

mentum habemus, Graecos omnes in hanc consensisse interpretationem, quam, dum probabilior non proponitur, tenere decreuimus. In hac insula, si neotericis quibusdam fides habenda est, fuit Solis statua colossi magnitudine, & inter septem mundi miracula celebrata, a qua incolae Colossenses dicti sunt. Probatur etiam, de insula sermonem hic fieri à Propheta: quoniam subdit, *& insulae multae negotiatio manus tuae*. Septuaginta: Ex insulis multiplicauerunt negotiationem tuam. Duplicem enim sensum admittunt verba, quorum primus hoc annuit, Dedaneos, siue Rhodios cum insulanis merces attulisse quamplurimas, quibus negotiaretur Tyrus: alter sensus est, quem Polychronius innuit his verbis: Cum merces ab alijs mercareris, alijs praebebas emendas, & suppeditans, quae erant opus egentibus, & omnia, quae afferebantur recipiens. Habebat enim Tyrus propter incolarum multitudinem quamplurimos, qui suas merces alio transmitterent. tunc verò *negotiatio manus tuae* hoc significabit, negotiabantur per manus tuas, hoc est in tuis nundinis, & per exercitatissimos negotiatores tuos. Vel si ad significationem Hebraicae vocis יד iad manus recurramus, significabit negotiationem ditionis Tyriae. Hebraei enim tantum spatij, seu loci manus nomine vocant, quantum alicuius potestati subiectum est, & quousque potestas illius extenditur. Solebant enim in limitibus effictam collocare manum, quae demonstraret, quousque potestas, seu haereditas alicuius protenderetur. Cuius rei exstat argumentum apud Isaiam, sic loquente Domino: *Qui custodierint sabbata mea, & elegerint*, ex electione, voluntariè inquam fecerint, *quae ego volui, & tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis*, intra muros domus meae *locum*, Hebraicè יד iad manum, possessionem, *& nomen melius*, &c. Et apud Ieremiam, *Speciosae, & delicatae assimilaui filiam Sion. Ad eam venient pastores, & greges eorum fixerunt in ea tentoria, in circuitu pascet vnusquisque*. Ex Hebraeo manum suam, quod aptissimè vertit vulgatus *eos, qui sub manu sua sunt*: in qua acceptione sensus huius loci erit: Et insulae multae negotiatio manus tuae, siue ditionis tuae, hoc est, non ad Dedanaeos, vel Rhodios tantum, sed & ad multas orbis terrarum insulas se extendit negotiatio tua. quid enim aliud fuit causae, cur vrbem exaedificauerit in Gadibus insula, quasi orbis terrarum termino, quo non plus vltrà progredi licere, columnae Herculeae comprobarunt, nisi vt ad vltimos vsque fines extenderet manum, siue ditionem negotiationis suae? tanta est nimirum mercatorum sitis, vt nullis terrarum finibus contineri possint: atque adeo, quo numquam dominandi cupiditas, aut ambitionis studium penetrare potuit, eo fames diuitiarum auida penetrauit, atque omnibus alijs cupiditatibus aditum patefecit.

Michaelis Glicae, Zonarae, & Eustathij testimon.

Polychr.

Locus alicui subiectus dicitur eius manus, & quare.

Isa. 56. ℣. 4. & 5.

Ierem. 6. ℣. 2. & 3.

Plus se extendit mercatorum insatiabilis sitis, quam dominandi cupiditas.

Dentes eburneos, Hebraicè elephantinos, eodemque modo Septuaginta reddiderunt. Ebur enim ex dentibus elephantorum conficitur: vt suprà vidimus. *& ebeninos*. Symmachus, Theodoreto teste, cornua ebenos interpretatus est, è quibus ea fiunt, quae ebenia vocantur. Hieronymus: Et ligna ebenina, quae nigri coloris pretiosissima sunt. R. Dauid belluas esse dicit, ex quarum cornibus, vel ossibus faciunt opus, sicut ex ebore, quod Romae quotidie cernitur: ex ossibus enim bubalorum fiunt quaedam politissima nigro colore nitenti, & nusquam deficiente, quae non minimo aestimantur, licet eorum non sit exigua

Ebenum quid Symmach. Theodor. Hieron. R. Dauid.

A copia. Idem verò Rabbinus refert aliorum opinionem existimantium esse ligni genus, de quo Virgilius:

Sola India nigrum fert ebenum

Seruius & in Aegypto nasci commemorat: quare Virgilium putat Indiae nomine totam Aethiopiae plagam intellexisse. Est autem nigrum, solidum, pulcrum, soliditate, nitore, ac pondere lapidem repraesentans, vriturque odore iucundo. Plinius verò arborem describens, atque commendans, sic ait: Vnam è peculiaribus Indiae Virgilius celebrauit ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Aethiopiae intelligi maluit, in tributi vicem Regibus Persidis è materie eius centenas B phalangas tertio quoque anno pensitasse Aethiopas, cum arbore, & ebore prodendo. Neque omittendum id quoque, vicenos dentes elephantorum grandes Aethiopas eadem causa pendere solitos. & subdit. raram arborem ebenum, ideo fortasse in tributorum autoritate tertia res fuit ebenus. Romae eam Magnus Pompeius in triumpho Mithridatico ostendit. Haec Plinius. Vocatur autem Hebraeis הובנים hobnim, quod quidem retinuisse videtur Graecae, ac Latinae linguae nomen, Hispanica, Itala, ac Gallica ab eis mutuatae sunt: estque ita solidum, ac ponderosum lignum, vt in aqua natare minimè queat. Creditur tamen tenuis esse substantiae Aëtio teste, & abstergentis virtutis: quo C circa oculorum caliginem discutere creditur, quapropter eorundem medicamentis miscetur. Cuius arboris virtutem minimè agnouit Tyrus, quod si agnouit, tanto caecitatis amore tenebatur, vt debitis medicamentis vti noluerit. Quare subditur: *commutauerunt in pretio tuo*. Septuaginta: reddebas mercedes tuas, quasi dicant: Ebur, & ebenum reddebas mercedem, aut pretium reliquarum mercium. Hebraicè אשכר escar à verbo שכר sacar, quod ebrium esse significat. Quamobrem Sicar nomen Hebraeis omnem potum confectum significat, qui inebriare potest. quam vocem interpretes paulo deflexa voce siceram verterunt, quasi dicant, inebriatiuum. Sic in Psalmo, *& in me psallebant, qui* D *bibebant vinum*. Chaldaeus: Fui cantilena illorum, qui vadunt bibitum siceram. & in Prouerbijs. *Noli Regibus ò Lamuel, noli Regibus dare vinum*. Ex Hebraeo sic verti potest, Non est Regum, Lamuel, non est Regum bibere vinum, & principum non est sicera: *ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent*, commutent *causam*, iudicium causae *filiorum pauperis*. qui locus allusionem fecisse videtur ad hanc, quam examinamus, vocis significationem, pretij, muneris, aut doni, quae inebriatiua dicuntur, quasi vinum, aut sicera: quod potissimum vini genus principibus interdicitur, ne eo inebriati obliuiscantur iuris, & pauperum filij patiantur, commutata causa, seu iure creditorum in debito- E res. Hoc quoque vinum respexisse videtur Ioannes in Apocalypsi, describens Babylonicam meretricem, habentem in manu poculum inebrians, seu dementans homines, cuius meretricis ruina huic vni sceleri adscribitur. *quia mercatores tui erant principes terrae*. principes diuendentes iudicia, mercatores potius, quàm principes uocandi: *quia in beneficijs*, muneribus, ac donis *tuis errauerunt omnes gentes*. Quis est enim hic, *qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia, & thesauris, quis est hic, & laudabimus eum?*

Virgil. 2. Georg. Seruius.

Plin. lib. 12. c. 4.

Herod. lib. 3. qui Thalia inscribitur.

Aetius.

Caeca Tyrus caecitatem dilexit.

Psal. 68. ℣. 16.

Prou. 31. ℣. 5.

Munera inebriant principes, ac iudices.

Apocal. c. 17. ℣. 4.

Eccli. 31. ℣. 8. & 9.

Syrus negotiator tuus. Hebraicè ארם aram. Fuit autem Aram filius Sem, nepos Noe, a quo exaedificata Armenia nomen sortita est, siue Armeniam

Syrus Aramaeus est. Gen. 10.

dictam

dictam putes, etymologiam considerans ab altitudine sirus. Altissimam verò omnium terrarum orbis Armeniam esse, vel ex eo solum Genesis testimonio constare potest, quo in montibus אררט ararat, exacto diluuio arca Noe resedisse dicitur: quorum montium nomen aptissime Latinus vertit Armeniae: cum constet montes Ararat in Armenia sitos esse. A prouincia eius שור sur dicta, tota regio appellata est Suria, quae Latinis dicitur Syria: cuius diuersitatis causam ex Graecis emanasse credimus, quibus Y. ypsilon valet V. quod in multis locis obseruare licet. Vnde factum est, vt & ipsa Syria ab eius incolis nuncupetur hodie Suria: quin & Cornuto, & Cassiodoro teste in libris veterum inueniuntur huiusmodi voces, Suria, Suracusas, Sumbola, Sucophantas, & alia huiusmodi. Ex quibus manifesta est ratio, propter quam dicta sit Syria, quae prius appellabatur Armenia, quamuis aliqua eius pars primaeuum nomen retinuerit. Porro, quoniam longa, & lata Armenia est, ideo in multas diuisam regiones secundum vrbes earum distinctis appellationibus cognominatam legimus: dicitur enim propter Damascum, aram damesech, hoc est Syria Damasci in libris Regum & Syria, in qua est צובה tsobah aram tsobah dicitur. Est autem illa, quae inter Libanum, & Antilibanum iacet, & corrupta voce Caua Syria, & è Graecis Coele, ob demissam à decliuitate montium planiciem. quod idem sonat Hebraeis tsobah. Dicitur etiam in libris Psalmorum ארם נהרים aram naharaim, hoc est Syria duorum fluminum, quae sine dubio illa est, quae Graecis μεσοποταμία mesopotamia, Latinis interamnis dicitur, eo quod inter Euphratem, & Tygrim sita sit. De ea fit mentio in Deuteronomio, *Conduxerunt Balaam filium Beor, de Mesopotamia*, quae in Hebraeo Aram naharaim, hoc est Aram fluuiorum vocatur. Et in libro Iudicum, vbi dicitur, *Chusan Rex Mesopotamiae*, eadem vox reperitur. Insuper etiam ארם מעכא Aram Maghacha, fortè à Maacha filio Hacor ex Rheuma vxore, qui ciuitatem de suo nomine appellauit, dicta est. Fit autem plurium ex his prouinciarum in libris Regum mentio: nam legimus *Videntes autem filij Ammon, quod iniuriam fecissent Dauid, miserunt, & conduxerunt mercede Syriam Rohob, & Syrum Soba viginti millia peditum & à Rege Maacha mille viros*. Et iterum: *Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha seorsum erant in campo*. D. Hieronymus reprehendit Septuaginta, propterea quòd vice Syriorum homines interpretati sunt. pro ארם aram legentes אדם adam, litterarum decepti similitudine. Verum fortasse non errore, sed consultò Syrios, mercatores Tyri, homines vocant, quasi dicant, Adaminos, seu filios Adam, *qui terrena sapiunt*. de quibus admirans idem Hieronymus sic scribit: Vsque hodie autem permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, & tantam mercandi habent vesaniam, vt occupato nunc orbe Romano, inter gladios, & miserorum neces quaerant diuitias, & paupertatem periculis fugiant. Syros, Arimos vocat Homerus teste Posidonio: Strabo affirmat suo tempore Aramos vocari: Iosephus eos vocat Aramaeos. Idem Strabo sic etiam à se ipsis nominari tradit; sed per duplex, m, Arammaeos scribit.

Gen. 8. ℣. 4.
Armenia omnium terrarum altissima, & quare.
Annaeus Cornut. lib. de enunciatione citatus à Cassiodoro lib. de orthogra.
3. Reg. 8. ℣. 5.
Psal. 59. in titulo.
Deut. 23. ℣. 4.
Iudic. 3. ℣. 8.
2. Reg. 10. ℣. 6.
Ibi. ℣. 8.
Hieron.
Aram in Adam commutatur, quoniam Aramei, mercatores Adamani, hoc est, terreni dicuntur.
Hieron.
Homerus apud Posidon.
Strabo.
Ioseph. citat.

Propter multitudinem operum tuorum. Septuaginta, à multitudine mercatus tui. Theodoretus verò versionem Septuaginta sic legit: Et ijs, qui introducebantur, reddebas mercedes tuas homines negotiationis tuae, à multitudine commistos
A tuos, quam sic interpretatur. Haec autem omnia, inquit, tu suscipiens reddebas comportantibus mancipia, cùm colonos plurimos haberes. hos enim commistos vocauit, ex alijs quidem gentibus profectos, sed cum ipsis habitare non recusantibus. Quòd autem vulgata legunt, *operum tuorum*, Hebraicè habetur במעשיך magnasach, a verbo עשה ghasah, quod facere significat, cui opponitur otiari: in qua significatione loquebatur Pharao de Israelitis captiuis dicens: *Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non acquiescant verbis mendacibus* Ex Hebraeo sic verti potest: Aggrauetur seruitus virorum, vt faciant in ea, & non respiciant ad verba vana. Quo quidem nomine aptissimè compellan-
B tur diuitiae, opes, ab eo, quod est, opus, seu operatio. Hanc phrasim aptissimè interpretatur Hispanica, facere enim dicunt hazer, inde hazienda significat id, quod faciendum, vel factum est non sine labore: & eodem prorsus nomine diuitias, & opes, seu gazam vocant: id vnum hisce appellationibus significantes, quid facto opus sit ei, qui diues cupit euadere. Quam quidem sententiam optimè persequutus est D. Bernardus: Hinc, inquit, diuitiarum amor insatiabilis longè amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo: vtpote, quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris inueniatur.

Exo. 5. ℣. 9.
Opes sic dictae, quasi opus opera plenum.
D. Bern. ser. de conuers. ad cleric. c. 12.

Gemmam, & purpuram, & scutulata, & byssum,
C *& sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo*. Gemma Hebraicè dicitur בנפך benophech, quam vocem Septuaginta intactam reliquerunt, sublata verò est a codice Sixtiano propter Hieronymi testimonium, asserentis ex Theodotionis editione in editionem Septuaginta irrepsisse, pro eoque Symmachum conuertisse, polymita. De significatione autem huius vocis variè sentiunt linguae Hebraicae interpretes. Rabbi Dauid putat significare lapidem pretiosum nigri coloris: Hieronymus verò in Exodo vertit carbunculum: Targhum in Exodo, & Ezechiele, vertit smaragdum. Verum vocis originem inquirens, reperi deduci à verbo הפך haphac, quod significat Hebraeis idem, quod Latinis, ver-
D to, cum suis compositis: inde deducitur nomen פוך phuch, fucum significans, seu colorem, quo fucatur, seu conuertitur facies, vel oculi. In qua significatione accipitur in libris Regum, dum referunt Iezabelem, quae *introitu eius*, Iehu, *audito depinxit oculos suos stibio*, seu fuco. Et apud Ieremiam: *Cùm vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio*, fuco, *oculos tuos frustra*, &c. Significat etiam haec vox pretiosum quendam lapidem, sic dictum a mutatione coloris. Fit eius mentio in libris Paralipomenon: de quo eodem putant nonnulli loquutum Prophetam nostrum, esseque lapidem rubei coloris, nempe eius, quo fucantur feminarum genae, quasi fragmen mali punici, qui ni-
E mirum lapis Hispanis dicitur rubi. Est & alius lapis, qui Hispanis dicitur granate à malorum granatorum colore, cui est magis proprium immutare colorem: in superficie enim tam est lucidum, vt rubeum colorem auro permistum praeferat: intus verò purum, & magis obscurum. Sed si cum Symmacho de vestibus sit sermo, Vestem polymitam intelligi crederem, non quam Plinius Polymitam vocat, quamque in Alexandria primò inuentam affirmat, quae plurimis licijs sit contexta, sicuti similitudine quadam deceptus asserit neotericus quidam, sed eam, quae ex duplici colore tantùm texta, non permistis, sed licijs rectis vnius coloris, & transuersis alterius: quo fit, vt vestis in varios colores mutari videatur,

Gemma quae.
Hieron.
Symmach.
R. Dauid.
Hieron.
Exo. 28. ℣. 18. & c. 39. ℣. 11.
Targh. Exo. 28. ℣. 18. & Ezech. 28. ℣. 13.
4. Reg. 9. ℣. 30.
Ierem. 4. ℣. 30.
Haphac rubinum significat.
1. Par. 29. ℣. 2.
Symmach.
Quae sit polymita vestis.
Plin. lib. 8. c. 48.

videatur, prout magis illuminata est, vel minus. A Quapropter ad Hebraicam vocem alludentes, ac rem ipsam significantes, vocant eum Galli *changeant*, Itali *cangiante*, Hispani *tornasol*. Complutensis verò codex legit, in textu vulgatae, pro *gemmam* guttam, sequutus Theodoretum, qui inter vnguenta id commemorat pretiosissimi odoris, idemque esse affirmat cum eo, quod nos balsamum vocamus. Alij itactem cum Septuaginta putarunt. sed non est nostrae disputationis id hoc loco examinare. De purpura, & bysso iam satis initio capitis egimus. De scutulatis Plinius ait: Scutulis vestes diuidere Galliam primum inuenisse, eam putant nonnulli, quae orbibus quibusdam, quasi scutalis sit diuisa: alij verò putant texturae plagis distinctam, B quales in aranearum telis visuntur. Nos autem ex vi nominis nihil aliud deduci posse putamus, quàm distinctam scutulis vestem tum huius, tum alterius cuiuscumque figurae. Forsan ea vestis est, quam nos sericam Damascenam, vulgò *damasco* appellamus; eius meminit Iuuenalis:

Theodor.

Scutulatae quae.

Plin. lib. 8. c. 48.

Tiraq. lib. 5. c. 18. genial. Nomencla.

Caerulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Iuuen. Sat. 2.

Hebraicè רִקְמָה *rechmah*, inde videtur Italia dixisse vestem eam *rechamata*.

Sericum. Hebraicè רָאמוֹת *raamoth*, quod Septuaginta eadem voce reddiderunt: Polychronius verò amethystum interpretatur. Est autem Plinio violacei coloris gemma, nomen habens à vini colore: quem prius quam degustet, in violam desinit, quae sunt Plinij verba. Alucinari eos ostendit C Plutarchus, qui gemmae nomen datum putant a praesidio profligandae temulentiae. Theophrastus vineo colore esse dicit. Tryphiodorus, quòd diluti coloris formam referat: Dionysius Afer, quòd leniter purpureum colorem affectet. Quo circa interpretanda videntur vulgata nostra de serico eiusmodi coloris, prout solet pretiosi coloris nomine ipsamet vestis significari, id quòd de purpura, & hyacintho diximus. Verum, ex qua materia hoc sericum fuerit confectum, non satis constat: de serico enim sic scribit Alexander, cum alijs orbis terrae mirabilibus hoc conferens. Vsu quodam, inquit, assiduoque experimento didicimus, ex minimis, D paruisque feminibus leui calore fotis, animari vermiculos mirabili constituto, qui fronde contecti, & educati, paulo post, cùm adoleuerint, sericum, vnde nobis pretiosarum vestium vsus est, ex se emittunt: & demum, cùm adulti sunt, gignunt, seu potius texunt ex se cucullos, & follicula, in quibus reconditi immoriuntur, indeque enascuntur papiliones candiduli, qui inuicem nexi, pariunt semina, ex quibus denuo nasci queant. Nobis haec quotidiano, assiduoque vsu viluerunt, quae si alijs narrentur, conficta, & commentitia proculdubio videantur. Sed illud mirandum omnino est, quod Procopius Graecus auctor monumentis recentium historiarum prodidit, Iustiniani temporibus inuen- E tum hoc serici sollertis ingenij quaesitum, primùm in Italiam allatum, cùm antea incompertum foret, & incognitum. Haec ille. Ex cuius verbis licet coniectare, sericas vestes ex vermiculis, quales hodie visuntur, apud prius saeculum, & veteres Romanorum non fuisse: licet byssus, & purpura, ac vestes sericae dissimili videlicet licio contextae, omnium sermonibus celebratae sint. Pausanias verò cuiusdam rei nostro serico similis meminit, cum de Elide sic scribit: Nascitur in eorum terra vermis, quem serem Graeci, ipsi longe alio appellant nomine: magnitudine est id insectum dupla maximi scarabaei, cetera araneo simillimum: hos seres accura-

Sericum quid.

Polychron.

Plin. lib. 37. c. 9.

Plutarch.

Theophrast.

Tryphiod.

Dion. Afer.

De serici natura.

Alex. ab Alex. lib. 4 genia. c. 9.

Procop. lib. 1. belli Persici.

Pausf. lib. 6.

A tè nutriunt, sellis illis cùm aestiuas, tum hibernas fabricantes: pedibus (habet verò octo, quot & araneus) sub arboribus texitur opus filum. Annos ferme quatuor panico alunt, quinto demum (neque enim longior contingit vita) viridem opponunt arundinem, quo pabulo bestiola illa maxime delectatur, eo satur, sagina rumpitur, educunt inde è visceribus staminum volumina. Verum cum vermium & natura, & nomen conueniat cum bombycibus, in quibus ab alijs auctoribus, & ab experientia nobis notissima dissentit, a veritate aberrasse credimus Pausaniam, falsa alicuius narratione delusum, dum de re, quam non viderat, scribit: cùm ea narret, quae in Elide remota sibi regione acci- B dere solita sint. Quare cum Isidoro seres, & bombyces pro eodem accipimus. Neque obstat Clementis Alexandrini testimonium, Indicos seres, & operosos bombyces à iuuenum vsu ablegandos omnino praecipientis, quo quidem seres à bombycibus distinguere videtur. Etenim, illi quidem, qui aluntur moro alba, differunt subtilitate, & perfectione staminis ab alijs omnibus bombycibus. At quoniam in grauissimum Patrem incidimus, non alienum erit eius de bombycibus testimonium subijcere. Est autem (inquit) bombyx primùm vermis, deinde aspera ex eo nascitur eruca, post quam in tertia metamorphosi nascitur papilio, quem nonnulli appellant nechydalon, ex quo nascitur C longum stamen, quemadmodum ex aranea tela araneae. Hactenus Clemens Alexandrinus. Procopium verò falli absque dubio putamus, dum sericum Iustiniani temporibus in Italiam primum allatum fuisse commemorat, de quo Aristoteles mentionem fecerat: nisi sit interpretandus, eiusmodi commentum coepisse frequentius exerceri, cuius tam rarus vsus antea fuisset, quasi nusquam fuisset cognitus. Vel potius cum Zonara referente vermiculorum semen sericum facientium, à monachis quibusdam ex India Constantinopolim Iustiniani tempore adductum cum quo potuit bene conuenire sericum filum, vel telam sericam, prioribus saeculis in Europam comportari solita, quod Procopius, aut D Zonaras non negauerunt. De nominis autem Hebraici significatione hoc accepimus à peritis, deduci à radice ראם *raam*, quae eleuationem, seu leuationem significat apud Zachariam, dum dicit: *Et exaltabitur, & habitabitur in loco suo*: inde ראם *reem* nomen animalis, quod D. Hieronymus nunc vertit vnicornem, nunc rhinocerotem. Est autem rhinoceros animal quadrupes, habens in nare vnum cornu, vt ait Plinius, genitus hostis elephanto, cornu ad saxa limato praeparat se pugnae. Solinus repandum, hoc est recuruum esse eius cornu affirmat, & attritum cautibus in mucronem excitare, pugnare cum elephantibus, longitudine parem, breuiorem cruribus. Pausanias rhinocerotem E affirmat duo habere cornua, alterum insigni magnitudine ex naribus exstans, alterum, quod supernè erumpit, exiguum quidem, sed validissimum: vocaturque hoc animal *reem*, quasi, quod cornu in altum tollat, vel motu ad feriendum, vel (quod magis verisimile est) quòd fortitudine, ac robore super omnium animalium cornua cornu suum exaltet, hoc est validius sit, potentissimumque esse demonstret. In qua quidem significatione accipitur a Moyse, dum benedicit Iosephum, dicens, *quasi primogeniti tauri pulcritudo eius*. non effeminata, & imbellis, sed robusta, & potens, *cornua rhinocerotis, cornua eius*. hoc est vires, arma, potentia, *in ipsis*, &c. Et Regius psaltes: *Et exaltabi-*
tur

Isid. lib. 19. Originum.

Clem. Alex. lib. 2. pedag. cap. 10.

Arist. 1. de nat. animal.

Zach. 14. v. 10.

Hieron.

Plinius.

De vnicorni seu rhinocero t.

Solinus.

Pausanias.

Exaltare cornu de quo potentia...

Deut. 33. v. 17.

Ps. 91. v. 11.

tur sicut vnicornis, Hebraea, & Chaldaea, sicut naticornis, verbum è verbo reddiderunt. *cornu meum*. hoc est ibi tantum vires, ac potentia mea (id enim significat cornu, vt ex contextu patet) perditis inimicis Dei, & dispersis omnibus operantibus iniquitatem praeualebunt: vt, sicuti reliquorum animalium cornua robore, pulcritudine, ac soliditate à cornu rhinocerotis superantur: ita supra omnium vires meae exaltabuntur, & crescent. Deducitur etiam ex hac voce nomen ראמות raamoth, quam nonnulli putant coralium significare, fortasse quia procreatur in mari, simileque est cornu, refertque colore amethystum lapidem. verum potius de ipsomet animalis

B

De cornu rhinocerotis.

cornu intelligendum putarem, cum & magni pretij sit, vtpote venenis medicamentum praestans; maximaeque aestimationis apud principes viros, quibus est à veneris timendum, quod non tantum experientia didicimus, sed etiam testimonio

Iob 28. ℣. 18.

Iobi. Nam, quae nos legimus: *Excelsa, & eminentia non commemorabuntur in comparatione eius*, sapientiae scilicet, ex Hebraeo sic verti possunt. Nulla mentio fiet raamoth, & ghabis pretiosi lapidis, nempe cornu rhinocerotis, & gemmae nihili fient, si cum sapientia comparentur: Sapientia quoque margaritis praeponderat.

Latinis autem serica à Seribus Indiae populis nominari putant neoterici, eorum meminit Virgilius:

C

Virgil. 2. Georgic.

Velleraque vt folijs depectant tenuia Seres.

Seneca.

Et Seneca.

Quae fila ramis vltimis Seres legunt.

Et Ouidius:

Ouid lib 1.

Vela colorati qualia Seres habent.

Strab lib. 15

Eorum meminit Strabo.

Hieron. Chodcod, quid significet.

Et chodcod. Hieronymus: Quid significet *chodchod* adhuc inuenire non potui: Aiunt Hebraei omnes pretiosissimas merces hoc nomine significari: vel speciem quandam esse pretiosarum mercium, quam Romanus sermo non resonet: vel communi vocabulo scruta. Theodoretus chodcod au-

Theodoret. Polychron.

tem gemmam, quae onyx dicitur nominari existimat. Polychronius putat intelligendum pretiosum illum lapidem Alabandenum nuncupatum, quae

D

interpretatio cogit nos vocis significationem exquirere. Fuit Alabanda vrbs Cariae, teste Stepha-

Alabanda vrbs quae. Stephan in com. de vrb.

no, ab Alabando, quem Callirôe Meandri filia susceperat, nomen sortita est, quod nomen, strenuè se gerens in equestri bello, meritò obtinuit: Cares enim sua lingua ala vocant equum, & banda victoriam. vnde Alabandus idem significat, quod equo

Alabandus quid significet.

vincens, eamque vocem apud Romanos in vsu fuisse dicit, vt victoriam vocarent bandam. Vnde coniectare licet illud, quod vulgò nunc dicitur banda, militibus frequens victoriae insigne olim fuisse, nunc nomen tantùm retinere: itemque vexillum, quod vulgo dicitur Romanis bandiera, inde etiam nomen traxisse. Alabandenum ergo, seu

E

Alabandinus idem erit carbunculus, quem ala-

Plin. lib. 37 cap. 7.

bandicum vocat Plinius, sic loquens de carbunculis: Principatum habent carbunculi, à similitudine ignis appellati, cum ipsi non sentiant ignes, ob id a quibusdam apyroti vocati. Horum genera, Indici, & Garamantici: quos & carchedonios vocauere propter opulentiam Carthaginis magnae: adijciunt Aethiopicos, & Alabandicos in Orthosia caute nascentes, sed qui perficiantur Alaban-

Terra Iuda, & Israel rebus victui necessarijs abundans.

dis, Haec Plinius. Hinc fit, vt à multis chodchod carbunculus, ab alijs vnio Latinè reddatur.

Iuda, & terra Israël, ipsi institores tui in frument. primo. Connumeratis ijs, quae ad delicias,

A

luxum, & opes necessaria sunt, accedit Vates ad enumeranda ea, quae ad victum mercatoribus de longè venientibus necessaria erant: frustra enim vniuersarum mercium diues esset emporium, à quo annonae caritas arceret emptores. Haec autem omnia ex terra Iuda, hoc est, Hierusalem, & terra Israël afferebantur, vtpote, quae omnium rerum victui necessariarum abundaret copia, quod ex multis sacrae Scripturae testimonijs tam clarè patet, vt confirmatione non egeat. Verùm, quoniam peculiari phrasi hoc testatur scriptura, ideo vnum, aut alterum afferam testimonium nostro textui persimile. In psalmo sic habetur: *Et cibauit eos*

Psal. 80. ℣. vlt.

ex adipe frumenti & de petra melle saturauit eos.

B

Chaldaeus sic transtulit: Et cibauit eos de optimo pane tritici, & de rupis melle saturauit te. Adeps vocatur in sacris libris, quidquid est in vnoquoque genere optimum, selectissimumque, sicuti ex carnibus suauissimae sunt pingues, & adipe redun-

Adeps significat optimum in eo genere.

dantes. Quare *comedite pinguia* significat selectissimos, & suauissimos cibos. Quo circa loci sen-

Nehem. 8. ℣. 10.

sus erit: Habitantes Palaestinam cibauit Dominus tritico optimo, pane lectissimo, ac delicatissimo, quem producent illis valles, prout in psalmo alio promittitur: *& de petra* de rupibus, ac

Psal. 64. ℣. 10.

montibus, qui, quod saxosi essent, videbantur fore steriles, *melle*, hoc est rebus mellitis, dulcibusque fructibus, melimelis: montes enim illi re-

C

dundant palmis, oleis, ficubus, vitibus, & eius generis stirpibus, dulcissimos proferentibus fructus. Hic locus quasi commentarius quidam videtur esse eius, qui in Deuteronomio habetur: *Constituit*

Deuter. 32. ℣. 13.

eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, nempe frumentum vallium, *vt sugeret*, hoc est, magna cum suauitate, sine vllo labore degustaret *mel de petra*, in montibus sua sponte nascens, *oleumque de saxo durissimo* germinantibus vberrimis oliuis in saxis silice durioribus. Quibus quidem omnibus in figura illis contingentibus, noster caelestis panis, *frumentum electorum*,

Eucharistiae Symbola Zach 9. ℣. 17.

& vinum germinans virgines designatur, cum caelestis dulcedinis melle, ac diuinae gratiae,

D

& consolationis pinguedine. Triticum ergo optimum, ac pingue, quo terra Iuda, & Israël abundabat, Tyrum deferebatur quaestus causa. Hebraicè hoc triticum dicitur מנית minnit, quam vo-

R. Selomo.

cem R. Selomo interpretatur, quasi dicat in frumento numerabili, hoc est in tali frumento, vt prae magnitudine grana numero, non mensura diuendantur: quam explicationem in libro Midras Ageda reperiri testatur. vel iuxta R. Dauid

R. Dauid.

Chimchi Minnit est nomen loci in terra Israël optima frumenta producentis, ad cuius frumentum allusisse videtur textus Hebraeus, scribens בחטי מנית behhte minnit, statuens priorem vocem in statu regiminis: quasi dicat, in frumento ex

E

Minnit allato, vel simili ei, quod ex Minnit afferri solet. Id optimè expressit vulgatus, vocans eiusmodi frumentum primum, hoc est, praecipuum, & excellens.

De balsamo, eiusque arbore. Hieron. Aquila. Symmach. Theodot.

Balsamum. Hieronymus: Verbum Hebraicum פנג panag Aquila, Symmachus, & Theodotio, ita vt apud Hebraeos positum est transtulerunt: pro quo Septuaginta vnguenta, nos *balsamum* vertimus. Quod quidem inter odorata vnguenta commemorat Plinius: Sed omnibus, inquit, odoribus praefertur balsamum vni terrarum Iudaeae concessum, quondam in duobus tantum hortis, vtroque Regio, altero iugerum viginti non amplius, altero pauciorum, ostendere arbusculam

hanc

hanc Vrbi Imperatores Vespasiani, clarumque dictu, à Pompeio Magno in triumpho arbores quoque ductas (sic enim legendum censeo, non duximus, vt mendosi codices habent) & statim arbusculam describit dicens: Quippe viti similior est, quam myrto: malleolis seri dicitur nuper vincta vt vitis: & implet colles vinearum modo, quae sine adminiculis se ipsae sustinent. Tondetur similiter fruticans, ac rastris nitescit, properatque nasci intra tertium annum fructifera. folium proximum rutae perpetua coma. Haec Plinius. Verum alibi etiam nasci balsamum iam scriptores tradunt Dioscorides, in Aegypto. Strabo siluestre nasci tradit in maritimis Sabaeorum. Pausanias balsami arbores in Arabia describit myrtorum magnitudine folijs amaraci. Immo & ipsam Iudaeam à Sabaeis accepisse balsami plantam tradit Iosephus, dicens: Aiunt etiam, quòd balsami plantam, cuius hodieque ferax est nostra regio, illius reginae (Aegypti, & Aethiopiae Reginam vocat ipse) munificentiae referri acceptam oporteat. Quem (vt Plinius ait) bello partum balsami fruticem serebat Fiscus Romanus in magna copia. At nunc, vtpote solo non natiuum, ita perditum videmus, vt eius nullum exstet vestigium, neque memoria per totam Italiam. Nos tamen fruticis eiusdem figuram margini adiecimus, sicuti ex aereo semisiclo sollerti diligentia bonae memoriae P. Hieronymi Pradi quaesito accepimus, & gratissimum eiusdem inter alia monumentum retinemus: ex quo, licet nonnihil vetustate attrito, quoniam satis apparent hinc palmae configuratio, cum inscriptione שקל sechel, illinc balsami cum hac alia חצי chatsi, hoc est dimidium sicli, pondusque congruit cum semisicli Hebraici pondere, prout fusè Deo dante differemus, cum de ponderibus, & mensuris Hebraeorum suo loco agemus: ideo fuisse veram imaginem semisicli, quo post captiuitatem Babylonicam vtebantur Hebraei, proferente symbola patriae, nempe balsamum, & palmam, omnino existimamus.

Dioscor. Strab. lib. 16. Pausan. Iosephus 8. Antiq. c. 2. Plin. lib. 12. c. 25.



Hieron. Hieronymus his verbis interpretatur hunc locum: Dicitur autem, inquit, quibus terra Iudaea, quae nunc appellatur Palaestina, abundet copijs, frumento, balsamo, melle, & oleo, & resina, quae à Iudaea, & Israel ad Tyri nundinas deferuntur. *Theodor.* Theodoretus: Tanta enim erat, inquit, ex Iudaica negotiatione, quae ad te afferebantur, abundantia, vt indigenae tui, & hospites, & coloni comportatis bonis fruerentur alijs ad vsum edendi, alijs ad odoris delicias. Idem ferè Polychronius. *Polychr.*

XVIII. *De ciuitate Damasco.* *Damascenus negotiator tuus.* Damascus ciuitas opulentissima, sita in campo plano ad Septemtrionem terrae promissae vltra Libanum montem, *caput Syriae* ab Isaia, vel potius ab ipso Domino nuncupatur: nec tantùm hoc insigni nomine commendatur; verùm etiam, *ciuitatem laudabilem, vrbem laetitiae* vocat eam Ieremias. Quin & inter profanos Iulianus, veram Iouis vrbem, totius Orientis oculum eam nuncupat. Iosephus vero de eius conditore sic loquitur: Ex Aram verò quatuor liberis Vses habitator Trachonitidis fuit, Damascique conditor: ea sita est Palaestinam inter, & Syriam cognomine Caelem. D. tamen Hieronymus, postquam Iosephi sententiae meminit, Damascum à Damasco filio Eliezer procuratoris domus Abrahami conditam, & nuncupatam scribit. Ex quo quidem intelligere licet, vrbem hanc ab Hus conditam, & Aram nuncupatam. hoc enim vrbis proprium nomen fuisse testatur Hieronymus, a qua tota prouincia nomen accepit: deinde vero a Da-

Isa. 7. ℣. 8. Ierem. 49. ℣. 25. Iulian. in epist. Ioseph. 1. Antiq. c. 6. Hieron. in Hebraic. quaest. in Gen. 10. & 15. Hieron. in Isa. 17. & Sophon. 2.

A masco reaedificata ciuitas, & illustrior effecta, eiusdem nomen retinuit. Quod quidem Iustini historici testimonio comprobari potest, quod hic addam, vt constet, quantis nugarum fucis confundant historici gentium Hebraeorum historias, quas ignorabant. Est autem Iustini testimonium huiusmodi. Fuit namque Iudaeis origo Damascena, quae Syriae nobilissima ciuitas est. vnde & Regibus genus ex Regina Semiramide fuit. Nomen vrbi à Damasco Rege inditum, in cuius honorem Syrij sepulcrum Aratis, vxoris eius pro templo colunt, deamque exinde sanctissimae religionis habent. Post Damascum, Abraham, Moses, Israël Reges fuere. Haec ille. *Negotiator tuus.* In codi-
B ce Complutensi, & apud Theodoretum Septuaginta legunt, ἐμπορία σου emporia sou, hoc est, negotiatio tua, siue, emporium tuum: quasi dicat, non solum in tuis nundinis negotiabantur Damasceni; sed & tui ciues in Damascenis nundinis. Vel, Damascus erat tibi quasi emporium, tantopere negotiabaris in illa. Sixtianus autem codex cum nostra vulgata legit, negotiatores.

Iustin. lib. 36. Damascus erat Tyro pro emporio.

In multitudine operum tuorum. Polychronius: Quae apud te, inquit, fiebant, Damascus emebat: mercaturam igitur exercebas, & huic superflua distrahendens, & inde aurum colligens. Theodoretus: A multitudine, inquit, omnium opum tuarum, quae apud te gignebantur, emebat Damascus: negotia-
C baris igitur cum ipsa quoque, ei vendens, quae tibi superabant, & inde aurum cogens.

Polychr. Theodor.

In copia diuersarum opum, quas, inquam, afferebat Damascus Tyrum. Describunt enim historici duos amoenissimos, & nauigabiles fluuios, *Abana, & Pharphar*, quorum Naaman Syrus meminit, eos Iordani praeferens: & ille quidem à Meridie, & Occidente vrbis moenia alluens, hic autem vrbem ipsam medius praeterfluens, vrbem omnigenis mercium copijs ditant: ex quibus non mirum est, multas Tyrum allatas, vt cum alijs Tyrianis commutarentur. Tanta est enim mercatoribus nouarum mercium in mercimonijs sitis, vt nouis venienti-
bus, nouas semper exoptent, & quaerant, haud se-
D cus, quam sitientes potis aquis marinis, quae salsugine potius sitim excitant, quam extinguant. Septuaginta, δυνάμεως dynameos, quam vocem, Hieronymus. in multitudine omnis fortitudinis tuae. Theodoretus: in multitudine potentiae tuae. Codex vero Sixtianus. e multitudine omnis fortitudinis tuae interpretantur: qui omnes vim exprimunt vocis Graecae δύναμις dynamis, quae potentiam, virtutem, imperium, vim, & facultatem significat. Accipitur etiam pro exercitu, & copijs. Notant autem Graeci hac voce significari id, quod est quasi principium, & origo potentiae: sicut semen, quod est magnarum arborum origo: quo nomine commercia, seu potius opes ciuitatum aptissimè appel-
E lantur. Sunt enim quasi omnis potentiae, & fortitudinis semina, vis, ac virtus.

De duobus fluuijs Damasci. 4. Reg. 5. ℣. 12. Diuitiarum sitis diuitijs augetur, vt sitis sale. Hieronym. Theodor. Opes, quasi vis ac virtus ciuitatis.

In vino pingui, & lanis coloris optimi. Hieronymus: Pro vino pingui, quod interpretatus est Symmachus, & apud Aquilam, & Theodotionem, & in ipso Hebraico habetur חלבון chelbon, vinum de chelbon. Septuaginta vero in Complutensi habent chelmon: in Sixtiano verò, & apud Theodoretum chelbon. Polychronius Symmachum refert χαλβάνην chalbanin galbanum interpretatum fuisse, quem, vinum pingue reddidisse testatur Hieronymus. Verum vtrumque coniungit Theodoretus: vinum pingue, inquit, de Chelbon. Scholiastes Chelbon dicit opidum, quod Malaba dicitur: ergo apud Syros

Vinum pingue quale. Hieron. Symmach. Aquila. Theodot. Theodoret. Polychron. Scholiast.

Maelbe

R. Manach. Maelbe vocatur. R. Manachem vinum optimum reddidit: quo modo etiam per frumentum pinque optimum frumentum significare solemus. B. verò Hieronymus vocis etymologiam interpretatus, Chelbon lacteum significare dicit, hoc est, vinum ita gratum, gustuque ita suaue, vt quasi lac, palatum demulceat. Ad quam vini generositatem, & copiam alludere videtur ipsum Damasci Hebraicum nomen דמשק damesec, quod compositum videtur à דם dam, quae vox sanguinem significat: & propter consimilem colorem, vinum rubrum, in qua notione sumitur in Deuteronomio, quam ad verbum transtulit vulgatus, dicens. *& sanguinem*, hoc est vinum, sanguineum colorem *vuae*, ex vuis, vel vitibus, *biberet meracissimum*, generosissimum. Secunda nominis particula est שק sac, quae saccum significat, consimili voce apud omnes ferè gentes idem significante, hoc vno discrimine, quod multis nationibus, tantum saccum lineum, aut laneum, solas res solidas, apud Hebraeos etiá liquidas continentem, indicet quare vox composita saccum vini significat, consimilique acceptione componitur vox Graeca ab αἷμα hema sanguis, & ἀσκός ascos, idest vter, quae tamen vox ἀσκός ascos litteris transpositis saccum significat. Quoniam autem magna fuit ibi vini fertilitas, & copia, ideo finxerunt nonnulli Bacchum in sacco ibidem habitasse.

Damasci etymologia.

Deuter. 32. ℣. 14.

De lana. Hieron. *Et lanis coloris optimi*, Hieronymus: vbi nos posuimus, lanis coloris optimi, vel splendentibus, Aquila, & Theodotio verterunt, in lanis soor: significat autem, inter ceteras negotiationes Tyri, ad nundinas eius à Damasco deferri solitum vinum pinguissimum, & lanam praecipuam: quod etiam nunc cernimus. Septuaginta apud Hieronymum: & lanam de Mileto: apud Theodoretum: lanam lucidam de Mileto, quem locum cum praecedenti sic illustrat: Vndique tibi, inquit, bona afferebantur, vinum dulce, & odoratum ex hac gente (Chelban) optimaque lana è Mileto.

Theodor.

De Mileto vrbe. Haec autem vrbs olim quidem & ipsa Ioniae, nunc verò Cariae est. Verùm, quod magis tenere videtur Latinus, & Hebraeus textus, non dissentiente Graeco, hoc illud est, quod ex Hieronymo attulimus, nempe, mentionem fieri de opibus, vino, & lanis è Damasco Tyrum allatis. Quod si opidorum, vel regionum aliquarum fit praeterea mentio ab aliquo interprete, iuxta Hebraea id tantùm intelligendum est, ex his locis generosa vina, aut lanas magnae aestimationis, & pretij afferri solitas, ac propterea vsum obtinuisse, vt tale vinum, Chelbon, eiusmodi lanae è Mileto, dicerentur, veluti nunc, Romani, vinum Neapoli allatum, Graecum vocant: castaneas item è suis praedijs lectas, ex Hispania vulgò nuncupant. Quare non alienum erit apponere, quae de Damasco neoterici, oculari testes, in hunc modum scribunt: Qui ciuitati adiacet campus, quamuis natura sterilis, & infecundus, tamen praedictis fluminibus, *Abana, & Pharphar*, addito tertio, qui Chrysorrhoas, hoc est, aurifluus dicitur, varijsque alijs fontibus, & aquarum deductis fluminibus, totus irrigatur, & tam fertilis euadit, vt frumenti optimi, vinique generosissimi ferax, pecoribus, armentis, ac bestijs pascendis opimus, aptissimusque euadat, fructusque omnis generis, & suauissimos, & copiosissimos, per quinque vndequaque passuum millia, fructiferarum arborum quasi nemoribus consitus, toto ferè anno producat, maturet, atque conseruet. Mitto aromata, & flores, quae ignis opera in sublime vaporata, odoriferas aquas distillant, vocanturque propter excellentiam, Damascenae apud Austriacos. Incolae tandem diuites ingenio, & arte mirabili praediti, quorum magna pars ex bombycum tenuissimis lanis, mirabili artificio, varijsque figuris, contexunt vestes, quarum similes, vocamus Damascenas, propter inde allatum mirabile eas conficiendi artificium. Ex gossipio etiam non dissimili artificio, candidissima, mollissimaque lina gossipina conficiunt, mensis principum operiendis aptissima. De horum itaque omnium pecorum, fruticum, aut vermium lana, seu lanugine intelligendum esse textum opinor. Quòd vero addit *coloris optimi*, Hebraicè habetur צחר tsachar, quae vox nitidum, splendidum, lucidum significat. quare in Genesi vsurpatur pro fenestra, quae lucida dicitur, quòd per illam lux ingrediatur, vel quòd fiat ad excipiendum lumen: ac propterea Dauid Chimchi lanam albam interpretatur. ad quam significationem respexisse videtur Ioannes, dum de Ecclesia dixit: *Datum est ei, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido* nec mirum, si tale donum exhibeat sponsus Ecclesiae, qui vestimentis huiusmodi ita gaudet, vt in transfiguratione facta sint eius *vestimenta alba sicut nix* est enim ipse *candor lucis aeternae*. Quapropter notandum est, sponsum Christum Dominum candore splendido delectari, quoniam *iustificationes* (hoc est opera iusta, sine peccato facta) *Sanctorum*, nec placent Deo, sine candore splendidae, neque sine splendore candidae: sed candidas esse oportet sine permistione labis, & splendidas fulgore caritatis, vt probentur Dei oculis propter candoris puritatem, & sint vtiles proximis, propter splendorem luminis. quas nimirum vestes, & iustitia candidas, & misericordia fulgentes effecerit.

De Damasci vino, & lanis. Tyr. 17. belli sacri Vitriac c. 46. Ludo. Romanus lib. 1. cap. 5. & 6. Apud Adrichomiū. Damasceni campi vbertas, & magnitudo.

Lana coloris optimi quae.

Genes. 6. ℣. 16.

R. Dauid Chimchi.

Apoca. 19. ℣. 8.

Matth. 17. ℣. 2. Sap. 7. ℣. 26.

Iustificationes non placent Deo sine splendore candidae, nec sine candore splendidae.

XIX. De mira codicum varietate. *Dan, & Graecia, & Mosel*. Mira est inter codices hoc loco varietas, quam breui perstringam. Septuaginta in Sixtiano Latino codice, postquam vini ex Chelbon, & lanarum de Mileto meminere, subijciunt: Et vinum in forum tuum dederunt. In multis alijs, & apud Theodoretum additur, & vinum de Dan, & Ioauan, & Meozel in forum tuum dederunt, ex Asel ferrum, &c. In Complutensi est hoc tantùm: Dan, & Ioauan, & Moozel in nundinis tuis, ferrum operatum, & rotae in commistione tua sunt. Hieronymus in contextu vulgatae antiquae. Dan, & Iauan, & Meozel in nundinis tuis ferrum, &c. Sed in commentarijs asserit, illa verba, Dan, & Iauan, & Meozel editioni Septuaginta ex Theodotione esse addita. Nec tamen nouum est, in locis difficilimis huiusmodi, varios interpretes, varia glossemata, seu varias paraphrases adscripsisse, vel in margine, vel inter lineas, quae omnia simul colligens imperitus quidam scriptor, tenebras offudit legentibus potius, quàm veritati aditum patefecit. Quapropter laudandum, amplectendumque maximè est Sanctae matris Ecclesiae Romanae studium, quae propterea curauit ex purissimis fontibus Latinam nostram vulgatam edi, eamque intactam, inuiolatam, ac puram perpetuò retineri: non enim minor est interpretum, quàm textuum varietas, dum singula interpretari conantur. Theodoretus Ioanan, Ioniam vocat, Dedan verò vrbem Idumaeae. Scholiastes: Cilicias porro est opidum sub Anazarbum: Dedan verò dicit, quae nunc dicitur Palmyra, Iouan, & Meozel nomina opidorum

Hieronym.

Theodot.

Vulgatae editionis vtilitas.

Theodor.

Scholiast.

Pal-

Polychron. Palmyrenorum. Polychronius: Iouan, Ioniam,
Dedan vrbem Idumaeae. ex hac,& ex hac gente,
subintellige, afferebantur vina, aut merces. Ve-
Hieron. rùm ad Hieronymum veniamus, cuius diligentiae,
& labori, Dei beneficio, vulgatae nostrae editio-
nem accepram referimus: ille sic interpreratur lo-
De ciuitate Dan, & de Iordanis etymologia. cum. Ex nomine Patriarchae Dan, & tribus, &
locus, in quo habitauit tribus nomen accepit, vbi
hodie Paneas, quae quondam Caesarea Philippi
vocabatur. Vnde & Iordanis fluuius sortitus est
nomen Ior, videlicet, fluuius Dan, qui fluit de
Hieron. de locis Hebr. lit. D. Libano. Verum alibi idem Hieronymus Dan,
inquit, viculus est in quarto à Paneade milliario
euntibus Tyrum, qui vsque hodie sic vocatur, ter-
minus Iudaeae prouinciae contra Septemtrionem:
de quo & Iordanis flumen erumpens, a loco sorti-
tus est nomen: Ior quippe fluuium, siue riuum
Ibid. lit. L. Hebraei vocant. Et alibi: Laisa, hanc filij Dan
captam manu possederunt, cùm esset procul à Si-
done, & vocauerunt eam Dan: fuit autem termi-
nus terrae Iudae contra Septemtrionem, à Dan
vsque Bersabee se tendentis. Haec ille. Memi-
Isai 10. ℣. 30. nit huius & Isaias. Sita est autem iuxta Panea-
dem, ex qua Iordanis fluuius erumpit. Adde
Lesem, siue Lais positam esse ad radices montis
Iosu. 19. ℣. 40. Libani, in ea valle, aut planitie, quae Rehobaea
dicebatur ab vrbe Rehob, vbi praecipuus Iordanis
fons est, à quo flumini isti positum esse nomen tra-
dunt Doctores Hebraei: est enim, inquiunt, ex-
plicatio ירדן Iarden Iordanis ירד מן דן Iored min Dan,
quòd est, fluens ex Dan. Vocatus est sequentibus
Plinius. temporibus hic locus Paneas, vt Plinius cum Do-
Stephan. ctoribus Hebraeis scribit. Stephanus appellat *mí-*
νον panium: sed Philippus, Herodis frater, cùm Ti-
berij imperio illic Tetrarcham ageret, instauratam
vrbem de Caesaris, & suo nomine Caesaream
Philippi appellauit. Ferunt nunc Pelin, corrupto
scilicet Panij nomine, dici. Abest a Sidone Orien-
tem versus, millia passuum circiter triginta quin-
Masius Iosue 19. ℣. 40. que. Haec Masius. Duplex tamen ex dictis exi-
stit quaestio. Prima, quia haec ciuitas, de qua
loquimur, Lais dicta, cecidit in partem Iudaicae
tribus extra Daniticam. Secunda, quòd anti-
quius videtur Dan huius vrbis nomen tempore,
quo filij Patriarchae Dan illam obtinuerunt, cùm
& Abraham vsque Dan persequutus legatur ho-
stes, qui fratris sui filium Lot captum abduce-
Genes. 14. ℣. 14. bant in Genesi. Qui quidem liber, tamquam à
Moyse conscriptus, ab omnibus recipitur, qui mor-
tuus est multò antè, quàm Danitae terram pro-
missam possiderent. immò etiam, antequam eam
ingrederentur. Primam soluit quaestionem hi-
Iosu. 19. ℣. 46. & 47. storia Iosue, quae, postquam enumerasset ciuitates
Danitarum, absoluit narrationem, dicens: *Cum
termino, qui respicit Ioppen, & ipso fine conclu-
ditur*. Et statim subdit, indicans extra assignatos
terminos egressos fuisse: *Ascenderuntque filij Dan,
& pugnauerunt contra Lesem, ceperuntque eam, &
percusserunt eam in ore gladij, & possederunt, &
habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Lesem Dan
ex nomine Dan patris sui*. Sed adhuc quaeres.
Quare Danitae sua sorte minus contenti, aliarum
tribuum sortes inuadere audebant? Nimirum,
Minus pij erga Deum, minus etiam potentes aduersus hostes quia, cùm erga Deum minus pij, & grati fuissent
Danitae, minus etiam potentes erant ad debellan-
das, aut expellendas gentes, barbarasque natio-
nes suae sortis, quae potentissimae alias erant, vt-
Strabo. pote habitantes litus portuosissimum, vt Strabo
Iudic. 5. ℣. 17. annotauit, & Delbora cecinit, quae etiam refert
Danitas in nauibus latuisse, cùm praelio non in-

A tersuissent. Et alioqui Danitas suopte ingenio
raptores, & alieni appetentes fuisse, restantur
quamplurimi ex Iacob, & Moysis testimonio: Masius vbi supra.
quod hominum genus nundinas, emporia, ac mer-
catus frequentare solet. Ad secundam vero quae-
stionem respondere quidem possumus, quod Hila- Hilarius praefat. in Psal.
rius consimili dubitationi de Samuele à Moyse
commemorato respondet, nempe, ab Esdra
eiusmodi traditionem profectam. Et quidem ne-
gari non potest, libros legis à Moyse primum
conscriptos, captiuitate Babylonica interijsse, pro-
ut Chrysostomus, & Clemens Alexandrinus tra- Chrysostom. Homil. 8 in epist ad Hebraeos
dunt, aut deprauatos iuxta Theodoreti senten-
tiam, ab Esdra diuinitus inspirato tandem instau-
B ratos fuisse. Quod ijdem Patres cum Isidoro, Clem. lib. stromatum.
Basilio, Irinaeo, Tertulliano, ac alijs memoriae
proditum reliquerunt. Tunc verò conijci facilè Theodoret. praefat. in Psal.
potest, pluribus locis nomina indita noua, quae
rerum gestarum memoriam, certa sui cognitione Isido. lib 6. etymol c. 1. & lib 5. cap. vlt. aetate 5.
postliminio reuersis demonstrarent.

Et Graecia, quae Hebraicè dicta est Iauan,
vt suprà fusè probauimus. Verum haec eius-
dem generis secunda commemoratio suspicionem
posset alicui ingerere, ne fortè sit gens alia prae- Basil. ep. ad Chilonem.
ter illam, praesertim, cùm supra Graecia annu-
merata sit Tubalitis, & Mosochitis, nunc verò Iren. lib. 3. c 25.
Danitis, & Moselitis. At hanc omnino repellet à
se suspicionem, qui sibi ob oculos mentis propo- Tertul lib. de habitu mulierum.
C suerit Vatem, nundinas Tyri perambulantem, in
quibus, pro vario mercium genere varia sunt lo- De Graecia, quae Iauan Hebraeis dicitur.
ca assignata institoribus. Et quoniam solent ab
vna, eademque regione variae merces adduci,
ideò etiam fit, vt vnius regionis homines varijs in Sup. ℣. 13.
locis reperiantur, nunc inter istos, nunc inter il-
los diuersarum regionum, earundem tamen mer-
cium venditores. Quod innuere videtur Propheta,
qui illic Graecos inter Tubalitas, & Mosochitas,
vendentes equos, & mulos cum mancipijs, va-
sisque aereis offendit: hic vero inter Danitas, &
Moselitas, vendentes ferrum fabrefactum, sta-
cten, & calamum, fuisse commemorat. *Mosel*.
Hieronymus: pro Meozel Symmachus vertit, Hieron. De Mosel.
D deferens: vt sit sensus: Dan, & Graecia detule-
runt, &c. Aquila verò pro Meozel posuit de Vzal: Aquila.
Hebraicè מאוזל Meuzal, à verbo אזל azal, quod est,
ambulare, abire, recedere. In quo sensu locutus
est Saul ad puerum suum, dicens, *Panis*, azal abijt, 1. Reg. 9. ℣. 7.
deficit in sitarcijs nostris. In eadem significatio-
ne accipitur ab Ionatha, loquente cum Dauid, &
dicente: *Sedebis iuxta lapidem, cui nomen est* 1. Reg. 20. ℣ 19.
Ezel. Hebraicè האזל haazel, iuxta lapidem itine- De lapide milliario.
rarium, vel itinerantium, qui illis demonstrabat
in biuio vtriusque viae exitum, vel lapidem eun-
tium, quo milliaria, vel distantiae locorum osten-
debantur: prout postea Romani, omnis politiae Romani omnis politiae aemuli.
aemuli, in omnibus vijs statuerunt milliarios la-
E pides. Ex quo vsus scriptorum obtinuit, vt secun-
do, vel tertio ab Vrbe lapide, scriberent pro mil-
liari. Ex qua quidem vocis significatione maximè
confirmatur interpretatio, quam supra retulimus,
Hieronymi ex Symmacho.

Stacte Hieronymus Stacten odoris optimi quae De stacte, quae myrrha prima dicitur
quidem vox vnguentum, seu aroma quoddã signi-
ficat odoriferum, Theophrasto vero oleum è cinna- Hieron.
momo, & myrrha incisa sudans. At Plinius arbo- Theophrast.
res myrrhae describens, affirmat incidi eas. Sudant Plin. lib 12 c. 15.
autem, inquit, spontè, priusquam incidantur, sta-
cten dictam, cui nulla praefertur. Cuius testimo- Dioscor. lib. 1 c. 59.
nio confisi, hanc putamus vocari myrrham pri- Basil in Psal. 4
mam. Dioscorides tamen, est, inquit, pinguitu-

C do

Basilius. do recentis myrrhae cum exigua aqua tusae, & organo expressae. Quare Basilius stacten myrrhae tenuissimae genus esse scribit: cùm enim exprimitur, quod effluit, in stacten seponi, quod crassum restat, myrrham vocari. Stacte autem videtur à stillando dicta, quod Graeci στακτὴν staktin dicunt: quia è stillatitia tantum myrrha fiat. Verùm Graecae vocis etymologiam potius deducerem ex eo, quod dixit Plinius, quòd sit sponte stillans. Eius meminit Lucretius.

Lucr. lib. 2. *Sicut amaracini blandum, stactaeque liquorem.*

In Hebraeo pro stacte est vox קדה chiddah, à verbo Chadah, quod significat accendi, ardere, inflammari, vt in Deuteronomio: *Ignis succensus est,* *Deuter. 32. ℣. 22.* exarsit, *in furore meo*, vel propter furorem meum. Quare stacte vocabitur hoc vnguentum à colore aureo: quod aptissimè conuenit ei vnguento, siue liquori, quod ex India occidentali allatum, mirabilem ex se emittit odorem, praestatque odoriferis chirothecis inungendis. Ad quem antiquum etiam morem respexit in Canticis Sponsa dicens; *Cant. 5. ℣. 5.* *Manus meae distillauerunt myrrham primam.* quod quidem vnguentum Hispanis, & Italis, ad quos inde deuenit, vocatur vulgò Storaque liquido. *Serapio.* Sic autem vocari stacten Serapioni, & omnibus *Matthiol. super Dioscor. lib. 1. c. 59.* Arabibus affirmat Matthiolus, eiusque nos vidimus in medica arte mirabiles effectus, quos & nonnumquam experti sumus. Pro hac voce Hebraei vertunt casiam: sed quam ob causam, nos ignorare non erubescimus, cùm & ipsimet, quam diximus, tantùm tradant vocis significationem: sed neque scire cupimus, quod falsum est omnino quoniam, vt statim videbimus, & casia, & canna distinguuntur in compositione vnguenti sacerdotalis.

De calami acceptionibus, & natura. *Et calamus.* Hebraicè וקנה vechaneh nomen significans cannam, calamum, arundinem. Est autem duplex calami genus, artificiosum alterum, alterum verò naturale. De primo apud nostrum *Ezech. 40. ℣. 5.* Prophetam saepe: *Calamus mensurae sex cubitorum*, &c. & in Apocalypsi: *Habebat mensuram* *Apoc. 21. ℣. 15 & 16* *arundineam auream.* & iterum, *& mensus est ciuitatem de*, hoc est cum, *arundine aurea.* Est *Cannae naturalis duplex genus.* rerum duplex naturalis cannae, siue calami genus, vnum aromaticum, alterum commune; huius meminit Isaias, dicens: *Isai. 42. ℣. 3* *Calamum quassatum non confringet.* Inter aromatica computatus est calamus, *Canna aromatica numquam potest dici cinnamomum.* cuius succus decoctus fit saccharum, vocaturque dulcis canna. Est aliud genus aromaticae cannae, quod cinnamomum appellari nonnulli putant: verum sine vlla ratione, immò verò contra omnem rationem. Primùm, quia duplici nomine, atque vtroque valde diuerso nominatur ab Hebraeis: deinde, quia tamquam duo aromata diuersa recensetur saepe in sacris litteris: ex quibus cinnamomum inter suffitus, & gratissimos odores annumeratur. In Prouerbijs enim meretrix *Prouerb. 7. ℣. 17.* illa, *Aspersi* inquit (quod ex Hebraeo verti potest, suffiui) *cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.* Et in compositione vnguenti, quo tabernaculum, & arca, & cetera vngebantur, iubetur Moyses sumere *Exod. 30. ℣. 23. & 24.* *primae myrrhae, & electae quingentos siclos, & cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta; casiae autem quingentos*, &c. Quidam putant esse aroma illud, quod ex orientali India allatum, Itali, & Hispani canellam vocamus, a nomine cannae sic dictum. Verùm Plinius eius naturam *Plin lib. 12 c. 22.* describit, dicens: Calamus quoque odoratus in Arabia nascens, communis Indis, atque Syris est, in qua vincit omnes. A nostro mari centum quin-

A quaginta stadijs, inter Libanum montem, aliumque ignobilem, (non vt quidam existimauere, Antilibanum) in conualle modica iuxta lacum, cuius palustria aestate siccantur, tricenis ab eo (siue vt Theophrastus legit, in eo) stadijs calamus, *Theophrast.* & iuncus odorati gignuntur. Nihil ergo à ceteris sui generis differunt aspectu, sed calamus praestantior odore. Haec Plinius. Neoterici verò ex medicis duplex tradunt esse aromatici calami genus, alterum Syriacum, ad ripas Genesareth lacus, seu maris Galilaeae nascens, à vulgari nihil dissimile, praeterquam quod post quadragesimum diem siccatum, nonnihil fragrat, alterum Indicum, descriptum à Dioscoride, diuersissimum a Sy-

B riaco. Dionysius Erythraeum vocat à colore, non *Dionys. de situ orbis. Eustat.* (vt Eustathius putat) quod eius altrix India Erythraeo mari contermina sit. Fuisse autem magno in pretio, & aestimatione apud ipsos Hebraeos, patet ex sermone Domini apud Ieremiam: incu- *Ierem. 6. ℣. 20.* sat enim Hebraeos, verba Dei non audientes, & legem eius proijcientes, dicens: *Vt quid mihi tus de Saba affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua?* ad Indicum fortasse alludit. Et apud Isaiam idem Dominus: *Non emisti mihi ar-* *Isai. 43. ℣. 24.* *gento calamum*, reprehendit Dominus ingratos, qui accepta beneficia non muneribus, sed offensis compensare velle videntur. Septuaginta pro *stacte & calamus in negotiatione tua*, verterunt

C καὶ τροχοὶ ἐν τῇ συμμίκτῳ σου che trochi en to symmicto su, hoc est, & rotae in commistione tua sunt: siue vt habet Sixtianus codex, & rota in commisto tuo est. Trochus verò & rota, & instrumentum est, quo ludût pueri, de quo iocatus poëta quidam, ait. *Lusoria instrumenta in nundinis Tyri. Martial. lib. 14.*

Inducenda rota est, das nobis vtile munus:

Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Nec dubium est, omnia instrumenta, etiam lusoria, nec non puerilia quaeuis reperta in nundinis Tyri. verùm neque Prophetam, neque ipsos Septuaginta ad haec descendisse crediderim, sed sicut Graecis dicitur τροχὶς ἄγγελος trochis angelos, hoc est expeditus nuncius, sollers, qui non cessat à cursu sic expeditos, sollertes, ac sollicitos huiusmo-

D di mercatores Danitas, & Graecos fuisse credendum est in commistione, vel in commisto, hoc est, in nundinis, vbi omnes gentes commiscentur; vel in quibus omnia permutantur, atque venduntur. Quam interpretationem sequutus videtur Po- *Polychron.* lychronius, super his verbis dicens: Qui fide digni erant, currebant ad te, vrbis fama commoti, & ad spectandum, & lucrandum. Fide dignos vocat eos, quibus fides rebus integris non conciderat, prout Romanis contigerat aliquando testante Cicerone: Tum enim, inquit, cum in Asia res ma- *Cic. pro leg. Manilia.* gnas multi amiserunt, scimus Romae, solutione impedita, fidem concidisse.

Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. XX.

E Dedanitarum quae gens fuerit suprà disseruimus. *Sup ℣. 15. Hieron.* Hieronymus multum, inquit, Hebraicum, & *De tapetibus, & cui vsui deseruirent.* Septuaginta in praesenti loco discrepant, infinita quippe distantia in tapetibus ad sedendum, & iumentis electis ad currus. In tapetibus vero vehuntur, & requiescunt institores Dedan, sessione composita venientes ad nundinas Tyri. Haec ille. Ex Hebraeo sic transtulerunt nonnulli. Dedan negotiatrix tua in pannis pretiosis pro curribus. Pro *Concordant Septuaginta cum vulgato, & Hebraeo textu* tapetibus, Hebraicè בבגדי חפש bebigde chophes, quarum prior vox praeuaricatricem significat ex radicali significatione, vt apud Ieremiam: *Et vidit* *Iere. 3 ℣. 7.* *praeuaricatrix soror eius Iuda.* Ex qua vocis significatione occasionem sumpsere fortitan Septuaginta

ptuaginta interpretandi mulas noncupantes eas *κτηνη*, ctenon, hoc est quadrupedes, nomine generico: at Latini patrium illis nomen indidere, iumenta vocantes. Habet tamen haec vox aliam etiam, & non insolitam significationem, vt apud Isaiam: *Omnes*, inquit, *ipsi sicut vestimenta veterascent*. Et in Exodo: & *haec vestimenta facient*. ex dictis constat, aptè vertisse Hieronymum *in tapetibus*, qui sunt inter vestimenta computandi. Locum hunc Ezechielis sic interpretatur R. Dauid: in vestibus libertatis, id est pretiosis, quae liberum hominem decent. *Ad sedendum*, vel in curru via incedenrem, vel domi manentem.

Isa. 50. ℣. 9. Exod. 28. ℣. 4. Hieron. R. Dauid. lib. rad.

XXI. De Arabia, & Cedar. *Hieron. Theodoret. Polychron. Infra ℣ sequente.* Negotiatores manus qui dicantur. *Prouer. 6. ℣. 1.*

Arabia, & vniuersi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuae, cum agnis, & arietibus, & hoedis. Hieronymus: Arabia, & Cedar Sarracenorum regio est. Theodoretus: Cedar verò ab Ismaële oriundos vocat. Polychronius: & sunt hi quidem à Cham orti, à Chus prognati: constat igitur illos finitimam circumcirca habitare regionem. Sed de his gentibus infrà latius. Verum phrasim illam oportet explicare, quid significet, *negotiatores manus tuae*. Quidam enim putant *negotiatores manus* dici, hoc est, qui manum tuam tenentes, stipulabantur contractus, morem illum respicientes, quo, qui firmare pactum volebat, vel spondebat, manum alteri daret, prout in Prouerbijs: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, fixisti pro alieno manum tuam*: quasi dicat, firmum, & stabile sit promissum alteri factum, haud secus, quam, si manu data firmaretur, non licet retrocedere, etiamsi alienus, vel extraneus sit ille, pro quo spopondisti. Verùm huiusmodi interpretatio, licet non abhorreat à praesenti loco, tamen non satisfacit ex aequo, neque conuenit cum sequentibus, vt conuenire posset, aut debuisset. Quare *negotiatores manus*, intellige dictum consimili Hebraea phrasi, ac si diceret, ad manum tuam. Vbi enim in libro Regum nos legimus: *Stetit ergo Rex iuxta portam*. ex Hebraeo verti potest, ad manum portae, quod idem est. Et apud Ezechielem: *Et haec nomina tribuum à finibus Aquilonis iuxta viam*, Hebraicè, ad manum viae, *Hetalon pergentibus*. Hac eadem phrasi Hispani dicimus: lo tiene a la mano: & Itali: ci sono alla mano, hoc est ita tibi sunt vicini, vt commodè cum ijs agere possis, & illi tecum. Sensus ergo erit: Arabes, & principes Cedar, ipsi sunt negotiatores iuxta te, hoc est propinqui, & vicini. Cum enim alios connumerasset, ex remotissimis regionibus afferentes pretiosas, & exquisitas merces, nunc finitimos commemorat, afferentes agnos, arietes, & haedos, quae quidem animalia vix, aut nullo modo possunt è longinquo adduci. Notat autem hic Hieronymus, Septuaginta, pro *agnis, arietibus, & hoedis*, camelos, arietes, & agnos interpretatos esse. Quae omnia Arabibus, & Cedarenis aptè congruere probat, dum abundare illorum regionem huiusmodi animantibus affirmat, *agnis* videlicet, *arietibus*, *& hoedis*, atque Tyri nundinas hac illatione multiplicare. Sed & camelorum etiam fertilissimam regionem fuisse testatur, ob pascuorum eremi latitudinem, aërisque temperiem, quibus rebus hoc animal gaudet. Theodoretus in omnibus Septuaginta interpretes sequutus, in hanc sententiam interpretatur hos versus: Alij quidem, inquit, tibi ferrum elaboratum afferebant, alij autem mulos, & equos ad currus; alij verò camelos, & arietes, & agnos, vt illis ad onera ferenda, his ad cibos, & vestes vtereris.

Ad manum quid significet. 3. Reg. 18. ℣. 4. Ezech. 48. ℣. 1. Hierony. De camelis Arabiae. *Theodor.*

XXII. Sabaei quae gens. *Hieron. Psal. 71. ℣. 10.*

Venditores Saba, & Reema, ipsi negotiatores tui. Hieronymus: in psalmis, inquit, vbi scriptum est: *Reges Arabum, & Saba munera offerent tibi*, in Hebraeo habet, שבא וסבא sceba vsba, sceba, & Saba, quorum vnum, sceba, per ש sin litteram scribitur, alterum per ס samech, quae nostrae litterae similis est. Haec Hieronymus. Verùm primo differentiam inter has litteras constituunt Hebraei in hoc, quod tres assignant, quarum similes non habet Latinus, quae sunt צ tsade ס samech & ש sin vel scin, quas omnes nostro S exprimere cogimur. Verùm apud illos, sicut forma, sic etiam prolatione longè sunt diuersae: quod discrimen difficilè comprehenditur à nostris, nisi audiant diuersitatem soni. Verum, quod scripto potest tradi, in hoc differunt inter se: quod ש sin molliter profertur, ס samech asperiùs, צ tsade vehementius. Ex hoc litterarum discrimine nascitur etiam inter nomina non minima differentia. In Genesi filiorum Noë fit mentio, à quibus etiam dicitur diuisas fuisse insulas gentium in regionibus suis. De primogenito autem Cham, secundo genito Noë, qui vocabatur Chus, sic loquitur textus: *Filij Chus Saba, & Heuila, & Sabatha, & Regma, & Sabatacha. filij Regma, Saba, & Dedan*. In quibus verbis non est idem nomen Saba filij Chus, & Saba filij Regma; illud enim scribitur per ס samech: hoc autem per ש sin. Quoniam autem de vtroque disputationem aggredimur, ne confusionem pariat eiusdem nominis iteratio, cùm duo nomina Hebraea significare velimus, ideò differentiae causa cuique nomini suam Hebraicam litteram praeponemus. ס Saba ergo filius Chus, ס Sabaeis, qui felicem Arabiam colunt, nomen, & initium dedit. Quod quidem ita se habere vel ex eo potest intelligi, quòd ס Sabaei Arabum populi, propter tura clarissimi, ad vtraque maria porrectis gentibus habitent, vt ait Plinius. Et apud Isaiam prophetam Chus, & ס Saba primogenitus eius, iunguntur, vt, qui vicinas sedes habuerint, Chus quidem ad isthmum, quo mare Syriacum, & Aegyptiacum submouentur a sinu Arabico, seu mari rubro: ס Saba autem ad ipsum Arabicum sinum. nam ש Saba sedes habuit versus sinum Persicum, vt ex historia Iobi constare potest, in qua ש Sabei pecus Iobi abigunt, quemadmodum Chaldaei ipsis finitimi camelos eiusdem Iobi diripiunt. ס Sabaei autem filij Chus, qui versus Arabicum sinum habitabant, nequaquam potuissent pecora Iobi inuadere, neque ex locis illis, in quibus pecora Iobi nutriebantur, praedas poterant agere, tam longo terrarum tractu ab eo disiuncti. Ceterùm apud Isaiam sic habetur: *Quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël, saluator tuus, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam, & Saba pro te*. Hebraicè, Misraim, & Chus, & ס Saba: quo loco ordine describuntur gentes, ipsi Misraim, hoc est Aegypto conterminae, nempe Chus, & ס Saba. Chus autem Arabia est, Pelusio propinqua, & sinui Heroopolitico. At ס Saba est interior Arabia. De ס Sabaeis verò fit iterum mentio ab ipso Isaia, dum dicit: *Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopiae, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt*. Quo etiam loco finitimi populi iunguntur, qui potentia, & opibus clari habiti sunt, Misraim, Chus, & ס Saba. Dixit autem ס *Sabaim* vulgatus, retenta terminatione numeri pluralis vocis Hebraicae: quasi dicat ס Sabaei, quos Hebraica phrasis vocat viros mensurae, hoc est procerae staturae, ac si diceret, bonae mensurae. Eam aptissimè reddidit vulgatus, viros sublimes, statura intellige. Locus autem citatus

ש sin, ס samech, & צ tsade quomodo in pronunciatione differant. *Genes. 10. ℣. 7. Plin. lib. 6. c. 28. Isai. 43. ℣. 3. Isai. 45. ℣. 14.*

tatus ex Plinio, asserens, Sabaeos ad vtraque maria porrectis gentibus habitare, de vtroque mari intelligendus est, quo felicis Arabiae cinguntur latera; quorum alterum dicitur Arabicus sinus, alterum verò sinus Persicus. Ad quae quidem maria sedes habuerunt tam ס Sabaei, quàm ש Sabaei, quos, neque Graeci, neque Latini distinguunt: cum plurimae gentes ortae sint, & a ס Saba, & a ש Saba, quas, tamquam contiguas, licet longe, lateque diffusas, coniungit psalmus, cuius interpretationem initio suscepimus. Nam vbi in Hebraeo habetur, Reges ש Saba, & ס Saba, Latinus ex Graeco transtulit: *Reges Arabum, & Saba*. Atque iterum in eodem psalmo: *Et dabitur ei de auro Arabiae*, Hebraice ש Seba.

Psal. 71. ♈. 16.

De ש Sabaeis vero manifestum habemus testimonium in Iobi historia, vbi dicitur, eos inuasisse asinas, boues, & aratores Iobi, sicuti paulo post Chaldaei eiusdem camelos occupasse dicuntur. quasi Satanas eos populos, latrocinijs assuetos habuerit ad manum, ad euertendas, & diripiendas Iobi facultates.

Iob 1. ♈. 15. & ♈. 17. Sabaei latrocinijs assueti, nullis opibus saturati, alienas opes inuadebant.

Habitabat autem Iobus in terra Hus, quae complectitur Idumaeam, cui finitimos fuisse Chaldaeos cernimus, quos omnes populos ad sinum Persicum sedes habuisse constat ex geographica historia. Et quamuis ditissimi fuerint ש Sabaei isti auri, turis, atque gemmarum; tanta tamen flagrabant earundem rerum cupiditate, tamque effrenatâ libidine, vt vicina opida, & gentes inuaderent, latrocinijs intenti: sicuti etiam animalia Iobi satanica tyrannide inuaserunt.

Diuitiarum cupiditas in Satanae tyrannidem adducit. *Plin. lib. 6. c. 28.*

Huius autem gentilitij moris, seu potius sceleris testis est Plinius, sic scribens de Arabiae felicis incolis, quorum meminimus. Mirumque dictu, inquit, ex innumeris populis pars aequa in commercijs, aut latrocinijs degit, in vniuersum gentes ditissimae: vt apud quas maximae opes Romanorum, & Parthorũ subsidant, vendentibus, quae è mari, aut siluis capiant: nihil inuicem redimentibus. Quibus profecto verbis commentarium agere videtur Plinius vulgati nostri textus, qui honestissima, sed acutissima phrasi ש Sabaeos latrocinij accusat, dum eos venditores compellat: qui, quod depraedantur, vendunt, nihil emunt, quod iterum vendant; sed iterum depraedantur, vt vendant.

Latrones vocantur venditores, & quare. *Hieron.* De Reema.

Reema, Hieronymus. Raama, siue iuxta Septuaginta, Rhamma in nullo alio scripturarum loco inuenire potui, neque quae regio sit, quidve significet: nisi, quod manifestum est, & ex eo, quod iungitur Saba, vicinam huic prouinciae esse regionem. Haec Hieronymus. Adde in confirmationẽ huius sententiae Regma, quartum filium Chus, fratrem ס Saba, patremque ש Saba dici in Genesi. Quod quidem nomen, licet differre videatur a *Reema* nostri textus; cùm & ipsum hoc nomen in varijs codicibus etiam varier. tamen in Hebraeo idẽ est nomen, eademque scriptura: quapropter finitimas filio ש Saba regiones incoluisse patrẽ *Reema* non est dubitandum. Verumtamen eadem Hebraica voce רעמה ragma vsus est Dominus, Iobo dicens: *Numquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius* ragma *hinnitum?* alij verterunt, commotionem, alij tonitruum. Quia tamen vox *ragma* in alijs sacrae scripturae locis inuenitur significare motum, commotionem, tremorem, & tonitruum, vt in psalmo: *Vox tonitrui tui in rota*, ideo posset intelligi *Reema* esse quasi Sabaeorum epitheton, Sabaei commotores, vel turbantes omnia, quoniam illa coniunctio, Et, Hebraicè ו ve, solet nonnumquam interpretatiuè accipi. quasi dicat, hoc est, vt in Psalmo: *Sacrificate sacrificium iustitiae, &*, id est, *sperate in*

Iob 39. ♈. 22.

Psal 77. ♈ 19. Commotio, Et, interpretatiua nonnumquam est. *Ps. 4. ♈. 6.*

A *Domino*. hoc est enim iustum sacrificium Deo debitum. Et in alio psalmo: *Calicem salutaris accipiam, &*, id est, *nomen Domini inuocabo*. Quare sensus erit *Saba, &*, hoc est, *Reema* quod si tamquam coniunctio accipiatur, potest esse alterius consimilis gentis nomen appositiuum, sicut fuit illud: *mulier, quae erat in ciuitate peccatrix, & Homo quidam diues*.

Psal 115. ♈ 17. *Luc. 7. ♈. 37.* *Luc. 16. ♈. 1 & 19. & sequentib.*

Cum vniuersis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro. Quarum omnium rerum ditissimam fuisse Sabaeam, siue Arabiam felicem, multis constat sacrae scripturae testimonijs. Ieremiae sit primus. *Vt quid mihi tus de ש Saba?* & apud Isaiam: *Omnes de ש Saba venient, aurum, & tus deferentes*. Ab horum Sabaeorum regione venisse creditur Regina ש Saba, quae, cùm ditissimae gentis princeps esset, ac Regina, venit Hierosolymam cum magno apparatu, & pompa, *ingressa Hierusalem*, vt ait sacer historicus, *multo cum comitatu, & diuitijs, camelis, portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas*. Quae quidem merces eaedem omnino sunt, atque illae, quae à nostro Propheta recensentur: nempe, aromata, gemmae, & aurum. Ea vero *Regina Austri* dicitur in Euangelio à Christo Domino, & venisse *à finibus terrae audire sapientiam Salomonis*. Etenim Sabaea regio, siue Arabia felix sita est ad Austrum Iudaeae, longoque dissita terrarum interuallo, fines terrae occupans versus mare Rubrum. Quare merito Sabaei gens longinqua vocatur à Domino, apud Ioëlem prophetam dicentem: *Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos ש Sabaeis genti longinquae*. His, quae attulimus, & consimilibus argumentis incusat mendacij Iosephum ex recentioribus quidam, omnesque sectatores, innixos Iosephi stulta opinione, seu potius delirio, quod Sabaeam regionem in Aethiopiam reijciant. Iosephus autem hoc testatur primò, dum de bello Mosis contra Aethiopas agit: Aethiopes ad vltimum, inquit, compulsi in Saba, regiam huius gentis, quam postea Cambyses Persarum Rex de sororis suae nomine Meroën appellauit, obsidione sunt cincti. Iterum, dum Reginam Saba, de qua sumus paulò ante locuti, Reginam Aegypti, atque Aethiopiae nominat. Ratio autem, quam hic auctor adducit contra Iosephum, ideo nobis non probatur, quòd non minus militat contra vulgatam nostram Latinam, quàm contra eum. ratio autem est huiusmodi. In allatis locis sacrae scripturae simul fit mentio de Sabaeis, Aegypto, & Chus: ergo sunt finitimae regiones: non ergo Aethiopes. Quae quidem ratio, si vera esset, opponeretur eisdem locis; quibus pro Chus vulgata editio reddit *Aethiopia*. Sunt autem duo, quos supra attulimus ex Isaia. Immo verò probant illa loca (si quid pro Beroaldo probant) huiusmodi Aegyptũ, Aethiopiã, & Sabaeam, vicinas esse regiones, quod falsum omnino est. Neque obstat Iobi historia de Sabaeis; quoniam Sabaei dicebantur non solùm eius gentis, seu regionis incolae; sed etiam, quotquot illorum mores, & vitia imitabantur, praesertim ebrij, seu potatores vini: à radice enim סבא Saba, seu סאב Saab, deducuntur haec nomina, quae potatores significant vini. Huius exemplum habetur in Prouerbijs: *Vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur*: ex Hebraeo sic verti potest; potator, & commessator; excutientur haereditate. Quare hac voce possent communiter nuncupari depraedatores, quòd hoc vitium potationem consequatur. Quapropter loca ea sacrae scripturae, etiamsi probarent Sabaeos finitimos fuisse Arabum; non tamen contra Iosephum

Sabaei auro, aromatibus, & gemmis diuites. *Ierem. 6. ♈. 20.* *Isai. 60 ♈. 6.* *3. Reg. 10. ♈. 2.* *Matth. 12. ♈. 42.*

B

C *Ioel. 3. ♈ 8.* *Matth. Beroal. lib. 4. Chron.*

Ioseph. 2. Antiq. cap. 5. *Iosephus 8. Antiq. c. 2.*

D

Supra ex Isai. 43. ♈. 3. & c. 45. ♈. 14.

E [illegible]

Prou. 23. ♈. 21. Rapinae, & latrocinia ebrietatem consequuntur.

phum probarent, eo nomine non potuisse etiam compellari regionem aliquam Aethiopiae, atque eius metropolim Meroëm, tamquam ab aliquo ex Sabaeorum filijs exaedificatam, atque inhabitatam: praesertim, cùm non tantum hi duo, quos commemorauimus, dicantur Saba, & eorum posteri Sabaei: sed etiam tertius eodem loco Genesis, qui fuit filius Iauan, ordine natiuitatis decimus. *Omnes autem hi filij Iectan* obtinuisse dicuntur regiones *de Messa, pergentibus vsque Sephar montem orientalem*, hoc est versus montana Orientis. Fuit & quartus Saba, qui in filijs Abraham dicitur de Cetura natus. qui quidem videtur constituisse Sabaeos Persis proximos, quos Dionysius Afer Graeco versu commemorat, qui sic potest reddi: Primum Sabaei, post hos sunt Pasagardae. propè verò hos sunt Thasij, qui Persidis sunt populi, ad quos concessisse videntur filij Abraham, emissi ab eo ad plagam orientalem. At filius Iectan Saba vlterius progressus videtur ad Indos. Sunt enim & in India Sabaei, quorum etiam meminit Dionysius: describens enim Indiam, ait: Horum medij habitāt Sabaei, & Thasij viri. Et tandem confirmat, quae diximus, Theodoreti testimonium: Saba, inquit, & Rhegma à Chuz genus ducunt: Chuz autem Cham primogenitus fuit: Aethiopiae igitur hae, & Indicae gentes. Haec Theodoretus.

Gen. 10. ℣. 28
Dionys. de situ orbis.
Dionys. ibid.
Theodor.

Haran, & Chene, & Edem. Septuaginta. Charran, & Chalen, & Dedan. Theodoretus. Chalane est, vbi turris aedificata fuit. Haram ciuitas fuit Mesopotamiae, celebris ea quidem propter Abrahami diuturnum incolatum, cuius meminit Genesis historia cum alijs, sic enim habet: *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldaeorum, vt irent in terram Chanaan, veneruntque vsque Haran, & habitauerunt ibi.* Iterum dixit illi Dominus. *Egredere de terra tua, & de cognitione tua, & de domo patris tui.* Et post multa magnalia, quae illi promiserat Deus, atque sub benedictionis nomine Christum benedictum illi datum iri in filium, subdit sacer historicus: *Egressus est itaque Abram, sicut praeceperat ei Dominus: & iuit cum eo Lot. Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haram.* Hanc totam narrationem retexit Stephanus protomartyr, cùm coram principe sacerdotum constitutus, pro se, & pro Euangelio Christi, quod praedicabat, respondit dicens: *Viri fratres, & patres audite. Deus gloriae*, gloriosus, *apparuit patri nostro Abrahae, cum esset in Mesopotamia, prius quàm moraretur in Charam.* Eadem est ciuitas, quae & Haram, vt patet ex vtraque historia. *Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi. tunc exijt de terra Chaldaeorum, & habitauit in Charam.* Quo loco animaduertendum est, semel, atque iterum eductum à Domino fuisse Abrahamum de patria sua. Primùm viuente patre, cùm in Chaldaeorum ciuitate, quae Vr dicebatur, commoraretur: iterum mortuo patre, cùm habitaret in Haram, vt vidimus, & mox iterum videbimus. Deinde, cùm manifestissimè testetur Stephanus, Abrahamum ex Vr Chaldeaorum euocatum fuisse à Deo, mirandum sanè videtur ab historia Genesis, Tharamum Abrahami patrem, tamquam profectionis auctorem commemorari. In quo non mirandum tantùm, sed imitandum etiam proponitur patriae auctoritatis, & dignitatis exemplum. Licet enim Abrahamo fuisset imperatum à Deo, vt è pa-

De Haram, quae regio sit.
Theodor.
Gen. 11. ℣. 31.
Gen. 12. ℣. 1 & 4.
Act. 7. ℣. 2.
Bis Dominus eduxit Abrahamum de patria sua.

A tria egrederetur, & eum pater comitari, ac sequi decreuisset: quia tamen ex patris imperio pendebar obsequens filius, ac simul tota familia: ideò patri profectionem adscribit scriptura sacra, qui fuit profectionis comes: filio verò tribuit, fuisse patris socium, cum tamen ipse fuerit profectionis auctor vocatus à Deo. *Et inde*, subdit Stephanus, *postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.* Vocatus, inquam, à Deo, & translatus secundò. Haec autem ciuitas, quae deserenda praecipitur Abrahamo, terrenam nobis indicat deserendam habitationem. Nos autem allecti *sperandarum substantia rerum, atque argumento non apparentium*, obedientiam B non differamus, exeuntes versus locum, quem accepturi sumus in haereditatem, etiamsi nobis incognitus sit locus, quo tendimus: vtpote, qui in cor hominis non ascendit; quo nec oculorum acies acutissima penetrauit, neque aures attentissimae eius famam vsquequaque perceperunt. Sic enim fecisse dicitur credentium pater, de quo Paulus ipse testatur: *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in haereditatem, & exijt, nesciens quò iret.*

Honos parentibus deferendus, sequuntur Abrahami exemplo.
Habitatio terrena deserenda.
Hebr. 11. ℣. 1.
Dei promissa semper sequenda, etiamsi nobis ea non appareant.
Hebr. 11. ℣. 8.

Chane. De hac ciuitate, aut regione nullum aliud testimonium reperi, praeterquam Theodoreti; qui, cum eam nominatam reperisset à Septuaginta interpretibus Chalan, illam dicit esse locum, C vbi turris fuit aedificata. Verùm, si hanc Septuaginta vocem accipiamus, de ea scribit Arias Montanus, dici ab Hebraeis Chalne eam Mesopotamiae regiunculam, quam Ptolemaeus Chalcitin vocat: cuius rei testem Hieronymum adducit. Verum longè diuersa ciuitas est Chalan à Chane: illius mentio fit apud Amos prophetam: *Transite in Chalane, & videte*: quae longe diuersis characteribus scribitur. Haec àutem, si vocis etymologiam consideremus; probare videtur Theodoreti sententiam: deducitur enim ab Hebraico verbo כנה Channa, quod significat cognominare, hoc est, honoris causâ insigni aliquem cognomine decorare, ab aliqua illustri persona, vel ab aliquo praeclaro facinore D deducto, vt Scipionem Africanum propter deletam Carthaginem cognominarunt Romani. Huius rei exemplum habes apud Isaiam dicente Domino: *Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum, & vocaui te nomine tuo, & assimilaui*, hoc est, cognominaui, insigni titulo te compellaui, ac si illustri viro similis esses, *& non cognouisti me*, cùm tamen nondum me cognosceres: priusquam tibi notus essem. Et Eliu Iobum reprehendere volens: *Non accipiam*, inquit, *personam viri, & Deum homini non aequabo.* Ex Hebraeo verti potest, & hominem non cognominabo. quasi dicat, non ero personarum acceptor: neque enim nouj hominem cognominare, hoc est, illustri, aut diuino potius E aliquo cognomine dignum ducere. Quam quidem phrasim aptissimè reddidit vulgatus interpres, dicens: *Deum homini non aequabo.* hoc est, cùm Deum tantummodo deceant cognomina illustria, non exaequabo illum homini, vel hominem Deo, tribuens homini similes compellationes. Haec ergo ciuitas, in qua turris illa, humanae superbiae, ac dementiae singulare monumentum, confusis linguis, dispersisque gentibus, famosum nomen obtinere potuit, & per antonomasiam dici, Chane, hoc est cognominata, celebris. *Eden.* Certum est, aliquando in sacris vsurpari, conuertique, tamquam appellatiuum nomen, delicias, & voluptatem significans, & consequenter, deliciarum nomine

De ciuitate Chane
Theodor.
Arias Montan. in apparatu.
Ptolem.
Hieron.
Amos 6. ℣. 2.
Cognominare, quid significet.
Isai. 45. ℣. 4.
Iob 32. ℣. 21.
Deum tantùm decent illustria cognomina.
Turris Babel in Chane posita.
De Eden paradiso.

amoenissimos hortos, atque pomaria innui. In quo sensu accepit hanc vocem vulgatus in Genesi·vertit enim

Gen. 2. ℣. 8.

Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem. Quem locum Septuaginta interpretes cum Chaldaeo paraphraste, paradisum in Eden, interpretantur, tamquam nomen proprium loci accipientes. At verò ipsimet Septuaginta in eodem Genesis libro iterum reddiderunt cum vulgato.

Gen. 2. ℣. 15.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis. Verum haec vox alias nomen loci proprium significat, vt videre est in nuncio, ac epistola à Rabsace, Sennacheribi nomine missa ad Ezechiam, prout in libris Regum, & ab Isaia recensetur:

4. Reg. 19. ℣. 12.
Isai. 37. ℣. 12.

Numquid, enim inquit, *liberauerunt dij gentium singulos, quos vastauerunt patres mei? Gozan videlicet, & Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Talassar?* Quis autem fuerit huius Edenensis regionis situs, certius ex Propheta Amos haberi poterit, qui sic habet.

Amos 1. ℣. 5.

Et conteram vectem Damasci, & disperdam habitatores de campo Idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis & transferetur populus Syriae Cyrenem, dicit Dominus. In quo loco Latinus interpres etymologiam vocis secutus, domum voluptatis vertit, quod in Hebraeo habetur, mibbet Eden, hoc est, de domo Edem. Septuaginta in Complutensi codice, à viris Adam legunt, vel (vt notat codex Sixtianus) voce ab Hebraea non diuersa: vel quòd Eden locus Adam dicatur, quòd in eo sit collocatus à Deo. Fuit autem huius propheticae comminationis exitus, vel executio relata in libros Regum: vbi sic habes.

4. Reg. 16. ℣. 9.

Ascendit enim Rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenem; Rasin autem, Regem inquam Syriae, *interfecit.* Non est autem haec Cyrene illa nobilis Africae vrbs, a qua Cyrenaica prouincia dicta est, de qua & in actis Apostolorum,

Act. 2. ℣. 10.

& partes Libyae, quae est iuxta Cyrenen: sed vrbs alia in regione Medorum: in suam enim regionem captiuos abduxit Assyrius, non in Libyam, quae longissimè aberat ab Assyrijs, medio interiacente mari, & Aegypto.

Ioseph 9. antiq. c. 13.
Ptolem. lib. 6. c. 2.

Iosephus etiam narrat Damascenos translatos esse in superiorem Mediam & Ptolemaeus Curnam in Media ponit: quae eadem videtur esse, ac Cyrene, de qua nunc loquimur: quamque Chaldaeus vocauit קרני chorni. Ex quibus manifesto intelligitur, *Eden*, de qua loquitur Vates, regionem fuisse amoenissimam in Syria, quorum incolae negotiatores Tyri fuerunt. Verùm superetat hic disputandum de loco isto *Eden*, an sit ille idem,

Gen. 2. ℣. 8.

quem plantauerat Dominus à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. Sed quoniam multae, ac variae doctorum de hac re sententiae, & quamplurimae, quas inspersere difficultates, longiorem exigunt disputationem; quam vt in huius capitis angustijs includi debeat, & cum instituti nostri ratio exigat, ut de hac re post explicationes omnium capitum fusius agamus, eo curiosum lectorem remittimus.

Supra ℣. 22.

Saba, Assur, & Chelmad. De Sabaeis iam satis suprà disputatum. Nunc autem hoc vnum annotandum occurrit, non frustra, vel obliuione iterum Sabaeorum fieri mentionem, sed consultò, & magno consilio: vt indicet eos attulisse vniuersa pretiosa aromata, gemmas, & aurum. Quoniam verò has easdem merces asportabant, & simul vendebant in proximis officinis Reemaei, ideo illis annumerantur praedicto loco. & quoniam asportabant varia inuolucra hyacinthi, & polymitorum, pre-

A

tiosasque gazas, quas diuendebant, permisti Assyrijs, & Chelmadaeis, ideo iterum inter hos fit de illis mentio. *Assur.* Hoc nomine fuit nuncupatus secundus filius Sem, qui dedit nomen Assyrijs, quorum florentes opes, & diuturnũ imperium profanae commemorant historiae.

De regione Assur, quae est Assyriorum.

Verùm tam magna, humanamque fidem excedentia commemorant profani historici, praesertim Herodotus, Ctesias, Diodorus Siculus, & alij, vt verendum omnino sit, ne extra veritatis fines nonnihil sint diuagati, eiusmodi imperium describentes.

Herodot. Ctesias. Diodor. Siculus.

Neque enim ambigimus, florentes, ac magnas fuisse Assyriorum opes, an verò tantae fuerint, hoc dubitamus omnino: praesertim, cum possit è sacris, & alijs eiusdem classis profanis historijs talis excessus deprehendi.

B

Nam cum maximè florens Assyriorum imperium, & opes historiae sacrae proponunt· tunc id maximè fuit, cùm imperio potiretur Sennacheribus. Is enim superbus, & elatus Rex, contra Deum caeli praeualere contendens, potentiam imperij, maiorum victorias, debellatasque gentes proponit Ezechiae, dicens:

Isai. 37. ℣. 11.

Ecce tu audisti, quae fecerunt Reges Assyriorum omnibus terris, quas subuerterunt, & tu poteris liberari? Numquid eos eruerunt dij gentium, quas patres mei euerterunt, Gozan, & Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Talassar? Vbi est Rex Emath, & Rex Arpha, & Rex Sepharuaim, Ana, & Aua? Hae sunt gentes deui-

C

ctae ab Assyrijs vsque ad ea tempora, quibus maximum fuit eorum imperium. Quae quidem omnes gentes, vt e sacris scripturis intelligimus, vix fines Syriae excedunt, quam totam occuparunt Assyrij, excepta Damasco, atque Samaria. Huc accedit, quòd Aegyptus tunc affligebatur ab Assyrijs, vt ex vaticinijs Ieremiae, Isaiae, & Ezechielis constat. Quare potius standum videtur Dionysij Halicarnassei sententia, vtpote scripturae sacrae magis congruente.

Dionys. Halicar. lib. 1. antiq.

Sic enim ait: Antiquum illud Assyriorum imperium, retro ad fabulosa vsque pertingens tempora, modicam quandam Assyriae partem obtinuit· hoc in Medos translatum, & auctum etiam opibus, non longo durauit tempo-

D

re, in quartam aetatem desinens. Persae porrò Medis deuictis, Asia quidem paenè tota potiti sunt. Haec Dionysius. Cuius testimonium eo magis credibile fit, quod eodem tempore, quo Assyriorum imperium vsque adeò floruisse perhibetur, alia simul potentissima, & plurima imperia floruerint. Nam praeter illud Dauidicum, & Salomonicum, floruit etiam Syriacum, Babylonicum, Arabicum, & Aegyptiacum, quae omnia coangustaret necesse est angustum terrae solum. Verùm huic de Assyrijs neoterici cuiusdam sententiae, quae Assyriorum fines coarctare videtur, sese opponit Diodorus Siculus, non magnificentiam Assyriorum commendans, in quo falsitatis posset accusari,

Beroal. lib. 4 Chronic. Diod. Sicul. Laudantes facile falsitatis solent accusari.

E

quam facilè incurrunt laudibus, & encomijs studentes, non inquam laudans· sed commemorans eius gentis res gestas. Ait enim: Solùm memoratur auxilium Troianis ab Assyrijs missum: Dux praesidij Memnon Tithoni filius fuit. Theutamo enim in Asia regnante, qui vigesimus a Nino, atque Semiramide descendit, Agamemnonem tradunt aduersus Troiam cum Graecis bellum mouisse, cum Assyrij amplius mille annis Asiae imperassent. Cum verò Priamus bello oppressus, à Rege Theutamo praesidium, utpote Assyrijs subditus, per legatos postulasset, ille decem millia Aethiopum, totidemque Susianos cum ducentis curribus, duce Memnone ad Troiam misit. Ex quo quidem

testimonio hoc intelligere licet, imperij longam seriem à millesimo anno protractã, eiusque latã fuisse ditionem siquidẽ Asia potitus Theutamus dicitur, subditosque habuisse Troianos, Aethiopas, ac Susianos. Fuit autem Susiana Asiae regio, Persicae ditionis, quae à Septentrione terminatur Assyria, ab Occasu Babyloniae adiacet, ab Oriente habet Persidem, à Meridie partem Persici sinus. Neque his aduersatur allatũ Isaiae testimonium: neque enim commemorans debellatas gentes, propterea debuit enumerare haereditario maiorum iure acquisitas; maxime, cùm eae notissimae potuissent esse Ezechiae: sed eas tantùm, quae bello partae denuo erant: neque omnes oportuit, sed finitimas, ne longinquitas regionum fidem facti minueret, ac propterea terrorem non augeret, quem intendebat Sennacheribus. Quod autem Assyria fuerit Asiae regio, postea Adiabene dicta, probat Plinij testimonium. Barbari mutata S. in T. Attyriam eam vocant Dione teste, Niger eam ab indigenis Adinza appellari testatur.

Susiana quaenam sit regio, & qui eius fines. — *Plin. lib. 5. c. 12.* — *Dion.* — *Niger.*

Chelmad Hebraicè כלמד Chilmad à radice למד Lamad, quae discere, docere, assuescere, erudire significat. vt in Canticis: *Ad bella doctissimi*, vel assueti. Et apud Oseam. *Ephraim vitula docta diligere trituram*, assueta triturae. Et apud Ieremiam: *Onager assuetus in deserto*. Quapropter nonnulli locum hunc sic interpretantur ex Hebraeo *Saba, & Assur Chilmod*, hoc est, Saba, & Assur, quasi docti, periti negotiationis tuae: quasi dicat: Hi, qui exercitati, assuetique sunt negotiationi tuae, iugiter ad te veniendo, vt negotientur in nundinis tuis, *ipsi negotiatores tui*. Sic interpretatur hunc locum R. Ioseph Chimchi. Neque multum abest explicatio haec à textu vulgatae in codice Hieronymi: habet enim: *Assur Chelmad venditores tui*: nempe Assur assueti, vel docti venditores tui. Verùm in alijs codicibus, & praesertim, quia in Sixtiano (cui vt par est, plurimùm deferimus) *Assur, & Chelmad* habetur, quae coniunctio potius indicat nomen loci proprium, quàm quòd sit appellatiuum, propterea retinenda potius videtur Targhum Hierosolymitani interpretatio: quae sic habet. Prouinciae Assur, Medorumque, ipsae, vel potius habitantes illas, negotiatores tui. Eisdemque allatis rationibus Medi Chelmad vocabuntur venditores, hoc est, assueti venire ad nundinas Tyri.

Cant. 3. ℣. 8. — *Oseae 10. ℣ 11.* — *Ierem. 2. ℣. 24.* — *R. Ioseph Chimchi.* — *Targhum.*

XXIV. *Ipsi negotiatores tui multifariam inuolucris hyacinthi, &c.* Hieronymus: Habentque multifariam supellectilem, & incredibili varietate distinctam, quae inuolucris hyacinthi astricta est. Quod Hieronymus reddidit, multifariam, in Hebraeo habetur במכללים chemaclulim, à radice כלל calal, quae perfectam, vniuersalem, vel vniuersam significat. Quare hoc verbum significabit multitudinem, varietatem, & perfectionem mercium, quasi dicat: in omnimoda varietate perfectarum mercium. *inuolucris* Hebraicè בגלומי baglome à radice גלם galam, inuoluere, duplicare, vnde nomen deducitur, quod significat amictum, vestem, qua se homo inuoluit: pallium: vt in libris Regum: *& tulit Elias pallium suũ, & inuoluit*. Vulgo, inquit, R. Dauid appellatur קפא cappa. Sunt, qui exponunt inuolucra pannorum, aut vestium, vulgò Hispanis, & Italis vna balla. Quae quidem inuolucra hyacinthinis operiebantur pannis, quasi dicat, tantam fuisse mercatorum pompam, vt non solùm merces pretiosas adducerent, verum etiam tanto apparatu & sumptu exornatas, vt & ipsas vestes pretiosis inuolucris obuolutas, atque odoratis scrinijs, affabrè ex pretiosa materia elaboratis reconditas, funibus etiam sericis, hyacinthino colore, seu purpura infectis astrictas asportarent. Quae omnia ex editione Septuaginta persequitur Theodoretus, ea confirmans, quae suprà diximus: Saba, inquit, Indicam nationem appellat: comperimus enim hoc nomen in ipsius Sem genealogia, & Assur Asyrium, Charman verò eam, quae Carmaene nuncupatur, & illud in Machalim (Septuaginta eandem Hebraeam vocem, quam supra pro multifariam explicuimus, reddiderunt) & in Galima (Sic pro inuolucris Septuaginta reddunt) hyacinthum, & varietatem, & thesauros electos in Magozis compositos: Aquila ita interpretatus est: constructis inuolucris hyacinthi, & varietatis, & in Magozis compositis (& in Magozis) ab Hebraeo in Graecam linguam transtulit, significatque, in occultis vasis. Ita enim Syrus quoque in hanc sententiam interpretatus est. Statim autem sumptuosa, inquit, & varia pretiosis inuolucris contecta, & in vasis optimè instructis reposita, funiculisque deuincta tibi afferebantur. Hactenus Theodoretus.

Inuolucra hyacinthi, quae Hieron. — *2. Reg. 2. ℣. 8.* — *R. Dauid.* — *Theodoret.* — *Aquila.* — *Syrus.*

Cedros quoque. Septuaginta in hoc, & superiori loco cyparissum reddunt, licet in vtroque Hebraicè habeatur *erez*, cedrum potius significans: & quamuis cupressi proceritas, & rectitudo malo nauis non videatur inepta: tamen, quia facilè rumpitur, eius materies scrinijs, & alijs minutioribus operibus aptior est, quàm nauis malo.

De cedro verum. Cupressus aptior conficiendis scrinijs, aut alijs minutis operibus, quam nauis malo, & quare.

XXV. *Naues maris, principes tui in negotiatione tua.* Pro *maris*, Septuaginta reddunt, Tharsis, Hebraicam vocem retinentes, quam ita interpretatur Theodoretus: & ad negotiationem vsa es Carthaginiensium nauibus, infinitam habens multitudinem, non solùm domesticam, sed etiam aduentitiam. Significat his verbis, inquit Polychronius, rerum, quae comportabantur, copiam, vt ne iumentis quidem vterentur, sed nauibus. Scholiastes verò ait, hoc per praeteritionem dictum est, quasi dicat: praetereo Africae incolas, quàm multa, & quaenam hi quoque comportarent. De significatione verò, & acceptione vocis Tharsis, satis suprà à nobis actum est. Cùm autem frequens sit Hebraeis, genitiuo nominis substantiui vti pro adiectiuis, quibus ferè carent, *naues maris*, interpretari possumus: quasi dicat, marinas, quae mare nauigant, sicut in Psalmo: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum*, hoc est diuites, *in manibus suis*. Et in alio: *montem sanctificationis suae*, hoc est sanctum suum. *Principes tui.* In Hebraeo est, generis feminini שרות Sarot principes tuae: vt sensus sit, naues tuae, quibus vteris ad comportandas merces, sunt principes, seu praecipuae inter omnes naues, que vndequaque mare nauigant. Nec mirum, cùm & ipse Plinius non solùm Tyrios laudet, quippe peritissimos nautas, verùm etiam tamquam nauticae artis inuentores. Ait enim: ipsa gens Phoenicum in gloria magna (subintellige, fuit) litterarum inuentione, & siderum, naualiumque, ac bellicarum artium. Quidquid enim de tota prouincia dicitur, id suo iure Tyrus, totius prouinciae metropolis sibi vindicare posse videtur. Quare non est mirandum, si naues Tyri principatum tenerent inter omnes aliarum gentium naues, cum illic primùm sit earum aedificandarum ars excogitata. Verùm vulgata nostra potius ad significara per naues, nempe principes respexisse videtur. Principes enim sunt, quorum industriae, sollicitudini, & labori adscribendum est, quidquid vbertatis, quidquid mercium, quidquid

Tharsis pro Carthagine. — *Theodor.* — *Polychron.* — *Scholiast.* — *Supra ℣ 12.* — *Genitiuus substantiui pro adiectiuo.* — *Psal. 75. ℣ 6.* — *Psal. 77. ℣. 54.* — *Phoenices nauticae artis inuentores.* — *Plin. lib. 5. c. 13.* — *Principes Reipublicae quasi naues sunt onerariae.*

denique eorum, quae ad victum sunt necessaria, in vrbem conuehitur. Vel sensus est. Naues sunt principes tui, quibus diuitiarum copia, famulorum caterua, principatus gloria nullum alium in vsum seruiunt, quàm naui merces. Sicut enim illa non minus opprimitur auri, vel argenti pondere pressa, quàm ferri, vel plumbi: neque maiorem ex illis fructum, quàm ex istis decerpit: quocumque enim pondere grauetur, semper obiecta est fluctuum, procellarum, ac ventorum incursibus, ac tandem naufragio, & sui, & mercium iacturae, cum tamen sibi minimè sit vtilis asportatio mercium: ita & principibus auaritiae studentibus, diuitiae, honos, rerumque publicarum administratio graui ponderi est, non leuamini, aut consolationi, dicente Spiritu sancto: *Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole. diuitiae conseruatae in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima generauit filium, qui in summa egestate erit. Sicut egressus est nudus de vtero matris suae, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo* quo sustinuit videlicet diuitiarum pondus. *Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum*? quo agitabatur, vel *in ventum*, quo elisa, naufragium eius nauis passa est. Propterea, inquit Concilium Aquisgranense, eis, qui militant Deo, fugiendae sunt ex toto corde diuitiae: quas, qui habere volunt, sine labore non quaerunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Neque recensentur ibi omnia damna, cùm dicat Ecclesiasticus. *Multi dati sunt in auri casus*, vel in ruinam propter aurum, *& facta est in specie ipsius*, quòd eius specie, vel pulcritudine capti sunt, *perditio ipsorum: quibus procella tenebrarum seruata est in aeternum*. Praedictae interpretationi congruunt, quae sequuntur.

Diuitiarum studium graue, & periculosum.
Eccle. 5. ℣. 12. 13. 14. & 15.
Concil. Aquisgr. 2. c. 110.
Deo seruienti fugiendae sunt diuitiae, & quare.
Eccle. 31. ℣. 6.
Epist. Iudae ℣ 13.

Et repleta es, & glorificata. Hieronymus: Nihil, inquit, tibi defuit, quod ad diuitias pertinet insularum, quae tamen glorificatio fuit aggrauatio possidentis, dum non potes moderatè ferre diuitias. Theodoretus. Satietas, inquit, te ad exultandum induxit, perceptisque bonis, auctorem beneficiorum ignorasti. Hoc quoque nomine Israël accusauit. Comedit enim Iacob, inquit, & expletus est, & recalcitrauit dilectus: quia vero nihil ex tranquillitate vtilitatis percepisti, contrarijs te resipiscere docebo. Polychronius. Hoc est, saturabaris praesentibus bonis. Scholiastes. Vbique terrarum eras celebris, & appellentibus, & soluentibus, renunciantibus vrbis felicitatem. Septuaginta: Et repleta es, & aggrauata es nimis. Hebraicè ותמלאי ותכבדי vatimmalei vattichbedi, prior harum vocum deducitur à radice מלא male: quae implere, complere, perficere significat. In quo sensu vsus est ea Ieremias, dicens: *Idcirco furore Domini plenus sum, laboraui sustinens*. In tantum furore, indignatione, & zelo *Domini*, vel magno sum plenus, vt vix possim me continere, quin effundam illum. In simili significatione sumitur à Michea, dum dicit *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini*, hoc est spiritu Dei forti, qui cogit me quodammodo prorumpere, *vt annunciem Iacob scelus suum*. quasi *musto* efferuescente, quo *pleni* Apostoli, putabantur pleni inebriante vino. Sic Micheas. Targhum: Et vere ego repletus sum fortitudine spiritus prophetiae a facie Domini. Quare significabit haec vox non solum, quod plenum, & perfectum est, sed quod superabundanter

Hieron.
Quae prosperitate aegrotauit Tyrus, aduersitate curatur.
Theodor.
Polychr.
Scholiast.
Ierem. 6. ℣. 11.
Mich. 3. ℣. 8.
Act. 2. ℣. 13.
Targhum.

A plenum est, iamque prope est, vt effundatur. Vox altera deducitur à radice כבד cabad, quae graue esse, ingrauescere, aggrauari duritie, pondere, honore, vel gloria intensionem, & excellentiam eius, de quo dicitur, significat, vel in bonum, vel in malum. Et notandum, sicut verbum huic oppositum קלל kalal, quod leuitatem significat, transfertur ad significandam abiectionem, & contemptum: sic etiam verbum hoc cabad, quod propriè grauitatem sonat, ad gloriam, & honorem referri. Quapropter Septuaginta sic reddunt: Et aggrauata es nimis in corde maris; quos etiam interpretatur Hieronymus in commentarijs. Vtriusque significationis vnum, aut alterum exemplum, proferam. In

Leuis, pro abiecto, grauis, pro glorioso accipitur.
Hieron.

B Prouerbijs Sapientia loquitur, dicens: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram; nondum fontes aquarum eruperant*. Ex Hebraeo sic: Dum non essent fontes grauati aquis. R. Dauid. cum non essent fontes, cum nondum essent grauata aquis, vel potius grauedines, seu copiae aquarum. Et in Genesi *Erat autem* Abraham, *diues valde*. Ex Hebraeo: grauis valde *in possessione auri, & argenti*. Et in Prouerbijs. *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior*. Hinc fit כבוד cabod nomen, quod gloriam significat, quo vsus est Zacharias dicens: *Post gloriam misit me ad gentes, quae spoliauerunt vos*. Dauid Chimchi sic exponit: post omnes has prophetias, in gloriam, & in

Prou. 8. ℣. 24.
R. Dauid.
Gen. 13 ℣. 2.
Prou. 27. ℣. 3.
Zac. 2 ℣ 8.
R. Dauid Chimchi.

C magnitudinem, quasi dicat: Gloriae causa amplioris misit me, &c. Alij meliùs exponunt de Christo dicente, post gloriam regni Israëlitici, & cultus diuini, qui in illo vigebat: finitis his, misit me ad gentes. Et apud Ieremiam: *Populus verò meus mutauit gloriam suam*, Deum suum gloriosum, *in Idolum*. Ex dictis facilè colligitur loci nostri sensus, qui quidem gradus quosdam fecisse Tyrum ostendit ad naufragium. Ex eo enim, quòd ad cumulum vsque diuitiarum plena conscendit, statim descendere coepit. persistit in nauis allegoria, cui, si onera oneribus addas, ipsa aggrauata ad ima descendit, siue ad cor maris, & aquis multis oppressa submergitur: siue, sensus est, plena diuitiarum, & gloriae, naufragium sibi incauta parauit.

Post absolutam gloriam regni Israëlitici venit Christus.
Ierem. 2. ℣. 11.
Gradus quos descendit Tyrus versus naufragium.

D De vtraque abundantia diuitiarum, & gloriae, sapienter disserit Sophar Naamathites apud Iobum, dicens: *Hoc scio, à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritae ad instar puncti* Septuaginta: Laetitia impiorum ruina insignis: gaudium verò iniquorum est perditio. Haec igitur pertinent ad glorificationem Tyri cum alijs, quae sequuntur. Subdit verò, *cum satiatus fuerit*, vsus hoc eodem verbo מלא male: *arctabitur, aestuabit, & omnis dolor irruet super eũ*. Septuaginta: Cum putauerit se iam impletum esse, coarctabitur, omnis autem necessitas in eum superueniet: tales enim sunt humanae

Iob 20. ℣. 4. 5. & 22.

E felicitatis exitus. *In corde maris*, hoc est, plena, & aggrauata fuisti, dum existeres in medio maris, vel in alto mari. in medio marium legunt Hebraea, & Chaldaeus, quasi dicant, nauigans mundi maria. R. Dauid Chimchi sic interpretatur locum: Glorificata es nimis in corde maris, id est, mediante mari, glorificata, & repleta es diuitijs, quasi dicat, à corde maris, vel ab alto mari repleta es diuitijs, & gloria propter merces, quas ad te afferebant nautae maris.

R. Dauid Chimchi.

In aquis multis adduxerunt te remiges tui. R. Selomo sic interpretatur locum: Comparat Tyrum naui magnae: quae, quo maior est, ac plenior, eò magis in altum maris inuehitur: quae tandem vehe-

XXVI.
R. Selomo.
Ruina Tyri diuitiae fuerunt.

vehementi spiritu, ac tempestate turbata demergitur, ac frangitur: Sic Tyrus erat in medio maris, magna quidem, ac diues, plenaque omnibus bonis: quae agitata vehementi vento, ac tempestate, id est, à Nabuchodonosore submersa, ac confracta fuit. Causa igitur ruinae eius fuerunt diuitiae eius. Haec ille: Sed magis placet Patris Hieronymi Pradi interpretatio, in aquis, vel in aquas multas adduxerunt te remiges tui: quae quidem ad triremem potius pertinent, quàm ad nauim. Voluisti altum mare transfretare, cum esses triremis, nec sine magno tuo periculo. Quae, si superioribus annexa intelligantur, hunc sensum facient, quasi dicat: Confisa diuitijs, & gloria, quibus te plenam conspiciebas, ausa es in altum mare conscendere nihil timens, & tamen ventus Auster contriuit te, &c. Vel sensus est ad elationes maris referendus, indicans, quàm difficilem, quàm duram, quam omnibus humanis viribus superiorem prouinciam suscipiat is, qui gubernationem suscipit alicuius prouinciae, vel vrbis, quae in magna felicitate versatur: pondere enim diuitiarum, & gloriae, quasi nauis in medio mari aggrauata, siue inuidiae, atque hostium incursionibus exposita, submergi potius, quàm moueri, & in profundum tendere, quàm in portum deduci facilius potest.

Magnam, ac periculosam prouinciam suscipit, qui eam suscipit gubernandam, quae in magna felicitate versatur.

R. Dauid Chimchi. Quare R. Dauid Chimchi sic locum interpretatur: In aquis multis, hoc est, multas, ac varias tribulationes adduxerunt super te. *R. Ionathan.* Vel, vt Rabbi Ionathan habet: Quasi aquae multae, ascenderunt super te (remiges, seu gubernatores tui) & depraedati sunt substantiam tuam. *Chaldae.* Vel, vt Chaldaeus vertit: In aquis multis venerunt contra te, qui diripuerunt te. *Hieron.* Hieronymus ex Aradiorum, & Sidoniorum etymologia, qui suprà dicti sunt remiges Tyri, vocat eos venatores deponentes: venantur enim eorum animas, quas inter saeculi huius fluctus suo ducunt arbitrio: neque ad excelsa tollunt, sed in profunda demergunt. Neque imitantur eos, qui vsque ad matutinam vigiliam nauigantes, fregerunt insanos maris fluctus, & Dominum Saluatorem suscipere metuerunt, statimque tali vectore, & comite peruenerunt ad portum quietis. *In aquis.* Hebraicè במים bemaim. quae vox, licet singulari terminatione careat, tamen forma duali semper vsurpata, & expressius hoc loco videtur duplices aquas significare posse, nempè superiores nubium imbres, & inferiores fluctuum copias.

Aquae duplices.

Et quoniam quidam putant hoc nomen deductum à voce significante copiam, & abundantiam; ideo passim aquae pro symbolo copiae sumuntur. Quocirca & ad calamitatum, & malorum vim, quibus quis prematur, atque ad pericula multa, & magna, quae immineant, transferri solet, idque multas ob causas.

Aquae pro copia rerum sumuntur.

Aquae, quare pro miserijs, & calamitatibus accipiantur.

Primùm, quia aquae torrentis, aut maris, magno impetu irruentes, submergunt, absorbent, atque consumunt omnia viuentia. Deinde, quia aquis diluuij tota terra submersa, omnem decorem, & pulcritudinem amisit, viuentiaque omnia, paucis exceptis, periere. Postremò, quia si ad Israëlitas habeatur oratio: ipsis primum periculum, quod sine timore, & tremore vix recolere nunc posse videntur, fuit ex aquis maris rubri, quas instar montium ipsis imminentium à dextris, & à sinistris conspiciebant ad caelos vsque pertingere, ac minitari naufragium, quo mox absorbendi erant Aegyptij. Et hoc sensu interpretandus est psalmus, in quo Christus Dominus Patrem compellat, dicens:

Psal. 68. ✠. 2. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquae vsque ad animam meam.* Quem locum sic interpretatur Hilarius. Introeuntibus enim aquis vsque ad animam, subiectus morti crucis fiebat, cùm passionum vniuersarum impetus vsque ad mortem animae prorumperet; hoc est, vsque ad mortem, quia anima poneretur. *Hilarius.*

Significant item aquae, vt idem Hilarius, & Remigius tradunt, saeuientis populi turbam furentem. Quo sensu vsurpantur in alio psalmo, in quo alloquitur Dominum Psaltes, dicens: *Accinctus potentia, qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius turbabuntur gentes, & timebunt.*

Aquae aliquando saeuientis populi turbam furentem significant.

Remigius.

Ps. 64. ✠. 8.

Hieron. Quem locum sic reddidit Hieronymus iuxta Hebraea, & Chaldaea: Accinctus fortitudine, compescens sonitum maris, fremitum fluctuum eius, & multitudinem gentium: quasi dicat, non minus haec, quàm illa. Quae cùm ita sint, loci sententia talis erit. Multis incursibus, periculis, & calamitatibus agitatam, tum è caelo coortis, tum ab hominibus excitatis, *adduxerunt te remiges tui*, in aquas multas populorum, & militum Nabuchodonosoris, quos ad obsidionem tuam videbantur non solùm allicere, sed etiam trahere, abundantia, & diuitiarum copia, vnà cum affluentia omnium temporalium bonorum. Quasi verò ipsimet vrbis incolae, ministri, ac gubernatores, qui augendis vrbis opibus, splendori, ac fastui studebant, hoc eodem studio ciuitatem in hoc omnium maximum discrimen adduxerint: siquidem quò opulentior erat ciuitas, eo magis accensi milites fuere eam depraedandi desiderio. Quare meritò eosdem, quos remiges appellat, qui diuitias asportabant, naufragium attulisse testatur.

Diuitiarum copia in maximum discrimen ciuitates adducit.

Ventus Auster contriuit te in corde maris. Theodoretus: Per translationem Babylonium ita appellauit, quandò maximos excitare fluctus Auster consueuit, & difficilem contra nauigantes excitare tempestatem. Per translationem, quasi contra maritimam vrbem, Austrum vocat hostium incursum.

De vento Austro.

Theodor.

R. Dauid Chimchi. R. Dauid Chimchi. Ventus Austri contriuit te in corde maris, hoc est, tu, quae sita in corde maris, ac aedificata es, contereris vento australi: id est, naues tuae vento australi contererentur, iuxta illud. In spiritu australi conteres naues Tharsis. *Ps. 47. ✠. 8.*

Per ventum autem australem intelligit Nabuchodonosorem, quem vehementi vento comparat. Quo etiam modo habet Targhum Ionathae. Rex fortissimus instar venti australis confringet te in medio marium. *Targhum Ionathae.* Scholiastes. Quoniam, inquit, tamquam de naui loqui coepit de vrbe, meritò veluti persistens in tropo, vento Austro illam aït esse contritam: intelligit Nabuchodonosore. *Scholiast.* Polychronius: Tamquam in nauim malorum irruptio: persistit enim in metaphora, & à suis recedent muneribus ij, qui Rempublicam gerendam susceperant, & summa consilij inopia populus laborabit, & omnia, quae lugentium sunt propria, facient. *Polychron.* Hieronymus. Omnes diuitiae Tyri Austro flante dispereunt, qui significantius Hebraicè קדים chadim, Graecè καύσων causon exprimitur, quem nos ventum vrentem dicere possumus. *Hieron.*

Venus Auster pro vento vrenti.

Quam quidem vocem deductam putat Hieronymus à radice יקד iachad, quae vrere, vel comburere significat apud Isaiam: *Propter hoc, quia superbiuit Assyrius contra eum, qui dedit illi potestatem aduersus Hierusalem, mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem*, vel maciem, *& subtus gloriam*, hoc est, omne carum, pretiosum, & gloriosum, *eius succensa ardebit, quasi combustio ignis.* ex Hebraeo, vret vrendo, quasi combustio ignis: ter enim repetitur haec vox. Vel deduxit vocem à radice קדח chadach, quae accendi, succendi significat. Apud

Isai. 10. ✠. 16.

lere-

Ierem. 17. ✝. 4.

Ieremiam iratus Dominus contra Iudam, ait: *Et seruire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras, quoniam ignem succendisti in furore meo, vsque in aeternum ardebit* hoc est, non placabor, neque dimittã. Quapropter aptissimè vertit vulgatus hanc vocem, quasi significet uentum urentem, qua etiam ratione iterum eandem uocem reddidit eadem significatione. In Genesi enim, dum Pharao somnium suum enarrat Iosepho, ait: *aliae quoque septem spicae tenues percussae vredine*, Hebraice קדים cadim, quod somnium mox interpretatus Iosephus, ait: *& septem spicae tenues percussae vento vrente*. Quo loco interpretatus est vulgatus significationem vocis vredinis, quoniam eadem omnino uox repetitur in Hebraeo. Ventum autem urentem aptissimè interpretatus est Austrum, multa enim significat, quae locum hunc illustrant. Primum, quia excitatas procellas, tempestates, & naufragia Tyri significabat, optimè excitatas dixit procellas Austro, quem ab hauriendis aquis Latini dictum esse contendunt. Et Gellius eum etiam ait Graecè nominari νότον notum, quia est nebulosus, atque humectus. νοτὶς notis enim Graecè humor uocatur. Dicitur uerò urens, quod à Meridie flans, exurentis solis radios adducere uideatur. Neque huic sententiae aduersatur Virgilius, dicens:

Gen. 41. ✝. 6. & ✝ 22. & 23 & ✝. 27.

Quare ventus Auster dicatur vrens.

Auster dicitur ab hauriendis aquis.

Gell. noct. lib. 2. c. 22.

Frigidus vt quondam siluis immurmurat Auster.

Virgil. 4. Georg.

Auster, frigidus quare dicatur.

Vocat enim eum frigidum, propter frigidas, quas excitat, procellas. Et tandem, quoniam Nabuchodonosorem significabat, qui ab Austro, nempe ab excidio Hierusalem, quae sita erat ad Austrum, Tyrum veniebat. Quare non audiendus est Chaldaeus, vel Hebraei, qui ventum orientalem reddunt. Nam in Exodi verbis illis: *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte*. Septuaginta, non orientalem, sed Notum, hoc est, Austrum verterunt. Verum quàm aptè Propheta noster Tyrum naui comparauerit, eiusque ruinam naufragio, intellexere etiam profani scriptores. Cicero enim ad amicum sic scribit: Quamobrem, mi Quincte, conscende nobiscum, & quidem ad puppim: vna enim est iam bonorum omnium, quam quidem nos damus operam, vt rectam teneamus, vtinam prospero cursu: sed quicumque venti erunt, ars nostra certè non deerit. Et Horatius Rempublicam hortatur bellorum fluctibus agitatam, ne se, dijs iratis, committat fluctibus, dicens.

Exo. 14. ✝. 21.

Cic. lib. 12. epist. ad Q. Cornif.

Hor. lib. 1. od. 14.

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, vt
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennaeque gemant, ac sine funibus,
Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor? non tibi sunt integra lintea.
Non dij, quos iterum pressa voces malo.

XXVII. *Diuitiae tuae, & thesauri tui, & multiplex instrumentum tuum.* Hieronymus: Multi ita legunt: in corde maris diuitiae tuae &c. vt omnes Tyri diuitiae, & thesauri, vniuersaque substantia in corde maris sit posita, & saeculi fluctibus obruatur, nihilque habeant stabile habitatores eius, atque perpetuum impleto illo Euangelico: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. quae autem parasti, cuius erunt?* Polychronius: Quid lucratus es ex rerum copia, quae tibi affluit? quasi dicat, nihil.

Nihil stabile in hac vita.

Hieron.

Luc. 12. ✝. 20.

A *Multiplex instrumentum tuum.* Hebraicè מערב magharabech à radice ערב gharab, quae, vt suprà tractauimus, significat commercium, negotiationem; significat etiam res suaues, & gratas, vt apud Ieremiam. Facta enim de Christo Domino promissione, subdit: *Ideò quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis mihi* quasi dicat. postea quam vidi per somnium, Christum venturum, natum ex Virgine, qui inebriaturus erat omnem animam, lassam siti, & labore, euigilaui protinus, & recordatio talis somni dulcis, iucundissima, gratissima mihi fuit, vel potius, ipse somnus, quo mente conspiciebam haec, gratissimus, & omni suauitate fuit mihi plenus. Ex quibus verbis (quod obiter B notemus) manifestum est, quàm dulce sit diuinum consortium, quam suaue colloquium eius. Manifestum igitur fit, hac voce significari à Propheta pretiosissimas quasque merces, quas vendebat, atque emebat negotiatrix Tyrus, & eas, quas carissimas habebat, & ex quarum vsu maximam percipiebat voluptatem.

Sup. ✝ 9.

Ierem 31. ✝. 26

Dulcis Dei memoria, dulce colloquium

Cum vniuersa multitudine tua, quae est in medio tui. Hieronymus: Multitudinem autem tuam, quam commistionem Septuaginta transtulerunt, exceptis principibus vulgus significat, qui absque nomine dignitatum, simili iudicio conterentur. Haec Hieronymus. Hebraicè קהלך chehalech, quae uox ecclesiam, congregationemque significat ut in Leuitico *Quòd C si omnis turba Israel ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est*. Ex Hebraeo sic uertunt nonnulli: Quod si totus coetus Israël errore peccauerit, res uerò haec coetum latuerit, &c. expiabit se coetus ille. Septuaginta: Si autem omnis synagoga Israël ignorauerit (hoc est, peccauerit: peccatum enim ignorantia, siue inscitia quaedam est) non spontè, & latuerit uerbum ab oculis synagogae, &c. Quo loco discrimen innuitur inter קהל Cahal, & עדה ghdah, nempe, quod est inter partem, & totum: significat enim prior uox, de qua nunc agimus, omnem congregationem, complectentem singulas, & omnes congregationes populi: quasi diceret, iuuenum, senum, D virginum, principum, militum, mercatorum, sacerdotum, & ceteras: quae quidem omnes congregationes, quasi vna congregatio, *cadet in corde maris*. Scholiastes: cum dixisset sigillatim ipsis mala ventura, quod amplificantium est proprium, nec illam quidem omittit explicationem, quae syllepsi, ac breui complexione constat. Vult enim dicere, vt paucis complectar, quòd & aduenae, & ciues, & omnes. Synagogam verò indigenas appellat, remiges, ciuitatis magistratus, omnes autem adiecit: quoniam multi erant, qui rerum potiebantur, cùm alius alij vsui ad ciuitatis procurationem esset principi Tyri, hoc est, cum plurium opera vteretur Rex Tyri in administratione Reipu-E blicae. Hactenus Scholiastes. R. Dauid Chimchi: Diuitiae tuae, inquit, thesauri tui, & omnia, quae sequuntur, intendunt significare, quod scilicet, postquam Nabuchodonosor cepit Tyrum, iussit vniuersa vasa regionis illius colligi, & comportari in ciuitatem, animo scilicet transportandi ea in Babylonem. Rex autem cùm exercitu suo extra ciuitatem in tabernaculis commorabatur, quando ecce subitò mare inundauit ipsam ciuitatem: transportauitque vniuersam praedam, ac interfectos; puluerem quoque, & vniuersa vasa, quae erant in ipsa ciuitate: & sic, vbi antea ciuitas sita fuerat, nuda petra apparuit. Et hoc volunt verba illa significare. *Cadent in corde maris, in die ruinae tuae,*

Hieron.

Leuit. 4. ✝. 13.

Scholiast.

R. Dauid Chimchi.

id est,

id est, capta ciuitas submergetur cum vniuersa substantia, & habitatoribus in profundum maris. In quo quidem figmento satis ostendunt Rabbini, quam pingui, & crassa Minerua scripturas sacras interpretentur, cùm litteram, quae occidit, sectantes, excaecatos oculos ab omni veritatis lumine auertant. Quomodo enim mare inundaret praecelsum montem, cui insidebat ciuitas? Quòd si hoc diuinae prouidentiae miraculo, licet non necessario, quod impossibile non est, tribuant, quomodo victor Nabuchodonosor vrbem deseruit? & cùm Tyrus insula sit, quò discessit? habiturusne in continenti sub tabernaculis? cui commisisset vrbem sibi subditam? Quae omnia cum falsitatis manifestè arguant Chimchium, non tamen propterea eius protuli testimonium; sed quia hoc figmento ob oculos mentis posito, statum ruinae Tyri optimè cogitatione, ac mente percipere poterimus. Quod quidem vsui magnopere erit studiosè perpendenti, quae hic subdit Hieronymus: Mista prophetia est inter vrbem, & nauem, vt ex altero alterum intelligas: & tamen vtrumque ad consummationem saeculi pertineat, atque in naufragium.

Pingui Mineruâ interpretantur Rabbini scripturas, eas figmentis contaminantes.

Hieron. Consummationem mundi significari aliqui docēt consummatione Tyri.

XXVIII. *A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes*. Theodoretus ad haec addit, ita fore, vt obsessa, & capta vrbe, procul degentes gubernatores tui, multo terrore affecti, in fugam vertantur: eademque nautae faciant cum ijs, qui ad protam imperant, relictisque nauigijs lamentantes, & lugentes in terram descendant, & terram caput conculcent, atque in ipso solo recumbant, puluerem inde extergentes, capitaque capillorum spolient ornatu, saccisque induti, lamentari, & lugere perseuerent. Hieronymus verò multa de ijs, quae sequuntur, desiderati affirmat in editione Septuaginta: verùm addita fuisse ex Theodotionis editione, quae sic interpretatur: Quando Tyrus ceciderit, gubernatores illius turbabuntur, descendentque de classibus, & remiges, vectoresque, ac proretae, siue nautae, & vniuersi gubernatores maris iactati fluctibus, stabili aliquando consistent gradu, & eiulabunt super ea voce magna, quam prius suis locupletabant mercibus. His Prophetae verbis hi Patres arbitrantur significari miserabilem fortunam eorum, qui, dum Tyrus exstaret, omnium bonorum copia affluebant: qua quidem deleta omnes situ, & squalore confecti, desistentes ab omni mercatura, & commercio, iacent in puluere: quo quidem exemplo ob oculos posito, miserabilis Tyri casus exaggeratur. Consimili vsus est Ieremias argumento, dum ruinam Hierosolymae lugeret. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs, fame enecti, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*. quasi dicat, qui, dum staret ciuitas, non ad copiam tantùm, sed & ad luxum, & pompam lautissimè, ac splendidè epulabantur, capta deinde ciuitate, in tantam inopiae miseriam deuenere, vt prae fame in vijs, & compitis exanimes iaceant, ac tandem prae indigentia pereant. Qui autem pretiosissimis, ac delicatissimis vestibus, non tam necessitati, quam voluptati deseruiebant, vastata vrbe humi iacere coeperunt, super stercora cubantes, quorum calore naturali indigentiae frigoris, & nuditatis satisfacere se posse putabant, quae ita experebant, vt oblata occasione, quasi carissimas vestes, stercora ipsa iacentes complecterentur. Et quidem huiusmodi mala, ac si quae sunt peiora, incolis, & gubernatoribus Tyri accidisse, nemo est, qui dubitet. Verùm, an hoc tantùm significet textus, vel aliquid

Hieron.

Thren. 4. ℣. 5. Amplexati stercora quid significet.

A aliud praeterea, hoc non dubitandum, sed examinandum videtur. Et primò, quid *gubernatorum* vox iterata significet, inquirendum. Ea verò Hebraeis dicitur חבל chobel, qua vsus est Ionas, dicens: *Et accessit ad eum* רבח חבל rabah chobel: *gubernator, & dixit ei, quid tu sopore deprimeris*? R. Dauid: Erat, inquit, maior, seu supremus nauis, qui constitutus erat super חבלי chable, hoc est, funes nauis, vt eam rectè regeret, quasi funarium diceres. Significat enim vox sua origine constringere funibus, vel doloribus. quod vtrumque significat ea vox in psalmo: ait enim: *Circumdederunt me dolores*, seu funes *mortis, & pericula inferni inuenerunt me*. Ad vtramque verò significationem vocis respexisse videtur Petrus, dum ait B de Christo Domino: *quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni*, solutis funibus, vel vinculis, quibus mors, sepulcrum, aut ipse infernus, in quem victor descendit, constringere illum poterant. Et quoniam à naui ad Rempublicam transfertur, gubernator dicetur quasi funarius, hoc est, qui sollicitam curam agit funium, hoc est legum, quibus ciues, quasi vinculis constringuntur, & continentur in officio, vel dolorum, ac poenarum, quibus arcentur à scelere. Propterea dixit Sapiens. *Intelligens gubernacula possidebit*: qui scit constringere, & ligare, aut curam funium habere, ille gubernationi est aptus. Quidam interpretantur, consilia, C aut cogitationes possidebit, sed non consequenter. Atque alibi idem Sapiens manifestat, quantum huius generis hominum indigeat populus, dicens: *Vbi nō est gubernator, populus corruet*. Iam verò ad interpretationem nostri textus redeuntes: *A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes*, ob oculos legentium ponit Propheta omnia, quae in vehementi tempestate accidere solent periturae naui. Gubernatores enim, quasi è specula prospicientes periculi magnitudinem, neque se prouidente satis posse existimantes, consilij inopes vociferantur, clamant, lamentantur, praecipiunt nemine obsequente, nemine, quid dicant, auscultante; quoniam singulorum iam res agitur, non nauis, cu- D ius est desperata iam salus. *A sonitu* ergò, vel à voce, eadem est enim Hebraea vox קול Chol, quae apud Ezechielem; *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarū, quasi sonum sublimis Dei*, subintellige tonantis, *cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum*. Quo loco eadem vox saepius iteratur *clamoris* זעקה zaghacah, quae clamorem ex animi angore ortum significat, vt in psalmo: *Clamaui ad te Domine: dixi tu es spes mea*, cùm essem omni alia spe destitutus. *A sonitu* ergò *clamoris conturbabuntur classes*, sibi damnum simile pertimescentes.

Vnde dicatur nauis gubernator. Ionae 1. ℣. 6.

R. Dauid lib. radic.

Ps. 17. ℣. 5.

Act. 2. ℣. 24.

Gubernator quasi gerens curam funium, quibus ciues continentur in officio, & arcentur à scelere.

Prou. 1. ℣. 5.

Prou. 11. ℣. 14.

Ezech. 1. ℣. 24.

Ps. 141. ℣. 6.

XXIX. *Et descendent de nauibus suis*: non de tuis, quia de vicinis nauibus sermo est, *omnes qui tenebant re-* E *mum, nautae, & vniuersi gubernatores maris in terra stabunt*, &c. Exaggerat ruinam Tyri, naufragium commemorans, vt persistat in instituta allegoria. Obstupefactae conturbabuntur classes, & quotquot illarum curam gerebant, uel eius ministeria exercebant, in summa miseria vile tugurium incolere uolent potius, quàm in mari gubernacula possidere. R. Dauid Chimchi: A sonitu gubernatorum tuorum turbabuntur uillae, id est, villae tuae, quae sunt in terra, audita ruina, ac desolatione tua, turbabuntur: & nautae in terra stabunt. R. Salomon: Nescientes quo tendere debeant: uel post destructionem tuam omnes nautae, ac negotiatores, qui cum suis mercibus ad te ueniebant,

Quàm sit terribilis Tyri ruina ab adiunctis declarat.

R. Dauid Chimchi.

R. Salomon.

bant, in terra ſtabunt, id eſt, non nauigabunt amplius, cùm non ſit futura ulla ciuitas tui ſimilis in negotiatione, & mercatura: quare deinceps in terra, non amplius in mari negotiationi uacabunt. Haec Rabbini. Vel ſenſus eſt, tantum fore ſonitum, clamoremque ruentis Tyri, ut uicinae gentes obſtupeſcant, & conturbentur. Simile quiddam ſignificare Dominus uoluit, dicens Samueli. *Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicumque audierit, tinnient ambae aures eius.*

1. Reg. 3. ℣. 11.

Sumpta translatio eſt ab eo, qui repente audit aliquod cymbalum, uel tormentum bellicum, aut tonitruum magnum: uehemens enim ille ſonus, aut aër commotus ſenſum auditus uerberans, non ſolum audientem conturbat, uerùm etiam tinnitum diu durantem in auribus excitat, ex quo poſtea ſequuntur affectus, timoris primùm, quales ſunt praedicti, *deſcendent de nauibus, & in terra ſtabunt.* Quod alia phraſi expreſſit Iſaias, dicens. *Tacete habitatores inſulae*, ſiue inſularum: hoc eſt, quieſcite, abdicate uos mercatura, & nauigatione.

Iſai. 23. ℣. 2.

Alij quoque ſequuntur affectus commiſerationis uerſus miſeram Tyrum, talia ſufferentem, quos indicant ſequentia, eoſque manifeſtauit Iſaias, dicens: *Vlulate naues maris, quia vaſtata eſt domus, vnde venire conſueuerant naues.*

Non eſt ridendum, aut inſultadum miſeris, ſed timendum, & dolendum.

Verùm quoniam utriuſque humani affectus oblita Sidon, potius uidebatur inſultaſſe Tyro, ac ſine ulla commiſeratione riſum mouiſſe, excitare illam conatur Iſaias, ut ſibi timeat, & infelicis ſororis miſereatur, dicens. *Erubeſce Sidon, ait enim mare, fortitudo maris dicens.*

Ibid. ℣. 4.

Tyrum inducit loquentem, eamque mare compellat, & fortitudinem, ſeu arcem maris, quòd loco eſſet ſita maritimo, & arte, ac natura munitiſsimo: uel potius ad hoc naufragium Tyri alludens, non Tyrum, ſed mare, in cuius corde ſubmerſa iacet munitiſsima Tyrus, pro ea loquens inducit, dicens: *Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines.* Quem locum alioqui difficilem aptiſsimè interpretatur Pintus, dicens Hebraeam particulam לא lo, hoc loco interrogantis eſſe, non negantis, quam in hunc ſenſum uertit vulgarius in libro Iob: *Nonne diſſimulaui? nonne ſilui? nonne quieui?* quae quidem interpretatio non eſt aliena à Latina phraſi: Cicero enim ea uſus eſt, dum ait: Non ager Picenus amiſſus? non patefactum iter ad urbem? hoc eſt, nonne amiſſus? nonne patefactum?

Hect. Pint. in Iſai.

Iob 3. ℣. 26.

Cic. At.

Quamobrem erit loci ſenſus ita, ut Tyrus feminam agens, dicat. *Nonne* uehementer dolens *parturiui?* hoc enim ſignificat Hebraea uox, *non* ne *peperi?* & tamquam uera mater filios edidi? omnes ne mei ciues exteri ſunt, & alienigenae, a quibus deſtituta perierim? *non* ne *enutriui iuuenes* electos ad bellum, qui amore patriae fortiſsimè decertarent pro me? nonne *ad incrementum perduxi virgines*, quas defenderent viri bellatores, qui forti animo mortem potius eligerent, quàm eas paterentur hoſtium praedae, atque ignominiae patere? Si ergò ego maris quondam inſula, tot fortiſsimorum militum mater, atque omnium tum meis, tum exterorum munita praeſidijs, tam miſerè corrui, ne efferaris uicina Sidon, mihi crede, & quòd ad me attinet, miſericordia commouearis: quòd ad te, tibi ſollicitè caue. Quae quidem hortationis uerba non Tyro tantùm dicta, ſed cuicumque urbi regionum mundi: immò uerò unicuique noſtrum dicta, & maximè perpendenda crediderim.

Aliorum ruina nos cautiores reddit.

Hoc itaque feciſſe dicuntur nautae, remiges, & gubernatores claſsium, quicumque interfuerunt naufragio. ſibi enim prae-

A cauentes, deſcenderunt de nauibus, & in terra ſteterunt. Quae autem ſequuntur, ad miſericordiam, & ſympathiam pertinent.

Et eiulabunt ſuper te voce magna. Tanto miſericordiae ſenſu tangentur eorum corda, ut, cùm uim doloris continere non poſsint, prorumpant in gemitus, & clamores. Et audire facient ſuper te uocem ſuam, reddunt ex Hebraeo nonnulli. Etenim vox Hebraeit id eleganti phraſi ſignificat, quod ex magna, contentaque uoce profertur, ita ut uel ab ijs, qui procul abſunt, audiri queat: ut in libro Iſaiae: *Et auditam faciet Dominus*, audiri faciet, *gloriam*, maieſtatem, uel fortitudinem, clarionem, uel contentionem diceres *vocis ſuae*, ut ex Hebraeo

Iſai. 30. ℣. 30.

Auditam facere vocem quid ſignificet.

B uertitur, fulgetro, & imbre, *& lapide grandinis*: quaſi dicat, uſque adeo extollit Deus ualidiſſimam tonitrui ſui uocem, ut audiri poſsit ab omnibus, tum qui procul, tum qui prope, non minus a uigilantibus, quàm à dormientibus, id enim omne ſignificat, auditam facere vocem. *Et clamabunt amarè*, conceptum animi dolorem exprimentes, nec voce tantum, ſed etiam lacrymis, & gemitibus doloris ſigna proferent: ſed multò magis factis. propterea ſubdit.

Et ſuperiacient puluerem capitibus ſuis, & cinere conſpergentur. Quae quidem maximi moeroris ſigna ſunt. quapropter & paenitentiam agentium affirmat Hieronymus eſſe propria. Quod quidem

Hieron.

C legentibus ſcripturas ſacras ita manifeſtum eſt, vt confirmatione non egeat. Verùm cogitanti mihi, quam ob cauſam aſperſus capiti puluis, vel cinis, paenitentiam oſtendat, vel excitet, hoc unum ſeſe obtulit: duo potiſſimum in paenitentia ſpectari, ut offenſus Deus placetur, & homo a peccato reuocetur. Quod ad primum attinet. cum miſer mortalis homo puluerem, uel cinerem capiti ſuo aſpergit, ſuam originem, & quid etiam de ſe futurum ſit, Deo ex alto proſpicienti oſtendit, quò diuinam miſericordiam erga miſerrimum, & puluerulentum hominem excitet.

Cinis, vel puluis aſperſus paenitentiae ſignum, & quare.

Duo paenitentia intédit.

Cinis in capite noſtram miſeria Deo oſtendit.

Hoc ualidiſsimo argumento diuinam implorabat opem ſanctus Iob, dicens: *Memento quaeſo, quòd ſicut lutum feceris me*, ex puluere coagmentatum, *& in puluerem reduces me.* Et iterum: *Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillae, & cineri.*

Iob 10. ℣. 9.

D

& 30. ℣. 19.

Hoc etiam uſae ſunt orationis rhetorico colore ſanctae mulieres, Iudith, & Eſther, aſpergentes cinerem capitibus ſuis. Eodem & Niniuitae, & miſeram Hieroſolymae ruinam dolentes, quae *conſperſerunt cinere capita ſua, virgines Hieruſalem.* Idemque de noſtris Tyrijs, & uicinis Sidonijs affirmat Chriſtus Dominus: ſi in illis factae fuiſſent uirtutes, quae in Corozain, uel Bethſaida factae fuerant, *olim in cinere, & cilicio paenitentiam* fuiſſe facturas.

Iudith 9. ℣. 1.

Eſther 14. ℣. 2.

Ionae 3. ℣. 5 & 6.

Thren. 2. ℣. 10.

Luc. 10. ℣. 13.

Et hoc quidem facto condonatio delicti, ac miſericordia facilè impetratur à Deo, ſi quis faciat, quod in ſe eſt. quod ut faciat,

E aſpergat cinere, uel puluere caput, quaſi tollens de puluere ruinae Tyri, uel de cinere, aut fauillas, in quam redactae ſunt illius merces; & gloria, & imponens capiti, cogitet ad ſe conſimilis exitus memoriam pertinere. Neque Tyri tantùm, ſed & omnium praeteritorum principum, in quorum tumulis Auſonius refert inſcriptum tale carmen:

Cinis in capite conſimilis exitus memoriam inducat.

Ductores quondam, puluis, & vmbra ſumus.

Auſon. in Heroum tumul. 17

Ante ipſum uero Horatius alio carmine.

— Nos vbi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo Tullus diues, & Ancus:
Puluis, & vmbra ſumus.

Hor. carm. lib. 4. od. 7.

Et Lucanus:

Capit omnia tellus,

Lucan. lib. 7. belli ciu.

Quae

Quae genuit.

Cic. lib. 3. Tusc. Basil. in homil.

Et Cicero Euripidis carmen citans, ait, reddenda est terra terrae. Quocirca Basilius: Vbi iam dic, qui ciuitatum magistratus amplissimos capessebant? vbinam illi inexpugnabiles, atque inuicti rhetores? vbi item, qui praeclarè adeo statuerunt, ac benemeriti sunt de publicis istis conuentibus? quò abierunt illustres hippotrophi? hoc est equorum nutritores: vbi duces sunt exercituum? vbi satrapae? denique tyranni quò concesserunt? non omnia puluis? non sunt in fabulam versa omnia? Memoria vitae istorum in quam paucis ossibus retinetur? in horum sepulcra deflecte parumper oculos, possene te speras discernere inter famulum, & dominum? inter pauperem, B & diuitem? discerne, si qua suppetit vis discernendi, inter vinctum, & eum à quo vinctus erat Regem, inter robustum, & debilem: inter eleganti quadam forma praeditum, & deformem. Haec ille. Quae omnia, vt assiduè mortis memoriam recolamus, hortantur. Nec sacra solum, sed & profana philosophorum scripta audiamus. Cicero enim: Tota philosophorum, inquit, vita, vt ait Socrates, commentatio mortis est. Et Diogenes de Democrito sic scribit: Saepe solitarius viuens, atque etiam sepulcra incolens.

Cic. lib. 1. Tusc.

Diog. Laert. lib. 9. vitae philosoph.

Duplex affectus aspersione cineris, & pulueris excitatur in homine.

Puluis capiti propter Tyrum aspersus, eius ruinae communicationem quandam indicat.

Duplex ergo affectus exprimitur puluere, & cinere. Primus misericordiae erga miseram Tyrum, quae praecipitata corruens, in puluerem redacta erat. Nam pulueris aspersio eiusdem damni communicationem quandam importat, quae solatium aliquod miseris afferre solet. Hac primùm ratione Iobum consolabantur amici: cùm enim vidissent eum scissis vestimentis, tonso capite corruisse in terram, puluereque respersum, non symbolo, sed verè dicentem: *Nudus egressus sum de vtero matris meae, & nudus reuertar illuc:* ipsi quoque *exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in caelum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Alter affectus, erga se ipsum diuinam misericordiam implorans, eiusque indignationem placans, optimè puluere, & cinere indicatur: duo enim mala, quasi cuidam vrbi, minatur vnicuique Deus, incendium, & ruinam, prout videre est in Isaiae allato loco: *Auditam faciet Dominus gloriam vocis suae, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis: allidet in turbine, & lapide grandinis.* Contra haec autem potentissima diuini brachij tela, scutum, & galeam adinuenit humana miseria, nempe cineres, quos non amplius comburit ignis, & puluerem, quem non comminuit turbo, neque conterit grando: nempe propriae abiectionis, ac miseriae assiduam meditationem, quam Deo sibi irato commemorabat sapientissimus Iob, dicens: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* Et iterum: *Ecce nunc in puluere dormiam; & si manè me quaesieris, non subsistam.* Quòd si adhuc intumescat puluerulentus peccator, adhuc timeat, erit enim *tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terrae* hoc enim pulueri superest, vt dispergatur. Idem mos omnino fuit gentibus, teste Luciano, probaturque Homeri testimonio, apud quem Achilles, audita morte Patrocli, cinere caput aspersit. Et iterum ait: ——*nunc perpexis in pectore barbis*
Verrere humum, nunc foedantes in puluere crinem.

Iob 1. ℣. 21. & cap. 2. ℣. 12 & 13.

Pulueris, aut cineris aspersio diuinam prouocat misericordiam, iram placat.

Isai. 30. ℣. 30.

Iob 13. ℣. 25.

Et cap. 7. ℣. 21.

Ps. 1. ℣. 4.

Lucia. libel. de luctu.

Hom. lib. 18. Ilia.

A Et apud Catullum:

Caniciem terra, atque infuso puluere foedans.

Et Virgilius:

Caniciem multo deformat puluere.

Catull. in Argonau. Virgil. 10. Aenei.

XXXI. *Et radent super te caluitium:* radere, & caluitium, verbo, & nomini ex eodem verbo deducto, respondet in textu Hebraeo קרח charach, quae vox significat forcipe crines remouere. est enim longè aliud nomen, significans eum, qui natura caluus est. Quare aptissimè vim vocis exprimens vulgatus, radere caluitium vertit, quam optimè interpretatur ipse Hieronymus, dicens: Radentque super Tyrum caput, & facient caluitium: quod in luctu fieri solet eo tempore, quo magnitudo doloB ris omnem exclusit laetitiam. Lucianus enim narrat in more fuisse positum apud antiquos, cùm intestino dolore premerentur, comam vellere. Et Suetonius sic scribit: Quin & barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque aduersus nos bellum esset, velut in domestico, communique moerore consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus. Et Herodotus ait lugentes Masistij mortem, seipsos, & equos, & iumenta totondisse. Et Plutarchus refert Alexandrum in luctu Hephaestionis mortui equos, mulosque totondisse, & finitimarum vrbium pinnacula diruisse. Cuius quidem consuetudinis, quamquam sapienter à Patre HieC ronymo Prado, & ab Antonio Gueuara, testimonia, & rationes allatae sint, ita vt vix quidquam, vel addi, vel exoptari aliud posse videatur: tamen eam loci interpretationem, quam Theodoretus commemorat, referre non pigebit, quoniam totum hunc lugentium morem illustrat. Est autem huiusmodi: Capitis insigne ornamentum, nempe capillos deponunt, quo se miseros inter sordida exprobratorum hominum consortia annumerandos deinceps fore profiteantur. Haec ille. Cuius rationem reddit Ouidius sic scribens:

Hieron.

Lucian. lib. de luctu.

Sueto in Caligula c. 5.

Hero lib. 9. vbi de morte Masistij. Plut. in vita Alex.

P. Hieron. Prad. super Ezech 24. ℣. 17.

Anto Gueuara super Habacuc 3. ℣. 13.

Theodor.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus;
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Ouid.

Et auctor est Beda, tondere caput ideo ab Ecclesia D fuisse receptum, vt quod antiquitùs probro dabatur, & ignominiae apud gentes, honori, ac decori haberetur sacerdotibus suis. Nam Petro Apostolorum principi, cùm Antiochiae praedicaret, caput ab impijs abrasum fuit, vt cunctis ludibrio foret. Idemque Eliseo obiectum fuit ab exprobrantibus pueris, & dicentibus: *Ascende calue, ascende calue:* quod scelus atroci morte vindicauit mox Deus. Et vsque adeo abominabantur Hebraei caluitiem, vt eos, qui natura caluescunt, iudicauerit Deus lege vindicandos ab infamia, dicens: *Vir, de cuius capite capilli fluunt, caluus, & mundus est:* quasi dicat, non proprerea immundus, quia caluus, nisi fortè ex leprae morbo caluus fit, vt mox eius signa E subdit. Quae verò de cinere, & capitis rasura diximus, eadem propè omnia ad cilicia quoque pertinere putamus.

Quare in Ecclesia caput radatur sacerdotibus.

4. Reg. 2. ℣. 23.

Leu. 13. ℣. 40.

Et accingentur cilicijs; quae ex pilis camelorum, vel caprarum texebantur, quorum vsum, bellicis machinis, ab ignibus praesertim tuendis aptissimum fuisse tradunt Vitruuius, Seruius, & Asconius. Quod innuit Cicero, dum dicit: cum iste coria, cilicia, saccos imperaret, & cetera. Quibus adde, dicta fuisse cilicia à Cilicibus, apud quos primum confecta sunt, vt auctor est Varro. Quare aptissimè etiam à diuinae vindictae iaculis, ac missilibus, cilicijs se tuentur peccatores, vt, qui vixerant, inquit Hieronymus, in delicijs, postea paenitentes

Cilicij vsus in bello.

Vitr. lib. 10. c. ult. Seru. Geor. 3. Ascon. Pedianus lib. 3. in actio. Cic. in Verr. Varr. lib. 2. de re rust.

nitentes viuant in austeritate, atque duritia. Hic enim est primus cilicij effectus, maximè si ad carnem intrinsecùs vestiatur, sicut fecisse dicitur Ioram Rex Israël, cùm Benadad Rex Syriae obsideret Samariam, essetque tam magna fames in ea, vt coxerint mulieres filios ad vescendum. *Quod cùm audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum, viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Alius effectus est, vt moeroris, luctus, atque tristitiae signum sit: de quo in psalmo. *Conscidisti saccum meum,* hoc est, vestes lugubres, *& circumdedisti me laetitia.* Pro eodem autem accipiuntur in sacris, saccus, & cilicium: quoniam eadem voce Hebrea שק sac, ambo significantur. Hebraeam vocem, quod mirandum est, quamplurimae nationum linguae vsurpant. Graeca enim, Germanica, Belgica, Gallica, Italica, & Hispanica consimili voce saccum nominant. Est autem saccus squalida, ac sordida vestis, qualis moestos decet. Propterea Cicero ferè semper luctum cum squalore coniungit, dicens, ne illius luctum, squaloremque aspicerem. Et iterum: Aspicite, Iudices, squalorem, sordesque sociorum, spectaculum sordidum, atque luctus. Erat autem Romanis huiusmodi vestis, dicta pulla, propter terreum colorem: quocirca idem Cicero ait: Atque etiam id a te scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arrhij familiaris mei cum toga pulla accumberes? & subdit: Quis vnquam cenauit atratus, cum ipse epuli dominus Quinctus Arrhius albatus esset? Huiusmodi crimine accusabatur homo ille, cui dictum fuit in Euangelio *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* hoc est candidam. Propterea *dixit Rex ministris, ligatis manibus, et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, et stridor dentium* erat enim malum omen, lugubrem vestem nuptijs inferre. Ratio autem, vt dixi, propter quam erat lugubre hoc vestimenti genus, ea potissimùm erat, quia eo vtebantur vilissimi, & abiectissimi homines. Suetonius enim refert de Augusto in hunc modum. Militem secreuit à populo, multis è plebe proprios ordines assignauit, praetextis cuneum suum, & proximum paedagogis, sanxitque, ne quis pullatorum media cauea sederet. Et Quinctilianus ait: Iam collidere manus, terrae pedem incutere, femur, pectus, frontem caedere, mirè ad pullatum circulum facit, hoc est, ad cumulum hominum abiectissimorum. Qui quidem mos apud antiquos inoleuit, vt funus sequeretur vestitus pullus. Homerus enim tradit Thetim adituram Iouem, cum Achillem filium breui ad Troiam periturum deploraret, sese velo nigerrimo operuisse. Et Crassus ille diues muraenam in piscina domus mortuam atratus, tamquam filiam luxit, vt scribit Macrobius, de quo videndus est Aelianus, & Apuleius. At praetextam pullam induere nulli alij licebat, nisi ei, qui funus faciebat.

4. Reg 6. ℣ 30.
Cilicium moeroris signum.
Psal. 29. ℣. 12.
Saccus, & cilicium pro eodem accipiuntur in sacris.
Sac vox Hebraea pluribus gentibus communis.
Saccus quid sit
Cic. ad Att. & pro Cluē.
Vestis pulla, quae.
Cic. in Vatin.
Matt. 22. ℣. 12. & 25.
Quale crimen nuptias adire sine veste nuptiali.
Suet. in Augu.
Quinct. lib. 2. c. 13.
Homer. lib. 18 Iliad.
Macr. li. 3. Satur. c. 15.
Ael lib de nat. ani c 4.
Apul. lib 5. meta. & 7.
Sext. Pomp. lib 14.

XXXII.
De carmine lugubri.

Et assument super te carmen lugubre. Cuius mentio est in Euangelio: cum enim vocatus Dominus ab Archisynagogo, vt morituram puellam sanaret, eamque iam mortuam rescituisset in via: *Cum venisset,* inquit Euangelista, *in domum principis, et vidisset tibicines, et turbam tumultuantem.* Vbi Chrysostomus ait: tibicines, & tumultum, mortis demonstrationem appellat, more enim veteri tibicines ad excitandos luctus in mortuis ferebantur adhiberi. Verùm huius lugubris cantus mentio cernitur in Ieremia: *Vocate,* ait Dominus, *lamen-*

Matt. 9. ℣. 23.
Chrysost. in Matth.
Ambros. in Luc. 8.
Ierem. 9. ℣. 17. & seq.

A *tatrices, vt veniant et ad eas, quae sapientes sunt, mittite, et properent, festinent, et assumant super nos lamentum, deducant oculi nostri lacrymas, & palpebrae nostrae defluant aquis,* hoc est carmen, quod repeti solebat ad singulos lamentationis versus, prout in cantico laudis iterabantur illa verba: *Quoniam in saeculum misericordia eius. Quia vox lamentationis audita est de Sion: quomodo vastati sumus, et confusi uehementer? quia dereliquimus terram, quoniam deiecta sunt tabernacula nostra.* Haec ad reliquum carminis videntur pertinere. *Audite ergo mulieres uerbum Domini: & assumant aures uestrae sermonem oris eius, et docete filias uestras lamentum, et unaquaeque proximam suam* B *planctum, quia ascendit mors per fenestras nostras,* velut fur, *ingressa est domos nostras, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis.* Qui quidem locus Ieremiae sic apertè declarat omnia, quae in hoc ritu contingebant, vt nihil amplius desiderari posse videatur. Ibi enim, & a quibus caneretur, & qua de causa, & quale carmen caneretur, omnia sigillatim habentur expressa. Quare nihil aliud mihi superest tractandum, quam, cui etiam genti idem mos obseruatus fuerit, & nomen carminis, ac mulierum cantantium. Quod ad primum spectat, Alexander de Romanis recenset his verbis. Lecto igitur constrato purpura, aut linteis splendentibus, & in eo defuncti corpore locato, post vltimam con- C clamationem, tibicine praecedente, qui naeniam funebrem, qua laudes defuncti, & facta recensebat, tum pudorem, integritatem, & fidem, non saltabundus vt olim, sed stans Phrygio modulo caneret, funus procedebat. Et subdit. Praeficas, quae luctui praeessent, aduocare, vel pretio conducere solebant, quae cantu, & funebri carmine lamentarentur, vitamque, & praeclara gesta, summasque virtutes non sine miseratione laudarent. Quas quidem naenias Graecis in luctu saepe decantari inuenimus, qui apio coronati, defuncti laudes recensere carmine, quod ἰάλεμον ialemon vocant, & res memoratu dignas, claro praeconio celebrare assueuerant. Haec ille. Quae disertè notationi- D bus illustrat Tiraquellus. Festus item Pompeius, Naenia, inquit, est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Et Diomedes: Id carmen, quod cum lamentatione extremum, atque vltimum mortuo adcanitur, naenia dicitur. Nonius: Naenia ineptum, & inconditum carmen, quod adducta mulier, quae praefica dicitur, ijs, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet: citatque illud Varronis, dicentis. Ibi à muliere, quae obtusa voce esset, perquam laudari, deinde naeniam cantari solitam ad tibias, & fides. Huius meminit Horatius sic scribens:

Sed ne relictis musa procax iocis
Ceae retractes munera naeniae.

E Fuit autem Simonides Graecus poeta lyricus, primus inuentor huius carminis, a Cea insula oriundus, ac propterea Cea naenia dicitur. Cicero etiam eius meminit, dicens. Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen naeniae: quo vocabulo etiam Graeco cantus lugubres vocantur. Et Ouidius:

Ducit supremos naenia nulla choros.

Qui potius ad deam Naeniam respicere videtur, quam ad cantum. De modulo tandem Phrygio, quo naeniae canebantur, agit Apuleius ex Luciano, cuius haec sunt verba. Vniuscuiusque harmoniae seruare proprietatem Phrygiae diuinum impetum.

Psal. 105. ℣ 1. & Dan. 3. ℣. 89.
Graeci ac Romani lugubres cantilenas funeribus exhibebant.
Alex. ab Alex. lib. 3. Genial. c. 7.
Praeficae lugubre carmen canebant.
Tiraq. ibi.
Fest. Pomp.
Diom. Grammaticus.
Non. Marcell.
Varro lib. 4. de vit. pop. Rom.
Hora lib. 2. car. Od. 1.
Cic. 2. de legibus.
Ouid. 6. Fast.
Quo modulo caneretur naenia.

Apul. lib. 1. Florid. & 8. Lucian. in Harmonid. Arist. 8. Polit. c. 5. & 7. Poll. lib. 4. c. 9. & 10. Plin. lib. 2. c. 22. Cens. de die natal. c. 26.

petum; Apuleius vertit, religiosum. Huius meminit Aristoteles, Pollux, Plinius, & Censorius. Huiusmodi verò carmina, & moduli assumenda super Tyrum affirmat Dominus, tamquam super mortua, quae effertur ad sepulcrum. Forma autem huius carminis ea est, quae sequitur.

Nihil est, quod tam ad commiserationem moueat, quam collatio praeteritae felicitatis cum praesenti miseria.

Quae est, vt Tyrus, quae obmutuit in medio maris? Nihil est, quo praeficae, aut tibicines magis excitarent ad luctum, & moerorem, quam dum defuncti bonos mores, felicitatemque enumerantes, conferrent cum infelici, & immatura morte. *Quae est vt Tyrus?* quasi dicat: nulla alia ciuitas toto terrarum orbe reperiri poterat, vel tam celebris, vel sic munita &c. & tamen obmutuit. Theodoretus: In otio, inquit, & pace hoc tempus omne transegisti, quo nemo tibi perturbationem excitare ausus est. *quae obmutuit*. Hebraicè כדומה cheduma, a radice דום dum, quae excidere, succidere, seu silere significat, seu compesci, quod est proprium mortuorum: vt in psalmo: *Paulo minus habitasset in inferno* דומה dumah, id est, excisa, vel in silentio *anima mea*: vtroque enim modo exponit R. Dauid. Et in alio psalmo. *Neque omnes, qui descendunt in infernum*; Hieronymus vertit, in silentium. Consimilis etiam vox habetur in psalmo alio: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam*: ex Hebraeo verti potest: Si non posui, & silere feci animam meam. Huius silentij meminit Virgilius:

Theodor. Obmutescere, vel silere idem, ac mori. Psal. 94. ✝. 17. R. Dauid lib. radic. Ps. 114. ✝. 17. Hieron. Psal. 130. ✝. 2. Virgil. 6. Aeneid.

Dij, quibus imperium est animarum, vmbraeque silentes,
Et Chaos, & Phlegethon.

Iob 10. ✝. 22.

Ecce Chaos vocat Virgilius, quod sanctus Iob dixit, *vbi nullus ordo*, scilicet, temporis, diei, ac noctis vicissitudo, *sed sempiternus horror inhabitat*. Ex hac Hebraea phrasi sumpta est Latina, qua Plinius, & Columella silentem Lunam appellant, quae non apparet. & silentes surculos, aut vineas, quae nondum germinant. Et Ouidius mortuos vocat silentes:

Plin. li. 16. c. 39. Colum. li. 2. c. 10. & lib. 11. c. 2. & lib. 4. c. 27. Ouid. 5. Fast. Virgil. 6. Aeneid.

Mox etiam lemures animas dixere silentum.

Et Virgilius:

Quaesitor Minos vrnam mouet: ille silentum,
Conciliumque vocat, vitasque, & crimina discit.

Est ergo loci sensus: *quae est vt Tyrus?* quae celsitudine, ac excellentia reliquas omnes vrbes superabat, nunc in infernum detrusa, & quasi mari submersa miserè conticescit.

XXXIII. Vani praesentis felicitatis fructus. Theodor.

Quae in exitu negotiationum tuarum de mari impleſti populos multos. Septuaginta: Quantam inuenisti mercedem à mari? Vbi Theodoretus: Satis hoc est ad docendos omnes homines, ne superbia efferantur, propter eam, quae sub aspectum cadit, felicitatem, propterea quòd mutatio consequitur: hoc enim ipsi Tyro ait: Quid tanto tempore à negotiatione tua lucrata es? nihil tibi negotiationis labor profuit, neque omnium gentium concursus. instar enim nauigij demersi malorum deformitate cooperta es, veluti quosdam fluctus, excipiens hostilium legionum defluxus.

In exitu. Hebraicè בצאת betseath, à radice יצא iatsa, quae quemlibet exitum significat, a qua deducitur illa frequēs in sacris litteris phrasis, qua ingredi, &

A egredi idem significat, ac Latinis exsequi officium suum & foris, & domi, vt in Deuteronomio Moyses: *Centum viginti* inquit *annorum sum hodie, non possum vltrà egredi, & ingredi*. Et Caleb loquens cum Iosue, ait: *Illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum*. Aptissimè transtulit phrasim vulgatus, quam sic alij reddunt. Quale olim erat robur meum, tale nunc quoque ad bellum, ad egrediendum, & ingrediendum. Quare non tantùm significabitur hoc loco, Tyrum in exitu negotiationum, siue in mercium mittendarum copia ditasse populos, sed etiam omni negotiatione, qua merces exportabantur, vel comportabantur.

Ingredi, & egredi quid significet. Deut. 31. ✝. 2. Iosue 14. ✝. 11.

B *Nunc contrita es*. Hieronymus: Ad nihilum deducta es, siue facta perditio es: vt non naturam perditionis habueris, sed voluntatem. Quibus verbis contritionem, seu ruinam Tyri ipsius voluntati tribuit, non astris, non fato, non casui, non fortunae. Licet enim Tyrus, sicut omnes peccatores, non voluerit poenam, nempe ruinam, & desolationem, quae passa est, quia tamen dilexit scelera, & iniquitates, quas necessariò consequitur calamitatum poena, ideo & poenam, & interitum dilexisse meritò dicitur. Quod disertis verbis significauit Dominus, Israëli per Oseam loquens: *Perditio* enim inquit, *tua Israel*, non hostium, non infecti aëris, non concursus siderum, non virium accensi C ignis, sed *tua*, tu enim haec omnia mala in te concitasti, cùm aduersus tuum creatorem, & rerum auctorem, peccata, & scelera impudenter commisisti.

XXXIIII. Hieron. Tyri ruina eiusdem sceleribus tribuenda, non fato, neque astris. Ose. 13. ✝. 9.

Negotiatores populorum sibilauerunt super te. Hoc est enim hominibus natura comparatum, vt ad alicuius hominis, in caenoso aliquo praecipitio ruentis, spectaculum obstupescant primùm, misereantur deinde, & tandem miserum hominem luto spurcatum, claudicare, aut volutari contemplantes, in risum, & cachinnos concitati, ad sibilos conuertantur. Sic apud Sophoniam de Niniue dicitur. *Omnis, qui transibit per eam, sibilabit*. Et in threnis: *Sibilauerunt, & mouerunt caput suum* D *super filiam Hierusalem*.

XXXV. Sibilatio comitatur ruinam. Sophon. 2. ✝. ult. Thren. 2. ✝. 15.

Et non eris vltra vsque in perpetuum. Theodoretus praeter eam, quam suprà attulerat loci interpretationem, nunc adducit aliam ex Ieremia, asserente Dominum poenitentiam acturum de malis, quae cogitauerat facere genti, si gens conuertatur à malis suis, & concludit: igitur & fert Dominus sententiam, & latam, antiquat. Neque veritas mentitur: fert enim sententiam contra non paenitentes: in iis verò, qui paenitentiae remedium exceperunt, supplicij decretum nullum habet locum. hoc vsu venit Niniuitis. Hic igitur itidem longi supplicij decretum abrogauit posterorum commutatio. Haec ille. Verùm cùm haec sint E insultantium verba, nulla alia indigent interpretatione, quam quòd maleuoli ea minitentur, quae exoptant mala euenire. Vel significant de tam sublimi felicitatis gradu, in tam profundum miseriarum barathrum praecipitatam Tyrum, vt in pristinum statum nullo vmquam tempore posse restitui existimetur.

Theodoret. Sup. c. 26. ✝. ult. Ierem. 18. ✝. 8. Qua ratione Deus videatur mutare, quam tulerat damnationis sententiam.

EZECHIELIS PROPHETAE

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

ARGVMENTVM.

Principem Tyri de superbia, & arrogantia conuincit Propheta, incitatus ad deplorandos eiusdem ruinae casus, quibus & Sidonis euersionem, & Israëlis libertatem, ac felicem patriae habitationem subnectit.

I. *ET factus est sermo Domini*
ad me, dicens:
II. *Fili hominis, dic principi*
Tyri: Haec dicit Dominus
Deus: Eo quòd eleuatum est
cor tuum, & dixisti: Deus
ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde ma-
ris: cùm sis homo, & non Deus, & dedisti cor
tuum quasi cor Dei.
III. *Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum*
non est absconditum à te.
IIII. *In sapientia & prudentia tua fecisti tibi for-*
titudinem: & acquisisti aurum, & argentum
in thesauris tuis.
V. *In multitudine sapientiae tuae, & in nego-*
tiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem: &
eleuatum est cor tuum in robore tuo.
VI. *Propterea haec dicit Dominus Deus: Eo quòd*
eleuatum est cor tuum, quasi cor Dei:
VII. *Idcirco ecce ego adducam super te alienos robu-*
stissimos gentium: & nudabunt gladios suos
super pulcritudinem sapientiae tuae, & polluent
decorem tuum.
VIII. *Interficient, & detrahent te: & morieris in*
interitu occisorum in corde maris.
IX. *Numquid dicens loqueris: Deus ego sum, co-*

A *ram interficientibus te: cùm sis homo, & non*
Deus in manu occidentium te?
Morte incircumcisorum morieris in manu alie- X.
norum: quia ego locutus sum, ait Dominus
Deus.
Et factus est sermo Domini ad me, dicens: XI.
Fili hominis, leua planctum super Regem Tyri:
Et dices ei: Haec dicit Dominus Deus: Tu XII.
signaculum similitudinis, plenus sapientia, &
perfectus decore,
In delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pre- XIII.
B *tiosus operimentum tuum: sardius, topatius, &*
iaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, sapphi-
rus, & carbunculus, & smaragdus: aurum
opus decoris tui: & foramina tua in die, qua
conditus es, praeparata sunt.
Tu cherub extentus, & protegens, & posui te XIIII.
in monte sancto Dei, in medio lapidum ignito-
rum ambulasti.
Perfectus in vijs tuis a die conditionis tuae, XV.
donec inuenta est iniquitas in te.
In multitudine negotiationis tuae repleta sunt XVI.
C *interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te*
de monte Dei, & perdidi te o cherub protegens,
de medio lapidum ignitorum.
Et eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdi- XVII.

disti

diſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram A
proieci te: ante faciem Regum dedi te, vt cerne-
rent te.
XVIII. *In multitudine iniquitatum tuarum, & ini-*
quitate negotiationis tuae polluiſti ſanctificatio-
nem tuam: producam ergo ignem de medio tui,
qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper ter-
ram in conſpectu omnium videntium te.
XIX. *Omnes, qui viderint te in gentibus, obſtupe-*
ſcent ſuper te: nihili factus es, & non eris in
perpetuum.
XX. *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens:*
XXI. *Fili hominis pone faciem tuam contra Sido-*
nem: & prophetabis de ea,
XXII. *Et dices: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego*
ad te Sidon, & glorificabor in medio tui: &
ſcient quia ego Dominus, cùm fecero in ea iudi-
cia, & ſanctificatus fuero in ea.

Et immittam ei peſtilentiam, & ſanguinem in XXIII.
plateis eius: & corruent interfecti in medio eius
gladio per circuitum: & ſcient quia ego Do-
minus.
Et non erit vltrà domui Iſraël offendiculum XXIV.
amaritudinis, & ſpina dolorem inferens vndi-
que per circuitum eorum, qui aduerſantur eis: &
ſcient quia ego Dominus Deus.
Haec dicit Dominus Deus: Quando congrega- XXV.
uero domum Iſraël de populis, in quibus diſperſi
ſunt, ſanctificabor in eis coram gentibus: & ha-
B *bitabunt in terra ſua, quam dedi ſeruo meo*
Iacob.
Et habitabunt in ea ſecuri: & aedificabunt XXVI.
domos, & plantabunt vineas, & habitabunt
confidenter, cùm fecero iudicia in omnibus, qui
aduerſantur eis per circuitum: & ſcient, quia
ego Dominus Deus eorum.

EXPLANATIO
EIVSDEM CAPITIS
VIGESIMI OCTAVI.

I. *Quibus locis prophetae vtantur hoc exordio.*

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens. Frequens Prophetarum exordium, quo non tantùm initio totius libri, ſeu prophetiae vtuntur, verùm etiam initio cuiuſlibet nouae viſionis, aut noui alicuius vaticinij. Tum vel maximè, cùm aut calamitates, & miſerias principibus, optimatibus, ſiue etiam toti genti, aut populo superuenturas praedicunt. Quo quidem exordio, & à ſeipſis odium, & inuidiam repellunt, quae aures audientium obſtruerent, animoſque auerterent, & ſibi tamquam à Deo miſſis, Deique mandata exponentibus, auctoritatem, beneuolentiam, attentionem, fidemque conciliant: quibus prophetiae propoſitum finem facilius conſequantur. Perſimili vſus eſt argumento Apoſtolus, dicens: *Paulus Apoſtolus,* miſſus, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem.* (*Gal. 1. ℣. 1. & ℣. 11. & 12.*) Et iterum: *Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quòd euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem*, hoc eſt ſecundum opinionem humanam: *neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Hoc idem teſtatur Propheta noſter, dum dicit: *Factus eſt ſermo Domini ad me, dicens.* Quo quidem magnifico, ſublimique exordio indigebat Propheta, cuius alioquin imbecillitas mox exprimitur, dum à Deo ſubiungitur.

II. *Filius hominis abiectũ ſignificat.*

Fili hominis, fili Adam: quam enim glorioſum eſt à Deo ipſo mitti, eiuſque legatione fungi, tam eſt abiectum, filium hominis dici: & quam credibilia ſunt verba mittentis, tam ſunt ſuſpecta verba C filiorum hominum, à quibus *diminutae ſunt veritates*, (*Pſ. 11. ℣. 2.*) vel quaſi deſuetudine perierunt. Verùm in eo maximè diuini verbi vis, atque maieſtas elucet, quòd ab ipſis etiam hominum filijs prolatum, & omni fide ſit dignum, & cum omni reuerentia ſit excipiendum. Vtrumque innuit Iſaias, dicens: Domine, *quis credidit auditui noſtro?* (*Iſa. 53. ℣. 1.*) Hoc eſt myſterijs de Chriſto, quae accipiunt a nobis, annunciantibus tam inaudita. Cui alibi reſpondere videtur Dominus, dicens: *Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meae protexi te, vt plantes caelos, & fundes terram.* (*Iſa. 51. ℣. 16.*) quaſi eadem praeſtans, quae verbo praeſtanda decreui, *& dicas ad Sion, populus meus* D *es tu.*

De quo principe Tyri ſit ſermo, agi a turquaeſtio.

Dic principi Tyri. Magna eſt hoc loco inter Patres controuerſia, variè enim hunc locum interpretantur: totius autem controuerſiae cardo in hoc maximè verſatur, ad quem Tyri principem fiat ſermo propheticus quoniam & ad Regem, ſeu principem Tyri verba referri videntur: at ei non omnia aptari poſſe nonnulli confirmant. Quare ad diabolum omnia, vel aliqua referunt. Neque ſolum à Patribus, & ſacrae ſcripturae interpretibus agitatur haec quaeſtio; verùm multò magis à doctoribus ſcholaſticis, dum diſputant de peccato primo angelorum, quod ſuperbiae peccatũ fuiſſe ferme omnes (*Scholaſt. 1. p. q. 63. a. 3. & 2. Sent. diſt. 5.*) E tradunt: idque tum ex hoc, tum ex quarto decimo Iſaiae capite probant, de quo ſimilis eſt omnino diſputatio. Triplici porro via progrediuntur ſcriptores: alij alterutra extrema, alij media. Hieronymus enim per principem Tyri diabolum intelligi videtur aſſerere, dum ſcribens ad Damaſum, ait: Ad principem Tyri dicitur, in delicijs paradiſi Dei

Prima ſententia diaemonem intelligi cupit. Hieron. ep. 146. & lib. 6. [illegible] Iſa.

natus es; & iterum respondere videtur ad obiectionem, dum vocatur a Deo Tyri princeps homo, & non deus. Nam probat in Euangelio, diabolum hominis nomine compellari, dum dicitur a Christo: *inimicus homo superseminauit zizania*. Quare etiam ad eundem, & socios dictum legimus: *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Quin alibi firmius adhaeret huic sententiae, dicens. Quis tam stultus, & vecordis ingenij, vt in paradiso Dei positum principem Tyri (quemcumque illum esse crediderit) & conditum inter cherubim, & inter igneos lapides conuersatum (quos haud dubiè angelos intelligimus, caelestesque virtutes) pater fuisse eum, qui terrenis lapidibus ornatus sit, & habuerit similitudinem, & signaculum Dei? Hoc idem videtur asserere Augustinus, qui verba illa: *Tu signaculum similitudinis*, &c. de diabolo interpretatur, qui ab initio peccauit, & in veritate non stetit. Et iterum idem Augustinus citat illa verba: *In delicijs paradisi Dei fuisti* omni lapide pretioso ornatus: subditque, ubi intelligitur fuisse aliquando sine peccato diabolum. Origenes: Plangitur itaque, inquit, princeps Tyri. nec putandum est hunc hominem esse, in medio quippe Cherubim nullus hominum est creatus: & in paradiso Dei, si simpliciter litteram sequimur, hominum nullus est enutritus. Et cum in paradiso deliciarum, sicuti diximus, nemo fuerit, nunc dicitur princeps Tyri in paradiso deliciarum natus, & enutritus. Quis est iste princeps Tyri? Haec & alia multa profert Origenes, quibus fusiùs, ac multis argumentis probat istum fuisse diabolum. Atque alibi idem Origenes vehementius huic sententiae insistit, dum ex hoc loco probat, malignos spiritus ab omni malo immunes creatos, proprijs culpis, ac sceleribus infectos cecidisse. Inuenimus namque (inquit) in Ezechiele duas quasdam prophetias scriptas esse ad principem Tyri, quarum prima fortasse videbitur alicui, antequam audiat & secundam, dici de homine aliquo, qui princeps fuerit Tyriorum: & ideo nos interim nihil de prima illa sumemus. Vocat autem Origenes duas ad Tyrum prophetias, totidem huius capitis partes priorem ab initio vsque ad finem versus decimi, alteram inde vsque ad versum vigesimum secundum. Quare subiungit; Secunda verò quoniam euidentissimè talis est, vt nihil prorsus de homine, sed de virtute aliqua superiori intelligi debeat, quae delapsa fuerit à superioribus ad inferiores, & ad deteriora deiecta, ex ipsa deferemus exemplum, ex quo manifestissimè demonstratur, contrarias istas, magnasquè virtutes non natura tales esse conditas, vel creatas, sed de melioribus venisse in peius, atque in deterius esse conuersas. Si enim is, qui dicitur princeps Tyri, refertur, quia inter sanctos erat, & immaculatus erat, & in paradiso Dei constitutus, corona quoque decoris, & plenitudinis exornatus, is qui talis erat, quomodo aliquo sanctorum inferior putandus est? Hactenus Origenes. Et Isidorus sic scribit. Distat conditio angelica à conditione hominis: homo enim ad Dei similitudinem conditus est. Archangelus verò, qui lapsus est, signaculum Dei similitudinis appellatus est, testante Domino per Ezechielem: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti.* Quanto enim subtilior est eius natura, tantò plenius exstitit ad similitudinem diuinae virtutis expressa. Quae quidem videtur Beda ab Isidoro sumpsisse, cum totidem verbis apud illum

Math. 13. v. 28.
Psal 81. v. 6. & 7.
Hieron. lib. 15 comment. in Isai. c. 54.
August. de Gen ad litt. lib 11. c. 22.
August lib 11 de ciuit. Dei c. 15.
Orig. homil. 13 in Ezec.
Orig lib 1. Periarch. c. 5.
Isid lib de summo bono c. 12.
Beda lib. quaest. q. 9. de Angelis.

A scripta cernantur. Ambrosius item: fuisse diabolum in paradiso etiam Ezechiel propheta docet, qui dicit, super Principem Tyri. in voluptate, inquit, paradisi factus es. Principem autem Tyri in figura accipimus diaboli. Tertullianus denique Augustini sententiam recenset, atque confirmat.

Verum huic sententiae opponi videtur ipse Hieronymus, qui in huius capitis prooemio sic scribit. Consequens erat, vt prophetiam Tyri, & principis Tyri vno volumine comprehenderem, & tàm locis, quam vaticinatione coniunctos nequaquam librorum ordine separarem. Quibus verbis manifestè testatur hanc similem omnino prophetiam esse ei,
B quam capite praecedenti interpretati sumus de vrbe Tyri, Quare sicut illam nullus ab vrbe separauit, sic istam ab eius principe nulla ratione separandam Hieronymus putauit. Quam quidem sententiam tam constanter defendit Polychronius, vt Origenem non vereatur accusare, quòd ab illa discesserit. Eius haec sunt verba. Quidam, inquit, haec non amplius de homine dici volunt, sed de diabolo, vt qui contendant, non vt ipsi diuinarum litterarum sententiam sequantur, sed vt πρὸς τὴν ἑαυτῶν φαντασίαν pros t n heauton phantasian, ad sua commenta verba detorqueant. Verum apertè ex verbis ipsis falsa esse, quae ab eis dicta sunt, ostendentur. Huius porro allegoriae dux quidem, & auctor Origenes
C fuit, verùm alij quidam illum secuti sunt, qui suis in scriptis, quippe qui ab ipsa veritate cogerentur, Prophetam hoc loco de homine verba facere confessi sunt, sed eadē tamen de diabolo quoque intelligenda dixerunt. Nec eos puduit & veritatem proponere, & contra illam ex aduerso pugnare. cùm omnis disertè veritas ostendat, hoc loco à Propheta ambitiosum Tyri principē accusari, quique tum ob res praeclarè gestas, tum ob diuitiarum magnitudinem Dei aequalitatem somniauerit. Est autem obseruandum, vt verborum consensione, & consentanea vtatur oratione. Cum enim esset illi propositum in ciuitatem dicere, orationem in populum, principemque distribuit. Hunc enim vt malorum
D principem accusat, illos, vt sectatores impietatis. Ac decimo quidem anno regni Sedechiae hoc vaticinium fecisse Ezechielem, ipsemet apertè satis ostendit, cùm huius visionis tempus initio proposuit. At erat hic annus duodeuigesimus imperij Nabuchodonosoris, quando statua constituta, se ab omnibus censuit adorandum. Cum ergo Nabuchodonosor omnium potitus esset, vt sibi etiam Dei aequalitatem fingeret, nec tamen Tyrum superare potuisset: magnifice de se Rex Tyri sentiebat, qui omnes & sapientia, & potentia vinceret: & quanto maior erat Babylonij gloria, tanto magis tumebat, maiora sibi tribuens, quam homini par sit, quippe qui visus esset Nabuchodonosore om-
E nium victore praestantior. Quibus quidem uerbis Polychronius & sententiam suam, & eius fundamenta, rationesque patefecit, ita ut nulla uel interpretatione, uel confirmatione praeterea indigere uideatur.

Mediam uiam ingreditur Apollinarius, qui nonnulla de principe Tyri, alia de diabolo intelligenda esse contendit, ut suprà allatus Origenis locus affirmare uidetur. Verum quoniam eiusdem uerba lucem non modicam textui afferre posse speramus, ideo eadem subdere non pigebit. Execranda, inquit, sunt omnia peccati genera, at maximè est horum omnium superbia execrabilis. Omne enim excelsum, inquit, abominatio est coram Domino: &

superbis

Ambr. lib de parad. c. 2.
Tertull. lib. 2. aduersus Marc. c. 10.
Secunda sententia principem Tyri intelligendum contendit. Hieron.
Polychron.
Tertia sententia quaedam de principe Tyri, quaedam de diabolo intelligi putat. Apollinar.

superbis Deus resistit. Et diuinus Apostolus, non neophytum, inquit, ne superbia elatus in iudicium incidat diaboli. Hoc morbo laborauit etiam Tyri princeps, & qui cernebatur, & qui non cernebatur. Etenim nos ueram religionem colentes, in regno quidem, ac potestate sumus huius uniuersitatis Dei. Tyrus quoque similiter, ac nos etiam, Deum habet Regem, & homines, qui ab illo sunt constituti, ut regnent. Olim tamen Dei ignoratione laborans, & impietati seruiens, ductorem habebat, & principem uitiorum, & impietatis inuentorem, simul, ac magistrum diabolum. Habebat etiam uisibilem principem, qui ab illo male possessus agebatur, & impietatis imperio subiectus erat. Ad utrumque igitur sermo, uerùm neutri omnia conueniunt, utrique uerò nonnulla, quaedam alterutri, & quae initio sunt scripta, utrique. Nam & diabolus ad eam insaniam progressus est, ut rabie percitus deum se ipse praedicaret, & ut hanc sibi uenerationem deferrent, hominibus persuaderet: & uisibilis Tyriorum princeps hoc fastu laborans, & suam respiciens felicitatem, deum se esse existimauit. Quapropter ad hunc deum dicit: Tu uerò homo es, non deus. Quae quidem propè omnia Apollinarij uerba Theodoretus usurpat.

Ex his omnibus grauissimorum Patrum testimonijs aliqua sine dubio tenenda, alia uerò examinanda deducuntur. Et primùm quidem certum est, ad principem Tyri sermonem haberi, prout ex Prophetae uerbis, & omnium Patrum consensu indubitanter asseritur. Patrum etiam tam concors sententia, de satana eadem uerba intelligens, de satana quoque intelligenda esse ita confirmat, ut pium hominem dubitare minimè patiatur. Verùm quo ordine, aut contextus serie id faciat Propheta, id quibuslibet non à tantùm pijs, sed & à doctissimis etiam hominibus dubitari, & inquiri posse uidetur. Et quidem maxima difficultas in eo uersatur potissimum inuestigando, quod assumit Origenis, Apollinarij, & Theodoreti sententia, quod uelle tueri uidentur scholastici: nempe aliqua de Tyri principe, alia de satana, nonnulla etiam de utroque interpretanda, atque intelligenda esse. Verum qua etiam ratione institutam prophetiam de principe uel intermiserit Vates, ut transiret ad satanam, uel ei huius casum immiscuerit, non sine difficultate, ac multiplici ratione declarant. Quidam enim contextui sermonis, aut prophetiae de Tyro principe, annexam planè fuisse casus angelici historiam affirmant: quasi exemplo quodam contendat Propheta Deum similem ruinam principi minitari propter simile superbiae peccatum. Qui sanè dicendi modus alijs praesertim sacrae scripturae locis conueniens, probandus uideretur, nisi contextus ipse Prophetae, ac Domini verba obstarent. Ait enim:

Propria sententia.

ꝟ.11.& 12. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, leua planctum super Regem Tyri: & dices ei: Haec dicit Dominus Deus, tu signaculum similitudinis, &c.* quibus quidem verbis Regem Tyri iubetur Vates alloqui, eundemque compellat, dicens: *tu signaculum similitudinis*, &c. Quare vt has effugiant angustias alij, ad quandam confugiunt Tyconij regulam, a D. Augustino propositam, qua contendit, multa esse in sacris scripturis, quae de impijs, & eorum capite impijssimo, ac nequissimo daemone, coniunctis sententijs ita dicuntur, vt aliqua membris, seu corpori ita conueniant, vt capiti nulla ratione possint aptari: alia ita de capite, vt membris non conueniant. In cuius rei exem-

Aug lib. 3. de doctrina Christ. c. 37.

A plum persimilem huic locum profert Isaiae, in quo haec habentur verba *Quomodo cecidisti de caelo lucifer, qui mane oriebaris?* quae, inquit ille, sub figura Regis Babyloniae de eadem persona, vel ad eandem personam dicta sunt, in ipsa contextione sermonis de diabolo vtique intelliguntur. Et tamen quod ibi dictum est. *Contritus es in terra*, non totum ipsi capiti congruit; nisi quia ipse est in corpore suo, quòd contritum, fit vt puluis, quem proijcit ventus a facie terrae. Qui quidem dicendi modus hoc vno differt à priori, quod emollire videtur transitum ab vno in alium, quatenus rationem excogitauit non incongruam, qua minus distet à peccatoribus peccatorum omnium pater: ostenditque

Isai. 14. ꝟ.12.

B facilem à capite ad membra, & à membris ad caput in concinna oratione transitum fieri non raro. Verùm transitus iste ab vno in aliud non facilè admittendus est, nisi quando nos vel res ipsa, vel alterius loci sensus cogat: praesertim cùm haec regula huic vni innitatur fundamento, quòd aliqua sint, quae ita alteri congruant, vt alteri nulla ratione aptari possint; alia, quae contrà huic conueniant, neque illi possint accommodari. Alias enim, si vtrique omnia conueniant, quid opus est transitu? cùm de eo primùm, proprieque dicantur, qui contextui magis congruit, de altero verò secundo loco, & figuratè. Quoniam autem & huic eidem fundamento innituntur omnes, qui de diabolo textus hos interpretantur, quàm firmum illud sit, considerandum videtur. Et quidem, quod ad verba Isaiae pertinet, nulli dubium est, quocumque sensu accipiantur, siue de Babylonio, siue de tenebrarum principe, figurata ea quidem esse, quoniam vox *lucifer*, & illud, *qui mane oriebaris*, siue Hebraea הלל halal, expandens lucem, filius aurorae, propriè dicitur de stella matutina, vnde transfertur ad significandam splendoris magnitudinem, quo illustris erat vel Nabuchodonosor, diuitiarum, & gloriae opibus: vel Satan naturae, & gratiae eximijs ornamentis. Similiter in nostro textu, *paradisus*, locum amoenum nemoribus consitum, delicijs affluentem significat primaeua sui institutione, transferturque, ad significandas consimiles Tyri delicias, amoenaque loca, vel caelestis patriae felicem habitationem, vnde superbia tumens diabolus decidit.

Transitus ab vno sensu in alium non facilè admittendus nisi res ipsa, vel alius contextus cogat.

C

Lucifer quid significet.

D

Quapropter cùm contextus in reliquis omnibus de Nabuchodonosore ille, hic autem de Rege Tyri loquatur, rationi consentaneum videtur, vt de eisdem primum intelligātur dicta, mox de diabolo: cum vterque quàm simillimo superbiae scelere tumidus, persimili casus ruina ceciderit. Neque enim à Patrum sententia hic dicendi modus discedit: qui hoc tantùm affirmant, esse de Luciferi casu intelligenda loca, quod nos nulla ratione negamus: quin potius, illum sensum primò & principaliter à Spiritu sancto intentum dici posse non dubitamus, vel propterea maximè quod alienigena princeps Tyri, mox in suo scelere periturus, neque prophetiam audierit, neque illam sibi vsui fuisse, morum mutatione probauerit. Nobis autem, qui haec legimus, magis vtilis videtur fore consideratus angeli casus, quàm Tyrij principis: quantò ille à sublimiore dignitatis gradu ad inferius miseriarum barathrum detrusus esse perhibetur. Quapropter & Patres huic potius, quam illi interpretationi insistunt. Neque verò vt nouam hanc, aut à nobis excogitatam interpretandi rationem tradimus: sed potius vt antiquam, & grauissimorum Patrum consensione probatam. In primis verò Hieronymi,

Primum de Tyrio, mox de diabolo intelligendus est locus.

E

ronymi,

Hieron.

A ronymi, quem in interpretandis sacris scripturis Doctorem maximum confitetur Ecclesia. Is enim, dum locum hunc interpretatur, scribit non minus huius capitis verba de Rege Tyri, quàm praecedentis de vrbe intelligenda esse, & subdit. Scriptum est in Isaia ad Regem Babylonis Nabuchodonosor, quod se Dei potentiae coaequarit, & in tantam elatus sit arrogantiam, vt auderet dicere: Super sidera caeli ascendam, & ero similis altissimo: praecipitatusque de solio, meruit audire: Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur? Et de Pharaone in hoc eodem Propheta. Mea sunt flumina, & ego feci ea: Et de principe Tyri, quod elato corde dixerit arroganter: *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi* siue in habitaculo Dei habitaui: cùm sit homo, & non deus. Quae quamquam videantur vires humanae fragilitatis excedere, & non tam hominum verba esse, quàm insanientium daemonum, tamen hyperbolen debemus accipere, quod in tantum intumuerint, & nescierint mensuram suam, vt elati felicitate saeculi, & regni potentia, dum praesentia bona putant esse perpetua, homines se esse nescierint, & aeternum sibi imperium vindicarint. Haec Hieronymus. Quibus verbis loci sensum, quem litteralem vocant, seu historicum, interpretatus est, rationem reddens eorum, quae eidem obijci posse videbantur: & quomodo sint intelligenda, demonstrauit. Verum ad alium sensum transcendit, haec addens. Licet sub typo principum, Regum, & singularum vrbium, vel prouinciarum, potestates aduersariae demonstrentur de quibus scribit & Apostolus Paulus: non est nobis pugna aduersus carnem, & sanguinem, sed contra principes, & potestates, rectoresque tenebrarum istarum. Ex quibus quidem Hieronymi verbis duplex habetur loci sensus: alter, quem diximus, historicus de Rege Tyri, alter verò tropicus, siue allegoricus de aereis potestatibus tenebrarum. Atque in hunc eundem modum interpretandus est semper Hieronymus, vt sibi constet, sicuti constare necesse est tantum virum: nempe, vt quotiescumque de Satana locum interpretatur, in sensu figurato locutus credatur, alias in historico. Quo etiam modo intelligendus est ipsemet in Decreto citatus, dum ait: De caelo etiam cecidit Lucifer, qui mittebat ad vniuersas nationes. & ille, qui in paradiso deliciarum inter duodecim nutritus est lapides, vulneratus a monte Domini, ad inferna descendit. Eademque ratione interpretandi sunt reliqui Patres. Origenes verò, Apollinarius, & Theodoretus, qui ita se opponunt huic sententiae, vt nulla ratione adduci posse in hanc sententiã videantur; quoniam affirmant, aliqua verba non posse ad principem Tyri referri, accipiendi etiam sunt, tamquam loquuti de eorundem verborum significatione, quae in sensu grammatico, hoc est, quem ipsa verba per se sonant, elicitur. Atque ita non possent ad principem, vel Tyri, vel Babylonis accommodari, cum figuratè ponantur: quod & verum est, & a nobis satis suprà demonstratum. In eo enim sensu Lucifer stellam significat, non Regem. Paradisus hortum significat, non Tyrum. Neque tamen propterea nobis aduersantur, cum in sensu rhetorico, seu figurato, qui historiam connectit, de Rege Tyri sit intelligendus locus, quoniam alter, grammaticus nempe, omnino a mẽte scriptoris est alienus, vt fusè probat Augustinus, dum quibusdam in locis tantum inesse difficultatis affirmat, vt vix ab imperitis lectoribus, quid vel falso suspicentur, inueniatur, ita obscurè quaedam dicta densissimam caliginem obducunt:

Isai. 14. ℣. 12.

Infra c. 29. ℣. 3.

Ephes. 6. ℣. 12.

Duplex loci sensus.

Respondet obiectis. *Hieron.*

De poenit. dist. 2. c. 1.

Origen. Apollin. Theodor.

Duplex literalis sensus, alter grammaticus, quem verba sonat, alter rhetoricus, quem figuratè significant. *Supra in hoc capite.*

Aug. lib. 2. de doctrina Christ. c. 6.

quod ex multis caussis prouenire ibidem ostendit. Verùm ne videamur, vnius tantum Hieronymi testimonio, licet satis firmo confidentes, aliorum Patrum non sequi sententiam, libet tantisper aliorum etiam testimonia breuiter percensere. Primumque sit Anastasij Synaitae huiusmodi. Ad spiritualis autem, inquit, paradisi rationem se maxime consortarunt interpretes, adducentes testem Ezechielem, & Deum, qui in ipso loquebatur, vbi videtur Deus nobis aenigmaticè reuelare apud ipsum Prophetam diaboli è caelo casum, sic dicens: Et tu fili hominis accipe lamentum super principem Tyri, & dic ei: *Haec dicit Dominus, Tu signaculum similitudinis, & corona pulcritudinis, in delicijs paradisi*

B Dei generatus es. Erat enim impius princeps Tyri, & idololatra in diebus Ezechielis prophetae. Quibus verbis manifestissime Anastasius sensum, qui de caelesti paradiso, & angelo est, spiritualem nuncupat, & aenigmaticum, de Tyro historicum. Cyrillus etiam consimiliter, inquit, Ezechiel propheta sub typo, & nomine Regis Tyri, qui membrum erat diaboli, dicit de eo: *Tu signaculum similitudinis*, &c. Et Tertullianus. Signaculum Dei, & figuram, quae velut in cera mollissima expressa sit, Rex Tyri resignauit, ac perdidit. Cui quidem disputationi finem imponet Gregorius, dicens: Mos est sacrae scripturae, vt vno, eodemque sermone, dum narrat gestum, pandat mysterium. Quòd si cui for-

C tè videbimur diutius, quam par erat, in hac immoratì disputatione, consulto nos intelligat maluisse semel haec certo statuere, ne saepius essent iteranda, aut nouis argumentis confirmanda.

Princeps. Hebraicè נגיד negid, quae vox ex significatione alterius desumpta videtur, quae est נגד neged, significatque coram, ante, è regione, vel contra, vt in Exodo, vbi enim nos legimus, à Pharaone dictum *Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & paruulos vestros: cui dubium est, quòd pessimè cogitetis?* in Hebraeo habetur רעה נגד פניכם raagha neged peneceem, hoc est, malum est coram facie vestra, vel ante faciem vestram. Quam Hebraicam phrasim aptissimè transtulit vulgatus,

D dicens, *pessimè cogitetis*. Et in libris Regum: *Tu enim fecisti absconditè ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis* vbi repetitur haec vox. Ex ea verò putant Hebraei deductam vocem נגיד negid, dux, aut princeps, sic dictus, quòd semper sit coram, vel in oculis populi, quem prospiciat, & sequatur in omnibus negotijs, & operationibus, vel quod eiusdem ducis opera omnium sint oculis conspicua. Ex quo colliges, quàm aptè ex alijs multis principis nominibus hoc vno vtatur hic Vates, vtpote enunciaturus meritas, ac publicas poenas ab eo exigendas propter admissa scelera, quippe publica; siue etiam quòd dux fuerit, exemplo prouocans subditos sibi

E populos ad ea crimina perpetranda, propter quae ruinam, & perpetuam desolationem meriti sunt, & consequuti. Quare aequum est, vt is, qui scelerum non tantùm comes, sed & dux, exemplatque fuerit, sit etiam malorum, ac poenae ceteris exemplum. Vias autem, quibus ad interitum praecipitatur princeps, vel contra in diuturnam vitae felicitatem deducitur, disertis verbis demonstrauit Sapiens: *Dux, inquit, indigens prudentia, multos opprimet per calumniam. qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius.* Quem locum, quoniam huic nostrae de Tyrio principe tractationi non parum luminis afferre posse videtur, ideò fusius aliquanto explicare non pigebit. Igitur ex Hebraeo sic verti

potest:

Synai comment. in Hexameron.

Cyrill. lib. 6 in Ioan. c. 6.

Tertull. lib. 2 cont. Marcio. c. 10.

Gregor. 20. Moral. c. 8.

Quid significet nomen principis.

Exo. 10. ℣. 10.

2. Reg. 12. ℣. 12.

Princeps dicitur quasi semper in oculis.

Malorum qui fuerunt exemplar, sunt poenae exemplum. Duplex principum via, perditionis vna, altera felicitatis. *Prou. 28. ℣. 16.*

potest: Dux deficiens intelligentijs, multiplicabit rapinas. odio habens auaritiam, multiplicabit dies. Vel sensus est ex Chimchi: Vir deficiens intelligentia, & multus oppressionibus, quasi dicat: qui quantum caret intelligentia, tantum abundat oppressionibus, subintellige, mortem sibi accelerat: *qui* autem *odit auaritiam*, diu viuit. Rabbi verò Dauid sic exponit, vt ex fine versus sit intelligendum principium, est enim ibi mira antithesis, subintelligendum quippe est, inquit, verbum (morietur) sic enim est frequens scripturae sacrae mos. Quare sic explicat: Dux deficiens (vel carens) intelligentijs, & multiplicans rapinas, morietur, nempe in dimidio dierum suorum: & odio habens auaritiam, prolongabit dies. Verùm nos in omnibus, ac singulis verbis antithesin quandam agnoscimus, ita vt prioris partis sententiae verba repetenda sint in posteriori contrario sensu, & posterioris in priori, vt sit sensus: *Dux*, carens, significantius cum vulgata, *indigens prudentia*, & abundans oppressionibus, vtpote studens auaritiae, vel diligens auaritiam, imminuet dies suos. Qui autem diues est intelligentia, caretque oppressionibus; nempe, qui *odit auaritiam*, prorogabit dies suos. Quam quidem expositionem confirmare etiam videtur R. Ioseph Chimchi: ait enim vocem נגיד negid deduci à נגד negid Chaldaeo verbo, quod significat perire, & mori. Qui circa sensum elicit huiusmodi, exspirauit, perijt, vel exstinctus est, quicumque multiplicat rapinas. Quam explicationem probat R. Dauid. Egregium sanè principis epitheton, quod vnicum ambitiosos deterrere possit: sed neque hoc quidem poterit, mortem enim ipsam etiam non perituram appetent, si nomine principatus condecoretur. Targhum verò Dux, inquit, deficiens intelligentijs, multiplicat rapinas, & vocem, multiplicat, interpretatus, non numero tantùm, sed sceleris etiam magnitudine multiplicatas ait. Et est sensus, cùm fuerit magnus rapinis, quia opprimit pauperes, illorum depraedatus substantiam, est carens intelligentijs, quia non est in illo sapientia, aût *prudentia*, qua perpendat eiusmodi sceleribus exscindendum regnum. verum prout odio habebit auaritiam, & iudicabit in iustitia, & iudicio, prolongabit dies. Vel dic. Si in duce fuerint haec duo, quamquam sunt magna mala, vt careat intelligentia, & multiplicet rapinas; si tamen odio habuerit auaritiam, ita vt ad peruertendum iudicium non capiat munera, prolongabit dies, quod dixisse putat Hebraeus, ut munerum detestetur acceptionem, alia scelera imminuens eius comparatione. Vel dicit: Dux carens intelligentia, quia non est sapiens, eò progredietur, ut rapiat, opprimatque illos, qui ad illius uenerint iudicium: ab illo enim peruersum egredietur iudicium, & rapiens aliena, & opprimens innocentes: quapropter non prolongabit dies. Si uerò fuerit intelligens, & non rapuerit, nec quemquam oppresserit: sed odio habuerit auaritiam, & ad peruertendum iudicium munera non acceperit, prolongabit dies, &c. Quae quidem loci interpretationes eò fere omnes recidunt, ut confirment, ignarum principem omni scelerum colluuioni, ac mox ruinae obnoxium esse. Quod & in principe Tyri contigisse uidemus, cuius insipientia omnium insipientium ignorantiam superauit: in quas enim densiores ignorantiae tenebras quispiam incidat, quam ut dicat *insipiens in corde suo, non est Deus*? In eo enim non diuino, & supernaturali lumini tantùm, sed & naturali, ipsi, inquam, insito menti lumini oculos intelligentiae non obtusos tantùm, sed & omnino caecos, & omni rationis luce orbatos opponit. Verum insipientes omnes insipientia Tyrij maximè superauit, dum dixit. *Deus ego sum*. In quo non solum à ueritate defecit, diuinam ignorans dignitatem, & maiestatem: uerum etiam omnem superans uanitatem, propriae ignarus fuit inanitatis, & miseriae, quam quotidianis experimentis cognoscere potuisset.

Chimchi. — *R. Dauid. lib. rad.* — *R. Ioseph Chimchi.* — Princeps quasi morimus si malè se gerat. — *R. Dauid.* — *Targhum.* — Munerum acceptio principem maxime dedecet. — Ignarus princeps omnibus sceleribus, ac mox ruinae obnoxius. — *Ps. 52. ℣. 2.* Atheorum inscitia.

Haec dicit Dominus Deus, Septuaginta, in Complutensi, & Theodoreti textu. Haec dicit Adonai dominus. Hieronymus. Vbicumque iuxta Septuaginta ponitur Dominus Dominus, primum nomen tetragrammaton est, quod propriè ad Deum pertinet, & ineffabile dicitur: secundum commune, quod saepe hominibus tribuitur. Hebraicè אדני יהוה Adonai elohim. Quae quidem duo sunt Dei nomina, quorum primum אדני Adonai, sustentatorem Deum significat, & qui sit, uelut basis, seu fundamentum domus, uel columen familiae, seu Reipublicae, cui incumbit cura, uel administratio rei familiaris, seu publicae. In qua quidem acceptione de hominibus etiam dicitur, quorum subiectionem renuunt impij, dicentes: *Linguam nostram magnificabimus*. Vel, lingua nostra praeualebimus: *Labia nostra à nobis sunt*: hoc est, in nostra potestate sita, *quis noster Dominus est*? vel sustentator noster? Et in alio psalmo: *Dixi Domino, Deus* אדני Adonai sustentator, *meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, quasi dicat: tu Domine sustentas me, nullo bonorum meorum indiges, non solùm tibi, cui omnia suppetunt, sed neque ad sustentandum me, hoc est, in te solo viuo, moueor, & sum, non in aliquo bonorum meorum. Hieronymus cum multis alijs ex Patribus Latinis loco huius vocis Dominum reddit, maximè, quando cum alio Dei nomine coniungitur, vt in praesenti loco.

Hieron. — Nomen Dei Adonai sustentatorem significat. — *Ps. 11. ℣. 5.* — *Ps. 15. ℣. 1.* — *Hieron.*

יהוה elohim verò nomen est Dei ineffabile, Graecis dictum tetragrammaton, quòd quattuor constet litteris, significans, vt Hebraei tradunt, diuinam essentiam: & ob tanti nominis reuerentiam ab Hebraeis nō profertur, vt scribitur, sed quod quattuor his litteris scriptum est ה,ו,ה,י, iod, he, vau, he, nullum ipsarum reddentes sonum, legunt Adonai, vel elohim. Quod vt etiam scripto assignarent, puncta ipsarum litterarum nominis Adonai, sub istis quattuor litteris nominis ineffabilis scripserunt. Ex quo factum est, vt nomen illud coeperit enunciari iehouah, non, quòd ista sit vera nominis vox, sed quaedam composita, aut efficta, seu potius quaedam litterarum materialis enunciatio. Alij verò non puncta vocis Adonai, sed alterius nominis Dei, nempe elohim, supposuerunt eisdem characteribus; idque propterea factum putant nonnulli, quòd saepe nomen Dei tetragrammaton iungitur nomini Adonai. Ne ergo bis repetant eandem vocem Adonai, vocem tetragrammaton proferunt, & signant punctis nominis elohim, vt videre est in Complutensi codice hoc loco. Ex quibus fit ab imperitis illa absurda enunciatio vocis quattuor litterarum iehou, quae Hebraeis maximè displicet. At verò alter mos, legendi hoc nomen Dei ineffabile per nomen aliud Adonai, ab antiquo vsu venit, etiam ante Chaldaeos paraphrastes, ante Christum Dominum, apud Septuaginta interpretes, quibus nomen Adonai videtur respondere Dei nomini tetragrammato: immo & in vulgata nostra D. Hieronymus eundem morem sequutus, in Exodo sic reddit: *Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum* יהוה *Adonai*

Ineffabile Dei nomen, quare Graecis tetragramaton dicatur. — Nomen Adonai apud Chaldaeum, Septuaginta, & vulgatum saepe ineffabili Dei nomini succedit. — *Exo. 6. ℣. 2. & 3.*

non

non indicaui eis. Citatur Hieronymus scribens: si litterae nominis tetragrammaton efferrentur, lectum iri, Iao, prout in Sibyllinis oraculis etiam reperitur hoc nomen. Quapropter aliquibus videtur hoc nomen ineffabile dici, non quòd omnino non possit, aut debeat efferri; sed quòd, cùm sit sacrosanctum, assumi non debeat temerè, neque profanis admisceri colloquijs, aut scriptis. R. vero Moses Aegyptius, ob sublimem, ait, nominis dignitatem (Dei quippe essentiam indicantis) curam eius efferendi grauem, & reuerentiae plenam futuram esse. Cui consonat, quod Galatinus de gentibus affirmat, quibus nulla ratione licebat nomen Demogorgonis primi falsi dei proferre: quòd si quisquam temerè proferret, terrae tremore offensum B se numen ostendebat. Quin & Apollo Delphicus, & Mercurius Trismegistus Dei nomen nec verbo capiendum, & Deum esse innominabilem in suis oraculis monuere. Verùm quid nobis repraesentet de Deo hoc nomen, non facile statuitur, quia iuxta Dionysium, Deum, quem cognoscere non possumus, neque nominare possumus, cum nomina signa sint eorum, quae mente concipimus. Quoniam vero Deum ex rebus creatis cognoscimus, Paulo teste, vel tamquam earum principium, & finem, vel quia in singulis creaturarum perfectionibus diuinam agnoscimus excellentiam, ab ea imperfectiones creaturarum remouemus. Atque ita, Damasceno testante, Deum cognoscimus semper, qua- C tenus id, quod in eo cognoscimus, dicit ordinem ad creaturas, taliaque sunt nomina, quae Deo imponimus. Inde fit, vt nullum possit Deo nomen à nobis imponi, quod Deum ipsum, vel diuinam essentiam exprimat, sicuti est in se: prout fusè probat D. Thomas. Et licet Scotus, quem sequitur Gabriel, arbitretur, à Deo ipso posse sibi nomen imponi, significans ipsum, sicuti est, quoniam ipse se cognoscit, sicuti est, atque tale esse nomen tetragrammaton, à Deo ipso immediatè inuentum, ac propterea repraesentare Deum, sicuti est: tamen cùm eiusmodi repraesentatio Dei, sicuti est, sit impossibilis alicui nomini, eidem nomini ineffabili neganda videtur. Cuius ratio vel ex eo maximè D intelligitur, quòd, vt Deum cognoscere non possumus, sicuti est, cognitione, quam vocant, abstractiua; sed tantùm intuitiua, quae fiat per ipsam diuinam essentiam: ita etiam, & multò aequius talem Dei cognitionem habere non possumus, opera alicuius nominis referentis. Quod quidem non arguit vllam impotẽtiam in Deo quasi non possit tale sibi nomen imponere: immo verò infinitam diuinae essentiae magnitudinem ostendit, quae nullo creato signo aut cerni, aut cognosci possit, sicuti est. Non tamen propterea negamus huic Dei nomini ineffabili modum quendam inesse (confusum tamen, & obscurum) significandi diuinam essentiam, prout est in se, neque vllam dicere communicationem E ad extra: in quo quidem differt ab alijs ferè omnibus nominibus Dei, quae semper attendunt, aut consignificant aliquem ordinem, seu respectum creaturarum ad Deum, vel gubernationem, aut rationem principij Dei ad creaturas, prout in nomine Adonai suprà explicato licet videre. Sed exstat mirabile testimonium eorum, quae dicta sunt, cuiusdam Rabbini, relati à Galatino. Antoninus, inquit, Romae consul, Rabbinum quendam Haccados, tunc celebrem Hebraeorum doctorem rogasse fertur, vt de quattuor litterarum Dei nomine quid sentiret, exponeret; cui Rabbinum respondisse ferunt in hunc modum. Quòd Antonine petis de ve- A ritate instrui, eius scilicet, quod significat nomen quattuor litterarum, haec scias velim, arcana, & diuina esse, quae omnibus hominibus clam esse debent. Sed quoniam te ex ijs esse intelligo, cui tutò arcana creduntur, consentaneum ratus sum, tui similibus huiuscemodi res patefacere. Quare sic habeto, Deum nomen non habere, cuius notionem nos mortales habere possimus: eius enim substantia nomen est ipsius, atque etiam è contrario. Nam sicut eius substantiae notitiam habere non possumus, quoniam, si eam cognosceremus, ei similes efficeremur: ita nec eius nominis cognitionem habere possumus. Scito tamen eius nomina attributa esse: nomen enim quattuor litterarum opera- B tionibus eius peculiare est, ideoque ostendit eius notitiam, nescio quo pacto perfectiorem, illique magis accommodatam, prout noster intellectus concipere faciliùs potest. Quare ex hoc ipso nomine eius omnia procedunt nomina: ideoque etiam Hebraeo nomine, scem hammemphoras vocatum est, non quod nomen sit ex ipsius substantia, sed quod nos ita vocamus, prout nostra facultas comprehendere potest, cùm altius penetrare non possit. Haec ille. Sed multo magis ad rem Damascenus. Nullum, inquit, tam proprium Dei nomen, quam ens huius verò notio à nullo alio nomine potest tam perfectè repraesentari, quàm hoc Hebraico quattuor litterarũ.

Ad nostrum ergo venientes institutum, Deus C optimus maximus rationem exigens à principe Tyri, de ambitiosa praesumptione diuinitatis, nomina gloriosa profert, quasi ostendens, & in medium proferens, quo iure, diuinitate, ac Regia potestate potiatur ipse Deus. *Haec dicit* Adonai *Dominus* elohim *Deus*. Cuius quidem nominis dignitatem manifestauit ipse Deus in Deuteronomio, dum petit ab Israële amorem, & obsequium: ait enim: *Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium*. יהוה אלהיכם הוא אלהי האלהים ואדני האדנים Adonai elohechem hu elohe haelohim va adoni haadonim, hoc est Dominus Deus vester, ipse Deus deorum, & Dominus dominantium. Quo loco triplex Dei no- D men habetur, ineffabile, elohim, & Adonai. Vel dicendum est, Ezechielem constitui à Deo iudicem causae principis Tyri, vt ex rebus gestis censeat super crimine pessimo laesae diuinae maiestatis, de quo diffamatus est, tamquam diuinitatis praesumptor iniquus. Cuius quidem exemplum extat in Exodo, dicente ad Moysem Domino: *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus propheta tuus*. *Deum*. Hebraicè אלהים elohim nomen Dei, significans eius maiestatem, & potentiã, quam exerit, & extendit quaque locorum, & super omnes creaturas in caelo, & in terra. Quo etiam nomine nuncupantur iudices, primates, qui cum imperio sunt, & qui magistratus gerunt: eo quòd, vt Apo- E stolus ait, à Deo sint ordinati. Et sensus loci est, creatum Moysem à Deo iudicem, magistratum, seu potestatem, quasi vicarium Dei super Pharaonem; cui etiam assignantur pro dignitate muneris ministri, *& Aaron frater tuus propheta*, interpres, vel legatus *tuus erit*. Et quemadmodum huiusmodi iudices, antequam munus suum aggrediantur, Regium chirographum proferre solent, cuius initio praefiguntur Regij tituli, ac dignitates: Philippus, verbi gratia, Rex Castellae, Aragoniae, &c. Sic & Propheta. *Haec dicit Dominus Deus*: Omnes illos ambitiosos Regum terrae titulos duobus verbis comprehendit, Dominus, Deus, Adonai, Elohim: quorum alterum diuinam maiestatem, quid

nempe

Quare dicatur hoc nomen ineffabile.

R. Moses.

Galat. lib. 2. c. 10.

Dionys. c. 1. de diuin. nomin.

Nomina sunt signa eorum, quae mente concipiuntur.

Rom. 1. ℣. 20.

Damasc.

Deum quomodo semper cognoscamus.

D. Tho. 1. p. q. 13.

& Doct. 1. Sent. d. 22.

Scotus.

Gabriel. ibi.

Galatinus.

Damasc. lib. 1. de fide c. 12.

Deus rationem exigens à Tyrio de praesumpta diuinitate, his nominibus vtitur, vt ostendat se Deum, omnium, & Dominum.

Deut. 10. ℣. 17.

Propheta iudex Principis constituitur.

Exo. 7. ℣. 1.

Deus omnes superbos titulos principum terrae, duobus nominibus comprehendit.

nempe Deus sit in se, eo modo, quo potest, exprimit: alterum vero, quid sit erga reliqua omnia, nempe sustentator eorum, & Dominus.

Et quod eleuatum est cor tuum. Eleuatum Hebraicè גבה gauah, quod verbum significat altum esse, excelsum, sublimem, eleuari, seu extolli, & tam de animo, quam de corpore, tam de corporis rebus dicitur, quam de iis, quae corpore omnino

Isai. 5. ℣. 15. & 16.

carent. In Isaia reperitur haec vox cum eius oppositis, ait enim. *Et incuruabitur homo*, pauper, & miser, *& humiliabitur vir*, nobilis, & diues, *& oculi sublimium*, vel sublimes, potentes, & magnates, *deprimentur*, vel concident *& exaltabitur Dominus exercituum in iudicio*, dum iudicauerit illos, *& sanctificabitur in iustitia*, vindice superbae elationis eorum. B Cuius quidem loci interpretatio & vocem gauah, & nostrum textum mirifice illustrat: sensus enim Isaiae huiusmodi est: Deus optimus in iudicio recto, & aequa iustitia, damnans impios aeternis inferni ignibus, semper exaltabitur, vincens omnes querellas, quas impij agitare possent, quasi de grauiore accepta poena, quàm pro meritis culpae. Et quicumque ille sit, qui has proferat querellas, siue pauper, siue diues, siue magnus, siue paruus, cadet à praetensa causa, quasi dicat, iuste Deus impios damnat inferno, qui *dilatauit animam*, siue ingluuiem *suam*. Haec autem vox aliàs absolutè ponitur pro intumescere,

Isa. 3. ℣ 16.

seu superbire, vt apud eundem Isaiam, *pro eo, quod* C *eleuatae sunt*, siue superbierunt *filiae Sion*. Et apud

Iob 36. ℣. 7.

Iob de Domino dicitur: *Reges in solio collocat in perpetuum, & illic eriguntur*, siue se extollunt in superbiam, quo deponendi sint. Et apud Iere-

Ierem. 13. ℣. 15.

miam: *Nolite eleuari*, vel nolite in superbiam extolli, *date Domino Deo vestro gloriam*. Quando vero hoc verbum tribuitur cordi, vt hoc loco eleuare cor, auget mirum in modum eius significationem, indicans etiam, quibus affectubus hoc pessimum scelus insideat. לב leu enim Hebraea vox, siue לבב lauau non tantùm significat membrum illud corporis, quod est fundamentum, seu sedes vitae: verùm transfertur etiam non raro ad significandum cogitationem, consilium, voluntatem, D animum, mentem, intellectum, sapientiam, & tandem omnia illa studia, & operationes, quae in corde perficiuntur. Huius rei exempla longum esset percensere, verùm paucioribus expositis, sibi quisque reliqua facilè adinueniet in sacris li-

Genes. 8. ℣. 21.

bris. In Genesi ait Dominus: *sensus enim, & cogitatio humani cordis*, hoc est animi, vel mentis, *in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Et de

2. Reg. 15. ℣. 6.

Absalon in libris Regum scribitur: *& sollicitabat corda virorum Israel*, vel vt ex Hebraeo verti potest, furabatur, seu rapiebat Absalon cor, voluntatem, nempe virorum Israël. Et in Exodo loqui-

Exo. 28. ℣. 13.

tur Dominus ad Moysem, dicens: *Et loqueris cun-*

Prou. 15. ℣. 7.

ctis sapientibus corde, hoc est intellectu. E Et in Prouerbijs: *Labia sapientum disseminabunt scientiam; cor*, consilium, vel affectus *stultorum dissimile*, va-

& ℣. 15.

rium, inconstans *erit*. Et iterum pro conscientia sumitur nam vbi nos legimus *Secura mens, quasi iuge conuiuium*, ex Hebraeo aliqui reddunt, Cor bonum

Prou. 19. ℣. 8.

conuiuium perpetuum. Et pro sapientia sumitur in alio Prouerbiorum loco: nam vbi habetur: *Qui autem possessor est mentis*, Hebraicè cordis, *diligit animam suam*. Ex quibus quidem omnibus vocis ac-

Exaltare cor quid significet.

ceptionibus liquidò constat loci sensus. Exaltare cor significabit extollere animum, mentem, voluntatem, sapientiam, & reliqua, prout ex sequentibus superbiae varijs generibus, quae Propheta re-

A prehendit in principe Tyri, mani festius etiam constabit. Quapropter Regius Psaltes Deo proponit

Psal. 130. ℣. 1.

in cantico modestiam suam, dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum*, nullo interiori superbiae affectu foedatum est cor meum, siue animus meus. Longè aliter Rex Tyri. Nam vt bene notat Poly-

Polychron.

chronius, non dixit ei Dominus: propterea quod magnus es, sed elatum est cor tuum, ostendens animi tumorem, ac fastum.

Polychron. Dicere quid significet.

Et dixisti. Polychronius. Non dixit, cogitasti, sed etiam dixisti, hoc est, confirmasti, & ratam habuisti sententiam tuam. Haec ille. Verum frequens est significatio verbi אמר amar, quo vsus est hic Propheta, vt eo exprimatur id, quod animo statuitur, siue B decernitur. Nam in Exodo Hebraeus ille ad Moy-

Exod. 2. ℣. 14.

sem dixit: *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Aegyptium?* Ex Hebraeo propter huius verbi significationem verti potest: num occidere tu me dicis? vel dixisti, pro decreuisti? Et in psalmo *Ego*

Ps. 29. ℣. 7.

autem dixi decreui, statui, *in abundantia mea*, vel in prosperitate mea, dum bonis circumfluerem, *non mouebor in aeternum*. Et in libro Paralipomenon.

2 Par. 2. ℣. 1. Duplex dictio, mentis, & oris.

Decreuit, Hebraicè, dixit, *autem Salomon aedificare domum*. Duplex est enim dictio, mentis, & oris, & pro vtraque potest hic accipi, quò ex maioris sceleris tabe profectam blasphemiam ostendat, quam si ex aliquo repentino diaboli impulsu, ore tantùm prolata fuisset. Ex dictis ergo consta- C bit, quomodo etiam ad alteram intelligentiam de principibus tenebrarum applicari possit haec vox: illis enim mentis vnica tantùm dictio conuenit, non oris, cùm corpore careant.

Dei nomen, el, quid significet.

Deus ego sum. Hebraice אל אני el ani. אל el autem Dei nomen primaeua sui institutione significat fortem, seu potentem: eum, inquam, penes quem est facultas faciendi aliquid, cuiusque potentia se longè, lateque exerit, & extendit. Quare per antonomasiam Deum significat, quatenus omnipotens est, cuiusque suprema potestas se extendit super omnes creaturas: & à cuius maiestate, & potentia pendent vniuersa, quae habent aliquam potentiam, virtutem, aut maiestatem in caelo, & D in terra. Propter quae quidem munera, ac libera-

Eorum omnium quae creata sunt, obedientia Deo debetur

lissima dona, quae ab ipso recipiunt, & propter ipsum retinent, perpetuum illi cultum, obedientiam, & gratitudinem debent, ac praestare omnino tenentur. Quam quidem vocis significationem videtur exprimere voluisse Abraham, respondens

Gen. 14. ℣. 22. Leuare manum actus iurantis.

in Genesi Regi Sodomorum his verbis: *Leuo manum meam*, iurantis actus est, *ad Dominum* יהוה Adonai *Deum* אל el *excelsum, possessorem caeli, & terrae*. Ex hac voce componitur illud gloriosum

De significatione vocis Emmanuel. Forer. Isai. 7. ℣. 14.

Iesu Christi Domini nostri nomen, *Emmanuel*, עמנואל ghammanuel constat enim, vt notat Forerius, ex praepositione עם gham, hoc est, cum, & pronomine נו nu, nobis, & Dei nomine אל el, E quasi dicat, nobiscum est Deus omnipotens, in cuius potestate sunt omnia posita, cui omnia subijciuntur, & obediunt. Quoniam verò omnipotentem Deum magna opera decent, hinc vsus obtinuit apud Hebraeos, vt quae magna, mirabilia,

Quare vox Dei Hebraeis sit pro superlatiuo

altissimaque dicere volunt, ea hoc nomine אל el Dei, vocent, vt in psalmo. *Iustitia tua sicut mon-*

Ps. 35 ℣. 7.

tes Dei. Sunt autem a Deo fundati montes perpetui, non casuri, vt solent ab hominibus aggesti, neque humiles, sed altissimi, ita vt capita super nubila exerant. Est ergo iustitia stabilis, permanens, altissima, & quasi se extollens super nubes munerũ, acceptionis personarum, ignorantiae, vel malitiae. Et

Psal. 79. ℣. 11.

in alio psalmo de Israele sub vineae parabola loquens

Ps. 79. ℣. 11.

quens, ait: *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei* altissimas, quas nempe Deus plantauit. Eadem quoque dicendi formula vsus est Paulus, dicens: *quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei*, sonitu magno, qui ab omnibus exaudiatur, *descendet de caelo, &c.* Hanc ergo tituli excellentiam sibi arrogabat princeps Tyri, dum dicebat אל אני el ani Deus ego.

1. Thess. 4. ℣. 15.

Quomodo potuerit appeti ab Angelo diuinitas.

Quoniam vero locum hunc doctores Scholastici ad peccatum Angelorum examinandum adducunt, cuius perspicax intellectus nulla ratione ita obtundi vmquam potuit, vt nesciret diuinitatem sibi esse impossibilem, vtpote suae naturae incompossibilem: necessum erat illum non ignorasse: quod si possibile esset Angelum Deum esse, iam necessum erat Angelum non esse, vel vt manifestius loquar, impossibile erat, alienam induere naturam, etiamsi diuina esset induenda, quin propriam amitteret. quod quidem, tamquam sibi impossibile, vel etiam malum nulla ratione appetere posset voluntas angelica. Quapropter inuestigantes, an hoc aliqua ratione appeti potuerit ab Angelo, duplicem voluntatem considerant, efficacem alteram, & absolutam, alteram verò inefficacem, & condicionatam. Et de illa quidem facilè probant, nulla ratione ferri posse in impossibile, dummodo tamquam impossibile cognoscatur, quoniam voluntas absoluta illud tantummodo appetit, seu appetere potest, quod sibi bonum est, cùm autem impossibile nulla ratione possit, tamquam absolutè bonum repraesentari, consequens est, vt neque appeti possit. Voluntate autem condicionata, impossibile esset etiam appetibile, tum propter se, tum propter aliud bonum appetibile sicut iustus vellet non peccasse, quod bonum fuisse cognoscit, & damnatus vellet Deum non esse, aut non esse suorum scelerum vindicem, quoniam tamquam bonum appetit non puniri. Quare communis est doctorum sententia, nullum Angelorum peccasse, appetendo excellentiam Dei per essentiam, quia illud obiectum impossibile erat, & notum Angelis, tamquam impossibile. Quibus etiam rationibus facilè in eam adducor sententiam, vt credam, neque principem Tyri, aut Babyloniae Regem hoc scelere infectos: licet enim horum intellectus, propter deprauatissimos affectus facilè potuisset decipi, & apprehendere diuinam essentiam, tamquam sibi possibilem, atque ita sub aliqua ratione boni appetibilem tamen diuinae scripturae verba, quae ipsorum superbiam exprimunt, id non exigunt. Licet enim dicat Nabuchodonosor: *In caelum conscendam*: id ad templum Hierosolymitanum referendum putant nonnulli, ex sequentibus id comprobantes, atque ex illo psalmi: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes eius*, quasi sit sensus, qui in caelo tantùm residet, & in templo, alio nempe terrestri caelo, vel caelesti solio, quod sibi delegit Deus, habitare similiter consueuit. Alias enim de Angelo intelligi non posset Isaiae locus. Quomodo enim in caelum ascenderet, qui in caelo peccauit, & mox è caelo cadens *in profundum laci* detrusus fuit? Sanèque locis omnibus factum ita putamus, si intelligatur omnes superbos istos, diuinos tantùm honores sibi ab hominibus deferri affectasse. Eodem affectu diabolum adhuc mirabiliter tangi, in timoratis energumenorum conscientijs obseruauimus: quas suprà, quàm dici potest, malignus exagitabat spiritus, hoc vnum agens, aut expetens, vt se Dei nomine compellarent, vel saltem aliquid peterent, om-

Duplicem voluntatem Scholastici in peccato Angeli considerant.

Voluntas absoluta solum bonum appetere potest.

Voluntas condicionata quomodo impossibile appetere possit.

Doct. 2. sent. d. 5. & 6.

Ansel. lib. de casu diaboli c. 4.

D. Tho. 1. 2. q. 13. art. 5.

Isai. 14. ℣. 13.

Templum Hierosolymitanum dicitur caelum.

Ibi. ℣. 15.

Diabolus cum superbis diuinos sibi deferri honores appetit.

A nia daturum pollicitus, si tantùm daemonem quidquam posse dare aliquo signo exprimerent. Quodque idem quilibet obseruare poterit, audiens diabolum superstitiosis feminis, aut strigibus seruum infamem agere, vilissima quaeque exsequendo, suae naturae, & clarioni maximè aduersantia, si vel minima quaedam candelula sibi accendatur, vel aliquid simile ex ijs, quae diuino cultui affatim exhiberi solent, aliqua ex parte exhibeatur. Hoc idem confirmat Theodoretus, cum ait: Diabolus enim in illam insaniam lapsus est, & rabie percitus Deum se ipsum appellauit, hominibusque, vt hunc sibi cultum adhiberent, persuasit. Et qui cernebatur Tyriorum princeps hoc fastu laborans, cum in multam respiceret felicitatem, opinabatur esse se deum. Hanc etiam sententiam confirmare videtur Scholiastes Graecus, ait enim. Tale quiddam ijs, qui tunc regnabant, euenit, vt deos se ipsos quoque proclamarent; & sunt, qui sacrificia etiam illis constituerint offerenda: & plena est huiusmodi rerum profanorum scriptorum historia. Haec ille. At vero Cicero causam huius peruersi conatus assignat, dicens: Suscepit autem vita hominum, consuetudoque communis, vt beneficijs excellentes viros in caelum fama, & voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, & Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber &c. Haec Cicero. Hinc etiam superba potentum cogitatio eò progressa est, vt quem honorem assequi se etiam posse putabant morientes, affectare coeperint, dum viuerent. Refert enim Suetonius Iulium Caesarem ad tantam arrogantiam peruenisse, vt ampliores honores humano fastigio decerni sibi pateretur, nimirum templa, aras, simulacra iuxta deos, & è suo nomine mensis appellationem. Et Antoninus Verus Imperator, cognomento Heliogabalus, teste Lampridio, Herodiano, & Dione, Heliogabalum, quem magni numinis loco habuit, in praefatione sacrorum reliquis dijs praeponi voluit. Domitianus quoque propter consimile facinus irridetur à Philostrato. Cum, inquit, alius propterea se accusatum quereretur, quòd Tarenti, vbi dominabatur, sacrificans, publicis precibus non addiderat, Domitianum Palladis filium esse: at enim, inquit, arbitraris fortasse Palladem non peperisse, cùm semper habita sit virgo. Ignorabat autem (vt opinor) deam ipsam draconem quandoque Atheniensibus peperisse. Haec ille. Cui astruunt Quinctilianus, Suetonius, & Martialis. Virgilius quoque Aeneam refert vidisse in inferno quendam Salmonea, cuius etiam scelus commemorat his versibus:

B (margin letter beside "rans, cum in multam respiceret felicitatem")

C (margin letter beside "gressa est, vt quem honorem assequi se etiam posse")

D (margin letter beside "nabatur, sacrificans, publicis precibus non addiderat")

Vidi & crudeles dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Graium populos, mediaeque per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumque sibi poscebat honorem,
E *Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen*
Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.

Eandemque historiam referunt Didymus, Higinius, & Suidas. Haec item vesana diuinitatis cupido incessit Alexandrum Magnum, vt filius Iouis Ammonis existimari, & diuinum sibi cultum adhiberi vellet. Eadem insania Caius Caligula, alijque Imperatores agitati sunt. Verùm ante illos Nabuchodonosor in aurea statua adorari voluit, vt est apud Danielem. Et Medi, ac Persae, Satrapae Darij, annuente Rege statuerunt, *vt omnis, qui petierit aliquam petitionem à quocumque deo, & homine, vsque ad triginta dies,* nisi a Rege, *mittatur in lacum leonum.* Et ante hos omnes ille

alter

Theodor.

Scholiast.

Cic. de nat. Deor.

Sueton. in vita Iul. Caesaris.

Aeli Lamprid. in vita Anton. Herodian. lib. 5. Dio in Anto.

Quinct. lib. 3. c. 9. Sueton. c. 4. Martial. plurib. locis.

Virg. lib. 6.

Didymus. Higinus. Suidas.

Dan. 3.

Dan. 6. ℣. 7.

A alter Nabuchodonosor, qui misit Holofernem, prout in historia Iudith legitur, cum exercitu magno ad regna Occidentis, cui praeceperat Rex, *vt omnes deos terrae exterminaret, videlicet, vt ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quae potuissent Holofernis potentiae subiugari.*

Iudith. 3. ℣. 13.

Verùm, quae hactenus attulimus omnia, eò tantùm pertinere videntur, vt princeps Tyri intelligatur ore dixisse subditis suis, *Deus ego sum*, exhibete mihi debitum Deo cultum. At cùm non tantùm de exteriori loquela, sed de interiore potissimum intelligenda esse probauerimus, hoc vnum superest interpretandum, quomodo princeps Tyri intra se ipsum potuerit decipi, ac dicere, *Deus ego sum*, id quod de maligno spiritu, an possit B etiam intelligi, examinandum erit. Et quidem in te tam graui, post tam multas doctissimorum hominum interpretationes, animi mei coniecturam exponere nulla ratione auderem, nisi & ipse Paulus è tertio, hoc est supremo, ac supercaelesti caelo descendens, aditum nobis patefecisset, viamque demonstrasset. Scribens enim ad Philippenses, vt illos confirmet in fide Iesu Christi, auertatque à falsis pseudoprophetarum doctrinis, seipsum tamquam eorum exemplum, vitaeque exemplar proponit, & multa bona opera, quae in lege operatus fuerat, commemorans, subdit. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam*, hoc est, quatenus me impediunt à consequenda eminenti scientia *Iesu Christi Domini* C *mei: propter quem*, tamquam vltimum finem consequendum, *omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.* Quae postquam fusiùs explicauit, subdit *Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant*, mihi ex aduerso, *sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus; quorum deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Haec est vera, & completa definitio eorum, qui omnibus idololatris peiores, debitum Deo cultum sibi ipsis impendunt. Quod enim à nobis primo, ac maximo mandato, D immo verò omnium mandatorum vnica summa, exigit Deus, hoc est, vt ipsum diligamus *ex toto corde, in tota anima, & in tota mente*. nempe vt in Deum, tamquam in vltimum gloriae finem, omnes nostros affectus, & actus referamus, ita vt *confusione contempta*, hoc est, nullam metuentes confusionem, pericula, aut damna, quae vocat Apostolus crucem Christi, caelesti Iesu Christi scientia imbui studeamus: hi contra, propriam tantummodo excellentiam, gloriamque expetentes, ac felicitatem, in se ipsos, tamquam in vltimum finem, cor, mentem, & animum penitus dirigunt. Ex quo fit, vt inimici sint *crucis Christi*, ventri, ac delicijs seruientes, terrenae, quam, rationem status E vocant, sapientiae operam dare consueuerunt; quae docet illos mendacio, fallacia, atque astu sibi honores, & felicitatem expetendam, & religionem, Deumque ipsum colendum, vel non colendum, hoc modo, vel illo, honore prosequendum amplius, aut secus, quatenus, huic, quam expetunt, felicitati consequendae deseruire posse arbitrantur. In quo quidem nihil aliud facere videntur, quàm Deum optimum, ac maximum ad se ipsos referre, multò magis impiè, quàm Tyrius, dicentes, *Deus sum ego*. Siquidem ille terrena tantùm ad se conuertebat, hi etiam caelestia, ille res creatas solum, hi creatorem ipsum. Quibus me-

Quomodo potuerit Tyrius intra se dicere, deus ego sum. Tertium caelum quod dicatur Philip. 3. ℣. 8.

& ℣. 17. 18. 19.

Contra politicos disputatio.

Matth. 22. ℣. 37.

Hebr. 12. ℣. 2.

De ratione status.

A ritò Paulus exitum tam impij sceleris denunciat, dicens: *quorum finis*, quem ipsi sibi proponebant immortalitatis, ac perpetuae felicitatis, *interitus* erit, *& gloria*, quam expetebant, *in confusione ipsorum*, hoc est, sita est in ijs, quorum pudere eos oporteret, vel quae confusionem illis, dedecus, & ignominiam afferent sempiternam. Eadem enim via, qua illa exquirebant, haec consequuntur. Neque desunt huius nouae haeresis vetera exempla: antiquus est enim eorũ architectus, & machinator diabolus. De Achaz namque impijssimo Rege legitur in libris Regum, ac Paralipomenon, quoddam inauditum idololatriae genus, in quo videtur sagaci stratagemate voluisse adorari. *Direptis* enim B *omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei, & fecit sibi altaria in vniuersis angulis Hierusalem.* Neque hoc contentus, voluit etiam adorari in templo Dei. Erat autem locus adorationis in templo ad Occidentem, à parte orientali, introitus; in medio verò atrio interiore situm erat altare aereum holocaustorum, ab occidentali autem parte eius erat sanctuarium illud, in tres partes diuisum, vestibulum scilicet, Sanctum, & Sanctum Sanctorum, quod per antonomasiam templum dicitur, eiusque portas clausisse scribitur Achaz. Ab Oriente verò porta erat celebris, Regi destinata, de qua Propheta noster: *Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat pa-* C *nem*, sacrificium offerens, & consummans *coram Domino, per uiam portae vestibuli ingredietur, & per uiam eius egredietur*, quam vocat locus Regum mox afferendus, *introitum Regis*: & ab huius latere dextro erat suggestum quoddam, in quo sedentes Leuitae, & sacerdotes, legem, ac prophetas interpretabantur diebus, quos appellabant sabbata, hoc vero suggestum, *Musach sabbati* vocabant. Quae omnia non scripta tantum, sed efformata in descriptionibus templi, quas in apparatu adijcimus, sigillatim poterit quisque perspicere. Igitur ad Achaz redeuntes: Is quidem statuto nouo, & maiori altari maximo, iuxta formam Damasceni, super eo praecepit immolari victimas. *Mu-* D *sach quoque sabbati, quod aedificauerat in templo*, in atrio, inquam, interiore, *& ingressum Regis exterius*; portam, quippe, orientalem *conuertit in templum Domini*, praecipiens inquã, vt holocausta, & sacrificia, adorationesque fierent versus Orientem; à prospectantibus introitum Regis, vbi ipse sedebat. Ne autem videretur velle adorari, vnà cum introitu Regis fecit etiam adorari suggestum legis, quasi fingens eundem posse ibi adorari Deum, qui in Sanctuario adorari consueuerat. Siquidem in Sanctuario nihil aliud erat, quàm arca, eiusque satellites, nempe Cherubini, in qua lex Dei asseruabatur. Haec omnia sunt impia politicorum figmenta, tradentium, posse Deum coli, & statum E super omnia diligi. Verùm artificiosius sanè Nabuchodonosor, immò eius praeceptor, ac magister diabolus diuinum honorem affectat, fingens, se nihil minus curare, vt videre est in eo, quem saepe attulimus, Isaiae loco. Improperat enim his ruinam propter elationem cordis: *Qui dicebas*, inquit, *in corde tuo, in caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*. Cuius loci intelligentia id postulat, vt meminerimus, Hebraeos templum caeli nomine nuncupare solitos, vt ex psalmo suprà probauimus. Quapropter & de aulaeo, ante templi fores appẽso, ait Iosephus, fuisse illud quasi omnium rerum imaginem praeferẽs: eratque in eo perscripta omnis caeli ratio, propter signa, & Cherubinos

4 Reg 16. 2. Paralip. 28. ℣. 24.

Descriptio templi Hierosolymitani.

Sãctuarium templi in tres partes diuisum.

Ezech. 44. ℣. 3.

4. Reg. 16. ℣. 18.

Politicorum impia figmenta.

Isai. 14. ℣. 13.

Hebraei templum caeli nomine compellare solebant.

Ioseph. 6. bel. cap. 6.

E rubinos

rubinos vocabant astra. In quo sensu putat Hieronymus, locutum fuisse Dominum ad Iob, cum dixit ei, *ubi eras, cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* eosdem enim filios Dei vocat, & *astra*, propter scientiae, quae lumine significatur, magnitudinem: *matutina*que dicuntur *astra*, quia ante omnes intellectuales creaturas facta. Quae quidem astra ab initio ortus sui Deum laudare, atque illi iubilare non desistunt. Erant autem in templo Cherubim, quattuor alis suis protegentia propitiatorium, & super eis sedebat Dominus, vniuersum mundum gubernans. Quare in psalmo dicitur ei, *qui sedes super Cherubim*. Hanc ergo sedem, hoc caelum, has stellas, solio suo exaltando, expetebat vterque Nabuchodonosor, terrestris, atque infernalis. Quod quidem aenigma declarat, subdens. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, de quo in psalmo. *Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*. Exoptabat solium, ac sedem Dei, sedentis inquam, in propitiatorio inter alas Cherubim. Neque verò alienum videri debet hic tantisper immorari, & quae sit haec sedes, alta mentis consideratione perpendere. Praecepit Deus in Exodo Moysi, vt, quam dederat ei legem duabus scriptam tabulis, arca includeret, ex lignis setim compacta, & deaurata, desuper propitiatorium habente, atque à lateribus duos Cherubinos, quasi duos legis custodes, duplicem, inquam, Dei, ac proximi amorem, qui totam legem complectitur: in quorum medio sibi Deus sedem parauit, dum, *Inde*, inquit, *praecipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim*, de quibus paulò ante praeceperat Dominus: *Respiciant se mutuò, versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca*. Quibus quidem praeceptis, ac statutis, quid aliud manifestius videtur significare voluisse Deus, quàm se fore legis, & eius custodiae finem, nempe legem custodiendam, Deum, ac proximum diligendum propter ipsum Deum. Atque eandem Dei sedem appetunt isti idololatrae, vt omnibus eodem modo stantibus, ipsi pro Deo sedeant, hoc est, vt legis obseruatio, amor proximi, vel ipsius Dei, in eum solum referatur finem, vt dominentur, ac regnent. Ex quo fit, vt eatenus tantùm Deo seruiant, proximũ diligant, aut legem obseruent, quatenus id ad proprij status conseruationem conferre posse arbitrentur. At si qua ex parte detrahi aliquid, vel minui de statu suspicentur; nullo negotio & legem violant, & proximum auersantur, odio prosequuntur non proximum tantum, sed & Deum ipsum, quem aspernantur, atque contemnunt. Et quod exsecrabilius est, violandam legem, detestandum proximum, & Deum ipsum contemnendum esse profitentur, & impijssimos asseclas docent. Discant ergo alieno malo edocti omnes viuentes, in quod scelerum, atque haeresum barathrum incautos deducat nimius propriae excellentiae appetitus. Longè verò aliter iusti, ac sancti se gerunt in prosperis. de quibus sic scribit Scholiastes Graecus. Non vtique Moyses, qui Pharaonis dictus est deus, neque sancti, ad quos dictum est, *dij estis*, qui nec vt homines mortui sunt, neque vt vnus aliquis ex principibus ceciderunt, hoc dicerent, quod obijcitur principi Tyri, *deus ego sum*, domicilium Dei habito. Haec ille.

Hieron. Iob 38. ℣. 7.
Ps. 79. ℣. 2. & Ps. 98. ℣. 1.
Isai. 14. ℣. 13.
Ps. 47. ℣. 3.
Exo. 25. ℣. 10.
De dispositione arcae testamenti, eiusque morali interpretatione.
Ibi. ℣. 22.
Politicorum haeresis.
Nimius propriae excellentiae appetitus in summa pericula adducit.
Scholiast.
Sancti, quibus diuinitatis participatio quaedam conceditur, nequaquam diuinitatem sibi arrogant.

Vbi nos legimus: *Et in cathedra Dei sedi in corde maris*, Septuaginta legunt, habitationem Dei habitaui in corde maris. Hebraicè מושב אלהים ישבתי moscab elohim iascabti. Vtraque autem vox, quae in

A

cathedra, &, *sedi*, transfertur, à verbo ישב iasab deducitur, quae primùm quidem sedem significat, deinde per quandam synecdochen habitare. quod vbi habitamus, ibi frequentius, ac diutius sedere soliti sumus. vt in Genesi. *Abraham habitauit in terra Chanaan*. Et in libro Regum, *cùm sedisset*, hoc est, habitasset *Rex in domo sua*: transferturque hoc verbum ad significandum idem, quod regnare, quod Rex in Regia, & in solio sedens, potissimùm Regiam ostendat, vel exerceat auctoritatem, vt in libris Regum: *Salomon autem sedit super thronum Dauid patris sui, & firmatum est regnum eius nimis*. Et in Exodo: *A primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius*, administrans

B

Rempublicam, *vsque ad primogenitum ancillae, quae est ad molam* Quoniam autem Regum est ius dicere, siue, quoniam sedentes iudices sententiam proferunt, inde sedere saepe significat iudicare, vt in Apocalypsi: *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est eis*, hoc est potestas iudicandi. Vtramque verbi significationem innuit Dominus noster Iesus Christus, cum Petro interrogante, omnibus respondit apud Matthaeum: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël*. Et regnum, & iudicium Apostolis promittit in gloria, obtinen-

C

dum quidem non vno succedente post alium, sed omnibus simul, quapropter, & numerum sedium duodenarium totidem Apostolis parem commemorauit. Hoc ergo sibi arrogat princeps Tyri; nempe Regiam, verum non humanam, sed diuinam potestatem, eam nempe, quae omnia possit, nullius egeat, cuiusque reliqui omnes indigeant. Quasi dicat, Deum quendam referre possum, sedens in hoc excelso throno eminentis rupis, quae mari cincta omnem pulcritudinem, munimentum omne, omniumque rerum expetendarum copiam facilè superat. Quod sic intellexit Graecus Scholiastes. Vt enim, inquit, Deus in caelo domicilium habens, incomparabilem vim, ac po-

D

testatem habet, ita ipse quoque (qui sum Rex Tyri) maritimam vrbem incolens, maris bona percipio, cùm sapientia, & viribus inter omnes excellam. Alius vero Scholiastes: Propterea quòd, inquit, regnas in mari, & rebus omnibus praeclaris, quae sunt in ipso, potiris (hoc enim cor maris significat) elatus es ita, vt deum esse te putes. Idem confirmat Polychronius inquiens, Vbique apparet, cor maris appellare bonorum praestantiam, quae ex illo capiuntur. Quidam vero sic interpretatur locum: Tam fortis sum, & tam securus, sedens in medio maris, vt neminem mortalium timeam. Ago deum quendam in mari, cui omnes negotiatores afferunt dona. Origenes: Cor est ma-

E

ris profundi sermones profundorum, intimorum intimi, ex quo corde delapsus, qui propterea sese extulerat, deiectus est in ipsum mare sensibile. Atque id etiam hominibus accidit, qui ob suos labores efferuntur.

Cùm sis homo, & non deus. Perpulcra anthitesi vanas, ac superbas hominum cogitationes coërcet, ac reprimit Deus, duo nomina simul connectens, Dei nempe אל el & hominis אדם adam, quorum significata omnino sunt contraria, vt quilibet cognoscere facilè poterit, si legat, quae de vtroque mox afferemus. Nam quemadmodum nomen Dei el, significat fortem potestatem, vel sustentatorem omnium: ita adam significat imbecil-

lum,

Gen. 13. ℣. 12.
2. Reg. 7. ℣. 1.
Sedere, & habitare significat regnare, iudicare.
3. Reg. 2. ℣. 12.
Exod. 11. ℣. 5.
Apocal. 20. ℣. 4.
Matth. 19. ℣. 28.
Sedes Apostolis promissa quae.
Scholiast. alius.
Alius Scholiast.
Polychron.
Clarius.
Origen.
Dei potentia, & hominis miseria ipsis indicatur nominibus.

lum, infirmum, quòd nihil potest, quod se ipsum sustinere non potest, quod maximè sustineri, ac sustentari debet, quodque maximè aliena ope indiget: vt in psalmo: *Substantia mea tamquam nihilum ante te.* [Ps. 38. ℣. 6. & 9.] Alloquitur Deum Dauid, dicens, substantia, hypostasis, meae vitae subsistentia, vigor, & firmitas (sic solent Septuaginta hypostasim sumere) prae te nihil, prope, differt à nihilo, sed quid mirum? *Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo,* nempe *omnis homo viuens* est *vniuersa vanitas,* [Hominis vanitas.] vanissimus. ita vt omnis rerum omnium vanitas in vno homine, quasi aggregata uanescat, vtpote, quae in rebus alijs dispersa est vanitas, in eo complexa, & colligata reperiatur, *viuens,* etiam dum permanet: quasi dicat, quod magis permanens est [B] in homine, si, quod est ex se, vel in se, attentè contemplemur, id ipsum vanissimum est. Quam interpretationem mirificè confirmat psalterium Vaticanum. [Psalterium Vaticanum.] Nam vbi nos legimus: *Verumtamen in imagine,* vel fabula, *pertransit homo, sed & frustra conturbatur;* ibi legitur. *Quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vanè conturbabitur,* hoc est, tametsi imagine Dei quodammodo stabiliri, ac confirmari videatur homo, ita tamen est vanitati addictus, vt a vanitate ipsa conturbari nullo modo desistat. Sed & vanitatem vitae hominis diuinae stabilitati, immutabilitati, atque aeternitati comparat idem Psaltes, dicens: *Dies mei sicut vmbra,* quae [Psal. 101. ℣. 12. & 13.] ad motum luminis mouetur, eoque deficiente euanescit, [C] nullum sui vestigium relinquens, sic *declinauerunt* ad motum Solis, *& ego sicut fenum arui. Tu autem Domine in aeternum permanes, & memoriale tuum in generatione, & generationem.* Si ergo hanc, quae est inter Deum, & hominem infinitam distantiam, attentè perpenderis, intelliges, quam impudenter mentiatur homo, dicens, *deus ego sum:* cùm *sit homo, & non deus.* Quid enim tam distans, quàm à diuinitate humanitas? ab omnipotente omnino impotens? à spiritu infima caro? Quam quidem distantiam ipse Dominus apud Isaiam declarauit, dicens: [Isai. 31. ℣. 3.] *Aegyptus homo, & non deus, & equi eorum caro, & non spiritus.* [Scholiast.] Scholiastes: Fefellerunt cogitationem tuam, quasi dicat, [D] quae somniabas de diuinitate praesumpta, *cum sis homo, & non Deus.*

Et dedisti cor tuum quasi cor Dei. [Cor significat consiliũ, & animi magnitudinem, quae neque deprimatur aduersis, neque prosperis extollatur.] Cor autem, vt paulò antè tractauimus, significat consilium, sicut etiam in libris Regum orante Dauide coram Domino, & dicente: *Quia tu Domine exercituum, Deus Israel, reuelasti aurem serui tui, dicens: domum aedificabo tibi: propterea inuenit seruus tuus cor suum,* hoc est consilium, sibi vsui futurum, *vt oraret te oratione hac.* [2. Reg. 7. ℣. 27.] Neque hoc tantùm significat hoc loco, sed etiam sapientiam, intellectum, atque prudentiam, cum animi magnitudine cõiunctam, quae neque deprimatur aduersis, neque prosperis extollatur, aut euanescat. Haec omnia postulasse vide- [E] tur à Deo Salomon, dicens: [3. Reg. 3. ℣. 9.] *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* Quod postulatum referens, interpretatur liber Paralipomenon: [2. Paral. 1. ℣. 10.] *Da mihi sapientiam, inquit, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* Idemque Dominus postulatis obsequens, ait: [3. Reg. 3. ℣. 11.] *Postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium.* Quae quidem omnia vocis significata vnicus comprehendit locus in libris Regum, qui sic habet. [3. Reg. 4. ℣. 29.] *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quae est in littore maris.* Relatae sunt autem hoc loco omnes ani- [A] mi dotes, quas requirere posses in principe, vt Rempublicam summa cum laude administrare possit: [Animi dotes in principe requisitae, vt cum laude possit, ac fructu Rempublicam administrare.] quaeque clarissimum virum optime de Republica meritum maximè decerent. Hac autem virtutes omnes, praeclaraque gesta, in quo possunt vel adinueniri praestantiores, aut in quo altiorem excellentiae gradum consequi, quàm in virtutum omnium excellentissimo principe Deo, optimo, maximo, earumque omnium origine, ac fine? Haec ergo omnia sibi immerito arrogasse reprehenditur princeps Tyri, dum vno verbo dicitur, *dedisti,* hoc est, tu tibi indulges, & ambitiose tribuis, *cor tuum* esse, *quasi cor Dei.* Ad quam quidem impiam, ac fallacem cogitationem allusisse dicitur Dominus in can- [B] tico beatissimae Virginis Mariae, dicentis. [Luc. 1. ℣. 51.] *Dispersit,* longè seposuit *superbos à mente,* vel cogitatione, seu potius ab aestimatione *cordis sui.* Graecè καρδίας αὐτῶν cardias auton, cordis eorum, hoc est, sui ipsorum: quasi dicat, *dispersit,* profligauit, perdidit *superbos,* qui mente, & animo tument, sibi ipsis nimium tribuentes, & arrogantes, quasi cor suum putent diuino cordi simile fore. [Scholiast.] Scholiastes Maiora, quàm natura ferat, tibi tribuis, ac de te sentis. Hanc verò textus Ezechielis, quam attulimus, explicationem probat, qui sequitur.

III. [Hieron.] *Ecce sapientior es tu Daniele.* Hieronymus. Quia tactas sapientiam in tantum, vt regni tui homines Salomonem in aenigmatibus prouocarent: num- [C] quid sapientior es Daniele, qui Dei gratia, vicit omnes magos, & ariolos, & nunc in Babylone sapientissimus est? Septuaginta interrogatiuè legunt. Numquid sapientior es tu Daniele? quam lectionem sic interpretantur Graeci Scholiastes. [Scholiast.] Quid tam sapientiae meminit Danielis, qui multis partibus sapientiam Chaldaeorum superabat? nam (respondet) & si quis est sapiens, vel ab alijs didicit, vel ipse inuenit sapientiam, & ad priorem illum sapientiae acquirendae modum pertinent illa verba; an sapientes te sua scientia erudierunt? ad posteriorem, illa: Num scientia tua, & prudentia tua potentiam tibi comparasti? Quibus verbis significare velle videtur Scholiastes, Tyrium principem tam [D] innatae, quàm acquisitae sapientiae ostendi expertem; [Sapientia caret qui sibi sapientiam arrogat.] cum ipse sibi arrogaret, se vtriusque compotem fuisse. [Theodoret.] Theodoretus vero aliter: Tantum abest, inquit, vt res tuas cum diuina natura comparem, vt etiam te prudentibus hominibus longè inferiorem ostendam. Daniel enim & diuina sapientia praeditus fuit, & Chaldaeorum scientiam sibi comparauit, tu verò & diuina gratia orbatus es, & ab hominibus sapientibus haud percepisti scientiam. [Alius Scholiast.] Alius verò Scholiastes subiungendus videtur, qui: Vide, inquit, quomodo illius arrogantiam deprimat. Is enim diuinitatem affectabat, hic ne ad puerili quidem Hebraici prudentiam se peruenisse testatur. Ac si ita [E] cum illo ageret: Si hoc magnum putas, gubernandae vrbis, & nauali peritia, & sociorum opibus, & diuitiarum splendore inter omnes excellere, vide quàm sit tibi praeferendus Daniel adolescentulus, qui, cùm nec diuitijs afflueret, neque gloria eminteret, nec socios, vel adiutores haberet, ad eam gloriam studio pietatis, diuinique cultus est prouectus, vt etiam, qui apud Babylonios erant in honore, illius prudentiam vererentur. [Non protectoris imbecillitate Hebraeos patitur, cùm eorum aliquos a maximorum periculorum extremis nullo negotio liberauerit.] Hoc dicit ad superbiam Tyri coërcendam, & vt latenter significet, non protectoris imbecillitate Hebraeos premi, & conflictari, siquidem religiosum (Danielem inquam) ac pium etiam, captiuum abductum, omnium optimum demonstrauit, idque vel dominantis (Na-

buchodonosoris, & satraparum) iudicio, omniumque sententia. Haec ille. Verum quoniam nostra Latina lectio maiorem vim obiurgationi adhibet, magisque est Hebraicae similis, eam interpretaturi praemittamus oportet, quomodo cum superioribus cohaereat haec Danielis commemoratio. Quod quidem manifestum vnicuique erit, si in memoriam reuocet, quod Dionysius Areopagita nomine diuinitatis intelligendum docet, his verbis: Θεότης μέν ἐστιν ἡ πάντα θεωμένη προνοία, καὶ ἀγαθότητι παντελεῖ, καὶ πάντα περιθέουσα, καὶ συνέχουσα, καὶ ἑαυτῆς ἀποπληροῦσα, καὶ ὑπερέχουσα πάντα τὰ τῆς προνοίας αὐτῆς ἀπολαύοντα, id est: Deitas est autem omnia θεωμένη theomeni, id est spectans prouidentia, & quidem perfecta bonitate: & περιθέουσα peritheusa circum omnia currens, & continens, ac se ipsa replens omnia: omnia denique supereminens, quae illius prouidentia perfruuntur. Haec Dionysius. Quare nomen θεὸς theos, id est Deus, ad illas duas voces referre potissimum videtur, θεᾶσθαι theasthae, quod est spectare, & θέειν thein, quod est currere. Ioannes Damascenus tertiam addit notionem, cùm ait: Δεύτερον δὲ ὁ θεὸς ὄνομα, ὃ λέγεται ἐκ τοῦ θέειν, καὶ περιέπειν τὰ σύμπαντα, ἢ ἐκ τοῦ αἴθειν, ὅ ἐστι καίειν (ὁ γὰρ θεὸς πῦρ καταναλίσκον πᾶσαν κακίαν ἐστίν) ἢ ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι τὰ πάντα (ἀλάθητος γὰρ ἐστίν) καὶ πάντων ἐπόπτης, hoc est. Alterum vero nomen est θεὸς theos, Deus, vel a θέειν thein, id est currere, & obire vniuersa; vel ab αἴθειν aethin, id est vrere (Deus enim ignis est, vitium omne consumens) vel à θεᾶσθαι theasthae, id est omnia spectando. Nihil enim eum latere potest, & omnium inspector est. Haec vero omnia arrogasse sibi videtur Tyrius, cum sibi diuinitatem arrogasset. Verum obiurgans illum Deus cum amarulenta irrisione, ironice profert: *Ecce sapientior es tu Daniele, omne secretum non est absconditum à te*, & quae sequuntur. quasi dicat, cum tu te deum putes, diuinum possidere cor, sapientiam, consilium, & prouidentiam, quis dubitet te multo sapientiorem esse Daniele? Hic enim licet & somnium, & interpretationem eius narrauerit Regi, tamen ipse fatetur se a Deo illa omnia accepisse, dum dicit *Sed est Deus in caelo, reuelans mysteria, qui indicauit tibi Rex &c.* Quod quidem mysterium non nisi per Danielem indicatum est: quare à Deo per Danielem indicatum fuisse Regi intelligendum est. At verò Tyrius non ita, sed omne mysterium sibi cognitum esse putat nullo edocente, cùm cor Dei se habere credit. Daniel sapiens quidem, & sapientissimus est habitus: ita ut in prouerbium abierit Danielis nomen pro sapiente; eam tamen, qua praeditus est, sapientiam Deo refert acceptam, dum initio suae prophetiae, *Pueris autem*, inquit, *his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia. Danieli autem intelligentiam omnium visionum, & somniorum.* Et expressis verbis modestia plenis iterum. *Mihi quoque*, inquit, *non in sapientia, quae est in me, plus quàm in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est: sed ut interpretatio Regi manifesta fieret.* Princeps autem Tyri omnem sapientiam, quam se, falsa opinione deceptus, putat habere, ita a se ipso habere se putat, ut neque à sapientibus hominibus, neque a Deo ipso eam habuisse se credat.

Sapientior Hebraicè חכם chacham, quae vox latius patet, quàm latina, sapientia. illa enim certam rerum diuinarum, & humanarum cognitionem significat. tum earum, quae ad operationem, seu munus exsequendum, ad prudentiae virtutem pertinentes, referuntur. tum earum, quae mentem cognitae perficiunt, atque nobilitant. Ex quo fit, ut tot sapientiae encomijs, tot laudibus, tota ferè sacra pagina plena sit: immò uerò ea propterea tantummodo scripta uidetur, ut sapientia erudiantur mortales, testante Propheta. *Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans paruulis*. simplicibus, alij reddunt, vel insipientibus, quos separat Christus Dominus à sapientibus mundi, dicens: *Confiteor tibi Pater Domine caeli, & terrae, quia abscondisti haec à sapientibus, & prudentibus*, Tyrio Regi simillimis, *& reuelasti ea paruulis*. Hanc autem sapientiam, uel potius eius falsam opinionem, aut praesumptionem superbis dissuadere uidetur Dominus Danielis exemplo, quem sapientissimorum uirorum facilè principem omnis illa uenerabatur aetas, quique tanquam nulli conferendus, in omnium oculis, & ore uersabatur. Neque credibile uidebatur, ipsum Tyrium, quantumuis impudentem, ac stultum, ausum esse se cum Daniele conferre, quoniam facilè posset experientia probari, illum non posse somnia, seu potius, quae erant futura, cognoscere. Consimili, at omnis suauitatis plena obiurgatione, Deus quattuor simul eiusdem libri capitibus sanctũ Iob in officio continere uolebat, sic exorsus *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terrae?* Quasi dicat, tu te omni culpa uacare putas, & tuam iactas innocentiam, ita ut nullam meruisse te credas earum, quas sustines immissas à Deo calamitates; cum eiusmodi innocentia, & uitae sanctitas solius Dei propria sit. deus ergo habeti iis, & rerum omnium conditor: praeclaram, quasi dicat, cogitationem, & pio uiro dignam. Astitisti ergo mihi cuncta creanti. *Vbi ergo eras, quando ponebam fundamenta terrae?* & cetera quae sequuntur. Quod si nondum eras. *Numquid post ortum tuum praecepisti diluculo, & ostendisti aurorae locum suum? &c.* Quae quidem omnia ut infinitis partibus humanum captum excedunt, ac superant, sic ab eo longe absit oportet & innocentiae opinio, & sapientiae arrogantia. Rabbi uero Selomon aliam quoque affert interpretationem. *Ecce sapientior es tu Daniele*, idest, inquit, numquid sapientior es tu Daniele, qui omne arcanum, ac mysterium nouit, omnemque scientiam, ac sapientiam? & tamen cùm Nabuchodonosor uoluisset eum, quasi deum adorare, renuit, iuxta illud dictum. *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum praecepit, ut sacrificarent ei.* Tu autem cum non sis maiori merito, aut sapientior, facis te ipsum deum. Haec ille. Verùm oppositum omnino eius, quod intendit, probare videtur, allato Danielis testimonio, cùm ex eo potius probari videatur, Danielem orationem Regis non prohibuisse maximè si accedat Hieronymi commentarius, respondens Porphyrio, impiè calumnianti locum istum, ac sacram historiam incredibilia referre astruenti, nempe à superbissimo illo Rege seruum adoratum. Quasi non (inquit Hieronymus) & Lycaones ob signorum magnitudinem, ut est in actis Apostolorum, Paulo, & Barnabae voluerint hostias immolare, illum Mercurium, hunc Iouem appellantes. Error ergo gentilium, qui omne, quod supra se est, deum putant, scripturae non debet imputari, quae simpliciter refert vniuersa, quae gesta sunt. Possumus tamen credere, causas adorandi, & sacrificandi ab ipso Rege expositas fuisse, cùm diceret Danieli. *verè Deus vester Deus deorum est*: ergo non tam Danielem, quàm in Daniele adorare voluit Deum, qui myste-

Margin notes (left column):
Dionys. cap. 12. de diuin. nomin.
Io. Damasc. lib. 1. ortho. fid. c. 12.
Quid sibi arrogare voluerit Tyrius, dum Deum esse se dixit.
Dan. 2. ℣. 28.
De sapientia Danielis.
Dan. 2. ℣. 30.
De significatione nominis sapientiae, tum Latinè, tum Hebraicè.

Margin notes (right column):
Psal. 18. ℣. 9.
Matth. 11. ℣. 25.
Iob 38. 39. 40. & 41.
Quam longè remouenda sit ab humano corde sanctitatis, aut sapientiae praesumptio.
R. Selom.
Verum Daniel adorationem sibi oblatam à Rege prohibuisset. Hieronymus non prohibuisse sentire videtur.
Act. 14. ℣. 13.
Dan. 2. ℣. 47.

ria reuelauerat. Quod & Alexandrum Magnum in Pontifice Iaddo fecisse legimus apud Iosephum. Quod si hoc displicet, dicendum est, Nabuchodonosor signorum magnitudine, & stupore confusum, quid faceret ignorasse, vt qui Dominum verum intelligebat, & ipsum Dominum, & seruum eius adoraret, & incenso, atque hostijs veneraretur. Illud quoque calumniatur, & reprehendit Porphyrius, quòd oblata sibi à Rege munera, & honores Daniel accipere non recusarit, nec planè repudiarit: non considerans, ideo somnium illud diuinitus Regi missum, eiusque interpretationis mysteria per Danielem reuelata, vt Daniel cresceret, & in loco captiuitatis princeps fieret omnium Chaldaeorum, & Dei omnipotentia cognosceretur. Quod quidem & in Ioseph apud Pharaonem, & Aegyptum legimus factum: & in Mardochaeo apud Assuerum, vt in vtraque gente haberent captiui, & peregrinantes Iudaei solatia, videntes hominem gentis suae Aegyptiorum esse principem, & Chaldaeorum. Haec ille. Quae quidem omnia Hieronymi verba propterea lubens retuli, quòd si sensum, quem prima facie prae se ferre videntur, quemque aliquibus immeritò probabilem reddunt admitterent, non tantùm Rabbino sese opponerent, eiusque sententiae aduersarentur, sed etiam huius loci, quem interpretamur, vim omnem eneruare viderentur. Quid enim commemoret Deus Tyrio principi, vt eius superbam praesumptae diuinitatis arrogantiam comprimat? quid inquam, commemoret Danielem hominem (si ea vera sunt) eiusdem sceleris suspicione commaculatum? Dices, non affectasse Danielem eiusmodi diuinos honores. At parumne videbitur admisisse? Dices, non expetijsse: at magni sceleris est coram Deo, non prohibuisse, non repulisse, Rege blasphemante vestes non conscidisse. Tali enim crimine accusatur impijssimus Rex Ioachim, comburens librum Ieremiae, cum dicitur: *Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua Rex, & omnes serui eius, qui audierunt vniuersos sermones istos.* Et quidem impijssimum Herodem Regem, neque quando *occidit Iacobum, fratrem Ioannis gladio:* neque cùm apprehendit Petrum, & misit in carcerem, vt post Pascha produceret eum populo, diuina prosequuta est vltio: sed tunc tantummodo, cùm oblatas diuini honoris à populo acclamationes non repulit, neque Regiam illam vestem, tanti flagitij occasionem, vt par erat, proscidit, attestante haec Luca in actis Apostolorum his verbis: *Statuto autem die Herodes vestitus veste Regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit illum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo; & consumptus à vermibus exspirauit.* Quapropter efficaci argumento probat Pererius, diuinos honores, aut sacrificia Danielem non admisisse, sed auersatum omnino fuisse: siquidem cum non vltio diuina, sed innumera paenè miracula, & mysteriorum caelestium multiplex reuelatio prosequuta est. Verùm Gabriel Vazquez altius fodit fundamentum, contendens, neque ipsum Nabuchodonosorem talia munera, aut sacrificia Deo tantùm offerri solita obtulisse: quod bene probat ex significatione vocum tam Hebraicae, quam Graecae linguae. Verùm vtinam omnem exhausisset difficultatem, magna me leuasset cura, & onere liberasset non modico. Eius sententiam maximè probo, eamque tum Ezechielis, tum Danielis textui omnino consenta-

Ioseph. 12. Antiq.

Non prohibere diuinos honores oblatos magni sceleris culpa est.

Ierem. 36. ℣. 24.

Actor. 12. ℣. 2.

Act. Apost. c. 12. ℣. 21. 22. & 23.

Perer. extremo lib. 2. comment. in Dan.

Danielem non admisisse diuinos honores.

Gabriel Vazquez lib. 1. de adorat. disput. 6. c. 3.

A neam habendam esse censeo. At facessit nobis negotium hostiarum, & incensi sacrificium, sed multò maius adorationis verbum, a quo exordiamur necesse est. *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam*· (in quo ferè omnes Latini, Graeci, & Hebraei concordant textus) *& Danielem adorauit*. Hebraice לדניאל סגיד ledaniel segid, à verbo סגד segad, quod quidem verbum rarò citatum reperi in Biblijs, quatter tantùm apud Isaiam, & apud Danielem bis. Quibus omnibus locis, hoc excepto, quem interpretamur, adorationem, quae idolis, vel Deo vero exhibebatur, significat. At quoniam verbum hoc Chaldaicam tantum terminationem, & interpunctionem, non
B Hebraicam hoc loco Danielis habet, ideò eius Chaldaicam acceptionem exquirens, reperi, vbi nos legimus in libris Regum, Bersabee adorasse Regem, in Chaldaeo haberi, סגידה segida. Quare vox haec quemlibet honorem, venerationem, & reuerentiam, non solum illam, quae Deo ex religione debetur, significabit. Concordat Graecum verbum προσεκύνησεν prosecynisen, quo eodem vsi sunt Septuaginta in Genesi vbi nos legimus: *Adorauit Abraham coram populo terrae*, gratias agens Ephroni de oblato agro, ac spelunca duplici *in possessionem sepulcri*. Quae omnia optimè exprimit Latinum verbum, adorare, quo saepe Latinus interpres Dei, & hominum venerationem signifi-
C cat, licet teste Festo latiùs olim significatio verbi pateret: significabat enim idem, quòd agere. Vnde & legati oratores dicuntur, quia mandata populi agunt: proptereaque crediderim eosdem dictos adoratores, quod & ipsi venerarentur exteros principes.

Et hostias, Hebraicè ומנחה vmincha, quam eandem reddiderunt Septuaginta in Complutensi codice μάννα manna: in Sixtiano verò μαναὰ mana pronunciatione parum accommodata suo more: eandem Hebraeam transtulerunt, non autem aliam, vt aliqui putant, exquirentes alijs locis eius vsum. Et in eo, quem afferunt ex libro Regum de filijs Belial, nolentibus af-
D ferre munera Sauli, in Hebraeo habetur haec eadem vox מנחה mincha. Quae quidem vox, vt ex eodem loco clarè patet, non solum sacrificiùm significat, quod offertur Deo, sed etiam munus, quod hominibus datur. Putat autem R. Dauid sic dictum donum, quòd cum pompa hominibus etiam offeratur. à radice נחה nacha, quae sensim deducere significat. Quare honorificentissimum donum oblatum Danieli significabit. Et licet Latina vox *hostias*, animalia Deo mactata propriè significet, sic dicta (teste Festo Pompeio) ab eo, quod est hostire, seu ferire: tamen iam vsus obtinuit, vt nomine hoc quaelibet oblatio significe-
E tur. Sicut frequens nos docet experientia, quae triticeas formas, quas in altari consecrandas proponere solemus, Latinè, Italicè, & Hispanicè hostias appellamus. Quare meritò Scholiastes Graecus δῶρον doron, munus interpretatur.

Et incensum וניחחין vemchochin, à radice נוח noach, quae cum omnibus vocibus, quae ex ea deducuntur, significat requiem, quietem, vel ab opere, vel a negotijs, vel à laboribus, & afflictionibus: Vel vt alij putant, ab ira, & indignatione. Inde transfertur ad significandam refocillationem, seu recreationem, suauitatem: soletque sumi frequenter tamquam adiectiuum odoris: sicut in Exodo, vbi habetur, *odor suauissimus*, ex Hebraeo vertunt, odorem quietis, refocillationis,

De adoratione Danieli à Rege exhibita.

Isai. 44. ℣. 15. 17. & 16. & cap. 46. ℣. 6. Daniel. 2. ℣. 46. & cap. 3. ℣. 5.

Gen. 23. ℣. 12 & 9.

Adorare Dei & hominum venerationem significat.

Sex. Pomp. Festus.

De hostijs Danieli oblatis.

1. Reg. 10. ℣. 27.

R. Dauid.

Hostia quid significet.

Sex. Pomp. Festus.

Sensus odor quis.

Exo. 29. ℣. 18.

recreationis, refrigerij. Graeci εὐωδίαν euodian fragrantiam reddiderunt, sicut in hoc Danielis loco, & alijs. Est & alia celebris huius vocis significatio apud Ieremiam, vbi enim habetur: *Saraias autem erat princeps prophetiae*, in Hebraeo sic: Princeps מנוחה menuchah, tequiei. Sunt qui dicunt, inquit R. Dauid, fuisse amicum Regis, quem sibi socium adhibebat tempore recreationis: vel vt alij interpretantur, qui Regi erat à remissione animi, vel propter consuetudinis, morumque suauitatem, vel propter amorem, quo illum prosequebatur Rex, suauissimus Regis comes potest intelligi. Vel vt Targhum exponit, quasi sit princeps מנחה mincha, muneris, vel munerum, seu oblationum, ac si dicat: primus in muneribus acceptis à Rege. Vbi videtur confundere vocem hanc cum praecedenti. & quidem non immeritò, cum radicales litterae propè sint eaedem. Vulgatus autem vocat illum principem prophetiae, quo nempe vsus erat Ieremias ad manifestandam prophetiam. Ex ijs igitur, quae dicta sunt, intelliges sensum loci eò spectare, vt significet munera, eaque suauissima, fragrantia, & quae animum reficere possent. Quare aptè Hieronymus vertit *incensum* aroma suauis odoris hominibus, suauissimi Deo. Cuius odorem suauissimum commemorat sponsus, dicens in Canticis. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor turis*. Quapropter possent hac voce ניחוחין nichochin significari vnguenta, ex pretiosis aromatibus confecta, vt ex sequentibus magis constabit. Nisi malis inter munera etiam incensum, non quidem igni adustum, vt solet Deo, sed quale oblatum fuit à Magis inter pretiosa munera Christo Domino, & à Regina Saba Salomoni inter aromata.

Ierem. 51. ℣. 59.
R. Dauid.
Targhum.
Cant. 4. ℣. 11.
Isa. 60. ℣. 6. & Matt. 2. ℣. 11.

Sacrificarent. Hebraicè לנסכה le nassacha, à radice נסך nassac, quae vox, fundere, effundere, seu libare significat. Et quoniam effusione olei, vel vnguenti Reges, & principes creabantur, ideo transfertur hoc verbum ad id significandum, vt in psalmo: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, & ego נסכתי מלכי nasachti malchi. R. Abraham: Regnare feci Regem meum. Aben Hezra: regnare feci, id est, feci, vt esset ex principibus meis. Idem sentit R. Dauid. Sensus autem est, vt bene notat Genebrardus, vt sint verba Christi Domini, & ego ordinatus, inauctoratus, designatus, consecratus, vel vnctus sum *Rex ab eo super Sion, montem sanctum eius*. Chaldaeus vertit רביח rabith, euexi, siue euectus sum, quod alij vertunt, inauctoratus sum. Et in Genesi de Iacob scribitur: *Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina*, ויסך עליה נסך vaissec ghaleha nessec, verti posset, fundens super eum fusionem: & est sensus, quòd lauit eum, & postea effudit super eum oleum, inquit R. Abraham. Ex qua vocis huius tam manifesta significatione satis patet, quid praeceperit ministris Rex, nempe vt afferrent munera, quibus cumularetur, & vnguenta, nisi malis ad verbum reddere, fragrantia, quae effunderentur super eum, vel quae infunderentur illi, quibus princeps crearetur, vt mos erat genti. Quod & factum sic fuisse commemorat eadem historia sacra. Nam, dum irent serui allaturi ea, quae Rex praeceperat afferri: familiari colloquio affatur Rex Danielem, nihil minus cogitans, quam Danieli diuinos honores exhibere. Quin potius verbis expressit, quas mente conceperat de Deo cogitationes, ait enim scriptura: *Loquens ergo Rex, ait Danieli. Verè Deus vester Deus deorum est, & Dominus Regum, reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum*. Tunc, nempe cum allata iam fuissent à ministris, quae praeceperat, *Rex Danielem in sublime extulit*, siue magnificauit, vnctione nempe, aut perfusione aromatum, *& munera multa, & magna dedit ei*: nempe, quae, praeceperat afferri, *& constituit eum principem*, &c. Quae cùm ita sint, manifestè patet & ex contextu, & ex loci vero sensu, neque Babylonium Regem quidquam peccasse, honore illo Danieli deferendo, multoque minus Danielem illum recipiendo, quia totus ille honor erat à Deo intentus, neque in aliquo excessit vel ille reddendo, vel hic accipiendo, prout ex allatis Hieronymi verbis manifestè patet. Neque in alio sensu intelligendus est Hieronymus, neque alia ratione calumnijs Porphyrij satisfactum iri putamus, nisi dicamus, sanctissimè à Daniele receptos honores, quos sibi Deus destinauerat, ad maiorem diuinae maiestatis gloriam, & gentis suae vtilitatem. Quae omnia desiderarentur in hoc actu, si vel hic non prohibuisset, vel ille sanxisset tribuendos homini diuinos honores. Adde etiam Theodoreti sententiam, praedictae similem, quatenus sine vllo alicuius crimine haec omnia peracta fuisse contendit, dissimilem in eo, quod historiae superaddit, nempe, non à Rege, sed à sacerdotibus oblationem illam peractā quod minimè cogimur asserere, cùm olim Regibus suffitum offerre, hostias, aut victimas mactare interdictum non fuerit: immo verò huiusmodi sacrificia illorum erant propria, prout ex Ouidij versibus intelligere est.

Vngere Hebraeis idem, quod Regem creare.
3. Reg. 10. Psal. 2. ℣. 6.
R. Abrah. Aben Hezra.
R. Dauid. Genebrardus in psal.
Gen. 35. ℣. 14.
R. Abrah. in comment.
Danielem non admisisse diuinos honores, neque à Rege illi oblatos fuisse probatur ex contextu.
Respondet Patrum sententijs.
Theodoret.
Ouid. 1. Fast.

Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Et iterum.

Victima, quae cecidit dextra victrice, vocatur.

Quod quidem munus vincendi, aut domandi hostes, Regum, ac principum potius, quam sacerdotum fuisse, non est dubitandum. Constat etiam ex ipso contextu, munera magna ab ipso Rege oblata Danieli, prout vidimus, licet non repugnet oblata per ministros fuisse: At cur per sacerdotes fuissent? Fateor meam inscitiam, ac me non posse intelligere, cuius rei causa sacerdotum meminerit Theodoretus, nisi significare forsan velit, vnctionem illam principum, seu creationem in principem, à sacerdotibus fieri solitam: prout apud nos Reges, atque Imperatores à Pontificibus inunguntur, & coronantur. Sed iam tempus est, vt ad nostram redeamus prophetiam, diutius in Daniele commorati.

Omne secretum non est absconditum à te. Septuaginta: Sapientes non erudierunt te disciplina sua. *Secretum* Hebraicè סתום satum, quae vox clausum, abstrusum, absconditum significat. Et sensus est, omnia clausa, & abscondita (aptissimè vno verbo dixit vulgatus, *omne secretum*) non sunt abscondita, vel vt interpretatur R. Dauid, non absconderunt se à te. Est enim, inquit, verbum intransitiuum, nos diceremus, neutrum. Eadem videtur hic Propheta asserere ironice manifesta Tyrio fuisse, quae manifestata sibi à Deo gratulatur Psaltes: *& occulta sapientiae tuae manifestasti mihi*. Vbi haec eadem vox reperitur, quam nonnulli interpretantur, & in clauso, abscondito sapientiam scire me facies: nempe, vt abscondita, & clausa intelligam, iuxta viam veritatis mihi à sapientia tua manifestatam. Targhum: in abscondito cordis sapientiam scire me facies. Quidam sapientiam, quae est in occulto, eam putant, de qua Christus Dominus apud Matthaeum locutus est, dicens: *Nihil occultum, quod non scietur*, per reuelationem eiusdem

Secretum quale.
R. Dauid in comment.
Ps. 50. ℣. 7.
Targhum.
Matth. 10. ℣. 26.

dem Iesu Christi Domini nostri; ad eamque allu-
1. Cor. 2. ✝. 7.
sisse Paulum, dicentem. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio*, verùm quàm aptè, lector expendat. Quod nostri muneris est eo spectat, vt intelligamus Tyrium omnia se scire arbitratum, etiam secretissima, neque à quoquam sapientum ea didicisse; prout tradunt Septuaginta.
Polychron.
Polychronius verò sic interpretatur: Sapientes dicit Babylonios, magos, ac diuinos, & qui de rerum futurarum scientia gloriabantur.
Scholiast.
Scholiastes. Id verò ait, quia proposito somnij indicto, soli Deo confessi sunt res huiusmodi cognitas esse: quasi interpretentur Graeci, dictum hoc fuisse affirmatiuè, non ironicè: Sapientes Babylonij, qui maximè confusi, suamque inscitiam professi sunt coram Rege, non te erudierunt: siquidem ipsi nulla ratione auderent asserere, omne secretum sibi cognitum, aut se sapientiores esse Daniele. Hoc eodem argumento vsus est Eli-
Iob 15. ✝. 7. & seq.
phaz Themanites aduersus Iob, dicens: *Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus? numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit eius sapientia? Quid nosti, quod ignoremus? quid intelligis, quod nesciamus? & senes, & antiqui sunt in nobis multò vetustiores, quàm patres tui*.

IV. *In sapientia, & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem*, munitionem, ac robur ciuitatis, siue stabilimentum regni, optimis, ac perpetuò duraturis legibus instructi, & acquisitionem auri, & argenti. Quasi dicat (inquit Scholiastes) numquid ipsi (vrbi) ad tutelam sociorum robur suppeditasti?

V. *In multitudine sapientiae, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem: & eleuatum*
Supra ✝. 2.
est cor tuum in robore tuo. Hebraicè est eadem phrasis, quae suprà explicata est: possetque sic verti: Et dedisti tibi cor tuum, vel arrogasti tibi sapientiam, & reliqua, quae ibi diximus, significari voce, cordis, nempe prudentiam in administrando, & defendendo regno; sapientiam in exaltando, & opibus, ac omnibus bonis cumulando. *In*
R. Dauid Chimchi. R. Ionath.
robore tuo, Hebraicè בחלך beheleca, vbi R. Dauid Chimchi, & Ionathan, in exercitu, transtulerunt, vel in pecunia, & diuitijs tuis (ב be autem particu-
Praepositio, in, valet nonnumquam Propter.
la praeposita voci, quam frequenter transtulit vulgatus per (in) aliquando significat (propter) vt in
Gen. 18. ✝. 28.
Genesi: *Delebis propter quadraginta quinque*: in Hebraeo enim reperitur illa littera ב be, posses vertere, delebis in quadraginta, id est propter. Et ite-
Gen. 29. ✝. 18.
rum: *Seruiam tibi septem annis* ברחל be Rachel, in Rachel, *propter Rachel*. Et sensus loci erit, propter militares copias robustissimorum militum, siue propter multitudinem diuitiarum eleuatum est
Scholiast.
cor tuum. Scholiastes Graecus: Ostendit, inquit, eum ne tantum quidem imperium comparaturum
Deus regna, eorumque augmentum praestat.
fuisse, nisi Deus ipsum hisce rebus ditasset, & quomodo, ac quando huius vnus ex eius maioribus Chiram, cum Dauide, & Salomone commercia exercens, ad magnas opes peruenerit, propter eas, quae ad Tyrios mari comportabantur, vt in libris Regum, ac Paralipomenon indicatur. Huius sen-
Theodor.
tentiae vim magis explicat Theodoretus: Ipsis, inquit, rebus disce, non tua sapientia, sed me subministrante, fuisse tibi hanc negotiationem, bonorumque abundantiam: nam si voluero, ego statim te his omnibus orbabo, magistramque tibi rerum experientiam praeficiam. Si enim tua sapientia istam possessionem adeptus esses, eadem sapientia permanente ijs, quae possedisti, haud fuisses orbatus: sed spoliatus his rebus omnibus, insanas abijce cogitationes, & intellige, eum esse me, qui dederim, quique ista rursus ademerim. Cùm enim

A non agnoueris me, quando ea accepisti, disces, quando ipsis spoliatus fueris. Haec ille.

VI. *Propterea haec dicit Dominus Deus*; Hebraicè ארני יהוה Adonai elohim. Duo nomina Dei, quae initio explicauimus. *Dominus*, cuius sunt opes, de quibus gloriaris, robur, ac fortitudo, quibus inniteris. *Deus*, cuius est diuinum consilium, ac prouidentia. *Eo quod eleuatum est*, vel in superbiam elatum est *cor tuum*, arrogans sibi sapientiam, *quasi esset cor Dei*, Hebraicè אלוהים elohim, quo Dei nomi-
Dei nomen, elohim, iudiciariam Dei potestatem innuit.
ne iudiciariam eius potestatem significari putant nonnulli, nec immeritò, cùm in Deuteronomio scri-
Deut. 1. ✝. 17.
ptum sit. *Nec accipietis cuiusquã personam*, faciem interpretantur Septuaginta, *quia Dei* אלוהים elohim
B *iudicium est*, ad ipsum deferendum est tandem iudicium. vel, quia quilibet iudex ab ipso accepit iudiciariam potestatem, ipsius tantum est proprium iudicium, vel iudicare. Quod intellexerat Iosaphat Rex Iuda, de quo scriptum est in libris Paralipome-
2. Paral. 19. ✝. 6.
non. *Videte, ait* iudicibus, *quid faciatis. non enim hominum*, quorum non est proprium, *exercetis iudicium, sed Domini* יהוה Adonai, *& quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit*. Quare perpulcrè haec diuini nominis significatio cum toto contextu congruit. Tu assumis tibi cor Dei, Dei inquam iudicis, ac iudicaturi viuos, & mortuos; quasi verò tu non sis iudicandus: *Propterea haec dicit Dominus Deus iudex*. Vel quia non times
C Dei iudicium: hoc enim significat, eleuare cor, quasi cor Dei.

VII. *Idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentium*. Robustissimos, Hebraicè עריצי gharitse à radice ערץ gharats, quae praeualere significat. Qua significatione vsurpat eam Iob, Deum in
Iob 13. ✝. 25.
hunc modũ alloquens: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam*. Ex Hebraeo vertunt nonnulli: An folium propulsum plus violentabis? vel in folium delapsum praeualebis, maiorem impetum, seu vim exercebis? Inde nomen עריץ gharits significat praeualidum, potentiorem, qui alijs prae-
Iob 15. ✝. 20.
ualet. Eius mentio fit apud eundem Iob. *Cunctis diebus suis*, inquit Eliphaz, *impius superbit, & nu-*
D *merus annorum incertus est tyrannidis eius*. Vel vt aliqui vertunt, numerus annorum absconditus est
Praepotentes hoc vnũ minime possunt, nosse numerum annorum suorum.
praeualido: quasi dicat, qui plus alijs potest, hoc vnum non potest, scire numerum annorum suorum. Quod bene Hieronymus reddit voce tyrannidis: significat enim hoc nomen tyrannos. Septuaginta vero λοιμοὺς limous reddunt, pestilentes, significat enim λοιμὸς limos contagium, pestilentiam, corru-
Philo lib. de mundo.
ptionem, quam Philo definit quasi ἀέρος θάνατος aéros thanatos, aëris mors, vel aër mortifer. Quare
Pestilentes moribus qui.
transfertur haec vox ad significandum homines sceleratos corruptis moribus, qui haud secus, quàm corruptus aër, mores hominum inficiunt: à quorum
Ps. 1. ✝. 1.
cathedra semouetur iustus in psalmo. Siue etiam
E vocat Babylonios pestilentes, eleganti periphrasi significans eos fore, qui vniuersalem omnium Tyriorum ciuium allaturi sint mortem, atque interitum, nulli hominum sexui, aetati, vel dignitati parcentes, non secus, ac mortifera pestis. Quare
Theodor. Polychr.
Theodoretus ait, ab alienis ipsi minatur exitium, & pestilentijs, & gentibus. Polychronius. Quae videris aspernari, per haec tibi calamitatem inferam, quasi dicat, eos ipsos alienigenas, ac pestilentes, quos tu aspernabaris, & nihili ducebas, adducam super te.

Et nudabunt gladios suos. Hebraicè והריקו veherichu, à radice ריק rich, quae significat euacuare. Quoniam autem euacuatur vagina educto gladio,

inde

Euaginare gladium idem, quod occidere.

Inde transfertur ad significandum idem, quod euaginare, vel educere gladium, significatque non solum actum illum euaginandi gladium, sed id, ad quod potissimùm euaginari solet, nempe ad interficiendum. Sic in Leuitico Dominus ait: *Vos autem dispergam in gentes, & euaginabo post vos gladium*, ad interficiendum, caedendum, & mactandum. Haec phrasis Hispanicè posset reddi echaran mano a sus espadas. Ex quo colliguntur sequentia, *& polluent*, perdent, seu vastabunt.

Leu. 26. ℣. 33.

Super Hebraicè עַל ghal, quae praepositio significat frequenter, super, sed nonnumquam etiam, aduersus, vel contra, vt in Numeris: *Et murmurati sunt contra Moysem*: Hebraeus verteret, super Moysem. Et in psalmo: *Et principes conuenerunt in vnum* עַל ghal, *aduersus Dominum*, וְעַל veghal, *& aduersus Christum eius*.

Num. 14. ℣. 2.
Psal. 2. ℣. 2.

B

Pulcritudinem sapientiae tuae. Scholiastes Graecus, hoc est, vrbis decorem delebunt. Pulcritudinem enim vocat eius vrbis gloriam. Alius vero Scholiastes: Pulcritudinem appellat, inquit, opes, ac diuitias, quas tua scientia te adeptum esse arbitraris. Alij putant pulcritudinem significare exercitum lucidissimum, ac pulcherrimum, quem tua sapientia te comparasse dicis. Venient, inquam, & obscurabunt splendorem tuum, hoc est, spoliabunt te regno, quod magno splendori, ac pulcritudini solet esse Regi. *Pulcritudinem* Hebraicè יֳפִי iephi, forma, venustas, elegantia, pulcritudo, nempe id omne, quod videntibus placet, inque sui amorem allicit, ac pertrahit. Hoc nomine, & verbo, a quo deducitur, vsus est Psaltes, Christum in spiritu alloquens: *Speciosus forma* יָפְיָפִיתָ iaphiaphitha, quam phrasim sic ad verbum redderes, pulcritudine pulcher es *prae filijs hominum*: eius pulcritudinem videndam promittit iusto Isaias. Nam cùm ipsum iratum iudicem aduersus peccatores, veluti quibusdam coloribus expressisset, eumque cum deuorante igne, cuius sempiternos ardores, nullus inuenietur, qui possit sustinere, contuisset, sermonem ad iustum conuertens, ait: *Regem in decore suo videbunt oculi eius*, quasi dicat: non toruo, aut irato vultu, sed pacatissimo, ac summa pulcritudine Regiae maiestatis, vel in regno suo caelesti, vnde *cernent terram de longè*. Quare non immeritò Scholiastae Graeci regnum, vel gloriam vrbis intelligunt nomine pulcritudinis. Nos verò aliquid magis vniuersale putamus: nempe quidquid est pulcrum, quidquid est amabile, in te ipso, in domo tua, in vrbe tua, in regno tuo, quod omne tuae tribuis sapientiae, id omne insequentur, & aggredientur districtis ensibus suis, *& polluent*, foedabunt, seu conspurcabunt decorem tuum sanguine tuo, & puluere pedum suorum. R. Salomon: In libro Midras ageda, inquit, habetur, tres olim fuisse, qui se deos faciebant, quibus omnibus inimici eorum abusi sunt, & hi fuerunt Achaz, Hiram Rex Tyri, & Nabuchodonosor. Verùm falsus omnino hic est, quatenus Regi Tyri ea tempestate regnanti Hirami nomen indidit: cùm hic multis saeculis ante destructionem Tyri mortuus fuisset. Neque verò omnes Reges Tyri vocabantur Hirami, vt apud Graecos Ptolemaei: quod ex historia Phoenicum, & Tyriorum annalibus, referente Iosepho probatur.

Scholiast.
Pulcritudinem sapientiae variè interpretantur Graec.
Alius Scholiast.
Pulcritudo quid sit.
Christi pulcritudo
Ps. 44. ℣. 3.
Isai. 33. ℣. 17.
Merita arrogantiae poena.
R. Salomon.
Achaz, Hiram, & Nabuchodonosor dij esse voluerunt.
Ioseph. Antiq. 9. c. 14. & cont. Apio. lib. 1.

C D E

VIII.

Interficient, & detrahent te. Ex Hebraeo sic vertunt nonnulli: In foueam deducent te, & morieris mortibus interfectorum in corde maris. Septuaginta in Sixtiano codice: & sternent: Hieronymus: humiliabunt pulcritudinem tuam in perditione, & descendere facient te, & morieris morte vulneratorum in corde maris. Sic etiam legit Theodoretus. Quae omnia eò recidunt, vt depressum iri in omnibus superbiam Tyrij demonstrent. *Eleuatum est cor tuum*, dixerat prius, nunc autem *interficient, & detrahent te*, vel in foueam deijcient te, *& morieris interitu occisorum in corde maris*. Ex Hebraeo vertunt nonnulli: morieris mortibus interfecti. Quam versionem sic interpretatur R. Dauid Chimchi: Varias, ac diuersas mortes, seu tormenta patieris: non enim vnica morte, hoc est, vnico tormento, aut vulnere peribis, sed varijs, & acerbissimis, quod significare voluit, dum mortes dixit numero multitudinis. Morte mori, phrasis est, & pleonasmus, vim quandam voci adhibens: sicut contrà, *vita viuet*, hoc est, *non morietur*. Hic autem ter repetit mortis nomen, quo mortem magis atrocem, & tremendam declaret. Quibus verbis, & modo loquendi vsus est Ieremias, dicens: *Mortibus aegrotationum morientur*: vsus est enim repetitione vocis מוּת muth, quae mortem significat, vt in praesenti, & voce חלל chalal, quae occidere, vulnerari, cadere, vel deficere, vita functum esse, significat, quod vertit vulgatus, *aegrotationum*. Subditque: *& erit cadauer eorum in escam volatilibus caeli, & bestijs terrae*: cui consonant sequentia.

Hieron.
Theodor.
R. Dauid Chimchi.
Morte mori, & vita viuere quid significet.
Ierem 16. ℣. 4.

In corde maris: quasi dicat, vulneribus confossus, demergeris in profundum maris: vt ibi sis piscium esca, ipsique infelix sepulcrum tuum. Quam sententiam videtur probare Polychronius, dum ait: Amplificat his verbis supplicium Tyrij: Tu enim, inquit, qui putabas te omnibus antecellere, & superare omnes, inutilis praeda hostium factus, ne sepulcri quidem memoriam relinques. Alij verò verba haec ita intelligunt, vt sit quaedam repetitio verborum Tyrij principis, qui vrbem suam tutissimam, felicissimam, ac perpetuò duraturam, cor maris appellarat: quasi dicat, etiamsi in tutissima vrbe degas. Hanc vero vrbis munitionem eleganti metaphora significat cor maris, siue medium, aut profundum maris, quod infinita aquarum mole contectum, ab omnibus hominum iniurijs, machinationibus, & copijs tutissimũ est. Vel ut Graecus Scholiastes interpretatur, cùm ait: Mortis te poena multabo, ut nihil tibi possint maris opes, ac bona prodesse, quoniam Graeci, vt suprà vidimus, corde maris diuitiarũ affluẽtiam significari putant.

Polychron.
Cor maris significat tutissimam munitionem.
Scholiast.

IX.

Numquid dicens loqueris, Deus ego sum, coram interficientibus te, cùm sis homo, & non Deus, in manu occidentium te? Hieronymus: etiamsi sapientior sis Daniele, qui omnium confessione sapientissimus est: & diuitiarum, ac potentiae magnitudine Dei te cupias potentiae coaequare: tamen capiens ab aduersarijs, & urbe perdita, multis confodieris uulneribus, & ultrà non dices: *Deus ego sum*, sed doctus interitu, hominem te esse cognosces, non deum. Theodoretus: Quando te, inquit, Regia potestate priuabunt ij, quos contra te hostes misero, teque interficient, num fremens, & arrogantia insolens, rursus deum te ipsum nominabis, quasi eos dei appellatione perterrefaciens? Verum hoc fieri nequit, rerum enim commutatio superbiae quoque mutationem afferet, discesque hominem esse te, non deum, cùm uulneratus, & caesus aequè, atque incircumcisi tibi subiecti, occideris. Haec ille. *Numquid dicens loqueris*, Hebraicè האמר תאמר heamor tomar. Eiusdem uerbi repetitio est, dicens dices, pleonasmo, figura Hebraeis frequenti, uel tum etiam interrogationi, & irrisioni adhibet. Numquid tunc audacter dices, ut olim solebas? uel uocis iteratio iterationem facti significat: quasi dicat,

Hieron.
Theodor.

dicat, tu, qui olim saepius iactare solebas, te deum esse, el ani, el ani, deus ego, deus ego: numquid tunc dices iterum, atque iterum, deus ego? Quam quidem interpretandi rationem probare videtur contextus, qui, cùm iactantiam Tyrij retulisset, Dei nomen vsurpantis, vsus est breuissimo Dei nomine duarum litterarum אל el. At nunc eodem, sed multiplici litterarum serie magnifico, atque in numero multitudinis vsus est אלהים elohim, quasi dicat, numquid etiam tum pomparicè loquens, dices, nos dij, auctoritatis, & maiestatis ergo: *coram interficientibus te*; לפני הרגך liphne horgeca, in conspectu occidentium te, posses vertere, Hispanicè, dezir en la cara, Italicè, dargli in faccia, idem quod dicere coram: quasi dicat, cùm primum videris occisores, tanto capieris timore, atque tremore, vt saltem tunc nulla ratione audeas illis dicere, *deus ego sum*, *cùm sis homo*, *& non deus*, *in manibus occidentium te*, cùm manus occidentium probent, vel probaturae sint, te hominem esse, non deum. Perpulcrae insunt antitheses Deum inter, & hominem, Deum, & teneri manu, Deum, & occidi, in significatione vocum Hebraicarum. Ex pluribus vero has tantùm, quas retulimus, examinare lubet. De priori suprà egimus, quatenus nomen Dei אל el significare diximus fortitudinem, אדם adam verò infirmitatem: el potentiam, adam miseriam: el stabilimentum, vel sustentatorem, adam eum, qui neque stare, neque se ipsum sustinere potest. Quod ad secundam attinet oppositionem, Deus habitat lucem inaccessibilem, de quo ait Psaltes: *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, Itaque propter altitudinem infinitae maiestatis, & quoniam est incomprehensibilis totus spiritus, non potest non dicam manibus attrectari, sed ne perspicacissimis quidem hominum oculis cerni. *Non enim*, inquit Deus, *videbit me homo*, *& viuet*, vel homo viuens: neque propterea tantùm, sed quia, vt ait Isaias, ignis consumens est, cuius *sempiternis ardoribus*, non est qui cohabitare possit, ne dum eos apprehendere. At homo nullis non conflictatur miserijs, & calamitatibus, testante Iob: *repletur multis miserys*, tamquam *natus de muliere* infirma, mortali, & caduca. Et tandem *occidentium te*, Hebraicè dicitur מחללך mechalelecha à radice חלל chalal, quae vim passum, violatum, profanatum significat. Oppositum omnino vocis הקדיש hicdis, quae ferè semper Deo tribuitur, sanctumque significat, immunem, purum, ac sepositum. Vtriusque notionis meminit Dominus in Leuitico, dicens: *Si immolaueritis hostiam pacificorum Domino, vt sit placabilis: eo die, quo fuerit immolata; comedetis eam, & die altero: quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis, si quis post biduum comederit ex ea, profanus*, hoc est, moriturus *erit*, *& impietatis reus portabitque impietatem suam* morte punitus, *quia sacratum Domini polluit*, vel sanctificatum Domini profanauit. Et iterum: *Non periurabis in nomine meo, neque pollues* profanabis, *nomen Dei tui, ego Dominus*, praecipio, vel ego Deus: est enim in Hebraeo Dei ineffabile nomen, cuius proprium, & sempiternum epitheton exprimit ipsemet Deus apud Isaiam, dicens. *Ego Dominus* Deus: vbi etiam est Dei nomen tetragrammaton. *Sanctus vester*. Et postquam de vocatione gentium loquutus est, subdit, *& contaminaui*, seu profanaui, vel tamquam profanos abieci *principes sanctos*, qui fuerant prius sancti: quam profanandi rationem explicat, dum subdit: *Et dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam*. Quae quidem omnia, quae tam longè absunt a diuinitate, cum te oppresserint, intelliges te quoque humanis miserijs obnoxium, longè quoque abesse à diuinitate. Nullum enim tam salutare potest, superbiae, tumenti parotidi adinueniri medicamentum, quàm tribulationis adustio, vel persecutoris gladius, qui tumorem incidens, lethale, quod intimis cordis medullis alitur pus, expelli faciat, atque expurgari. Cuius rei testimonijs, atque exemplis tam plena est Scriptura sacra, vt fere nullo alio argumento magis abundet.

Inter Dei, & hominis nomina perpulcrae intersunt antitheses.

Prima.

Secunda.

Psal. 90. ✝. 9.

Deut. 33. ✝. 20.

Isai. 33. ✝. 14.

Iob 14. ✝. 1.

Tertia oppositio.

Leuit. 19. ✝. 5. 6. 7. & 8.

Ibid. ✝. 12.

Isai. 43 ✝. 14.

Superbiae parotidi tribulationis igni s, vel persecutoris gladius vnicum est medicamentum.

X.

Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum. Theodoretus. Praedictas omnes comminationes in superbissimum Angelum contorquens, aptissimè probat, fideles ex gentibus pestilentibus, alienigenis, incircumcisis, qui olim erant longè, nunc autem Dei gratia, & Iesu Christi Domini nostri pretioso sanguine facti sunt prope, eductis gladijs suis, pulcritudinem scientiae maligni spiritus ad nihilum redacturos, omnes enim machinationes, & insidias aduersus humanum genus paratas destruent, delubra omnia, ac templa daemoni exaedificata a fundamentis euertent. & subdit. Atque ipsis rebus disces incassum te hominibus persuasisse, esse te deum: & haec parieris, quia incircumcisam mentem habuisti, grauemque tuae arrogantiae morbum nequaquam circumcidisti. Ex quibus Theodoreti verbis hic sensus erui videtur, morte incircumcisorum intelligi eam, qua digni sunt incircumcisi corpore, & incircumcisi corde, siue mente. Neque alienus est a contextu sensus, quem etiam tenet R. Dauid Chimchi, & Targhum, morte iniquorum, & impiorum interpretantes. Verum incircumcisorum mortem alij ad occisores referunt: quasi dicat in manibus, aut manu incircumcisorum, nempe Babyloniorum morieris. Hebraicè ערלים ghareim à participiali nomine ערל gharel, quo incircumcisus homo significatur. Et quoniam praeputij nomine significabant Hebraei, teste R. Dauid, quidquid superfluum, graue, abscindendumque esset in carne, vel membris, vel animo, vel moribus, ideo nomine gharel compellare solebant homines carnales, crassos, praeduros, rigidos, crudeles, & immanes. Et huiusmodi fuisse Babylonios ex innumeris ferme sacrae Scripturae locis constat: sed praesertim ex prophetia Habacuc: ibi enim respondens Dominus lamentanti Prophetae, quod pateretur impium Babylonium Nabuchodonosorem impunè grassari, tot caedes, ac facinora perpetrare, de tot partis victorijs exultare, seseque iactare, ait post multa: *Vae, qui potum dat amico suo, mittens fel suum*: quasi dicat: *Vae* illi, *qui potum*, vel calicem poenae, & medicinalis amaritudinis *dat amico* proximo suo, quem velut amicum debuisset diligere, *mittens fel* nouae indignationis, & crudelitatis, nempe odium, & furorem *suum*, *& inebrians*. persistit in allegoria potus, hoc est, sine vlla discretionis mensura, ad ebrietatem vsque propinans, *vt aspiciat nuditatem eius*, vsque dum turpiter nudatus cadat, sicut olim Lot. *Repletus es* tu quoque ò Nabuchodonosor, *ignominia, pro gloria, bibe tu quoque* de eodem calice, *& consopire*. Hebraice est haec eadem vox והערל vehegharel, quam aliqui vertunt, ad verbum reddentes, & praeputiare, hoc est, cadens apparebis praeputiatus, nempe turpis, & abominabilis. Vel sensus est, vtrique textui magis conueniens. cùm potatus, inquam, eodem calice furoris Domini, quem propinabas, inebriatus cades, hoc est, quando eadem diuina

vltio,

Theodor.

Mors incircumcisorum quae dicatur.

R. Dauid Chimchi. Targhum.

Praeputii nomine quid Hebraei significent. R. Dauid.

Habac. 2. ✝. 15 explicatur.

Vae illis qui quos Deus puniendos cum misericordia tradit, ex odio, & indignatione castigant.

Gen. 9.

vltio, quam in alios exercebas, in te ipsum exercebitur, tunc apparebis praeputiatus in vindicta; nempe superabundans, & omnino excedens terminos, tibi a diuina iniuria, & misericordia praescriptos. Quibus quidem verbis hoc vnum maximè innuitur, quam sit timendum principibus, magistratibus, & ijs omnibus, quibus ad vindictam malefactorum datus est a Deo gladius, ne quid admisceant propriae indignationis, odij, vel amaritudinis, nisi velint eodem gladio percussi serò tandem discere, quàm aliter esset hominum iudicium in proximos exercendum. Apparet etiam hic Dei clementissimi iudicis aequitas in puniendis sontibus: & maximè, si cum hac Tyri euersione, & eius causa conferatur illa Hierosolymae, omnium scelerum maximo commaculata, crudelissima nempe morte Iesu Christi, veri Dei, atque hominum saluatoris, propter quam est misera ruinae damnata, & tamen eius excidij memoria ipsi iudici, cuius mortē impia ciuitas machinabatur, lacrymas extorserit, *Videns enim ciuitatem, fleuit super illam*, &c. *Quia non relinquent in te lapidem super lapidem.* Ac tandē cùm punienda fuit Hierosolyma, tradidit illā Deus subuertēdam omnium Romanorum Imperatorum clemētissimis, ac benignissimis, Tito, & Vespasiano. De hoc enim praeter cetera clementiae exempla Suetonius. Ceterum, inquit, neque caede cuiusquam vnquam laetatus, iustis supplicijs illacrymauit etiam, & ingemuit. De altero vero idem Suetonius. Titus cognomine paterno, amor, ac deliciae generis humani tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenij, vel artis, vel fortunae superfuit. Haec ille. Neque ipse solus, sed etiam Titi clementiam, & humanitatem in ipsa euersione vrbis, ac templi testatam Iudaeus Iosephus reliquit. Multis enim, atque admirandis clementiae exemplis, ac tandem facti historia commemorata, subdit: Templum quidem hoc modo inuito Tito exuritur. Quo Iosephi testimonio omnibus etiam ipsis Iudaeis, Christiani nominis perpetuis hostibus perspicuum sit, atque futuris saeculis innotescat, ab vltione diuina euersos, cum vrbe, ac templo, propter mortem Iesu Christo Domino nostro, per summam impietatem procuratam. sed ita tamen, vt appareat in ipsa vindicta diuinus in eam gentem amor. qui, quamuis tam immani Iudaeorum sceiere ad vltionem vsque lacessitus, tum in reliquis rebus, tum in ipsis vltionis ministris maximè elucet.

Principibus, & iudicibus maxime opere cauendum, ne in pronuncianda sententia reorum al quid propriae indignationis admisceant.

Dei iudicis clementia ostenditur in Hierosolymae euersione.

Luc. 19. ℣. 41.

Vespasianorum patris, & filij laus.

Sueto. Vespa. cap. 15.

Sueto. Tit. cap. 1.

Ioseph 7. bel. cap. 10.

Quia ego locutus sum, ait Dominus. Polychronius. Quoniam enim erant Iudaei a Babylonijs de medio sublati: quocirca maximè etiam contra Deum sese ille (Tyrius) iactabat, cum vellet ostendere (Dominus) non Iudaeorum regno suum dominatum circumscribi. Illos dicit esse suae sententiae administros, & exsecutores, qui putabantur alieni: vt ostendat omnium se Dominum constitutum, suo arbitratu cuncta fieri iubere. Et subdit: meam de tua damnatione sententiam tuis viribus superiorem esse constabit. Alius vero Scholiastes. Conuincit, inquit, eum non modò in Hebraeos dominari, sed etiam in omnes gentes, siquidem eius nutui obsequentes Tyrio calamitates inferrent.

Polychron. De prouidentia, & dominatu.

Alius Scholiast.

XII.

Fili hominis leua planctum super Regem Tyri. Leua, Hebraice שׂא sa, à verbo נשׂא nasa, cuius significationem late patere supra diximus. Verùm hoc loco tollere vocem canendo significat, sicut apud Iob. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.* Quem locum, quoniam ibi est hoc verbum, sic interpretantur nonnulli, reddentes vocem ex voce: eleuabunt in tympano, scilicet vocem, hoc est, alta voce canent ad tympanorum, atque aliorum instrumentorum concentum. In praesenti vero loco, quoniam iungitur voci קינה Chinah, longe diuersum concentus modum significat: ibi enim laetum, hic moestum, ibi tripudiantium, hic lugentium. ibi nihil minus quam moestam commemorent mortem, hic nihil aliud quam eius miseros casus, infelicemque praeteritae felicitatis commemorationem & canunt, & lugent: ac tandem ibi tripudijs, ac saltationibus, risu, atque laetitia consociant modos musicos: hic verò lacrymis, singultibus, ac gemitu intercipiunt semiprolata verba. Deducitur enim haec vox à radice קון chonen, quae lamentari significat: eaque vsus est Dominus apud Amos, dicens. *Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* Hic est enim finis illius cantici: uel potius facilè conuertitur illud canticum in hoc, quod merito dicitur planctus. Hic vero sermo est ad Ezechielem, tamquam ad chori magistrum, uel potius ad praeficam mulierem, quae naeniam ad demortui laudes commemorandas, atque adstantium mouendam commiserationem decantatura, prima attollit uocem, camque mox consequitur reliquorum musicorum turba. De quibus omnibus mortuorum ritibus satis suprà dictum est. Hanc interpretationem confirmare uidetur Polychronius, dum ait: Iubetur assumere lamentum, ut ueluti antè denunciet rerum in contraria conuersionem, & alienationem à Deo. Quam sententiam explicare uidetur alius Scholiastes. Deplorate enim, inquit, nunc Propheta iubetur non supplicium, sed lapsum Tyrij, & auersionem a Deo: & quando erat cum Deo, uel quando eius maiores Dauidis familiaritate, & Salomonis adiuti, Deum caeli, terraeque procreatorem Deum Hebraeorum appellabant. Quoniam igitur tantam maiorum uirtutem propositam non est imitatus, sed ita in idololatriam est prolapsus, ut contradicat Israelis Deo, lamentatio necessario de illo instituitur. Seuerus autem subdit: Principi Tyri figurate, per tropum diabolo reuera haec dicit, describens quidnam sit, & quemadmodum deprauatus abiectus sit.

Leuare planctum significat alta voce lamentationem canere.

Iob 21. ℣. 12.

Amos 8. ℣. 10.

Supra cap. 27. ℣. 31.

Polychr.

Alius Scholiast.

Seuerus.

Et dices ei: Haec dicit Dominus Deus. Haec cum his, quae sequuntur, sunt verba cantici, vel naeniae, commemorantis felicitatem, ac rerum omnium copiam, & affluentiam, qua in pace fruebatur olim Rex Tyri; & qua ratione ipsemet sibi earum rerum omnium, ac lucis huius, & aeternae iacturam adsciuerit, ac comparauerit: hoc vnum initio carminis, seu lugubris prophetiae praemittens, quòd non a se, neque ab humano ingenio; sed ab ipso rerum omnium Domino, Deoque viuo, & vero excogitatum, compositum, & sibi demandatum fuerit tale poema, atque vt illud canendo euulgaret, iniunctum.

Lamentatio, siue elegia de Tyrio.

Tu signaculum similitudinis. Difficile carmen, & multa complectens. In quo vno elucidando Patres quamplurimi, ijdemque grauissimi, alijque scriptores non pauci desudarunt. An verò ad perspicuum luminis splendorem sit huccusque perductum, videant perspicacia legentium ingenia; meum fateor obtusum, quippe cum, quò cuperet, nondum penetrare possit. Verùm diuini luminis inuocato splendore tractationem aggrediemur: eius, inquam, luminis, cuius anniuersarium sollemnitatis diem hodie celebramus, quo stella duce ad contemplandam Iesu Christi Domini nostri diuinitatem magi Bethlehem vsque peruenerunt: à quo, fide ducti, vsque ad contemplandam diuinae celsitudinis

Difficilis locus pertractatur.

tudinis speciem, nos quoque perductum iri speramus. Quae igitur primùm examinanda occurrit, ne in aequiuoco laboremus, vocum significatio est. Et quidem, quoniam hic signaculi, & similitudinis fit mentio, in Genesi verò imaginis, & similitudinis, [Genes. 1. ℣. 26.] quae Latinis quodammodo idem significare videntur, animaduertendum est, longè aliter Hebraeis accidere. Nam locus Genesis, vt benè notatur à Pereiro, [Pereirus. Imago quae.] duas adhibet voces, בצלמנו betsalmenu, quam reddidit vulgatus *ad imaginem*, & כדמותנו chidmuthenu, quam reddidit vulgatus, *similitudinem nostram*: quarum prior deducitur à radice צלם tselem, quae primaeua sui significatione, vt Pagninus censet, [Pagninus.] non expressam imaginem significat, sed adumbratam tantùm, seu potius ipsam vmbram, non permanentem, sed transeuntem. Quam vocis significationem probant scripturae loca, quibus eadem reperitur: nam in psalmo sic habetur: [Psal. 38. ℣. 7.] *Verumtamen in imagine pertransit homo*, quasi vmbra, quae citò euanescit. Et in alio psalmo: [Psal. 108. ℣. 23.] *Sicut vmbra, cùm declinat, ablatus sum*. Nec tamen dubito esse nonnullos, qui hanc Pagnini sententiam conentur euertere, illud assumentes, quòd his scripturae locis, licet in voce צלם tselem eaedem radicales inueniantur litterae, tamen ex alia sint radice deductae. Sed quidquid sit de vocis huius notione, aut modo significandi *imaginem*, hoc tamen certum est, longè diuersam vocem esse ab ea, quae hoc loco *signaculum* significat, vt mox patebit. Altera verò vox deducitur à radice [Similitudo quae.] דמה damah, quae simile esse propriè significat, licet ad plura alia significanda transferatur, vt in psalmo: [Psal. 143. ℣. 5.] *Homo vanitati similis factus est*. Et in Canticis: [Cant. 2. ℣. 9.] *Similis est dilectus meus capreae*. Ex qua radice deducitur nomen דמות demuth, *similitudinem* significans. [Signaculum quid significet.] Verùm in hoc Ezechielis loco duae aliae voces longè diuersae reperiuntur, quarum prior est חותם chotham, à radice חתם chatham deducta, quae propriè obsignare sigillo significat. In qua significatione accipitur apud Esther: [Esther 8. ℣. 10.] *Ipsaeque epistolae, quae anulo ipsius obsignatae sunt*. Et in libris Regum de Iezabel: [3. Reg. 21. ℣. 8.] *Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signauit eas anulo eius*. Quoniam autem obsignare litteras, vel aliud quidpiam, multas ob causas solemus, ideò hoc verbum ad multa significanda transfertur: vtrumque enim significat apud Ieremiam, dicentem: [Iere. 32. ℣. 10.] *Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes*, hoc est stipulationis instrumentum authenticum feci. [Signare pro stipulari, aut confirmare.] Quae quidem phrasis in nouo etiam testamento frequens est. Apud Ioannem ille alter Ioannes Baptista, sic loquitur de Christo: [Ioan. 3. ℣. 33.] *Qui accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est*, hoc est, quicumque accipit testimonium Christi, sua acceptatione, quasi quodam sigillo obsignans, confirmat, quia Deus verax, fidelisque est: nempe sua promissa re ipsa seruans, atque explens. Apostolus autem Paulus Corinthijs scribens: [1. Cor. 9. ℣. 2.] *Et si alijs*, inquit, *non sum Apostolus: sed tamen vobis sum; nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino*, vestra conuersione, & fide testificantes, & confirmantes me esse Apostolum, per quem credidistis. Significat tertiò abscondere, occludere: [Signare idē, quod occludere, abscondere.] vt in Cantico Moysis Dominus: [Deut. 32. ℣. 34.] *Nonne haec condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Et apud Iob: [Iob 9. ℣. 7.] *Qui praecipit Soli, & non oritur: & stellas claudit, quasi sub signaculo*, videlicet ne luceant. Hinc fit nomen חותם chotham, *signaculum* significans, signum nempe illud, quod sigillo exprimitur in cera. Quam vocem aptè expressere Septuaginta ἀποσφράγισμα aposphra-

A gisma reddentes, quamque explicat Plinius, scribens: [Plin. epist.] Signata est, inquit, anulo meo, cuius aposphragisma quadriga. In hac significatione reperitur haec vox in Canticis, dicente sponso: [Cant. 8. ℣. 6.] *Pone me, vt signaculum*: quasi dicat, in bulla expressum, *super cor tuum*. Erat autem bulla, teste Plinio, [Plin. lib. 33. c. 1.] Macrobio, [Mac. lib. 1. Satur. c. 6.] Plutarcho, [Plutar. problem. c. 101.] & alijs, aureum nobilitatis insigne, formam cordis habens, pectorique appensa, qua etiam, Alexandro teste, [Alexan. ab Alex. lib. 5. genial. c. 18.] ad obsignandum veteres vsi esse dicuntur: *vt signaculum* in armilla expressum, *super brachium tuum*, ne vmquam inde me amoueas, neque mei amplius, quàm mūdi muliebris, aut ornamentorum tuorum obliuiscaris.

Quae cum ita sint, in hoc loco R. Dauid Chimchi [R. David Chimchi.] B aliam videtur sequi lectionem textus, praeter eam, quam legit, & interpretatur Hieronymus. [Hieron.] Hic enim legisse videtur חותם chotham, quasi sit nomen: vertit enim *signaculum*. Ille verò חותם chothem, quasi sit participium actiuum praesens: atque ita interpretatur vocem, quasi sensus sit, tu obsignans. Et Hieronymus legisse videtur תבנית tabnith, interpretatus *similitudinis*. Ille verò alter תכנית tachnith legit, & interpretatur perfectionis: ea enim vox, quam Rabbinus legit, deducitur à radice תכן tachan, quae numerare, seu ponderare significat in Prouerbijs. [Prou. 21. ℣. 2.] *Appendit autem corda Dominus*, hoc est, ipse solus cogitationum, consiliorum, & intentionum momenta perpendit. Et in Cantico Annae: [1. Reg. 2. ℣. 3.] *ipsi* C *praeparantur cogitationes*, hoc est, ipse eas ponderat. Quare significat perfectum numerum, vel appensum, & aequum in statera pondus. Et vtraque lectio, tantùm abest, vt aliquod inducat absurdum, vt potius alteri altera quasi commentarius, & explanatio sit. Sensus enim Rabbini huiusmodi est: Tu sigillas, seu perficis summam. Explicatius multò vulgatus: [Quanta sit hominis praestantia] *tu* es *signaculum* perfectè expressum *similitudinis*, aptè repraesentans exemplar, seu sigillum, quod anulo incisum est: quasi dicat, omnium rerum formam, pulcritudinem, & dispositionem tu exples, velut earum omnium sigillum expressum. Vt enim diplomata, tabulae publicae, seu instrumenta perfecta, omnibus numeris absoluta, D & authentica tum demum fiunt, cum magistratus sigillo muniuntur: ita etiam tu omnium es *signaculum*. Quam quidem phrasim allusionibus diues exprimit Hispanica lingua: tunc enim perfectum quodcumque opus significant, cum dicitur: artifex in hoc opere echo el sello, sigillum adhibuit; quasi dicant, ad perfectionis culmen perduxit hoc opus. Quae quidem verba summa etiam quaedam sunt eorum, quae mox explicantur ijs, quae sequuntur: *perfectus sapientia*, *&c.* praedictamque interpretationem eadem sequentia verba confirmant: sed potissimum Septuaginta, qui paraphrasticè addunt στέφανος κάλλους Stephanos callus, hoc est, corona pulcritudinis: quasi idem E sit *signaculum similitudinis*, & corona pulcritudinis. Quae quidem epitheta omnia, si humanam naturam attentè consideres, eidem aptè conuenire cognosces. [Naturae humanae dignitas, & excellentia.] Licet enim angelica sit superioris gradus, vtpote tota spiritualis, humana tamen vniuersalior; complectitur enim spiritualem, atque corpoream, & huius omnes gradus; ac propterea *signaculum* rerum omnium meritò vocatur; quasi earum vltima perfectio, ac Dei suprema manus: vltimo enim loco creatus fuit homo, eoque creato *requieuit Deus ab vniuerso opere, quod patrarat*. [Gen. 2. ℣. 2.] Atque ad hoc quidem explicandum, usum fuisse coniicimus diuinum historicum tam diuersa commemorandi ratione. Angelum enim unico

uerbo,

Gen. 1. ℣. 1.
uerbo, creatum, significat, dum dicit: *In principio creauit Deus caelum, & terram*: hominem verò creauit diuino interueniente consilio:
& ℣. 26.
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & quae sequuntur. Manifestauit hoc idem diuina
Prou. 8. ℣. 30. & 31.
conditoris sapientia, nam *cum eo eram*, inquit, *cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens in orbe terrarum*, hoc est, quasi ludens. Sicut solent,
Pictores aliquando montes, siluas, flumina, & similia animi gratia pingunt.
verbi gratia, pictores, relaxandi animi gratia, campos, maria, montes, herbas, & arbores, & alia huiusmodi, quae Graeci πάρεργα parerga vocant, hoc est, operis ornamenta, pingere. At non ita figuras, & quae à Graecis ἔργα erga dicuntur, hoc est, opera. Sed & *delitiae meae, esse cum filijs hominum*. In quibus confirmandis maximam adhibui attentionem, & quorum consuetudine maximè delector. Quoniam autem haec omnis humana perfectio, non tam ex participatione inferiorum perfectionum, quàm ex Dei imagine, & similitudine nascitur, ad quam creatus est, ideo ad eam refert locum hunc
Theodor.
Theodoretus, sic scribens: Tu es *signaculum similitudinis*, ad imaginem enim Dei, plenus sapientia, conditus est homo, rationis capax, & oratione instructus, pulcritudinisque corona, omnibus quippe rationis expertibus praestans, pedestribus, & volucribus, aquatilibus, & amphibijs, idest, ancipitibus bestijs, tum in aqua, tum in terra degentibus: & *in delicijs paradisi Dei fuisti*. A primo siquidem parente genus ducis, qui simul atque creatus est, in paradiso deliciarum positus fuit. Haec ille. Qui-
Scholiast.
dam vero Scholiastes Graecus non tam longè petita principia putat, sed à felicitate tantum Hirami, dum ait: Olim, cùm versareris cum religiosis illis, Deique amicis, significat porro Dauidem, & Salomonem, iure tibi sapientiae notitiam vindicabas, ac tamquam sigillum, quod esses legitimus, ac genuinus, supernum tibi aderat auxilium, vt simul cum Salomone bonis afflueres. Quibus verbis hunc sensum videtur innuere Scholiastes, quasi dicat, signaculum simile Salomoni, & Dauidi, sapientia, pulcritudine, & opibus. Qui quidem interpretandi modus non longe abest ab eorum, quae sequun-
Alius Scholiast.
tur, consensu. At alius Scholiastes vsitatam vult esse dicendi rationem scripturae sacrae, ait enim: Qui Dei prouidentia, & cura dignantur, seque ipsos Deo genuinos, dignosque praebent, eos sacra
Corona pulcritudinis qui dicantur.
volumina coronam pulcritudinis appellant, & Regis diadema, secundum Isaiae vocem. Haec ille. Verùm hic satis mirari non possum neotericum
Isa. 62. ℣. 3.
quendam, virum alioqui doctum, & genuinum scripturae sacrae sensum sollicitè inuestigantem, ac sine dubitatione tenentem, in eam venisse sententiam, vt putaret de similitudine diaboli locutum esse per Prophetam Dominum, quasi dicat: Tu *signaculum* diabolicae *similitudinis*: licet enim huiusmodi infame cognomen non dedeceat facta, seu potius scelera Tyrij, tamen ex vi verborum contextus nihil omnino eiusmodi intelligi potest, sed contrarium potius. Cum enim propter peccatum superbiae Tyrij, eius praecipiatur lugeri casus, atque interitus: primum describitur celsitudo bonorum, vnde cecidit. Cum quo sensu conueniunt, quae sequuntur, omnia: nihil verò cum eius temporis summa infelicitate, nempe diabolica similitudine. Adde grauissimorum Patrum tam apertum testimonium, à quo non licet leui coniectura, ac sine ratione recedere. Quòd verò Gregorius ad
Gregor. lib. 32. moral. c. 8. & habetur de paenit. dist. 2.
malignum spiritum haec omnia conuertit, pietatem sanctissimi Patris veneramur, & colimus: eius tamen comparationem inter humanam, & angeli-

A
cam naturam propterea non libenter suscipimus, quod si tota vocis חותם chotham significatio alicui est tribuenda naturae, vt possit iure dici *signaculum*, vel character Dei, non angelicae, sed diuinae conueniret, quatenus est per generationis similitudinem communicata diuino verbo, filio Dei. Cuius rei exstat mirabile Pauli testimonium, dicentis de filio Dei: *Qui cùm sit splendor gloriae* paternae, *& figura substantiae eius*. Quem
Hebr. 1. ℣. 3.
Chrysost.
locum sic legit, & interpretatur Chrysostomus, & character, quod idem omnino significat, atque signaculum, *substantiae eius*. Hic illud ideo dicit, inquit Chrysostomus, vt omnimodam similitudinem, & propriam exemplaris imaginem
B
ostendat. Haec ille. Si verò Gregorius hoc tantùm contendat, quod dicere videtur, nempe, quo
Sancti Gregorij verba quomodo intelligi possint.
subtilior est angelica natura, eò in ea magis expressa credatur Dei similitudo, quàm in homine, vno tantum excepto, quod suprà commemorauimus, libenter assentiemur Gregorio, & ijs, qui eum sequuntur.

Plenus sapientia, perfectus decore. Haec duo sunt, quae sibi Tyrus, ac Tyrius princeps suprà arrogarunt, ubi etiam explicata sunt. Verum hoc duplici ratione intelligi posse putamus, uel ironicè, sicut alia multa, quae retulimus: uel, quod magis videtur adhaerere contextui, fuisse significant Tyrum sapientia plenum, ac decore perfectum, ut-
C
pote quem non dedeceret Cherubini nomen mox explicandum.

XIII.
Quid significet paradisi nomen apud Hebraeos, Graecos, atque Latinos.
In delicijs paradisi Dei fuisti. Hebraicè בעדן גן beghedengan, posses uertere, in Edem horto. Sunt enim eaedem omnino voces, quae reperiuntur in Genesi, dicente sacro historico: *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis* גן בעדן gan beghedan. Est autem גן gan, non alicuius loci
Gan, non est proprium nomen horti, sed uniuersale.
proprium nomen, sed uniuersale horti. Deducitur autem, teste Rabbi Dauid, a radice גנן ganan, quae circumcingere, circummunire septo agrum, uel scuto hominem, significat. Nomine autem גן gan,
R. Dauid.
Hortus vallatus.
hortus semper significatur septo communitus, & circumdatus: quo sanè differt ab agro, vel prato,
Gen. 2. ℣. 8.
D
quod omnibus patet. Huius autem vocis fit mentio non tantùm in Genesi, sed & in alijs multis locis:
Isa. 1. ℣. 30.
Apud Isaiam: *Velut hortus absque aqua*. Et in Canticis: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum*
Cant. 4. ℣. 16.
meum. Et iterum: *Veniat dilectus meus in hortum*
Cant. 5. ℣. 1.
suum, & comedat fructum pomorum suorum. Quibus locis, haec eadem vox reperitur. Septuaginta παραδείσου paradisi, reddunt. Quam vocem
Poll. lib. 1. περὶ ἐνιαυτοῦ.
Iulius Pollux tradit Graecam non esse, sed Persicam, & ex consuetudine Persica fluxisse in vsum Graecorum. Verùm, quòd ad Septuaginta interpretes attinet, non immeritò putant nonnulli, eos hanc vocem reddere ex Hebraea, seu Chaldaea sumptam פרדס pardes, quae hortum, seu poma-
E
rium, domesticis arboribus consitum significat; eamque suo more variant, & inflectunt. Verùm siue a Persis, siue ab Hebraeis, Chaldaeisve sumpta sit vox, significat Xenophonti, & Philostrato
Xenophon.
Philostrat.
amoenissima loca, quae oblectationis causa comparata erant Regibus Persarum, in quibus seruabantur ferae ad Regum venationes. Gellius verò
Aul. Gell. lib. 2. c. 20.
scribit, quae suo tempore dicebantur viuaria, & olim tempore Scipionis, & aliorum purè loquentium Latinè appellabantur roboraria, a roboreis stabulis, quibus erant vndique septa, ea nominari Graecè, paradisos. At neque Latina ipsa versio vocem ab Hebraea, vel Graeca mutuata, paradisus, semper illum significat paradisum, in quo re-

cens

cens creatus homo positus fuit. Nonnumquam etiam alia pomaria quaeuis, aut hortos significat, vt in Canticis *Emissiones tuae paradisus*. Et in Ecclesiastico: *Sicut aquaeductus exiit de paradiso*. Et iterum: *Gratia, sicut paradisus in benedictionibus*. Ex quibus omnibus locis hoc liquet, huius vocis notione minimè nos dicere cogi, de illo primo Adami paradiso loquutum hic fuisse Dominum: satis enim textui fieri posse putamus, si de quouis horto, aut amoeno loco loquutus intelligatur.

Cantic. 4. ℣. 3. Eccles. 24. ℣. 41. & cap 40. ℣. 17.

De Edem paradiso, & an sit proprium loci nomen.

Altera autem vox maiorem posset inducere dubitationem, si iuxta Hebraea esset tantùm interpretanda. Nam עדן gheden est eadem omnino vox, quae tamquam nomen proprium illius prioris paradisi accipitur à nonnullis. B Et quidem alicuius loci terrestris fuisse hoc peculiare nomen, non ambiget, qui ea legerit, quae nos suprà attulimus ex Isaia. Verum primaeua vocis institutio innuit delicias & voluptates, ideoq. non defuerunt, qui putarent ab hoc nomine deductum verbum עדן ghadan delectari, seu in delicijs esse significans, propter loci amoenitatem. At certius multo est, locum sic dictum ab amoenitate, quam verbum significat, & nomen ex eo deductum. Cuius rei manifestum exemplum exstat apud Amos prophetam, dicente Domino. *Et conteram vectem, seu sceptrum Damasci; & disperdam habitatorem de campo idoli*, hoc est amoenissimo, qualis exquirebatur ab idololatris, *& tenentem sceptrum de domo voluptatis* עדן ghedem. C Verum omnem dubitandi occasionem abstulit vulgatus interpres, non vocem eandem reddens, vt alias solet, sed eius interpretationem, non dubiè agnoscens hic non esse proprium loci nomen. Quin & Septuaginta, qui eandem vocem etiam reddere solent ἡδονὴ hedoni, voce in Graecum idioma adscita, deliciasque significante, hic tamen τρυφὴ tryphi reddunt: quae vox superuacaneas delicias significare Graecis solet, nempe mollitiem, luxum, delicatam vitam, vt Aristoteles ipse definit, cum ait: τρυφὴν tryphin esse μαλακίαν τινὰ malacian tina, hoc est, mollitiem quandam, vt meritò Athenaeus opponat huic voci τρυφῇ tryphi διαίτης σκληρότητα diaetis sclirotita, id est, duritiem victus: & Herodianus ὑπὸ τῆς ἐν Ῥώμῃ τρυφῆς hypo tis en Romi tryhis, Romanis delicijs mores ciuium corruptos esse testatur. D Quae quidem omnia testimonia probare videntur, neque vulgatum, neque Septuaginta interpretes intellexisse, verba hic fieri de priore illo paradiso, sed sensum loci esse de amoenitate, ac delicijs Tyri: quae profectò vnà cum rerum omnium copia, quasi quendam paradisum Dei, hoc est, eximium, mirabilem, dignum tali conditore (id enim significat vox Dei, vt suprà probauimus) constituebant, & quasi quendam cumulum complebant immensis à Deo in Tyrium collatis beneficijs. E Fuerunt autem ea animi in perfectione sapientiae, corporis in perfecto decore & reliquis bonis, quae fortunae vocantur, & in delicijs Tyri, quae erat quasi paradisus Dei, hoc est, amoenissima, deliciarumque plenissima. Et hac eadem phrasi vsus est historicus sacer in Genesi. *Eleuatis*, inquit, *itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quae vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut paradisus Domini*. Praedicta comprobantur ex allegoria Theodoreti, & iure, inquit, Hierusalem, quae sacra & diuina vrbs appellabatur,

Supra c. 27. Isai 37.

Amos 1. ℣. 5.

Arist. lib. 7. Ethic. c. 8.

Athen. lib. 4.

Herodian. lib. 3.

Vox Dei quid significet.

Gen. 13. ℣. 10.

Theodor.

A paradisum vocat, habentem & Dei prophetiae, & pontificatus maximi arbores, vitam, salutemque subministrantes. Olim verò Tyriorum Regi cum Rege Israelitarum intercedebat amicitia, eratque mutuum inter ipsos commercium. Haec ille. Sic intellexit Theodoretus locum, vt & alij Patres, quasi dicat, *in paradiso Dei*, hoc est, in Hierusalem *fuisti*. His igitur omnibus sic expositis, aptissimè stabilitur mysticus ille alter sensus de spiritualibus nequitijs, nempe, quem vno verbo complectitur Hieronymus, quid habuerit ille superbus angelus, quidve perdiderit. Cùm enim haec à nobis vix possint percipi, nisi praenoscantur corporea symbola, quibus incorporea, & inuisibilia designantur, illa conati sumus enucleare: non tamen propterea sequimur, quam reprehendit Hieronymus Iudaeorum sententiam.

Quomodo & de Tyro, & de diabolo sit intelligendus locus hic de paradiso.

Omnis lapis pretiosus operimentum tuum Hebraice מסכתך mesucatheca, quam vocem Rabbi Ionathas putauit deduci à radice מסך masac, quam velum, seu tegumentum significare manifestum est in Exodo: *Facies & tentorium*, inquit Moyses, *in introitu tabernaculi*. Quare & ad vestimenta Regis, & ad peristromata domus, & ad muros vrbis referri potest sermo, vt Rabbini censent. Targhum enim omnes, ait, lapides pretiosi, ordinati erant in vestimento tuo. Quam interpretationem potius, quàm aliam sequi videtur vulgatus. Septuaginta reddunt ἐνδέδεσαι endedesae, quam vocem Theodoretus, & Complutensis, indutus es, transferunt. At Hieronymus, & Vaticanus Septuaginta interpretum codex, circundatus es, alteram Hebraicae vocis interpretationem sequuti, posuerunt, quam tradit Rabbi Dauid: & rectum est, inquit, vt sit ex radice שוך suc, quae significat sepire, quasi dicat, omni lapide pretioso septus es: sepes, vel murus domus tuae erat è lapide pretioso, & est, inquit, hyperbolica locutio. Haec ille. Neque verò est mirandum, mutasse Rabbinum litteram ס samech, in eam, quae sonitu ei est persimilis, ש sin, habentem punctum in sinistro cornu, quoniam idem Hebraei facere frequenter solent. Allusisse autem videtur ad eas delicias, quibus affluebat Tyrius, prout suprà ostendimus, in luxu mirabili vestimentorum, & tam priuatis, quàm publicis aedificijs. Theodoretus: Illud autem, omnem lapidem pretiosum indutus est, perspicuum, si secundum litteram intelligatur, & de Rege dictum accipiatur, infinitis enim te bonis instructum curaui, & omnis generis vndique tibi materiam suppeditaui, vnde diadematis, & coronis, fibulisque, & zonis, anulisque cònstructis, & penubus completis, propter horum abundantiam, & ornatum contraria sentire perseuerasti. Hactenus Teodoretus.

De vestimentorum luxu.

R. Ionath.

Exod. 26. ℣. 36.

Targhum.

Theodor. Hieron.

R. Dauid in lib. radic. & comment.

Hebraei ס samech in ש sin frequenter commutare solent.

Theodor.

Sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, saphirus, & carbunculus, & smaragdus. Hieronymus: Aquila & Symmachus, ac Theodotio in praesenti loco multum inter se, & Septuaginta interpretes non solùm ordine, sed & numero discrepant, atque nominibus. In Apocalypsi quoque Ioannis, vbi de viuis lapidibus Hierusalem exstructa memoratur, paululum in extremis partibus ordine commutato, iidem in fundamentis eius ponuntur lapides. Sed & in pectore Pontificis, per quattuor ordines in rationali, iidem lapides describuntur. Et post multa subdit, quorum colores, atque naturas

Textus hic cum Apocalypsi, & Exodo congruit. Hieron. Theodot. Symmach. Apocal. 21. ℣. 18.

De lapidibus rationalis.

F efficien-

efficientias singulorum, non est huius temporis disserere, sed proprium volumen desiderant. Haec Hieronymus. Cuius quidem vestigijs insistentes, non tantùm ad Epiphanij, & Plinij volumina lectorem cum Hieronymo mittimus, verum & nostrum qualemcumque, tamquam nostri instituti futurum de eisdem in Apparatu edemus. Interim tamen, quod huius loci proprium esse videtur, non praetermittemus. Septuaginta interpretes: *Σάρδιον, καὶ τοπάζιον, καὶ σμάραγδον, καὶ ἄνθρακα, καὶ σάπφειρον, καὶ ἴασπιν, καὶ ἀργύριον, καὶ χρυσίον, καὶ λιγύριον, καὶ ἀχάτην, καὶ ἀμέθυστον, καὶ χρυσόλιθον, καὶ βηρύλλιον, καὶ ὄνυχον*, Sardion, cae topazion, cae smaragdon, cae anthraca, cae sapphiron cae iaspin, cae argyrion, cae chryson, cae ligyrion, cae achatin, cae amethyston, cae chrysolithon, cae biryllion, cae onychion. Quae quidem nomina, auro & argento demptis, quae post senos priores lapides commemorantur, duodecim numero sunt, vt patet computanti. Quare ferè omnes Graeci de lapidibus rationalis, qui totidem numero computabantur, intelligendam putant prophetiam hanc.

Polychron.

Vbi notat Polychronius, in medio inquiens enumerationis lapidum argentum, & aurum esse positum, non vllam indicat mutationem eorum, quae à Moyse dicta sunt, sed lapidum connexionem significat, propterea, quòd constringebantur, & connectebantur. Haec ille. Et quidem, si vulgatam lectionem nostram cum Exodo conferamus, vbi de lapidibus rationalis fit mentio, non multùm distat. Sic enim habet: *Ponesque in eo*, rationali iudicij, *quattuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus*, &c. Eosdem enumerat, vel potius ternos ordines ex eis, nempe primum, secundum, & quartum, tertio praetermisso, & ordine nonnihil immutato, quoniam, vt quidam putant, prophetiam, non historiam retexebat, reliquos sub istis intelligi volens. Et quod ad Hebraicum contextum attinet, hoc idem probari videtur: etenim quasi tres ordines commemoraret, tertio quoque lapidi coniunctionem praeponit, non alijs, vt legenti videre licet: *Sardius, topazius & iaspis: chrysolithus, onyx & beryllus: sapphyrus, carbunculus, & smaragdus.* His coniecturis adde verba Hieronymi, de lapidibus rationalis disserentis, quae huiusmodi sunt. Hos lapides in diademate principis Tyri, & in Apocalypsi Ioannis legimus. Ex quibus verbis aliqua incidit nobis suspicio de principe Tyri, cuius maiores tantopere in consuetudinem admissi sunt Hebraeorum, quòd eorum caerimonias, ritum, ac vestes sacerdotum cognoscere facilè potuerit, ne superbus Rex diuinitatem ambiens, auderet consimilium gemmarum numerum, & ordinem, Regijs condecorandis vestibus, aut diademati adsciscere. Quod illi nunc crimini, atque impietati meritò vertitur. Cuius reprehensionis exemplo timendum maximè est ijs omnibus, tùm viris, tùm feminis, qui vestes suas sacrarum instar exornant: quòd similiter vitio vertit Psaltes, dum ait: *Filiae eorum compositae, circumornatae vt similitudo templi.* Quo quidem vno scelere duo contra Deum grauissima scelera continentur, quòd & sacra profanantur, & diuinos honores Tyrij more affectare videntur.

Exo. 28. ℣. 17.

Hieron. ad Fabiol. epistol. 128.

Rex Tyri lapidibus rationalis diadema condecorasse videtur.

Psal. 143. ℣. 12.

Viri vel feminae nimium se auro, & argento exornantes, duplex in Deum crimen admittunt.

Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, praeparata sunt. Verba singula singulas inuoluunt difficultates, quae in varium transferendi modum interpretes distraxerunt. Quare non parum lucis allaturam spero breuem quandam de singulis examinationem. De auro alias plenius. *Opus* Hebraicè מלאכת mel-cheth, quo nomine significari putant Hebraeorum doctores, opus, opes, substantiam, quam scilicet quis opere suo, & industria parat: & in vniuersum significat, quod in vsum, & ministerium hominum cedit. Apud Ieremiam: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Atque in Exodo. *Et iurabit, quòd non extenderit manum in rem*, opus, substantiam *proximi sui.* Hanc vocis significationem secuti videntur Septuaginta, reddentes, & auro replesti thesauros tuos, & explicationis gratia addiderunt in Complutensi, Hieronymi, & Theodoreti codicibus, & apothecas tuas in te. In Sixtiano verò Graecè quidem eadem est vox, καὶ ἀποθήκας cae apothecas. Latinè verò, & horrea tua in te. Quae omnia in idem recidunt: nisi malis apothecas dici à Septuaginta eadem, quae à Vulgato, *foramina tua* dicuntur, quasi sint scrinia, vel arculae, quibus opes reconderentur, quas praeparatas mox dicit à die creationis eius.

Opus significat opes, substantiamve, opere & industria partam.

Ierem. 48. ℣. 10.

Exo. 22. ℣. 8.

Decoris tui. Hebraicè תפיך tapphecha, à radice תפף taphaph, quae à tympani sono deducta, tympanum significat in sacris litteris. Apud Isaiam. *Cessauit gaudium tympanorum.* Et in Exodo: *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron tympanum in manu sua; egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris.* Quare vocem hanc praesenti loco omnes ferè Hebraei reddunt, tympana tua, vel tympanorum tuorum, ac si sensus sit, aurum opus tympanorum tuorum; vel ex auro confecta fuerunt tympana tua. Quae confirmant supradicta de delicijs, & luxu, eademque intelligere possumus à vulgato dicta *decoris* nomine. Quis enim dubitet confecta ex auro Tyrio fuisse instrumenta musica, summo artificio, & pulcritudine condecorata? Vel sensus est non de instrumentis musicis, sed de ipsius Tyrij ornamentis, sub allegoria harmonicae proportionis. Vt enim ex modulatione vocum, earumque proportione gratus auditui sonus redditur à musico instrumento, ita symmetria, ac lineamentorum proportio, tum in membris, tum in vestimentis, decorem, ac venustatem oculis gratissimam exhibet. Loci ergo sensus erit, quasi dicat, auro artificiosè elaborato, sed multò operosius, ac maiori ingenij artificio distincto te coodecorasti.

Decoris notio.

Isa. 24. ℣. 8.

Exo. 15. ℣. 20.

Consertus musicae decor.

Et foramina tua. Hebraicè ונקביך vnekabecha, deducta à radice נקב nachab. quae vox tum sono, tum significatione congruit cum Latino verbo cauo, excauo, licet à Latinis commodioribus suae linguae verbis reddatur, nempe perforandi, seu excidendi, vt in libro Iob. *In fudibus perforabit nares eius.* Et apud Isaiam: *Intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Quare R. Dauid Chimchi, quem ferè omnes Hebraei interpretes sequuntur, ait: Licet hoc nomen, *foramina* significet hic tamen instrumentum musicum significat, varijs foraminibus confectum: quod instrumentum, fistulam, vel tibiam, quae foraminibus constat, intelligimus. Haec ille. At si vim vocis expendimus, non fistulam tantùm, sed & quodlibet musicum instrumentum significare potest, quia ferè omnia concaua sunt, vt au-

Varia foraminum acceptio.

Iob 40. ℣. 20.

Isai. 36. ℣. 6.

ctum reddant, quem intra se recipiunt sonum. quapropter etiam ferè omnia perforata sunt. Neque malè interpretabitur hanc vocem, qui putauerit, non instrumentum musicum, sed foramina illa, quibus praedicti pretiosi lapides auro includebantur, Hispanicè engastes. Vel *foramina* vocat ipsosmet lapillos, qui propter micantem luminis splendorem ocellis, seu potius foraminibus persimiles erant.

In die. Hebraicè מיום miom, à die, *qua conditus es, praeparata sunt*. Et erit iuxta praedicta loci sensus, & connexio huiusmodi. Auro dirarus, & musicis instrumentis, omnigenisque delicijs perfruitus es, & quidem gazophylacia, seu apothecae, quibus recondenda esset tanta diuitiarum copia, iam inde à natiuitate, & ortu tuo praeparata sunt. Quasi ironicè dicta sint omnia: quomodo enim posset à die natiuitatis parare sibi homo horrea sua? Apollinarius eam, quae ante euersionem harum (gemmarum) copia praecesserat, enarrat. Polychronius: Propter Salomonis amicitiam, & studium templi, diuitias, gloriamque erat adeptus. Porrò Symmachi interpretatio illum principem Tyri, quasi pretiosissimum monile, lapidibus scribit esse distinctum, quapropter comparatus, vel potius praelatus videtur Tyrius Aaroni, primo Hebraeorum Pontifici. Hic enim eiusmodi quidem gemmis ornatus fuit, & insuper vnctus, in senectute tamen, mortique vicinus dum esset, eisdem exutus fuit at tu à die natiuitatis tuae creatus es Rex, pretiosis gemmis fulgens, quasi deum quendam agens in terris, cuius potestatem exerces. Vel si ad nequissimum spiritum referantur dicta, ea aptissimè interpretatur Hieronymus: Septuaginta, inquit, posuere, Auro replesti thesauros tuos, & apothecas tuas, ad sensum, mentemque referentes, quod cogitatio eius diuinis patuerit sacramentis. Atque de eodem Theodoretus: per lapides autem, qui commemorati sunt, omnis generis sapientiam, scientiamque illius significat. Etenim sacerdotum princeps rationale iudicij, in quo positi erant hi lapides, in pectore gestans, in Sancta sanctorum ingrediebatur: pectus verò est veluti quoddam cordis penu. Quam interpretationem confirmare videtur Hebraea vox הבראך hibbaraca, à radice ברא bara, quam de Deo tantùm vsurpati putant Hebraei: ille enim solus creare potest: quod significat hoc verbum, nempe ex nihilo aliquid facere, vel ex praeiacente materia nouo modo, singulari consilio, atque omnipotentia aliquid condere, & exhibere, quod nulla creatura posset efficere. Vtriusque significationis sunt exempla in scriptura sacra. *In principio* ברא bara *creauit Deus caelum, & terram*. Et iterum, *ad imaginem Dei*, ברא bara, *creauit illum, masculum, & feminam* ברא bara *creauit eos*. In alia verò significatione deducitur ab hac radice nomen, significans quasi recreatum, nitentem, conspicuum. Eius exemplum habetur in libro Iudicum: *Erat autem Eglon* בריא bari *crassus nimis*. Et in psalmo: *Et firmamentum in plaga eorum*. Hebraicè ובריא vbari, & pinguis fortitudo eorum. Sic enim interpretantur R. Abraham, & R. Dauid. Quare iuxta praedicta loci sensus erit: & apothecae, seu receptacula tua praeparata tibi sunt à die creationis tuae, vel qua creatus es, siue à die, qua impinguatus es, qua tu rerum omnium copia circumfluere coepisti. Quam quidem initium omnis superbiae semper fuisse nemini dubium esse potest.

Apollinar.
Polychr.
Symmach.
Num. 20. ℣. 26.
Hieron.
Theodor.
Pectus, quasi cordis penu.
Creare solius Dei est.
Gen. 1. ℣. 1. & ℣. 27.
Recreatus, pinguis, nitens, conspicuus.
Iudic. 3. ℣. ℣. 17.
Psal. 72. ℣. 4.
R. Abrah.
R. Dauid.

A

XIIII. De vocis Cherubim interpretatione.

Tu Cherub extentus, & protegens. Vocem Hebraicam כרוב Cherub tum Latini, tum Hebraei variè interpretantur: cuius quidem diuersitatis id causae afferri posse videtur, quòd cum à varijs vocibus, quas radices Hebraei vocant, originem ducere posse videatur: varias propterea inducat in legentium animos notiones. Cuius quidem rei non Hebraeorum tantùm commentarios, quibus meritò non multum deferunt Theologi, sed ipsammet scripturam sacram habemus testem, quae in varias acceptiones hanc vocem deflectit. Nam locus Ecclesiastici, vbi

B habetur: *Ezechiel, qui vidit conspectum gloriae, quam ostendit illi in curru Cherubim*, Hebraicè dicitur המרכבה הכרבים hamerchaua haccherubim, quarum vocum altera alteri quasi commentarius est; addito etiam Ezechielis loco, in quo habetur, *facies vna facies Cherub*, quae eadem est, atque illa, quam vocauerat prius faciem bouis. Quae quidem duo loca vix possunt explicari, nisi referatur vox haec ad radicem רכב racab, litterarum metathesi, seu transpositione facta, quòd frequens Hebraeis est. Ea autem vox significat equitare, superuehi. Et ab aliquibus obseruatum accepimus, hoc verbum interdum rerum administrationem, moderationem, & prae-

C sidentiam innuere: quòd qui rerum gubernacula tenebant, curru, aut equo veherentur. Siue etiam, quòd sicut equi habenis reguntur à sessoribus, sic subditi, ac populi legibus, consilio, & prudentia moderatoris, seu principis gubernantur. vel potius, quòd, sicut suprà de principe notauimus, ipse prouidentia sua, quasi humeris porter Reipublicae pondus, & cum honoribus onera. Quam vocis notionem expressisse videtur Paulus, de Christo Domino scribens: *Qui cùm sit splendor gloriae, & figura substantiae eius, portansque omnia*, φέρων τὰ πάντα pheronde ta panda, quod respondere videtur Hebraeo רכב racab, quasi agens, mouens, & mo-

D derans *verbo virtutis suae*, hoc est, iussu suo potentissimo. Respicere se mutuo has duas voces רכב racab, videlicet, & כרוב cherub, probant Hebraei ex illo psalmi. *Et ascendit* וירכב vaiircab, equitauit *super Cherubim*, כרוב cherub; vbi facilis est intuenti paronomasia. Quare ex dictis facilè interpretari possumus quamplurima scripturae loca, quibus Deus insidere super Cherubim dicitur, vel quadrigae eius fit mentio, tunc enim gubernatorem, principem, seu moderatorem agere intelligemus. Hoc vnum annotandum superest, Deum hoc nomine compellatum toto tempore, quo habitauit in tabernaculo, & quasi agere Cherubinos videbatur: at postquam permanen-

E tem coepit habitare domum, verbum רכב racab equitare, mutatum est in ישב iaseab, sedere. Atque ita compellatur ab Ezechia apud Isaiam: *Domine exercituum*, inquit, *Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terrae*. Quare meritò de principe Tyri sine vlla metaphora dicetur haec vox *Cherub*.

At verò si testimonium Hieronymi ut recipiendum videtur, recipimus, ex radice רבב rabab deductam hanc vocem non ambigemus. In Exodo enim, inquit, ceterisque locis, vbi describuntur vestes, plumaria arte contextae, opus Cherubim, id est, varium, atque depictum esse factum descri-

Eccles. 49. ℣. 10.
Ezech. 10. ℣. 14.
prius cap. 1.
Equitare idem, quod gubernare, vel Rempublicam moderari.
Sicut equi habenis, sic populus legibus gubernatur.
Princeps quasi currus, Reipublicae onera portat.
Hebr. 1. ℣. 3.
Psal. 17. ℣. 11.
Deus, qui equitare dicebatur tempore tabernaculi, extructo templo insidere dicitur Cherubinis.
Isai. 37. ℣. 16.
Hieron. in epist. 130. ad Marcell.
Exo. 26. ℣. 31. & cap. 28. ℣. 8.

describitur. Haec ille. Quae cùm ipsamet vulgata lectione comprobata sint, nulli dubium erit, quin ad praedictam radicem sit vocis notio referenda. Significat autem ea, multiplicare, crescere, augere, magnificare. Quare cum hoc verbo connectitur pax, quae à Domino promittitur nouae vrbi, hoc est, Ecclesiae Christi ורב שלום verab scelom, & multiplicabit pacem, aut multiplicabitur, vel multiplicabit sese pax filiorum tuorum. *Et multitudinem pacis filijs tuis.* Targhum: Et multa magna erit pax filijs tuis. Et in Genesi: *Erat quippe substantia eorum* רב rab *multa.* Et apud Esther: *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, praeponens mensis singulos de principibus suis.* Hebraei verò sic reddunt: Quia sic disposuerat Rex omni רב rab, magistro, vel principi domus suae. Significat autem hic, & alibi saepe hominem honorabilem, inclytum, magnae existimationis, & dignitatis, inquit R. Dauid, ob multiplices dignitates, quibus pollet. Quare significabit eum, qui pollet opibus, viribus, scientia, & quibuscumque ornamentis eximijs. Sicut apud Isaiam: *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem,* ורב varab, *& propugnatorem* potentissimum viribus, consilio, & sapientia, alij magistrum, *qui liberet eos.* Et in Threnis: *Quomodo sedet sola ciuitas* רבתי עם rabbathi gham, *plena populo,* vel multi, aut magni populi, vel multiplicata, vel magnificata populo, *facta est quasi vidua* רבתי rabbathi, *domina gentium* magna, vel magnificata in gentibus, vel inter gentes, aut prae gentibus. De sapiente verò dicitur in Ecclesiaste: *Eò quòd* ברב berab, *in multa sapientia,* vel in magna sapientia, vel habente magnam sapientiam רב כעם rab caghas, *multa sit indignatio,* vel multa, aut magna ira, vel in abundantia sapientiae est & abundantia irae. Targhum: Quia vir, qui multiplicat sapientiam, cum peccauerit, & non resipuerit, multiplicat iram coram Domino. R. Salomon: Homini, qui suae sapientiae innititur, & ab illicitis non abstinet, ira magna à Domino superueniet. Lege haec sapientibus huius saeculi, Machiauelo, & asseclis. Hac ergo voce Hebraei compellabant magistros suos רב rab, vel honoris ergo רבי rabbi, hoc est, magister mi: & apud Syros etiam רבוני rabboni, vt apud Ioannem: *Rabboni, quod dicitur magister.* Praeposita ergo huic voci littera seruilis כ caph, id est, tamquam, veluti, &c. fiet carab, vel cherub, significans primaeua sui institutione multiplicatum scientia, vel plenum scientia. Quam vocis etymologiam tradit Hieronymus tum hic, tum alibi saepe. Eisdem etiam iactis fundamentis comprobatur sententia R. Dauidis, asserentis Regem ob magnitudinem, ac dignitatem appellari Cherub, quod probat subsequens vox. *Extentus,* Hebraicè ממשח mimsciach, à radice משח masciach, quae vngere significat, vnctione inquam, quae propria erat Regum, & sacerdotum, vt in libris Regum de Salomone: *Et vngat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta in Regem super Israël.* Et iterum Sauli dicitur: *Ecce vnxit te Dominus super haereditatem suam in principem.* De sacerdotibus verò in Exodo: *Et vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.* Atque in Numeris: *Donec sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus est, moriatur.* Hinc deducitur nomen משיח masciach vnctum significans, idemque Graecis χριστὸς Christos, quo nomine tum hi, tum illi Saluatorem mundi Iesum Christum Dominum nostrum compellare solent. Qua quidem vnica voce & nos profitemur, eum fuisse vnctum diuini Spiritus *oleo laetitiae prae consortibus,* participibus inquam suis: constituturumque Regem à Patre super Sion montem sanctum eius, regnantem *in domo Iacob in aeternum, cuius regni non erit finis.* Licet enim fremuerint *gentes, & principes in vnum conuenerint aduersus Dominum, & aduersus Christum eius,* circumdederintque eum tauri multi, ac vituli pingues: ipse verò tamquam agnus mansuetus ad victimam ductus, oblatus fuerit, quia ipse voluit: tamen neque dereliquit animam suam in inferno, neque dedit sanctum suum videre corruptionem, sed post triduum excitauit, solutum, ab Hebraeis, templum corporis sui, & vidit omnis caro salutare Dei, & quia ipse est *sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec.* Cuius quidem sacerdotij unctione, & dignitate nos, meritis licet impares, participes tamen effecti, incruentum corporis, & sanguinis eiusdem Domini nostri Iesu Christi sacrificium sub speciebus panis, & uini quotidie in altari offerimus. Hic est enim de quo ad Danielem Gabriel Archangelus. *Et vngatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum aedificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae,* &c. *& post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Verùm non tantùm haec uox dici solet de Christo Domino, & sanctis Regibus, sed etiam de profanis, & exteris, ut apud Isaiam: *Haec dicit Dominus Christo meo Cyro.* Qua propter non immeritò praesentem locum nonnulli interpretantur: *Tu Cherub* unctus, uel clarus, illustris: qui sunt olei effectus. Targhum: Tu Rex unctus ad regnum. R. Dauid: Tu Cherub (id est, Rex, dictus Cherub, ob eius maximam dignitatem) magnus. Et sic in psalmo. *Nolite tangere Christos meos,* id est, Reges, & magnates. Haec ille. R. uerò Selomon ad illam significationem alludens, quam reddit Hieronymus, Regem magnum uocat, quasi multarum gentium, ac prouinciarum dominum. At ipse Hieronymus: *Tu Cherub extentus, & protegens* uertit, ad templi Cherubinos respiciens, prout etiam ipse commentatur hunc locum: Subauditur enim, inquit, arca Dei, & propitiatorium, quasi dicat: tu qui alis potentiae, & ditionis tuae extentis, populos subditorum protegis, haud secus, quàm Cherubim arcam, & propitiatorium. Septuaginta uerò uariè redduntur in uarijs codicibus: in Complutensi: Ex qua die conditus es, & praeparatus es, cùm Cherub unctus a Deo. In Hieronymiano. A die qua conditus es, parauerunt cum Cherub uncto, & habitante in tabernaculo. In Theodoreti codice: Praeparatus fuisti cum Cherub, unctus à Deo in tabernaculo habitante. In Sixtiano uero codice: A die qua conditus es tu, cum Cherub posui te in monte sancto Dei. Quae quidem lectionum multitudo cum alijs, quae in notationibus Vaticanae editionis Septuaginta, uarios reddunt sensus: alios ad Regem Tyri pertinentes. Hieronymi enim lectio innuit Tyrium natum Regem, ut regnaret eo tempore, quo florente Hebraeorum Republica, permanebant in templo, tum Mosaici, tum Salomonici Cherubini. Vel Cherubinos uocat Regem, & sacerdotem unctos, propter rationes supra

comme-

Isa. 54. ✠. 13.
Gen. 13. ✠. 6. & 36. ✠. 7.
Esther 1. ✠. 8.
R. Dauid.
Cherubim significat pollentem opibus, viribus, scientia, & quibuscumque eximijs dotibus.
Isai. 19. ✠. 20.
Thren. 1. ✠. 1.
Eccles. 1. ✠. 18.
Targhum.
R. Salomon.
Sapientia pollens, & non vtens magnae vindictae patebit.
Rabbi quid significet.
Ioan. 20. ✠. 16.
כ Caph litera seruilis quid significet.
Cherub quid significet.
Hieron. super Ezech. 10. fine. & in fine epist. ad Ephes. & epist. 103. ad Paul.
R. Dauid lib. radic.
Vnctio Regibus, & sacerdotibus exhiberi solita.
3. Reg. 1. ✠. 34
1. Reg. 10. ✠. 1
Exod. 40. ✠. 15 & praeced. in Hebraeo, Graeco, & Chaldaeo.
Num. 35. ✠. 25.
Interpretatio nominis Christi Messiach.
Ps. 44. ✠. 8.
Luc. 1. ✠. 33.
Ps. 2. ✠. 2.
Ps. 109. ✠. 4.
Dan. 9. ✠. 24. 25. & 26.
Isai. 45. ✠. 1.
Vnctionis effectus clarum, illustremque reddere.
Targhum.
R. Dauid in comment. Psal. 104. ✠. 15.
R. Selom.
Rex & sacerdos binis cherubinis significatur.

commemoratas. At commentarius eiusdem Hieronymi dum addit, ipsum Cherub vnctum, & creatum, vnà cum reliquis lectionibus, ad superbum angelum videtur referendus, & de octauo caelestium spirituum choro, non de Cherubinicis templi imaginibus intelligendus. Cui consonant Theodoreti verba: Cum sanctis enim illis, inquit, & augustis potestatibus, & opificio, & vnctione dignatus es. Vnctionem hoc loco, vocat sanctificationem à diuino spiritu, corporis expertibus, & sanctis potestatibus subministratam. Haec ille.

Et posui te in monte sancto Dei. De quo monte fiat hic sermo, non liquet inter interpretes. Neoterici enim cum Rabbinis ad Hierusalem referunt, in qua dici putant fuisse Tyrium, propter consuetudinem antiquam Salomonis, & Hirami, quodque illi miserit ligna, & alia ad structuram templi. quos meritò reprehendit Theodoretus. Nam etiamsi ligna, lapides, aurum, & alia, miserit Hierosolymam Hiramus, non tamen propterea dici potest Hierosolymis fuisse, cùm nemo scribat, eum vmquam Hierosolymam appulisse. At si vocem ipsam בהר behar *in monte*, examinemus, reperiemus, montis nomine, ciuitatem quamlibet nuncupari, eam etiam, quae non sit in monte: propter munitiones enim, ac celsitudinem aedificiorum sic dicitur apud Amos. *Eo quod dissecuerit praegnantes* חרות haroth montes, ciuitates munitas potius diceres, quas meritò praegnantibus compares populis plenas, *Galaad ad dilatandum terminum suum*. Quae quidem vocis interpretatio satis patet ex eo, quod apud Ieremiam Dominus de Babylone, quae non in montibus, sed in campestribus sita erat, ait *Ecce ego ad te mons pestifer*, hoc est, ciuitas munita, & excelsa, moribus tamen corrupta, *ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram & extendam manum meam super te, & eueluam te de petris*, quibus constructa es. *& dabo te in montem combustionis*. Quare nihil repugnat de ipsamet vrbe Tyri sermonem fieri, praesertim cùm supra montem excelsum, instar coronae, exaedificata fuerit, vt suprà ostendimus. Neque obstat vocari montem sanctum Dei: sic enim tota terra Chanaam nuncupatur in libro sapientiae, dicente ad Deum Salomone: *Illos enim antiquos inhabitatores terrae sanctae tuae, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant*, &c. *atque eos perdere voluisti per manus parentum nostrorum, vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quae tibi omnium carior est terra*. Quibus quidem verbis de tota Palaestina sermo est, quae etiam tum, cùm à Chananaeis, Deo maximè exosis incolebatur, terra Dei sancta, omniumque terrarum illi carissima nuncupatur; eamque sanctam dici (ait Cantacuzenus) quippe iam inde ab initio promissam patribus, & in illorum semine benedictam: *Daboque*, inquit, *tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem aeternam*. Haec ille. Verùm altius longè repetit hanc terrae sanctitatem Moyses in cantico, dicens: *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël. Pars autem Domini populus eius Iacob funiculus haereditatis eius*: quasi dicat: vt à constitutione mundi elegit sibi populum, & gentem filios Israël: sic iam tum terram, quam illis destinauerat, elegit, ac sanctificauit sibi. Quapropter cùm Tyrus sita sit intra terminos huius sanctae terrae, nempe in tribu Aser, vt videre est in reliquis omnibus eiusdem terrae topographijs, dum nostram edimus, non immeritò ipsa Tyrus mons Dei sanctus dicetur, atque ipsi principi Tyri vitio vertetur, quod terram sanctam incolens, tam longè a sanctitate viuat. Ad idemque confirmandum referri posse putauerim, quae sequuntur, vt mox ostendam, si tamen prius alios sensus, quos huius loci persequuntur sancti Patres, breuiter perstrinxero. Hieronymus ad caelestem Hierusalem, vel ad paradisum refert. Theodoretus montem sanctum Dei cognitionis celsitatem vocat. Scholiastes montem verè sanctum dicit celsissimum supernarum potestatum statum, ex quo Cherubim, quae hastatorum munere funguntur, diabolum eiecerunt, qui scientiam deprauauerat, & ob superbiam suam stationem, locumque tenere nesciuerat. Sed & Rabbini ad altiores nonnumquam sensus eriguntur: nam Rabbi Dauid Chimchi ad tempora Hirami referendam dicit prophetiam, eandemque sequutus sententiam R. Selomon: *Posui te*, inquit, *in monte sancto meo*, hoc est, dedi tibi occasionem merendi, & rectè agendi, adiuuando scilicet Salomonem, & ad constructionem templi mei varia ligna cedrina mittendo.

In medio lapidum ignitorum ambulasti. Quae quidem verba non dubitamus esse cum Patribus referenda ad angelos, quos lapides ignitos vocari probat Hieronymus, vel ex ijs maximè psalmi verbis: *Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*. Verùm hoc vnum inquirimus, qua allusione dicantur lapides igniti, & qua ratione cohaereat cum antecedentibus, & consequentibus hic sensus. Et quidem quod ad vocis interpretationem spectat, cùm in alijs dissentiant, in hoc vno conueniunt omnes Hebraei, ea voce significari pretiosos lapides, & instar ignitorum carbonum, quos Latini persimili allusione carbunculos vocant. Addunt verò Rabbi Ioseph, & Chimchi, eorum lumine, atque splendore lucernarum loco vsum Tyrium, quod quidem figmentum alijs quamplurimis persuasum fuisse, & esse non dubito. At quos nos pretiosissimos carbunculos vidimus, licet carbones ignitos colore, ac splendore exaequare noctu obseruauerimus; comperimus tamen non excedere. Sed quis vmquam carbonis lumine vel legit noctu, vel scripsit? Fuerunt tamen Hebraeis alij carbunculis splendidiores lapides, quorum paulò ante meminisse Prophetam nostrum communis Patrum consensio tradit: nempe lapides illi duodecim rationalis, quibus nomina tribuum inscripta fuere. De quorum lapidum mirabili, ac singulari splendore, quem scriptura sacra אורים ותמים vrim vethummim, hoc est, *doctrinam, & veritatem*, vel Hebraei reddunt lumina, & simplicitates, quoniam nostri instituti erit longiorem disputationem, cùm de vestibus sacerdotalibus agemus, intexere; ideo nihil hoc loco praeter verba Iosephi, quae ad nostram hanc disputationem facere videntur satis afferemus. sunt autem huiusmodi. Sed mirabilius est, quod nunc dicturus sum. Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestat, in bello victoriam pronunciare Deus solebat. Nam prius quàm exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innotesceret, adesse Deum, opemque, & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Ex quibus Iosephi verbis manifestum quidem est, lapides illos meritò ab Hebraeis ignitos dici potuisse: eorumque lapidum

Marginal notes (left column): *Rabbini. Isidor Clar. Vatab.* — *Theodor.* — Ciuitas quaelibet montis nomine compellatur propter munitionem, & aedificia. *Amos 1. ℣.13.* — *Ierem. 51. ℣.25.* — *Sup. cap. 27. ℣.3.* Terra Chanaam terra sancta dicitur. *Sap. 12. ℣. 3. 4. 6. & 7.* — *Matth. Cantacuz. in Sapien.* *Gen. 17. ℣. 8.* — *Deut. 32. ℣. 8 & 9.*

Marginal notes (right column): Accusatur Tyrus, quod terram sanctam incolens, non sanctè viuat. — *Hieron. Theodor. Scholiast.* — *R. Dauid Chimchi. R. Selomon.* — Lapides igniti angelos significant. *Hebr. 1. ℣. 6. Psal. 103. ℣. 4.* — *R. Ioseph. R. Dauid Chimchi.* — De mirabili splendore lapidum rationalis. *Exo. 28. ℣. 30.* — *Ioseph. 3. Antiq. c. 9.*

Lapides rationalis, in eo & tribus illis insculptae lapides igniti dicebantur.
Sap. 18. ℣. 24.

dum nomine ipsasmet etiam tribus, ac populos eisdem insculptos, ignitos lapides dici posse, dicente Salomone: *Et parentum magnalia in quattuor ordinibus lapidum erant sculpta*. Et quoniam per horum lapidum splendorem, Dei erga populum suum protectio, & fauor exprimitur, meritò Tyrio obijcitur, quòd cùm inter huiusmodi igneos lapides diu habitauerit, semper tamen frigidus, & ab omni vitali calore destitutus sit. Quod quidem tum maximè intelligetur, cùm ad superbum spiritum referetur, qui inter caelestes, ignitosque lapides, quorum singulos singulis angelorum choris applicat Gregorius, olim similis illis habitauerit, nunc omni lumine, & bono destitutus, profundis, obscurisque inferni ignibus perpetuo arsurus depingatur.

In medio lapidum ignitorum quomodo fuerit diabolus.
Gregorius.

B

Neque huic nostrae coniecturae aduersatur Theodoretus, litigiosos lacessens, ac probans, Iudaeos ignitos lapides dici non posse, quoniam ipse primò supponit, caelestes potestates, ac iustos homines lapides ignitos dici, ad ignem diuini spiritus ea referens. Quo quidem igne non saepe accensos nouimus Hebraeos. Nos verò ad igneum, visibilemque splendorem, gemmis illis innatum primò referimus, mox ad illum alterum, qui hoc innuitur. Huc accedit illud, quòd omni vitio, ac reprehensione vacat Hebraeorum cum Tyrio, nempe Dauidis, & Salomonis cum Hiramo antiquus vsus, & Iudaeae, ac terrae Israël negotiatio cum frumenti, balsami, mellis, olei, atque resinae comportatione, quoniam haec inter singularia beneficia Tyro à Deo data computantur.

Theodoret.

C

Quare Polychronius. Ego, inquit Deus, qui ex Cherubim oracula reddo, quem maiores tui agnouerunt, & posteris religionis doctrinam tradiderunt, poenas à te repeto: vtraque re meum ostendens imperium, ac dominatum: tum quòd veram dum coleres religionem, te bonis auxi, tum quòd peccantem punio.

Polychron.

Rabbini verò varias loci interpretationes reddunt. Rabbi Ioseph carbunculos, R. Ionah angelos, seu Seraphim, quasi inter illos versaretur. R. Ionathan verò populum sanctum. R. Selomon, In libro, inquit, Midras agada exponunt hoc dictum fuisse de Adam, & est sensus. Quid gloriaris? Si instar Adam habitasses in paradiso voluptatis, forsitan excusabilis appareres.

Variae lapidum ignitorum interpretationes.
R. Ioseph.
R. Ionah.
R. Ionath.
R. Selomon.

D

R. Dauid Chimchi vocat Hierusalem lapides ignitos, quia in ea commorabatur populus sanctus Dei. Pater autem, inquit, meus exposuit haec verba, quasi sint admirantis, & dicentis, numquid in medio spiritualium corporum, ac caelestium ignium ambulasti? Vel dicendum. Tu reputasti te ipsum quasi Cherub, quando ambulasti inter lapides pretiosos, ac splendidos, id est, carbunculos, quibus vtebaris per noctem loco candelarum. Quibus quidem verbis expressisse videtur Hebraeus vim Hebraici verbi התהלכת hith hallactha, pro quo vulgatus, *ambulasti* reddidit.

R. Dauid Chimchi.
Carbunculi noctu instar candelae lucent.

E

Cùm enim sit in postrema coniugatione, quae addit verbo reciprocam significationem cum quadam vi, & ostentatione, significat tumidum, ac ostentatione plenum incedendi modum. Quem ambulandi morem aptissimè exponit Hispanica lingua, respiciens ad pauonis incessum, quando in medio ocellorum erectae suae caudae, extento collo sese circumagit. vocat enim ipsum pauonearse, o contonearse: Italica verò pauoneggiarsi. Et quidem si iuxta hanc vocis interpretationem omnibus superioribus interpretationibus applicetur hoc verbum, efficacitatem illis afferet non exiguam. Adde quod Scholiastes Graecus Lapides ignitos, inquit, angelicos nominauit exercitus. Nam & alter propheta sanctos viros, angelicamque degentes vitam ita vocauit, cum diceret, lapides sancti κυλίονται cylhondai voluuntur in terra. Et Polychronius lapides ignitos dicit tabulas, quae voces continebant per ignem illatas: Decalogum enim, igne in monte Sina ostenso, promulgauit Deus.

Vltima Hebraeorum coniugatio reciproca.
Scholiast.
Threnor.
Polychron.

Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuae, donec inuenta est iniquitas in te. Hieronymus Septuaginta interpretum versionem sic refert: Fuisti immaculatus in diebus tuis, à die qua conditus es, donec inuenta est iniquitas in te. Et subdit: Ostendit omnem creaturam bonam a Deo conditam, & perfectam habuisse virtutem: & per hoc principem quoque Tyri fuisse immaculatum, vt deinceps macula non naturae sit, sed voluntatis. Quam quidem sententiam idem Hieronymus confirmare videtur alibì, dicens: Notandum, quod in libris Regum dicitur, Hiram, hoc est, viuit sublimis: in Paralipomenon, Hiram, hoc est, Deus excelsus. Haec ille. Quibus verbis hoc innuere videtur, Hiramum, qui quondam Dauidis, & Salomonis consuetudine sublimis, ac potens opibus, scientia, ac pietate fuerat, vtpote, qui aedificationi templi inseruiebat, postea in superbiam elatum, Dei nomen affectasse: quod scelus, quasi omnium iniquitatum scaturigo, iniquitas absolutè dicitur. Theodoretus. Talis enim fuit ante lapsum diabolus: de hominibus verò audiuimus: Nemo mundus a sorde, nec si vnius diei quidem fuerit vita ipsius super terram. Hic autem, cùm corporis expers esset, immaculatus fuit à principio. vbi verò in deteriorem partem inclinatione voluntatis lapsus est, via penitus contraria incessit. Haec ille.

Iniquitas atque peccatum non naturae vitium est, sed voluntatis.
Hieron. de quaest. Hebrai. in 3. Reg.
Hiram quid significet.
Diuinitatis arbitio tam quam omnium malorum scaturigo iniquitas dicitur.
Theodor.
Iob.

Et D. Augustinus aduersus Manichaeos disputans, falsò contendentes, diaboli peccatum naturale fuisse, putantes id significari verbis Ioannis, dicentis, *ab initio diabolus peccat* hoc loco eos conuincit, dicens: Non intelligunt, si naturale est, nullo modo esse peccatum. Sed quid respondetur propheticis testimonijs, siue quod Isaias ait de figurata persona principis Babyloniae, diabolum notans: Quomodo cecidit Lucifer, qui manè oriebatur: siue quod Ezechiel: *In delicijs paradisi Dei fuisti* omni lapide pretioso ornatus? Vbi intelligitur fuisse aliquando sine peccato. Nam expressius ei paulò post dicitur: Ambulasti in diebus tuis sine vitio. Quae si aliter conuenientius intelligi nequeunt, oportet etiam illud, quod dictum est, *in veritate non stetit*, sic accipiamus, quòd in veritate fuerit, sed non permanserit. Et illud, quod *ab initio diabolus peccat*, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia coeperit esse peccatum. Haec ille.

August. lib. 11. de ciuit. Dei c. 15.
1. Ioan. 3. ℣. 8.
Quomodo diabolus ab initio peccasse intelligatur.

Gregorius, idcirco, inquit, iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur: qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulauit, quia inter angelorum corda, caritatis igne succensa, clarus gloria conditionis exstitit. Origenes: Per haec, inquit, manifestissime demonstratur, quod sancta virtus haec fuerit, & beata, de qua beatitudine, ex quo in ea inuenta est iniquitas, ruerit, in terramque demersa sit, & non per naturam, conditionemque talis exstiterit. Polychronius: *Perfectus in vijs tuis*, hoc est, experientia didicisti mea iura. Ex quibus ostenditur, non fuisse pietatis expertem. Tertullianus de angelo pessimo: Denique, inquit, sapientissimus omnium editur, antequam diabolus, nisi malum est sapientia. Et si euoluas Ezechielis prophetiam,

Gregor. lib. 32 moral. cap. 4.
Origen. lib. 1. periarch. cap. 5.
Polychr.
Tertull. lib. 2. contra Marcio.

phetiam, facilè animaduertes, tam institutione bonum angelum illum, quam sponte corruptum. Et subdit: Sed ipse auctor delicti in persona peccatoris viri denotabatur, retro quidem inuituperabilis à die condicionis suae, à Deo in bonum conditus, vt à bono conditore inuituperabilium condicionum, & excultus omni gloria angelica, & apud Deum constitutus, qua bonus apud bonum: postea verò à semetipso translatus in malum. Haec ille. Quae quidem omnia Patrum testimonia ideo retuli, vt obiter innuam, quae hoc prophetae testimonio conuincantur haereticorum peruersa dogmata.

Haereses multae conuincuntur Ezechielis testimonijs.

XVI.

In multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate. Hieronymus: Dum enim multa conquirit, & non est contentus scientia, quam acceperat, nec potestate, cui praepositus erat: repleuit cellaria, & interiora pectoris sui: vt saturatus, & incrassatus calcitraret contra creatorem suum. Theodoretus: Non contentus data tibi sapientia, & potestate, sed maiorum cupiditate incensus, iniquitate repletus es, & peccati vulnera accepisti. Quibus quidem verbis Patres hi adhuc persistere videntur in allegoria, quam de superbo spiritu persequuntur. Verum haec prius de Tyrio principe videntur interpretanda, cuius propria negotiatio est, eademque omnium vitiorum causa exstitit. Quod intellexisse videtur Polychronius, dicens: Ex rapina, & auaritia, & iniuria in Deum, potuisti tantas opes terra, marique comportare. Qui quidem Polychronius, vitia commemorasse videtur, negotiationi frequenter adiuncta. Nisi malis ad totam huius vitae peregrinationem negotiationem referri: nihil enim aliud est uiuere in uia, uel ad uitam, uel ad mortem aeternam, quàm quaedam negotiatio, prout ex parabola Christi apud Lucam uidere est, dicente seruis Domino, cùm discederet ab eis. *Negotiamini, dum venio. Et factum est*, inquit, *vt rediret, accepto regno & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam: vt sciret quantum quisque negotiatus esset*. Hac autem negotiatione in patriam nostram, quae agimus bona opera, transmittimus, testante Laurentio, quia thesauros Ecclesiae, quos dispergens dederat pauperibus, eorundem pauperum manus in caelestes thesauros asportauerunt. atque inde caelestium donorum mercede recepta replentur, atque ditantur negotiatores huiusmodi. Quam quidem mercedem imprecabatur Booz Ruthi Moabitidi, dicens: *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel. Benedictio* enim *Domini*, inquit sapiens, *diuites facit*. De qua quidem negotiatione gloriosum protulit testimonium Chrysostomus. Annam enim Samuelem grauidam commendans, ait: Onus autem illud non solum erat inopinatum, & admirabile, uerùm & importationis modus fuit admirabilior: neque enim illud hominibus ullis uendidit, aut negotiatoribus, sed protinus, ue exposuerat è scapha, Deo uendidit. Tantum autem hac negotiatione lucrum fecit, quantum facere par est eam, quae cum Deo habuerit commercium. Et non longè subdit; Vt iam usura sortem excederet. Talis enim est negotiatio, commerciumque, quod cum Deo geritur. Non ille quantulamcumque sortis partem, sed multis partibus conduplicatam reddit. Haec ille. At Macharius ille Aegyptius, magni Antonij discipulus, integram homiliam de hoc argumento conscripsit, quam sic exorditur: Similes sunt Christiani mercatorum, qui ingentem quaestum ex mercatura faciunt. Quemadmodum enim hi è terra

Hieron. — Theodor. — Polychr. — Vita praesens quaedam negotiatio est. — Luc. 19. ℣. 13. — Bonae negotiationis fructus. — Ruth. 2. ℣. 12. — Prou. 10. ℣. 22. — Chrysostom. Homil. de Anna. — Machar homil. 24.

A terrena accumulant lucra: eodem modo illi cordis sui dispersas cogitationes per hoc saeculum, omnium uirtutum beneficio, ac ui Spiritus sancti colligunt ex vniuersa terra, quae est maxima, ac vera negotiatio. Haec ille. At contrà, qui cum humani generis hoste negotiantur, iniquitatem ementes, iram sibi thesaurizant, teste Apostolo, quorum omnem negotiationem describit princeps Apostolorum, dicens *Cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij*. Notandum, quantum haec singula verba singulis superiorum aduersentur: *Derelinquentes rectam viam, errauerunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.* Quam eandem mercedem commemorat idem Petrus, B de Iuda proditore loquens. *Et hic*, inquit, *possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*, quasi tanta sceleris iniquitate turgentia, non potuerint amplius peruerso corpore contineri. Consimilis negotiationis mercede, iniquitate plena esse testatur Propheta noster Tyrij principis interiora, siue etiam superbi spiritus mentem, quando negotiationis tempus illi non defuit, dum fuit in via. Verùm antequam ad vlteriora progrediamur, subiungendum duxi Chimchi interpretationem, omnibus principibus notatu dignissimam. *In multitudine negotiationis tuae*, inquit, *repleta sunt interiora tua iniquitate*, hoc est subdit, secundum C peccatum, atque iniquitas, scilicet, quòd Tyri negotiatores in negotiando solebant fraudem committere: Rex autem eorum poterat impedire huiusmodi mala, & noluit. Haec ille. Quasi verò ignauiae principis adscribantur scelera populi, quo peccante, princeps ipse repletus dicitur iniquitate. Et quidem non Rabbini tantùm testimonio comprobari videtur haec sententia, sed ipsius Dei, qui cùm iustus verè sit, reddens vnicuique secundum opera sua, principes puniri praecipit propter populi peccata, quorum sola correctionis omissione participes fuisse videntur. In Numerorum enim libro scriptum legimus: Quia *fornicatus est populus cum filiabus Moab*, &c. *& iratus Dominus ait ad Moy-* D *sen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel*. Et mox propter zelum Phinees, occidentis legis transgressores, placatus fuisse dicitur Dominus, qui dixit ad Moysem: *Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis*, gloriosa commemoratio, *auertit iram meam à filijs Israël*. Sed ad institutum redeamus. Longè aliter legit, & interpretatur verba haec Tertullianus: Ex quo enim, inquit, apparuerunt laesurae tuae (sic vocat iniquitatem praecedentis versus) illi eas reputans, qui scilicet laesit hominem, electum à Dei obsequio: & ex illo deliquit, ex quo delictum seminauit: atque ita exinde negotiationis, idest, malitiae E suae multitudinem exercuit.

Et peccasti, Hebraicè ותחטא vattecheta, à radice חטא chata, quae aberrare significat, deflectere scilicet à via, scopo, lege, verbo, Dei praescripto, siue etiam delinquere, quod Augustinus definit, quasi sit de liquido quodam defluere a stabilitate firmamenti, atque iustitiae. Et quidem haec vocis significatio vel ex eo maximè probatur, quod de viris Gabaa scribitur in libris Iudicum: *Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, vt dextra praeliantes & sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere.* ולא יחטא velo iachato, & non peccabant, vel aberrabant. Melius Vulgatus: *& nequaquam in alteram partem ictus* lapidis

Peruersae negotiationis conditiones, & damna. — Rom. 2. ℣. 5. — 2. Pet. 2. ℣. 14. & 15. — Act. 1. ℣. 18. — Exemplo Iudae pessimae negotiationis damna notantur. — R. Dauid Chimchi. — Principi adscribuntur peccata populi. — Num. 25. ℣. 1. 3. & 4. — Principes mulctantur poena capitis propter populi fornicationes. — Ibid. ℣. 11. — Tertull. — Peccare varias acceptiones. — Aug. super psal. 74. ℣. 4. — Iudic. 20. ℣. 16.

lapidis defferetur. Septuaginta ferè semper verbum hoc uertunt uerbo ἁμαρτάνω hamartano, quod Hebraici verbi significationem exhaurire videtur. Significat enim hoc ipsum, prout periti idiomatis Graeci tradunt, peccare, errare, spe falli, non intelligere, frustrari, officio non defungi, & alia multa. Sed quam persequuti sumus Hebraici verbi significationem, probant Xenophontis testimonio,

Xenoph. 1. Paed.

ἁμαρτάνοντες τῆς βουλήσεως hamartanondes tis bulifeos, hoc est, quia spes eos frustrata est. Et Thucydides: ἁμαρτάνω τῆς πράξεως hamartano tis praxeos, erro in agendo. δυοῖν θατέρου πάντως οὐχ ἁμαρτήσεσθαι dyin thateron pandus vchamartimen, duorum altero nequaquam prorsus frustremur, hoc est, frustrari possimus. Vulgatus verò interpres ferè semper hoc verbum Hebraicum verbo peccandi reddit. Quam versionem simulatè reprehendere videtur quidam, quod peccare propriè dicatur, quasi pellicare, id est, cum pellice coire, & adulterium committere: quare & significationi vocis Hebraicae, inquit, minus conuenit. Et quidem falsum omnino est, quod assumit tamquam iniquae reprehensionis occasionem: nam in eodem Dictionario, quo eam antiquam vocis impositionem legit, legisse etiam potuisset, vsu linguarum magistro receptum iam fuisse, vt eo nomine quodlibet vitium, aut error quicumque significetur, sicuti Latinae linguae parens exemplo demonstrat, his verbis: *Sic inter rectè factum, atque peccatum, officium, & contra officium, media locabat quaedam, rectè facta sola in bonis actionibus ponens, praua, id est, peccata in malis.* Et iterum. *Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, non reddere officium.* Ac tandem nulla est, inquit, excusatio peccati, si amici causa peccaueris. Quibus quidem exemplis declarat aptissimè Latina vox naturam peccati. Verùm nulla ratione tam intimè potest exprimi eius peruersitatis natura, quàm ipsa primaeua vocis impositione, *duo enim mala*, quae populum suum fecisse conqueritur apud Ieremiam Dominus: *Me dereliquerunt fontem aquae viuae, & foderunt sibi cisternas dissipatas, &c.* quorum alterum nomine auersionis a Deo explicant Theologi, alterum nomine conuersionis ad creaturas, nulla alia vnica voce explicari aptiùs possent, quàm peccati. quasi vero Deo, ac creatore sponso relicto, pellici creatae adhaerear peccator: Quapropter ferè omnia peccata, fornicationis, aut adulterij nomine frequenter exprimuntur in sacris. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis*, & infinitis ferme alijs locis. Verùm in praesenti non tantùm hoc significat prima, & maxima peccati damna, quae omnia videntur iam satis fuisse explicata praecedentibus verbis, *repleta sunt interiora tua iniquitate*, cùm Ioanne teste *peccatum sit iniquitas*: verum & quamplures alios significat peccati effectus, superaddita particula, *& peccasti*, nempe a scopo, & proposito fine aberrasti, non tantùm ab vltimo supremae felicitatis, verùm & ab ipso, quem sibi consequendum proposuerat, in ipso peccaro peccans. Quasi dicat: Cùm tu in summa felicitate, pulcritudine, diuitijs, sapientia, & gloria versareris, maiora, diuinitatem, inquam, ipsam affectabas, & exspectabas, ac propterea elatum est cor tuum, ad altiora contendens, verùm te miserum, peccasti, toto caelo aberrasti, contraria fini media elegisti, contrarium omnino praetento finem consequeris. Quam interpretationem fusius explicant sequentia: *Et eieci te de monte Dei, & perdidi te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.*

A · B · C · D · E

Vulgata nostra versio vindicatur à calumnia.

Forster in diction. Hebra.

Vox latina peccare vnde dicta.

C.c. Acade. quaest. & 3. de offic.

Cic. de amicitia.

Peccatum Latina vox rei naturam aptissime repraesentat.

Iere. 2. ỽ. 13.

Iere. 3. ỽ. 1.

1. Ioan. 3. ỽ. 4.

Quid superaddat inquitati peccati commemoratio.

Verùm hoc superueniens peccatum repleto iniquitate intellexisse videtur Scholiastes impaenitentiam: ait enim quoniam ita offendisti, vt nulla te paenitentia subeat, necessariò poenas à te Deus ipse repetit, cui iniuriam animi elatione fecisti. Polychronius verò poenas exprimi putat praecallatis verbis, quae sic interpretatur: Deiectus igitur es, inquit, à sanctorum consuetudine, & superiore potestate deturbatus. Cui consonat Chimchius: *Eieci te de monte Dei*, inquit, *& de medio lapidum ignitorum*, hoc est, non fiet vltra mentio de te in bonum, sed in malum id est, delebo memoriam tuam bonam de Hierusalem, & de medio populi sancti mei, qui lapidibus ignis comparatur. Theodoretus verò allegoriam persequutus, ad alteram significationem vocis Cherub alludens (de qua Pater Pradus) Tu igitur Cherub, inquit, quod vt diuinam gloriam ferret, dignum effectum fuerat, ipsum à sanctis potestatibus separauit, quae etiam ignitae appellantur. Nunc vero ij, qui sunt diuino ascensu digni, propter animi munditiem, in quorum cordibus sunt ascensus Dei, secundum diuinum prophetam, potestatem ipsum conculcandi pedibus accipere. Haec Theodoretus. Septuaginta legunt, & peccasti, & vulneratus es à monte Dei, quasi percussus, ac vulneratus deiectus sit. Vel sensus est, simul ac superbiae reus factus est, etiam in ipso monte, reatus sui damnationem subijt.

Scholiast.

Polychron.

R. Chimchi.

Theodor.

P. Pradus c. 10. ỽ. 14.

Iusti potestatem habet calcandi supra illum Cherubinum, cui diuinam gloriam ferre datum fuerat

Vbicumque peccati reatus, ibidem damnationis poena incurritur

Et eleuatum est cor tuum in decore tuo. Hieronymus: Dum tuum, inquit, putas esse, quod Dei est. Vnde & Apostolus stimulum carnis, & angelum satanae accepisse se dicit, qui eum colaphizaret, ne reuelationum magnitudine superbiret, & in iudicium incideret diaboli. Haec ille. Quibus notandum venit, iudicium superborum vocari a Paulo iudicium diaboli, quasi sint illi consimili poena multandi in iudicio Dei. Theodoretus: Ingenti superbia elatus es, conspectis ijs bonis, quae a me tibi suppeditata sunt. Apollinarius: Quod intra illum factum est, detegit malum, superbiam, inquam, quae pulcritudinem perdit rerum honestarum, quippe quae à pulcritudinis familiaritate separet. Polychronius: Magnificè nimis de te ipso sensisti propter gloriam, qua florebas, decorem enim iam regnum vocat. Haec ille. Quàm autem dissonet a pulcritudine animi, aut cordis, elatio omni inscitia plena, testarur sapiens, eleganti vsus tropo, dum ait: *Mulier pulcra, & fatua*, quasi circulus *aureus in naribus suis.* Cuius loci interpretationem continent, quae sequuntur verba: *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Septuaginta: Corrupta est disciplina tua cum decore tuo. Vtramque lectionem interpretarur Hieronymus: Dum plus vis esse, inquit, quàm conditus es, & magis sapere, quàm a Deo acceperas; etiam id perderes, quod habebas, & pro pulcritudine, atque doctrina, deformitas te, & stultitia possideret. Haec ille. Hebraicè verò habetur שחת fichata, quod verbum corrumpere, perdere, delere significat, vt apud Oseam: *Perditio* שחתך fichetheba *tua Israël*, vel corrupit te Israel, nempe vitulus iam memorarus, quia nisi hic fuisset, in me fuisset *auxilium tuum*. Sed melius R. Selomon: Corrupisti te ipsum Israël. Targhum Quando corrumpebatis vos domus Israël opera vestra, dominatae sunt vobis gentes. & quando reuertebamini ad legem sermonis mei, fui in auxilio uestri. Quare retti posset noster textus: corrupisti sapientiam tuam, על ghal super, uel propter decorem tuum. Aptissimè redderet Hispanica phrasis:

Hieron.

2. Cor. 12. ỽ. 7.

Iudicium superborum quare vocetur à Paulo iudicium diaboli.

Theodor.

Apollin.

Polychron.

Quantū dissonet a pulcritudine superbia, & quomodo illam perdat.

Prou. 11. ỽ. 22.

Hieron.

Ose. 13. ỽ. 9.

R. Selomo.

Targhum.

phrasis: *te esuanecifte con tu hermosura* · dicitur enim eadem voce *vano*, quasi inanis cerebro, & elatus pulcritudine. Quanta autem damna pariat proprij decoris nimium studium, eleganter tradit Tertullianus· Nam etsi, inquit, accusandus decor non est, vt felicitas corporis, & diuinae plasticae accessio, vt animae aliqua vestis vrbana, timendum tamen est, vel propter iniuriam, & violentiam spectatorum. quae etiam pater fidei Abraham in vxoris suae specie pertimuit, & sororem mentitus Saram, salutem contumelia redemit. Nunc non sit timenda dignitas formae, vt nec possidentibus grauis, nec apparentibus exitiosa, nec coniunctis periculosa, nec exposita tentationibus, non circumdata scandalis existimetur? Haec ille.

Quae damna pariat nimium propriae pulcritudinis studium

Tertull. lib. de cultu foemin.

Gen. 20. ✝. 2.

B Quae mirificè confirmat Apollinarius, ad diabolum dicens: Superfluo studio decorem tuum abiecisti. Vel, vt ait Polychronius: Diligentia tua, & prudentia coarguetur, amissa etiam gloria. Haec ille. Sapientiae verò perditae meminit Vates, propterea quod omnis gloria Tyrij, immo & angeli nomine Cherubini comprehendebantur, cuiusquidem nominis meritum amissa sapientia perdebatur, nec huius nominis tantùm iactura facit superbia, sed & totius gloriae. *Gloriam* enim, ait Sapiens, *sapientes possidebunt, stultorum exaltatio ignominia*. Quod probant sequentia · *in terram proieci te: ante faciem Regum dedi te, vt cernerent te*. Hieronymus: In terram proiectus es, qui ante habitabas in monte Dei. Proiectus es autem in cospectu omnium Regum, vt tuo terrerentur exemplo: vel bonorum Regum, quorum cor in manu Dei est: vel malorum, quorum regna ostendit diabolus Saluatori: qui occurrerunt Regi Babylonio, dicentes: Et tu captus es, sicut nos: atque inter nos reputatus es.

Apollin.

Polychron.

Prou. 3. ✝. 35.

Hieron.

Prou. 21. ✝. 1.

Matth. 4. ✝. 9.

Isai. 14. ✝. 10.

C Quibus verbis hoc innuit Hieronymus, quod multis placet, nempe sequentia omnia de Rege Tyri sine vlla allegoria dicta. Verùm Graeci adhuc in eodem, quem persequuti fuerant, persistunt tropo. Nam Apollinarius: Magna enim, inquit, simul à Deo erat auersio honestiorum, & praestantiorum inuidia, & aduersus hominem similem insidiarum plena nequitia. Quapropter non est amplius habitus dignus mundorum familiaritate, qui caeli nominantur. Lapsus igitur in terram est, in terrae inquam finitimum aërem: nam & ita in caelestibus esse dicuntur, quippe qui nostram habitationem non parum superent. Polychronius: Illud verò: *In terram proieci te*, ad illius existimationem dixit· & illud, *ante faciem Regum dedi te*, hoc est, inquit, vt apud quos fuisti gloriosus, eisdem sis ridiculus.

Apollinar.

Terra aliquando pro aëre accipitur terrae finitimo.

Polychr.

D Origenes: Proiectus, inquit, in terram, proiectus è caelis, quorum exemplo & vmbrae ministrabant, qui in tabernaculo seruiebant. At idem Apollinarius, qui suprà, subdit: Tamquam de typico loquens principe, declarat eum, qui caelestibus copijs praeerat, dedecore affectum ob elationem.

Origenes.

E Hieronymi sententiam probare videtur idem Apollinarius, cum addit, *in terram proieci te*, quasi dicat, praestantiam tuam perdidisti ita, vt nihil à ceteris differas, nulla re cuiusde populo praestes. Haec ille. Quibus meritas delicti poenas ostendit. Qui enim, dum reliquis praeesset elatus, non potuit se in officio continere, ab eo deiectus, atque in subditorum numerum adscriptus, nulla alia re socijs antecellens, quam perpetua infamiae nota.

Qui alijs praelatus superbè, à dignitate cadens, nulla alia re subditos antecellet, quam ignominiae nota.

XVIII. *In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuae polluisti sanctificationem tuam*. Duo tantùm huius periodi verba interpretatione videntur indigere, cùm reliqua satis suprà

A sint explicata. Eorum alterum est, *polluisti*: alterum, *sanctificationem tuam*. Illud Hebraicè habetur חללת chilalta, à radice deductum חלל chalal. Hoc verò מקדשיך michdasecha, à radice קדש chadas. Sunt autem haec duo verba significatione omnino aduersa: illud enim significat vim pati, profanari, vehementer dissolutum esse, dolere, seu excruciari. In psalmo. *Cor meum* חלל chalal, *conturbatum est intra me, sicut vmbra, cum declinat, ablatus sum*. Cor meum, reddit Hieronymus, vulneratum est intrinsecùs, vel vt alij interpretantur, in medio mei. Quasi verò prae lethali vulnere iamiam deficere incipiat, haud secus, quam vmbrae, deficiente iam Sole, deficiunt.

Polluisti quid significet.

Psal. 108. ✝. 22.

Hieron.

B Vel, cor meum profanatum est, *dereliquit me*, dicit in alio psalmo Propheta. Ex quo fit, vt quasi vmbra deficiam: Significat enim hoc verbum, commune facere, sicut transtulit Hieronymus aptissimè in Deuteronomio: *Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdum*, חללו chillelo, *fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat*? Hebraei violauit, profanauit, ad verbum redderent, hoc est, vindemiauit eam. Respexisse videtur haec phrasis ad titum Leuitici, quo cauetur, ne ante annum quinctum fructibus arborum, aut vinearum consitarum vesci liceat, sed tribus annis pro immundis habeantur, quarto sint Domino Deo sacri, quincto demum profanabantur, hoc est, licebat cuiuis illis vesci.

Psal. 37. ✝. 11.

Hieron.

Deut. 20. ✝. 6.

Communem facere, vel violare vineam quid significet.

Leu. 19. ✝. 24. & 25.

C Hinc fit, vt mulier prostituta, nomine ex hac radice deducto appelletur in Leuitico *scortum*, וחללה vechalalah, *& vile prostibulum non ducent vxorem*: sic enim nuncupabatur non tantùm, quia communis, sed quia immunda, profana, abominabilis. Quae omnia vno verbo complecti voluisse videtur superbus ille Pharisaeus, Christi Domini calumniator, dum diceret: *Hic si esset propheta, sciret vtique, quae, & qualis esset mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est*. Hinc fit, vt hac voce significetur, quod interdictum omnino est, quod non licet, quod non fas est; vt in Genesi, confidenter loquens ad Dominum Abraham: *Absit*, inquit, חלילה לך chalila lecha, *à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio*.

Luc. 7. ✝. 39.

Genes. 18. ✝. 25.

D Et iterum loquentes filij Iacob seruo Ioseph, illos furti accusanti, *responderunt, quare sic loquitur dominus noster?* חלילה chalila, absit, *vt serui tui tantum flagitium commiserint*. Verùm huius verbi tunc plene cognoscetur natura, cùm subsequenti comparabitur. Significat autem קדש chadas sanctum, seu sacrum esse, consecrari, hoc est, à communi, & profano vsu segregari, & destinari in vsum sacrum, vel diuinis vsibus accommodari, hoc est, ad Dei cultum, & ministerium. Quod quidem frequenti vsu ita receptum est, quamuis propriè verbum hoc communiorem significationem sortiatur, nempe in aliquem peculiarem vsum, siue sacrum, siue profanum destinari, & à communi vsu segregari.

Gen. 44. ✝. 7.

Sanctū quid dicatur.

E Quare & in malam partem solet nonnumquam vsurpari. Quorum exempla passim occurrunt in sacris. De priori significato videre est in Exodo: *Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis, & erit sanctum sanctorum: omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur*. Vel vt ex Hebraeo reddunt, omne quod tetigerit altare, sanctificabitur, hoc est, erit sanctum Domino, segregatum, quamuis prius fuerit profanum. *Ista est lex hostiae pro peccato in loco, vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino, sanctum sanctorum est. Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur*. Et est sensus iuxta Hebraeos: Omne

Exo. 29. ✝. 37.

Leu. 6 ✝. 25. 26 & 27.

ne comestibile, quod tetigerit eas carnes, erit similiter sanctum. Sed contextui magis conuenit, vt de omni comedente sit sermo, quicumque comederit de carnibus eius, sanctificabitur. O quanta his locis continentur monita salutis sacerdotibus nostris, immò & toti populo Christiano, comedentibus, non solùm contingentibus carnes immaculati agni, pro peccatis in cruce oblati, Christi Iesu. Sed haec perpendenda potius legenti, quam nobis hoc loco pertractanda videntur. Ad institutum ergo nostrum venientes, ex hac radice deducitur nomen מקדש michedas, quod sanctuarium significat, domum nempe, in qua vel reponebantur, vel peragebantur sacra: uel significat locum munitum, praeparatum, & segregatum, quae omnia explicantur in Deuteronomio: *Introduces eos, & plantabis in monte haereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuae.* Quare hac eadem voce significatur palatium Regis, iuxta R. Dauidis sententiam, quia erat quasi sanctuarium, quod non ingredirut nisi notus, vel potius, quia sanctificatus, custoditus à militibus, & seruis: quare & refugium, seu asylum dicitur. quomodo interpretantur illud Isaiae: *Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.* R. Dauid. Sunt qui exponunt, inquit, *sanctificationem*, hoc est, locum, quo confugiant, nempe tamquam ad asylum, vel munitissimum palatium, castellum, vel arcem. Cui consonat R. Abrahami sententia: & sensus huiusmodi elicietur: Erit *duabus domibus Israel*, quarum altera defectionem parabat, coniurationi intenta, altera spectabat auxilium, & opem mox affuturam à Domino: huic ergo erit Dominus in refugium, tutissimumque palatium, quo nulli hostium patebit vmquam ingressus, illi verò coniuratorum factioni in petram scandali. Quae si ad Christum Dominum referas, concinnam loci interpretationem percipies. *Positus est* enim, inquit Simeon, *in ruinam* Israëli terreno, peruersè coniuranti, & dicenti, *dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Caelesti vero Israeli, hoc est, *ys, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, in resurrectionem*, a communi, mortalique vita, in sanctificationem aeternae vitae. Sed magis clare paret huius vocis notio apud Amos, dicente Amasia ad eundem Amos. *In Bethel non adycies vltrà, vt prophetes, quia sanctificatio Regis est, & domus regni est*, vel palatium Regis est. Nam R. Dauid, & R. Abraham de eodem intelligendum putant & sanctificationem, & domum regni, quasi dicat, quia hanc vrbem sibi sanctificauit, siue segregauit sibi Rex, vt habiret in ea. His ergo sic statutis, facilis erit loci huius sensus. *In multitudine*, siue propter multitudinem, *iniquitatum tuarum*, loquitur de omni peccatorum genere, *& iniquitate*, iniustitia, siue etiam omnia peccata intellige, quibus replebatur commercium, *negotiationis tuae, polluisti sanctificationem tuam*, hoc est, palatium tuum. Vel sensus est, Regia vrbs tua, quae quasi sanctum quid asseruabatur ab omnium inimicorum ingressu, nunc tamquam quid profanum, & commune omnium inimicorum incursibus patebit. Vel quod prius sanctum, purum, immune asseruabatur à te, pedibus inimicorum vt assolet, sordescet, polluetur, atque foedabitur. Vel tandem, quod olim vt sanctum quid magnificabat, amore, ac laude efferebatur omnium, nunc pollutum, & conspurcatum abijcietur, atque spernetur. Cuius quidem facti non tam Deum vindicem, aut milites, Dei ministros, auctores assignat, quam ipsummet Tyrium, vtpotè qui multitudine iniquitatum suarum Deum quodammodo impulerit, vt sententiam damnationis ferret. Milites verò infida, atque iniqua negotiatione prouocauit, vt de superbo Rege vindictam sumentes, eius palatium prosternerent, ac omnia bona eius publicarent, quasi in debitam omni iure poenam criminis laesae diuinae maiestatis. Quam quidem interpretandi rationem, non solùm huic perobscuro Ezechielis textui lucem allaturam speramus, sed & omnibus, qui quamplures sunt, alijs, quibus haec duo verba reperiuntur simul. Qualis est ille, quem non longè interpretabamur, nempe: *& ejeci te de monte Dei*, verbum ex verbo reddi posset, & pollui, vel profanaui te à monte sancto Dei. Et superius interpretatus est alium locum Pradus. *Quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuaria eorum.* Hoc est, deiecta fortissimorum militum audacia, palatia eorum, quae tamquam sanctuaria ab eisdem tutissimè custodiebantur, atque defendebantur, iam nullo defendente, excursionibus militum, atque horum, & aliorum quorumcumque iniurijs patebunt. Quae quidem omnia Tyrij principis damna, quae sibi elatione, atque auaritia, & inde exortis infinitis scelerum monstris, adsciuit, & passus est, ad quemcumque iniquè agentem transtuleris, non dubium, quin à peruerso iniquitatis tramite retrahatur, tantorum malorum timore perterritus. Theodoretus adhuc putat haec Tyrio conuenire non posse. Iste autem, inquit, de quo nunc loquimur, quando vnus sanctorum archangelorum erat, omnis sanctificationis erat particeps, sed ipse profanata sanctificatione, vsus mala negotiatione, maioraque expetens, etiam concessis sibi bonis excidit, & hoc itidem ut pateretur homo, auctor fuit. Ille enim secundum imaginem Dei quoque factus, blandis ipsius uerbis deceptus, cùm concupijsset deum se fieri, illud etiam, quod erat, imago scilicet Dei, amisit. Haec ille.

Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram. Duplici quidem inuoluitur difficultate locus praesens: figuratam enim locutionem continere, nulli potest esse dubium. Nam qua ratione dicatur producendus ignis de medio principe Tyri, nisi sub alicuius rei symbolo, quae & flammis depasci, easque producere ex se possit? Hanc autem inuestigare ad historiae ipsius explanationem pertinere putamus. Tum demum, quid eo symbolo, uel igne ex uisceribus Tyrij principis producto, significetur, explicare oportebit: quò quid Propheta, uel potius per Prophetam Dominus significare conetur, omnibus legentibus manifestari possit. Et primum quidem sunt, qui putant a Tyrio principe ad Tyrum urbem redijsse his uerbis Propheram. Quod si uerum fuisset, elegantem allusionem continerent uerba haec. Cum enim superiori capite urbem naui contulerit, nauibusque fatale quodammodo sit uel naufragio perire, uel incendio conflagrare: prius eiusdem naufragium, perfectissimis orationis coloribus pinxit, nunc uerò eiusdem incendium. Inter quae duo perditionis genera hoc interest, quod naufragium concitatur ab externis uentorum flatibus, incendium uerò saepe saepius ab internis flammarum ignibus. Illud agitatur extrinsecis fluctibus: hoc intimis lignorum, & mercium

Margin notes:

De sanctitate sacerdotis Christiani.

Exo. 15. ꝟ. 17.

R. Dauid.

Isai. 8. ꝟ. 14.

R. Dauid lib. radic.

R. Abrah. in comment.

Luc 2. ꝟ. 34.

Ps. 2. ꝟ. 3.

Ioan. 1. ꝟ. 13.

Amos 7. ꝟ. 13.

R. Dauid in lib radic. R. Abrah. in comment.

Variae interpretationes loci.

Peccator suae damnationis auctor potius, quam iudex, aut ministri.

Sup. ꝟ. 16.

Hier. Pradus cap. 7. ꝟ. 24.

Exempla damnationis Tyrij retrahentur a similibus excessibus eisdem sectatores. Theodor.

An cum Tyro vrbe, aut cú eius principe sermo sit praesens, dubitatur.

Hector Pintus putat cum vrbe loqui Dominum.

Quid intersit inter perditionem nauis, si naufragio, aut incendio pereat.

cium conflagrationibus, & tandem, quae naufragio pereunt naues, submersae diu permanent: at quae incendio in cineres redactae, neque alicui vsui, neque etiam hominum memoriae partem aliquam relinquere videntur. Quam autem miserandum sit nauis incendium, vidimus, & non sine commiseratione recolimus nauem quandam Anglicanae gentis, quae miseram, damnationisque aeternae plenam subitam mortem, proficuae Catholicorum seruituti praeferens, diabolica suasione permota, ignem suo tormentario pulueri admouit: vbi cerneres ad crepitum incensi pulueris mare ipsum cōtremiscere, omnes homines, quotquot erant in naui, cum tabulatis volare per aëra, taeterrimo fumo quasi nebula absorptam nauim, & quae illam circumdabant triremes. Non multò etiam post videres totum circa mare, quasi cotuos natare semiustos milites: namque qui intra ipsam nauim cecidere, in cineres redacti sunt. ac demum nauim, omni auxilio destitutam, flammis absumendam dimitti. A longe prospectabamus, antennas, funes, malum, igne velocissimè conflagrare. Quid commemorem pretiosas merces, oleum, vinum & alia omnia, quasi stipulam ab igne consumi? Licet enim regressi cum magna militum, atque seruorum copia duces, conati sint ignem aliquando exstinguere, nihil tamen profecere. Obseruaui ego praesens, ipsas maris aquas, quasi oleum igne depasci, eisdemque flammas augeri, haud secus, quam cyclopū fornacē aquis respersam. Quae quidem ideo lubens commemoro, quòd symbola contineant omnia eius calamitatis, quae vrbem comprimit, quando ab interno seditionis igne comburitur. Cuius quidem rei manifestissima exempla reperies quamplurima in vltimo Hierosolymitano excidio, à Iosepho plenè relato. Ex innumeris verò vnicum referam, Iosephum inducens de seditiosis sic scribentem. Illi autem primùm quidem sumptu publico iubebant mortuos sepeliri, cùm foetorem ferre non possent: deinde, quòd non sufficiebant, in valles eos ex muro praecipitabant. Quas circuiens Titus, vbi plenas cadaueribus vidit, altamque saniem tabefactis corporibus defluentem, ingemuit, & extentis manibus Deum testabatur, factum illud suum non esse. Et post multa commemorata commiserationis Titi exempla, de seditiosis subdit. Neque enim vel animos affectio mansueta, vel corpora dolor tangebat, quin etiam mortuam plebem quasi lacerabant, replebantque languentibus carcerem. Haec ille. Quibus neque miserabilius quidquam dici, neque atrocius excogitari posse videtur. Et huic similem calamitatem comminatur Deus Tyro, dicens: *producam ignem de medio tui*. Verùm quoniam magis videtur expetere contextus, vt de Rege intelligantur haec verba, quàm de vrbe, siquidem ad Regem loquebatur hucusque, neque vlla ratio est, quae hanc sermonis mutationem suadere possit: ideo an Regi ipsi Tyri conueniant, videndum est, vel propterea maximè, quòd principis casus, atque ruina vrbis etiam ruinam inducit. Et quidem si in memoriam reuocemus, quae, vrbem alloquens Propheta, sub nauis typo dixerat, nempe: *cedrum de libano tulerunt, vt facerent tibi malum*, inter aliàs eius allegoriae interpretationes hanc vnam conuenientissimam esse diximus, qua malo nauis vrbis princeps significatur. In quam sententiam facilè venient, quotquot legerint locum Isaiae, huic consimilem allegoriam prosequentis. Nam cùm ibi Hierosolymae confi-

Bellum ciuile nauis incendio, hostium vicentsis naufragio confertur.

Ioseph. 6. belli cap. 14.

Contextus exigit, vt ad Principem sit sermo.

Principis ruinam vrbis ruina sequitur.

Supra cap. 27. ℣. 5.

Malo nauis princeps assimilatur.

Isai. 33. ℣. 21.

A nia mari, vel latissimis fluminibus contulisset, subdit: *Non transibit per eum nauis remigum, neque triremis magna transgredietur eum*: hoc est, naues militares magnae, & ad bella promptissimae non poterunt vlla ratione infestare Hierosolymam. Cuius rationem mox subdit. *Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos*. Hanc autem Domini protectionem tantam dicit allaturam securitatem, vt è medijs periculis erutam, non solùm ab incursionibus hostium, siue etiam procellarum fluctibus nauem suam vindicet Dominus, verùm etiam victricem eam, tantam spoliorum copiam diuidere permittat, vt claudis quoque bona eorum pars non desit.

Diuina protectio, & fauor non liberationem tantùm a periculis hostium, verùm etiam cum victoria vberem spoliorum copiam pollicetur.

B *Laxati sunt funiculi*, praesidiarij milites *tui*, qui principem protegunt, tuentur atque confirmant, haud secus, quam funes malum. *Sic erit malus*, princeps, dux aut Rex *tuus*, *vt dilatare signum non queas*, tantis periculis sibi etiam timens princeps, ita nutabit, vt neque vela ventis, neque vexillum militibus expandere possit, vtrumque enim significat vox illa *signum*: prout suprà probauimus, & tamen, *tunc diuidentur spolia praedarum tuarum*: etiam *claudi diripient rapinam*. Ex quibus manifestè probatur, malo principem intelligi, ex cuius medio ignem producendum comminatur Deus: respiciens fortè ad parabolam Ioatham. Hic enim alloquens viros Sichem, enarrat illis quasi fabulam quandam de lignis, siue arboribus, deferentibus sui dominij principatum, ac regnum oliuae, ficui, & viti, quibus proprij, priuatique status, fructus, vtilitatesque Regiae pompae, & sollicitudini praeferentibus, dominatumque renuentibus, arbores tandem omnes, siue *ligna omnia* dixerunt ad rhamnum: non quidem arborem, sed dumetum, non fructiferam, sed inutilem, non pulcram, sed horribilem, spinosam, & omnibus humanis vsibus, praeterquam ignibus, infructiferam: *Veni & impera super nos*. *Quae* superbè satis *respondit eis*, *si verè*, non autem simulatè *me Regem vobis constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite*. Rhamnus cùm careat folijs, quibus obumbrare possit, & tam sit humilis, vt vix a terra erigatur, lacertis, serpentibusque tantùm permittat ingressum, tamen tam arroganter de se praesumit, vt ipsas cedros libani, abietesque celsissimas sibi submittere non dubitet, quò propriae elationi, ac commoditati inseruiat. Quibus quidem duobus atrocissimis principis superbiae, & auaritiae sceleribus refertum iam satis vidimus Tyriorum principem. *Si autem*, inquit rhamnus, *non vultis*, *egrediatur*, non tantum optantis, sed modestiam insimulando comminantis est, egredietur *ignis de rhamno*, *& deuoret*, pro, & deuorabit vos omnes, etiam celsissimas quasque *cedros Libani*. Iam ergo clarè patet, quòd primùm tractandum proposuimus, quomodo è lignis ipsis ignis elici facilè possit. Ignis enim, inquit Plato, calorque, qui alia gignit & regit, ipse ex latione, frictioneque efficitur. Et Chrysostomus varia ignium genera commemorans, alius, inquit, qui ex terra: est enim saepe eiusmodi ignis, qui è terra editur, sicut fontes aquarum: alius, qui fit ex collisis lapidibus, alius qui est in comis arborum, quae ipsae quoque colliduntur. Quibus sic stantibus, facilis est loci intelligentia. Si enim Rempublicam siluae compares, eiusque principem praealtae cedro, superbiae flatibus actae, si commercij, atque negotiationis studio collidi intelligas, statim discordiae ignem accendit,

Funiculis tenentibus malum conferuntur praesidiarij principis milites.

Supra cap. 27. ℣. 7.

Iudicum. 9

Priuatae vitae fructus Regiae pompae praeferendus.

Ibid. ℣. 14.

Inutiles viri principatum ambiunt, alii respuunt.

Plato in Theaeteto.

Quomodo ignis eliciatur ex lignis

Chrys. hom. in ps. 134.

Quomodo superbiae flatibus, & auaritiae collisione accendatur ignis, principem cum Republica demorans.

accendi, & cedrum cum silua in cineres redigi facile posse, nullo negotio cognosces. *De medio* autem, hoc est, de corde eius accendendum hunc ignem dicit: *de corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta* quibus tamquam instrumentis diuinae vltionis vtitur ipse Deus ad perdendum peccatorem. Quare Theodoretus: Tuis sceleribus, inquit, quasi materia vtar ad inferenda tibi supplicia. Verùm multò magis hic locus illustratur ex alio Isaiae, quem citat Hieronymus. *Ecce*, inquit, *vos omnes peccatores accendentes ignem*, vel accensores ignis: quasi dicat, non ego vobis exitio fui, numquam interitum vestrum concupiui, neque vobis voluntate mea incendium comparaui, uos, uos, inquam, accenditis ignem, qui ueluti ex officio omnibus uestris studijs, cogitationibus, uerbis, atque operibus ignem uobis ipsis excitatis, qui uos flammis sempiternis exuret. *accincti flammis*, uel laqueis flammarum, aut igneis uinculis: ut bene notat ex Hebraeo Foreirus. quod aptissimè interpretatus est Vulgatus. *accincti*, inquit, hoc est, constricti, uel colligati, *flammis*, laqueis inferni flammarum, uel ignium. Quid enim aliud, si attentè perpendas, peccans homo facit, quàm ut ignem illum aeternum in seipso accendat, ac se ipsum igneis illis laqueis constringat, quibus & daemones, & damnati omnes in inferno colligati detinentur, atque cruciantur, cùm statim, atque assensum peccato praestat, eisdem ignibus aeternum cruciandus deputetur? Ex quo fit, vt omnium praesentis vitae calamitatum ignis, interiora eius, atque exteriora depascat. Quod intellexisse etiam Rabbinum admirationi est: ait enim Dauid Chimchi: *Producam ignem de medio tui*, hoc est, peccatum tuum consumet te, deuorabit te, atque in cinerem rediget, non secus atque ignis combustibilia solet in cinerem reducere. Idemque Apollinarius testatur: Nostra enim, inquit, scelera sunt causa supplicij, prout ad homines dicitur: Incedite super flammas, quas excitastis. Quibus verbis respexisse videtur Apollinarius ad verba Isaiae, quae proximè sequuntur post ea, quae paulò ante attulimus, quibus cum irrisione insultat aduersus flammarum accensores Propheta, dicens: *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis*: quasi dicat, miseros, & infelices vos, qui in igne succendendo laborastis, cuius nullus est vsus, est enim ignis comburens, non illuminans, consumens, non fouens, & vt ait Remigius, incinerans & non purgans. Quare subdit Propheta noster: *Et dabo te in cinerem super terram*. Theodoretus: Hoc vtrique conuenit, & ei, qui operatus est malitiam, & ei, in quo id factum est, Tyriorum Regi, vtrique enim illati sibi supplicij praebuerunt occasiones. Haec ille. At Petrus Apostolus accuratius multò peruersi angeli damnationem, eiusque catenas enumerat, dicens: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*.

Math. 15. ℣. 19. — *Theodor.* — Sceleribus peccatoris vtitur saepe Deus, tamquam materia perditionis eiusdem peccatoris. — *Hieron.* — *Isai. 50. ℣. 11.* — *Foreirus.* — Peccans homo ignem inferni in se ipso accendit, & sese eiusdem ignis laqueis constringit. — *R. Dauid Chimchi.* — *Apollinar.* — *Isai. 50. ℣. 11.* — *Remig. super ps. 78.* — *Theodoret.* — *2 Petr. 2. ℣. 4.*

Et dabo te in cinerem. Theodoretus: Et hoc item vtrisque conuenit. Etenim homo in sua terra lapsus, puluis factus est, & diabolus, qui orbi terrarum imperare videbatur, à Deo, & Saluatore nostro euersus, cineris instar ab impijs conculcatur. Hieronymus. *Et dabo te in cinerem*: vt omnia, quae super aedificasti, malae conscientiae tuae ignis absumat. Qui cùm debueras requiescere in sabbato, & nequaquam opus facere seruile, ligna in sabbato collegisti: vt haberet ignis, quod in pectore

Theodor. — *Hieron.*

A tuo deuoraret incendio. Quae Hieronymi verba mysticè accipienda sunt: neque enim Tyrius obligabatur lege sabbati, neque etiamsi obligaretur, in pectus suum ea inducebat conflagranda, nisi quatenus legem transgressus, culpae reatum incurreret, aeternis ignibus depascendum. Subdit verò Hieronymus perutilem perpendenti interpretationem: Perdet quoque, inquit, omnia mala opera conuertens in cinerem, vt ignis noxius penitus exstinguatur. Quasi dicat Hieronymus: Cùm iniquitatis succensus ignis non solum ei, qui illum succendit, noxius sit, sed etiam alijs quamplurimis nocere possit: aliorum prouida diuina clementia, permittit omnia succensa consumi, atque in cineres redigi, vt ignis deficiente materia, ignis quo- B que deficiat. Est enim tenacissimus, ac fermè inexstinguibilis ignis hic. Vnde Ecclesiasticus ait: *Anima calida*, affectibus, inquam, subiacens, qui *quasi ignis* numquam satiantur, *non exstinguetur, donec aliquid glutiat: & homo nequam in ore carnis suae*, hoc est, pessimus ille, quicumque sit, qui explet omnia, quae expetuntur a carne sua: neque enim Graecam lubet sequi lectionem, quam ad libidinis tantùm affectum trahunt nonnulli, sed eam cum nostra, ad omnes corporis affectus extendimus: id enim significat, *in ore carnis*, hoc est, in omni eo, quod ore petit caro. Quam phrasim explicat Hispana *apedir de boca*, hoc est iuxta omne, C quod lubet, aut petitur, *non desinet, donec incendat ignem*, quem describit Isaias: *Et erit*, inquit, *lumen Israel*, illuminans Israëlem Deus, *in igne* comburente Assyrios, *& sanctus Israel in flamma: & succendetur, & deuorabitur spina eius*, qua pungebatur Israel, vt mox uidebimus, *& vepres in die vna, & gloria saltus eius*. sic vocat milites, hastis saltum referentes, uel principes exercitus, ut suprà ostendimus, *& carmeli eius ab anima vsque ad carnem consumetur*. Verba autem illa, *ab anima vsque ad carnem* prouerbialiter intellige: hoc est, penitus: nisi malis ad altiores sensus uenire, atque intelligere inimicos, & hostes amicorum Dei, animo & corpore exurendos ab aeternis inferni igni- D bus, quos suis sceleribus, dum hanc uitam uiuerent, accenderunt.

Malè operantes ignibus consumit Deus, ne sibi & alijs noceant. — *Eccl. 23. ℣. 22.* — In ore carnis quid significet. — *Isai. 10. ℣. 17.* — Ab anima vsque ad carnem, hoc est, penitus.

Et dabo te in cinerem super terram, hoc est, non permittam cineres incendij tui occultari: sed eos diu super terram manere praecipiam *in conspectu*, uel ut ex Hebraeo uerti potest, in oculis, uel oculis *omnium uidentium te*. Hebraicè ראיך roech, à radice ראה raa, quae uidere significat non tantùm oculis corporis, sed etiam animo, ut apud Ieremiam: *Videte verbum Domini*, hoc est, audite, & intelligite, atque figuratè etiam accipitur, pro experiri, aut sentire. Nam apud eundem Ieremiam, ubi nostra vulgata legit: *Non timebit, cum venerit aestus, & erit folium eius viride*, ex Hebraeo red- E dunt: non uidebit, si uenerit aestus. Quare sermo hic latius patebit, quàm uerba sonare uidentur. cineres enim, hoc est, incendij monumentum aeternùm mansurum praedixit Dominus, ut uideri, seu potiùs mente euolui possit ab omnibus uiuentibus super faciem terrae, ex tunc, usque ad nostrum hoc saeculum, & ex hoc, usque ad finem saeculorum. Propter hunc enim finem & Deus praecepit Ezechieli, ut huiusmodi incendium Tyrij, scriptis, & memoriae mandaret, ac propter eundem ego meorum superiorum iussu, quod tamquam Dei oraculum suspicio, idem ipsum interpretandum suscepi. Probantur autem, quae diximus, manifesto Petri testimonio, de consimili euersione dicentis:

Monumentum incendij Tyri aeternum mansurum in aliorum exemplum praedicit Dominus. — Videre non tantum est oculi, sed & animo tribuitur. — *Ierem. 2. ℣. 31.* — *Ierem. 17. ℣. 18.*

Et ciui-

1 Pet. 2. ✠. 6.

Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhaeorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens. Quare sequitur.

XIX. *Omnes, qui viderint te in gentibus, obstupescent super te.*

Videre pro cognoscere.

Verbum etiam videndi, quod in Hebraeo hic ponitur, potius ad animum pertinet, quàm ad oculos, ita vt sensus sit: omnes, qui cognouerint, vel intelligent *te*, hoc est ruinam tuam, & vnde excideris. *in gentibus*, Hebraicè בעמים bag'hammim, quae quamlibet congregationem significat, prout redditur à Vulgato apud Oseam: *Noli*, inquit, *laetari Israel, noli exultare, sicut populi*. Et apud Nehemiam. *Et dedisti eis regna & populos:* Cumque in praesenti formam dualis retineat, duplicem populum, seu duplices gentes significabit, nempe, vel, proprium Tyrianum populum, & exteros, vel quod magis placet, praesentes, eos omnes populos intellige, qui ea tempestate viuebant, & futuros, nempe, qui postea vixerunt, & post nos viuent, ad quorum aures peruenerit, omnes, inquam, *obstupescent*. Ad illos tantum sermonem retulit Theodoretus, dicens: Qui enim adhuc tibi seruiunt, idolorum euersionem cernentes, eorumque delubra penitus euersa, cum moestitia degunt, animum despondentes, & continenter dolentes. Verùm ad exteros referre videtur Vulgatus, dum, *in gentibus* scribit, hoc est, inter gentes *obstupescent*, שממו samemu, quod verbum, desolare, disperdere, obstupescere significat: & sensus est, prae nimia animi consternatione stupescent. Inuenitur enim haec vox apud Danielem: *Et erit in templo abominatio desolationis*. Quem locum ad verbum citauit Christus Dominus apud Matthaeum, & Lucam, tẽplum vocans locum sanctum. Eundem interpretatur R. Dauid, & super extensionem abominationis משמם mesomem obstupescere, admirari, vel desolare faciens, hoc est, desolantem, vel ad stuporem adducentem stupendã desolationem intellige. Cuius modi est haec Tyrij desolatio stupenda.

Ose. 9. ✠. 1.
Nehem. 9. ✠ 22.
B
Theodor.
Obstupescere quid significet.
C
Dan. 9. ✠. 27.
Matth. 24. ✠. 15.
Luc. 2. ✠. 20.
R. Dauid.

Duplex loci sensus.

Nihili factus es, & non eris in perpetuum. Haec vel possunt accipi tamquam verba Prophetae, aut Domini loquentis per Prophetam: vel tamquam populorum, siue gentium, quae stupore percitae dicunt: *Nihili factus es* &c. Priori modo accepisse videtur Hieronymus, siquidem scribit: Omnes conspiciant, & stupescant perijsse Regem Tyrium, & nihili factum esse: non in multis saeculis, quasi dicat non per multa saecula duratura desolatione, sed in vno: vel certè in perpetuum: vt impleatur illud quod scriptum est: *Non parcam tibi, & non miserebor*. Haec Hieronymus: qui interpretatus videtur ea verba, quasi ad ipsam vrbem dicta sint; quae quidem vrbs cum post septuaginta annos reaedificata fuerit, vt ex Isaia suprà probatum est, consequenter oportet locum interpretari, ac si perpetuum dicatur idem, quod saeculum, prout ex Hebraeo expressè colligitur. Verùm si ad Regem tantùm Tyri loquutus intelligatur Dominus, nullam inuoluet difficultatem nostra Latina lectio, quia semel incendijs damnato Rege Tyri, nulla in perpetuum illi fuit spes redeundi ad pristinum statum. Quod expressè affirmat Polychronius, ait enim: Nullam spem habebis reuocationis. Id verò ait: quia Iudaeos puniens, certo, ac definito tempore calamitatem circumscripsit. Haec ille. Quibus insinuat discrimen illud maximum, quod interest inter correctionem filiorum, & flagella seruorum inutilium, quorum illi aeternae felicitati sunt praedestinati, hi aeternis ignibus mancipandi. Huius verò ineuitabilis supplicij rationem assignauerat paulo antè Scholiastes, dicens: Quoniam ira offendisti, vt nulla te paenitentia subeat, necessario poenas à te Deus ipse repetit, cui iniuriam animi elatione fecisti. Haec ille. Quae omnia tunc perfectè intelligentur, cum allegorice applicanda, casui & peccato diaboli cognoscentur. Verum si accipiantur haec verba, tanquam ab hominibus dicta, elegantem inducunt contextum, binae orationis partes: *nihili factus es*. Haec est prior, in qua videntur simul suspicere celsitudinem status, ac despicere profundum casus. Tu qui tam sublimè volaueras, quo altius non posses, tam depressè cecidisti, vt non possis vltra descendere: quid enim altius, quid sublimius diuinitate? & quidem in eam affectandam superba cogitatione te extuleras. Quid verò pressius nihilo, infra quod est nihil, quodque est infra omne quod est? Et quidem inde huc deiectus, *nihili factus es*. Ex quo sequi videtur, humano iudicio, & intellectui necessaria consequentia, *non eris in perpetuum*. Quis enim è nihilo te ad pristinum maiestatis statum reuocare poterit? Et licet fide illustratus intellectus facilè credat, hoc etiam non impossibile Deo, *qui viuificat mortuos, & vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt:* tamen non propterea Tyrium, siue malis diabolum, à tali casu erigendum putabis: cùm Theodoreto teste, illum omnino euersum iri per haec declarauerit Dominus. Quae quidem omnia Tyrij scelera, & supplicia ideo commemorata sunt, vt hoc asseruato eius incendij cinere mortalium quisque memoriae suae caput assiduè respergat, perpendens sibi etiam comminata eadem supplicia, si eisdem superbiae, ac scelerum gressibus insistat.

Hieronymi, prior loci sensus.
Ierem. 13. ✠. 14.
Sup. cap 27. ✠ vlt.
Perpetuum aliquando idem, quod saeculum.
D
E
Polychron.
A
In quo differat correctio filiorum à flagellatione inutilium seruorum.
Scholiast.
Alter loci sensus.
B
Rom. 4. ✠. 17.
C
Asseruantur incendij Tyriani cineres, vt memoriae caput eisdẽ respersum ab eiusde scelerum ignibus fugiat.

PROPHETIA CONTRA SIDONEM.

D

XX. *ET factus est iterum, vel denuo sermo Domini ad me, dicens.*

XXI. *Fily hominis pone faciem tuam contra Sidonem.* Theodoretus: Absoluta, inquit, lamentatione Tyri, ad Sidonem transit item finitimam, & breui, quae ipsi quoque euentura sunt, praedicit. Hieronymus: Consequenter autem post Tyrum sermo fit ad Sidonem. Vnius enim vtraque vrbs prouinciae est, & in Euangelio Tyrus, & Sidon pariter nominantur. *Pone* Hebraicè שים sim cum puncto in sinistro cornu, quae uox etiam שום sum solet scribi, & proferri, Significat autem non utcumque ponere, sed arte, cura, & studio, diciturque tam de membris corporis, quàm de potentijs animae, ob singularem obuersationem, uel in periculum, uel in mortem. Cuius uerbi uim exprimit Dominus apud Amos, dicens: *Et ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum*, quasi dicat: Ego, cuius oculi pleni sunt misericordia, cuius adspicere benefacere est, & misereri, nunc oculos meos studio quodam ponam aduersus eos *in malum*, quod illis inferam, *& non in bonum*, ut alias soleo: Vtrumque modum ponendi oculos declarat eodem psalmo Regius Vates. *Oculi Domini* inquit, *super iustos* in bonum, ut illorum commiseratione tangatur, *& aures eius in preces eorum,*

Theodor.
Hieron.
Ponere faciem, vel oculos super, vel contra aliquem, quid significet.
E
Amos 9. ✠. 4.
Psal. 33. ✠. 16. & 17.

rum, in bonum, item, vt illas exaudiat. Chaldaeus enim reddit. & aures eius ad recipiendas preces eorum. *Vultus* Hebraicè פני panı, eadem vox, quae hic vertitur, in faciem, *autem Domini super facientes mala*, in malum, *vt perdat de terra memoriam eorum*. Eadem omnino phrasi vsus est Ieremias: *Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum, & disperdam omnem Iudam*. Et Habacuc huius faciei in malum effectus illustrat: *Aspexit*, inquit, *& dissoluit gentes, & contriti sunt montes saeculi*, quasi dicat, solo Dei aspectu dissolutae sunt gentes, vel contabuerunt, & montes antiqua saeculorum duratione firmati *contriti sunt*, non valentes minacem eius vultum sustinere, sola Dei facie prospiciente. Significat enim his omnibus locis facies, iram, vel indignationem, quae inflammata facie, ac toruo vultu indicatur: eamque praecipitur Vates contra Sidonem ponere, vt Dei aduersus Sidonem iracumulatum cor gestu, non solum verbis ostendat. Quo Vati iniuncto Dominico praecepto, prophetis etiam omnibus, atque concionatoribus nostris ostenditur, quàm sit pronunciationi inuigilandum, curandumque actione exprimere, quae verbis significare conantur. Septuaginta verbum Hebraicum שים sum vertunt in στήριξον stir son, quod Hieronymus semper transfert in, obfirma. Et Scholiastes: Firma faciem, inquit, cum libertate, etiam contra hos sententiam denuncians. Nam cum minatus esset, quae suprà dicta sunt, Tyro, descendit ad praedictas illius tributarias, & similia ipsis quoque minatur. Quibus verbis immobilem animi constantiam, quam in prophetis suis exigit Deus, indicari putat Scholiastes. eam, inquam, quae neque periculis terreatur, neque difficultate retardetur, neque laboribus deficiat, neque, non succedente pro votis euentu, a fructus spe deturbetur, aut cadat. Hanc eximiam animi constantiam habuisse vtrumque Ioannem nouimus, & illum, quo *inter natos mulierum non surrexit maior*, qui tam strenuè prophetae munus exercuit (erat enim *plusquam Propheta*) vt non uereretur ipsi Herodi obfirmato vultu dicere: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; quapropter vitam quoque profudit: & hic alter, cuius hodie festa recolimus, qui propter aureum in dicendo eloquentiae flumen Chrysostomi cognomen obtinuit, qui obfirmato vultu publicè, ac priuatè impiam Eudoxiam Imperatricem ad vitae scelera deponenda hortabatur. Quapropter incredibili malorum, & calamitatum multitudine à militibus Eudoxiae confectus, vitam quoque posuit. *Contra Sidonem*. Fuit autem Sidon Tyro foedere iuncta, moribus similis, sceleribus verò simillima. Sita erat ad radices montis Libani, terminans Palaestinam in angulo Occidentis, atque Septemtrionis, promontorio sui litoris, quod scriptura sacra vocat Hor. Nam in Numerorum libro Palaestinae fines describuntur, & inter alia sic scribitur. *Porro ad septemtrionalem plagam à mari magno termini incipient, peruenientes vsque ad montem altissimum*, in Hebraeo habetur vsque ad Hor montem. cui insidet Sidon. De vrbis conditore Iosephus, Ghananaeo inquit: (fuit autem hic quartus filius Cham, secundi Noe) quoque filij fuerunt hi: Sidonius, qui & vrbem sibi cognominem

Chaldaeus. — *Ierem. 44. ℣. 11.* — *Habacuc 3. ℣. 5.* — Studium pronunciationis Euangelicis praedicatoribus suadetur. — *Hieron. Scholiast.* — Immobilem animi constantiam in praedicatoribus suis exigit Deus. — D. Ioannes Chrysostomus Baptistae similis ostenditur. — *Matth. 11. ℣. 11.* — *Ibi. ℣. 9.* — *Marci 6. ℣. 18.* — Sidon, & Tyrus vt foedere iunctae, sic vitae, & morum peruersitate simillimae. Sidon vbi sita fuerit. — *Numer. 34. ℣. 7.* — *Ioseph 1. antiq. c. 6.*

A condidit in Phoenice, Sidonem à Graecis vocatã. Haec ille. Distat autem à Tyro Sidon, vt Straboni placet, ducentis stadijs, hoc est, viginti quinque millibus passuum, quoniam milliare octo stadijs exaequatur. De Sidone illustre testimonium reddit idem Strabo. Sidon, inquit, situm habet in pulcherrimo continentis portu, vineis, & cannis mellis abundare tradunt, qui eam nostra aetate peragrarunt, exstareque adhuc in illa antiquorum castrorum vestigia, quae vrbem fuisse munitissimam testantur. Praeferre videtur eam Tyro idem Strabo: ait enim: Post Sidonem maxima, & antiquissima Phoenicum est Tyrus, quae cum illa & magnitudine, & facie, & an-
B tiquitate contendit, multis fabulis celebrata; sed poëtae, quamquam magis Sidonem celebrant, adeo ut Homerus Tyri non meminerit, coloniae tamen in Iberiam, & Libyam, vsque ad loca extra columnas profectae, Tyrum plurimùm extollunt. Quare ambae & nunc, & olim clarae, illustresque extiterunt. Vtra enim Phoenicum metropolis dicatur, in vtrisque contentio est. Et subdit post multa commemorata de Tyro. Sidonij multarum, atque optimarum artium magistri perhibentur; quod etiam poëta declarat. Ad haec optimi circa Astronomiam, & Arithmeticam philosophi, qui à computatione, & nocturna nauigatione initium habuere. Vtrum-
C que enim mercatorum nauale est. quemadmodum Aegyptiorum inuentum Geometria perhibetur, ab agrorum dimensione, quam faciunt, cum Nilus auctus terminos confundit. Quae ratio ab Aegyptijs ad Graecos emanasse creditur, à Phoenicibus vero Astronomia, & Arithmetica. Haec ille.

Et prophetabis de ea, & dices. Haec dicit Dominus Deus. Non est eiusdem significationis prophetare, & dicere, neque tantum differũt, quod hoc verbum possit accipi de rebus praesentibus, ac praeteritis, illud tantum de futuris, quasi sit praedicere. sed longè aliter inter se dissentiunt. Illud enim, *prophetabis de ea*, Hebraicè sic habetur, והנבא עליה vehinnaba ghaleha, & propheta super eam. De prioris
D vocis origine non concordant interpretes: quidam enim putant deduci a radice בוא bo, quae venire significat, cuius passiua cõiugatio est נבא nibba, quam generaliter putant significare idem, atque rem, quae ventura est, praedicere, seu denunciare: sicut habes in Ieremia, dicente Domino: *Et tu prophetabis ad eos omnia uerba ista*, hoc est, denunciabis eis haec omnia, quae illis euentura praedixi. Sunt qui ideo ex hac radice putant deduci, quoniam Prophetarum minae, vel promissiones tam indubitanter succedunt, ut uideantur uenire facere ea, quae dicunt. Quibus locus praesens nonnihil fauet, qui tertiae coniugationis formam imitatur, cuius est
E propria huiusmodi significatio. Quae si uera sunt, erit his uerbis iniunctum Prophetae, ut uenire faciat super Sidonem ea, quae mox sequuntur. Ex quo colliges, quantus sit habendus prophetis honos, quantumque cauendum ab eorum cõminationibus, qui quasi Deo ipsi similes, quae ore proferũt, euenire faciunt. Vtramque uocis notionem innuere uidetur Dominus, apud eundem Ieremiam dicens: *Et adducam* והבאותי ue'ubaoti, & uenire faciam *super terram illam omnia uerba mea, &c. quaecumque prophetauit*: נבא nibba, venire fecit, vel venturum praedixit *Ieremias aduersum omnes gentes*.

Verum

Quot stadijs à Tyro distet Sidon. — *Strabo lib. 16 Geograph.* — Sidonij multarum, & optimarum artium inuentores. — Aegyptij cur primi, & excellentissimi in Geometria sint. — XXII. Quid intersit inter prophetare & dicere. — *Ierem. 25. ℣. 30.* — Propheta dicitur, quasi venire faciens ea, quae praedicit. — *Ierem. 25. ℣. 13.*

Verùm hanc omnem deductionem, tamquam nouam, aut vanam reprehendunt alij, vel ex eo maximè probantes, quod hoc verbum in vniuersum accipiatur aliquando pro eo, quod est alterius voluntatem enunciare, vel interpretem agere, prout apparet in Exodo, dicente ad Moysen Domino: *Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus*; idemque significat cum eo, quod dixerat illi Dominus: *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his, quae ad Deum pertinent*. Ex Hebraeo vertunt: erisque ei pro deo: hoc est, sicut propheta iussu Dei loquitur, quare & os Domini meritò dicitur, sic & ipse loquetur iussu tuo, vel quae tu mandaueris ei. Verùm nisi alia adducatur validior ratio, non debuit priori sententiae talis nota inuri; quoniam saepe contingit, vt voces, quae primaeua institutione certum quid significabant, vsu quodam latiorem recipiant notionis modum, tum vel maximè, quòd praesens locus non conuincit aliam à genuina verbi significatione: quoniam Deus Optimus, ac Maximus suum dilectum Moysem tanto honore dignatus est prosequi, vt deum quendam videretur agere, ad cuius maiestatis pompam necessarium etiam videbatur, medio internuncio vti, ne suo affatu indignos, efficeret eiusdem participes. Quae omnia manifesta sunt contextum perpendenti: ait enim Dominus: *Ecce constitui te deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus*. Verùm cùm vterque sensus nihil absonum contineat, de vocum origine aliorum iudicium esto; nos interim silentio non praetereundum duximus, hoc verbum non solum de ijs, qui primo prophetias edunt, in sacris dici, verum etiam de alijs, qui eisdem incumbunt, vel canendis ad Dei laudem & gloriam, vel explicandis, atque edocendis ad proximi vtilitatem, & commodum. De primis exemplum est in libris Paralipomenon: *Segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun, qui prophetarent*, hoc est, canerent psalmos propheticos *in citharis, & psalterijs, & cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio seruientes*. Eundem videtur sensum prosequutus Paulus, dicens: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans*, hoc est, canens, vel legens psalmos, *non velato capite, deturpat caput suum*. Secundam verbi acceptionem definit idem Paulus, dicens: *Sectamini caritatem, aemulamini spiritualia*, hoc est, opera caritatis exercete in proximos, ea autem praecipuè, quae ad spiritum pertinent; *magis autem, ut prophetetis*. Et post pauca subdit: *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, & exhortationem, & consolationem*. Quare facilè colliges eum, qui hominibus loquitur ad aedificationem, & exhortationem, & consolationem, prophetare. Sicut etiam prophetare dicuntur Apostoli, & ipse Petrus, dum interpretaretur scripturas, quae de Christo erant, vt videre est toto capite secundo in actis Apostolorum. Notat autem Chimchi, hoc verbum efferri tantùm in voce passiua, quod significet recipere à Deo Prophetiam, non excogitare, non adinuenire, non componere, sed recipere a Deo, quod fideliter referat ei, vel ijs, ad quem, vel ad quos mittitur. Reperitur namque hoc verbum in vltima Hebraeorum coniugatione, quam reciprocam possemus appellare, in qua significat quandam sui in se ipsum actionem: atque vt notat R. Elias, ferè tunc semper falso prophetare significat: nempe ipsomet verbo indicante, falsum prophetam sese ipsum non diuina, sed propria auctoritate ingerere ad prophetandum, vt videre est apud Ieremiam. *Et in prophetis Samariae vidi fatuitatem, & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel*. Et apud Prophetam nostrum: *Pone faciem tuam contra filias Israel, quae prophetabant de corde suo*. Sensus ergo loci erit: *Prophetabis*, hoc est, Dei nomine annunciabis *de ea*, vel ad eam, *& dices*, hoc est, prophetando dices: *Haec dicit Dominus Deus*.

Exo 7. ℣. 1.
Exo. 4. ℣. 16.
Saepe voces, quae prima sui impositione certum quid significant, vsu latiorem significandi modum accipiunt.
Quomodo Moses deus Pharaonis dicatur.
Canentes ad Dei laudem prophetias, vel eas ad proximi vtilitatem interpretantes eodem, quo ipsi prophetae, dignantur nomine.
1. Par. 25. ℣. 1.
1 Cor. 11. ℣. 4.
1 Cor. 14. ℣. 1.
Ibid. ℣. 2.
Act. 2. ℣. 14.
R. David Chimchi.
A
R. Elias. Falsi prophetae qui.
Ierem. 23. ℣. 13.
Ezech. 13. ℣. 17.

Ecce ego ad te Sidon. Concisa oratio est, maximam insinuans animi commotionem, & iram, carens verbo. Nam quod sequitur: *& glorificabor in te*, longè aliam continet sententiam. Est autem hic quaedam praecisio, seu reticentia, quam vocant, qualis est illa apud Virgilium.

B
Reticentia figura maximam insinuans animi excandescentiam.

Quos ego. Sed motos praestat componere fluctus.

Et apud Demosthenem. ἀλλ' ἐμοὶ μὲν ὃ βούλομαι δὲ τί all'emi meo n bulomae de ti. At mihi quidem. Sed nolo quidquam molestum, &c. Et Simon ille apud Terentium: Quem quidem ego, si sensero. Sed quid opus est verbis? Et apud M. Tullium: Illud quid sit, iam non queo dicere. Nam quod in C. Marcelli statua &c. Et apud Plautum. Quos ego iam hoc scipione. A. Ah noli &c. Quare cùm verbo careat oratio, subintelligendum videtur verbum, quod contextui conueniat. Hieronymus veniendi uerbum intelligendum putat: Ecce ego, inquit, ad te ipse veniam. Et alio loco Ieremiae mox citando cum Rabano Mauro eandem orationem verbo uisitandi complet, & quidem utrumque, iudicium nempe, damnationem, & uindictam significare consueuit in sacris litteris. Nam Habacuc diuinae ultionis aduentum praedicit hoc uerbo. *Apparebit*, inquit, *in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit*. Quem locum citasse uidetur Paulus: licet enim D. Thomae oppositum uideatur, ipsa tamen repetita uerba conuincunt eundem locum citari. Neque obstat Prophetam dixisse, *adhuc visus procul*, Paulum uerò, *modicum aliquantulumque* &c. Propheta namque audientium more locutus, scribere praecipitur uisionem, quae in futura saecula debuit permanere: Apostolus uerò totum praesentis saeculi tempus modicum appellat, quoniam quasi nihilum computabitur, si cum aeterno conferatur. Hortatur uerò Paulus ad iniuriarum tolerantiam, opprobrijs, & tribulationibus inimicorum supportatis cum magnanimitate & constantia, uel ex eo maximè, quòd iam iam prae foribus sit iudex, qui iustis merita tolerantiae praemia, iniquis uerò digna supplicia largiatur. Alterum uero uerbum, quod est uisitare, frequentius solet accipi in malam partem: nam punire, multare, castigare, seu uindicare significat, ut uidere est in Exodo. Placatus enim iam aliquantulum Deus propter preces Mosis, ait illi. *Tu autem vade, & deduc populum istum, quò locutus sum &c. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum* quasi dicat, nunc propter te differam, & in die ultionis ulciscar hoc peccatum. Et apud Isaiam *Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorũ eius*. At magis praesens locus illustrabitur, si conferatur

Virg. 1. Aeneid.
Demosth. de corona.
Terent. Andria act. 1. Sc. 1.
Cicero.
Plaut. in Amphitr. act. 1. Sc. 3.
C
Hieron.
Rabanus Maurus.
Abac. 2. ℣. 3.
Apparere Dominus dicitur ad sumendam vindictam.
Hebr. 10. ℣. 36.
D
E
Visitare idẽ significat, quod punire.
Exo. 32. ℣ 34.
Isai. 10. ℣. 12.

illo Ieremiae, in quo eandem phrasim videre est explicatam antecedentibus, & consequentibus: *Ecce ego ad te*, loquitur autem cum Hierusalem, *habitatricem vallis solidae, atque campestris, ait Dominus: qui dicitis, quis percutiet nos? & quis ingredietur domos nostras? Et visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum.*

Ierem. 21. ℣. 13.

Rabanus Maurus super Ierem.

Rabanus Maurus ex Hieronymo hunc locum interpretans, varias adducit eiusdem versiones: quoniam צור tsur Hebraica vox, quam vallem campestrem reddit vulgatus, consimilis valde est voci צר tsor, qua nuncupatur Tyrus. Vnde magna exorta est varietas. Verum ipse putat loquutum Dominum contra Hierusalem, quae obsidione vallata est haud secus, quam Tyrus mari: & Babylonio exercitu Hierosolyma cingitur, & euadere non potest: aut certe, quae se instar petrae durissimae inexpugnabilem putat, atque robustam pro soliditate murorum, & magnitudine, & dicit: Quis terrere nos poterit? *& quis ingredietur domos nostras*, cum e contrario loquatur Deus: *Ego visitabo vos*, meum euadere oculum non poteritis. Visitabo autem vos in perniciem, & reddam vobis fructum malitiae vestrae, *& ego succendam ignem in saltu* vestro, non Babylonius, vt putatis, non Rex Chaldaeorum, sed mea haec omnia ira perficiet. Saltum autem vocat Hierusalem, & omnem circa regionem, quae frugiferas arbores bonorum operum non habet, quod sit incendio praeparatus; pulchreque vallem appellat campestrem, quod peruia sit hostibus, & non montem excelsum, qui difficulter ascendi potest, iuxta quod in Isaia dicitur: Visio vallis Sion. Quae quidem omnia Rabani verba ideo me referre posse putaui, quòd eadem ad verbum referat ipse antiquissimus scriptor ex Hieronymo. Continentque praeterea germanam nostri textus interpretationem, si ad Sidonem conuertatur oratio, quam superba praesumptione, firmissimis turribus, castellis, ac munitionibus confisam facilè conijci potest dixisse, *quis percutiet nos?* quasi vero impunè sibi fore putauerint Sidonij, in vniuersis scelerum monstris debacchari domi, foris autem rapinae, ac latrocinijs intendere. Quod vel ex ipso Sidonis nomine probat Hieronymus, putat enim venatores significare, in cuius rei testimonium locum psalmi adducit, affirmans, vbi nos legimus: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*: in Hebraeo haberi pro *venantium*, Sidoniorum. Quare eorum nomine significari putat eos omnes, qui populum Dei persequuntur, atque venantur. Verum cum Sidoniorum vox neque in vllo Hebraeo, aut Chaldaeo codice repetiatur hoc in psalmo, & Hieronymus asseueranter idem pluribus locis affirmet, non leui coniectura ducitur Marianus Victorius, vt credat mutatum Hebraicum codicem ab eo, quem legit Hieronymus, sicut & ex alijs mutatis locis exemplo probat. Ad hoc ergo, qui celsissimum, ac munitissimum collem, tutissimumque portum se habitare putabant, neque à quoquam capi, aut molestia affici posse credebant, fit sermo Dei: *Ecce ego ad te*, non quidem strenuos milites, quos tu despicis, non instructas acies, à quibus te immunem semper fore putas, non, inquam, meas copias mittam aduersum te, sed ego, ego ipse veniam, vindictam sumpturus de te, cui nulla ratione resistere poteris. Neque

Saltus quare dicatur Hierosolyma.

Isai. 22.

Hieron. Sidonij venatores dicti & quare. Psal 123. ℣. 7.

Marianus Victorius in Indice Hieronym.

Nihil est, quod vindicti iustitiae diuinae resistere possit.

enim quid magnum capiam, dum te ceperò, non montem praecelsum, non collem durissimum, sed vallem campestrem, hoc est, absque eo, quod aliqua vel naturali, vel artificiali munitione impediri vlla ratione possim. Cuius quidem interpretationis vim ipsa Hebraica lectio exprimit: nam quod nostra legit *ad te*, Hebraei legunt עליך ghalaic: praepositio autem על ghal significat idem, quod *ad te*, vt bene reddidit Vulgatus. Verum significat etiam idem, quod super, vt in Genesi: *Et tenebrae erant* על ghal *super faciem abyssi*. Et in libris Regum: *Ascendit autem Ionathas* על ghal *super manibus* ועל veghal, *& super pedibus reptans*. In qua acceptione concinnam innuit interpretationem: *Ecce ego super te*, viribus inquam, & situ praestans, quid misera facies, vt effugias manus meas? Eleganti phrasi Hispanus diceret, yo tengo la piedra y la quesla, hoc est, sum multo superior te. Et quidem id rectè perpenderat Psaltes, Deum his verbis alloquens: *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos*. Vel vt ex Hebraeo reddunt, consopitus est & currus, & equus. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Habet etiam praepositio על ghal aliam significationem in Numerorum libro, vbi habetur, *& murmurati sunt* על ghal *contra Moysen, & Aaron cuncti filij Israel*. Et in psalmo. *Et principes conuenerunt in vnum* על ghal, *aduersus Dominum* ועל veghal, *& aduersus Christum eius*. Quare sensus loci tunc erit, quasi sint verba Dei omnipotentis, vehementer irati, iuxta nostrum intelligendi modum, prouocantis Sidonem ad singulare certamen, & dicentis: *Ecce ego contra te Sidon*, me tamquam hostem prouocasti, ecce me infensissimum inimicum, & hostem tuum. Cuius rei manifestissimum reliquit testimonium Isaias, dicens: *Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum sanctum eius & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos*, quasi dicat, illi qui tantis Dei beneficijs ornati, immo & cumulati fuerunt, diuinam saepe saepius experti liberalitatem, donorum immemores, & ingrati ab illo nefarie desciuerunt: & petulanti, ac insano cordis affectu in Dei hostes idola libidine insanierunt, quo amantissimi sponsi zelum, iracundiamque prouocauerunt, sanctumque illius spiritum afflixerunt. Si enim aegritudo cadere possit in spiritum Domini, nihil esset quod illam naturam, benefaciendi cupidissimam acerbius affligeret, quàm illorum contumacia, qui cum benignitate illius certantes, sese ab illius liberali munerum largitione, tamquam indignos subtraherent. Meritò igitur, qui clementiam illius animis obstinatis, & in scelere penitus obfirmatis aspernantur, in iram laesi numinis incurrunt: & qui beneficia ingratè reijciunt, acerbissima supplicia perferent, & perfidiae sempiternas poenas exsoluent. Itaque Dominus repente conuersus ex benigno parente, se grauem eis aduersarium, & hostem praebuit, duroque bello eos persecutus est. Ipse igitur, qui illos praesidio suo texerat, qui hostium impetum ab illis quondam repulerat, qui erat illis vnicum in malis perfugium, & contra omnia pericula tutissimum munimentum, in quo denique solo tota salus, & dignitas gentis illius sita erat, non solùm illam ope sua destituit, sed etiam bellum contra eam pestiferum compa-

Variae acceptiones Hebraicae praepositionis ghal.

Genes 1. ℣. 2.

1 Reg 14. ℣. 13.

Psal. 75 ℣. 7.

Num. 14. ℣. 2.

Psal. 2. ℣. 2.

Deus prouocat peccatores ad singulare certamen.

Isai. 63. ℣. 10.

Nihil est, quod Deum affligere magis possit, si affligi posset, ac ab illius largitate se subtrahere.

Deus ex patre in hostem conuersus, quos tuebatur, impugnat.

Quibus copijs armatus Deus aduersus hostes suos belligeret. Sapien 5. ✝.18 & seq.

comparauit. Cuius quidem principis copias, & arma exornat eleganti oratione Sapiens: *Et accipiet*, inquit, *armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam*, quae meritam exigit vindictam, *& accipiet pro galea iudicium certum*, non dubium *sumet scutum inexpugnabile aequitatem, acuet autem diram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum*, permotus tam indignis sceleribus praetensae simultatis contra beneficentissimum dominum, pijssimumque parentem, neque potens Dei hostes amplius sustinere, quibus parens erat orbis terrarum, erit & ipse acertimus hostis *contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.* Haec quasi mente contemplatus bellici apparatus instrumenra Isaias, otio, ac delicijs indulgentes lacessit, seu potius irridet, dicens: *Pone mensam.* Quid igitur, num est otium ab hostibus? num animus est metu, atque sollicitudine vacuus? quidni? speculator esto vigilans, *contemplare in specula.* Miserum te atque infelicem populum, speculatori tantùm fidis, neque quidquam amplius de congrediendo, aut repellendo saltem hoste cogitas, ecce speculatoris vocem: *Comedentes, & bibentes surgite principes, & arripite clypeum.* Vel vt Hebraea sonant, vngite clypeum; forsan oleo ieuis clypeus hostium eludet ictus, & iacula auertet, quibus asperitas viam solet aperire, retenta cuspide. Verùm ò vos miseros, atque infelices, qui non magis diuinae vltionis impetum terardare poteritis, quam pueruli, papyraceis clypeis depicti potius, quàm armati, qui tamen eorum vnctioni dum fidunt, instructissimi, potentissimique militis aciem non effugere solùm, sed propulsare: non sustinere, sed debellare, ac penitus deijcere posse praesumunt. Quibus omnibus allatis exemplis commonendi sunt peccatores, quo sit odio prosequendum peccatum, cuius est proprium, ex indulgentisimo patre iudicem seuerisimum irritare, ex liberalisimo Domino hostem acerrimum concitare, in cuius potestate sit, nos haereditate pellere, ac omni bono priuare: quinimmo & qui nos omnibus calamitatibus, summisque malis cumulare pro arbitrio posit. Hic ergo Deus Sidonem, tamquam capitalem hostem ad certamen prouocat, dum dicit: *Ecce ego ad te Sidon*, eiusque exitum praedicit, dum subdit.

Isai 21.✝.5.

Quam sit odio prosequendũ peccatum, quod amantissimũ patrem in durissimum hostem conuertit.

Et glorificabor in medio tui. Ea, inquam, gloria, qua strenuè dimicantibus victoria de hostibus parta solet merito exhiberi. Quam interpretationem probare videtur Hieronymus, dicens: *Et glorificabor* in te, cùm te interfecero. Consimilem autem sibi gloriam pollicetur Dominus, in Exodo Moysi dicens. *Et indurabo cor eius, ac persequetur vos & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius.* Et iterum eadem repetens subdit: *& in curribus, & in equitibus illius.* Quae autem fuerit, aut qualis haec gloria, ipsamet historia commemorat, & carmen, quod Moyses, & filij Israël cecinere. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.* Chaldaeus Cantemus, & laudemus coram Domino, quia magnificatus est super magnificos, & magnificentia illius est, equum & ascensorem eius proiecit in mare. Haec Hiero-

Glorificatur Deus victoria de peccatoribus parta. Hieron.

Exo 14.✝.4.

Ibid. ✝.17.

Exo 15.✝.2.

A nymus. Vel *glorificabor*, quasi dicat, cùm te seuerisimè puniero, qui tuam vel nouerant experti superbiam, vel eius famam audierant, & meam satis admirari non poterant tolerantiam: iam tunc nomen meum glorificabunt, me subinde iustum compellantes, quòd supplicij dilationem eiusdem grauitate compensauero. A consimili itaque iniquorum calumnia se vindicat Deus in quodam psalmo, cuius praesens prophetia videtur quasi commentarius: ibi enim enumeratis atrocisimis peccatorum sceleribus, ijs maximè, quae in proximorum perniciem fiunt, quibus refertam fuisse Sidonem mox ostendemus, subdit Dominus, peccatorem in iudicio alloquens:

B *Haec fecisti & tacui. existimasti iniquè, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quasi dicat, cùm ego locum paenitentiae tuis sceleribus praeberem tacens, hoc omnium maximo ea cumulasti, existimans me tui similem: hoc est, me propterea scelerum vindictam non exegisse, quod eisdem, sicut tu delectarer. Verùm ego ampliùs non differam vltionem, iam nunc *arguam te, & statuam*, te, subintelligunt nonnulli: illa scelera, quae commisisti, alij: Chaldaeus verò aliter interpretatur: Arguam te in hoc mundo, & ordinabo gehennam in mundo futuro. Vel *arguam te* & tunc *statuam contra faciem tuam*, hoc est, intelliges,

Psal.49.✝.21.

Vltionis dilatio peccatoribus superbiendi occasio fit, cùm vltionem augeat, acceleretque.

C quam maximo odio prosequar peccatum: quam sim tui dissimilis: mihi enim nihil est, nec potest esse odibilius peccatis, quae tu tanto prosequebaris affectu, ac toto corde diligebas. Ad quam scelerum sedem, nempe ad cor, dirigi videntur diuinae vltionis sagittae; siquidem dicit *in medio tui.* Idem enim est Hebraica phrasi, in medio, atque in corde, & è contra, vt supra probauimus. Vel sensus est: *Glorificabor in medio tui*, ab omnibus tam exteris, quam incolis, quorum omnium inimicitias tuis sceleribus contraxisti. Nihil enim est, tot odia & inimicitias concitans, quot scelerum effrenata licentia parit; Ea enim, tum peculiaribus aduersus proximum factis in-

Ad cor, peccatorum sedem diriguntur diuinae vltionis sagittae.

In medio ide, quod in corde, apud Hebraeos.

Scelerum effrenata licentia odia parit, & inimicitias.

D iustitiae, rapinae, adulterij, homicidij & odij, vnumquemque offendit, & concitat, tum vel maximè, quia Deo creatore, ac rerum omnium Domino iniurijs lacesito, totus orbis terrarum pugnat pro Domino suo, vt paulo antè vidimus. quare peccatorem omnis creatura maximo prosequitur odio. Ex quo fit vt Deum tunc maximè glorificent, cùm de peccatore vindictam sumit. Congratulantur enim victori, quotquot inimici fuerant eorum, qui superati sunt. Sicut fecisse scribitur Thou Rex Emath cum Dauid. *Et misit*, inquit historicus sacer, *Thou Ioram filium suum ad Regem Dauid, vt salutaret eum congratulans, & gratias agens, eò quòd expugnasset Adarezer,*

Congratulantur victori debellatorum hostes.

2. Reg. 8. ✝.10.

E *& percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer.* Similem congratulationem, & gratiarum actionem exhibitam Deo commemorat Ioannes propter consimilem, immo verò multo maiorem, & magis gloriosam victoriam partam de Babylone illa magna: *Post haec enim*, inquit, *audiui quasi vocem turbarum multarum in caelo dicentium Alleluia. Salus & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quae corrupit terram in prostitutione sua.* Loquebatur autem Ioannes de ciuitate quadam mercaturae,

Apocal.19.✝.1.

A & commercio dedita, qualis erat Tyrus, ac Sidon, vt ex antecedentibus eius verbis patet. Subditque: *Et audiui quasi vocem tubae magnae, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.* Consimile est quod sequitur in Propheta nostro: *Et scient, quia ego Dominus,* cui debetur honos, ac seruitus: *cùm fecero in ea iudicia*, hoc est cùm debito Sidonem supplicio puniero. Est enim praecipuum Iudicis munus, animaduertere in sontes: ac propterea iudicare saepe accipitur pro eo quod est punire, vel vindictam sumere de reis, vt videre est in libris Regum, loquente Domino aduersus Heli, & dicente: *Praedixi enim ei, quòd iudicaturus*, hoc est, in ruinam, & malum praecipitaturus *essem domum eius in aeternum propter iniquitatem.* Eundem sensum faciunt verba libri Paralipomenon huiusmodi: *Deus noster, ergo non iudicabis eos?* hoc est, damnabis & perdes? Eademque verbi significatione vsus est Paulus: *Fornicatores enim*, inquit, *& adulteros iudicabit Deus*, hoc est, damnabit, in eosque animaduertet. Quam interpretandi rationem percalluit Scholiastes Graecus, siquidem ait: *Cùm fecero in ea iudicia*, hoc est, cum poenas à te repetam eorum, quae vel egisti, vel locuta es. Alius vero Scholiastes: Puniendo, inquit, dominium meum ostendam. Huius autem diuini iudicij, quo glorificatus Deus ipse dicitur in medio Sidonis, testis quidem locupletissimus videtur esse Diodorus Siculus, expeditionem enarrans Mentoris Regis aduersus Sidonem, huiusque miserrimam cladem. Atque cùm Regem non longè Sidone castrametatum commemorasset, Sidonis copias, & bellicum apparatum his verbis percenset. Sidonij armis, telis, rei frumentariae comparandae magnam diligentiam adhibuerant, vrbem fossa triplici, & moenibus praealtis communiuerant. Habebant & militum vrbanorum, qui in gymnasijs, & laboribus plurimùm exercitati, corpore, & viribus firmissimis erant, iustum numerum. Diuitijs verò, & alio quocumque apparatu ceteras Phoeniciae vrbes superabant. Quodque erat maximum, triremium, & quinqueremium supra centum classem comparauerant. Quibus quidem verbis quò magis vrbis opulentiam, & gloriam exaggerasse videtur, eo magis eiusdem miserum interitum commonstrare videtur, post pauca subdens. Sidonij, qui ante Regis aduentum, naues omnes suas incenderant, ne quispiam nauigatione saluti priuatae posset consulere, postquam vrbem, & moenia ingenti Persarum multitudine viderunt oppleta, intra domos cum liberis, & vxoribus inclusi, apposito igni se extenderunt (incenderunt legendum censeo) vt eorum, & qui supplicantes interfecti sunt numerum, quadraginta millium perijsse traditum sit. Haec ille. Quibus non ab irruentium hostium copijs, non ab admotis casu aliquo aliunde flammis, non ab ipso caelesti igne vrbem incensam conflagrasse tradit, sed diuino iudicio ab ipsis incolis, ab ijs inquam, qui mox ignis praeda futuri erant: vt manifestè testatum sit, in ipsis pessimorum ciuium domibus, in quibus scelerum omnium iniquissima tela aduersus Deum ipsum parabantur, ignem accensum ea cum suis opificibus absumpsisse, quo Deus optimus maximus, aequissimus iudex in medio Sidonis glorificaretur, vtpote qui fecerit in ea iudicia iusta.

Ibid. ỽ. 6.

Iudicis proprium munus animaduertere in sontes.

1. Reg. 3. ỽ. 13.

2. Paral. 20. ỽ. 12.

Hebr. 13. ỽ. 4.

Scholiast.

Alius Scholiast.

Diodor. lib. 16. biblioth. cap. 10.

Sidoniorum in praemunienda obsidione diligentia.

Sidonis exercitus maximus, & robustissimus.

Sidoniorum in retinendo suos à fuga stratagema.

Sidoniorum in suos crudelitas, & interfectorum numerus.

Deus quomodo sit glorificatus in medio Sidonis.

Et sanctificatus fuero in ea. Consimili phrasi vsus est Isaias, qui postquam plurimas calamitates enumerauerat, quibus in scelerum vindictam affixerat populum suum Deus, in hunc ferè sensum loquitur: Quapropter & infernus immanes fauces solito magis aperuit: ampliorémque animam crebrius & vehementius respirando traxit, & praeter modum guttur inflauit, vt horrendo oris hiatu multitudinem eorum infinitam insatiabili auiditate deuoraret. Detruderur illuc & nobilitatis claritas, & hominum infimorum multitudo, & opulentiae principatus. Hominum fastus concidet. & omnis virorum insolentia deprimetur: B oculi superborum grauissima clade percussi, terram moerentes intuebuntur. Et subdit idem Propheta: *Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio: & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia.* Quem locum sic interpretatur Hieronymus. Cùm captiuus ductus fuerit populus, quia non habuit scientiam: & interierit &c. tunc *exaltabitur Dominus in iudicio*: cuius prius iniustum videbatur esse iudicium: *& Deus sanctus sanctificabitur in iustitia.* Quasi dicat Hieronymus, Deum quodammodo trahi ad faciendum iudicium, & iustitiam, vt sanctum nomen suum, ac gloriosum vindicet à calumnia peruersae existimationis. Neque Hieronymi tantum est huiusmodi hyperbolica lo-C curio, sed & ipsius Dei loquentis per Moysem ad populum, & dicentis: *Custodite mandata mea, & facite ea, ego Dominus.* In Hebraeo habetur nomen Dei ineffabile. Sensus ergo est. Ego sum Deus solus omnipotens, & Dominus, custodite mandata mea, quae prohibent ne quid fiat, & facite ea, quae praecipiunt quidquam fieri. in scholis dicerentur negatiua, & affirmatiua praecepta, *ne* forte facientes oppositum, *polluatis nomen meum sanctum*, hoc est, sitis in causa, quòd nomen meum malè audiat in populo, vel inter gentes, ac si vel *praeceptum* meum non fuisset *lucidum, illuminans oculos*, & *iudicia* mea non fuissent *vera, iustificata in semetipsa*, vel ego non fuissem iustus, D qui velim ea custodiri, vel non fuissem potens, cogere vt ita fiat, cum tamen ego sim Deus iustus, potens, & nomen meum sanctum sit, *vt sanctificer in medio filiorum Israël*, nempe vt cogar, vindictam de vobis sumens, vindicare me ab eiusmodi iniurijs. *Ne polluatis* inquam, vt cogar sanctificare me. Materna lingua explicarem: no me offendais que boluere por mi honrra. Quibus quidem Domini verbis facilè contremiscent ipsa fundamenta terrae, quanto magis *impius*, qui, *cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* ea, quasi nihil perpetrasse se putans: Deus tamen non contemnit, quasi nil curans, sed ob proprij nominis gloriam, cuius est zelantissimus, ea omnia, E & singula meritis supplicij poenis animaduertet, quo à se ipso offensi calumniam & propellat, & vindicet.

Isai. 5. ỽ. 14.

Quomodo & quare sanctificetur Deus vindictam sumens.

Ibi. ỽ. 16.

Hieron.

Deus quodammodo trahitur ad faciendum iudicium, vt se vindicet à calumnia simulatoris.

Leuit. 22. ỽ. 31.

Psal. 18. ỽ. 9. & 10.

XXIII. *Et immittam ei pestilentiam, sanguinem in plateis eius, & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum: & scient quia ego Dominus.* Theodoretus: Quando, inquit, in tranquillitate degens ignorasti me, multis te omnisque generis malis afficiam, fame & hostium caedibus, vt calamitatibus discas esse me Dominum. Haec ille. Verum ea omnia quae de Sidone dicuntur hoc capite, mirificè illustrantur alio Ioëlis: *Verum*, inquit,

Theodor.

Ioel. 3. ỽ. 4.

quit, *quid mihi, & vobis, Tyrus, & Sidon, & omnis terminus Palaestinorum? Numquid vltionem vos reddetis mihi? & si vlciscamini vos contra me, citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum*. Auersantis animi, atque indignatione pleni sermo est, quo omnes gentes conterminas Israëlis, atque inter eas potissimum Tyrios, atque Sidonios reprehendit: quòd aduersum ipsum Deum bella mouere, odia, & simultates tenere praesumpserint, cùm populum Dei persequebantur. Nam vt inquit Hieronymus. Qui persequitur populum Dei, ipsum Deum persequitur, cuius est populus. Quod & manifestius dixit Christus Dominus, persecutorem Christianorum interpellans, ac dicens: *Saule Saule quid me persequeris? qui dixit, quis es Domine? Et ille. Ego sum IESVS, quem tu persequeris. Reddam* ergo *vobis vicissitudinem*, ac retributionem omnium malorum, quae cogitastis facere contra me, populo meo.

Hieron. super Ioel 3. Qui persequitur populum Dei, Deum ipsum persequitur, cuius est populus. *Act. 9 ℣. 4.* Pestilentia pro quo accipiatur.

Pestilentiam Hebraicè דבר deber, cum sex punctis scribitur, significatque pestem, ac mortem. Quoniam autem & hoc nomen ordinem etiam significat, ideo pestis etymologiam inde deducunt, quasi seruet ordinem, nec cuipiam parcat. Hispanis dicitur, passa à todos por vn rasero, sumpta metaphora ab exaequantibus, & auferentibus mensurae cumulum. Nonnulli per antiphrasin ordinem vocant pestem, quasi totius ordinis, aut ordinatarum rerum corruptelam, vel sine vllo ordine, aut differentia grassantem. Alij putant sic dictam, quòd ciuitates, hominumque frequentia domicilia in מדבר midbar, hoc est, desertum redigat, licet alij fortè satius putent leues has omnes coniecturas, vtpotè quae nequeant huius horrendae plagae naturam exprimere. Fit eius mentio apud Habacuc: *Ante faciem eius ibit* דבר *deber mors, & egredietur* רשף *reseph* pestilens *diabolus ante pedes eius*: quasi in idem conspirantes mors & diabolus, cuius hoc nomen grassantem stragem, atque obuia quaeque ignea vi inflammantem, & funestantem significat. Quod Homerus ipse intellexisse videtur, dum diabolum, quem de caelo deturbatum canit, ἄτην atin appellauit, id est noxam: deamque esse finxit, quae homines vniuersis malis implicat, mentesque seducit, atque perturbat. Sunt ergo mors, & diabolus, siue pestilentia, & noxa aptissimi diuinae iustitiae vindices, quae totum hominem intus & extra cruciant, torquent, atque deturbant. Pestis verò incommoda ornatissimo carmine persecutus est Lucretius, cuius partem aliquam subdere non pigebit.

Pestilentia quare dicatur Hebraeis ordo.

Habac. 3. ℣. 5. Diabolus pestilens dicitur, & quare.

Pestilentiae Dei vindicis damna percensentur.

T. Lucret. lib. 6.

Principio caput incussum feruore gerebant:
Et duplices oculos suffusa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, & vlceribus vocis via septa coibat.
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.
Inde vbi per fauces pectus compleuer, & ipsum
Morbida vis in cor moestum confluxerat aegris,
Omnia tum vero vitai claustra lababant.
Spiritus ore foras taetrum voluebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu.
Atque animi prorsum vires totius, & omne
Languebat corpus, lethi iam limine in ipso.
Intolerabilibusque malis erat anxius angor
Assiduè comes, & gemitu commista querella,
Singultusque frequens noctem persaepe, diemque
Corripere assiduè neruos, & membra coarctans
Dissoluebat, eos defessos ante fatigans.

Et post multa subdit.

Nec poterat quisquã reperiri quem neq; morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
Praeterea iam pastor, & armentarius omnis,
Et robustus item curui moderator aratri
Languebant, penitusque casis contrusa iacebant
Corpora paupertate, & morbo tradita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora nonnumquam posses, retroque videre
Matribus, & patribus natos super edere vitam.

Et quidem pestis licet perimat, atrocissimis doloribus, atque angoribus premens: tamen ipsis morientibus infeliciores multo efficit viuentes, mox morituros. Nam praeterquam quòd hi carorum consuetudine aut seiunguntur, aut omnino separantur, praeter horrorem tot cadauerum vndequaque iacentium, gemitum aegrotantium, ac timorem illum, quem mentibus incutit tam subitus plurium hominum casus, quae omnia vel saxea quaeuis hominum corda incredibili moerore perfundunt, ac replent: ipsemet etiam infectus aër respirationi, ac vitae omnino necessarius, corda impetens, ac peruerso veneno pertingens ita angit, ac premit, vt cumulum moeroris super infundens, nullum vitalis laetitiae locum relinquat, sed in eas angustias redigat moerentes, vt mortem ipsam moerori anteponerent. Quod si his diaboli cruciatus, animum conscientiae stimulis pungens superaccimat, efficit vt miseri degustent etiam dum viuunt partem aliquam cruciatus, & poenae, quam cogit eos aeternùm sustinere eorundem obstinata peruersio.

Et sanguinem. Consimiles afflictionis affectus concitare solet effusus, vel potius inundans occisorum sanguis. Pereuntium namque caedes, quae compita, atque plateas replent, ciuiumque transfixa, vel in frusta concisa cadauera, militum, iuuenum, senum, puerorum, matronarum, ac virginum, eorumque atrox aspectus tali, ac tanta pulsat animum molestia, vt de ea dici possit, Vexatio dat intellectum, *& scient quia ego Dominus*. Illud verò *in medio eius per circuitum* phrasim sequitur Hebraeam, quam enucleant, qui reddunt circumquaque, vel vndequaque.

Et non erit vltrà domus Israël offendiculum amaritudinis. Hebraicè pro offendiculo סלון sillon, quam vocem R. Ionah à radice סלן salan, R. Dauid à radice סלל salal putat deduci, significareque spinam: quare hoc loco in spinam pungentem conuertit eam. Quod quidem verbum cùm sternere, viam scilicet, significet, rectè putant hac voce significari spinam, vel aculeum in via stratum, qui pungit, & progressum impedit: cuiusmodi bellico stratagemate solent sterni in campis, quos necesse est hostem pertransire. Ait enim Vegetius. Vbi ad praelium ventum est, repente toto campo Romani tribulos abiecerunt, in quos currentes quadrigae cùm incidissent, deletae sunt. Tribulus autem est quattuor palis confixum propugnaculum, quod quoquomodo abieceris, tribus radijs stat, & erecto quarto infestum est. De eodem Herodianus: Romani quoties pedem conferebant, facilè scilicet aduersarios superabant, postea verò quàm ab equitatu, & camelorum multitudine premebantur, fuga simulata tribulos, aliaque machinamenta ferrea acuminata proijciebant, quae sub arenis latentia, neque cuiquam

XXIV. Vox Hebraea sillon quid significet.

Veget. lib. 3. de re milit. c. 24. Tribulus bellicus quid sit.

Herodian. lib. 4.

cuiquam conspecta perniciem equitibus, & camelorum insessoribus afferebant, quippe illis calcatus equi, potissimum verò cameli, quoniam huic generi mollissimae sunt vngulae, succiduè claudicabant, excussis tergo sessoribus. Haec ille. Apud

Valer lib 3. Quinct. Cur. lib. 4.

Valerium Maximum, & Quinctum Curtium hi tribuli murices dicuntur: tribuli autem ferrei ad instar tetraëdri primi ex quinque corporibus, quos mathematici regulares vocant, effecti creduntur, quia id quattuor aequilateribus triangulis, quattuorque acuminatis angulis, quomodocumque cadat, vni basi insistens, cuspidem erigit, vt offendat. Ad hunc ergo morem, vtpote Romanis vetustiorem, allusisse videtur Propheta noster, & hic & supra. Nam vbi nos legimus. *Ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli* וסלונים *vesillonim* spinae, vel tribuli iuxta R. Dauidis sententiam legunt Hebraei: at Hieronymus rem ipsam exprimit, *& subuersores* reddit. In praesenti verò ad eundem telatum morem allusisse videtur, reddens *offendiculum amaritudinis*. Verum Septuaginta σκόλοψ *scolops* vertunt, quam vocem codex Theodoreti palum amaritudinis interpretatur, at Sixtianus cum vulgata latina congruit. Significat autem Graecis ea vox palum, lignum fixum, sudem, spiculum, stimulum, aculeum. Hanc autem vocem deductam putant à verbo σκάζω *scazo* vt σκῶλος *scolos*, & σκάνδαλον *scandalon*, quia potest in via incurrentibus pedibus esse impedimento, & offendiculo, cuius vocis vim enucleasse videtur Theodoretus, vocem σκόλοψ *scolops* interpretatus exemplar impietatis. Et Scholiastes ex vocis significatione putat intelligendos prouocantes ad impietatem. Quibus symbolis aptè significantur illi, qui alijs iniquitatis praebent exempla, de quibus Dominus ipse tremendum protulit iudicium, dicens. *Necesse est enim vt veniant scandala.* Nihil enim aliud germinat maledicta terra, quàm hos tribulos, & spinas. *Verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit, bonum est ei magis,* hoc est minus malum tamquam bonum eligendum: vel vt scribit Lucas: *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis.* Offendiculi vero, vel scandali mala exprimit epitheton illud *amaritudinis*. Genitiuus enim Hebraeis ponitur pro adiectiuo, quasi dicat amarum, vel amaricans, Hebraicè ממאיר *mamir*, quam vocem dolere, vel dolore afficere, vel dolorem inferre significare putant ex Hebraeis nonnulli, alij corrodere. Hieronymus à radice מרר *marar* deduxisse videtur, in amaritudinem conuertens, & meritò, cùm amaritudo, praesertim animi, illos omnes effectus pariat. Targhum pro *offendiculum amaritudinis*, rex malefaciens, interpretatur, hoc est, laedens, nocens, R. Dauid pungens. Nullo autem meliori interprete putamus praesentem locum illustrari posse, quam si conferatur cum alio Deuteronomij, quo dum verba foederis, quod praecepit Dominus Moysi, vt feriret cum filijs Israël, referret idem Moyses *Vidistis*, inquit, *abominationes & sordes, id est idola eorum &c. Ne forte sit inter vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro. vt vadat, & seruiat dijs illarum gentium, & sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* Haec ad scandalum pertinent, quod idololatriam consequitur, allusionemque facere videtur ad trun-

Ezech. 2. ℣. 6.

R. Dauid lib. radic.

Theodoret. Scholiast.

Contra scandalizantes proximos.

Matth. 18. ℣. 7.

Ibidem. Luc. 17. ℣. 2.

Marci 9. ℣. 42.

Amaritudo quae consequitur scandalum.

Genitiuus pro adiectiuo Hebraeis frequens

Targhum.

R. Dauid in lib. radic.

Deut. 29. ℣. 17.

Idololatriā scandalum consequitur.

A cum excisae arboris, qui terrae infixus manens, nullos alios fructus facit, quàm offensionis, & ruinarum, quibus infensus incautus viator efferuescente bile, viam suam in fellis amaritudinem conuertisse videtur. Vel potius allusionem facit ad artificiatas huiusmodi radices, vel truncos, quorum vsum disertis verbis describit Iulius Caesar, sic inquiens: Itaque truncis arborum, aut admodum firmis ramis abscissis, atque horum dolabratis, atque praeacutis cacuminibus, perpetuae fossae, quinos pedes altae ducebantur. Huc illi stipites demissi, & ab infimo reuincti, ne reuelli possent, ab ramis eminebant quini ordines coniuncti inter se, atque implicati, quo qui intrauerant, se ipsi acutissimis vallis induebant, quos cippos appellabant. Haec ille. Quibus congruit, quod noster

Iul. Caesar. lib. 7. de bello Gall.

B Propheta subdit, *& spina dolorem inferens*, quasi miserum describat aliquem, qui in cippos illos cecidit, cui pedibus, manibus, oculis, ac toto corpori infixi sudes, quasi acutissimae spinae interiora penetrantes vehementissimum dolorem incutiunt. Quod aptè interpretatur Hieronymus, dicens *spina dolorem inferens*, pungens, & vulnerans populum Dei. Verum allegoriam interpretatus est Theodoretus, significans his verbis intelligi hostes crebro inuadentes, & continenter excruciantes populum Dei. Quae omnia illata populo Dei a finitimis gentibus mala, eorumque

Hieron.

Theodor.

C causam retulit Iosue iam longaeuus, & morti vicinus, dicens. *Quod si volueritis gentium harum, quae inter vos habitant, erroribus adhaerere, & eum eis miscere connubia, atque amicitias copulare: iam nunc scitote, quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram.* Hanc verò Prophetiam opere expletam, commostrant Tyrus, & Sidon ciuitates, quae etiam tum, cum suam prophetiam scriberet noster Ezechiel, ab eisdem gentibus incolebantur, quibuscum se pugnaturum, easque omnino deleturum pollicitus fuerat Dominus; *Sed sint vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro*, hoc est, *offendiculum amaritudinis, & sudes in oculis vestris*, nempe

Iosue 23. ℣. 12.

D *spina dolorem inferens*. Quibus quidem Iosue verbis duo nobis scitu iucunda, sed exercitatione vtilia magis innuuntur. Alterum est, quam sit non iniuriis tantùm, sed perniciosa, sed & pestifera iniquorum hominum familiaritas, & consuetudo, si quidem si eorum familiaritati, atque amicitiae te insinues, eorum necessarium est imbibas mores, qui felle ipso amariores sunt: prout videre est in eo, quod Simoni mago dixit Simon Petrus: *Roga Deum, si fortè remittatur tibi haec cogitatio cordis tui, in felle enim amaritudinis, & obligatione*, vel vt ex Graeco vertunt nonnulli, colligatione, aut laqueis *iniquitatis video te esse*. Sunt quippe huiusmodi homines *offendiculum*

Quam sit perniciosa iniquorum hominum consuetudo.

Act. 8. ℣. 22.

E *amaritudinis*, qui non tantum fellis amaritudine, atque sitî inde exorta cadentes cruciant, verum & Deum ipsum. Quare subdit in praecallaro Deuteronomij loco Moyses, *& assumat ebria sitientem*, ex Hebraeo reddunt, ebrietas siccitatem, quasi dicat, excitatis Deo bilem, cuius proprium est accendere sitim, cauete ne subsequatur sitim hanc indignationis ebrietas supplicij inflicti, *& Dominus non ignoscat ei*. Quòd si è contrario ab iniquorum separemur consortio, iam tum haud secus, quàm inutiles spinae semper pungent, assiduisque inimicitijs, calumnijs, persequutionibus dolora-

Amaritudo scandali non tantùm scandalizatos, sed etiam Deum ipsum excruciat.

Deut. 29. ℣. 19.

doloribusque affligere sine intermissione curabunt. Verum etiamsi aliquamdiu illis pungendi munus permittatur, non tamen diu. Quia *erit*, inquit Isaias, *lumen* illuminans *Israel in igne comburente*, *& sanctus*, pius ac beneuolus *eius in flamma* deuorante, *& deuorabitur spina eius, & vepres in die vna*, prout praedictae à Propheta nostro comminationes manifestè restamur futurum, & factum fuisse apud Sidonem perplures historiographi commemorant, & inter alios Strabo: In Phoenice quoque, inquit, facto terrae motu, opidum supra Sidonem situm absorptum fuisse, & Sidonis dimidietatem fermè corruisse, Possidonius auctor est. Haec ille. Docet etiam nos Iosue praeallato loco rationem illam, ob quam diuino auctus instinctu Propheta noster, capitibus duodecim a vigesimo quincto computatis, prophetiam assumpserit aduersus gentes, nempe Ammonitas, Tyrios, Sidonios, Aegyptios, Idumaeos, ac tandem contra Gog, & Magog: nempe quòd duplici damno, vtroque grauissimo affecerint populum Dei, quem quasi vnigenitum vnicè diligebat Deus. Altero, quòd exemplo, consilio, atque suasionibus ad scelera, maximè idololatriae pertrahebant populum, quo infensum illum Deo suo redderent, qui iratus, eorundem inimicorum manibus traderet filium suum puniendum. Hoc enim significauit dicens, *offendiculum ex latere*, quod idem Propheta noster *offendiculum amaritudinis* nuncupauit. Secundo, quòd quando eundem Dei populum puniendum à Deo susceperunt, non Dei vindictam amanter, & moderatè exercuerunt: sed propriae indignationi, & odio, quod conceperant, satisfacere studuerunt. quod restatur Iosue, dicens, *sudes in oculis*. Numquam enim Deus filios ad internecionem castigat, quare neque ad caecitatem. Testatur hoc Hieronymus, confidenter referens verba Ieremiae *Quia non repellet in sempiternum Dominus, quia si abiecit, & miserebitur, non enim humiliauit*, afflixit, castigauit, *ex corde suo, & abiecit filios hominum*. Hi contra nihil aliud quam oculos sudibus eruere conantur, ac perpetuo excruciare dolore, id enim significat, *spina dolorem inferens*. Quod magis innuunt sequentia, *vndique per circuitum eorum*. Hi sunt, inquam, qui aduersantur eis: vel vt habent Septuaginta, qui contumeliam fecerunt eis: quasi dicat, vndequaque pungebant, vndequaque aduersabantur, vndequaque contumelijs, opprobrijs, flagellis, & doloribus illos afflictabant. Vide quantum exaggeret benignus Pater poenas inflictas filio. Quemadmodum hoc argumentum latè prosequitur apud Isaiam, illo commiserationis pleno aggressus exordio *Super quo percutiam vos vltrà, addentes praeuaricationem? omne caput languidum, & omne cor moerens. A planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens*, & quae sequuntur. Duplici ergo affectu, vtroque ab illo inexhausto diuinae misericordiae, paternique amoris perenni fonte manante, ductus, aduersus Israëlis hostes insurgit Deus, illisque vehementer irascitur. Primo, quo assolet pater virga percussi filij dolorem multo magis commiseratione sentiens, quàm filius sensu, & furorem in virgam ipsam conuertens, eam confringere iterum atque iterum in frusta discindere & abijcere, moxque totus lacrymabilis corruens in collum plangentis filij, inter dulces amplexus, moerorem, ac dolori laetus, gratissimisque pollicitationibus medetur. Hunc expressit affectum Deus apud Nahum prophetam, dicens: *Afflixi te, & non affligam te ultrà. Et nunc conteram uirgam eius*; affligentis, vel punientis, *et uincula tua disrumpam*, quibus constringebaris ad supplicium. In hunc ferè sensum videtur conuenire Theodoretus: Haec, inquit, & Tyro, & alienigenis, & omnibus finitima loca incolentibus inferam, vt neque exemplar impietatis vos habeat populus meus, neque hostes crebro in se inuadentes, & continenter excruciantes. Ita calamitates vaticinatus, Israelis bona praenunciat, augens in eos (nempe gentes) miserias: inimicè enim animati occasionem proprij doloris, ipsius Israëlis felicitatem faciebant. Haec Theodoretus, quae subobscurè reddita ab interprete, tantisper à nobis elucidata sunt. Secundò, quoniam non solum ijs, quae mox subsequuntur verbis, verùm alijs etiam locis, praesertimque capite quadragesimo, & sequentibus, Israeli in propriam patriam restitutionem, felicitatem, ac pacem pollicetur, ideo tam fusè praemittit, gentes omnes in circuitu delendas, ne populo, iam inde vt antea, vel auersionis à Deo viuo & vero, vel propriae infelicitatis, calamitatis, & miseriae occasio vel sint, vel esse possint. Subdit enim.

Non diu permanebunt scandalizantes. *Isai. 10. ℣. 17.*

Strabo lib. 2 Geogr.

Ammonitae, Tyrij, Sidonij, Aegyptij, Idumaei, Gog, & Magog duplici damno populũ Dei affecerunt.

Iosue 23. ℣. 13.

Numquam Deus filios suos vel vsque ad internecionẽ, vel vsque ad caecitatem punit. *Thren 3. ℣. 31.*

Exaggerat inflictas filijs poenas pijssimus pater Deus *Isai. 1 ℣. 5.*

Flagellat peccatoribus compatiens Deus, in flagella ipsa conuertit indignationem suam.

Nahum 1. ℣. 12. & 13.

Theodor.

XXV. *Haec dicit Dominus Deus Quando congregauero domum Israel de populis*, & quae sequuntur. Scholiastes. Rursus, inquit, laeta, & bona promissa profert Israëli, vt manus det, ac tandem resipiscat. Theodoretus vero: Ex hac tam pia, tamque indulgenti consolatione, qua populum suum erigit Deus, collata cum superioribus comminationibus, quibus in perpetuum delendam Tyrum, ac Tyrium principem cum Sidone praedixerat, optimam nactus occasionem, commonefacit nos de diuina prouidentia, ac iustitia, quae non eodem modo se gerit in puniendis, cum peccant (non est enim homo super terram, qui non peccet) amicis, atque inimicis, ijs, inquam, quos in caelestis regni consortium praedestinauit, ac alijs, quos ab eodem regno aeternum relegandos fore praesciuit. His enim seuerissimi iudicis more condemnationem, illis vero sapientissimi instar medici salutarem impertitur curationem. Et subdit: Hoc discrimen in ijs etiam, quae paulo antè interpretati sumus, videre licet: alijs enim interim nihil pollicitus est boni, sed Israël ab exsilio reuocationem, & reditum in patriam, domorum aedificationem, terrae cultum, arborum sationes, & bonorum spem, quodque omnium est bonorum caput, Dei cognitionem. His enim gestis, inquit, cognoscent me ipsorum esse Dominum, Deumque patrum ipsorum. Haec ille. Verùm non desunt ex Christianis, & pijs viris, qui Rabbinos Christiani nominis hostes immanissimos, impijssimosque sectantes, latissimam hanc, & Deo dignissimam promissionem ad reditum è Babylonica seruitute coarctent, & ad cordis sui angustias, deficientemque suae spei mensuram eam constringant, cum tamen licet aliqua possint de eiusmodi libertate intelligi, alia non absque difficultate, reliqua verò nullo modo, nullaque vi ad ea tempora detorqueri queant. Quis enim tam erit incautus, aut proteruus, qui Hebraeos dicat,

Scholiast.

Theodor.

Aliter punit Deus praedestinatos ad vitam longe aliter praescitos ad damnationem.

Coarguuntur ij, qui hanc gloriosam promissionem ad reditum e Babylone detorquent.

dicat tunc vixisse securos; prout hoc loco illis promittitur à Deo, cùm Sanaballat, Tobias, & Gosem Arabs cum reliquis inimicis molestijs affectos, cogebant illos vna manu aedificare, & altera tenere gladium, prout in Esdrae refertur historia: ac mox quando Alexandrum vel inuiti susceperunt, non valentes eius potentiae resistere. Numquid huiusmodi securitas, & confidentia euenit Hebraeis mox subsecuto tempore Ptolemaei, Lagi filij, qui quamplures ex eis captiuos in Aegyptum transtulit? Sed forsan temporibus Ptolemaei Philadelphi, qui illos inde dimisit, & muneribus templum, & gentem, scripturamque sacram veneratus est. At breuissimam, exiguamque huius temporis felicitatem praelonga subsequens bellorum miseria, ab historia Machabaeorum relata, absorbuisse videtur, haud secus, quam tenues vaccae Pharaonis septem alias pinguissimas absorbuerunt. Quid commemorem timores, afflictiones, & mala, quibus afflictati sunt à Ptolemaeo Epiphane, Rege Alexandriae, & ab Antiocho Rege Syriae, & ab Alcimo, Aristobulo, Alexandro crudelissimo, & Alexandra, & ab huius filijs, Aristobulo, & Hircano, de imperio decertantibus, qui vires aduersus Israëlitas prouocauere Romanas; quas, eorumque duram subire seruitutem coacti sunt, quousque ab eisdem Romanis euersi, & omni terrena possessione spoliati, regno, sacerdotio, & templo, ac denique omni splendore, ac gloria deposita, per totum terrarum orbem dispersi, seruilem, abiectam, & miseram vitam agere coguntur. Quod cùm vel inuiti fateantur Hebraei: fateantur etiam necessum est se promissam felicitatem non fuisse consecutos, si de temporali, vt ipsi somniant, sit sermo, neque futuram vmquam consequuturos esse firmiter credunt Christiani, cum certò sciant iam amplius non ad terrenam, neque vllam aliam felicitatem reuocandos fore Israëlitas, nisi quatenus in Christianorum adsciti numerum, Christum Deum, & hominem, Messiam, ac Saluatorem suscipiant. Quapropter tantùmodo vnicam admittunt interpretandi viam, nempe de spirituali felicitate, qua potiti sunt, potiuntur, & sine fine potituri sunt veri Israëlitae, per IESVM Christum Dominum nostrum. Sed quia haec eadem, quae hic promittuntur Israëli, eisdem ferè verbis iterum infrà repetuntur, ideo eodem pleniori tractatione illustranda reseruamus.

Esdrae 2. cap. 4.

Infra cap. 36. & 37.

EZECHIELIS PROPHETAE CAPVT VIGESIMVM NONVM.

ARGVMENTVM.

Superbiam Pharaonis Regis Aegypti, qua fretus Israël concidit, puniendam praedicit, Aegypto mercedis loco Nabuchodonosori concessa: Israëlis verò potentiam, regnumque erigendum, ac tunc & prophetae loqui liberum fore, & audientibus intelligere.

I. *IN anno decimo, decimo men-*
se, vndecima die mensis, fa-
ctum est verbum Domini ad
me, dicens.
II. *Fili hominis pone faciem*
tuam contra Pharaonem Re-
gem Aegypti, & prophetabis de eo, & de Ae-
gypto vniuersa.
III. *Loquere, & dices: Haec dicit Dominus Deus:*
Ecce ego ad te Pharao Rex Aegypti, draco ma-
gne, qui cubas in medio fluminum tuorum, &
dicis: Meus est fluuius, & ego feci memet-
ipsum.
IV. *Et ponam frenum in maxillis tuis: & aggluti-*
tinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis:
& extraham te de medio fluminum tuorum,
& vniuersi pisces tui squamis tuis adhaere-
bunt.
V. *Et projiciam te in desertum, & omnes pisces*
fluminis tui: super faciem terrae cades, non
colligeris, neque congregaberis: bestijs ter-
rae, & volatilibus caeli dedi te ad deuoran-
dum.

A *Et scient omnes habitatores Aegypti, quia ego* VI.
Dominus: pro eo quòd fuisti baculus arundi-
neus domui Israël.
Quando apprehenderunt te manu, & confra- VII.
ctus es, & lacerasti omnem humerum eorum:
& innitentibus eis super te, comminutus es, &
dissoluisti omnes renes eorum.
Propterea haec dicit Dominus Deus: Ecce ego VIII.
adducam super te gladium: & interficiam de
te hominem, & iumentum.
Et erit terra Aegypti in desertum, & in so- IX.
litudinem. & scient quia ego Dominus: pro eo
B *quòd dixeris: Fluuius meus est, & ego feci*
eum.
Idcirco ecce ego ad te, & ad flumina tua: da- X.
boque terram Aegypti in solitudines, gladio
dissipatam, à turre Syenes, vsque ad terminos
Aethiopiae.
Non pertransibit eam pes hominis, neque pes XI.
iumenti gradietur in ea. & non habitabitur
quadraginta annis.
Daboque terram Aegypti desertam in medio XII.
terrarum desertarum, & ciuitates eius in me-
dio

dio vrbium subuersarum, & erunt desolatae
quadraginta annis: & dispergam Aegyptios in
nationes, & ventilabo eos in terras.
XIII. *Quia haec dicit Dominus Deus: Post finem*
quadraginta annorum congregabo Aegyptum de
populis, in quibus dispersi fuerant.
XIV. *Et reducam captiuitatem Aegypti, & colloca-*
bo eos in terra Phathures, in terra natiuita-
tis suae: & erunt ibi in regnum humile.
XV. *Inter cetera regna erit humillima, & non ele-*
uabitur vltrà super nationes, & imminuam
eos, ne imperent gentibus.
XVI. *Neque erunt vltrà domui Israël in confiden-*
tia, docentes iniquitatem, vt fugiant, & se-
quantur eos: & scient, quia ego Dominus
Deus.
XVII. *Et factum est in vigesimo & septimo anno, in*
primo, in vna mensis: factum est verbum Do-
A *mini ad me, dicens.*
Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylonis XVIII.
seruire fecit exercitum suum seruitute magna
aduersus Tyrum: omne caput decaluatum, &
omnis humerus depilatus est: & merces non est
reddita ei, neque exercitui eius de Tyro pro ser-
uitute, qua seruiuit mihi aduersus eam.
Propterea haec dicit Dominus Deus: Ecce ego XIX.
dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in ter-
ra Aegypti: & accipiet multitudinem eius, &
depraedabitur manubias eius, & diripiet spo-
lia eius: & erit merces exercitui illius.
Et operi, quo seruiuit aduersus eam, dedi ei XX.
terram Aegypti, pro eo quòd laborauerunt mihi,
ait Dominus Deus.
In die illo pullulabit cornu domus Israël, & XXI.
tibi dabo apertum os in medio eorum: & scient
quia ego Dominus.

LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVI OMNINO VEL MAXIMA EX PARTE HIS XXVII. ET XXVIII. EZECHIELIS CAPITIBVS EXPLICANTVR.

Prior Numerus paginam, postremus columnam, litera columnae partem indicat.

TESTAMENTVM VETVS.

GENESIS.

EXODI.

LEVITICI.

NVMERORVM.

DEVTERONOMII.

IOSVE.

IVDICVM.

Qui

R V T H.

R E G V M.

PARALIPOMENON.

NEHEMIAE.

IVDITH.

ESTHER.

I O B.

H 2 Reple-

PSALMORVM.

Hen

PROVERBIORVM.

ECCLESIASTES.

CANTICVM CANTICORVM.

SAPIENTIAE.

ECCLESIASTICI.

I S A I AE.

omnes

THRENORVM.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

IOELIS.

AMOS.

IONAE.

MICHAEAE.

NAHVM.

HABACVC.

SOPHONIAE.

ZACHARIAE.

MACHABAEORVM.

NOVI TESTAMENTI.

MATTHAEI.

MARCI.

LVCAE.

IOANNIS.

ACTORVM.

EPISTOL. B. PAVLI

AD ROMANOS.

AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD PHILIPPENSES.

AD THESSALONICENSES.

AD HEBRAEOS.

EPISTOLA. S. PETRI. II.

EPISTOLA. S. IOANNIS. I.

IVDAE APOST. EPIST. VNA.

APOCALYPSIS.

INDEX

INDEX II.

PHRASIVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE HIS XXVII. ET XXVIII. EZECHIELIS CAPITIBVS PERTRACTANTVR.

*Voces vero Hebraicae, quarum explicatio phrases illustrat, Asterisco * notantur.*

Gaual,

S

T

V

VERBORVM ET RERVM QVAE HIS EXPLANATIONIBVS Ezechielis Capitum XXVII. & XXVIII. continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam, litera vero columnae partem indicat.

A

B

Bellicus

Deo

Lapi-

Pacis

P

Q

Quer-

REGESTVM TOMI PRIMI.

✱ A α B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff.

Omnes sunt terniones praeter ✱ est quinternio, & α folium, & B quaternio, & Aa quinternio, propter imagines. & tandem Ff est folium cum dimidio.

REGESTVM TOMI SECVNDI PRIMAE PARTIS.

Titulus & praefatio fol. 1. A B C D E F G H I. Omnes sunt terniones praeter I duernionem.

ROMAE, Carolus Vulliettus. Typis Illefonsi Ciacconij. *M D C I V.*

SVPERIORVM PERMISSV.

D· O· M·
PHILIPPO· TERTIO
REGI·CATHOLICO
PATERNARVM
VIRTVTVM
ATQVE· IMPERII
HEREDI
DIGNISSIMO
OB·SINGVLAREM
EIVS·IN·MYSTICI
TEMPLI
AEDIFICATIONE
DILIGENTIAM
IOANNES·BAPTISTA
VILLALPANDVS
E· SOCIETATE
IESV
EXPLICATVM·SALOMONIS
TEMPLVM
D· D· Q·

CLAVDIVS AQVAVIVA
SOCIETATIS IESV
Praepositus Generalis.

CVm Tomi secundi Explanationum partem secundam de postrema Ezechielis visione, Patris Ioannis Baptistae Villalpandi, Societatis nostrae Theologi, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint; ac in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita Reuerendissimo Domino Vicesgerenti, & Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romae x. Martij. 1605.

Claudius Aquauiua.

Locus ✠ Sigilli.

Imprimatur.

Si placet Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij

B. Gypsius Vicesgerens.

Imprimatur.

F. Paulus de Francis de Neapoli Magister & socius Reuerendissimi P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

PHILI-

PHILIPPO TERTIO
REGI CATHOLICO.

IOANNES BAPTISTA VILLALPANDVS.
S. P. D.

COGITANTI mihi (Rex potentissime) quo potissimum argumenti genere esset vtendum, vt hasce meas in Ezechielem qualescunque lucubrationes, in quibus praesertim de Salomonis Templo disseritur, munus dudum Maiestati Tuae debitum deferrem, nummus quidam venit in mentem peruetustus, in quem forte paucis ante annis incideram. Eius nummi facies altera Marcum Antonium, tum credo, Romani Imperij Triumuirum, ostentabat; cuius Hebraica haec erat inscriptio. REX SALOMON. altera vero facies Templum exprimebat, Hebraicis itidem characteribus insignita: quibus illud esse Salomonis Templum indicaretur. Nimirum perhonorificum fore Marco Antonio existimatum est, qui esset eo tempore in summis orbis terrae principibus; si eius effigies Regi sapientissimo tribueretur, eiusdemque Regis nomine, ac Templi longe augustissimi aedificio decoraretur. Quòd si Ethnicum virum, à vera Salomonis religione, felicitate, opibus, gloria remotissimum, Hebraicae Reipublicae moderatores Salomonem appellare, eidemque numismata dicare non dubitarunt; quanto mihi aequius Te liceat Salomonem alterum dicere, nempe Principem Christiani Imperij, Regemque praepotentem, Religionis Orthodoxae propugnatorem acerrimum, egregiumque cultorem, atque in aedificando mystico Dei Templo strenuum inprimis ducem: cuius ille Templi quamdam dumtaxat imaginem condidit? Cur non Tibi tanquam alteri Salomoni felicissimo & maximo, non dicam nummos ae-

re, argento, auroue cusos, verum ampla volumina, diuturnas lucubrationes, ipsa paene dicam Salomonis opera vniuersa multo quidem labore meo concinnata, Tuis vero sumptibus nuper excusa dedicentur? Etenim permulta sunt, eaque sane praeclara, quae Te reddunt Salomoni Regi celeberrimo quàm simillimum. Ac primum quidem, si eius nomen, quod pacem declarat, inspicias; nonne id nomen Tibi iure optimo debeatur, pacis Anglicanae, Scoticae, Belgicae instauratori? quae inde in reliquas orbis terrae partes, Te auctore atque auspice, redundauit. Salomonem adhuc puerum Deus immortalis ad illud Regnum euexit, in quo vno Regno vera tum vigebat Religio, fratre Adonia natu maiore sublato: Te idem Rex Regum Maximus Principem in Christiana Republica delegit, adhuc in matris aluo delitescentem, cum iam nonnulli fratres Tui, ad quos Regni hereditas pertinebat, è vita migrassent. Ille, quas gentes parens ipsius Dauid minus potuit vi armisque perdomare, vna sapientiae auctoritate perfecit, vt eae sibi vel tributo reddendo, vel societate ac foedere iungerentur. Britanniae populos, quos Pater Tuus Rex optimus nequiuit summis opibus, & ingenti saepius instructa classe, Catholicae Reipublicae Imperio potestatique subijcere; Tu sapientiae vnius praesidio, Deoque adiutore fretus demulces ac mitigas. Quare sperandum videtur fore, vt breui in Ecclesiae Sacrosanctae sinum vniuersa illa natio confugiat, eamque vt omnium Christianorum, sic suam etiam parentem & magistram agnoscat. Locuples, vt nemo alius, Rex Salomon, etiam sacrorum voluminum testimonio praedicatur. quippe in eius gazam tertio quoque anno magnam vim auri, gemmarum, aliarumque pretiosarum rerum opulenta classis ex Orientis terris vltimis conuehebat. qua in re perspicue satis Dei erga illum Regem liberalissimi prouidentia & benignitas cernitur; cuius beneficio fiebat, vt secundo cursu classis vltro citroque commearet. Id quod Iosaphato multis post annis imitari conanti non modo

non

non cessit è sententia ; sed etiam in ipso portu naues paratae soluentesque periere: quòd non veritus esset inire cum Ochozia impio Israelis Rege societatem. Iam vero quot & quanti Maiestati Tuae thesauri conflantur? sane praecipua Dei erga Te cura & studio: quo fit vt vere Catholico pioque Regi maria ipsa quodammodo ventique semper obsecundent. Etenim binae Tibi singulis annis classes tum ab Orientis, tum ab Occidentis Indiae regionibus redeunt, auro, argento, margaritis, gemmis, alijsque permultis ac praeclaris mercibus onustae: quae etsi longissimo sunt à nostris interuallo terrarum Oceanique vastissimi disiunctae; Hispano tamen imperio subiectae, libentes Tuis aequissimis legibus obsequuntur. Iure igitur Te diuitiarum paene dicam dominum, ac perennem quemdam thesaurorum fontem appellarim; vnde ceterae gentes, si haurire nequeant, vix, aut ne vix quidem tueri se satis posse videantur; quippe quas iam diu auri argentiue fodinae defecerint. Ergo cum aliquando Pater tuus, cuius de laudibus nulla vnquam posteritas conticescet, pecuniam alio, ad breue quoddam tempus ex Hispania transferri vetuit; magnum continuo ex ea re vel eius hostes detrimentum accepere; cum locupletes in Anglia, Gallia, Thracia mercatores breui conturbarint. Vt non magis Tua Regna propemodum, quàm cetera quoque siue amica siue inimica Tuis pecunijs atque opibus ali ditarique videantur. Quapropter iam ne bellum quidem Tecum gerere quisquam sine Tuis armis, hoc est, sine Tuis opibus queat, aut illud certe ducere vel sustinere diutius. Age vero Salomonis quidem Imperium longe lateque legimus propagatum. Vbi enim incredibili Hebraeorum numero angusta coepit esse Palaestina, cum vrbes iam eos nullae, quamuis plurimae ac maximae, non pagi, non oppida caperent; innumerabiles prope ipsorum copiae in alias deductae prouincias, orbem terrarum, velut apum examina, repleuerunt. Ita videlicet admirabilis illa mundi effectoris ac moderatoris Dei prouidentia sapientissime suum populum iam tum terris om-

nibus

nibus dispertiebat; vt secum sacra oracula comportaret, vt legem diuinam, vatumque praedictiones in omnia regna spargeret ac disseminaret; vt verum Dei cultum cum populis omnibus communicaret; vt nulli omnino nationi deessent salutis praesidia sempiternae. At illud es Tu hoc tempore nactus Imperium, quo si amplitudinem spectes, non modo nullum vidimus; sed ne auditione quidem aliquando maius accepimus. Quocirca parum iam sit de Regnis Tuis illud affirmare, quod olim de Romano Imperio dicebatur, Solem eis non occidere. Tanta est enim Imperij Tui maiestas & amplitudo; vt Regna cetera prope vniuersa, vel Tibi libentissimis animis pareant, vel de Tua amicitia glorientur, vel in Tuae potestatis vmbra, fide, prouidentia conquiescant. Alioquin illi ipsi qui se Tibi aduersarios profitentur, nullus est angulus tam seclusus, quo se proripiant, aut vbi tuto delitescant, qui aliqua ratione Tui fines Imperij non attingat. Quae enim terrarum est regio tam remota atque abdita, cui non Hispanorum, hoc est, Catholicae religionis lux ac splendor affulgeat? Quare illud vere de tuis copijs, Rex potentissime, dici potest, quod olim Nehemias tradit Israelis militibus contigisse, cum ait: Media pars iuuenum faciebat opus, & media parata erat ad bellum. quod bellum, vt idem scribit, à finitimis populis vrbis instaurationi aduersantibus imminebat. Imo vero ipsimet fabri simul ac milites altera manu opus vrgebant, gladium altera tenebant, vt hostibus aduentantibus repugnarent. Milites enim Tui, in remotissimis amplissimisque Indiae vtriusque terris atque Insulis, altera manu gladium gestant, & aduersus Christi hostes, eosdemque Tibi eo ipso nomine infestos vibrant, altera vero Sacrosanctae Christi Religionis aedificium aut à fundamentis excitare, aut ad culmen vsque perducere pro viribus non desistunt: dum consilio, auctoritate, opibus, exemplo, quacumque denique ratione queant, Christi causam defendere, tueri, prouehere conantur assidue. Templum denique Salomon à Deo ipso

multo

multo ante descriptum, ingenti ac nunquam ante audito sumptu, Diuina prorsus sapientia, religione, pietate, toto terrarum orbe celeberrimum exaedificauit. Tu vero nullis vel sumptibus, vel laboribus parcis, vt viuum Dei templum, hoc est, IESV Christi Ecclesia longe lateque diffundatur & crescat. Tu summa industria, consilio, prudentia caues, ne Catholica fides in Belgio, ac Britannia concidat: Tu das diligenter operam, vt si qua pars est vspiam Religionis verae prolapsa, restituatur, aut sicubi forte iam diu iacuerat, excitetur. Tu ad remotas illas barbarasque Gentes quotannis, tum alios multos genere, doctrina, pietate praestantes, tum è nostra Societate Tui studiosissima complures mittendos, tanquam fabros & Architectos curas, qui syncerae fidei, ac Religionis Catholicae siue fundamenta iaciant, siue opus iam inchoatum ab alijs, Dei ope freti promoueant, atque perficiant. Quapropter eo etiam magis videri debes Salomoni praestare, quo maior est huius posterioris Dei Domus gloria, quàm prioris fuit. Cum tanta igitur Tibi sit, Rex potentissime, cum veteri Salomone similitudo, eaque in amplissimis maximisque rebus laudeque dignissimis; cur non Te iure optimo Salomonem alterum dixerim? Cur non hoc Tibi Salomonis Templum in Ezechielis Oraculo descriptum, measque in ea obscurissima descriptione illustranda vigilias, eadem prope inscriptione, qua Marco Antonio Palaestina nummos; Tibi, inquam, Salomoni meo multis nominibus iam diu debita deferam? Accipe igitur PHILIPPE REX benigno vultu, atque oculis istis clementiae plenissimis volumina, quae non nisi Tuis opibus Parentisque Tui voluntate, quam Tu egregia pietate semper exequeris, explicari potuerunt. Ac Tuae potissimum tribue felicitati, quòd ea quae adhuc in obscuro Ezechielis vaticinio tot saeculis abstrusa & recondita latuere, nunc demum sub haec fausta Regni Tui initia lucem aspiciant, & in Christianae Reipublicae vsum dignitatemque conferantur. Et quanquam per multos iam annos

hoc

hoc Tibi debitum munus, non satis Maiestate Tua dignum, si donantis tenuitatem spectes, magno meo dolore comprimo, seriusque in lucem profero, quàm optaram, infirmitate scilicet valetudinis meae interpellatus ac retardatus identidem; nunquam tamen siue dum scriberem, siue dum inuitus cessarem, Tuum esse desijt; neque in alterum potuit sine scelere flagitioque transferri. Quin etiam veritus, ne me prius vita ipsa deficeret, quàm Vatis huiusce praestantissimi interpretandi munus explerem; opus mutilum atque imperfectum edere malui, quàm Te diutius debito munere fraudare. Ita enim interea dum reliqua molior, & meo in Te officio ac studio, si non omnino, at aliqua certe ex parte satisfecisse videri potero: & si quando, Deo bene iuuante, quae adhuc supersunt enucleanda, licebit absoluere, nemini poterunt nisi eidem Tibi deberi, cui non modo pars haec huius muneris, sed reliquae omnes, ac totum prorsus opus iam nunc à me Tibi, Rex optime ac potentissime, tanquam legitimo Domino donatur, dicatur, addicitur: Cui & in terris felicem, diuturnamque vitam, & in caelis beatam à Deo precor, ac sempiternam. Romae Kalendis Martij Anno Domini CIƆDCV.

IOAN-

IOANNES BAPTISTA VILLALPANDVS.

LECTORI PIO. S.

SVMMA fuit profecto fama, quam de Salomonis sapientia rebusque gestis, auditione accepit mulier illa magni nominis Regina Sabba, vel Austri, vt eam appellauit Christus Dominus, siue, vt loquutus est Iosephus, Aethiopiae Aegyptique Regina; vbi tamen Hierosolymis ipsa adfuit, coramque omnia subiecit sensibus, dum loquentis sapientiae viua vox in aures, atque in oculos caderet amplitudo operum, & opum ex quadam naturae, & artis contentione admirabilium, tum demum tot Regis, ac tam luculentis commendationibus, quasi personante animo, superari famae celebritatem rei praestantia, minime imprudens mulier professa est ijs verbis: *Maior est sapientia & opera tua, quàm rumor, quem audiui, vicisti famam virtutibus tuis.* Cuius quidem vocis ea videtur esse vis, quantum interpretari licet: nequijt satis vel exponere lingua, vel auris vlla transmittere ad humanae mentis intelligentiam laudes tantas, tam inusitatas, vulgaribus tanto maiores: nunc autem experientia suffecit id, quod nomini deerat ad faciendam fidem, suaeque causae ne praeuaricaretur excellentia, commodum accessit testimonium oculorum, ad extremum cuius rei, par dignitati, exemplum aliud extitisset nullum, ea res debuit sibi ipsa fieri specimen, & exemplum.

Vt enim multi siue libri siue sapientes viri & amici res multas de regionibus remotissimis narrent, quae res ita à nostratibus differant, nihil vt earum simile aliquando viderimus: satis tamen illud est experientia ipsa compertum, nos illarum rerum speciem naturamque penitus complecti animo, & cogitatione satis informare non posse. Quin etiam longa licet illi oratione ac verborum anfractibus terras illas nobis, vrbes, fluuios, arbores, feras, aues, cetera describere, exprimereque conentur: si forte cuipiam deinde nostrum illuc ire contigerit, vbi oculis eadem cernere licet, ea nihilominus ei, quàm si nihil vnquam de ijs audiuerit, noua videantur. Quod si id in ijs rebus vsu venit, quae illarum sunt quam simillimae, quas tractamus; quid Salomonis tandem operibus accidere necesse est, quorum vix vllum extat in ijs rebus, quas aut vidimus, aut videre potuimus exemplum, quod vel minima ex parte illorum nobis praestantiam repraesentet? Quid Peripatetici doceant de Aurei montis notitia non ignoro; quem & si mente comprehendere penitus nequeas, quippe quem nunquam videris, è saxea tamen rupe, glebaque aurea, nempe ex rebus notissimis, ex quibus conflari fingitur, posse nos eumdem, aiunt, ingenij viribus comminisci. At quid vnquam simile quisquam Salomonis operum fingat, eiusque Templi praesertim, quod longe tum ipsius, tum ceterorum Regum operibus antecellit, in quod & potestatem Salomon, qua aequalibus Regibus praestitit, & sapientiam omnem diuinitus haustam, qua cunctos vicit mortales contulit vniuersam? Duo enim illa videntur esse ad Montis aurei scientiam nanciscendam pernecessaria: primum quidem praecedens aliqua montis eiusdem, ac saltem adumbrata cognitio, deinde vero partium, ex quibus ipse mons constat, perfecta notitia, vnde res tota penitus cognoscatur.

At vero huius Templi aequae partes erant obscurae, ignotaeque per se singulae, atque res tota; imo vero nihil erat ex omnibus quae sunt apud nos, aut nobis aliqua ratione perspectae; cuius vestigijs insistentes, vllam omnino Templi similitudinem assequeremur. Testes libri tam multi tunc de hoc argumento conscripti, Testes eiusdem Templi descriptiones plurimae, atque imagines Biblijs alijsque libris insertae, quae vel in aere diligenter incisae, & elaboratae illae quidem, melius tamen agrestium pastorumuè humiles casas atque mapalia referant, quam aedem exprimant augustissimam Regis Regum. Etenim nihil in huiusmodi libris, ac descriptionibus plane reperies, quod non sit exile, tenue, mutilum, ieiunum: nihil quod non sit ipsi Architectandi scientiae, artificioque contrarium: nihil quod non ab immensa illa propemodum Templi magnificentia, maiestate, amplitudine quàm longissime recedat: nihil denique quod non ijs prope rebus omnibus aduersetur, quas res tum sacrae, tum prophanae historiae huic Templo apud omnes Gentes celeberrimo tribuerunt, quasque verbis amplissimis extulerunt. quippe quod esset elegantissimum quoddam pulcherrimumque simulacrum ornamentorum omnium, quae sunt in Christo summa, innumerabilia, singularia, vno verbo diuina.

Haec

Haec nos omnia cupiditate inflammarunt cognitioni publicae, atque adeo oculis ipsis proponendi admirabile aedificium, quod aggredimur explicare. Cupiditas autem exarsit adeo, vt eam non potuerint retardare, ne dum extinguere, aut quinque ac viginti annorum spatio tolerati labores, aut rei maximae exequendae difficultates, aut aduersae inuidentium tanquam turbinum ingruentium tempestates. Nam vt quae inciderint, minota silcantur, quantum existimetur illud, quod cum hunc veluti cursum instituti è littore soluissemus, Pater Hieronymus Pradus, & comes ego, mors illum abstraxit sub velificationis initium, meam vero solitudinem suo laborantem metu, quanta praeterea frequentium aegritudinum procella vexauit? Sed iactata nauis tenet portum iam aliquando; mercesque dudum promissas, notitiam videlicet Diuini Templi iusto comprehensam volumine, tametsi expectatione setius, vbi tamen primum potuit, edit in vulgus.

At enim occurret fortasse Censorius quispiam nimiae diligentiae, ac laboris intempestiui neque necessarij nos, si Deo placet, accusans. Si enim, inquiet, in Templi huius ignoratione tam multa saecula impune versata sunt; quid ni in posterum alia versari sinuntur? Sed haec explodenda potius est, quàm refutanda criminatio quandoquidem cum homine fouente inscitiae tenebras, quibus inuoluitur, quid opus est tanquam cum Andabata velle pugnare? Aio igitur non tantum decuisse, verum & oportuisse ad vnius Dei gloriam, Christianaeque Reipublicae bonum, vt aliquis tandem susciperet prouinciam, facultate quauis maxime liberalis ingenij, non mea dumtaxat mediocritate, dignissimam. Cum autem illam ego prouinciam, nisi fallor, diuinitus impositam mihi viderem, num subterfugere laborem ignauus debui, meque oneri iam recepto subducere? Nec numenda citius fuit ita numinis a quo tum in me animaduerti, tum deferri potuisset negotium alteri, per caelestem opem transacturo perfectius? Neque tamen ita disputo, quasi putem opera mea factum esse satis officio, praereptumue alijs locum; aut demum peractum aliquid amplius, quam vt iecerim tanquam fundamenta, è quibus excitatura sit subinde posteritatis industria molem operis cumulatiorem via scilicet est indicata duntaxat, qua profici plurimum possit, edolatumque lignum, quod deinceps ab alijs expoliatur. Quod vt verissimum sit, ad collocanda tamen prima ipsa tam clarae molitionis exordia vehementer incitauerunt me conscientiae stimuli, quos acuit insuper nonnullorum grauis auctoritas. Etenim si loquendum ex animo demum est, de diuina prouidentia quorsus quisque tam humiliter sentiat, vt sibi persuadeat illam temere voluisse, vt veteris ac noui Testamenti sacrae literae ita saepe meminerint tabernaculi prius, deinde Templi, nullumque propemodum finem fecerint de eius partibus, mensuris, diuitijs, ornamentis, vasis, ministris, sacrificijs, hostijs, ac reliquis huiusmodi faciendae mentionis? Profecto vetat pietas dicere haec esse inconsulto sacrarum literarum monumentis consignata. porro ad Iudaeorum ijs vtentium causam vnam omnia conuertere, vetat nos Apostolus, dum asserit: *Quaecumque scripta sunt, ad no-*
Roman. 15. 4. *stram doctrinam scripta sunt.* Et sane quorsum alioquin leguntur a nostris, quorsum coluntur, quorsum religione oraculorum propria afficiuntur? Num Dei filius, idemque Deus vni Hebraeorum generi commendatam venerationem Templi voluit, ex quo eiecit ementes, & vendentes, ac non sinebat transferri vas per Templum? Inde socij Apostoli praeclare intellexerunt Psalmi locum:
Psalm. 68. ℣.10. *Zelus domus tuae comedit me:* quasi Christi Domini proprium esset, diuinam domum studio vel acerrimo tueri. Spiritualem fortasse dices domum: neque ego inficiabor, aio tamen prodijsse initium à materiata, cui ne tantula quidem iniuria permittebatur, puer vt quispiam aliusue sarcinam vllam gestans, pauimenta calcaret: ac si quicumque Summo Deo non supplicaturus accederet, Templi tam augusti prohiberetur ingressu.

At quorsum, inquies, tam accurata ac longa disputatio de re, cuius notio rudis sat commode complecti potuisset appellationem Templi, Sancti, Sancti Sanctorum, Arcae, altaris, portarum, horumque similium, quibus tum Sancti, tum docti viri ad commune bonum vsi sunt? quid autem necesse fuit in integrum quodammodo restituere, & imaginibus restauratum oculis offerre Templum ipsum; cuius non modo non formam, sed vix vmbram, aut vestigium Deo iubente flamma reseruauit? Equidem non id spectaui, non id egi, vt antiquam aedis restaurarem gloriam; sed vt interpretaturus illam sacrae Scripturae partem, quae nostrae religionis arcana sublimia continet, illustrarem ea, quae in sensus cadere possent, ex quibus alia diuiniora perciperentur. Quocirca fuerit omnino mihi satis neruos contendisse omnes in aperienda sapientia Dei, spon-
Ecclesi. 24. ℣. 31. dente: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Quod vnum compensabit atque adeo laetos efficiet labores, vigilias, aetatemque à me in hoc vno prope studio, operaque consumptam: cuius etiam fructus poterunt esse participes, quicumque maiore industria in campi eiusdem spatijs praecurrent mihi. Ego vero quamuis potiores alios ex magno interuallo videam, consistere me saltem in secundis, aut reliquis facile patiar, modo nec abfuerim a stadio penitus, & incitauerim

nobilissimos

nobilissimos cursores exemplo. Quis enim paruum aut indignum non sua dumtaxat vnius, verum ingenij cuiuslibet sedula ad considerandum opera existimabit illud, cuius Architectum se praebuerit, composito exemplari, Deus? Exemplar sane hoc aedis à se perfectum, Deus idem per nuncium suum Nathan tradidit Psalti Regio, qui diuinitus afflata mente contemplans, tanquam κατ' εἴδωλον opus futurum, sumptus ex thesauris innumerabilibus, aliaque necessaria comparauit adeo multa, vt si ea persequi hoc loco accuratius velim, modum praefationis excedam. Tribuit insuper diuina prouidentia eidem Regi filium, & sanctitatis haeredem ad tempus, & prudentia post homines natos cumulatissimum Salomonem; vt ille accurate praeceptiones exhauriret Templum fabricantis Diuinitatis. Constitutum porro hoc Templum quippe opus excelsius quàm Architecturae mortalis, quoties impellente caelo, in sacris actis Regum, librisque Paralipomenon celebratum est? quoties Psalmis ac Vaticinijs iteratur? Adde post eius euersionem ac ruinam Ezechielem a quodam caelestium ciuium Principe translatum Babylone Hierosolymam in id incubuisse, vt gratiose sortitus illustre visum, Deoque dignum, de Templo disceret omnia: singulaque membra dimensus enucleate literarum deinde monumentis cuncta committeret. Et nos Christiano indignum homine censebimus, meditari, declamare, effingere Templum; quod tanti aestimauit Deus; vt in eo prosequendo officijs complures Sanctos viros collocauerit; imo etiam sanctitate illos, vt nauarent ibi operam, aut quia nauauerant, auxisse videatur?

Quod si caelestes orbes cum sideribus certissimisque motibus suis, si terra cum animalium, plantarum, florum, fructuumque varietate, si mare cum littoribus, finibus, piscibus, si aer cum generibus auium: in summa, si res creatae omnes, Deum vbique proclamantes linguae sunt, siue notae & effigies, quae authoris maiestatem ante oculos ponant: cur non etiam opificem, eumdem ante conspectum collocari posse putabimus hoc Templo, in quod per compendium, tanto artificiosius, quanto breuius praepotens eiusdem dextera, quae prius alia alibi distribuerat, insignia vniuersa congessit? Et quanquam habet hoc hominis natura, vt vna contineat omnes huius vniuersitatis ornatus; quis tamen Procreatoris laudandi cupidus, tam alienus fuerit à se agnoscendo, vt paruifaciat nitidissimum speculum, in quo sui molitionem, iuncturam partium, decora alia intuens, eius cui haec accepta referre debet, amore rapiatur?

Ad extremum quoniam bonorum omnium cumulus nobis in vno Christo clauditur, quod sapientissime animaduertit Apostolus, dum scribit ad Ephesios: *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis, & quae in terra sunt in ipso*: quoniam in Christo, inquam, nobis nullae non opes concluduntur: quis propterea despiciet quoddam illius veluti simulachrum? cur enim si minus, id est, huic similitudini tribuendum; cur, inquam, permutantur promiscue diuini Corporis Templique appellationes? Ego igitur, qui pridem Christo IESV meum omne studium industriamque deuoui, merito magnam aetatis meae partem in hoc negotium contuli, & quod ad me attinet conferam libens partem reliquam, quantacumque sit. eiusmodi consilio nempe adducor; vt argumentum per se quidem intellectu difficile, sed ab ipso Deo ad indicandam Christi gloriam directum, vbi clarius patuerit, patefaciat magis è Christi infinitis laudibus aliquam: aut reuocet quidem certe animos, ad eas apertius cognoscendas, quas iam cognitas habuerunt. Neque vero nouum hoc aut nostrum esse inuentum quispiam suspicetur: siquidem tota fere Aggaei, insignis inter veteres Christi praecones, luculentique indicis vaticinatio, hoc fundamento nititur, & in hoc versatur quasi cardine, vt ornamenta referat prioris Templi, quod illustrauit ac ditauit Salomon, auctore Deo, & eidem praeferat alterum inops, despectum, humana sententia, nomine templi indignum, quod infinitis partibus nobilitauit magis, quippe in quo interfuerit Dei filius *Splendor gloriae & figura substantiae eius*. Quare Vates hic, vel potius qui Vatem impulit diuinus Spiritus, visus est Aquilae instar pullos prouocare ad volandum; quasi conflatis, ope non Daedalea sed caelesti, pennis, iter doceret ad antiqui Templi dignitatem, & illinc ad amplitudinem Christi deprehendendam: quanquam in his rebus illa vere ineunda est ratio, vt tanto praeponderari existimemus Christi dignitate atque amplitudine huius aedis elegantiam, quanto eiusdem Templi decor ac splendor quamlibet pulchritudinem superat, quae aut subijci oculis, aut in hominum cogitationem cadere possit.

Ephes. c. 1. ℣. 9.

Quid quòd à nostra disputatione, nisi fallimur, peculiaris ducetur ad Christum, eiusque Ecclesiam Catholicam Romanam gloria? etenim cum haec ab illo acceperit sacrarum literarum interpretationem atque notitiam, quae negata est Synagogae Satanae, tum Iudaicae sub Moysis

velamine iam caecutienti, tum Haereticae errorem suum sectanti, vt ambabus his ignominiosum est etiam prima sacrae scientiae rudimenta nescire, de porta, vestibulo, poste, atrio, fronte, peribolo, Templo denique vniuerso, ita Christianae religioni per quam erit honorifica rerum talium pluriumque cognitio. Quamobrem vna cum vitio intelligentiae penitus ignarae, lutulentus animus exprobrari miseris poterit per huiusmodi sententiam: si cum terrena loquuntur vobis Scripturae, non intelligitis, quomodo cum proponent caelestia intelligetis? quinimo telum accommodatius fiet, illud optimi Parentis dictum: *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quo-*

Ioan. 3. ℣. 12. *modo si dixero vobis caelestia, credetis?* Atqui caueat hoc loco maleuolus quisque, ne arrogare nos nobis magnificam notitiae opinionem arbitretur: nam qui nostrum attulimus huc nihil, sed ex varijs diuinarum literarum locis, aut è Sanctis Patribus, sacrisque Doctoribus collegimus tantum, quae ipsi dispersferant, qua re alia, nisi bono fruimur alieno? Coegimus scilicet quasi disiuncta membra in vnum doctrinae corpus his tribus Tomis: Aegyptiorum quoque diuitijs vtentes, vbi res exigeret: nec omittentes identidem quidquid Rabbini, Scriptoresue ceteri profani, opportunum huic materiae prodiderunt. Omnia porro ad perpendiculum vocamus Sanctae Ecclesiae, cuius arbitrio subijci volumus ipsi, quodcumque sentimus.

Atque vt veniamus aliquando, quo cogitauimus iam dudum: illud propositum nobis, vt alias diximus, a principio fuit, vt opera nostra melius, quam quod de mundo Cereris factum esse à Romanis legimus, ostenderetur Hierosolymitana aedes, quam scripta sacra honorificentissime praedicant. Cum itaque versati diligenter hi libelli, collatique inter se à nobis, principem (quod spectat ad rem nostram) concederent locum Ezechieli, & cum eius tanquam perelegans tela, miro artificio contexta filis velut aureis, quod inquirimus, contineret, non satis posse disputationibus huiusce cursus progredi visus est, nisi Prophetae librum, quasi perpetuum itineris ducem ab initio ad extremum finem vsque sequeretur, vt fecit. Sed quamuis plurimi in illo Prophetiae horto flores appareant, ijque pulcherrimi; excellunt tamen nescio quo pacto, qui in exordio exituque eminent, perinde, ac si agmen inchoent, & claudant, virtute potiore. Primum enim obuiam fit visum, quo diuinitas in solio augustissimo super alas Cherubim & Arcam residens, benignitatem ac prouidentiam suam ostendere cernitur intra Sancta Sanctorum. Ibi modo docet, modo blanditur, modo paterne defendit, modo etiam punit, ac nonnunquam scelerum satietate commouente populum auersatur ac deserit. alter videlicet quaerebatur populus, qui a Christo nomen ducens quum Imperatori vicissim nomen daret, nunquam esset omnino relinquendus. Sed postremum visum ea detegit, quibus diuina iussa fideliter obeuntur. *Tu autem fili hominis ostende*

Ezech. 43. ℣. 10. & 11. *domus Israel Templum &c. Figuram domus & fabricae eius exitus & introitus, & omnem descriptionem eius, & vniuersa praecepta eius, cunctumque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum.* Fuit autem Hebraeis tanta visorum horum obseruantia, vt in vtrumque pariter cautum sit, ne quis immaturior auderet legere, quam annos triginta natus. Neque id iniuria factum est: quoniam cum difficultas habet nodum magis quam Gordij vinculum deterrere posset animum cuiuslibet a voluntate tentandi, citra soluendi spem, non minus Magnum Alexandrum, aut quemlibet alium grandiore adhuc aetate firmatum. Tantas igitur nobis quaestiones tractaturis, non fuit voluminis vnius afferenda actio, sed ex rerum numero geminanda per tomos duos: quibus etiam visum est addere tertium: quo comprehenderentur haud inutilia quaedam, nec pauca, ad captum ingeniorum appetentium visione quam tractamus, explendum. Verum de tertia hac parte plura dicere non est necesse; quae iam edita in lucem, expectat dum obsequatur isti, cui debet obsequium: & ipsa iam illius frons explicationem prae se fert textus, ordinis, argumenti, ac partium, quibus additis res absolui queat. His igitur omissis ad alia veniamus.

Bifariam dispertita pridem est Ezechielis Prophetia tanquam ex asse, ac semis quidem ad Caput vsque Trigesimum nonum obtigit primo volumini; altera autem portio voluminis huic secundo conuenit a Capite Quadragesimo & per octo consequentia. Ac primum quidem è littore soluit olim feliciter Pater Pradus disputans priora, per alia quoque perrecturus ad portum: at diuina sic volente prouidentia, vix Caput sextum supra vigesimum compleuerat, cum è nauigatione euocatus in caelum, vt pie credimus, praemium reportauit laborum, & quos tulerat, & quos ferre sibi imperauerat, Dei & Ecclesiae causa. Mihi vni duplicatum est pondus, & qui speraueram etiam mei muneris fore participem, & adiutorem alterum, illius intercepti vicem subire solus debui, sine socio laturus iugum, sub quo gemerem vel sociatus, ac toleraturus laborem eo maiorem viribus, quo imparatior tolerare coactus sum. Atqui pro sua beneficentia dedit idem Deus, vt iam aliquando cum authoris illius ope-

re pro-

re prodeat vna imperfectum meum: prodeat: inquam, nam adhuc quod erat excusum, diligenter id ipse custodieram, & arcueram à publico, quod extremam coronidem perferret secum.

Rogabit fortasse quispiam, factum qui sit, multi vt libri dudum excusi circumtulerint Patris Pradi nomen, resque ab eo disputatas, ipsasque voces quibus disputantur? Huic igitur ex ingenuo candore satisfaciam. quoniam à Patris illius obitu nauaui operam limandis imprimendisque sex & viginti Capitibus, quae extabant eius ingenij monumenta. Tomum itaque eo pacto conditum Domino, Regi, ac Maecenati meo PHILIPPO II. misi (cuius ab aerario suggeruntur impensae) ac pariter eiusdem nomine detuli ad Sanctissimum Maximumque Pontificem, & ad Augustissimum Imperatorem, atque ad alios Principes viros. Alijs autem pluribus etsi negauerim, non potui pugnacibus quibusdam resistere, quo minus viginti trigintaue exemplaria extorquerent. Verum nunc ex sententia vel tres Tomos producente me, necesse erit vt primus noua duorum capitum accessione locupletetur. Etenim ex omnibus quae in explicando Propheta supererant, nempe ex tredecim capitibus ad prius volumen, & ex nouem ad posterius spectantibus, erat mihi secundum opus affatim conficiendum, eaque de causa duae partes operis distinguendae, ob diuersitatem rerum, diuersas eiusmodi sedes occupantium. Sed euentus tulit, vt in priorem Tomum aliqua reijcerentur potius, quàm vt in alterum omnia reseruarentur. Cum enim ego cetera ex ordine capita explanare aggressus, septimum & octauum vltra vigesimum dedissem typis; mox amicorum salubri consilio adductus, Diuina ita prouidentia statuente, ijs intermissis, me ad tertium Tomum, & ad secundi partem hanc alteram applicaui. Et vero meae valetudinis ac virium imbecillitas, quod sentio, nequiuisset pati molem vniuersam, quin oneri succumbens fecisset, vt vix aliquo perficiente libenter aliena; vel destitueretur omnino haec tractatio, vel mutila sortiretur lucem, nec profutura alteri, nec suam ignominiam vitatura. Nunc autem cum benigne indulserit Deus, vt opus huc vsque prouexerim, quo nomine gratias illi ago quàm maximas possum, in primum Tomum statui referre ad viginti sex, aliorum duorum praeterea Capitum explanationem, in quem item Tomum vndecim reliquorum spero, Deo iuuante, relatum iri.

Quod attinet ad partem huic secundo assignatam volumini, vt ante indicaui, potissima illa est, propter quam desudauit nostra omnis industria. Nam Hierosolymitanam aedem declarat per vltimum visum ostensam Ezechieli, qualem aedificauerat Salomon: ideoque titulus impositus est. DE POSTREMA VISIONE EZECHIELIS PROPHETAE. Et quoniam huiusmodi molitionem cum tota supellectili Propheta persequitur Capite quadragesimo primo, quadragesimo secundo, & ex parte quadragesimo tertio ac quadragesimo, sexto in his interpretandis versati sumus, omissis alijs vbi aliud agitur, ita tamen vt id totum efficeremus duobus medijs ex quinque digestis libris: quoniam priores duo quippe isagogici praeluserant intelligentiae, quaedam prolegomena complectentes. Demum quintus DE GLORIA TEMPLI, notitiae necessaria nonnulla disseruerat. Ex nouem itaque Capitibus ea desiderantur quae narrant sacrificia, ministros, horumque similia.

Quinque vero librorum ordo coniunctioque vt clarius patefiat, breui quid ijs insit, exponam. Primus narrat quamobrem visio difficilis intellectu fuerit, ac literalis eius sententia tum Hebraeos, tum Christianos homines fugerit. quod sane tum accidit ob aliqua cum alijs omnibus, visionibus communia, tum ob alia propria agentis de aedificio cuius partes, ornatus, & instrumenta appellantur vocibus artis proprijs, minimeque vulgaribus: & quod caput est, quia in ea visione, quae celeberrimis quibusque tum prisci, tum noui Testamenti pro sua dignitate conferri, si minus praeferri potest, in ea inquam, Ezechiel mente raptus Ierosolymam intuetur fabricationem artificio, specie, numeris omnibus perfectissimam, ac prorsus eamdem quam erexerat Salomon. Decuit enim tale id esse, quod portenderet Ecclesiam Christi iam pridem Salomonis Templo significatam: cum praesertim esset etiam praenotandus ipse Christus existens à mortuis, & à Cruce tumuloque rediuiuus, ac demum quo populi Hebraici spes prope intermortua reficeretur; ad quam excitandam praecipue respexit huius loci consilium. Verum vt fructus hic participaretur, in animis inseri notionem Templi velut semen oportuit: atque ad hanc informans secundus liber, qui Architecturae normam admouet Theologiae, & facultatem Architecti discutit, ac dispositionem inprimis: neque de Perspectiua tacet id, quod aut nusquam, aut non satis apposite tradidit quisquam: quin etiam declarat vim Ichnographiae, Orthographiae, & Scenographiae; ex quibus patefiunt nostrae descriptiones aere caelatae quindecim, diuersae magnitudinis & conditionis.

Liber tertius Capiti quadragesimo lucem affert, dum atria Ierosolymitani Templi metitur

iuxta mensuras, quas ab Angelo didicit Ezechiel, ab eodem in terram ductus Israel: & id praestatur quà minute, quà perfecte adeo cum rerum ita elegantium adiectu, vt pompam deductura suarum opum disputatio, perrexerit in ambitus octo & quadraginta. Neque haec multiplex distributio Capitum sine consilio suscepta videri debet. Primum enim exoriuntur laudata species ordinis; deinde facilius quasi lapidibus notata viae spatia commonefaciunt scopum eius rei, quae tractatur. Tertio de rebus singulis agi perfectius potest, nihil impediente praecedentium aut consequentium circumiectu. Quarto quotiescumque digrediendum tantisper fuit, orationis tamen filum non perturbauerunt seiuncta orsa telarum. Postremo nemini molestiae tantum afferet vnius, vel alterius membri lectio, quantum libri totius afferret mora. Eum vero librum inscripsimus: DE TEMPLI ATRIIS, PORTIS, PORTICIBVS. Articulos autem secundum Prophetae structuram instruximus: qui primum quidem edicit annum, mensem, diem, quo comparuit visio nobilissima, ob nomen, regionem, & Angelum ostendentem, quippe cuius dignitatem tum argumenta probarunt multa, tum approbabit ea, quam exigit à Propheta diligentiam Angelus, & à quibuslibet visuris deinde, siue lecturis hanc prophetiam. Tractatur etiam praecipue calamus, & funiculus, qui singula dimensus est. Exprimuntur peribolus, gradus, limen, vestibulum, frontes, cancelli, atrium exterius, areae, gazophylacia, pauimenta, admirabilitas symmetriae, portarum numerus, atrium item interius cum suis partibus, portis, mensis, ministerijs, custodijs, ac demum Templi vestibulum, postes, longitudo, altitudo, situs altaris holocaustorum, aenearumque columnarum. Quae omnia si dicenda fuissent, vt aequum erat, priuatos seorsim codices flagitauissent, sed coacta sunt in vnum locum: disputatis ijs, quae essent necessaria, & quae potissimum Theologis conducerent ad imaginem Templi cogitatione informandam.

Liber quartus quatuor & octoginta particulis reliquum aedificium continet: neque vnum modo caput Prophetiae, verum duo integra, duorumque alias partes includit. Nam Capite quadragesimo primo Templum Dei Propheta ingressus, eius partes, mensuras, ornamenta percenset: at quadragesimo secundo regressus ad exterius atrium, scalas ascendit, ac metitus gazophylacia, eorum visum describit. Versu autem decimo nono ad extremum vsque quadragesimum sextum caput, culinas tum Sacerdotum, tum Populi profert, atque arrepta occasione transit ad horrea, & apothecas. Et quinque versiculis quadragesimi tertij capitis, nempe à decimo tertio ad decimum septimum holocaustorum ara componitur.

Porro ea est libri distributio, vt quinque & sexaginta Capita explicent quadragesimum primum Ezechielis, & considerent artificium ac sapientiam interioris aedis primum, deinde locum, qui appellatus est Sancta cum ianua, postibus, ornamentis, longitudine, latitudine, Oraculum autem cum valuis, parietibus, mensuris, loco in atrijs medio, postea partem domus exteriorem, latera, costas, cubicula, cochleas, trium tabulatorum artificium & altitudinem, plateam quoque cingentem vndique domum, precationis recessum, fenestras, ornatumque interioris Templi. Nec inibi omissum est, aut effecta Cherubim multiplici facie (id quod Sanctissimi doctissimique Ecclesiae Doctores obseruauerunt) meditari iterum, quod Pater Pradus fecerat primo tomo, aut explorare antepagmenta, epistylia, thuris vel incensi altare, cuius vestigarentur mensurae, anguli, materies, locus in Templo, & Tabernaculo, indita mensae appellatio, aut denique discurrere mensam panum ijsdem semper mensuris constitutam cum sua materia, vectibus, panibus, vasis, & eorum numero. Examinatur insuper candelabri nomen, materies, opus, hastile, calami, scyphi, spherulae, lilia, lucernae, oleum. Tum valuae Templi cum ornatibus, tum parastatae cum capitellis exterius vndique coronantibus domum. Quinque deinde Capita vsque ad septuagesimum consistunt in Ezechielis Capite quadragesimo secundo, ac designant gazophylacia Sanctorum, ac triplicem Templi contignationem, & superiorum columnarum retractiones. Quatuor quae sequuntur ad septuagesimum quartum Caput Prophetae interpretantur sextum & quadragesimum de Sanctorum culinis, & populi, de harum focis, de cryptoporticibus Templi, de castellis, ipsis angulis eminentibus, de atriorum forma, de structurae mensuris. Reliqua demum vsque ad octogesimum quartum, Prophetae tertium & quadragesimum caput consectantur, de altaris holocaustorum figura, caelesti igne, dispositione, mensuris, partibus, gradibus ad Orientem conuersis, de nefario Idololatriae genere, quod interdixit Deus, dum ad altare per gradus ascendere vetuit, de craticula, arula, aere fusili, eius pondere: quae suis etiam, vbi opus fuit, aeneis imaginibus exprimuntur.

Et quanquam libris, quos diximus, quantum potuimus, exposueramus locos, quibus de Templo agit Ezechiel, & quae sparsa erant in alijs sacrarum literarum historijs, eodem retuleramus; superabant tamen complura huic notitiae conficiendae necessaria, quae in quinto libro collocauimus, adhibito ex insigni commendatione titulo, DE GLORIA TEMPLI.

Hunc

Hunc librum in Capita septuaginta duo, & quatuor disputationes diuisimus. Primam statuimus DE TEMPLI ARCHITECTVRA, vbi enucleatius perpenduntur proportiones ac mensurae partium Templi, & columnatum moles, altitudo, contractio, adiectio, striae, item domus Saltus Libani, vnde perfectius cognoscatur Salomonis, aut Dei potius Architectatio, ac diuinae aedis intima & extima altitudo in membris singulis, ac testudines, quibus concamerabantur Sancta, & Sancta Sanctorum, factae etiam symmetriae omnes, & zophorus cum triglyphis suis, & corona cum malogranatis ac retibus, denique capitella, & bases columnarum. Secunda disputatio DE ADMIRANDIS TEMPLI instituta est: vbi post verba facta de Architecto, & operarijs, narrantur fabricae huius proportiones non temeritatem & casum prae se ferentes, sed consilium summum, instar conditae vniuersitatis; ac referentes Castra Israel, humani corporis tabernaculum, atque in primis ortum è Christo corpus, nempe Ecclesiam: iidemque declaratur ibidem, aut indicatur potius, quidnam denotent partes Templi nonnullae. Tertiam addidimus disputationem DE TEMPLI OPIBVS, videlicet de vasis, aut instrumentis aeneis, de altari, mari, conchis, basibus, ac de metallo, quo Templum omne contectum est; necnon de alijs vasis ex auro & aere: insuper de Templi sumptibus, vbi fidem conciliare conamur thesaurorum immensitati, quae è sacris scriptis colligitur fere supra hominum fidem: exponimus redditus annuos Salomonis post hominum memoriam maximos, populos eius ditioni subiectos recensemus, quidque de tanta pecuniarum vi factum sit, inuestigamus. Quarta demum disputatio DE VERA TEMPLI GLORIA demonstrare nititur illam, quam Aggaeus Propheta patefacere videtur, argumento fuisse ad vnam Christi amplitudinem praesignandam. Eius autem loci initio non poenituit praefigere compendium eorum omnium, quae Salomonici Templi dignitatem aperiant: neque conferre cum opificijs toto terrarum orbe nobilissimis, quae non secus huius vnius amplitudine ac maiestate, quàm Solis immensa luce reliqua sidera superantur. Hae tamen temporariae laudes nullae sunt, si cum aeterno Christi Domini decore componantur; quin imo si quid sunt, atque ab explicantibus nobis si otium, laborem, vitae non parum abstulerunt, debent id eidem Christo: quem generi humano esse perspectum atque haerere in medullis cupimus, & cui nos nostraque omnia consecrauimus. Quod si labor hic noster illi gratus aliqua ex parte fuerit, egregie nobiscum agi putabimus: nam vt plane gratificati simus, vix optare audemus, inscitiae memores nostrae, quae vtinam haud multa peccauerit. Quin etiam ideo quicumque legerit, oramus, vt excuset si qua repererit vitia, cum quicquid scripserimus minus bene, id parati ad corrigendum simus, à quocumque sapienter admoneamur, quod facimus tum ex officio, tum ne videamur peruicaces ijs, qui nos culpae conuicerint. Quod si priuati cuiuslibet saniori iudicio nostrum subdimus; liber sine dubio maxime Christianae subdere Reipublicae, quae falli non potest. quocirca praeter huius arbitrium nihil vspiam dictum volumus aut iudicatum.

INDEX PER CAPITA

eorum omnium, quae hac secunda Tomi secundi parte continentur.

TEMPLVM SALOMONIS AB EZECHIELE descriptum imaginibus exprimendum esse.

LIBER PRIMVS ISAGOGICVS.

DESCRIPTIONVM TEMPLI EXPLICATIO.

LIBER SECVNDVS ISAGOGICVS.

INDEX CAPITVM.

EZECHIELIS PROPHETAE.
Caput Quadragesimum.

ARGVMENTVM.

Atriorum Hierosolymitani Templi mensuras recenset Ezechiel, quas eo deductus in extasi Angelum viderat calamo definientem.

DE TEMPLI ATRIIS, PORTIS, PORTICIBVS.
LIBER TERTIVS.

EZECHIELIS PROPHETAE.
Caput Quadragesimum primum.

ARGVMENTVM.

Templum Domini ingressus Propheta, eius partes ornamenta, mensuras, instrumentaque percenset.

DE PARTIBVS, MENSVRIS, ORNAMENTIS, altari, candelabris, & mensis domus Domini. Necnon de gazophylacijs Sanctorum, atriorumque culinis, castellis, quadrata forma peribolo, & altari.

LIBER QVARTVS.

De co-

IOANNES

IOANNIS BAPTISTAE VILLALPANDI E SOCIETATE IESV

TOMI SECVNDI EXPLANATIONVM PARS SECVNDA

DE EXTREMA VISIONE EZECHIELIS PROPHETAE

TEMPLVM SALOMONIS AB EZECHIELE DESCRIPTVM IMAGINIBVS EXPRIMENDVM ESSE

LIBER PRIMVS ISAGOGICVS.

INSTITVTI NOSTRI DIFFICVLTAS PROPONITVR, ET DIFFICVLTATIS COMMODA.

CAPVT PRIMVM.

ESSE quidem sacras Scripturas intellectu difficiles, haud secus quàm de Pauli Epistolis testatur eius collega Apostolorum princeps Sanctus Petrus, perspicuum est, & ab omnibus fere sacris Scriptoribus confirmatum, atque receptum. Id quod Prophetis maxime, ac psalmis peculiare est, vtpote qui parabolis, aenigmatis, tropis, schematis sermonem contegunt, atque ea, quae omnibus in promptu esse non debent, sapientibus percipienda conseruant. Qua in re principem videtur locum tenere Sanctus Ezechiel, qui cum, prae caeteris, in adytis, facrisque tenebris latuit, tum in hac extrema templi visione in magis recondita penetralia secessit; vt meritò sanè Beatus Hieronymus pronunciarit, occupatus in explicatione templi Ezechielis, quod opus in Scripturis sanctis vel difficillimum est. Hanc porro eandem difficultatem ita attollit in maius, vt vix veritatem intelligentiae consequi se posse tractatione fateatur Fastidioso lectori, inquit, immo omnino perduelli nostra lecturo, illud in explicatione templi tota libertate denuntio, vt si veritatem desiderat, quaerat eam ab alijs, nos autem ea, quae in opere difficillimo possumus suspicari, simpliciter confitemur, atque dictamus, gratias acturi Domino, si non in omnibus, quod impossibile est, sed in plerisque nobis aperuerit fores scientiae Prima enim, vt ait sublimis Orator, quaeque sectari honestum est, honestum est etiam in secundis, tertijsve consistere. Haec Sancti Hieronymi verba sunt, quibus non minus ingenij candorem, animi modestiam, ac veritatis studium exemplis praetulit, quàm illam ipsam, quam probare contendimus, loci difficultatem: neque minus hic exemplo, quàm alias verbo confirmauit, sine eiusmodi praesidijs, animique ornamentis tutum non esse, immo periculosum satis, sacras velle interpretari, aut intelligere scripturas. Quod & alibi exemplo Cryptarum, quae in terrarum profundo defossae Romae conspiciuntur, demonstrat, quarum profundi-

Marginalia: 2. Petr. c. 3. ỳ. 16. — S. Hieron. ad Demetriad. — S. HIERONYMI sententia de difficultate Ezechielis. — E — HVMILITAS sacris Scripturis interpretandis, aut intelligendis necessaria. — In explicat. Ezech. lib. 12.

ta, angustia, & viarum multitudo caecis sepulta tenebris, ac ferme inferorum perfusa caligine, atque silentio, horrorem incutit animis ingredientium. quae omnia ideo à se commemorari inquit sanctissimus vir, vt prudens Lector intelligat, quam habeat sententiam super explicatione templi Dei in Ezechiele, de quo scriptum est: *Nubes & caligo sub pedibus eius.* & rursum: *Tenebrae latibulum eius.* Post pauca vero subdit: Simpliciter igitur est fatendum, me templum Ezechielis, quod saecula cuncta tacuerunt, non temeritate velle disserere, sed fide, & timore Dei coniecturam animi mei cupere legentibus demonstrare. Hanc ipsam animi modestiam alibi etiam magis aperuit idem Sanctus, rationem reddens, ob quam de hac etiam difficili scriptura scribere non dubitauerit. Nam dum longa quadam allegoria Orientalis templi portae mensuras omnes connectere, atque explicare contendisset: Haec, inquit, non friuola videantur esse lectori, licet & mihi ipsi, qui dico, displiceant, sentiens me clausam pulsare ianuam. Sed legenda cum venia sunt, alioqui potui simpliciter ignorantiam confiteri, & omne studiosorum amputare desiderium. Sicut enim à perfecta scientia procul sumus, leuioris culpae arbitramur, saltem parum, quàm omnino nihil dicere. Haec Hieronymus. à quibus non dissentiunt Sancti Gregorij magni, Pontificisque Maximi de eadem re testimonia certissima. Bonis, inquit, vestris desiderijs placuit petere, vt saltem extrema eius visio, quae ei facta est de aedificio in monte constituto, quae & cunctis est visionibus eius obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestrae me parere necesse est, sed duo sunt, quae hac in re perturbant animum meum. Vnum, quod haec eadem visio tantae obscuritatis nebulis regitur, vt vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Et post pauca haec subdit: Obscurum quidem valde est opus, quod aggredimur, sed ponamus in animo quod nocturnum iter agimus: restat ergo, vt hoc palpando carpamus.

S. Gregor. prooem lib. 2 sup Ezech.

S. GREGORIJ *sententia de eadem difficultate.*

Quae omnia sanctorum virorum testimonia duo nobis longe diuersa proponere videntur, quae duos non diuersos modo, sed & oppositos excitare possint affectus: timoris alterum, alterum spei, atque constantiae. Nam quis audeat opus aggredi explicandum, quod longa saecula non tacuisse modo videantur, sed & quodammodo ignorasse? Quis aliquid lucis à nobis adduci speret illis itineribus ac vijs, quae adhuc occlusa, tenebris & caligine visa sunt ipsis clarissimis Ecclesiae luminibus, Hieronymo, Gregorio, atque alijs? Sed quamuis huiusmodi cogitationes, hisque persimiles aliae quamplurimae, animum nostrum ab instituto opere longe deterreant, & susceptum abijcere quodammodo compellant, tamen alia eorundem Sanctorum verba, praeclarissimaque exempla, ac certa consilia in spem nos erigunt, fore, vt eorundem Sanctorum ductu, ac patrocinio viam saltem eruditae posteritati ostendere possimus, quam insistens, omnia haec sanctissimi Ezechielis vaticinia intelligere, ac plene percipere posit. Sciendi namque cupiditatem, quam Deus homini quasi stimulum ad felicitatem, cum vsu mentis, aut cum ipsa natura indidit, exacuit mirum in modum haec ipsa rei magnitudo, dignitas, excellentia, difficultas. Cum

TIMORIS *ac spei argumenta.*

A enim animus tanto aliquid ardentius appetat, quanto illud ad naturam accommodatius, maiorem boni speciem prae se ferat, in sapientiae amorem vix potest non ardentissime ferri, si aliquis emicet summae illius dignitatis, ac pulchritudinis radius, si illa (quod hoc potissimum tempore satis praestat) diuinitatem exerat suam. Et quamuis satis praesidij sit à natura paratum ad hoc ingenij bonum assequendum, nobis tamen, quod in extrema incidimus tempora, satius consultum est; quippe qui alienis etiam studijs, sanctorum potissimum vigilijs, & lucubrationibus parta rerum scientia fruimur, & ad philosophandum, patefacto aliorum laboribus

TEMPVS *hoc scientijs addiscendis magis aptum.*

B aditu, nullo pene negotio ducimur: vt non modo verendum non sit, ne deferuescat, sed sperandum, fore, vt summus ille discendi ardor, quem in se lector à natura excitatum, sapientiae splendore auctum, hoc ipso lectionis exordio sentire se putet, magis, ac magis exardescat.

Quod quidem si in alijs fere omnibus disciplinis, aut scientiarum disputationibus verum est, in vno tamen Ezechiele explicando verum esse credendum est, atque certissimum. Quis enim credat, celeberrimam hanc propheticam visionem, quam diuino spiritu factam certo scimus, ac firmiter credimus, eiusque iussu scriptam, atque Ecclesiae Catholicae traditam,

C diu, multumque obscuritatis, ac difficultatum tegumentis absconditam delitescere potuisse, nedum perpetuo ignorari, & quasi intelligentiae fructu aeternum priuari? *Sapientia enim absconsa,* ait Sapiens, *& thesaurus inuisus, quae vtilitas in vtrisque?* Verum haec ipsa non omnibus temere proponenda est. Qua de re audiendus est in primis Beatus Clemens. Quod autem, inquit, audistis in aurem, abdite scilicet, & in mysterio: nam quae sunt eiusmodi, dicuntur in aurem dici allegorice. Super domos, inquit, praedicate, cum ea praeclare ac magnifice accepissent, sublimique & excelso dicendi genere traderent, & ex regula veritatis Scripturas explanarent. Neque enim prophetia, neque ipse Saluator adeo

ALIQVANdo *explicanda fuit Ezechielis visio Ecclesiae sanctae à Deo tradita.*

Eccles. 20 ℣. 32.

B. Cle Alex. lib. 6. strom.

Matth. 6.

D crasse, & generaliter elocutus est diuina mysteria, vt ea facile capi possent à quibuslibet, sed disseruit in parabolis. De Domino quidem certe dicunt Apostoli, quod omnia locutus est in parabolis, & nihil loquebatur eis sine parabola. Si autem omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: ergo prophetia quoque & lex per ipsum factae sunt in parabolis. Caeterum recta sunt omnia, inquit Scriptura, coram ijs qui intelligunt, hoc est ijs, qui ab ipso declaratam Scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula accipientes conseruant. Regula autem Ecclesiastica est concentus, & consensio legis, & prophetarum conueniente testamento, quod traditur per Domini aduentum. Haec Sanctus Clemens. Quibus sapienter, ac pie nos docet, magna & admiranda Dei maximi myste-

SACRAE *Scripturae aenigmata quamplurima. Mar. 4 ℣. 34*

E ria, sermone etiam grandiori proponenda, cuius intelligentia non omnibus sit in promptu, sed illis tantum, qui digni habiti fuerint, & à Deo edocti. Magna enim Dei opera magna decent verba, magnos auditores, qui & possint perpendere, atque percipere. Occultanda est, inquit idem Clemens, sapientia, quae dicta est in mysterio, quam docuit Dei Filius. Iam enim Esaias quoque Propheta igne linguam purgatur, vt possit dicere visionem: & nec linguam solum, sed etiam aures castas nobis habere conuenit, si conemur fieri veritatis participes. Haec mihi erant impedimento, quo minus scriberem, & vt nunc adhuc vereor, vt ait, ante porcos iacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, & conuersi nos frangant. Est enim difficile de- *Matth. 7.*

vero

vero lumine vere puros & perspicuos ostendere sermones similes & indoctis auditoribus, His enim vix possint apud vulgus vlla magis audiri ridicula: rursus autem apud ingeniosos magis admirabilia, & Deum magis inspirantia. Quae sanè Clementis verba, de omnibus sacris mysterijs in vniuersum dicta sapienter, si perpendantur attentius, huic nostrae prophetiae maximè conuenire iudicabuntur, & sanctissimi Prophetae Ezechielis in eisdem occultandis mentem, ac sapientissimum consilium quasi ob oculos posuisse, vt mirandum non sit, hunc prae alijs omnibus, difficilioribus quibusdam aenigmatis suas fere omnes contexisse sententias.

QVARE Ezechiel visionem suam occultauerit.

Nam quidquid felicitatis, quidquid gloriae, quidquid honoris rudi populo illi, cui primum B scribebat Ezechiel, his omnibus pollicebatur visionibus, id omne in terrestris illius reipublicae, gentis, ac nominis perniciem quodammodo, atque interitum vergebat. Nam quid quaeso aliud hoc huius propheticae visionis aedificium, celsissimo exaedificatum monti, omnibus suis numeris absolutum, atque perfectum, quid eius partes singulae, quid ministri, quid sacrificia, quid vasa aurea, argentea, aerea, quid denique instrumenta omnia, atque ornamenta significant aliud, quam admirandum hoc Christi Seruatoris nostri corpus mysticum? Ecclesiam videlicet Catholicam, quam tamquam sponsam ornatam viro suo vidit Ioannes? Hoc C inquam aedificium, cui fideles omnes, quique olim hospites, & aduenae fueramus, gentes videlicet idolis seruientes, coaedificamur, domestici effecti Dei, ac ciues sanctorum, *superaedificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, vt ait Paulus, *ipso summo angulari lapide Christo IESV*. Quod plane aedificium quamuis admirabile, quamuis magnificum, quamuis gloriosum, quodque ipsos Iudaeos, atque Israelitas minime repellat, sed recipiat, si eidem fidei coaedificari velint, tamen illud vnum consequi videtur, quod hodie quoque manifeste cernimus, quodque maximè timere tunc posse videretur terrenus ille populus, nimirum Hierosolymae perpetua ruina, templi ciD neres, ac cuulsa cum monte cui inerant fundamenta: Israelitici populi dispersio, seruitus, caedes.

Ephes. 2. ℣. 20.

OCCVLtanda fuit prophetia, quae cum Ecclesiae sanctae aedificatione, antiquae portenderet ruinam Synagogae.

Quae omnia, quis non videat prudenter a Propheta abscondita fuisse, ac sub obscurissimis aenigmatum integumentis genti illi meritò proposita, donec, Deo optimo & maximo sic disponente, & Spiritu sancto docente, & suggerente, Ecclesiae sanctae manifesta opportuno tempore fierent? Sunt & alia huiusmodi difficultatum commoda, quae late persequuntur Doctores sacri: ea breui percensere operaepretium duximus. Vtile est, inquit Augustinus, vt E de obscuritatibus diuinarum scripturarum, quas exercitationis nostrae causa Deus esse voluit, multae inueniantur sententiae, cum aliud alij videtur, quae tamen omnes sacrae fidei, doctrinaeque concordant. Et iterum: Sunt, inquit, in scripturis sanctis profunda mysteria, quae ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quaerantur, vt exerceant, ad hoc aperiantur, vt pascant. Haec sunt Sancti Augustini verba, quae non semel retulit.

S. Aug. epist. 59.

In praefat. psal. 140.

SVAVISSIma est difficilium intellectio.

Et sanè suauissimus fructus, qui ex sacrarum scripturarum lectione percipitur, cum è medijs difficultatibus quasi è duro cortice nucleus educitur, incredibili voluptate mentem pascit intelligentis. Alliciunt solertes, piosque indagatores sacrae litterae, respuunt, atque à se A longè repellunt, arrogantes, segnes, rudes, impuros verò vitant, aufugiunt, detestantur.

IMPVROS abhorrent sacrae litterae.

S Dionys. Areop. c. 2. coelest Hierach.

Quapropter diuinus ille Dionysius saepe saepius hoc ipsum inculcat, decere quidem sacra eloquia & signis, atque mysticis arcanis occultari, necnon ab ipsis tractatoribus abscondi. Decentissimum enim, inquit, est, sacram, & abstrusam caelestium spirituum veritatem huiusmodi arcanis velamentis, & sacratissimis signis occultare, & profanae multitudini inuiam ponere. Et iterum: Tu autem o fili, inquit, iuxta quod sancit nostra pijssima, & sacrosancta traditio, & ipse quae sanctè dicuntur, congruè suscipe, piecare, &c. & a profana multitudine inuiolata custodi. Nefas enim est, vt sacra testantur eloquia, spiritualium margaritarum purissimum illud, ac permistionis ignarum, perlucidumque decorem, & ornatum totius venustatis auctorem in porcos abijcere.

Ibid. in fin. cap.

Tandem haec eadem fere repetens, Christi Domini exemplo confirmat, & quibus, & à quibus explicari conueniat sacras scripturas apertè testatur: nimirum à sacris Sacerdotibus, non ab indocta plebecula, non ab impuris mulierculis, non à sciolis, verbosis, rerumque omnium ignaris haereticorum ministris, vt ipsi sibi arrogant impudenter.

A QVIBVS sunt sacrae litterae explicandae.

Sed verba ipsius Dionysij haec eadem melius explicatura proponere operaepretium duxi. Sunt autem huiusmodi: Sed obserua diligenter ne sancta sanctorum offeras, neue profanis luminibus violanda permittas. Ve- C ram venereberis magis, occultique Dei mysteria spiritalibus, visibilibusque notionibus honorabis, atque intemerata seruabis, nequaquam ea passim rudibus tradens, sed sanctis solis sanctarum rerum intelligentias sacratius pandens: sic enim (vt Theologia nobis suis studiosis cultoribus tradit) ipse quoque IESVS, diuina profectò, atque omni substantia superior mens &c. beatissimis illis spiritibus, & nobis naturali dignitate longe praestantibus, manifestius simul atque spiritualius lucet, eosque pro viribus ad lucis suae similitudinem transfert. Hactenus sunt Dionysij verba, quibus satis superque perspectum esse arbitramur, & quantum deceat sacras scripturas difficiles esse, & quantum hoc pariat emolumenti, & commodi. Superest iam, quò D ordine procedamus, ac methodo, vt impedimenta omnia ad certa capita sequenti capite reuocemus.

S. Dionys. de caelest Hierarch. cap. 1.

VERBIS AC SENSV SVAS CONTEGVNT

Prophetae visiones.

Cap. II.

S. Hier sup. Nahum.

DVPLICEM occultandae veritatis viam tenuisse Prophetas, docet Sanctus Hieronymus, alteram sensu, alteram verbis, quia nimirum res intellectu difficiles difficiliori sermone celabant. Eius haec sunt verba: Scito Scripturam sanctam tot difficultatibus esse contectam, & maxime Prophetas, qui aenigmatis pleni sunt, vt difficultatem sensuum difficultas quoque sermonis inuoluat, vt non facile pateat sanctum canibus, & margaritae porcis, & profana sancta sanctorum. Haec sunt Hieronymi dicta. Ex quibus, si recte liceat ratiocinari, facile intelligemus, hanc vtramque difficultatem, qua mirabili ducti consilio Scriptores sacri sacras inuoluebant scripturas, in illis praecipuè adinueniendam esse, qui prae alijs obscuri, difficilesque haberi voluerunt. Sunt autem Prophetae, vtpote arcana, ineffabiliaque Christi mysteria praeculdentes, merito difficiliores, atque obscuriores. Inter quos, nulli dubium est, nostrum Prophetam primas tenuisse, qui, quamuis alijs etiam locis obscurus sit, initio tamen, & fine suae prophetiae maximè tenebras amat, atque extrema hac potissimum templi visione omni videtur vsus occultandi mysterij artificio. Id quod haud immerito à sapientissimo pariter, ac sanctissimo Propheta factum fuisse intelligemus, si attenta mentis cogitatione perpenderimus causas, quibus impulsus id praestiterit.

PROPHETAE de Christo loquentes difficiliores sunt.

DVPLICI Ezechiel stylo vsus est.

Duplici namque vsus fuisse videtur Ezechiel in tota sua prophetia conscribenda, stylo, altero quidem reliquorum Prophetarum persimili, hoc vno diuerso, quod prae ceteris est & difficilis, & obscurus. Sacerdos enim cum esset, & populi totius quasi pastor, ac parens, captiuitate detentus, ac miserae seruitutis damnis cum populo oppressus, damna expertus, quae aderant, & non minora, quae iamiam imminebant, praesentiens, gemit, plorat, ac lamentatur: atque vt se plorantem populo ostendat, animique sensum verbis aliquo modo exprimat, difficilem se exhibet, ac si fluctuantibus aestuaret verbis, & crebro singultu interruptis. At postquam, diuina benignitate, Prophetae praenunciatum est, futurum vt aliquando conuersus viuificet pene extinctos, atque in libertatem asserat captiuos Deus, & diuitijs, ac gloria magnificè donatos, in patriam eos reducat quasi filios regni, stylum oportuit mutari, & ex difficili difficillimum fieri, ex obscuro, in obscuritatis nebulis (vt magni Gregorij verbis vtar) ita contectum, vt vix in eo aliquid intellectu interlucente videatur. Nam cum rudis ille, ac caecutiens populus, quique spem totam suam, atque animum ita ad sensibilem libertatem, & gloriam adiecerat, vt nihil his maius percipere posset, immo diuinarum rerum maiestate, clarissimoque lumine haud secus obcaecaretur, quam oculus noctuae solis radijs, ac lumine: temperanda igitur lux fuit, & ita conte-

S Gregor. vbi supra.

CAECVTIENTI populo lux fuit temperanda, vt purgatos illustraret oculos, reliquos non obtunderet.

A genda, vt à purgatissimis tantum cerneretur oculis, à reliquis neque cognosci posset, nec sciri, an ibi esset, necne. Quo sapientissimo, salubrique consilio hoc plane consequutus fuisse videtur Propheta, vt lucis, atque intelligentiae viam vndequaque intercluserit, vt nulla fere sui parte aditi posse videatur. Enumerata namque aedificij cuiusdam fabrica, eiusque partium dimensionibus computatis, quasi quodam perpetuo aenigmate visus est. Quod quidem symbolum quàm difficile mente concipiatur ab ijs, qui architecturae praeceptis imbuti non sunt, aut in aedificiorum contemplatione minus sunt exercitati, quotidiana nos docet experientia. Quis
B enim ingenio, quamuis polleat acutissimo, si architectus non sit, audiens magnificentissimi alicuius aedificij dispositionem, materiam, partes, dimensiones, ornamenta, fabricam denique omnem, sibi audeat polliceri, se mente illud aedificium omne posse comprehendere, haud secus quàm si illud oculis saepius lustrasset? quod quidem cum consequi nullus possit, negandum non est, aedificij symbolum difficile ab alijs, quàm ab architectis percipi posse. Accedit huc etiam Vitruuij architectorum principis sententia, discrimen assignans non modicum inter architecti, & reliquorum de extruendo aedificio iudicium. Namque omnes homines, inquit, non so-
C lum architecti, quod est bonum possunt probare: sed inter idiotas, & eos hoc est discrimen, quod idiota, nisi factum viderit, non potest scire quid futurum sit: architectus autem simul ac animo constituerit, antequam inceperit, & venustate, & vsu, & decore quale sit futurum, habet definitum. Quibus verbis aperte indicat Vitruuius, quam difficile sit ijs, qui minùs architectandi scientia edocti, eiusque praeceptionibus assueti sunt, aedificium, quod oculis contueri non possunt quale aut fuerit, aut futurum sit, mente animoque comprehendere. Quae etiam causa fuit, cur antiquis illis Hebraeis non magis fuerit haec Ezechielis visio perspecta, quam Doctoribus nostris: quamuis Hierosolymitani templi
D forma, cuius hic fit mentio, dignitas, & ornamenta, ipsis, vtpote aetate vicinioribus, magis potuerint esse perspicua; praesertim cum maioribus suis, qui illa viderunt, atque scripserunt, moribus, lingua, & lege simillimi adhuc essent. Verum cum hoc argumentum pluribus sit infra pertractandum, hac prima difficultatis causa hic tantum insinuata, ad secundam accedamus, quae in verbis, dicendique modo sita est.

IVDICIVM architecti, & idiotae longe diuersum. *Vitru. lib. 6. cap. 11.*

QVARE Hebraeis ipsis, qui templum viderant, difficilis fuerit haec prophetia, non minus quam nostris.

Verborum quidem & phrasis, qua haec Ezechielis visio scripta est, difficultatem vix verbis exprimere audemus, neque alia ratione melius posse cognosci putamus, quàm ipsa experientia teste. at vna haec coniectura aliqua
E ex parte poterit a lectore perpendi, quòd quae nobis duplex est, & pluribus inuoluta impedimentis, antiquis Hebraeis simplex fuit, & ea quam facile superare potuissent; non tamen propterea illam superarunt, nec quidquam de visione hac scripserunt, quod eam aliqua ratione illustraret. Verborum autem difficultatem simplicem illis fuisse, nobis autem duplicem, ostendendum nunc est. Et quidem tota haec difficultas ex praecedenti originem ducere videtur. Nam cum visio haec, vt dixi, de quodam aedificio, eiusque partibus loquatur, non alijs verbis explicari potuit, quàm aedificatoriae artis proprijs, quae sunt a communi vsu

SECVNDA difficultas, verborum, ac phrasis.

VERBORVM difficultas duplex.

tis vsu

ni vsu pene semota. Quam planè difficultatem, & in explicandis architecturae praeceptis, sensisse se profitetur Vitruuius, dum sua studia, cum historiae, aut poematum scribendorum comparat facilitate, legendorumque suauitate. sic enim scribit: Id autem in Architecturae conscriptionibus non potest fieri, quod vocabula ex artis propria necessitate concepta in consueto sermone obijciant sensibus obscuritatem. Cum ea ergo per se non sint aperta, nec pateant eorum in consuetudine nomina &c. Hanc verò obscuri sermonis rationem ita exaggerat deinceps Vitruuius, vt voces ipsas non minus quam praecepta explicanda suscipiat, quo intelligi queant. Quòd si cui huius & rationis, & auctoritatis momenta leuiora fortasse videantur, quam quae tantam animis audientium, vel legentium, cum proprio idiomate aedificium aliquod describitur, afferre possint obscuritatem, is audiat, quaeso, artifices, vel fabros quoslibet inter se loquentes, materna etiam lingua, quae suae artis sunt praecepta, instrumenta, atque id genus alia: audiat aedificatorem, aut sutorem, similia suae artis instrumenta, aut munera referentem; numquid ea, quae referunt, percipiet omnia? Quod si his adhuc exemplis non moueatur, ingrediatur obsecro artificum officinas, & singulorum instrumentorum propria percontetur nomina, & voces, quibus singula artificia distinguuntur, & tunc fateatur necesse est, difficiliores, & a communi vsu loquendi voces eas magis esse alienas, quàm alterius cuiusuis idiomatis, aut saeculis, aut locorum spatijs prope infinitis, quamuis longè sepositi. Neque vero quisquam aliquid aut intellectu facilius, aut explicatu breuius sibi praesumat de architectura, ciusque aut instrumentorum, aut exstruendarum aedificij partium vocibus, cùm plurimarum artium opera ab vna architectura, vti à principe populus, dirigantur, probentur, perficiantur. quapropter earum omnium vocibus instructam esse oportet Architecturam, atque alijs multis ab eius auctoribus excogitatis. Iam verò si quis attentè perpendat, & conferat, facile Vitruuij, vt ita dicam, lucem, & prophetae noctem deprehendet. Architectus namque suae disciplinae finibus contentus, aedificia quomodo construenda sint, docere volens ignaros, via quadam, ac methodo progrediatur necesse est, ita vt singulas partes, earumque nomina, vsus, dimensiones, ac reliqua ordine quodam explicet, nihil praetermittendo eorum, quae ad perspicuam, & plenam totius aedificij cognitionem facere posse videantur: at contra Propheta, omnium disciplinarum, atque totius scientiae fines transcendens, vtpote diuina edoctus sapientia, non tam aedificium explicare conatur, quàm eius multiplici, ac varia commensuratione, quasi quibusdam symbolis contegere arcana Dei, & ineffabilia sacramenta, ne videlicet ab alijs, quàm à purgatis mentibus, eodemque diuino spiritu illustratis, aut indignè tractari, aut non pro meritis aestimari possint. Quapropter mirandum non est, si Prophetae verba ab ipsis suis contribulibus difficilius multo intelligerentur, quàm a Latinis possent Vitruuij verba de aedificijs loquentia cognosci. Quae sanè res mentis oculis iam pridem obiecta parum absuit, quin me omnino ab incepto itinere reuocaret, metuentem scilicet, ne immensos propemodum

Vitr. praef. lib. 5.

VERBA IN architectura non minus explicanda, quam res.

VOCABVLA artis prae alterius idiomatis vocibus sunt difficilia.

ARCHITEctura inter artes quasi in populo princeps.

HVIVS visionis finis.

AB HEbraeis non intelligitur Ezechiel, & quare

DIFFICVLtas explicandi visionem hanc.

A laborum sumptus sine vlla fructus, aut gratiae spe profundere viderer, cùm quòd animorum nostrorum conceptus, immaturosue foetus perfecturum desperarem, tum quòd etiam, si vtcumque eos vellem proponere, quomodo legentium mentibus exponerem, vix suppeteret. De aedificio namque apud Theologos sacrarum litterarum studiosos accuratissime iuxta Prophetae ductum locuturus, nulla alia licebat adhibere verba, quàm aedificantium, quae sanè verba, quoniam de sacris fabricis sacrorum more tractanda essent, vix ab ipsis architectis percipi, à Theologis ne vix quidem intelligi possent. Et quod ad architectos spectat, eos appello, qui verè sunt: nam alios quamuis archite-
B ctorum nomen, & vices gerant, nec erudire cupimus, neque ab eis percipi, aut iudicari curamus, quorum iudicia à Theologis ipsis maximè cauenda esse monemus. His igitur praetermissis, quibus nihil persuaderi posse speramus, sed neque cum illis rationibus disceptandum esse putamus, cùm, quae dicturi sumus, omnia ratiocinationibus, auctoritate, aut saltem coniecturis probaturi simus, eos nostrarum lucubrationum lectores, siue etiam censores, aut iudices exoptamus, qui libera mentis ratiocinatione pollent, & assidua exercitatione rationibus assentiri consueuerunt. Quibus hoc vnum profitemur, laborasse nos diu, multumque, non modò vt rem difficilem, obscuram, & plurium saeculo-
C rum silentio pene obrutam, non modò explicare pro viribus conaremur, verùm etiam vt facili methodo, stylo temperato, breuiter ac dilucide cuncta proponeremus: ita vt non architectis modo (quamuis multa de eorum penu desumenda sint) verùm etiam Theologis ipsis esse possint cognita atque perspecta: hac vna dumtaxat lege, & conditione proposita, vt animi vires lectioni huic intendant, ac firma deliberatione constituant rem totam comprehendere. Non enim existimare debet prudens lector, se quidquam posse fructus, aut commodi ex hac nostri huius tractatus lectione percipere, si succisiuis tantum horis, cursim, aut oscitanter legat. Rem difficilem aggredimur pertractandam, plurium
D annorum defatigatione paratam, quamque exhibere ita nequiuimus, vt sine labore, solertiaue legi, aut cum fructu percipi possit. Nec, si potuissemus, eam omnibus sine labore percipiendam proponeremus, tum quod gnaros, solertesque iuuare contendimus, desides a longè ostensa veritate incitare, atque ad laborem suscipiendum commouere: tum vel maximè, quòd vix crederemur Prophetae instituto satis fecisse, si quod ille voluit tot difficultatibus manere contectum, nos omnibus sine delectu pateremur esse perspectum. Fuisse autem hanc Prophetae mentem, confirmat Clemens Alexandrinus, id de omnibus sacris Scripturis affirmans, quod de vno Ezechiele nos dicimus.
E Propter multas, inquit, causas occultant Scripturae sententiam. Primum quidem, vt diligenter inquiramus, & semper vigilemus in inueniendis salutaribus orationibus. Praeterea ne omnibus quidem conueniebat hominibus intelligeres ne laederentur aliter accipientes ea, quae a sancto Spiritu dicta sunt salutariter. Haec ille. Nos verò non aliam ob causam hanc existimandi sumus assumpsisse explicandae difficultatis prouinciam, quàm vt lectorem hortaremur, vt attenta mentis co-

ARCHITEcti qui sint adhibendi

QVOS cupiat habere lectores hic liber.

QVOMODO legendus liber.

B. Clem. Alex. lib. 6 strom.

OCCVLtantur sacrae Scripturae plures ob causas

tis cogitatione haec perlegat, ni velit & nostram, & suam operam sibi perdere: immo verò suam; nostram enim, si qua est, illis integram seruari permittet, qui nihil arduum sine magno labore parari & sciunt, & probant. Hos vero ad eiusmodi labores libenti animo subeundos hortabimur: quos maiori cum suauitate percipiendos esse putamus, cum primùm dignitatem, quam vna propheticarum vocum difficultas scriptori pariat, sequenti capite recensuerimus.

VERSIONES

VARIAE DIFFICVLTATEM *sacris afferunt Scripturis: eae tamen maximam pariunt vulgatae nostrae auctoritatem, & dignitatem.*

Caput III.

QVANTVM sacrae Scripturae intelligendae difficultatis attulerit dictionum varietas, sermonumque, quibus conscripta est, disparitas, cuilibet in ipsius lectione vel mediocriter versato, in promptu esse poterit, atque perspectum. Sed quoniam eam explicantes, lucem aliquam huic nostrae disputationi afferre posse speramus, quid ea de re doctissimi viri sentiant, sanctissimique Scripturarum interpretes tradiderint, breuiter perstringere decreuimus. Et in primis, quantum ab his nostris distet Hebraeorum sermo, quo primùm editae fuerunt Scripturae, indicat Clemens Alexandrinus: Habet autem, inquit, alias quoque proprietates sermo Hebraeus, sicut etiam vnusquisque ex reliquis continens quandam orationem, quae gentis ostendit stylum, & figuram. Definiunt itaque sermonem, dictionemque, quae gentis stylo, ac figura conficitur. sed non illis sermonibus nota est prophetia. Graecis enim quae troporum vocantur mutationes, de industria celant, deductae ad similitudinem earum, quae sunt apud nos prophetiarum. Verum ostenditur tropus esse voluntaria a recto declinatio, quae fit, vel versu, vel soluta dictione. Est certe tropus, dictio transcripta a proprio ad non proprium compositionis causa, & propter rectum vsum dictionis, quae est in oratione. Propheta autem minime vtitur figuris in dictionibus propter ornatum orationis. Eo autem quod non fit omnium, multis occultae veritatem. Negat itaque Clemens, tropos propheticae orationi ad ornatum exhiberi, cùm confirmet, tropis, alijsque modis quamplurimis veritatem ab ea occultari. Eius rei adducit argumentum, dici quidem prophetiam a barbara philosophia prouerbium, parabolam, aenigma, sapientiam. Deinde verò probat, multis generationibus Hebraea voce posteriores fuisse linguas, quae sunt apud Graecos. Atque his pro-

Clem Alex. lib 6. strom.

QVANTVM à nostris versionibus distet sermo Hebraeus *διάλεκτος*.

QVID SIT tropus.

A BARBARIS dicitur prophetia prouerbium, parabola, aenigma, sapientia.

A cul dubio posteriores multo fuerunt Latinae, quibus nobis sacrae litterae loquuntur. Sed & Beatus Augustinus, superbiae, atque elationis dignam fuisse poenam, confirmat, vt homines impij non solum animos, sed etiam voces dissonas habere meruerint. Ex quo factum est, inquit, vt etiam scriptura diuina, qua tantis morbis humanarum voluntarum subuenitur, ab vna lingua profecta, quae opportune potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longè, lateque diffusa, innotesceret gentibus ad salutem, quam legentes, nihil aliud appetunt, quàm cogitationes, voluntatemque illorum, a quibus conscripta est, inuenire, & per illas voluntatem Dei, secundum quam tales
B homines locutos esse credimus. Sed multis, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, quid vel falso suspicentur, non inueniunt: ita obscurè quaedam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facile inuestigata plerumque vilescunt. Piè quidem, ac sapienter sanctissimus Doctor difficultates omnes, quae ex conuersione Scripturae, in alienam linguam oriantur, Dei optimi infinita sapientia, admirabilique prouidentia disponente, contigisse confirmat, vt piorum ingenia exciten-
C tur, acuantur, recreentur, haereticorum superbia detumescat, confundatur, pereat. Ex quo planè liquet, peregrinas voces, alienique sermonis phrases Latinae nostrae versioni permixtas, sicut olim Graecae, septuaginta Interpretum, non eorundem interpretum vitio, aut ignorationi tribuendas esse (vt insulsè satis, atque imperitè opponunt peruersi homines) sed maturo quodam, sapientique consilio, ne facilè haereticorum dentibus proterantur sacrae litterae, & sacrilego ausu, imporis vulgi manibus, oculis, linguae profanandae tradantur, ad cuiuscumque etiam imperitissimi sermonis normam detorquendae.

Meritò sanè idem Beatus Augustinus, pere-
D grinas linguas sacrae Scripturae studiosis addiscendas esse, concedit; sed ea id quidem ratione, vt decet ad Latinam linguam confirmandam, non verò ad nouas quasdam a quocumque componendas; neque vt disceptationibus, varijsque contentionibus aditus aperiatur. Eius verba subiungam, quae breuissimè consilium illius indicent, quod sibi semper proponere debet ante oculos sacrarum lector Scripturarum, vt huiusmodi munitus praesidijs impedimenta illa maxima, quae ab initio proposuimus, facilè possit superare. Ea se sic habent. Homo timens Deum, voluntatem eius in Scripturis sanctis diligenter inquirit. Et ne amet certamina pietate mansuetus, praemunitus etiam scientia
E linguarum, ne in verbis, locutionibusque haereat; praemunitur etiam cognitione quarundam rerum necessariarum, ne vim, naturamue earum, quae propter similitudinem adhibentur, ignoret. Duplici igitur ignoratione praepediri maximè eos indicat Sanctus Augustinus, qui sacras cupiunt Scripturas, atque in eis diuinam cognoscere veritatem, ac voluntatem, rerum videlicet earum, quae propter similitudinem

B. Aug. lib. 2. de doct. Christian. c. 5.

VOCES DISsonae elationis poena.

QVID INtendant sacram Scripturam legentes.

LABOR IN addiscendis Scripturis superbiam domat.

NON DECET sacras Scripturas quocumque idiomate vulgari.

NON DECET vulgari lingua sacras Scripturas edi.

S. Aug. lib. 3. de doc. Christ. c. 1.

SACRARVM Scripturarum lector, qualis esse debeat.

dinem adhibentur, altera, altera vocum, quibus eiusmodi res, aut aliae quaecumque indicantur. Vtramque ignorationem indicat Isaias, eaque complectendum Iudaicum populum praedicit, mirabili qnadam allegoria proposita illis verbis. *Et erit vobis visio omnium*, visio omnis legit Foreirus, neque ab re, *sicut verba libri signati: quam cùm dederit scienti litteras, dicet, lege istum: & respondebit: non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei, lege: & respondebit, nescio litteras.* Cuius loci sensum sic eruit Hilarius: Imperitia legendi, & intelligendi librum prophetiae sub persona vtriusque hominis monstrata est: cum intelligentia docti ad legendum signaculum clausi mysterij non adeuntis, illius indocti ignorationi, per communem vtriusque intelligendi inopiam, comparatur. Sunt enim vniuersa allegoricis, & typicis contexta virtutibus, per quae omnia vnigeniti Dei Filij in corpore & gignendi, & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in aeternum, conglorificatis sibi, qui in eum crediderint, regnandi, & ceteros iudicandi sacramenta panduntur. Haec sunt Hilarij verba, quibus litterarum scientiam litterali Scripturae intelligentiae comparat, aliamque longè superiorem a Christo Domino datam nobis intelligentiam putat, per quam eiusdem Christi mysteria intelligantur, quam merito verborum, ac rerum intelligentiam appellare possumus: earumque inopiam, rerum ignorationem, aut verborum. In quo Hilarij testimonio vox *gignendi* passiue sumitur, vt apud Iustinum historicum: Athaenas quoque erudiendi gratia missus. Sed & Clemens Alexandrinus hanc eandem duplicem intelligentiam eodem plane Isaiae testimonio interpretatur, quem illustrat planè quodam apposito Graecorum symbolo, aut hieroglyphico. Hermae namque fingebant in visione apparuisse potestatem, dedisseque ei librum legendum, quem voluit annunciari electis. Eum autem, inquiunt, transcripsit ad litteram, cùm non inueniret quomodo finiret syllabas. significabat autem, inquit Clemens, litteram esse omnibus claram, si in nuda lectione accipiatur, & hanc esse fidem, quae obtinet locum elementorum. Quocirca, quae est ad litteram lectio, suscipit etiam allegoriam. Scripturarum autem ex cognitione explicationem, fide iam proficiente, assimilari ei, quae fit per syllabas, lectioni, accipimus. Quin etiam iubetur Isaias Propheta, nouo libro accepto, in eo scribere sanctam quandam postea futuram cognitionem, per Scripturarum expositionem, prophetico prædicendo spiritu eam, quae illo tempore erat adhuc non scripta, propterea quod nondum cognosceretur. Dictum enim fuerat ab initio ijs solis, qui intelligunt. Iam verò cùm Apostolos docuerit Seruator, scriptae, non scripta nobis traditur traditio. Discrimen assignat maximum Clemens inter antiquos Prophetas, & Apostolos, inter illos, qui Prophetas audierunt, & nos, qui doctrina imbuimur Apostolica. Prophetiae namque Prophetis olim manifestabantur, vt ab ipsis tantummodo intelligerentur, denegata illis quodammodo potestate illas explicandi: quoniam tunc scribendae tantummodo erant, & obsignandae; vt Christo Domino, qui habet scientiae clauem, asseruarentur aperiendae. Iam verò, adueniente Christo, & sensum aperiente Apostolis, *vt intelligerent scripturas*, & facultate illis data, vt alijs quoque eas aperirent, quae nondum scripta erat, nobis per manus traditur intelligentia. Haec autem quae in vniuersum dicta videntur, breui resumenda sunt, priusquam ad ea, quae instituti nostri sunt propria, applicentur.

Isai. 29. ℣. 11 & 12.

Foreirus in Isai.

B. Hilar. prologo psalmor.

SENSVS litteralis, ac mysticus.

Iust. lib. 15. histo.

B. Cle. Alex. lib. 6 strom.

SENSVS duplex elementis, ac syllabis comparatur.

DISCRIMEN inter Prophetas, & Apostolos, & eos, qui hos, vel illos audierunt.

Luc. 29 ℣. 45.

Duplici scientia praeditos oportet esse eos, qui Scripturas intelligere desiderant: vtramque diuersa ratione explicant, quos protulimus Doctores sancti. elementorum, & syllabarum notioni eas comparat Clemens: sicut enim legere nulla ratione potest is, qui aut litteras primaque ignorat elementa scripturae, aut is, qui nescit ex elementis syllabas componere: sic Scripturas sacras nulla ratione intelliget is, qui aut vocum ipsarum, quem vocant litteralem sensum ignorat, aut ea non nouerit, quae vocibus indicata aliquid aliud praeterea significant. Hoc idem peritiam legendi, & intelligendi vocat Hilarius. Propheta vero Isaias peritiam legendi, eiusque oppositum litterarum ignorationem vocat: signatum verò librum dicit esse ei, qui veram rerum notionem ignorat. Iam verò, si in Ezechielis visionem mentis oculos intendamus, quae de obsignato libro dicuntur, faciliùs proposito eiusdem exemplo intelligentur. Obsignatus namque liber est, vtpote qui mysteria contineat Christi, quae nulli nisi per Christum perspecta esse potuerunt. pluribus autem sigillis signatus est, vtpote qui recensitis omnibus difficultatibus, alijsque mox referendis, infinitisque propemodum alijs, a quibus consultò abstinemus, ne velle videamur terrere lectorem, inuolutus est, & à communi hominum intelligentia sepositus. quapropter sciens litteras, sermonemque tenens Hebraeum, quo primùm scriptus est liber, eum legere se posse negabit, quia signatus est: litterarum vero ignarus, multo minus legere poterit librum, à cuius lectione non minus ignoratione arcetur, quàm sigillis, scripturam omnem concludentibus. Neque hac tantùm ratione, quae cum alijs quoque Scripturae sanctae libris communis est, signatus est liber hic, sed árctiori alia, ac propria. Nam si scienti litteras, hoc est, ijs, qui per IESVM Christum Dominum nostrum edocti sunt, aliasque norunt sacras litteras, in manus detur, & vt legant praecipiatur, merito dicent se non posse: signatus est enim. Quod si Christiani legere nondum possunt, quid poterunt imperitissimi Hebraei, qui summa rerum ignoratione non minùs quàm ipsius Scripturae difficultate, à vera repelluntur intelligendi facultate? Iactent quamuis Hebraei, se veram retinere lectionem, originemque Hebraici sermonis percipere posse: oblatrent quamuis haeretici, & impiè non minùs quàm petulanter obmurmurent, nostram vulgatam lectionem esse corruptam, & à veritatis Hebraicae consensu alienam: manifesta tamen ratione hoc nostro qualicumque libello ostensuros nos esse speramus, vulgatae nostrae lectionis auctoritatem, ac dignitatem, mirumque linguarum omnium in eundem Christum digito praemonstrandum consensum, ac tandem quantis, quamque insuperabilibus difficultatibus detineantur, ne huius libri arcana, sanctaque sanctorum adyta penetrare possint, aut Hebraei, qui Christum omnino negant; aut haeretici,

LEGERE & intelligere quid sit.

EZECHIELIS propheta obsignatus liber.

QVIS sciens litteras, quis nesciens dicatur.

VVLGATAE editionis defensio, ac dignitas.

tici, qui eius diuinam naturam, firmam veritatem, perpetuo duraturam in terris potestatem negare non desinunt. Nam praeter hoc vnum omnium maximum ignorati Christi impedimentum, quod est illorum proprium, duplex aliud nobiscum illis commune obstat, quo minus visionem hanc Ezechielis intelligere possint quod vtrumque disertè, vt cetera, nobis ostendit relatus Augustinus: primum vetustissimarum linguarum imperitia, qua voces possint, earumque notiones plenè percipere: alterum est, rerum necessariarum ignoratio, ex quibus similitudines in Scripturis petuntur. Quod quidem vtrumque impedimentum maximum esse, in vna hac Ezechielis visione comperimus, res enim, de quibus similitudines petuntur, immo vero de quibus perpetuus esse videtur allegoricus sermo, ad aedificium quoddam, vt dixi, spectant, quae quàm difficile percipiantur, nemo non videt: idque magis adhuc experietur, cum totam visionem, eiusque explicationem, & hos de ea commentarios legerit.

DVPLEX obstat Iudaeis impedimentum, verborum, & rerum ignoratio.

Quòd verò ad voces spectat, cùm, vt dixi, & amplius ostendam, ferè omnes ex aedificatoria arte, cuius sunt propriae, desumantur, vix, ac ne vix quidem percipi posse videantur. Huiusmodi autem voces ad duo potissimum capita reuocari possunt: quaedam enim ex illis Hebraicae, vel in Graeca, vel in Latina versione retinentur, quòd nulla ratione posse viderentur in aliam linguam transferri: quae quidem voces tam multae sunt in hac visione, vt, cùm passim lectori occurrere possint, superuacaneum duxerim in afferendis exemplis detineri: aliae verò voces Hebraeae sunt a communi loquendi Latinorum aut Graecorum more ita alienae, vt in horum voces conuersae, vix explicari posse videantur. Huius rei locupletissimus testis est Sanctus Hieronymus, idemque interpres: qui de prioribus sic scribit: Et diligentem & studiosum lectorem admonendum puto (si tamen scientia Scripturarum, & non vanis Oratorum declamationibus ducitur) vt sciat omnia prope verba Hebraica & nomina, quae in Graeca & Latina translatione sunt posita, nimia vetustate corrupta, scriptorumque vitio deprauata, & dum de inemendatis describuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, immo nullius gentis, dum & Hebraea esse desierunt, & aliena esse non coeperunt. Haec sunt Hieronymi verba, quae facile indicant, toties diuinatoris munus subeundum esse, non interpretis, quoties huiusmodi occurrent voces, praesertim cum vix pateat ad ipsos Hebraicos fontes recursus: propterea quòd inde manantes riui ita sint turbidi, vt ipsam, quam ducunt, non referant originem. De alio insuper vocum genere sententiam quoque tulit idem Hieronymus: nam cùm plures Hebraicas Graecasque voces sibi mutuo non respondentes congessisset, subdit: Haec fastidioso Lectori scio molesta fore, sed volui breuiter ostendere, quantum, temporis longitudine, immo scriptorum vitio, &, vt apertius loquar, imperitia, ab Hebraica veritate discrepet antiqua translatio: praecipueque in Hebraeis nominibus, quae nos de aliorum editionibus in Latinum sermonem expressimus, non tam explanationem dictionum, quam suspicionem nostram simpliciter indicantes. Hactenus ex Hieronymo, cuius licet humilitatem, animique modestiam aspicere: qui cum apprimè nosset Hebraicae, Graecae, & Latinae linguae propriam phrasim, & aptissimè ex vna in aliam linguam omnia transtulisset, quasi nihil magnum de se sentiens, coniecturam potiùs animi sui, quàm veram interpretationem se reddidisse profitetur. Sed diuinam potius & sapientiam, & erga Ecclesiam sanctam paternam prouidentiam admirari licet, quae omnem Scripturam sacram, ac singula pene huius prophetiae verba ad amussim interpretari fecit, ipso fere interprete nesciente. Id quod tum ex capitum Ezechielis afferendis explicationibus constare poterit, tum vel maximè ex consona totius aedificij, eiusque singularum partium commensuratione, quae non alteri posset congruere aut scripturae, aut verborum compositioni. Ex quo planè liquet, quàm sit probandum, admirabile sacri Concilij Tridentini decretum, quo statuitur, hanc veterem Vulgatam editionem, quae longo tot saeculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, vbique pro authentica habendam esse: quamque sit detestanda Caluini aliorumque haereticorum audacia, rerum ignoratione referta, qui *quaecumque quidem ignorant, blasphemant*, & in Vulgatam nostram editionem impunè se debacchari posse arbitrantur, Rabbinicis quibusdam nullius momenti innixi interpretationibus, vel potius Scripturae sacrae, aut etiam ipsius Hebraicae linguae corruptelis. Sed hoc aliorum est institutum: nobis enim insinuanda obiter videbantur ea, quae ab hostium incursibus sacras Scripturas veritatis fundamenta vindicare possent.

VOCES nostrae versionis aliae adhuc permanent ex Hebraea, aliae ita in Latinorum conuersae, vt vix priores referant

S. Hieron. sup. Ezech. 40. ℣. 5.

VOCES Hebraicae, in Graeca Latinaue translatione.

S. Hieron. ibid. ℣. 16.

S. HIERONYMI modestia.

A

VVLGATAE Latinae dignitas & certitudo confirmatur.

Concil. Trid. sess. 4.

B

Epistola Catholica B. Iudae Apost. ℣. 10.

C Illud vnum extremo hoc capite praetermittendum non est, quod ad huiusmodi difficultates omnes superandas spectare videtur: tunc enim prophetae mentem, & vel obscurissimae prophetiae veram intelligentiam consecutos nos fuisse meritò existimabimus, cum beati Clementis regulam, quam supra retulimus, quamque ipse ecclesiasticam vocat, rectè obseruauerimus, consensionem videlicet legis, & prophetarum cum testamento Christi. Eandem porrò regulam tradit, ac magis explicat Clemens alter Pontifex maximus constitutiones scribens Apostolicas, in quibus Episcopum instruens: Sit, inquit, multus in lectione, vt Scripturas accurate interpretetur, Euangelium vt prophetis & legi consonet, legem & prophetas, vt Euangelio.

TVNC DIFficilem prophetiam nos intellexisse putabimus, cum ea Euangelio maxime congruere ostendetur.

S. Clem. Rom. Apost. const. lib. 2. cap. 5.

D Haec est Apostolica constitutio, quam ipsis Euangelicis Dominicisque praeceptis confirmat idem Clemens. Hanc nos viae ducem sequimur praeeuntem, obscurissimae noctis clarissimam facem; id vnum ob oculos semper habentes, non modo vt Euangelium prophetis, prophetae legi, prophetae prophetis, lex legi concordet, verum etiam vt singula penè verba veteris & noui instrumenti ita secum inuicem conueniant, vt non diuersorum scriptorum, longè diuersis temporibus ac locis scribentium, verba videantur, sed vnius eiusdemque dictantis Diuini Spiritus, qui vnus idemque immotus atque immutabilis Deus, vbique semper in aeternitate manet.

CONSENSUS legis & Euangelij difficillimae viae ducem sequimur.

Quae sane res quantum nobis attulerit emo-
E lumenti, non est quod pluribus persequar, cum ipse pius lector in singulis prope difficilioribus locis obseruare possit, nos nullam aliam frequentiorem explicandi iniisse rationem, quàm vt in sacris Scripturis similem alium locum, similia alia verba, aut similem phrasim, vel dicendi modum exquireremus, huncque cum illo conferentes atque explicantes, tunc vtriusque loci sensum percepisse videbamur, cum alter eorum

QVEMMOdum interpretandi Scripturas sequamur.

plenè

S. August. lib. 2. de doctrina Christ. c. 26. 27. 28.

plenè fuit explicatus. Atque hunc esse aptissimum sacras Scripturas interpretandi modum, docemur ab eruditissimo ingeniosissimoque doctore sancto Augustino, qui plura simul eadem voce significari posse contendens, haec verba subdit: Vbi autem apertius ponitur, ibi dicendum est, quomodo in locis intelligatur obscuris. Et post allatum eius rei exemplum, subdit: Quando autem ex eisdem Scripturae verbis non vnum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi lateat quid senserit ille qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati, ex alijs locis sanctarum Scripturarum doceri possit. Ac tandem, cum ratiocinationi interpretis nonnihil tribuisset, statim subiungit: Sed haec consuetudo periculosa est. Per Scripturas enim diuinas multo tutius ambulatur, quas verbis translatis opacatas cum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controuersiam, aut si habet, ex eadem Scriptura vbicumque inuentis, atque adhibitis eius testibus terminetur. Haec est beati Augustini sententia, quam nos in omnibus sequuturos esse profitemur. Sed de difficultatibus iam dicta sufficiant: visionis namque modum, & dignitatem exponendam suscipimus.

DE MVLTIPLICI VISIONE PROPHETARVM,

deque visionis huius dignitate.

Caput IV.

VT facile visionis huius modus ac dignitas ab omnibus percipi possit, operaepretium me facturum existimaui, si prius de visionibus propheticis, earumque multiplici differentia, & modo fusiùs aliquanto disputarem: non illa repetens, quae doctè Pradus huius operis initio praefatus est, sed reliqua subiungens, quae huius visionis argumentum illustratura esse existimaui. Et quoniam ille Prophetas omnes celebri quodam nomine, videntes dici, confirmauit, nos modo prophetias quoque visiones dici ostendemus. Sic enim Isaias suam nuncupat prophetiam, sic Abdias, alijque Prophetae fecerunt. Verùm multiplicem fuisse prophetiam testatur Paulus: *Multifariam*, inquit, *multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Confert Beatus Paulus primis his verbis, quae totius epistolae suae argumentum continere videntur, Euangelium legi, quantumque huic illud sit praeferendum, multis, ijsque grauissimis probat argumentis, quorum primum ex vtriusque ministris desumptum est. Legis namque à Deo latae ministri, legati, interpretesque, fuerunt Prophetae, Euangelij verò nuntius & auctor Christus Filius Dei viui, Deus ipse verus. Cuius rei gratia Prophetarum ministeria qualia fuerint, propositis verbis ostendit. Quae Graecè sic habent: Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως,

Prad. tom. 1. commen. Isagog sec. 1.

PROPHETIAE visiones dicuntur. *Isai. 1. ℣. 1. Abdi. 1. ℣. 1.*

Heb. 1. ℣. 1.

LEX ET Euangelium conferuntur a S. Paulo.

PROPHETARUM ministeria.

A polymeros cae polytropos: quae ab aliquibus sic ad verbum redduntur, multis partibus, multisque modis. Illud vero multis partibus, aliqui exponunt, quasi per partes, alij, ad tempus, locum, personasque varias referendam esse primam vocem existimant, secundam ad varios loquendi modos. Remigius (siue is sit Rhemensis, vt in antiquis codicibus legimus, siue Altisiodorensis, vt aliquae probant coniecturae, & Scriptorum sententiae) sic locum exponit: Primùm, inquit, ponit Prophetas diuersis modis, varijsque locutionibus patribus fuisse locutos, dicens: *Multifariam*, id est, multis locutionibus: *multisque modis*, hoc est, multis qualitatibus

B *olim*, in praeterito videlicet tempore loquens Deus Pater per Prophetas, patribus nostris, *nouissimè diebus istis*, vltimae aetatis, *locutus est nobis* per Filium. Dicendo autem, locutus est *in Prophetis & in Filio*, tantundem valet, quasi diceret, per Prophetas, & per Filium, &c. Considerandum ergo, inquit, est, quomodo multis locutionibus, multisque qualitatibus locutus sit Deus Pater patribus veteris Testamenti. Multis locutionibus, multisque qualitatibus locutus eis est, quia non semper vniformiter secreta sua eis reuelauit: aliquando enim aperte, &c. Haec est Remigij interpretatio, textui satis conueniens, qui Prophetarum

C munus illis verbis contineri putat, & modum quo eis Deus sua reuelare consueuit mysteria. Singula verba explicat Beatus Theodoretus, qui mentem quoque Apostoli assecutus videtur. *Multifariam*, inquit, omnis generis dispensationes, & oeconomias, seu diuinas rationes & consilia significat: hoc vero, *multis modis*, diuinarum visionum & apparitionum differentiam. Aliter enim visus est Abrahae, aliter Moysi, & aliter Heliae, & aliter Micheae. Quin etiam Esaias, & Daniel, & Ezechiel diuersas aspexere figuras, &c. Porro autem illud πολυμερῶς, *Multifariam*, aliud quoque significat, nempe, quod vnicuique Prophetarum singularis quaedam

D dispensatio, seu administratio commissa & credita fuerat. Eorum autem Deus, Christus inquam Dominus, non vno aliquo munere & administratione functus est, sed humana suscepta natura, omne quod est correxit, & humanam salutem procurauit. Haec Theodoretus. Christum à Prophetis maximè distare existimat Theodoretus, quod his per partes, Christo verò Domino nostro, plena atque perfecta dispensatio, administratioque diuinae sapientiae commissa est. Sed quamuis id verum omnino sit, tamen Pauli mens, verborumque genuinus sensus exigere videtur, vt cùm de Prophetarum ministerio nihil non magnum atque eximium

E dici intelligatur, id tamen omne cum gratia Christi collatum, infinitis partibus superari ostendatur: non enim paruo maiorem esse, magnum quid ostendit, sed maximum superare, id ad summum dignitatis gradum euehit. Afferret quidem non parum lucis ad haec interpreranda Hebraicus textus, à Paulo ipso conscriptus. nam quod Hebraeis Hebraico sermone scripta fuerit, diserte tradunt, ex Clementis sententia, Eusebius, Nicephorus, Theodoretus, eorumque sententiam secuti complures alij. Is verò qui Syriace scriptus extat, è Graeco translatus habendus est, haud secus quam Lucae Euangelium, & Acta Apostolorum, cum

reliquis

B. Remig. sup. epist. Pauli.

NON EODEM modo Prophetis Deus sua secreta reuelauit.

B. Theod. sup. epist. ad Heb.

MVLTIFARIAM.

PARVO maiorem esse nihil magnum ostendit.

Euseb. lib. 6. hist. c. 11. Niceph. lib. 4. cap. 33. Theodor. in prooem epist. ad Hebr.

reliquis noui Testamenti libris. Qui verò putant Syriacam linguam Hebraicam dici, quod in Babylonica captiuitate haec illi permixta fuerit, ipsi secum pugnant, qui puram Chaldaeam pro permixta Hebraica recipiendam esse contendunt. Habuit fateor nobilissimum haec epistola interpretem Beatum Lucam Euangelistam. sic enim de ea Eusebius: Lucam autem eam accuratè in Graecum, vt Graecis traderet, conuertisse, illudque planè ex interpretatione ipsa facile intelligi posse, quòd epistola & Acta Apostolorum idem orationis filum habeant. Haec ille. Sed & Nicephorus eandem Clementis sententiam sic refert: Epistolam sanè ad Hebraeos Pauli esse censet, Hebraeis Hebraico sermone scriptam, à Luca autem ambitiosa splendide versam lingua, Graecis esse expositam. Scio Theodoretum quorundam referre sententiam, Clementi eam interpretationem tribuentium, quae nullum à constanti grauissimorum Scriptorum sententia dimouere debet. Sed si coniectari liceat, vnus Ioannes Chrysostomus verus Pauli interpres, vtpote qui eo dictante visus fuerit scripsisse in epistolas Pauli explanationes, dum duplicem illam vocem, *Multifariam, multisque modis*, vna interpretatur voce, id est, inquiens, varie: indicare videtur, duplicem illam Graecam vocem, vni Hebraicè respondisse, non quod vlla illarum superuacanea sit aut abundans, sed quod vtraque simul vim vocis Hebraicae exprimat, quam neutra illarum explicare potuisset. Huc accedit, quod synonymas eas voces putant nonnulli, sermonisque affluentiam indicare, quam Nicephorus ambitiosam linguam vocat. Quod si diuinare iam liceat, quam Hebraicam vocem exprimant praedictae Graecae, facilè crederem, vocem illam deductam fuisse à radice רבב rabab, Paulumque locum Oseae respexisse, qui sic habet. *Scribam ei multiplices leges meas*. Hebraice רבו תורתי rube thorathi. Quem locum aliqui ita conuertunt, vt magna, honorabilia legis intelligant, qui meritò reprehenderentur, si eum sensum ita admitterent, vt Latinae Vulgatae lectionem, quae maximè cum Hebraica congruit, excluderent: sed cum vox illa multitudinem significet, vt dignitatem addat, facilè vtrumque sensum admittit: vt leges indicet praestantia multiplices, dignitate, ac numero. Sensusque loci Oseae haud inconcinnus eruitur, quem indicauit Lyranus, vt interrogatiuè legantur verba: Numquid *scribam ei* iterum *multiplices leges meas*, quas olim digito meo scripseram, admirandisque prodigijs ostenderam, quàm essent obseruandae, & tamen *velut alienae computatae sunt*? quasi dicat, minimè. haud secus enim illas denuo scriptas transgredientur, quam veteres sunt transgressi. Hoc igitur epitheton diuinarum legum tribui existimamus à Beato Paulo pariter prophetijs, cum hoc fuerit praecipuum Prophetarum munus, diuinas leges, earumque obseruantiam, consilijs, pollicitationibus, minis, legislatoris etiam potentia ac maiestate praedicata, suadere. Hanc autem nostram coniecturam ac similitudinem vocis πολυμερῶς cum רבי rabbi, probat eiusdem vocis notio, quam his verbis tradit Hesychius: πολυμερῶς πολυχεδῶς, διαφιλῶς, πολλὰ σχήματα ἔχων, hoc est, multimodis, copiosè, multas figuras habens. Hanc porro extremam vocis notionem addita altera voce

INTERPRES epistolae ad Hebraeos fuit S. Lucas.

S. IOANNES Chrysostomus verus Pauli interpres.

Oseae 8. ℣. 12.

MVLTIPLICes leges quae.

NOMEN Rabbi quid significet. Hesychius.

A magis expressit, subdens, καὶ πολυτρόπως, hoc est, *multisque modis*. Ac si dicat Paulus, magnificè, multisque modis locutus est olim Deus patribus nostris Prophetarum ministerio. Sed quanto praestat dominus seruis, tanto magnificentius, & copiosius locutus est nobis Deus per Filium suum, *quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & saecula*. Hanc ipsam de multiplicatis prophetijs sententiam eadem Hebraica voce explicari videmus apud praedictum Prophetam, dicente Domino: *Et locutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum*. Quibus verbis triplex prophetiae genus indicatur, verbi, visionis, & similitudinis.
B Et de primo. locutus sum, inquit, על ghal *super Prophetas*: illa verò particula על ghal super significat, & ad, in Exodo, dicente Domino ad Moysen: *Extende manum tuam* על ghal, super, ad caelum. Et in libris Regum: Cum esset, inquit, amaro animo, orauit, על ghal super, *ad Dominum*. Et in Psalmis: *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret* על ghal super, *ad Dominum, nec exaudiet eos*. Eandem dicendi phrasim obseruauit Beatus Lucas Euangelista: *Factum est*, inquiens, *verbum Domini* ἐπὶ *super Ioannem*, hoc est ad Ioannem. Huius autem prophetici sermonis exempla tot visuntur in Exodo, & a-
C pud ipsos Prophetas, vt ea vel afferre vel percensere superuacaneum videatur, praesertim cum saepius supra viderimus non raro Dominum cum nostro Propheta plura loquentem. Quod verò ad secundum spectat prophetiae genus Et ego, inquit, visionem multiplicaui, Hebraicè ואנכי חזון הרביתי veanoki chazonh irbbethi. Vox verò הרביתי hirbbethi à verbo deducitur רבה rabah, quod suprà explicauimus, & sensus est, multiplicaui, ostendi, חזון chazon visionem significat, seu reuelationem, quae apprehensa manet, nec elabitur. Multis magnificisque visionibus diuina mysteria reuelaui, contra quàm feceram in diebus Heli Sacerdotis, de quibus sic scribit histo-
D ria Samuelis. *Et sermo Domini erat pretiosus*. יקר iakar. Rarum, ac pretiosum eadem voce significant Hebraei. Chaldaeus verò paraphrastes: Et verbum, inquit, Domini erat absconsum, in diebus illis non erat prophetia manifesta. *In diebus illis non erat visio manifesta*: hoc est, in diebus illis Prophetae non erant, quibus aut loqueretur Deus, aut visiones ostenderet.

Tandem tertium prophetiae genus verbis illis exprimitur: *Et in manu Prophetarum assimilatus sum*, quod ad symbolicam, (vt Beati Dionysij Areopagitae verbis vtar) Theologiam spectare videtur, ac distinguere inter visiones illas propheticas, quae ad caelestia diuinaque my-
E steria perdiscenda nos ducunt, & eas visiones, similitudines aut symbola, quae ad Deum ipsum peculiari quodam lumine intuendum nos eleuant. Illud porrò, *in manu Prophetarum*, non eodem modo explicant Doctores. sed illis praetermissis, vno aut altero modo iuxta Hebraicam phrasim explicari posse ostendemus: primum enim, quoniam manus frequens corporis instrumentum est, manus pro instrumento accipitur, & pro alicuius ministerio, vt in Exodo: *Sicut praeceperat Dominus*, inquit, *per manum Moysi*, hoc est per Moysen. Atque adeo in manu Prophetarum assimilatus dicitur Deus, quia per Prophetas nobis innotuerunt similitudines.

Oseae 12. ℣. 10.

TRIPLEX prophetia, verbi, visionis, & similitudinis

Exo. 9. ℣. 22.

SVPER, idem quod ad.

1. Reg. 1. ℣. 10

Psal. 17. ℣. 42.

Luc. 3. ℣. 2.

1. Reg. 3. ℣. 1

RARVM ET pretiosum eadem voce significantur.

IN MANV Prophetarum, quid significet.

Exo. 9. ℣. vlt.

dines. Vel sensus est: ita assimilatus sum pluribus symbolis ac similitudinibus, vt prae manibus habere possent Prophetae quamplurimas ex illis, quibus propositis, populo ipsi notus esse potuissem.

Dion. Areop. lib. 1. cael. hierarch. c. 1.

SYMBOLICE & anagogice quid sit.

Dionys. Carthus.

Hanc duplicem propheticam illustrationem, quod ad angelicas, seu caelestes hierarchias spectat, duplici alio nomine significare voluisse videtur sanctus Dionysius. In sacratissimorum, inquiens, eloquiorum patre traditas illuminationes, quantum possibile est, respiciemus, & ab ipsis symbolice nobis, & anagogice manifestatas caelestium animorum hierarchias, quantum potentes sumus, considerabimus. Quae Dionysij verba sic explicat alter Dionysius symbolicè, id est, per similitudines corporalium rerum, & imaginariarum visionum, in quibus frequenter Angeli leguntur apparuisse. Anagogicè, id est, per puras & intellectuales illustrationes. Ac deinceps duplicem modum visionum ac reuelationum profert, alterum per imaginarias formas ac similitudines, in interiore sensu formatas, per quas quaedam secreta Dei innotescunt. Ita

VISIO DVplex, imaginaria, & intellectualis.

Isai. 6. ℣. 1.
Ezech. 1. ℣. 21
Genes. 18. ℣. 2.
Tob. 5.

Isaias vidit *Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum* &c. Et Ezechiel vidit similitudinem throni. Ad quam visionis speciem reuocandam censet corpoream visionem, quae in vigilia conspicitur, cuiusmodi fuit illa Abrahami, tres Angelos sub humana forma videntis, & Tobiae, Raphaelem viae socium ac ducem habentis. Huiusmodi visiones dici putat symbolicas, in quibus corporeae formae spiritualium rerum symbola sunt, hoc est, notae ac signa. Alter verò visionis, seu reuelationis modus anagogicus dicitur, hoc est, intellectiuus, &, si vim vocis respicias, sursum ductiuus. quae per immateriales species fit, & abstractas, vt in visione mysticae Theologiae. Atque huiusmodi visione illustratus Dauid canebat: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius potentes virtute, qui facitis verbum eius*, & quae sequuntur. Hactenus ex Dionysio desumpta sententia est.

Psal. 102. ℣. 20.

Aug. lib. 12. de Genesi ad litt. per totum & a cap. 7.

TRIPLEX visio, corporalis, spiritualis, intellectualis.

cap. 11. eiusd. libri.

Beatus verò Augustinus Ecclesiae sanctae clarissimum lumen, ad tria potissimum capita omnia visionum genera reuocat, quae proprijs statuit nominibus designare. Primum namque corporale vocat, secundum spirituale, tertium vero intellectuale. Corporalem visionem dici existimat eam, quae sensibus percipitur corporis, spiritualem, quae inferioribus animae potentijs, intellectualem, quae mente, suprema hominis parte cognoscitur. Harum autem visionum ordinem, quaeque Prophetarum propria sit, his verbis explicat: Corporalis sane visio nulli horum generi praesidet, sed quod per eam sentitur, illi spirituali tamquam praesidenti nunciatur. Nam cùm aliquid oculis cernitur, continuo fit imago eius in spiritu, sed non dignoscitur facta, nisi cum ablatis oculis, ab eo quod per oculos videbamus, imaginem eius in animo inuenerimus. Et si quidem spiritus irrationalis est, veluti pecoris, hucusque oculi nunciant, si autem anima rationalis est, etiam intellectui nunciatur, qui & spiritui praesidet, vt si illud, quod hauserunt oculi, atque id spiritui, vt eius illic imago fieret, nunciauerunt, alicuius rei signum est, aut intelligatur continuo quid significet, aut quaeratur, quoniam nec intelligi, nec requiri nisi officio mentis potest. Loquitur autem sanctus Doctor de visionibus illis, quae supra naturam sunt: nam homines, arbores, plantae, quas videmus, nihilque praeterea significare existimamus, nihil ad praesens institutum pertinere censendae sunt. Sic etiam assiduae ho-

A minum cogitationes, quas vel vigilantes, vel dormientes spiritu versant, alienae ab hac disputatione iudicabuntur, haud secus quam mentis aut intellectus operationes, quibus rerum naturas ipsius intellectus proprio lumine meditamur. Sed de illis tantummodo visionibus siue corporeis, siue spiritualibus, siue etiam intellectualibus agere intelligendus est Augustinus, quae supra naturam sunt, quaeque quamuis naturali modo percipiantur, aliquid tamen supernaturale operantur in nobis, aut saltem ad id à Deo optimo earum auctore diriguntur. quapropter aptissimum etiam subiungit exemplum ex Daniele: vidit, inquit, Rex Balthasar articulos

VISIONES rerum, quae nihil supra naturam significant, non huc spectant.

Dan. 5.

B manus scribentis in pariete, continuoque per corporis sensum imago rei corporaliter factae spiritui eius impressa est, atque ipso viso ac praeterito, illa in cogitatione permansit: videbatur in spiritu, & nondum intelligebatur, nec tunc intellectum erat hoc signum cum corporaliter fieret, atque oculis corporalibus appareret, iam tamen signum esse intelligebatur, id habens ex mentis officio. Et quia requirebatur quid significaret, etiam ipsam inquisitionem vtique mens agebat. Quo non comperto Daniel accessit, & spiritu prophetien, mente illustrata, perturbato Regi, quid illo signo portenderetur aperuit, ipse potius Propheta per hoc genus visionis, quod mentis est proprium, quam ille qui & signum corporaliter factum viderat, & transacti eius imaginem in spiritu cogitando cernebat, nec aliquid intellectu poterat, ni-

C si nosse signum esse, & quid significaret inquirere. Hanc autem supremam visionis rationem necessariam esse, vt quis propheta dici possit, alijs quoque exemplis atque rationibus paulo superiùs ostenderat. Proinde, inquiens, quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligerentur, nondum erat propheta, magisque propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quam ipse qui vidisset. Vnde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animae quaedam mente inferior, vbi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Ioseph propheta, qui intellexit, quid significarent septem

QVIS SIT Propheta dicendus.

Idem Aug. c. 9. eiusd. libri.

Genes. 41.

D spicae, & septem boues, quam Pharao, qui eas vidit in somnis. Hanc porrò visionum collationem prosequitur, ostendens praeterea, quomodo Prophetatum dignitas ex ipsa visionum qualitate dignoscatur. Minus ergo, inquit, Propheta, qui rerum quae significantur, sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt, & magis propheta, qui solo earum intellectu praeditus est, sed & maxime propheta, qui vtroque praecellit, vt & videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat, sicut Danielis excellentia tentata & probata, qui Regi & somnium quod viderat dixit, & quid significaret aperuit. Haec ab Augustino.

PROPHETARUM dignitas ex ipsa visionum qualitate.

Quae quidem omnia si attentius perpendan-

E tur, huius supremae Ezechielis visionis dignitatem indicare videbuntur, vtpote quae omne visionum genus quodammodo complectatur, ceterisque praecellat. Id quod vel ipsius Angeli ductoris atque expositoris testimonio comprobari posse videtur, qui initio ipsius visionis sic Ezechielem hortatur. *Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi* haec ad primum, vel ad secundum visionis genus spectare videntur, sequentia ad tertium, *& pone cor tuum*, hoc est, mentis intuitu attentius perpende *omnia quae ego ostendam tibi*. Quapropter & de Ezechiele locutum fuisse apud Oseam Dominum, ita intelligemus, vt dicat: *Et loquutus sum super*, vel ad

EZECHIElis visio illustris.

Oseae 12. ℣. 10.

prophe-

OSEAE verba de Ezechiele dicta videntur.

prophetam, cui auribus audire praecipitur. *Et* A *ego visiones multiplicaui*, ei cui dicitur, *vide oculis tuis*, & cuius magnifica ac multiplici visione spirituales sunt oculi illuminati. Et in manu eius assimilatus esse credendus est, cui cor apponere praecipitur ad omnia quae ostenduntur ei. siquidem templum primò proponitur, quo nihil proprius ac verius significatur, quàm Christi corpus, eodem dicente: *soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. & Euangelista attestante, quia ipse *dicebat de templo corporis sui*. Sed & assimilatus est templo, in quo olim habitabat Deus, verum est enim templum. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Non quod diuinitas corpus sit, sed B quia (vt ait Augustinus) Sacramenta veteris Testamenti appellat Paulus vmbras futuri, propter vmbrarum comparationem, corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem diuinitatis, quod in illo impleantur omnia, quae in illis vmbris figurata sunt, ac sic quodammodo vmbrarum illarum ipse sit corpus, hoc est, figurarum & significationum illarum ipse sit veritas. Sicut ergo ipsae figurae significatiuae, translato vtique vocabulo, non propriè dictae sunt vmbrae, na & quod ait, plenitudinem diuinitatis corporaliter habitare, translato vocabulo vsus est. Ex quibus Augustini verbis facilè conijcere licet, quantum fuerit notus Ezechieli Christus, qui, tot conspectis visionibus, non vmbras modò consectabatur, sed rem ipsam, veritatemque illis omnibus contentam C mentis oculis aspiciebat ac contemplabatur. Id quod vel ex eiusdem Prophetae verbis confirmari posset: siquidem *in visionibus Dei* haec omnia conspexisse testatur, quae sanè haudquaquam tam insigni nomine censerentur, si nihil praeterea Prophetae in spiritu ostenderent, quàm id quod ante annos quatuordecim oculis aspexerat corporeis. Accedit huc etiam Beati Thomae sententia, ex Augustino suprà à nobis relato desumpta, qua putat, imaginaria visione Prophetam non constitui, sed sola visione intellectuali. Id quod Danielis testimonio probari existimat, qui sic habet: *Intelligentia enim opus est in visione*. At Ezechiel inter Prophetas ab D omni Ecclesia numeratur & habetur, si non maximus, cum maximis tamen conferendus, vt suprà ostensum est: nulla ergo ratione illi deneganda est huius celeberrimae visionis intelligentia. Verùm hoc argumentum initio insinuandum tantummodo fuit, quod tunc maximè patebit, cùm de visionis intelligentia inferiùs Deo dante agemus, nunc enim de ipsius prophetici sermonis liberali, quam vocant, explicatione quàm breuissimè, ac quàm dilucidè tractabo.

Ioan. 2. ℣. 19 & 21.

Colos. 3. ℣. 9.

Aug. lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 7.

SACRAMENTA veteris Testamenti vmbrae. Christus veritas dicitur, aut corpus.

VISIONES Dei non dicerentur, quae nihil amplius quam templum ostenderent.

B. Thom. 2. 2. q. 173. ar. 2. arg. 2. & in corpore.

Dan. 10. ℣. 1.

Sup. tom. 1. in prooem.

NON EST deneganda Ezechieli huius visionis intelligentia.

Sed prius institutam disputationem de multiplici visione Prophetarum absoluendam esse duxi: & quoniam visiones huiusmodi ad varios E spectant prophetandi modos, omnes illos, quos Sanctus Isidorus commemorat, hic referre non grauabor, illosque sic proponam, vt ab angelico doctore explicantur. Modus igitur prophetandi vel attendi potest penes intellectiuas hominis potentias, vel penes influxum prophetici luminis, aut per impressionem imaginabilium formarum, aut tandem per sensibilia signa. Et quod ad potentias hominis spectat, quae sunt sensus, imaginatio, intellectus, triplex visio definitur & ab Augustino relato, & ab Isidoro his verbis. Tria genera visionum dixerunt esse: vnum secundum oculos corporis, sicut vidit Abraham tres viros sub ilice Mambre, & Moyses ignem in rubo, & Discipuli transfiguratum Dominum in monte inter Moysen & Eliam, & cetera huiusmodi. Alterum secundum spiritum, quo imaginamur ea quae per corpus sentimus, sicut vidit Petrus discum illum submitti de caelo cum varijs animalibus. Et sicut Esaias Deum in sede altissima non corporaliter sed spiritaliter vidit. Non enim Deum forma corporea circumterminat, sed quemadmodum figuratè non propriè multa dicuntur, ita etiam figuratè multa monstrantur. Tertium autem genus visionis est, quod neque corporeis sensibus, neque vlla parte animae, qua corporalium rerum imagines capiuntur, sed per intuitum mentis, quo intellecta conspicitur veritas, sicut Daniel praeditus mente, vidit quod Balthasar viderat corpore, sine quo genere illa duo vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt. Prophetias B autem omnes paulò antè ad septem capita reuocauerat, sic scribens. Prophetiae autem genera sunt septem primum genus ecstasis, quod est mentis excessus, sicut vidit Petrus vas illud submissum de caelo in stupore mentis, cum varijs animalibus. Secundum genus visio, sicut ad Isaiam dicentem, vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Tertium genus somnium, sicut Iacob subnixam in caelo scalam dormiens vidit. Quartum genus per nubem, sicut ad Moysen, & ad Iob post plagam loquutus Deus. Quintum genus vox de caelo, sicut ad Abraham sonuit, dicens: Ne inijcias manum tuam super puerum. Et ad Saulum in via: Saule Saule quid me persequeris? Sextum genus accepta parabola, sicut apud Salomonem in C Prouerbijs, & apud Balaam cum euocaretur a Balac. Septimum genus repletio sancti Spiritus, sicut pene apud omnes Prophetas. Hos autem septem prophetandi modos ad tria iterum capita reuocat Sanctus Thomas. Si enim propheticum attendamus influxum, is, quod ad illustrationem intellectus spectat, per repletionem Spiritus sancti significatur, quam septimo loco posuit Isidorus, & omnibus Prophetis communem esse affirmauit. Quod si secundo impressionem formarum imaginabilium spectemus, tres assignat earum differentias: somnium, quod ponit tertio loco: visionem, quae fit in vigilia, respectu quorumcumque communium, quam ponit secundo loco: & D ecstasim, quae fit per eleuationem mentis in aliqua altiora, quam ponit primo loco. Tres verò huiusmodi differentiae modos varios indicare videntur, quibus Prophetae visiones rerum supernaturalium recipiunt. aut enim dormientibus, aut vigilantibus, aut etiam in mentis excessu imagines eorum potentijs animae inferioribus imprimuntur, quas Augustinus spiritum & spirituales visiones appellat. Ac tandem quod ad sensibilia attinet, signa ea aut sunt corporea, visui apparentia, vt nubes, quam ponit quarto loco. Aut sunt voces, quae auribus percipi possunt, & has ponit quinto loco. Aut eiusmodi sunt voces, quae aliquam adhibent rerum E similitudinem, eaeque parabolae dicuntur, quas sexto loco enumerauit. Et haec de multiplici Prophetarum visione dicta sufficiant: nam sequenti capite videndum superest, ad quòd genus visionum praesens Ezechielis reuocanda sit.

Isid. lib. 7. Orig. cap. de Prophetis. S. S. Thom. 2. 2. q. 174. ar. 1. ad 3.

QVADRVPLEX prophetandi modus.

Gen. 18. ℣. 2.

Exod. 3. ℣. 2.

Matt. 17. ℣. 2.

Act. 10. ℣. 11.

Isai. 6. ℣. 1.

Dan. 2. ℣. 19.

PROPHETIAE ad septem capita reuocantur ab Isidoro.

Act. 10. ℣. 11.

Isai. 6. ℣. 1.

Gen. 28. ℣. 12.

Exod. 16. ℣. 10. & 11.

Iob 38. ℣. 1.

Gen. 22. ℣. 12.

Act. 9. ℣. 4.

Numer. 23. ℣. 7.

AD TRIA iterum capita reuocantur illa septem.

TRIPLICI modo recipiuntur visiones.

SPIRITV

SPIRITV NON CORPORE RAPTVS HIEROSOLYMAM EZECHIEL, *visionem hanc perspexit. Cap. V.*

VNIVERSIS visionibus propheticis, ac singulis earum generibus quaedam ex dictis ita conueniunt, vt per, ea haud secus quam per differentias species, ab alijs distinguantur. Verum huic nostrae illa omnia ita sunt propria, vt cuncta ferè visionum genera hac vna visione contineantur. Nam quod ad prophetici luminis influxum spectat, vel ad id, quod Sanctus Isidorus vocat, Spiritu sancto repleri; quis illud neget Ezechieli, super quem *facta* dicitur *manus Domini*, quique *in visionibus Dei* adductus fuit: *Et eleuauit me*, inquit, *spiritus*, *& introduxit me in atrium interius* &c. Quod si sensibilia exquiras signa, videt domum, muros, portas, atria, porticus, gazophylacia, atque id genus infinita propemodum alia; vocem audit, audit siquidem *loquentem ad se de domo.* & dicentem, *locus solij mei* &c. Et iterum *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum*. In nube porro loquentem Dominum audit, siquidem vidisse se affirmat gloriam Domini ingredientem templum, cuius species erat *secundum aspectum, quem viderat iuxta fluuium Cobar* ibi autem. *Et vidi*, inquit, *& ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens*. Parabolis vero maxima huius prophetiae pars plena est: quid enim aliud quàm parabolam quandam significare videntur illa verba: *Porta haec clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam*, & quae sequuntur? Hic verò loquendi modus non infrequens fuit Prophetae nostro, qui Dominum sic olim interpellauerat: *A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: numquid non per parabolas loquitur iste?* Quasi vero fidem suae abrogare videretur prophetiae tam eruditus, figurisque, & translationibus ornatus sermo, qui, vt ait Rabbi Dauid, non propheticus, sed ad ostentationem ingenij compositus esse putetur. Quod verò ad modum recipiendae visionis spectat, in ecstasi fuisse Prophetam, probat sanctus Thomas illis eiusdem Prophetae verbis: *Facta est super me manus Domini*. At quod fuerit in vigilia, probare videtur, quod adductus dicitur in terram Israel: quid enim oporteret illum eo ducere, si ibidem vel dormiens, vel in mentis excessu haec illi ostendenda erant, quae non minùs clarè possent Babylone repraesentari? Accedit huc etiam, quod auribus audire, oculis videre non raro praecipitur, & quòd, conspecta gloria Dei, cecidisse dicitur super faciem suam: quae omnia vix videntur intelligi posse homini accidisse non vigilanti. Id quod confirmat Beatus Hieronymus, Paulae, & Eustochij nomine ad Marcellam scribens: Post gurgitem, inquiens, grauem Cobar, de quo Ezechiel capillo verticis sublatus Hierusalem vsque transfertur, vt habitet terram repromissionis. Quae verba Hieronymi vix intelligi possunt, quin pariter intelligatur, ab eo probari sententia, quae corpore putat Hierosolymam fuisse translatum Prophetam.

[Margin: EZECHIEL Spiritu sancto repletus. Ezech. 40. ℣. 3. & 2. Ezech 43. ℣. 5. VISIONES videt sensibiles. Ibid. ℣. 6. & ℣. 10. ℣. 3. & seq. AVDIT DOminum in nube loquentem. Ezech. 1. ℣ 4. PARABOLas audit. Ezech. 44. ℣. 2. Ezech. 21. ℣. vlt. MAXIME ornatus Ezechielis sermo. S. Thom. 2. 2. q. 173. ar. 3. corpore. S. Hier epist. ad Marcel. 17. tom. 1.]

Verùm enimuero, si rem ipsam attentiùs perpendamus, facilè inueniemus, spiritu tantum, & non corpore haec omnia Prophetam praestitisse: nam quamuis in terram Israel adductus fuisse dicatur, ac dimissus fuisse super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium ciuitatis, atque tam ciuitatem, quam templum ibidem mensurasse, singulasque partes proprijs sacerdotum, ac sacrificiorum ministerijs deputatas contemplatus fuisse, quae omnia ad ciuitatem Hierusalem, eiusque templum spectare videantur, tamen si tempora expendamus, quibus haec visio Prophetae ostensa fuisse dicitur, facile inueniemus, nulla ratione corporeis oculis Hierosolymitanum templum, quod non extabat, videre potuisse. Nam, vt ipsemet Propheta testatur, in *anno decimo quarto, postquam percussa est ciuitas, in ipsa hac die facta est super eum manus Domini*, & adductus fuit in terram Israel, & vidit ea omnia,

[Margin: SPIRITV, non corpore Hierosolymam fuit translatus Ezechiel.]

A (before "missus")
B quae sequentibus retulit capitibus. at templum vnà cum vrbe incensum fuit, vt habetur in libris Regum: anno igitur decimo quarto ab excidio templi, haec ei visio fuit ostensa. Perspicuum autem est in sacris historijs, idque nos infrà suis locis ostendemus, templum ante septuagesimum à proprio excidio annum instauratum non fuisse. non ergo fieri potuit, vt decimo quarto anno ab excidio, hoc est, annis sex & quinquaginta, antequam instauraretur, integrum perfectumque à Propheta conspiceretur. Ex quo fit, vt templum ipsum marmoreum corporeis oculis videri minimè potuerit. At potuit, inquies, corporeis oculis videri, quamuis verè templum non extaret, haud secus quàm

[Margin: 3. Reg. 25. Infra tom. 3. appar. part. 1. lib. 3. cap. 1. & 2.]

C Raphael Tobiae apparuit, *cùm ignorans quod Angelus Dei esset, salutauit eum*: Quare & ipse Raphael ad vtrumque Tobiam ait: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor*. Verum satis apertè testari videtur idem Propheta, non corpore raptum se fuisse in vrbem, sed spiritu, sic enim habet: *In visionibus Dei adduxit me illuc*, id est, diuinae visionis efficacitate raptus in ecstasim, interfui domus commensurationibus exigendis, ritibusque ac legibus ab Angelo percensendis. Quae sententia disertis verbis à Magno Gregorio confirmatur, sic scribente: Manus quippe in visione est. virtus in contemplatione. Quibus verbis quid aperte indicat,

[Margin: Tob. 5. ℣. 6. S. Gregor. homil. 13. in Ezech.]

D nisi quia nihil de ciuitate, quam viderat, iuxta litteram dicat? Nam spiritaliter de ea loquitur, quam spiritaliter contemplatur. Quae sanè Gregorij sanctissimi viri sententia, qua ratione intelligenda sit, quidque significare voluerit, cum sensum litteralem negauerit, infra explicandum est; nunc enim veram eam, certamque arbitramur, quae tradit, spiritaliter contemplatum fuisse Prophetam vrbem, quam spiritaliter quoque pertractat. Sed quod ad institutam disputationem pertinet, nihil addi posse videtur ad ea, quae Sanctus Hieronymus scripsit. Fit autem, inquit, super eum manus Domini, vt iuxta carnem Babylone positus in spiritu ad terram veniret Israel: & nequaquam in visione, sed in visionibus Dei poneretur super montem excelsum

[Margin: SPIRITALiter de ciuitate loquitur. S Hieron lib. 12. com. in Ezech.]

E nimis. Haec Sanctus Hieronymus, qui planè nouerat, tantam esse vim internae contemplationis, vt vix possit iudicare ipse, qui videt, corporeisne, an internis tantum rem illam intueatur obtutibus. Siquidem alibi: Non parui operis est, inquit idem Hieronymus, quod oculis carnis, vel mente conspexeris &c. Hanc vero disputationem vniuersam, in quam nos inducunt priora Ezechielis verba, quibus visionem hanc enarrare aggreditur, celeberrimus quidam Pauli locus continere videtur, quo explicato explicatum fore sperabimus id, quod maximè perpendendum est, vt intelligamus, quid viderit Propheta noster, & qua id ratione perspexerit. Quapropter si in eiusmodi loci explicatione nonnihil

[Margin: MAXIMA diuinae contemplationis vis. S. Hier. Ezechi. 43. ℣. 10.]

immorarer, me gratiam apud lectorem initurum existimaui, ideoque illum sequenti capite explicandum suscepi, & cum hoc nostro conferendum.

EZECHIELIS VISIO
CVM PAVLI IN TERTIVM *caelum raptu confertur.*
Cap. VI.

MAgnam, admirabilemque esse, extremo capite proposuimus, diuinae contemplationis dulcedinem, atque efficacitatem, ita vt vix ab ipso percipiente dijudicari possit: id quod exemplo, verbisque Apostoli testatissimum est. Nam quod Propheta noster subobscure, vt cetera indicat, spiritu quidem Babylone Hierosolymam translatum ab Angelo fuisse, id vero tam mirabili modo contigisse, vt corpore ipso raptus quodammodo videatur, id omne disertis verbis testatum habemus à Paulo, modum referente, quo in tertium caelum fuerit raptus. Sic enim habet. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium caelum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit. Quoniam raptus est in paradisum* &c. Hunc locum acutissime examinat Sanctus Augustinus, & aliud fatetur a Paulo sciri, de quo nos dubitare non licet, aliud nesciri, quod nos decernere nullatenus decet. Cumque rationes perpendisset, quae dubitationem Paulo submouere posse videbantur, sic eum alloquitur. Quid ergo scis, quod discernis ab eo quod nescis, ne credentes fallantur? Raptum, inquit, eundem hominem vsque ad tertium caelum. At illud caelum, aut corpus erat, aut spiritus: si corpus erat, & corporeis oculis visum est, cur illud caelum esse scitur, & in corpore visum esse nescitur? Si autem spiritus erat, aut corporis imaginem praebuit, & tam incertum est, vtrum corpus fuerit, quàm incertum est, vtrum in corpore visum sit: aut sic visum est, quomodo videtur mente sapientia sine vllis imaginibus corporum, & nihilominus certum est videri non potuisse per corpus. Aut ergo vtrumque certum est, aut vtrumque incertum: aut quomodo certum quod visum est, incertum autem per quod visum est? Quibus omnibus, atque alijs dubitationibus tandem respondet: Hoc, ipsum ignorasse intelligamus, vtrum quando in tertium caelum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cùm corpus viuere dicitur, siue vigilantis, siue dormientis, siue in ecstasi, à sensibus corporeis alienata: an omnino de corpore exierit, & mortuum corpus iaceret, donec, peracta illa demonstratione, membris mortuis anima redderetur &c. Proinde, quod vidit raptus vsque in tertium caelum, quod etiam se scire confirmat, propriè vidit, non imaginaliter: sed quia ipsa a corpore alienatio, vtrum omnino mortuum corpus reliquerit, an secundum modum quendam viuentis corporis ibi anima fuerit, sed mens eius ad videnda, vel audienda ineffabilia illius visionis arrepta sit, hoc incertum erat, ideo fortitan dixit, *siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit.* Haec Sanctus Augustinus. Beatus verò Remigius, cùm triplices illas vi-

2. Cor. 12. ℣. 2. & seq.

S. Aug. lib. 12. de Gen ad litt c 5.

QVID sciat Paulus, & quid nescire se dicat.

A sionum differentias, quas supra ex Augustino commemorauimus, totidem fere verbis retulisset, haec subdit: Tres igitur caeli non absurdè possunt intelligi tria genera visionum, de quibus hactenus locuti sumus, ita tamen vt per primam visionem intelligamus, quidquid intra ambitum siderei caeli continetur pariter cum ipso, quod & firmamentum appellatur. Per secundum caelum spirituale, vbi angelica natura, & animae sanctorum in contemplatione Dei sunt positae. Tertium verò caelum, intelligitur iam intellectualis visio, & rationabilis, qua intelligendo conspicitur charitas, pax, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia, ceteraque huiusmodi, quibus
B propinquatur Deo, & quia ipse Deus videtur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ad quam, id est, intellectualem visionem, quae designatur per tertium caelum, raptus & eleuatus est Apostolus. Vbi, id est in intellectuali ratione, non solùm ea, quae in spirituali caelo sunt, intelligendo vidit, sed etiam ipsam Dei substantiam, Verbumque Deum, per quod facta sunt omnia in charitate Spiritus sancti, non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas, contemplatus est in hac vita, videlicet quomodo Deus omnipotens Trinitas sit in personis, & vnitas in substantia, sicut videndus est ab omnibus sanctis post generalem resurrectionem. Quaestio verò non modi-
C ca isto in loco oritur, quomodo ipsa Dei substantia à quibusdam in hac vita positis videri potuerit, propter illud quod dictum est ad Moysen: *Nemo potest faciem meam*, id est, inuisibilitatem meam *videre & viuere* & propter illud Deum nemo hominum vidit vmquam, in mortali vita ex toto positus. Quae ita soluitur, quia potest humana mens, id est, intellectus, & rationabilitas animae diuinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne soluatur, sicut credendum est de beato Apostolo, vbi a Deo facta est ab huius vitae sensibus quaedam intentionis auersio, & tam euidens, tamque manifesta sit eadem visio intellectualis, vt siue in corpore, siue ex-
D tra corpus fuerit, id est, verum, sicut solet in vehementiore ecstasi, vel excessu ab hac vita, mens in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, anima videlicet in corpore, an omnino talis resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, anima recedente: ipse se nescire profitetur. Haec Remigius. Quae etiam à nobis de Pauli visione dicta sufficient. ex qua ad nostram hanc Ezechielis visionem explicandam colligere licet, & confirmare huius praestantiam, & excellentiam. Nam quidquid sit de loco, tempore, ac visionis modo, hoc vnum significare videtur, dubitans an in corpore, vel extra raptus sit Paulus, quod & praedicti sancti confirmant, tantam, tamque exi-
E miam fuisse visionis praestantiam, vim, efficacitatem, vt dubitari meritò posset, in corpore ne, an extra facta fuerit. Quapropter mirum videri non debet, si propheta Ezechiel visionem sortitus illa haud longe inferiorem, adductum se dicat in terram Israel, vidisseque & audisse, aliaque ibidem praestitisse, quae meritò nescire nos faciant, nedum dubitare, an in corpore, an extra corpus visa sint, vel audita. Iure igitur Procopius: Visio, inquit, prophetica mentis oculis fit, quibus videntur, quae futura sunt, tam planè, vt oculis cernuntur, quae videntur, quòd Deus Prophetarum mentes illustrat. Sed & Basilius hoc ipsum confirmare videtur, dum rationem reddit, ob quam prophetiae

B. Remig in epist Pauli ad Corinth.

TRES CAELI tria visionum genera.

PAVLVS IN hac vita vidit gloriam quam vident beati in caelo.

EVIDENS & manifesta intellectualis visio in dubium adducit, an in corpore videatur, an extra.

VISIONIS huius praestantia, & excellentia.

Procop. sup. Isai. 13.

S. Basil. Isai. 5. ℣. 1.

PROPHETIA visio dicitur, & quare.

phetiae omnes visiones dicantur. Visus, inquit, sensuum acerrimus, & ideo prophetia visio dicitur, quod ante oculos, & conspectum ponat, quae reuelantur Prophetis. Nullus enim sensus ita res sensiles apprehendit, vt visus, vnde contemplatio rerum diuinarum delibata ab Spiritu sancto Prophetarum animis, propter perspicuitatem visio nominatur, & Prophetae, Videntes, quod consilia diuina videant, & ideo Prophetae se vidisse significant; per formas enim quas clam impressas a Deo suis animis vident: nec enim Deo voce est opus, vt intellectum rerum nobis excitet, sed formas rerum intellectibus imprimit, quibus res vident Prophetae clarius, quam ea quae cernunt oculis. Haec Basilius. Quae

AVDIRE etiam, & tangere dicuntur Prophetae, quae intellectu percipiunt.

non minus, de auditu, tactu, motu, atque alijs externis sensibus, quam de visu intelligenda sunt: nam species illae, quae intellectui Prophetae à Deo imprimuntur, non minus efficaces sunt ad intelligentiam excitandam, quae postea memoriae fixa inhaereat, quàm quae à sensibus in imaginatiuam potentiam translatae, indeque iterum traductae fuerunt in intellectum. Propterea igitur meritò affirmare potuit Propheta noster, se audisse, vidisse, aliaque praestitisse, quae internis tantummodo potentijs apprehenderat, ac si à sensibus eorum species recepisset. Ideoque Sanctus Cyprianus de Christi tentationibus disserens: Et localiter quidem, inquit, in deserto prima fuit tentatio, sed ceteras eo modo circumduxit tentatoris astutia, vel circumduci passa est patientia Saluatoris, quomodo Ezechiel, cum super fluuium Cobar sederet, Hierosolymam raptus in spiritu, ciuitatem aedificat & metitur, & muros, & templum instaurat. Quae quidem Cypriani sententia, quamuis, quod ad Christum spectat, spiritu, non carne delatum super pinnaculum templi, & super montem excelsum, ab alijs examinanda praetermittatur, quae non est nostri instituti: nihilo minus tamen eius sententia, quae putat, Ezechielem spiritu ductum fuisse Hierosolymam, ibique templum, ciuitatemque instaurasse, ac mensurasse, siue spiritu instauratam, spiritu quoque mensurasse. & manifesta est, & praedictorum Patrum sententijs valde consona, atque adeo sententiam, quam tenemus, valde confirmans.

S. Cypr. ser. de ieiun. & tentatione.

EO MODO raptus Hierosolymam Ezechiel, quo Christus in pinnaculum templi.

Iam verò vt hoc interim de huius visionis praestantia dicamus, ea haud difficilè poterit cum eximia illa, & praeexcellenti Sancti Pauli Apostoli conferri. Et primum, quod in ecstasi, aut mentis excessu vtraque facta sit, planè constat ex dictis. Nam illa Sancti Pauli cum tanta mentis eleuatione facta fuit, vt meritò dubitari posset, num ab ipsa corporis vnione abstracta fuerit anima, nedum ab omni sensus, aut corporeae operationis participatione seposita. De hac verò nostra visione Ezechielis dubitari etiam non potest, eam à Propheta in mentis excessu visam fuisse, tum propter Sancti Hieronymi auctoritatem, qui vt vidimus, carne Babylone positum Prophetam, spiritu in terram Israël adductum fuisse affirmat: tum vel maximè propter rationes Sancti Thomae, monentis, propheticam reuelationem quatuor modis contingere, secundum influxum intelligibilis luminis, vel per impressionem intelligibilium specierum, vel tertiò secundum impressionem, aut ordinationem imaginabilium formarum, aut tandem secundum expressionem formarum sensibilium. Et quidem cum reuelatio fit hoc extremo modo, nulla potest esse alienatio à sensibus, cùm sensibus percipiendae sint species illae, aut imagines sensibiles, vel eae sint a Deo denuo formatae, vt cùm Moyses rubum vidit,

PAVLI ET Ezechielis visiones conferuntur.

VTRAQVE visio in mentis excessu.

S. Thom. 2. 2. q. 173. art. 3. in corp.

A Daniel scripturam: vel per alias causas iam antè productas, quae tamen diuina prouidentia ad aliquid praeterea significandum ordinantur in mente Prophetae, sicut arca Noë Ecclesiam illi significare poterat. Priori autem, vel secundo modo non est necessarium, alienationem à sensibus accidere, potest quidem, sed non fit semper: nam & in nobis perfectum iudicium intellectus habetur per conuersionem ad sensibilia, quae sunt prima nostrae cognitionis principia. At vero cùm reuelatio prophetica fit secundum formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem à sensibus, vt talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea, quae exterius sentiuntur. Quam abstractionem

B nonnumquam contingere affirmat perfectam, ita vt nihil homo sensibus percipiat; aliquando verò ita, vt sensibus aliquid etiam percipere possit, non tamen plenè discernat, quae exteriùs percipit, ab ijs quae imaginabiliter videt. Nam iuxta Augustinum: sic videntur, quae in spiritu sunt imagines corporum, quemadmodum corpora per corpus, vt simul cernatur & homo aliquis praesens, & absens alius spiritu tamquam oculis. Quae quidem Beati Augustini sententia manifeste probat, visionem hanc Ezechielis, in qua nihil, vt ostendimus, corporeis oculis cernebatur, multa vero spiritu conspiciebantur, sine perfecta a sensibus alienatione accidere non

Aug. lib. 12. super Genes. ad lit.

RATIONE probatur, visionem Ezechielis sine ecstasi non fuisse.

C potuisse. Id quod non modò tenet ipse Sanctus doctor, verum etiam eam nobilissimam, atque dignissimam fuisse confirmat. Modum enim assignat, quo huiusmodi mentis alienationes Prophetis contingant, quantumque alienae sint ab illis, quae arreptitijs vel furiosis accidunt; & has affirmat esse cum aliqua inordinatione naturae, propheticas verò, per ordinatissimam causam, vel naturalem, cuiusmodi sunt somnia: vel per spiritualem causam, sicut per contemplationis vehementiam, vt de Petro legitur: vel virtute diuina rapiente, secundum illud Ezechielis: *Facta est super me manus Domini.* Itaque non modo arbitratur Sanctus Thomas, Ezechielem

Actor.

Ezech. 4. ℣. 1

D Prophetam in ecstasi, aut mentis excessu visionem hanc conspexisse, verum etiam diuina quadam virtute raptum, atque singulari quodam modo ad suprema, & ineffabilia mysteria diuinitatis contemplanda eleuatum fuisse. Quod verò ad ea, quae Paulus vidit, & audiuit, spectat, Remigius, vt vidimus, cum alijs Patribus arbitratur, propter visionis praestantiam, ac celsitudinem, Deum ipsum perspectum illi fuisse, quod quoniam non est huius loci disputare, aliquid tamen simile de Propheta nostro licet existimare, qui non semel gloriam Dei sese conspexisse testatur: idque confirmat Ecclesiasticus: *Ezechiel,* inquiens, *qui vidit conspectum gloriae, quam*

S. Remigius.

SIMILIS vtraque visio in ijs quae videntur.

Eccles. 49. ℣. 10.

E *ostendit illi in curru Cherubim,* idque non modo in prima visione, sed semel, atque iterum in hac extrema, vt videre est apud ipsum: *Et vidi, & ecce impleuit gloria Domini domum Domini.* Et iterum. *Et vidi visionem &c. & species secundum aspectum, quem videram iuxta fluuium Cobar, & cecidi super faciem meam* Quem locum dum explicat Sanctus Hieronymus, haec ait: Et ecce qui prius conspexeram gloriam Dei Israel venientem per viam orientalem, vidi repletam gloria Domini domum eius: & vocem ad me de domo interiori loquentem audiui. Quae quid sit locuta, Scriptura non narrat: nisi forte illud Apostoli: Et audiui verba ineffabilia, quae non licet homini loqui. Haec Sanctus Hieronymus. Qui facem nobis prae-

VIDIT EZEchiel gloriam Dei.

Ezech. 44. ℣. 4. & 43. ℣. 3.

S. Hieron. sup. Ezech. 43. lib. 13.

EZECHIEL audiuit arcana verba, quae non licet homini loqui.

praeferre videtur in hac Pauli, & Ezechielis, A quam persequimur, visionis similitudine. Atque idem significasse videtur Propheta noster, tantis obuoluens sua scripta difficultatibus, vt, vel ijs ipsis à solerti lectore expensis, celsissima intelligantur esse, atque ineffabilia, quae illis continentur mysteria.

Illud vero silentio praetermittendum non est, quòd in tertium caelum raptus dicitur Apostolus, quo non ductus fuisse videtur Ezechiel. Verum si attentiùs perpendas antiquum sacrae Scripturae morem, quem nos suse suo loco probamus, facile intelliges, eo modo quo templum caeli nomine censetur, in hoc quoque similem fuisse vtramque visionem. B In tertium namque caelum raptus fuit Paulus, vtpote qui, transcensa terra mundi huius habitatione, ad primum caelum aethereum ascendit, quo volucres caeli, vt ait Remigius, volitare solent, quo transcenso, ad aethereum ſ.ptem erranteium stellarum, duodecimque Zodiaci signorum perducitur, ac tandem ad supremum tertium, quod empyreum dicitur, raptus fuit, vbi Dei optimi, rerum omnium conditoris, sapientissimique gubernatoris, ac Domini sedes, beatorum spirituum exercitibus innumeris vallatur, benedicitur, & adòratur. Horum autem omnium similitudinem quandam expressit Propheta noster, qui potenti manu Dei, Angelique ductu vtrumque exterius atrium, quasi terrestre domicilium, in quo homines versantur, ac degunt, primum transcendit: deinde in atrium interius ductus est, quo elementares substantiae, non modò aquae, & ignis perpetua asseruatione exprimuntur, verumetiam ipso maris nomine, altarisque incendijs ipsa aetherea regio indicatur, in qua sacerdotes, ministrique reliqui, votis, oblationibus, ac cantilenis suprema petentes, quasi volitare videntur, & canere volucrum instar. Quae omnia ad primum spectant caelum. Ductus deinde est ad secundum, quod, sancta, dicitur, in quo septem candelabri lucernae, totidem stellae errantes, duodecim mensae panes, totidem Zodiaci signa demonstrant, auroque inclusis ordine gemmis, ceterae firmamenti stellae indicantur. Quae omnia emensus, praeteriens tandem ad tertium caelum penetrare visus est, quando, *Introgressus intrinsecus*, Angelus, inquit, *dixit ad me: hoc est sanctum sanctorum*, vbi Deus Optimus ac Maximus sedet super Cherubim. Verum haec ad mysticos potius sensus videntur pertinere, de quibus seorsum tractare decreuimus, ne difficilem hunc cursum, atque impeditam viam litteralis intelligentiae, aut impedire, aut retardare possint. nulla tamen ratione praetermittendum videtur, quod ad nostram facere potest morum modestiam, atque compositionem: quod sicut Apostolo datus fuit angelus Satanae eum colaphizans, ne reuelationum magnitudine extolleretur, sic etiam, Ruperto attestante, Ezechiel filius hominis compellatur, opportuna commemoratione infirmitatis, ac si diceret: O videns, magnitudine reuelationum ne extollaris, vbi visiones Dei vides, quia filius hominis vermis es: hoc non te praetereat, istud tene memoriter. Ita humiliato capite, *vide oculis tuis, & auribus tuis audi*, oculis cordis, auribus interioris hominis. Haec ille. Atque de visionis difficultate, modo, praestantia, & loco dicta sufficiant. superest iam, vt de eo, quod vidit, pressius differamus.

TEMPLVM caeli nomine censetur.

R. Remig. vbi supra.

TEMPLI caelorumque collatio.

Ezech. 41. v. 3 & 4.

TERTIVM caelum sanctum sanctorum est.

Rupert. lib. 2. comm. in Ezech c. 4.

FILIVS HOminis dicitur, ne magnitudine reuelationum extollatur.

QVOD VIDERIT EZECHIEL IMAGINEM *aedificij omnibus suis numeris absoluti, atque perfecti.*

Cap. VII.

EA quae praecedenti capite confirmauimus, difficultatem huic afferre videntur. Nam si corpore raptus fuisset Hierosolymam Propheta, ibique externis sensibus aedificium aliquod exstructum conspexisset, nulla superesset ratio dubitandi, an aedificium partibus constans secum inuicem conuenientibus, conspectum fuisset, an vero contrarijs & repugnantibus. Verum cum ex Prophetae mente, ex sanctorum placitis rationibusque sit confirmatum, spiritu raptum Prophetam, spiritu quoque spirituales imagines conspexisse, dubitare contingit, num imagines illae res aliquas referant, quae aut fuerunt, aut reuera esse potuissent, an vero commentitiae sint, quaeque nusquam exstent. Huiusmodi namque dubitatio, neque à ratione aliena est, neque a sacrae Scripturae consuetudine longè remota. nam, C vt bene notauit Pradus, plerumque Deus rerum impossibilium imagines spiritui Prophetae imprimit, quae aptissime referant res alias spirituales, quae aut sunt, aut reuera futurae sunt. At non aliorum sacrae Scripturae locorum exemplis, quibus res impossibiles proponuntur, haec nititur dubitatio, sed magis rei ipsius difficultati, quae tanta est, vt quamplurimis doctissimis viris, totis viribus, assiduaque defatigatione conantibus partes illas, quas describit Ezechiel, ad vnum reuocare aedificium, nemo tamen illorum, quod sciamus, hactenus rem integram sit assecutus. ex quo facile licet conijcere, id esse impossibile, quod tot saeculis nondum explicatum fuit. Ac- D cedit huc etiam Sancti Gregorij Magni auctoritas magna, qui etiam rationibus probare contendit, non posse prophetiae huius historiam de aedificio aliquo intelligi. ipse enim super illa verba Prophetae: *Et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium ciuitatis vergentis ad Austrum* sic scribit: Cuius videlicet ciuitatis aedificium accipi iuxta litteram nullatenus potest: nam paulò post subdit, hoc ipsum aedificium calamo sex cubitorum & palmo, portam vero eiusdem ciuitatis quatuordecim cubitis mensuratam, cuius portae frontes esse perhibet sexaginta cubitorum. Quae cuncta stare iuxta litteram nullatenus valent. Quomodo enim E totum simul aedificium calamo, id est, sex cubitis & palmo mensuratur, & portae aedificij in quatuordecim cubitis, frontes verò portarum in sexaginta cubitis extenduntur? Porta vero in ciuitate est, frontes verò in portis, & nulla recipi ratio permittit, quia maius est hoc, quod continetur, eo quod continet. Hae sunt Sancti Gregorij rationes, & verba. Ea vero sententia nisi attentius perpendatur, nobis esse posset impedimento quàm maximo: frustra enim tot annis in conformando Ezechielis aedificio laboratum à nobis esset, si ipsa partium oppositio, ac commensuratio impossibilis, inanes, atque irritos nostros omnes conatus fore demonstraret: neque esset, cur

DVBITANdi ratio.

Prad. tom. 1. commen. Isagog. sec. 11.

DEVS IMpossibilium imagines plerumque Prophetis ostendit.

S Greg. homil. 13. in Ezech.

Ezech. 40. v. 2.

VALDE NObis sese opponit S. Gregorij sententia, quam interpretari conamus, non abijcere.

ſet,cur

set, cur haec nostra quisquam legeret, cum non amplius sperandum videretur ex eis emolumenti, aut fructus, quàm ab illis, qui perpetuos motus in machinis, lapidem philosophicum in alchimicis, aut quadraturam circuli, vel, quod peius est, diametri, aut costae commensurationem in Mathematicis pollicerentur. Quapropter Sancti Gregorij mens attendenda est, ac mox rationes expendendae, vt, quid ipsa verba significare possint, non quid sonent, percipere valeamus.

Fuit hoc non modo Gregorij, sed & aliorum aetatis anteactae sanctorum studium in omnibus ferè sacrae Scripturae & verbis, & gestis, Christi Domini, eiusque Ecclesiae mysteria sacrosancta rimari semper, atque statuere, quae vt B in Spiritus sancti propheticis oraculis solidius fundent, & altius, solent quandoque ipsum historiae sensum, tamquam minus aptum, aut etiam impossibilem diruere, vt, historia sublata, quasi egesta humo, in ipsa petra solida diuini verbi iaciant dogmatum pietatis nostrae fundamenta. Hanc vero esse Gregorij mentem, & non aliam, probant eius sequentia verba, quibus mysteria quaerit in psalmo, in quo Lunae, & Stellarum fit mentio, non autem Solis, & tandem haec verba subiungit: *Si ergo aliquid de historiae aperta ratione ducimus ad intellectum allegoriae, quanto magis illa spiritualiter accipienda sunt, in quibus iuxta rationem litterae nihil historicum sonat?* C Haec ille. quibus planè testatum habet, propterea sensum, quem vocat historicum, ab eo sublatum de medio, quòd spiritualem, aut mysticum firmare ibidem cuperet. Quod sanè pium Gregorij, & aliorum desiderium Ecclesiae sanctae ea tempestate frugiferum fuit, vtpore quo tunc Ecclesiae dignitas, & nomen augebatur, & ipsa omnes inimicorum hominum, Epicureorum inquam, atque similium sustinebat impetus, insidias propulsabat. Verum hac nostra tempestate, cum eruditionis, ac scientiarum specie maximè infestetur Ecclesia, vt proferre cogatur de thesauro suo noua, & vetera, D attentiùs perpendere cogimur, atque examinare, quibusnam oraculis historia subsit, vt, cum ostenderimus, quo haec oracula ab alijs distent, quibus nulla subest, haec, atque illa facilius firmentur, atque stabiliantur. Quapropter Sanctorum, patrum, doctorumque nostrorum, pietatem admiramur, veneramur auctoritatem, sapientiam colimus, ac suspicimus pro viribus imitandam. Et hunc eundem morem tenere decreuimus in explanandis Prophetarum oraculis, in quibus mysterium Christi, eiusque diuinae maiestatis, sapientiae, potestatis menti Prophetae aut caelestis innotuit luminis influxu, aut per intelligibiles species impressas, vt vidimus. E At cum mysteria Christi rerum imaginibus potiùs, quàm verbis exprimuntur, cum non verborum allegoria, sed rerum imaginabilium analogia Scripturæ sensus eruendus sit; tunc non esse euellendam historiae veritatem censemus, sed praeintelligendam necessariò, si allegoriae vim percipere velimus: accurata namque rerum, quae signa sunt, intelligentia, harumque, & earum, quae signantur, facta collatio mentem ipsam Prophetae indicat, qua ignorata, prophetiam quoque ignorari necesse est. Quae omnia de vniuersis propheticis visionibus in vniuersum dicta videntur.

LITTERALem sensum conuellere solebant sancti, vt pietatis dogmata fundarent.

Psal 8. ℣. 4.

QVO HOnore prosequamur sanctos doctores, ac parentes nostros.

DIVERSAE prophetiae diuersa ratione explicandae sunt.

Vt igitur ad institutam disputationem propiùs A accedamus, illud in primis statuendum est, quod perspicuum esse videtur apud Prophetam, quodque ipse etiam Gregorius non negat, sed velut certum quid assumit, nimirum aedificij cuiusdam imaginem visam fuisse à Propheta nostro. Quid enim aliud significant illa verba: *Dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad Austrum, & introduxit me illuc?* Quid illa angeli instrumenta, funiculus lineus, calamus mensuræ significant aliud, quàm architecti se munus subire velle, atque aedificium aliquod mensurare? Quid verò aliud sonant illa verba, murus, domus, porta, gradus, limen, thalamus, frontes, fenestrae, B atria, gazophylacia, vestibulum templi, altare, columnae, sanctum sanctorum, & reliquae, quid inquam aliud significant eiusmodi voces, quàm aedificij, immo & templi partes ac membra? In quo nulla potest cuiquam subesse dubitandi ratio. Posset tamen hoc vnum dubitari, num eiusmodi partes, earumque praescriptae dimensiones eiusmodi sint, vt in vnum aedificium pulchrum debita ratione commensurarum possint coalescere? an verò contra secum pugnent, ita vt cuius aedificij fuerit eiusmodi porta, esse nulla ratione possint frontes; atque adeo totum id, quod hac visione continetur, quod ad imaginarias figuras spectat, chimaeram potiùs referat, C quàm exactam aliquam imaginem partium proportione pulcherrimam? Quae quidem tam contraria rerum dissimilitudo, & tam dissimilis partium contrarietas nulli probanda esset, ni fallor, nisi apertis sacrae Scripturæ verbis ita indicaretur, vt negari nulla ratione posset. Quare non dubito, maximam rerum, quae signa sunt, concordiam exoptari à lectore, si tamen ea possibilis videatur. Id quod maximè exoptandum erit attentiùs perpendenti, vniuerso hoc Ezechielis aedificio non Babylonis temeritatem, confusionemque significari, sed Ecclesiæ Christi pulchritudinem, membrorum omnium maximam consensionem, quae *tota pulchra* dicitur, *terribilis vt castrorum* D *acies ordinata*: domus sapientiae, & corpus Christi *compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis*, vt loquitur Sanctus Paulus. Cùm igitur necessarium esse putemus, exemplum respondere exemplari, imaginemque similem esse ipsi rei, cuius est imago, in eam venimus sententiam, vt arbitremur, internis spiritus sui oculis aedificium quoddam conspexisse Prophetam, omnibus numeris absolutum, atque perfectum, cuius singula membra incredibili artificio, ac proportione secum ipsa, & cum aedificio vniuerso mirificè responderent, cuius facies nihil, quod animus aut oculi mirarentur, non habebat, munitissimas portas, amplissimas por- E ticus, spatiosissima atria, regia inquam palatia columnis suffulta marmoreis, auratis laquearibus, aureisque desuper verubus quasi coronis ornata: quarum omnium partium dimensiones, numerum, ordinem, proportiones contemplabatur attentiùs, & quasi quibusdam symbolis ad superiora eleuabatur, & mentis oculis conspicere videbatur domus Dei, hoc est, Ecclesiae Christi oeconomiam, ordinem, dispositionem, gradus, ministeria, quae consimilibus illius fabricae ornamentis repraesentabantur. Id quod coniectura quadam tantummodo ductus, antequam animum, omniaque nostra studia in hanc vnam Prophetae visionem intelli-

AEDIFIcium conspicitur à Propheta.

Ezech 40. ℣. 2. & 3.

DECVIT Ecclesiam Christi ordinatam, ordinato aedificio repraesentari.

Cant. 4. ℣. 7.

Ephes. 4. ℣. 16.

PERFEctum aedificium vidit Ezechiel.

gendam impenderem, suspicabar potius, quàm crederem: at postquam singulari Dei Optimi ac Maximi beneficio obtinere potuimus, vt has nostras templi ab Ezechiele descripti formas, ad exitum perducere vel magna ex parte potuissemus, iam id non credere videmur, sed intimis mentis, externisque corporis oculis aspicere. Atque idem ipsum solerti lectori persuasum fore existimauimus, cum primùm, lectis bis nostris commentarijs, intelliget hoc esse aedificium ab Ezechiele descriptum, cui omnia, quae mensurat vates, membra conueniunt: nullisque constare, quae non aptè respondeant, seruatis omnibus perfectae architecturae praeceptionibus, a quibus nulla ratione dissentiunt, aut illis vlla ex parte aduersantur. Cuius rei vel vnum afferam testimonium, quod si omnibus tantae auctoritatis esset, quantae est mihi, facilè sperarem, nullum me deinceps hac in parte aduersarium habiturum. Illud est Ioannis de Herrera, maximi quondam Philippi Secundi Regis Catholici architecti, ac magistri mei. Is cùm primùm has nostras descriptiones perspexit, earumque proportiones, partium dimensiones, summam consensionem ac pulchritudinem, vt erat ingenij acumine singulari, perpendere potuit, ingenuè fatebatur, aliquid diuinae sapientiae in ipsa se architecturae proportione subolfacere, ita vt etiam si descriptiones ipsas tantummodo vidisset, audissetque à nemine, neque legisset eas sacris litteris contineri, nihilo minus tamen ipse facilè iudicasset, ab humano ingenio excogitatum non fuisse eiusmodi aedificium, sed à Deo ipso infinita sapientia architectatum. Quam ingeniosissimi ac prudentissimi viri sententiam & mihi saepius manifestauit, eamque non dubito quin Regiae Maiestati, cui erat intimè carus, constanter aperuerit: huius enim primùm commendatione, deinde verò ipso Rege probante, maximis ab eo muneribus, atque honoribus hoc nostrum qualecumque studium cumulatum fuit: sine quibus vix, aut ne vix quidem in publicum prodijsset.

CONCORS aedificium descriptionibus ostensis probatur.

IOANNIS Ferrerij luculentum testimonium de templo.

Verum haec externa forte videbuntur, veniamus ad propria: & demus, quod ab omni videtur ratione alienum, aedificium hoc ita partibus constare contrarijs, vt ad fabricam reuocari minimè possit: non igitur ad descriptionem poterit vnam adduci, cum figurae, ac lineamenta aedificium possibile repraesentent. Neque verò graphidis arti hoc vnum tribuendum esse censet Vitruuius, verùm etiam totam pingendi artem circa ea versari putat, quae aut sunt, aut esse possunt: ex quo fit, vt quod esse non potest aedificium, nec pingi rectè possit, in ordinem descriptionum redigi omnino non possit. Quid ergo praecipitur Vati: *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum &c. Figuram domus, & fabricae, eius exitus, & introitus, & omnem descriptionem eius, cunctumque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis*. Quid, inquam, haec praecipiuntur, quae impossibilia sunt? quis enim ad ordinem rediget portam quatuordecim vel tredecim cubitos altam, vt habet textus, cum postibus cubitorum sexaginta in aedificio cubitos sex alto? Quae omnia incommoda facilè sustulit ipse contextus, qui murum, seu peribolum *forinsecus in circuitu domus* vndique fuisse retulit, cuius latitudine, altitudineque calamo sex cubitorum, & palmi mensurata, *venit ad portam* vtique

AEDIFIcium quod describi praecipitur, perfectum est & constans.
Ezech 43.℣*. 10. & 11.*

RESPONdetur ad argumenta.
Ezech 40.℣*. 5. & 6.*

A atrij, cuius postmodum altitudinem tredecim cubitis, frontes verò sexaginta cubitis exegit. quae omnia explanationibus Prophetae, & descriptionibus meridiana luce clariora sunt. Non est tamen praetermittenda Polychronij auctoritas, & salutare consilium, qui cum huiusmodi difficultatem fusius pertractasset, nec tamen certi quidquam statuere potuisset, haec verba subiungit: Non est a verisimili alienum, Prophetam quidem exquisitam, perfectamque à spiritu accepisse rerum propositarum reuelationem, atque ipsum similiter conientanea reuelationi mandasse litteris, nec tamen fore, vt qui postea rem cognoscerent, verborum seriem ita exponere

Polychro. in catena.

B re videantur, vt nihil sit nisi congruens & cohaerens. Qui ergo his perceptis nihil curiosius quàm par est singillatim inuestigant, ob eam causam quam attulimus, Dei prouidentiam cernent. non enim quae nos non comprehendimus, ea vitio vertere mundi rectori debemus, sed admirari Dei prouidentiam, & nostram imbecillitatem profiteri in ijs locis, quae minus assequimur. Haec Polychronius.

Sed ne nihil dixisse videamur ad ea, quae nobis obijciuntur a contendentibus, nullum subesse huic prophetiae historicum sensum, sanctissimi, doctissimique pariter Augustini libuit verba referre, quae & modestiae, humilitatisque

S. AVGVSTIni modestia.
S Aug lib. 8. de Gen. ad litt. c. 2.

C exempla nobis praebent admiranda, & disciplinae documenta praeclara. Duos, inquit, descripsi libros contra Manichaeos, & quia non mihi tunc occurrebant omnia, quemadmodum propriè possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse, aut difficile ne retardarer, quid figuratè significarent ea, quae ad litteram non potui inuenire, quanta valui breuitate & perspicuitate explicaui, ne vel multa lectione, vel disputationis obscuritate deterriti in manus ea sumere non curarent. Memor tamen quid maximè voluerim, nec potuerim, vt non figuratè, sed propriè primitus cuncta intelligerentur, nec omnino desperans etiam sic posse intelligi, id ipsum in prima parte secundi libri ita posui: sane inquam, quisquis voluerit omnia quae dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter in-

D telligere quam littera sonat, & potest euitare blasphemias, & omnia congruentia fidei Catholicae praedicare, non solum ei non est inuidendum, sed praecipuus, multumque laudabilis intellector habendus est. Hoc igitur quod maximè suscipere se alijs in locis affirmat Augustinus, nos in hac Ezechielis visione pro viribus conabimur, quoniam nihil quod blasphemias sapiat, hac litterali explicatione contineri arbitramur: immo vero omnia esse maximè congruentia fidei, quoniam & alijs pene innumeris sacrae Scripturae locis congruere ostenduntur. Sed vnum superest examinandum, quo perspecto, nulla supererit amplius in hac disputatione difficultas. Nimirum, an aliqua assignari ratio

E possit, propter quam visa sit Sancto Gregorio tam difficilis illa quaestio, quam proponit de altitudine aedificij, portae, ac frontium, vt propterea arbitraretur, nullum historiae sensum huic posse subesse visioni, cùm contra eius solutio tam facilis visa sit, vt textus propheticus planè ostendat, murum illum calamo vno altum extra domum fuisse; portam autem domus longè ab eo dissitam. Cuius rei nullam aliam aptiorem excogitare possem causam, quàm quòd fabricae descriptionem neque efformare curauit, neque ab alio efformatam videre potuit, in qua, vel vno intuitu conspiceret omnes simul huius aedificij partes eisdem numeris Prophetae com-

DEFICIENtibus descriptionibus difficiles occurrunt quaestiones, quibus perspectis, facile soluuntur.

tae commensuratas, & certo certius ibidem iudicaret, num membra omnia secum inuicem concordarent, an contra incompossibili contrarietate repugnarent. Cuius quidem rei gratia, prius quam de aedificio ipso, quod, quale, aut quantum fuerit, agamus, ostendendum esse iudicauimus, quod figuram totius aedificij non modò oporteat ob oculos mentis spiritu conceptam habere, verùm etiam necessarium sit ad huius visionis intelligentiam, eius figuras papyro, vel alia quauis materia ob oculos corporis affabrè efformatas habere, dum haec leguntur.

QVOD PRIVS SIT FORMANDA FABRICAE *idea, quàm prophetia intelligatur, aut visionis sensus percipiatur.*

Caput VIII.

DVPLEX hominum genus haec nostra lecturum probè scio: alterum est eorum, qui, sapientes cùm sint, prae ipsius amore sapientiae in multis augeri sapientiam posse non dubitant, atque adeo à quocumque se doceri facilè permittunt, & numquam addiscere dedignantur, parentque voci Platonicae: Dicebat enim, inquit, alicubi Solon: Discenti assiduè multa senecta venit. Et mihi quidem videtur semper sic oportere aliquid discere, cum hominem, qui philosophus futurus sit, siue iuuenis, siue senex sit, vt in vita discat quamplurima. Haec Plato. Alterum verò genus est eorum, qui minimè de sapientiae possessione solliciti, illius nomen & gloriam studiosissimè insectantur. Qui cum omnia se scire putent, non modò nihil curant addiscere; verùm si quidquam illis praeter eorum opinionem proponatur, id aegrè ferunt, & alterius importunam arbitrantes disciplinam, contumeliosè explodunt. Ideoque nullo negotio persuadere me illis posse sperarem, fabricae ideam necessariam esse ad huius visionis intelligentiam: nam experientia difficultatis, & ingenij quo pollent acumine, atque exercitatione id possent vel nemine indicante cognoscere. Reliquum verò hominum genus hanc nostram assumptionem non modò non suscipiet probandam, verùm etiam forte irridebit, quasi nos primi modo nouas videamur leges censere, nouosque modos interpretandi Scripturas velle proponere. Eos tamen hortarer, vt attentiùs quae ipsi Prophetae iniunguntur à Deo, notarent, sic enim habent: *Tu autem fili hominis ostende domus Israel templum*, &c. *figuram domus*, &c. *omnes descriptiones eius* &c. *ostende eis, & scribes in oculis eorum*. Quae verba, vt in eorum explicatione videbimus, nihil aliud significare videntur, quàm figuram templi non modo mente esse concipiendam, verùm

Plat. lib. 2. de philosoph.

DESCRIPTIONES fieri, à Deo ipso Prophetae iniungitur.

A etiam papyro, tabula, aut alia quauis materia efformandam, & corporeis oculis subijciendam esse: quo omnibus notum sit atque perspectum, prophetiam hanc, quae ab Ezechiele tunc scribebatur, cum internis oculis quasi praesens conspiciebat templum, nullo modo percipi posse, nisi ab ijs, qui corporeis quoque oculis figuram domus conspicientes, singulas eius partes, dimensiones, rationes, ordinem, vt mente concipere, oculis intueri possent. Quae omnia planè nouit atque indicauit Sanctus Hieronymus, dum eruditum putat fuisse Geometria Ezechielem haud secus quàm a Iosue missos Palaestinae exploratores; sic enim scribit, praedicta verba ex-
B plicans: Non parui operis est, quod oculis carnis, aut mente conspexeris, audientibus demonstrare, vt & ipsi tecum vidisse videantur. Quamobrem scribit & Iosephus, eos, qui ad describendam terram missi sunt ab Iesu filio Naue, fuisse γεωμέτρας, & artem, quae nunc philosophorum propria est, habuisse Geometriae. Haec Sanctus Hieronymus. Iosephi porrò verba haec sunt. Deinde (censuit Iosue) ex singulis tribubus singulos testatae probitatis viros eligendos, qui regionem totam permensi, bona fide & absque dolo magnitudinem eius renunciarent. In eam sententiam itum est ab vniuerso populo: moxque eos viros misit ad metiendam terram, adiunctis ad eos quibusdam Geometriae peritis, qui propter
C hanc scientiam errare ac falli non poterant. haec ille. Ex quibus efficax deduci posse videtur argumentum huiusmodi: si, ad mensurandam superficiem terrae, necessariam fuisse Geometriam censuit cum Iosue vniuersus populus Israeliticus; quanto magis necessaria erit ad dimetiendam magnificentissimi templi fabricam, eiusque ac singularum partium longitudinem, latitudinem, celsitudinem, rectitudines, angulos, recessus, proiecturas, retractiones, atque his similia propemodum infinita? Quorum omnium non satis est habere dimensiones, sed, ad exactam rei cognitionem, oportet de earum similitudine, differentia, excessus proportione iudi-
D care. vt propterea dictam fuisse videatur Ezechieli ab Angelo: *vide oculis tuis*, aedificium vniuersum, ac singulas eius partes: & mensurante me, *auribus tuis audi* referentem, quot cubitis, palmis, aut calamis singulae partes constent. *& pone cor tuum*, hoc est intentam animi cogitationem, vt mente percipere possis, *omnia quae ego ostendam tibi* de admirabili partium symmetria ac proportione.

Iam verò si Ezechielem sacerdotem, qui viderat, ac plures annos in ipso templo commoratus fuerat, vt illud Israëlitis qui supererant, ac templum ipsum viderant, ostenderet, figuram eius geometricis rationibus describere oportuit;
E quanto magis oportebit nos idem praestare, vt eadem, quae obscuritatis nebulis contecta cum essent, vix intellectu interlucente quasi eminus vidimus, lectoribus manifestemus, qui nec templum viderunt, neque eius videndae formae tanto studio tenentur? Haec verò omnia ideo exponere lectori decreuimus, vt animi neruos in eam curam intendat, ac labore suppleat id omne, quod industria ac dicendi peritia in nobis desideraretur. Quapropter cùm totius fabricae ab Ezechiele descriptae, ac singularum partium figuras delineandas nobis esse iam constet, lectori quoque attentiùs percipiendas esse putamus, priusquam legere, si intelligere velit,

SINE FIGVRIS non potest comprehendi, quod de perspectis aedificijs scribitur.

S. Hieron. sup. Ezech.

GEOMETRA fuit Ezechiel, cum exploratoribus Palaestinae.

Ioseph. lib. 5. antiq. cap. 1.

GEOMETRIAE scientia in terrae dimensione falli non sinit.

VIDENDA, audienda, mente concipienda, quae sint.

FIGVRAE prius intelligendae, quam commentarij nostri.

lit, aggrediatur. Cuius rei rationem ex ipso Gregorio, qui aliter sentire videbatur, desumere licet. Vsus propheticae locutionis est, inquit, vt prius personam, tempus, locumque describat, & postmodum dicere mysteria prophetiae incipiat, quatenus ad veritatem solidius ostendendam ante historiae radicem figat, & post fructus spiritus per signa & allegorias proferat. Hactenus Gregorij sunt verba. Qui quas vocant circumstantias, personae, loci, ac temporis, radici confert, significata per allegorias, arborum fructibus comparat. Verum enim vero propior multo est sensui allegorico res illa, aut historia, ex qua desumitur eiusmodi figurata locutio, quàm locus, tempusue, in quo vel facta fuit, vel enuntiata prophetia; hic igitur historiae sensus non minus necessarius est ad mysticos sensus percipiendos, quàm, ad proferendos arboris fructus, necessaria est radix viuens ac vigens, terraeque optimè inhaerens. Sed quid coniecturis probare contendimus id, quod eiusdem Gregorij verbis, apertissimoque testimonio confirmatur? In verbis, inquit, sacri eloquij prius seruanda est veritas historiae, & postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae: tunc namque allegoriae fructus suauiter carpitur, cum prius per historiam veritatis radice solidatur. haec sanctus Doctor: cui accinit Beatus Augustinus, qui, cum ea referret, quae ad sacrorum librorum intelligentiam conducere posse existimauerat, multasque propterea commemorasset artes, atque in primis aedificatoriam, haec subdit: Harum autem cognitio tenuiter in ipsa humana vita cursimque vsurpanda est, non ad operandum, nisi forte officium aliquod cogat, de quo nunc non agimus, sed ad iudicandum, ne omnino nesciamus, quid Scriptura velit insinuare, cum de his artibus aliquas figuratas locutiones inserit. Haec Sanctus Augustinus. Artium praeterea, quas mechanicas vocant, cognitionem intelligenti sacras Scripturas tribuit, propter locutiones quasdam atque similitudines, ex eiusmodi artibus plerumque desumptas, cuiusmodi est illa Prophetae nostri: *Ipsi aedificabant*, inquit, parietem, *illi autem liniebant luto absque paleis.* Quae vix intelligi potest, nisi a praedictae artis praeceptionibus prius sciatur, lituram luti absque paleis factam, mox atque aruerit, rimulis diffissam quamplurimis tandem cadere. Eiusmodi est illa Amos prophetae: *Et ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cementarij*, &c. Et aliae eiusmodi quamplurimae, quas esset longum recensere. Si igitur, propter vnam aut alteram similitudinem intelligendam, artis peritiam exigit Augustinus, quid quaeso peterer, ad visionem hanc percipiendam, quae vniuersa in describendo accuratissime templi aedificio versari videtur? Ars verò haec, vt dixi, descriptionibus atque figuris vtitur, quibus haud secus de futuro aedificio, vel de praeterito & iam subuerso iudicat artis peritus, quam de existente ac praesenti iudicat imperitus. Sublatis verò de medio figuris, vix, aut ne vix quidem, de non exstante aedificio iudicet architectus, nedum is, qui nec artis voces nouit, neque ipsius scientiae nomen vnquam forsan audiuit. Quae sanè causa, ni fallor, fuit, propter quam in obscuritatis tenebris hactenus delituerit haec visio. Rerum namque, (inquit Augustinus) ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumue rerum quae plerumque in Scripturis similitudinis alicuius gratia ponuntur.

S. Gregor. homil 2. in Ezech.

LITTERALIS sensus radici, mysticus fructui comparatur.

S. Greg. hom. 40. in Euang.

S. Aug. lib. 2. de doc. Christ. c. 30.

ARTIVM cognitio sacrae Scripturae interpreti necessaria.

Ezech. 13. ℣. 10.

Amos 7. ℣. 7

QVARE non prius explicata sit visio

S. Aug. lib. 2. de doct. Christian. c. 16.

Iam verò huius capitis argumentum, quod in eo versari videtur, vt probemus exactissimas templi imagines adhibendas ad visionem hanc percipiendam, quam illis deficientibus ignorare necesse est, hoc, inquam, argumentum, eiusque vtramque partem propositam, propositis plurium Scriptorum irritis conatibus, quasi aptissimis exemplis confirmare non grauabimur. Atque in primis dubitari meritò posset, quid sit quod praeterita saecula, quae in reliquos sacrae Scripturae libros vbertima ediderunt commentaria, de vno Ezechiele (Hieronymo teste) vniuersa tacuerint? Fuit Parisiense illud saeculum sapiens, fecundum, atque scribendis libris addictissimum, quod in Ezechiele explicando non parum laborauit, sed quo fructu nondum videtur esse perspectum. Etenim Nicolaus Lyranus, Hebraeorum, nostrorumque pariter adiutus commentatijs, conatus est pro viribus, adhibitis etiam suis schematis, Ezechielis vaticinium explanare. Cuius studium ac diligentia forsan aetati illi probabatur, qua, obliterata pene omni architectonicae artis ratione, Longobardorum figmenta tota ferme Europa vigebant, atque aedificiorum quaedam veluti monstra atque portenta, non sine magnis sumptibus, excitabantur: illis verò, quibus perspectus esse potuit antiquae Architecturae modus, exstantibus adhuc Romae templorum vestigijs, quae iuxta exactam architectandi rationem fabricata erant, illis inquam, neque Lyrani structura placere poterit, neque ipsius Prophetae verbis consona videnda est. Id quod tunc maximè lectori constabit, cum singulas nostrarum descriptionum partes, ne dicam lineas, ad ipsa Prophetae verba, quasi ad lapidem Lydium roetalla, adduxerit. Edidit iustum de Ezechielis aedificio volumen Richardus de sancto Victore, doctus pariter ac solers scriptor, neque sine lineamentis posse Propheram intelligi arbitratus, suas addidit commentario figuras. res verò minimè successit ex voto, tum quod linguarum peritia destitutus, difficillimam vocum interpretationem consequi non potuit, tum verò maximè quod Architectura minimè eruditus, inelegantes pariter atque deformes proponit templi imagines: rusticorum casas potius repures, quàm domum Dei, quae infinitis ferè nominibus Dei dicitur. Nimirum propter omnium rerum excellentissimum ac pene diuinum apparatum, & quod Dei habitatio est, & quia eius est structura, atque ab eo excogitata est omnis aedificij proportio ac symmetria. Floruerunt deinde Parisijs alij linguarum scientia instructi, atque huius visionis explicandae desiderio non parum excitati, qui in delineandis figuris diligentiae haud parum impenderunt & operae, vt sacra biblia ibidem excusa demonstrant. Eorum porro schemata aere incisa, subtiliore opera efformata, in bibliorum apparatum ab eruditissimo viro Benedicto Aria Montano concinnatum fuere translata. Ea vero, tum quod non ad amussim sacris oraculis respondeant, ac ne vix quidem aliqua ex parte: tum verò quòd artis rationibus destituantur ac legibus, minus probanda videntur, & ea sunt, quae minimè possint intellectui scientiae cupido satisfacere. Mitto nunc illos omnes, qui sacrae Scripturae interpretes agere cupientes, Salomonis templum instaprare professi sunt, inconsulto Ezechiele, in

LYRANI interpretatio qualis.

LONGObardorum architectura monstruosa.

RICHARDI studium haud succedens.

DOMVS Dei quare dicatur templum.

ARIAS Montani descriptiones.

scio

scio Vitruuio, Euclidis nomine ignorato: illi enim nihil aliud videntur consecuti, quàm vt inter dissidentium Scripturae sacrae interpretum opiniones, censores haberi voluisse videantur. Sed quid praestent commodi, aequumue ab iniquo quomodo discernant non video, si absque censoria virga, sine mensurae calamo, sine cubito, sine funiculo, atque alijs, quibus ne ipse quidem Dei Angelus in dimetiendo templo carere voluit, id faciant. Qui profectò omnes similes esse mihi videntur fabris illis, qui sine vllo suae artis instrumento artem exercere vellent, ac si fabricator, spreto filo, perpendiculo, regula, & amussi, muros ad perpendiculum erigere, longitudines ad regulam, angulos ad normam exigere praesumat. Quapropter monendum lectorem duxi, frustra laboraturos eos omnes, qui sine calamo, funiculo, & circino Ezechielem suscipiunt interpretandum, vel addiscendum aggrediuntur. Id quod testari planè videtur Angelus apud Ezechielem, lineum funiculum, & calamum mensurae prae manibus gestans, eadem adhibens dimetiendae fabricae instrumenta, quibus fuerat olim constructa. Id verò dimetiendae fabricae munus toti Israeli iniungitur à Deo, dicente ad Ezechielem: *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum*, &c. *Et metiantur fabricam*. Illi verò, nostrae aetatis scriptores, qui allegorias in Ezechielem texuerunt longissimas, vmbras sectari videntur, quarum non sunt corpora, fructus colligere, quorum nulla fuerit radix, rerum, quae non sunt, imagines perscrutari. Nam cùm Deus Optimus ac Sapientissimus admiranda quaedam Christi mysteria Ezechieli manifestare voluerit sub perpetua quadam templi, eiusque fabricae, polchritudinis, magnitudinisque similitudine, vix, aut ne vix quidem ea iuxta proferentis mentem percipi poterunt, nisi prius ipsa templi figura, quae Ezechieli inspicienti primùm, ac deinde scribenti praesens fuerat, praesens quoque intelligere cupienti sit, vel per figuras expressas ac delineatas, vel per adaequatos (quos vocant) fabricae conceptus, illis persimiles, quos habuit *in visionibus Dei* sanctus Ezechiel. Quae omnia de nostrorum scriptorum allegorijs, absque historiae fundamento exstructis, non sunt sinistrè, ac praeter mentem nostram aduersus sanctos illos patres detorquenda, qui allegorias etiam suas ac mysticos sensus scriptis tradiderunt. Nam praeterquam quod difficultatem operis exaggerantes, dolere videantur, quòd totius prophetiae sensum assequi nondum potuerint, illis, vtpote mentis oculos assidua diuinorum contemplatione illuminatos habentibus, datum fuit, mysticos sensus in singulis seorsum sacrae Scripturae partibus inuenire, ac singulis propemodum verbis, quamuis sicut omnes inuenire non poterant, ita neque illos inuenerint, qui vniuerso prophetiae contextu continebantur. Quos cùm vehementer scire cuperemus, omnem curam & sollicitudinem hanc vnam in rem intendimus, vt contextum ipsum percipere primùm aliqua ratione possemus. Atque adeo, Dei ope implorata, atque beatissimae Virginis patrocinio, cui ab initio haec nostra studia dicantur, deprecatore etiam ipso sancto Ezechiele, hic templum aggredimur explicandum, si firmum ac fixum legentium animis maneat, hanc Ezechielis visionem absque delineationibus intelligi non posse,

QVI SINE mensuris ac calamo templum explicare conantur, frustra laborant.

FABRICAM metiri praecipit Deus.

Ezech. 43. ℣. 10. &

Ezech. 40. ℣. 2.

DISCRIMEN inter sanctorum, & aliorum mysticas interpretationes absque literali sensu.

INSTITVTI nostri, & exquirendi modus.

HIEROSOLYMITANVM TEMPLVM EZECHIELI fuisse in visione ostensum.

Cap. IX.

OSTENDIMVS iam satis, descriptum ab Ezechiele aedificium conueniens fuisse, atque perfectum, quodque aedificari facilè potuisset, aut credi aliquando aedificatum fuisse. His igitur quasi praiactis fundamentis, reliquam explicandae visionis fabricam superstruere iam decet. Atque in primis decernendum videtur illud, quod cuiuis se offerat, vbi haec legerit, nimirum, an sicut esse potuit veri alicuius aedificij aut templi imago, ita verè fuerit, & cuius. Nam cùm Hierosolymam delatus dicatur Propheta, vt hoc videre posset templi aedificium, ea mox subit mentem cogitatio, an fuerit Hierosolymitani templi ostensa figura, illius inquam magnificentissimi templi, quod olim fuit à Salomone sapientissimo, ditissimoque Rege incredibili sumptu, magnitudine ac proportione aedificatum. Dubitant de hac eadem re multi: neque immeritò. Cum enim hactenus non defuerint aliqui, existimantes se probè cognouisse templum illud Salomonis, cuius in Regum, ac Paralipomenon libris fit mentio; nullus tamen ferè tam audax fuerit aut praeceps, qui de templo Ezechieli ostenso sibi polliceretur fuisse cognitum atque perspectum: qua ergo ratione simile dicant ignotum cognito? At neque aequum fuisset iudicare dissimile. Verùm ea sunt hominum ingenia, vt quam ipsi ignorant rerum similitudinem, facile negent esse possibilem. Quapropter disputandum nobis esse cum multis certò scimus, quibus iamdudum videtur fuisse persuasum, cum templo Salomonis, nihil hoc nostrum habere commune. Firmat eorum opinionem, quod legerint apud Ezechielem atria quamplurima, porticus, portas, exhedras, gazophylacia, thalamos, columnas, cochleas, cenacula omnia incredibili artificio exstructa, mirabili apparatu, ornamentisque pulcherrimis, quae omnia de templo illo Salomonis nec scripta legi videntur, neque fuisse audita. Vnde conficiunt, hanc Ezechielis domum fuisse augustiorem, illam longè angustiorem. Ego vero aliud ab his longè diuersum ex ipsa eorum sententia colligo, eos non minus Salomonis templum, quale fuerit, ignorasse, quàm, quòd sit illud, nesciuisse, cuius similitudo Ezechieli fuerit demonstrata. Quam sanè meam sententiam non est, opinor, quod pluribus probem, cùm ea maximè confirmata videri facilè possit, cùm primùm hoc Ezechielis aedificium, quod se illi ignorare non negant, idem omnino fuisse ostenderimus cum illo Salomonis, quod se temere scire praesumunt. Verùm videre mihi videor tacitas legentium cogitationes, & quasi eos audire mihi obijcientes hoc idem, quod impedimento fuisse scriptoribus paulo antè demonstrabam, quò minùs vtriusque templi similitudinem

NISI SALOMONIS, & Ezechielis templum pariter cognoscantur, iudicari non potest, an hoc illi sit simile.

VTRIVSQVE templi comparatio.

EZECHIELIS aedificium hic describitur.

agno-

agnoscerent: siquidem vtriusque pariter ignoratione praepediri eos diximus, ne vtriusque similitudinem agnoscant: Sed forte nos in idem videamur incidisse peccatum, qui priùs vtriusque aedificij similitudinem suscipimus explicandam, quam vniuscuiusque formam, structuram, fabricam. Et quamuis non negem, faciliùs multò de vtriusque similitudine iudicari tunc posse, cum vtrumque templum pariter fuerit lectori perspectum, tamen, quoniam ex huius solutione quaestionis tota videtur pendere nostra disputatio, vtpote quae statuere videatur, de quo templo agendum sit nobis, eam oportuit quaestionem principio soluere: ita tamen id praestare conabimur, vt propositae difficultati satisfacientes, ea tantummodo ex vtroque templo simul conferamus, quae omnibus etiam ante nostram hanc visionis explicationem potuerint esse cognita atque perspecta. Qua in re Angelum mensurantem, Ezechielemque mensuras describentem ducem viae pariter sequemur, ab eo loco exordium sumentes, in quo exstructum fuit illud, hoc verò ostensum.

QVARE priùs de vtriusque templi similitudine, quàm de vtriusque fabrica agamus.

Domus, quam describit Propheta, super montem excelsum terrae Israël exstructa erat, ipso attestante, quod anno decimo quarto, postquam percussa est ciuitas, facta sit super eum manus Domini, & adductus sit illuc, in visionibus, inquam, Dei adductus sit in terram Israel, & dimissus supra montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium ciuitatis, in quod introductus, templum vidit, & singulas eius partes ab Angelo mensurari. Atqui Beatus Ambrosius, cum in similia sanctissimi Apostoli, Euangelistae, atque prophetae Ioannis explicanda incidisset, quibus ab Angelo volente sibi ostendere sponsam vxorem Agni, sublatum se affirmat *in spiritu in montem magnum & altum*, & ostensam sibi *ciuitatem sanctam Ierusalem*, haec ait. Ezechielis victura visio cum hac Ioannis visione concordat in aliquibus locis, & ideo placuit vt de illa huic operi pauca inseramus. Dicit namque montem sibi fuisse monstratum, super quem erat ciuitas, & in ea templum. Verum ciuitatem tantummodo commemorat, de templi structura multa est locutus. Haec est sancti Ambrosij sententia de Ezechielis templo super montem exstructo, quae & vera est, & in ipso contextu perspicua. Nec minus est certum, Salomonis templum in celsissimo monte constructum fuisse, cùm in libro Paralipomenon haec verba legamus: *Coepit Salomon aedificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria*, quam vocem satis infrà clarè ostendemus, significare conspicuum videndum, prae nimia videlicet celsitudine. Quare situs, & area vtriusque templi pariter in excelsi montis cacumine videtur designari.

SVPER montem excelsum vtraque domus exstruitur.

S. Amb. commen. sup. Apocalyp. 21. ℣. 10.

2. Paral. 3. ℣. 1.

Infra par. 1. Appar. lib. 1. yrh. c. 8.

Duplex praeterea atrium describitur à Propheta (nam de gentium atrio ferè nulla fit mentio, vt paulò inferius videbimus) alterum exterius, septenis distinctum subdialibus areis, senis distinctas porticibus & interius, in quo erat altare, ac templum. Eadem atria iterum referri videmus ab eodem Propheta de templo Salomonis sine dubio loquente. Anno enim sexto transmigrationis Regis Ioacim, hoc est, quinque annis antequam subuerteretur templum, vt bene probat Pradus, similitudine manus apprehensum se dicit, & adductum Hierosolymam, atque in templum. & post alia haec subdit: *Et introduxit me per ostium portae domus Domini, quod*

Cap. 40. Ezechiel. ℣. 20. & 23.

DVPLEX atrium vtroque templo.

Prad. Ezech. 8. ℣. 1.

Ibid. ℣. 7. & 14. & 17.

A *respiciebat ad Aquilonem*. Et iterum. *Et introduxit me*, inquit, *in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem*. Ecce atrium interius, quod non verè diceretur interius, nisi fuisset exterius aliud. Fit autem praeterea hoc loco templi ac domus Domini commemoratio, assignata etiam templi, atque altaris dispositione, cum templum ad Occidentem extitisse significetur, altari in medio atrio interiori ad Orientem constituto. Duplicis huius atrij fit mentio in libris Regum, & Paralipomenon. Dum enim iniquissimi Regis Manassis B scelera percensentur: *Et exstruxit*, inquit, *altaria vniuersae militiae caeli in duobus atrijs templi* Domini. Horum autem duorum atriorum nomina indicauit eadem historia exstructi templi, in libris Regum, & Paralipomenon. *Fecit*, inquit, *& atrium sacerdotum, & basilicam grandem*. Quem locum sic vertit in Regio codice Pagninus: Et fecit atrium sacerdotum, & atrium auxilij magnum. Eadem fere verba ex Graeca Septuaginta interpretum lectione conuersa leguntur ibidem: Atrium sacerdotum & interius dicitur, quia in medio positum, solis sacerdotibus cum suis ministris, vt ibidem sua quisque obiret munia, patebat, reliquam arcebat vulgi C aut populi multitudinem, nec tantùm, sed & ipsos Reges, vt in Ozia videre est, atque alijs.

4. Reg. 21. ℣. 5. & 23. ℣. 12. & 2. Paral. 33. ℣. 5.

2. Paral. 4. ℣. 9.

Exterius verò atrium magnum, seu grandis basilica dicitur, quod tantae esset magnitudinis, vt atrium interius vndique cingeret, & quasi gremio suo complecteretur, multisque partibus superaret. Basilica vero merito dicitur ab interprete Latino, quo singulas, quibus cingitur, atque distinguitur, porticus indicaret, quas omnes triplices fuisse, haud secus, quam quae in basilicis olim fiebant, perspectum est, & à Vitruuio praescriptum, & diuinis litteris obsignatum, de basilica Salomonis, quae saltus Libani dicebatur, & de qua nos iterum, Deo dante sed D harum porticuum ordines ternos, totidemque suspensa laquearia cedrina obscura quadam oratione describit liber Regum his verbis: *Et aedificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri*. Quem locum perperam interpretantur scriptores illi, qui atrium interius peribolo quodam cingi tres cubitos alto existimant, nec alio praeterea aedificio. Id plane indicat locus alter eiusdem libri, qui sic habet: *Et atrium maius rotundum* (Hebraicè per circuitum) *trium ordinum de lapidibus sectis, & vnius ordinis dedolata cedro: nec non & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus*. Quod si ibi tres ordines ad altitudi- E nem periboli referebant, quod trium cubitorum fuisse dicitur à Iosepho, ad eandem altitudinem planè referri debent eadem verba, quae de porticu domus loquuntur, quam centum viginti cubitos fuisse altam nouimus in libro Paralipomenon: neque aliquod habuisse peribolum vmquam aut legimus aut audiuimus. Verùm cùm eiusmodi interpretatio ex sola nascatur Hebraicae phrasis ignoratione, ea explicata, suo loco ostendemus, ibi triplices in altum columnarum ordines indicari, ac totidem trabeationes, haud ab illis diuersas, quae referuntur ab Ezechiele illis verbis, quae sua quoque difficultate obuoluuntur, vt videbimus: *Vbi erant gazophylacia in supe-*

ATRIVM exterius cur basilica grandis dicatur.

3. Reg. 6. ℣. 36.

TRIPLICES porticus vtrique templo fuerunt, & atrio.

3. Reg. 7. ℣. 12.

2. Paral. 3. ℣. 4.

Ezech. 43. ℣. 5. & 6.

in superioribus humiliora: quia supportabant porticus, quae ex illis eminebant de inferioribus, & de medijs aedificij. Tristega enim erant, & non habebant columnas, sicut erant columnae atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de medijs à terra cubitis quinquaginta. Haec verò omnia in idem recidunt argumentum, vt probent atria templi Ezechielis quàm simillima fuisse atrijs templi Salomonici: immo eadem ipsissima; hic enim cardo totius praesentis disputationis vertitur. Nihil enim est in templo Ezechielis, quod in maiorem rapiat admirationem legentes, quàm atriorum amplitudo, & magnificentia, quorum simile quidpiam de Salomonis templo legisse se nullus recolebat. Nos vero hoc vnum ob oculos semper habuimus, vt singulas templi partes, quae ab Ezechiele recensentur, cum alijs historiarum locis conferamus.

ATRIORVM templi magnitudo inaudita.

Et quidem quod ad atriorum longitudinem, latitudinemque spectat, ea satis probari videtur ex mensurarum tabernaculi proportione, quae omnes dupla ratione maiores sunt. quare cum tabernaculi atrium quinquaginta cubitorum fuerit, atria templi singula centenis longa & lata fuisse certum est. Sed haec non sunt huius loci examine perficienda. hoc vnum cuique manifestum esse poterit, Salomonis templum totius ferme Israelis fuisse capax, qui ter in annis singulis, religionis ac voti causa eò confluebat. praeterquam quod tanta erat ministrantium in eo sacerdotum ac Leuitarum multitudo & copia, vt nullis alijs copijs vsus fuerit Ioiada Pontifex ad tyrannidem Athaliae regnantis Hierosolymis depellendam, & Ioam septem annorum puerulum Regem constituendum, dicente eodem Ioiada: *Tertia pars vestrum, qui veniunt ad sabbatum, sacerdotum & Leuitarum & ianitorum erit in portis: tertia vero pars ad domum Regis: & tertia ad portam, quae appellatur fundamenti: omne vero reliquum vulgus sit in atrijs domus Domini. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi sacerdotes, & qui ministrant de Leuitis.* Et post pauca haec legimus: *Et veniebant per ordinem sabbati cum his, qui impleuerant sabbatum, & egressi erant. siquidem Ioiada Pontifex non dimiserat abire turmas, quae sibi per singulas hebdomadas succedere consueuerant.*

TEMPLI ministris haud secus, quàm numerosis copijs Ioam Regem creauit Ioiada tyrannide pulsa.

2. Paral. 23. ℣. 5. 6. & 8.

Fuerunt autem sacerdotes & Leuitae, qui singulis hebdomadis in templo ministrabant septingenti & eo amplius, vt logistica supputatione suo loco probaturi sumus, quos omnes in ipso templo per totam vicis suae hebdomadam manere solitos fuisse, confirmare videtur sanctus Lucas Euangelista. Cùm enim filium ab Angelo Zachariae in templo ministranti promissum enarrasset, haec subdit: *Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam. Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius*, &c. Non enim aut angelico dignus effectus colloquio, aut promissi filij expectatione exultans, aut linguae impedimento consternatus, à munere suo prosequendo dimoueri potuit iustus Dei sacerdos, quem neque extollant prospera, neque conturbant aduersa, quò minus in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela consueto incederet modo. Sed ad institutum reuertamur.

SACERDOTES ministrantes per totam hebdomadam in templo manebant.

Luc. 1. ℣. 33.

ZACHARIAE constantia.

Est & aliud argumentum, amplitudinem atriorum templi Salomonici mirificè confirmans, gazophylaciorum videlicet multitudo, ac magnitudo, quae capax esset omnium decimarum, ac primitiarum totius Israel. siquidem reuersus Ierosolymam Nehemias, & cognoscens partes Leuitarum non fuisse datas, causam egit aduersus magistratus. atque adeo: *Omnis Iuda*, inquit, *apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea*, enumeratisque quatuor sacerdotibus atque Leuitis, de eis sic loquitur: *quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditae sunt partes fratrum suorum.* Haec autem horrea omnia in templo fuisse perspectum esse poterit, legenti quae ibidem referuntur de Eliasibo sacerdote pessimo, qui partes sacerdotum ac Leuitarum iniquè vsurpauerat, nec tamen ausus fuerat eiusmodi decimas, quas furto patere statuerat, extra templum reponere: sic enim legimus de eo: *Qui fuerat praepositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiae. Fecit ergo sibi gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vasa, & decimam frumenti, vini, & olei, partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias sacerdotum.* Haec autem eadem confirmari videntur paterna illa Dei nostri ad populum suum exprobratione, cohortatione, promissione, quam legimus apud Malachiam prophetam: *Et dixistis*, inquit, *in quo configimus te? In decimis, & in primitijs*, quas mihi persoluere contemnitis. Quapropter: *Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.* illa coniunctio, &, vel causalis est, quia me configitis, vel aduersatiua, & tamen adhuc me configere non desistitis: *Inferte omnem decimam in horreum*, non nulli codices addunt, explicationis gratia, meum, sed perspicuus est idem sensus ex subsequentibus. *Et sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas caeli*, &c.

2. Esdr. 13. ℣. 12. & 13.

OMNES decimae Israelis asseruabantur in gazophylacijs atriorum templi.

Ibid. ℣. 4. & 5.

Malac. 3. ℣. 8 & seq.

SOLVENDIS primitijs ac decimis v·beres fructus promittit Deus.

Quanta autem fuerit haec, quae ex decimis colligebatur, frumenti, vini, & olei copia, vel ex eo facile poterit intelligi, quod decimis his atque primitijs alebantur cum familijs suis, *triginta illa octo* Leuitarum *millia*, qui numerati dicuntur à Dauide sub ipso regni Salomonis initio. Sed quid opus est atriorum templi Salomonici magnitudinem aliunde ratiocinationibus inuestigare, cùm eam disertis verbis Iosephus describat, nec aliam esse comperiamus ab ea quam Ezechiel describit. qui postquam ciuitatem vniuersam mensuratam fuisse ab Angelo retulisset; mox ad templum regreditur, dicens. *Per quatuor ventos mensus est murum eius vndique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum, diuidentem inter sanctuarium, & vulgi locum.* quam mensuram de alio quàm de muro atrium Israel ambiente intelligi non posse, cuius esse poterit perspicuum, vt à nobis in eius explicatione demonstratum est. Huic autem dimensioni atrij Israelis, latitudinem quoque atrij gentium subiungit alibi, sic inquiens: *Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos quadrifariam per circuitum: & quinquaginta cubitos in suburbana eius per gyrum.* Quod si ab extimo gentium atrio, quod, vt infra videbimus, suis etiam porticibus cingebatur, computationem aggrediamur, cum quingentis cubitis muri, quem ambit, addit hinc quinquaginta, atque illinc totidem, erit vtique ipsum atrium gentium longum quaqua versum cubitos sexcentos, totidemque extenditur quaelibet eius porticus. Iosephus verò porticus has

1. Paral 23. ℣. 3.

EZECHIEL & Iosephus atria templi eadem magnitudine definiunt.

Ezech. 42. ℣. 20.

Ezech. 45. ℣. 2.

PORTICVS atrij gentium longitudo, & magnificentia.

Ioseph 6. bell. c. 6.

mirificè

mirificè commendat à materia, artificio, magnificentia, dimensionibus, ac tandem haec subdit: Omnis gyrus earum sex mensura stadiorum cum Antonia concludebatur. Est autem stadium ab Hercule constitutum pedum sexcentorum, quem morem Graecia deinde perpetuo tenuit. Quod si maior pedum numerus stadio datur à Censorino, decurtatis pedibus tribuendum id esse probatur ex Gellio. Qui quidem pedum numerus, si sublata tertia sui parte ad cubitos reuocetur, quadringentos efficiet: atque adeo Iosephus pro quadringentis cubitis semper stadium substituit. & singulas porticus sesquistadium longas esse indicat, qui quaternas sex mensurat stadijs. Quae etiam ratione porticus atrij Israelis metitur quoque, quarum latitudinem infra definitam fuisse ab Ezechiele ostendemus cubitis quinquaginta, Si igitur ex quingentis cubitis muri extimi hinc quinquaginta illinc totidem subtrahas, reliqui erunt Israelis atrio quadringenti cubiti, ac totidem cubitis in longum patebunt singulae porticus.

Censor. de die natali c. de spatio terrae.

A. Gell. lib. 1. noct. cap. 1.

QVADRINgenti cubiti stadium constituunt.

Ezech 40. ℣. 18.

ATRIVM Israel quadringentorum cubitorum.

Earum meminit iterum Iosephus, sic scribens: Tumulus erat petricosus, &c. Huius verticem primus Salomon Rex noster muro circumdedit, radices quoque eius alio muro cinxit, &c. Hoc opus postquam aequatum est vertici, cauitas quae erat murum inter & tumulum, expleta est, vt complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus quatuor stadiorum circuitu, singulis lateribus inter duos angulos per stadia singula patentibus. Quae C omnia in vniuersali vestigio infrà apponendo perspicua sunt. Verùm, quoniam longum esset huc omnia referre, quae hanc nostram sententiam confirmant, in quam vna videntur conspirare omnia, quae toto hoc opere de templo, eiusque mensuris tradituri sumus, ne eadem hic iterum cogamur repetere, praetermissis ceteris, nonnulla breuiter percensebimus, quae citra controuersiam sunt, atque ita explorata, vt à cordato viro vix ac ne vix quidem negari posse videantur.

Ezech. 41. ℣. 1. & seq.

Ezechiel sanctum mensurat, cùm ait: *Et introduxit me in templum*, Hebraicè היכל hacheal, qua voce ferè semper sanctum significatur: ac post pauca subdit: *Et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum. Et introgressus intrinsecus* mensurauit frontes, portam, & latera, ac subdit: *Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum ante faciem templi, & dixit ad me: Hoc est sanctum sanctorum*. Quodnam aliud vel manifestius posset, vel firmius exoptari testimonium? Ecce praecipuam templi partem, cuiusque ratione reliquae omnes & templi nomine, & religione censentur, siquidem hic propriè sedebat Deus super occasum, equitans super Cherubim. huiusque, & nomen, & mensurae, alijs similibus templi Salomonis mensuris ex aequo respondent. E quis ampliùs audeat denegare hoc esse sanctum sanctorum, dicente Angelo, *hoc est sanctum sanctorum?* Quod si hoc ita est, vt verè est, vniuersam vtique domum, ac singulas eius partes, ab adytis ad adyta egrediendo, licet contemplari, sanctum sanctorum aequè longum, latum, & altum cubitis viginti, sanctum latum totidem dupla longitudine, vestibulum longum viginti, latum vndecim, vel decem cum dimidio, quae mensura alias decem dicitur, atriaque in circuitu, interius alterum, alterum exterius. Quae omnia eisdem nominibus, locis, dimensionibus recensentur in templo Salomonis. quid ergo superest, aut quid obesse poterit, quò minus totum

SANCTVM & sanctum sanctorum eiusdem mensurae in vtroque templo.

A hoc aedificium illius Salomonici sit imago? Numquid licuit Angelo verè dicere, *hoc est sanctum sanctorum*, cum, vt supra probauimus, templum ipsum, atque adeo sanctum sanctorum non exstaret, sed visione tantùm imaginationi Prophetae impressa haec omnia peragerentur, & non licebit nobis totum ipsum, quod vidit Vates, digito demonstrare, ac dicere, hoc est verum exemplar Salomonici templi? Sanè quam pro eo, quod nobis, tam serio, tam diuturno labore, assiduis lucubrationibus hoc vnum meditantibus, fidei debetur, audeo affirmare, nullam reperiri apud sacros scriptores templi Salomonici mensuram, quae vel eadem, vel ab eadem non dis- B crepans habeatur in Ezechielis descriptione. nullam contra apud Ezechielem inueniri posse, quae vel sacris historijs non referatur, vel certis Architecturae praeceptionibus ex ijs, quae ibidem referuntur, non probetur.

ANGELI exemplo templum hic Salomonis repraesentari affirmamus.

SIMILITVdo vtriusque templi maxima.

Tandem vt hanc omnem disputationem vno verbo concludam, potuit quidem hactenus, vt initio dixi, a doctissimis viris dubitari, num Ezechielis templum imago fuisset Salomonici: at postquam vtrumque perspectum est, & ostensum vniuersas ac singulas vtriusque templi mensuras, in eandem conspirare mensuram & fabricam, dicendum est, vel alterum alterius, vel vtrumque eiusdem esse exemplum exemplaris. id verò exem- C plo quodam poterit esse manifestum. Nam si apud aliquem ex antiquissimis scriptoribus legeretur, sapientiam arbori conferri; quae, praeter alia aliarum arborum commoda, humanae vitae maximè necessarium praestaret hoc vnum, praedulcis aquae largissimum imbrem ac potum, quis quaeso arboris, atque elementi diuersissimam naturam considerans, non negaret, eiusmodi symbolo aliquam arborem referri, quam natura producat? vnusquisque vero optimus eius loci interpres iudicaretur, cum attentius perpendisset atque explicasset, quam aptè sapientiae commoda atque vtilitates eo symbolo indicarentur. Quod si quis simile quidpiam ostenderet, inter D sapientiae fructus ab Ecclesiastico referri, is ad summum vsque fastigium peruenisse crederetur; sic enim habetur ibi: *Cibabit illum pane vitae & intellectus, & aqua sapientiae salutaris potabit illum*; hoc est, perfectè illum quasi mater arboris fructu nutriet, & reficiet arboris eiusdem imbre, pane inquam intelligentiae, quae vitam homini rationis participi praestet, & aqua sapientiae, quae reficiat, recreet, & terrenarum affectionum sitim pene extinguat, qua nimirum siti interiora nostra cruciantur, exuruntur, & quasi ethica quadam febri extinguimur. Neque, his lectis, aut alijs eiusmodi, quisquam ampliùs de ea arbore inquireret, cùm ad hoc vnum E significandum videatur ab illo scriptore excogitata atque conficta. At postquam nos ipsi certa nostrorum ibidem commorantium relatione accepimus, & apud recentiores scriptores legimus, insulam quandam inter fortunatas esse, a ferro nunc denominatam, in qua nullum prorsus aquae genus reperitur, nulli fluuij, nulli putei, nulli fontes visuntur, nullae desuper pluuiae cadentes, Dei tamen optimi ac beneficentissimi prouidentia factum est, vt ex arbore quadam aquarum copiam adepti sint incolae, exsudat enim quotidie summo crepusculo arbor illa stipite, ramis, folijs, rorem illi persimilem, quem nebula in aquas concreta stillare solet: quae quidem

SAPIENtiae pulcherrimum symbolum.

Eccles 15. ℣. 3.

SAPIENtia cibus pariter & potus.

Simon Maiol. colloq. 21 Ouetan. lib 2. hist. c. 9.

ARBOR mira in insulis fortunatis.

quidem stillae, cum primùm sol exoritur, & nonnihil incalescit, soluta prorsus circa arborem nebula exsiccantur. Profluit tamen illo breui crepusculi spatio tanta salubris aquae copia, quanta & incolis supersit, & iumentis. Iam verò qui haec audierit, & credet, facilè etiam existimabit, scriptorem illum, quem initio huius exempli commemorandi definxi, hanc planè arborem significare voluisse, qua cognita, atque perspecta, quamplurima alia de sapientiae natura, & commodis intelligantur. Quia nimirum idem est animae cibus & potus sapientia, qua vna pascitur & potatur, deficientibus alijs omnibus fluminibus, puteis, pluuijs, ac fontibus, quarum aquae corpoream poterunt sedare sitim, anima e nulla ratione atque alia id generis quamplurima. Hoc ipsum nobis etiam accidisse facilè intelliget, quicumque ea, quae in exemplum finximus, cum illis conferat, quae certò affirmamus. Atque cùm idem esse vtrumque aedificium ex vtriusque similitudine confecerimus, idem quoque esse, ex aptiori Ecclesiam significandi modo sequenti capite demonstraturi sumus.

VNVS potus sapientiae sitim animae sedat.

MAXIME DECEBAT

ECCLESIAM CHRISTI,

templi Salomonici aedificio Ezechieli repraesentari.

Cap. X.

EST fateor ab instituto nostro alienum, historiae explicandae mysticos admiscere sensus: tum quod impedimento esse facilè possent lectori historiae textum consectari cupienti: tum vel maximè, quod mysticos sensus eorum fere omnium, quae modo secundum historiae veritatem tractamus, si Deo adiuuante vita superstes fuerit, seorsum explicare, atque reponere decreuimus. At quoniam non pauci reperiuntur, quos ea tantummodo delectant, quae ex latissimis allegoriarum campis decerpta sunt: eosdem rationes, & fundamenta ex ipso contextu, & Scripturae verbis, proprioque loci sensu desumptae minimè tangunt, nisi illis ipsis, quas consectantur, translationibus admisceantur. Ac praesertim quoniam multa nobis opponunt, quibus triumphum iam agere videantur, ideo nonnihil hic de huius visionis propria ratione agemus, vt ijs omnibus satisfecisse, aut saltem satisfacere voluisse videamur.

DVPLICI ratione retrahimur, duplici alia impellimur ad allegoriam hic explicandam.

Opponunt igitur vel in primis argumentum, quod reliquorum caput esse videtur, ac fundamentum. Negant enim, Ezechielis visionem templo Salomonis similem fuisse, quòd Ecclesiam Christi repraesentatura ostendebatur, non autem templum. Qua in re firmum vtique ar-

A gumentum excogitassent, si pariter ostendissent, tam longè diuersum fuisse Salomonicum templum ab Ecclesia, vt eam nulla ratione exprimere posset: atque adeo, quòd Ecclesiam Christi referret apud Ezechielem templum, non posset Salomonici, illud exemplar esse, sicut neque hoc illius. Sed cùm longè aliter se res habeat, atque hoc quod verum non est, confirmari rationibus minime possit, illud etiam verum non esse conficietur, quod totum huic nititur fundamento. Quapropter illud quod verum est, & ab omnibus receptissimum, in primis statuendum est; deinde ostendendum, visionem hanc tunc maximè Ecclesiam Christi re-

OPPONVNT nobis Ecclesiam Ezechielis templo significari, quasi vero non etiam Salomonis.

B praesentare potuisse, cùm viuam Salomonici templi referret imaginem. Fuit quidem Salomonis templum Ecclesiae symbolum. Triumphanti confertur à Sancto Gregorio: qui cum caelestem patriam Hierosolymam dici pluribus confirmasset, haec subdit: Figuram autem huius ciuitatis illud Salomonis templum gestauit, in cuius aedificatione lapidibus exstructa, mallei sonus auditus non fuit. In sacris enim aedificijs permansuri, adhuc foris per flagella tundimur, vt templo Domini postmodum sine aliqua percusione disciplinae disponamur, quatenus quidquid in bonis superfluum, aut distortum est, modo percussio resecet, & tunc sola in caelesti

TEMPLVM Salomonis Ecclesiae symbolum.

S. Greg. expla. vlt. ℣. psal. 50.

C aedificio in concordia veritatis liget. Nec mirum si templum eadem ciuitas dicatur, quae etiam tabernaculum dicitur, sicut scriptum est: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Haec à Sancto Gregorio. Sanctus verò Ioannes Chrysostomus Ecclesiam, dum in praesenti vita peregrinatur, comparat tabernaculo, cùm autem in aeterna permanserit, templo. Tabernaculum, inquit, Moysis, & templum Salomonis ferebant imagines & figuras duarum Dei Ecclesiarum Christi: eius quae est in mundo, & eius quae est in caelis. Ecclesiae, quae est in mundo, imago est Mosis tabernaculum: Ecclesiae autem, quae est in caelis, templum quod est in monte. Duae

Apoc. 21. ℣. 3.

S. Ioan. Chrys. tom. 1. hom. in psal. 14.

D Ecclesiae numero, vna autem modo fidei. De ea quae est in mundo, dicebat Dominus: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Et de caelesti Apostolus: *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem caelestem, & ad multorum millium Angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in caelis*. Haec Sanctus Ioannes Chrysostomus. Eucherius futuram quam inquirimus, & praesentem quam incolimus, Ecclesiam eodem templo significari confirmat, haec scribens: Domus Domini, quam aedificauit Rex Salomon in Hierusalem, in figura facta est sanctae vniuersalis Ecclesiae, quae à primo ele-

TEMPLVM caelestis pariter ac terrestris Ecclesiae symbolum.

Matt. 16. ℣. 2

Heb. 12. ℣. 22 & 23.

Eucher. in lib. 3. Reg. c. 7.

E cto vsque ad vltimum, qui in fine mundi nasciturus est, quotidie per gratiam Regis pacifici sui, videlicet Redemptoris, aedificatur; quae partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim, euasis peregrinandi aerumnis, cum illo iam regnat in caelis. vbi peracto vltimo iudicio, tota est regnatura cum illo.

Ea igitur Ecclesia Christi, quae, quòd partim peregrinetur à Domino, partim regnet cum eo, duplex dicta est à Chrysostomo, vna eademque meritò dicitur ab Eucherio. Eiusdem praeterea diuersa tempora, naturae, legis, & gratiae, eleganti portarum templi comparatione indicauit Angelomus: Templum namque,

DIVERSA Ecclesiae tempora portis templi significantur.

Angelom. in 3. Reg. c. 6.

in quit, erat conuersum ad Orientem sicut tabernaculum, habebatque ostium porticus ab Oriente, contra ostium templi, iuxta quod historicus Iudaeorum Iosephus apertissimè docet, ita vt sol aequinoctialis oriens, directis radiorum suorum lineis per ostia tria, porticus videlicet, templi, & oraculi, arcam testamenti perfundere posset. Quia verò templum sanctam Ecclesiam designat, porticus, quae erat ante templum, & propior, lucem solis accipere solebat, quid apertius quàm illam eius partem, quae Dominicae incarnationis tempora praecessit, typicè denuntiat: in qua sunt Patriarchae & Prophetae, qui orientem huic mundo solem iustitiae primi susceperunt, & nascenti in carne Domino testimonium, siue viuendo, siue praedicando, siue nascendo, siue etiam moriendo praebuerunt? haec ille. Sed quid plura oportet recensere, cum prius nos oratio cum voce sit destitutura, quam sanctorum virorum in nostram sententiam conspirans auctoritas? Maneat igitur firmum, atque inconcussum hoc primum fundamentum, cui tuto tota huius disputationis moles committi, inniti que possit.

TEMPLO Salomonis Ecclesia demonstratur Ezechieli.

Iam vero si ostensa templi cuiusdam imagine Ecclesiae mysteria sacrosancta reuelare decreuerat Deus Ezechieli, quare non imagine Salomonici? An quia hoc minimum fuit, illud verò magnificentius? at in illis omnibus partibus, C quae praecedenti capite recensuimus, aequalis est vtriusque mensura, & reliquas toto opere ostendemus, eiusdem propemodum esse structurae, paris quoque magnificentiae. An quia quod minus aptè Salomonicum repraesentabat, Ezechielicum debuit pressius indicare? at id dedecet maximè diuinam sapientiam illius architectricem, cuius ineffabili prouidentia, & consilio inuenta omnia & singula membra, ratio, mensurae, ordo, omniaque aptissime ad repraesentandum disposita, delineata, exstructa, dicente David. *Omnia (inquit)* (loquebatur autem de descriptione, lineis, ac scripto tradita) *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem omnia opera exemplaris*, quae, plane a nobis explicabuntur infra. D An quia Salomonicum templum, lapide, ligno, ferro, auro, aere, argento, eiusque generis terrenis rebus constans, minus aptum videretur ad indicandam Ecclesiae dignitatem, quae tota caelestis est, ita vt ipsius caput Christus Dominus, etiam dum hic degit, eam Regnum vocet caelorum, quod simile dicit esse *decem virginibus, quarum quinque erant fatuae*, quinque prudentes: & *sagenae missae in mare, & ex omni genere piscium congreganti*? Audiant huiusmodi disputatores sanctissimum Hieronymum, qui ipsis lapidibus ac lignis, non tam templum, quàm templi imaginem exstructam E fuisse constanter affirmat. Moyses, inquit, in tabernaculo, & Salomon in aedificio, non veritatem tentorij & templi, sed similitudinem, figuramque fecerunt: vt per haec, quae minora sunt & terrena, ea quae in caelestibus, & in spirituali aedificio sunt, intelligere possimus. Venerabilis etiam Beda eandem videtur confirmare sententiam, haec scribens: Quod etiam mystica veteris instrumenti historia nobis insinuat, quando vel Moyses tabernaculum, vel templum Domino Salomon in sanctae Ecclesiae typum condidit. Quae sapientissimorum doctorum verba, cum aedificium illud totum vmbram fuisse testentur A eorum, quae per Christum fabricantur in nobis, philosophari nos docent, atque inuestigare modum illum significandi aptissimum, quem illud materia constans templum sortitum est.

1 Paral. 28. ℣. 19.

Matth. 25. ℣. 1 & cap. 13 ℣. 47.

SALOMON potius ecclesiae similitudinem, quàm verum templum exstruxit.

S. Hier. lib. 1 com. in Ezech. c. 42.

Beda homil. in dedic. Eccles.

Infinitis propemodum partibus aedificium illud corporeum, visibile, atque omnibus manifestum Ecclesiam Christi repraesentare potuit: primùm, quia Ecclesia haec, quamuis caelestis & diuina sit, quod ad instituta, leges, spem, praemia: quamuis etiam caelestes complectatur hierarchias, iuxta illud Seruatoris nostri testimonium: *Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor*: tamen non tota incor- B porea & inuisibilis est, cuius lapides nos sumus, *superaedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, qui omnes, homines fuerunt, corpore & anima similes nobis, donis & gratia multo maiores: *ipso summo angulari lapide Christo* IESV: qui quidem Christus *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: nec tantum ipsum caput verum, qui est Christus, voluit esse visibile, dum habitauit in nobis, nobiscumque conuersatus est, verum & Vicarium suum Petrum reliquit in terris, cuius legitimos successores semper venerata est sancta mater Ecclesia, quae nunc sanctissimum dominum nostrum Clementem Octauum, Christi Domini C sceptra gloriosa, & potestatem gerentem, quique illum ad viuum repraesentat, veneratur, & colit, quotidieque illum & videt, & affatur, eiusque oracula haud secus quam diuina suscipit, seruat, exsequitur. Quae omnia quis non videat, quàm aptè, quàmque nostrae intelligentiae magis proportionata cernantur inuisibili templi signo, quam in solo imaginario?

Ioan. 10. ℣. 16.

ECCLESIA Christi & caelestis, & visibilis.

Ephes. 2. ℣. 20.

Ioan. 1. ℣. 14

VISIBILIS Ecclesia visibili templo aptissimè repraesentatur.

Accedit quod Ecclesiae firmitas, & magnificentia Salomonicis illis fabricis veris, solidis, marmoreis, quarum solidam, ac perpetuo duraturam stabilitatem binis illis aeneis columnis, quasi quibusdam hieroglyphicis litteris significare voluit Salomon, aptissimè repraesentabatur, at- D que adeo haec eadem aedificia menti Prophetae obiecta aptius sane explicarent haec, atque his similia Christi mysteria, quae, sola visione imaginaria nihil corporeum repraesentante non ita planè indicari posse viderentur. Hanc porro firmitatem & celsitudinem Ecclesiae, situs quoque templi Salomonici, supra celsissimum montem exstructi, indicabat: quare non templi modo, & singularum partium eius meminit Propheta, verùm etiam montis. Montem porro, cui Ecclesia insidet, describit Isaias cum Michea, verbis illis, quae quoniam non parum lucis huic disputationi afferre possunt, attentius perpendenda sunt: *Et erit*, inquiunt, *in nouissimis* E *diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles*. Singulis pene verbis singula continentur mysteria. Tempus namque aduentus Christi dicitur nouissimum, nouissimi dies, fines saeculorum. Quae verba etiam ipsi Rabbini ad tempora Messiae referenda esse confirmant: ea verò verba aeternum duraturum nouum hoc testamentum indicant. Tempora namque, quibus iuxta naturae inditam à Deo viuendi normam degebant primi illi generis humani parentes, alia subsecuta sunt tempora legis, tabulis scriptae, quae voluntatem Dei indicabat, & viam qua ad vitam tendere possent mortales. Tandem post haec secuta sunt

ECCLESIAE firmitas marmoreo aedificio exprimitur.

ECCLESIAE celsitudo templo innuitur supra excelsum montem exstructo.

Isai. 2. ℣. 2. & Mich. 4. ℣. 1.

NOVISSIMA Ecclesiae tempora quare dicantur.

nouissi-

nouissima haec gratiae tempora, quae vitam docent consequi, ac praestant aeternam. haec vero nulla alia tempora consequentur, sed sola aeternitas cum his temporibus annectetur, quae propterea nouissima dicuntur. Atque hoc idem notant bina sequentia verba, *praeparatus*, Hebraicè נכון nacon, à verbo כון cun, quod verbum parare significat, praeparare, firmare, stabilire, confirmare, ratum facere, perficere, constituere, decernere. Sic in psalmo: *Ipse*, inquit, *super maria fundauit eam* terram, & super flumina *praeparauit*, firmauit, stabilem fecit *eam*. idem bis repetit hymnographus. Et Anna item prophetissa. *Ipsi praeparantur*, inquit, *cogitationes*, hoc est, ab ipso tantum cogitationes firmantur, & ad cupitum felicem exitum perducuntur; *& ideo nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes*, vobis ipsis faustos exitus promittentes absque eo, cuius ope deficiente, vanae sunt omnes hominum cogitationes, & infelices exitus sortiuntur. Et iterum in psalmo: *Praeparans*, firmans, stabiliens *montes in virtute sua*. Hanc enim eandem stabilitatem, quasi iure suo partam, ex quo fundati sunt, habere videntur montes, nec tantùm, sed & celsitudinem, quorum est proprium, vallibus, campis, ac reliquis omnibus terrae partibus eminere. Vtrumque verò indicare videtur ipsa montis figura, quam si tetrahedro mathematicorum prima, ac simplicissima regularium corporum figura conferamus, firmitas planè, ac celsitudo conspicua erit. Constat enim tetrahedron quatuor paribus triangulis aequilateris, ac totidem pyramidalibus angulis, quare vtcumque iaciatur, basim vnam stabilem figit, ac vnum semper erigit angulum, quae omnia explicat idem Propheta, subdens: *in vertice montium, & eleuabitur super colles*. Haec igitur, quae Ecclesiae Catholicae propria sunt ornamenta, qua alia ratione melius poterunt indicari, quam ipso Salomonis templo, in summitate montis Moria aedificato?

PRAEPARARE, id quod firmare.

Psal. 23. ℣. 2

1. Reg. 2. ℣. 3

VANAE absque Deo hominum cogitationes infelices sortiuntur exitus.

Psal. 64. ℣. 4

Sed alia sese nobis offert manifesta ratio, propter quam corporeo potius templo, quam solo spirituali mysteria Christi & Ecclesiae indicarentur. Nam cùm Sanctus Paulus, dum sollicitè hortaretur Colossenses, vt in Christo ambularent, cuius susceperant fidem & baptisma, interim hanc templi persequitur allegoriam: *Radicati*, inquit, *& superaedificati in ipso, & confirmati fide*. & post pauca subdit: *Quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Quem locum haud aliter interpretatur Sanctus Remigius, quàm supra relatus Augustinus: eius tamen verba referre operaepretium duxi, tum vel maximè, quoniam, ad nostram sententiam confirmandam, maximi facienda sunt: Non dicit, inquit, ideo corporaliter, quod ipsa diuinitas sit corpus, licet quaedam substantia sit viua, sed corporaliter posuit, pro eo quod est veraciter, substantialiter, pleniter. Aliter enim habitat in singulis electorum, aliter in Christo, quia illis datur spiritus ad mensuram, in illo autem pleniter habitat. Habitauit enim in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in Prophetis per sanctitatem, in Moyse per mansuetudinem, in Christo verò per omnem virtutem, & innocentiam. Aliter, *corporaliter*, id est, sicut in templo suo, quia habitatio diuinitatis totius corporis Christi fuit, plus enim habitauit in illo, quàm in templo Iudaeorum. Haec San-

Coloss. 2. ℣. 7. & 9.

Sup. c. 4. huius lib

S. Remigius super epist. Pauli.

QVIA IN Christo habitat diuinitas corporaliter, corporali templo repraesentatur.

CORPORAliter, id est, per omnem virtutem.

A ctus Remigius: quae maximè consonant ijs, quae post pauca subduntur ab Apostolo cum eiusdem Remigij explicatione: *Quae sunt*, inquit, *vmbra futurorum*, subaudi omnia superius dicta de cibo & potu, quae in lege habentur, vmbra sunt illarum rerum, quae in Christo, & in Ecclesia completa sunt, & complentur. *Corpus autem Christi*, id est, veritas, & corpus illarum vmbrarum Christus est, & Ecclesia: haec Sanctus Remigius. Quòd si antiquum illud Salomonis templum cum omnibus suis ornamentis, ministris, ac sacrificijs vmbra fuit: Christus verò & Ecclesia illius vmbrae corpus, quis non videat an consonet, vmbram corpoream fingi, corpus B vmbra tantùm pingi? Teneamus igitur necesse est id, quod rationi maximè consentaneum videtur, eodem Salomonis templo & Christi corpus, & Ecclesiam significari, eodemque Ezechieli in visione ostenso, ea quorum symbola erant in templo, opere complenda esse & veritate, promitti. Hoc enim maximè decebat diuinam veritatem ac fidem, vt qui Ecclesiae instaurationem per Christum faciendam saepe promiserat, sub nomine reparationis & reaedificationis Hierosolymitani templi, vrbis, aut tabernaculi, in eadem continuo persisteret allegoria. Nam si alterum ostendisset exemplar à priori diuersum, ad cuius normam aedificaretur Ecclesia, iam tunc, vel C priorem pollicitationem opere completam non fuisse, existimare possent legentes, vel aliam Ecclesiam instituram ab ea diuersam, quae prius promittebatur: cum ab vtroque piae eruditaeque aures abhorreant.

Colos. 2. ℣. 17

TEMPLO, quod fuit vmbra corporis Christi, hoc decuit repraesentari.

IDEM MAxime decuit diuinam fidem ac veritatem.

Factam vero fuisse promissionem Ecclesiae aedificandae, sub templi ac domus Dei nomine, etiam antequam aedificaretur, constat ex eo, quod Nathan Propheta Dauidi respondit, de domo Dei aedificanda sedulo cogitanti: *Haec dicit Dominus: numquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum?* quasi dicat, minimè. *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero* D *tuo, & firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium* &c. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum, vsque in aeternum.* Hanc tam grandem promissionem, qui putat in Salomone completam, (inquit Eucherius) multum errat. Quod, inquit Angelomus, de Christo Domino, qui ex semine eiusdem Dauid secundum carnem nasci dignatus est, intelligere & credere pium est. Cuius regnum in sempiternum iugiter perseuerat: cuius domus, hoc est, Ecclesia Catholica, fidelis coram eo vsque in aeternum permanet. Rupertus. Maiestas, inquit, dictorum, E atque sensuum omnino prohibet hanc de alio quolibet intelligi, quam de Christo vnico filio Dei, & filio Dauid secundum diuinitatem Domino Dauid, secundum carnem autem filio Dauid. Cuius enim nisi huius thronum firmauit Deus vsque in sempiternum? aut de quo alio aliquando dixit, aut dicere debuit. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?* Igitur larga & admiranda vicissitudine, dum vilis & abiectus homo immenso & incomprehensibili Deo domum manufactam aedificare cogitat, Deus contra, quod homini impossibile erat, eidem domum aeternam, in qua veraciter & ipse Deus inhabitet, aedificaturum se pronuntiat. sic enim

2. Reg. 7. ℣. 5 12. 13. & 16.

Euch. & Angelon. in lib. Reg

ECCLESIA Christi sub templi nomine promittebatur

Rup. 2. Reg. c. 30.

Propheta loquitur. Praediciṫque tibi Dominus, scilicet Pater, quòd domum tibi faciat Dominus, scilicet Patris Filius. Et reuera domus Dei, quae sancta est Ecclesia, ipsa est domus Dauid, in qua Pater Christi Deus secundum diuinitatem, Dauid autem pater Christi nominatur secundum carnem. Qui quidem locus sic explicatus alium quoque explicare videtur, in quo apud Amos Prophetam facta est similis promissio, quam opere completam retulit Sanctus Iacobus Apostolus, sic inquiens: *Viri fratres audite me: Simon narrauit quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post haec reuertar, & reaedificabo tabernaculum Dauid quod decidit, & diruta eius reaedificabo, & erigam illud*, & quae sequuntur. Quibus verbis ipse Iacobus Apostolus apertè testatur de Ecclesia aedificanda fieri promissionem, quae sub templi instauratione promittitur, vt perspicuum est legenti, diruta tabernaculi aedificanda esse, vel vt legimus apud eundem Amos, reaedificandas esse aperturas murorum eius, & ea quae corruerunt, instauranda.

Act. 15. ℣. 13. & seq.

Amos 9. ℣. 11.

INSTAVRAtio tabernaculi & templi Ecclesiam ex Gentibus indicat.

Templum autem tabernaculum dicitur, vt alias saepe solet Mosaicum tabernaculum templum dici, & templum tabernaculi nomine censeri, vt bene notat Sanctus Ioannes Chrysostomus. Dauidis vero dicitur, vel propter Ruperti supra allatas rationes, vel quod Dauidi, vt paulo antè vidimus, promissa fuerat haec instauratio, quasi dicat, tabernaculum illud, siue templum, Dei domus, quae olim Dauidi instauranda promittebatur, tandem aliquando, Deo Optimo, fideli, ac vero disponente, a Dauidis filio instaurabitur. Quod ipsum ab Angelo quoque Beatissimae Virgini & praedictum, & magis ac magis explicatum fuit, dicente: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis*. Idem enim omnino significat sedes Dauid, quòd tabernaculum, seu templum Dauid, a Salomone in imagine exstructum: idem reaedificare, vel suscitare, quod dare sedem, ac dominandi potestatem, quae, perditis possessoribus, pene interierat: idem, reaedificare scissuras, & erigere illud, quòd regnare facere in aeternum, quodque regni eius nullus sit futurus finis. Quae omnia ad gloriosissimum Christi regnum significandum proponuntur, quod non in vna Iudaea continebatur, sed ad Gentes se extendebat, nationes, regna, terminos, atque ditiones: cuius latitudo terras omnes, ac maria comprehendat, longitudo perpetuam indicet, & numquam interituram durationem, profunditas inferna penetret, celsitudo caelestes ipsos orbes exsuperet.

S. Ioan. Chrys. sup. psal. 14. tom. 1.

Luc. 1. ℣. 32. & 33.

SEDES, tabernaculum, domus, regnum Dauidis, Ecclesia est.

TEMPLI huius longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.

Quod si tam admiranda promissio, toties repetita sub figura & nomine templi, tanto tempore ante Ezechielem facta est, neque ab alijs tantum Prophetis, sed & Christo Domino Prophetarum omnium maximo vsurpatur, qui salutarem suam mortem, viuificam suam sepulturam, gloriosam suam resurrectionem templi vastitati, ruinae, & instaurationi non dubitauit conferre, quidni Ezechieli Prophetae haec eadem, atque alia eiusmodi quamplurima templi nomine atque mensuris indicaturus Dominus, non eodem id faciat templo, sed alio denuò excogitato, & alijs omnibus Prophetis ac Patriarchis inaudito?

Ioan. 2. ℣. 19

A Sed dices, non vno atque eodem symbolo Deum in explicandis diuinis mysterijs vti solitum: videmus enim, resurrectionis mysterium nunc templi instauratione, nunc verò Ionae signo manifestasse. quod & alias saepe fecisse compertum est. At quamuis id Deus Optimus praestare plerumque soleat in alijs mysterijs, aedificationem tamen Ecclesiae ita voluit perpetuò templi illius Hierosolymitani symbolo indicari, vt illud semel exstructum, quamuis propter peccata in eo admissa deformari meruerit à Chaldaeis, tamen illud omnino subuerti, atque ex hominum memoria aboleri numquam permiserit, sed instaurari praeceperit, donec Ec- B clesia Catholica Christi sanguine adulta, & Apostolorum praedicatione per totum terrarum orbem diffusa, vbique gentium, & in perpetuas aeternitates omnibus hominibus, angelisque ostenderet, fidelissimum Deum ea omnia opere complesse, nobisque liberaliter praestitisse, quae illius templi fabrica, singulisque eius partibus, dimensionibus, ornamentis, thesauris, ministris, sacrificijs, atque alijs praesignabantur.

QVARE Deus templum numquam deleri omnino permiserit ante aduentum Christi.

Haec vero omnia non modo probantur euentu; verùm ita quoque quasi diuino decreto stabilita fuisse, indicare videtur Sanctus Ioannes Chrysostomus, haec scribens: Salomonis autem templum in monte fundatum, in vno loco stabat immobile, C & quod nullo modo poterat labefactari, donec fuit templum Dei. Sanctus etiam Athanasius idem confirmans addit, tunc labefactari oportuisse, cum figura completa fuit. sic enim habet. atqui priscum illud templum lapidibus, & auro constructum fuit, vtpote figura, quod superueniente veritate exolescit, cuius, secundum Saluatoris vocem, ne lapis quidem super lapidem mansit, qui non sit disturbatus. haec sunt Athanasij verba. Sed & his addendum duxi, quòd maxime decuit Ecclesiam Christi vno eodemque symbolo perpetuo indicari. Qua enim alia ratione aptius praesignari posset, hanc vnam Ecclesiam eandem perpetuo duraturam ab origine mundi vsque in D perpetuas aeternitates, nisi vnius eiusdemque aedificij idea, delineatione, fabrica, non vero diuersis? Propterea enim Sapiens templum in monte aedificatum, & a se Dei iussu exstructum, *similitudinem* dicit esse tabernaculi sancti Dei, quod praeparauit ab initio. Quia, vt nos late suo loco prosequemur, totum hoc rerum omnium domicilium, quod Deus sibi condidit ab initio, & templum, hominem nimirum, quem inhabitandum susceperat Deus, & in quo fere rerum vniuersa continebatur summa, ita diaboli malitia, atque inuidia deformauit peccatum, vt iam non esset amplius a Deo inhabitandum. Quae omnia, vt ait Paulus, instaurare decreuit in Christo Fi- E lio aeternus Pater, quod, exstructa & vnita sibi Ecclesia, praestitit Saluator noster IESVS Christus, nec sine mirabili artificio, ac rerum omnium consensu. Nam primum tabernaculum fieri praecepit, in quo partes aliquae, mundi totius instaurandi per Christum vmbram quandam referrent, deinde mundi, tabernaculi, & Ecclesiae magis expressam imaginem fieri mandauit Salomonis templum, quod, vt dixi, perdurare iussit vsque ad ipsam Ecclesiam exstructam, hominem integritati restitutum, & mundum totum in Christo instauratum. quae cum peracta sunt, mox templum fuit dirutum, eiusque fundamenta euulsa, nec non mons, cui insidebat, Iosepho teste, abscissus, vt notum

S. Ioan. Chrys. tom. 1. hom. in psal. 14.

Athan. Orat. 5. cont. Aria.

VNA Ecclesia symbolo eodem perpetuò significatur.

Sap. 9. ℣. 8.

Ephes. 1. ℣. 10

MVNDVS, tabernaculum, templum, Ecclesia similia sunt.

TEMPLVM tandem euerteretur, vt constet, ea omnia completa esse, quae templo significabantur.

vt notum sit omnibus gentibus, ea omnia completa esse, quae templum illud sui ipsius exemplo praemonstrabat. quod sanè templum non amplius sit aedificandum, ne perfidi Iudaei decipiantur, inani delusi spe eius videndi templi, quod id omne iam praestitit, ad quod fuit exstructum, essetque deinde inane, & nullis vsibus seruiens, ac propterea non amplius est aedificandum. Quapropter sicut alterum alibi templum nec ante illud, nec illo manente, neque post eius vastationem exstrui permisit Deus, ita neque alterius, ab hoc diuersi similitudine, esse debuit Ecclesia Ezechieli demonstrata. Immo vero, vt hoc vno verbo totam hanc disputationem absoluam, maximè decuit Ecclesiae Catholicae amplitudinem, quae totum terrarum orbem erat peruagatura, quo eadem esse ab omnibus nationibus, aetatibus, ac gentibus probaretur, vt vno illo augustissimo Salomonis templo praesignaretur, quod à Regibus & Principibus summo honore dignum ducebatur, & maximis muneribus illustrabatur, vt retulit Machabaeorum historia. Sed ne plus nimis excrescat hoc caput, hoc idem alijs quoque rationibus sequenti capite confirmandum esse arbitrati sumus.

ECCLESIAM Christi per omnia tempora, & loca propagandam bene indicat templum vnum.

2. Machab. 3. ℣. 2.

SALOMONIS TEMPLVM VIDIT EZECHIEL,

quod Christi resurrectionem indicaret, instaurandum.

Cap. XI.

PROPHETIAE finis, Christum indicare resurgentem.

ORDO ipse disciplinae postulare videbatur, vt huius disputationis initio, Prophetae, quem explicamus, institutum, vel vt veriùs dicamus, Spiritus sancti prophetiam dictantis finem propositum explicaremus. Sed quoniam explicandum fuit prius, quid hac visione Prophetae ostensum fuerit, postquam id aliqua ex parte demonstratum est, de fine visionis exponendo cogitare oportet, ex quo magis, ac magis confirmabitur, Salomonis templum ostensum fuisse Ezechieli. Sanè pro ea veneratione, qua diuina omnia prosequuntur scripta pij viri, aliquid magnum hac tam celebri Ezechielis visione contineri facilè iudicabunt, etiamsi, quid illud sit, loci difficultate praepediti nondum percipere potuerint. Neque leui quadam causa existimabunt diuinam prouidentiam haec scribi praecepisse, sed summo quodam praeclaroque proposito fine. Idque sibi facilè persuadebunt, tum quod peruulgato philosophorum axiomate, Deus & natura nihil faciunt frustra, tum vel maximè, quod Pauli verba suspiciunt, dicentis: *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus*. Et quamuis haec verba aliqui ad vnum tantùm sacrae Scripturae locum, paulò ante citatum referant, non tamen negandum est, veram esse communem sententiam, quae de vniuersa Scriptura sacra, ac singulis eius partibus intelligenda censet. Atque adeo ex Scripturis

NON LEVI sed grauissima causa prophetiam hanc scribi praecepit Deus.

Rom. 15. ℣. 4

TRIPLEX sacrae Scripturae fructus, doctrina, patientia, consolatio.

A sacris triplicem licet decerpere fructum, doctrinam, patientiam, consolationem, qui quidem mirifici fructus cum in alijs, tum in hac Ezechielis visione leguntur vberrimi, lectissimique. Hic enim docemur, & quotidie addiscere possumus admiranda quaedam Christi, Ecclesiaeque mysteria, quibus in fide magis, ac magis instruamur, & vt legit ibidem Ambrosius, confirmemur. Adhibita igitur plena diuinis promissionibus fide, in spem erigimur, fore vt aliquando mirifica illa caelestis patriae palatia incolenda ingrediamur. Quae sanè spes, quo ardentior & firmior fuerit, eo magis, dilata, affligit animam, vt ait Sapiens. Ex ipsa verò Ezechielis contemplatione patientia ori- B tur praesentis exilij tolerandi. siquidem non erit, opinor, qui tam diu duraturam sibi polliceatur praesentis vitae vsuram, quàm diu dilatum est Hebraeis huius prophetiae complementum. Templi illius instaurationem post sex & quinquaginta ab hac promissione annos completam à Zorobabele fuisse certò scimus, nec tantum, sed & ipsa vmbrae illius veritas Christus Dominus, licet post longa saecula, iam tandem aduenit. post cuius aduentum saecula transacta sunt sexdecim, & eo ampliùs, ex quo iam omnia completa sunt, quae promiserat Deus, neque iota vnum, aut vnus apex ab hac praeterijt visione: omnia enim opere completa sunt. Ex quo maxima fide- C libus cunctis oritur in ipsis etiam tribulationibus consolatio.

Ambr. in epist. ad Rom.

PATIENTIA ad praesens tolerandum exilium.

Verum haec omnibus sacris eloquijs videntur esse communia. Sunt fateor. At qua ratione huic visioni conueniant, peculiare est, vt ostendimus. Sed adhuc aliquis huius visionis proprius finis, vt proponatur, exquiritur. Ego verò nullum alium ad rem magis accommodatum proponere me posse putaui ab eo, quem Sanctus Euangelista Ioannes indicat, cùm Christum Dominum retulit templi à Iudaeis soluendi, & à se tribus diebus excitandi, proposuisse parabolam, qua mortem sibi Iudaeorum calumnijs, ac summa malitia inferendam, & vitam post triduum infinita sua virtu- D te, ac potestate resumendam esse indicaret. Haec enim subdit: *Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturae, & sermoni quem dixit* IESVS. Cuius explicationem loci, ipsis Maldonati verbis, quod erudita, & è re nostra sint, apponere non dubitaui. Venit, inquit, illis in mentem, viso resurrectionis euentu, huius verbi Christi: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, intellexeruntque corporis sui resurrectionem significare voluisse. At enim quid opus erat, vt id hoc loco Ioannes diceret, quod sine causa videri potest discipulorum stupiditatem incusare? Voluit, opinor, indicare, de industria Chri- E stum tam obscure locutum fuisse, vt ne ipsi quidem eius discipuli, donec euentum perspexerunt, intelligere potuerint. Haec ille. Ego verò quamuis certum esse existimem, discipulos, quae Christi verba, dum dicerentur, non intellexerunt, eadem euentu probante plenè percipere, ac proferentis mentem pene perspicere potuisse. id tamen neque discipulorum stupiditati, neque verborum Christi difficultati adscriberem, sed mysterio, quod nunc inquirimus. Solet enim diuina sapientia quaedam verba ita maturè proponere parabolis obtecta, quae non nisi statuto tempore intelligantur. Haud secus quàm Reges, aut maximi duces solent ministros

FINIS Prophetiae idem, qui a sancto Ioanne proponitur in Euangelio.

Ioan. 2. ℣. 22

Ioan. Mald. in Ioan.

OBSCVRA Christi verba tunc intelligunt discipuli, cum rerum euentu probantur.

nistros

REGVM aut ducum litterae in statutum diem occlusae.

nistros suos ad aliqua peragenda negotia aliquò mittere, quae quoniam ante statutum tempus aut locum vulgari nolunt, sed à cunctis, ab ipso etiam ministro celari, totum negotium obsignatis litteris claudunt, praecipientes tamdiu occlusas manere, donec ad statutum locum, aut diem ventum sit, quo eas iubeant aperiri. Hunc autem antiquum Dei Optimi morem, eiusque rationem praeclarissimam innuit Christus Dominus, illis prolatis ad discipulos verbis. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quo loco multa mysteria, quae à Christo reuelata non sunt, Spiritu sancto doctore cognouit Ecclesia, B nec tamen omnia simul, aut manifestata sunt, aut manifestabuntur, sed ordine, ac dispositione quadam, vt aetate crescens Ecclesia, scientiae incrementa suscipiat. rectè enim dixit Hilarius (quamuis sensu alio) sicut Christus olim, ita nunc Ecclesia aetate crescit, atque sapientia. Non enim est cum Apostolorum vita finitum Spiritus sancti magisterium: Doctor pro se à Christo Ecclesiae datus est, & donec ipse ad iudicium, id est, ad colligendam Ecclesiam veniat, eius est daturum munus. Illud vero sententiam, quam tuemur, maximè videtur confirmare quod subdit praecedenti loco Sanctus Ioannes Euangelista: *Et crediderunt discipuli Scripturae & sermoni, quem dixit* IESVS: hoc C est, crediderunt eum hoc idem pronuntiasse, quod euentus probauit, mortem videlicet, ac resurrectionem. Quid autem est, quod Euangelista verbum illud, *Scripturae*, addit, numquid idem est *Scripturae*, ac verbis Christi credere? An, quia de eadem Christi resurrectione, Christi verba, & *Scripturae* loquuntur? Certè vtrumque pariter verùm est. eidem enim infinitae veritati Christi, & Scripturae innituntur verba, eidemque veritati innititur adhibita vtrisque fides: hoc enim ipsum quod Christus dixerat, mortem videlicet, ac resurrectionem suam, quamplurima sacrae Scripturae praenuntiarunt testimonia. atque adeo vnus & idem passionis, ac D resurrectionis euentus non modò debitam verbis Christi confirmabat fidem, verumetiam Scripturis, quae idem antè praedixerant.

Ioan. 16 ℣. 12 & 13.

Hilar. apud Maldonatum Ioan. 6. ℣. 12

SPIRITVS sancti magisterium vsque ad saeculorum finem daturum est in Ecclesia.

Ioan. 2. ℣. 22

SCRIPTVris ac verbis Christi quare credidisse dicantur Apostoli.

Et quamuis haec ita sint, adhuc tamen quidquam aliud solers ingenium scire desiderat, quanam peculiari ratione, his Christi verbis euentu comprobatis, Scripturae fides in discipulorum animis confirmetur & augeatur. Sanè huius, ni fallor, quaestionis difficultas Euthymium praeclarum alioqui interpretem mouit, & ante eum fortè alios, vt verbum illud, *Scripturae*, nec legerit, nec interpretatus sit, cum tamen ab omnibus & legatur, & legendum citra controuersiam sit. Ego E vero facile opinarer, propterea Scripturae meminisse hoc loco Euangelistam, quod non modo IESV Christi Domini nostri verba completa viderint discipuli, verum etiam quòd dicta fuisse intellexerint ad aliquam antiquam scripturam respicientia, atque adeo verba cum Scriptura completa agnouerunt, & illorum, atque huius mutuam consensionem, quae fidem maximè confirmabat.

Euthym.

SCRIPTVrae & verbis Christi credunt, quod haec ad aliquam antiquam scripturam respicerent.

Quisnam autem ille alter locus sit, à nemine, quod sciam, hactenus explicatum est: mihi vero celeberrimus ille occurrit Prophetae Amos, sub templi, aut tabernaculi parabola Christi indicans passionem, mortem, resurrectio-A nem, vt paulò superiùs indicauimus, modò vero fusius aliquanto explicandus videtur, qui sic habet: *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reaedificabo aperturas murorum eius, & ea quae corruerunt, instaurabo, & reaedificabo illud, sicut in diebus antiquis. Vt possideant reliquias Idumaeae, & omnes nationes: eo quod inuocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens haec.* Hunc locum beatus Cyrillus aptissimè interpretatur: explicans enim verba illa psalmi, *& refloruit caro mea*, quibus carnis suae resurrectionem credere se & sperare profitetur sanctus Dauid Propheta: Reflorebit, inquit, rursus, atque reuiuet, neque id absque B Christo: ipse enim nobis resurrectionis initium, & verae scenopegiae ianua factus est, quod certè prophetica voce sic dicitur, & erigam *tabernaculum Dauid quod cecidit*: Tabernaculum enim caroque Christi a sanguine Dauid sumpta, prima ad immortalitatem virtute Dei Patris excitata est. Haec Sanctus Cyrillus. Eadem confirmat Theodoretus, longè à vero aberrare contendens eos, qui de Zorobabele haec Prophetae verba intelligere conantur. Prophetia enim, inquit, aeternorum bonorum continet promissionem, & omnes gentes cognituras Deum, de quibus nihil in factis Zorobabel euenisse inuenimus. Atqui Dominus noster IESVS Chri-C stus, quantum ad carnem pertinet, manans ex genere Dauid, quae promissa sunt Dauid compleuit. Nam *Verbum caro factum est*, & diuersatus est in tabernaculo apud nos, quod ex Dauid acceperat. conuenienter igitur propheticus sermo Dauid tabernaculum reaedificatum dicit permansurum, non in breue tempus, sed in aeternum. Hactenus Theodoretus.

Amos 9. ℣. 11 & 12.

B. Cyrill. lib. 4. in Ioa. c. 35

Psal. 27. ℣. 7.

Theod. sup. Amos 9

TEMPLI promissa instauratio non est ad Zorobabelis tempora coarctanda.

Hoc idem, eodemque modo videntur intellexisse Hebraei, cum adhuc modicum lucis in eis erat, necdum enim tenebrae eos comprehenderant. In libro namque Zaahedim quaedam verba leguntur, quae Latinitati donauit Galatinus, ita tamen vt difficultatem non modicam inuoluant, D quod ferè singula phrasim redoleant Hebraicam: ea tamen referre, & nonnihil explicare operaepretium duxi, quoniam non parum confirmant resurrectionem, ac mortem Christi Iudaeorum hostium Christi pro eodem testimonia. Dixit, inquit, Rabbi Nahman ad Rabbi Isac: Quis fecit te audire, hoc est, à quo audisti, quando venturus sit, בר ניפלי *bar niphli*, id est, filius casus, hoc est, qui moriturus est. Ait ei: Quis est *Barniphli*? Dixit ei: Messias. Ait illi: Messiam ne vocas *Barniphli*, hoc est, moriturum? respondit ei, etiam. Sicut scriptum est. In die illa suscitabo, vel erigam tabernaculum, casulam Dauid deiectam vel prostratam הנפלת *hanophelet* planè voce vsus est Rabbinus ille Talmudistica, a verbo נפל naphal E deducta, a qua deducitur quoque vox illa, qua diturum, aut subuersum indicat tabernaculum vel casulam Dauidis, vt mirum non sit, eadem allegoria, ac consimilibus ferè verbis vsum fuisse Christum Dominum dicentem, *soluite*, vel cadere facite, *templum hoc* corporis mei, quod ex genere, & prosapia Dauid mihi exstruxit Spiritus sanctus, vna mecum, & cum Patre meo, *& in tribus diebus excitabo illud*. Haec vero mysteria, & hanc elegantissimam Christi ad prophetiam allusionem discipuli quidem tunc non intellexerunt, cum verba simpliciter prolata sunt: at postquam Christus resurrexit, verborum Christi memores, ea pariter cum prophetia intel-

Galat. lib. 8. de arcan. c. 22

RABBINOrum testimonia de Christi morte & resurrectione.

intellexerunt, & huic atque illi plenam atque perfectam fidem adhibuerunt, quam antea ita perspicuam habere non poterant eorum, quae non intelligebant.

Sed quamuis haec ita sint, vt videntur, perspicua, & mutuò cohaerentia, prius tamen quam eadem ad nostrum applicentur institutum, videnda est eiusdem loci explicatio, quam legimus in Actis Apostolorum, beato Iacobo auctore. Non enim defuit eruditus planè nostrae aetatis interpres, qui hanc quam attulimus interpretationem minùs esse conuenientem existimarit, quòd aliam esse ab ea putauerit, quam Beatus Iacobus Apostolus persecutus est, atque adeo Beati Hieronymi illustria verba, & id quod volumus declarantia obijciunt nonnulli nobis.

S. Hieron. sup. Amos.

Vbi Apostolorum praecedit auctoritas, maxime Petri & Iacobi, quos columnas Ecclesiae vas electionis vocat, ibi omnis variae explanationis tollenda suspicio est, & quod a tantis viris exponitur, hoc sequendum. haec sanctus Hieronymus. Illud verò primum exponendum est, quod ab ipso Hieronymo, atque alijs omnibus Ecclesiae doctoribus receptissimum est, quodque ipsa Sancti Iacobi Apostoli verba indicant, locum hunc prophetae Amos allatum a Iacobo fuisse, ad gentium vocationem confirmandam, quam ipsius Spiritus sancti effusione probauerat princeps Apostolorum Petrus.

RESPONdetur obiectis aduersus hanc interpretationem?

Sed numquid propterea minùs confirmanda existimabitur gentium vocatio, quòd ea post resurrectionem Christi, immo & per resurrectionem Christi facta esse ostendatur? Dicamus igitur quod res est, locum Amos de Christi resurrectione sub tabernaculi aut templi instauratione loquutum, eamque factam fuisse testari, *vt per eam possideant reliquias Idumaeae*, &c.

VOCATIOnem gentium & resurrectionem Christi pariter indicat locus Amos.

Quamuis enim Sanctus Hieronymus per tabernaculum Dauid Iudaeorum synagogam videatur intelligere, quam in Ecclesiam Christi aedificandam esse affirmat; tamen hanc quoque sententiam, quam tuemur, & amplecti videtur, atque eam probare Apostoli verbis esse conformem. sic enim habet: Nunc iuxta consuetudinem Scripturarum, post tormenta, post poenas, prospera & laeta promittens, suscitaturum esse se dicit: & in resurrectione Domini omnia restituturum: vt quod in synagogis ceciderat, surgat in Ecclesijs, & possideant credentes reliquias Idumaeae, & omnes nationes, vt quidquid reliquum fuerit de regno sanguinario atque terreno, in caelestia regna mutetur. haec Hieronymus. Qui maximè contextum videtur percensere. Illud enim *vt possideant*, Hebraicè ל ad possidendam, factam esse indicat instaurationem ad possidendum gentes: non igitur eandem gentium possessionem indicat instauratio tabernaculi, quam subsequens possessio, sed aliquid praeuium, nimirum passionem, ac resurrectionem Christi. Qua quidem Christi passione, morte, & resurrectione Iudaeorum casum, & electorum instaurationem significari quoque intelliges, vt alias saepe. atque hic esse videtur translatus Hieronymi sensus.

Et haec de Amos testimonio dicta sufficiant: quoniam sancti Ioannis nos reuocant verba, testantia, discipulos, post resurrectionem Christi, verba Christi de templo corporis sui instaurando intellecta credidisse, quae nimirum, cùm dicerentur, minime intelligebantur.

Tolet. in Ioan. c. 2.

Vnde prudenter Cardinalis Toletus atque aptissimè colligit, Christum Dominum multa fecisse & dixisse, quae quamuis tunc non intelli-

A gerentur, non tamen propterea inutilia censenda sunt, quoniam postmodum opportuno tempore intellecta Apostolorum fidem in Christum, & nostram confirmarunt, illustrarunt, auxerunt. proptereaque tunc dicta, & facta fuerunt haud secus, quàm quae à Prophetis olim facta dictaque recensemus quamplurima, quae tunc minimè intelligebantur. At postea intellecta, & cognita Ecclesiae fidem maximè roborarunt. Haec est Toleti sententia.

MVLTA fecit ac dixit Christus, quae quamuis tunc non intelligerentur, postea intellecta fidem maximè confirmant.

Ex qua facilè conficimus, Ezechielis visionem, de Salomonici templi instauratione magnifica, perpetua quadam allegoria loquentem, quamuis multis saeculis non planè perspecta fuerit; tamen statuto diuinae proui-B dentiae tempore multa, & admiranda Christi Domini, eiusque Ecclesiae sacrosanctae mysteria patefacturam, eidem Ecclesiae salutaria, quae iam inde ab initio non aedificati modò à Salomone templi, sed & à Deo, sine principio, excogitati mirificè continebantur. Quae omnia eò magis admiranda credibiliaque videbuntur, quò cum pluribus alijs sacrae Scripturae locis congruere intelligentur, vt annotasse videtur Euangelista, qui simul, vt vidimus, fidem à discipulis Scripturae ac verbis Christi adhibitam fuisse commemorat.

IDEM ESSE Ezechielis & Salomonis templum maxime fidem Ecclesiae confirmat.

Nec minus ad Ezechielis magnificentissimam promissionem, & scripturam instaurandi templi, quàm ad verba Amos referenda C putamus esse Christi verba, quorum fidem non ita planè confirmaret euentus, si de alio quam de Salomonis templo loqueretur Ezechiel, cuius similitudine, & exemplo Christus Dominus atque Amos propheta, cum alijs, ad Christi, Ecclesiaeque mysteria indicanda vsi sunt. Neque verò quisquam existimet, quidpiam supra captum nostrum nobis huiusmodi explicatione arrogare velle, quasi verò per nos aliqua denuo mysteria patefacienda sint: nam quamuis diuinae prouidentiae atque sapientiae nec impossibile sit, nec nouum infirma quaeque eligere, vt confundat fortia, (eo enim magis elucet artificis in rebus arduis industria, quo debiliori-D bus vtitur instrumentis, & ad negotium peragendum minus aptis) tamen neque ad hoc ipsum assumendos nos esse arbitramur, neque eiusmodi quidquam à nobis sperandum esse praesumimus, sed illud tantummodo, quod verum est, ingenuè profitemur, diuina quidem ope, & maiorum nostrorum cohortationibus excitatos, & adiutos, pro virili nostra conatos nos fuisse viam saltem eminus indicare, quam ingredientes doctissimi ac sapientissimi viri, quibus numquam destituitur Romana Catholica Ecclesia, ea possint percipere mysteria, quae, vt perciperentur, Ezechielis visionem scribi iussit benignus Ecclesiae Pater Deus, ac sacris voluit consignari mo-E numentis. Sed ne longiùs quàm par est ab instituta narratione diuagemur, ad ea, quae huius visionis sunt magis propria, sequenti capite veniamus.

QVID A nobis hac explicatione sperandum sit.

VISIONE HAC TEMPLVM OSTENDITVR, quò admissorum criminum dolorem, eiusque instaurandi spem concipiant videntes.

Cap. XII.

FINEM visionis huius superiore capite videmur persequuti, rationibus, exemplis, testimonijsque probantes, Deum propterea accuratè perspiciendum ostendisse, quod illud aptissime Christi mortem, subuersum, eiusdem porrò resurrectionem praesignaret, instauratum. Quae omnia, vt dixi, ad mysticos sensus quos vocant, pertinere videbantur. qui quamuis praecipui sint, ac primum à Propheta scribente plerumque intenti, tamen quoniam a sensu verborum magis videntur esse remoti, eius peruestigandi studium alium visionis finem historiae magis proximum excogitare nos admonet, inuentumque hoc loco proponere, quod dum praestare aggrederemur, duplex huius proponendae visionis finis sese nobis apud ipsum Ezechielem obtulit. Quorum alterum à Deo ipso propositum fuisse illis verbis indicat: *Tu autem fili hominis, ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quae fecerunt.* Vbi Septuaginta interpretes legunt: & ipsi sustinebunt tormentum suum. Quae autem ea crimina sint, de quibus, viso templo, erubescere debeant, aut quod sit tormentum illud, aut peccatorum quae poena, quam iuxta Septuaginta interpretes sustinere cogantur, paulo superius enumerauerat, dicens: *Non polluent vltra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi & Reges eorum in fornicationibus suis, & in ruinis Regum suorum, & in excelsis. Qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum*, &c. *Propter quod consumpsi eos in ira mea.* Quae verba tum iuxta eorum explicationem suo loco allatam, tum vel maximè ipsa per se legentr indicare poterunt, peccata recensere Hierosolymae incolarum atque Regum, qui Salomonis Regiam templo coniunctam inhabitantes, à vitijs sceleribusque, praesertim innoxij sanguinis effusi, minimè abstinebant, vel ipsa templi religione deterriti. Sed neque his contenti sceleribus, templum ipsum idolorum abominationibus compleuerunt, iracundiam meam prouocantes cum Regibus populi, & cum populis Reges; propter quod templum, regia, omnia palatia, ac priuatae domus cum suis incolis consumptae sunt in ira mea. Quia *venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus Regis Babylonis in Ierusalem & succendit domum Domini, & domum Regis: & domos Ierusalem, omnemque domum combussit igni*, vt habet historia Regum. Videat nunc quaeso lector, quantum inuicem conueniant praecedentibus sequentia, & attentè perpendat, euersum propter

DVPLEX huius visionis finis.
Ezech 43. ℣. 10. & 11.

Ibid. ℣. 7. & 8.

PROPTER peccata Regum ac populi subuersum fuit templum.

4. Reg. 25. ℣. 8. & 9.

A scelera Israëlitarum templum ob eorum oculos positum, quem erubescentiae ac doloris sensum excitare sit potens. qua ratione facilè intelliget merito à Domino Prophetae praecipi. *Ostende domus Israel templum, & confundantur.* Nam si aliquod denuo excogitatum ad Ecclesiam repraesentandam templum, quodque sit ab illo Salomonis longè diuersum, ostendendum praecipiatur, quidnam illud confusionis pariat? quid erubescant, cùm illud nihil omnino ad commissa scelera spectare videatur? immo verò Deum ac Dominum praeteritorum criminum penitus oblitum indicaret eiusmodi templum, admirandaque, & prope caelestis ac diuina Ecclesiae B fabrica templi illius noui magnificentia praesignata. Excitaret vtique iacentes Israëlitarum Babylone animos in spem potiùs quàm in verecundiam. At contra vel ipsa solum Hierosolymitani templi recordatio, nedum ipsa eius species oculis obiecta cum praesenti captiuitate collata, praeterita illa templi magnificentia, & gloria cum praesenti infelicitate ac seruitute comparata, quasi contrarijs contraria, omnem excitarent animi sensum, dolorem, confusionem, verecundiam, ac quasi iusto quodam vindicis irae zelo in seipsis exardescerent, qui sacrilego ausu ac temeritate tam speciosum templum, tam amplum, tam magnificum, tam san- C ctum hostium manibus profanandum, spoliandum, incendendum, ac penitus subuertendum tradidissent. Hoc inquam esse videtur tormentum illud, quod sustinendum ab eis dicitur, cum ostensum templum contemplabuntur. Nam Ecclesia Christi eiusque diuina forma obuersans oculis nihil vmquam afferre potuit, quod non sit gaudio atque exultatione plenissimum, cuius semper commemoratione ac promissione fausta Israeli ac laeta polliceri consueuit Altissimus, numquam aduersa aut tristia. Teneamus igitur, hac etiam proximi finis ratione Salomonis templum ostensum fuisse Ezechieli, non aliud.

SI ALIVD à priori ostendatur templum, vix apparet, quam exhibeat erubescendi occasionem.

TEMPLI Salomonici species dolorem maxime excitaret.

Sed & hoc ipsum altero quoque fine ab eo- D dem Deo & Domino nostro Ezechieli indicato confirmari videtur. *Figuram domus*, ait Dominus, *& fabricae eius exitus & introitus, & omnes descriptiones eius, & vniuersa praecepta eius, cunctumque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum: vt custodiant omnes descriptiones eius, & praecepta illius, & faciant ea.* Quae verba planè indicant, descriptiones atque imaginem eius templi, quod coram Ezechiele mensurauit Angelus, ab eodem Ezechiele iuxta Dei praeceptum traditam fuisse populo Israelitico, vt bene perceptis singulis eius partibus, dimensionibus, legibus, ordine, atque alijs, opportuno tempore cuncta exsequerentur, E atque opere complerent. Neque verò quisquam arbitretur, descriptiones has templi quas ostendere praecipitur vates Israeli, verbo tenus, aut verbis scriptis factas fuisse: factae sunt enim graphicis lineamentis, ac geometricis mensuris, quod & intellexisse videtur sanctus Hieronymus, non minùs necessariam fuisse Geometriam Ezechieli ex hoc loco confirmans, quam exploratoribus Palaestinae, vt supra retulimus, quosque fuisse etiam geometras confirmat Iosephus. Quod verò haec ad euersi templi instaurationem omnia spectent, disertis planè verbis ostendit Theodoretus. Deinde, inquit, praecipit Prophetae, vt populo ostendat templi aedificium,

FINIS Alter a Deo proponitur.
Ezech. 43. ℣. 12.

LINEAMENTIS, non verbis modò descriptiones templi factae sunt ab Ezechiele
S. Hieron. lib. 13. in Ezech.
Ioseph lib. 5. antiq. cap. 2.
B. Theod. sup. Ezech.

cium, vt propter beneficij magnitudinem, & spem restitutionis in pristinum statum, conuersi delinquere desinant, & ab impietate deficiant. Non solum autem leuiter adumbrare & describere templi aedificationem iussus est, sed etiam illius caerimonias, & consuetudines ostendere, vt ipsorum obseruatione Dominum colant. Haec ille. Ex quibus satis firmum conficere licet argumentum, probans de templo Salomonis locutum fuisse Ezechielem, eiusque figuras ostendisse Israeli. Nam eodem plane orationis contextu, templi, altaris, atque aliarum partium dimensiones percenset, & leges, ritus, ac caerimonias multas obseruari praecipit. ex quo dicendum videtur, aut has atque illas simul ad historiae pertinere veritatem, aut ad mysticos pariter sensus: nam nulla videtur assignari posse ratio, propter quam templi descriptiones ad historiam non spectent: leges verò, ac ritus maximè. sic enim à Deo accepisse refert ipse Propheta: *Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum. vt offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis. Et dabis sacerdotibus & Leuitis*, &c. Quis audeat negare, ritus hos seruari praecipi à Domino, cum, soluta captiuitate, integrum esset Israeli, templum, atque in eo altare construere? Numquid vitulus pro peccato offerendus, sanguine inungenda altaris cornua, anguli crepidinis, & corona ita ad mysticos Ecclesiae ritus pertinent, vt nihil eorum amplius obseruandum praeciperetur, aut obseruatum fuisset? At scimus oblatos super altari vitulos, vt habetur in libro Esdrae. *Collocauerunt autem*, inquit, *altare Dei super bases suas*, &c. *& obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vesperi*. Et iterum. *Et obtulerunt*, inquit, *in dedicationem domus Dei vitulos centum*, &c. Expiatum igitur fuit altare iuxta praescriptum Domini. Quis ergò non intelliget, reliqua quoque obseruata fuisse, & domum Dei exstructam iuxta descriptiones, quas Dei iussu dederat Israeli Ezechiel? Atque hoc maximè fit verisimile ex eo, quod pijssimi principes Zorobabel & Iosue, vnà cum Prophetis Domini Aggaeo & Zacharia, ea omnia exsequebantur, quibus nihil fuisse credendum est antiquius, quàm diuinarum praeceptionum obseruantiam. Quae omnia si mutuò conferentur, non dubito quin lectorem in eam possint inducere sententiam, vt credat, templum à Zorobabele exstructum fuisse iuxta formam ab Ezechiele datam: quod cum aliunde constet, vt infrà ostendemus, fuisse etiam simile Salomonis templo, facilè probat, ipsum Ezechielis exemplar simile fuisse Hierosolymitano templo, quod fuerat initio propositum, & a nobis probandum.

DE TEMplo Salomonis loquitur Ezechiel

Ezech. 43. ℣. 18. & 10.

RITVS templi recensiti seruari obseruati.

Esdr. 1. c. 3. ℣. 3. & c. 6. ℣. 17.

Esdr. 1. c. 5. ℣. 1. & 2.

At nondum planè videmur huic satisfecisse instituto, cùm ex eiusdem propositi argumenti contrario euentu oppositum planè confici videatur. Nam templum a Zorobabele exstructum nec minima quidem ex parte Salomonis templo exaequari visum est, dicente ad Aggaeum Domino *Loquere ad Zorobabel*, &c. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Accedit huc etiam Esdrae historia, varios animi sensus, immo & omnino contrarios enarrans, quos in Hebraeis excitauerat prima huius secundi templi fundatio. *Fundato igitur*, inquit, *a caementarijs templo Domini, steterunt sacerdotes*, &c. *Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eò quòd fundatum esset templum Domini. Plurimi etiam de sacerdotibus & Leuitis, & principes patrum & seniores, qui viderant templum prius, cùm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Huic verò argumento quod firmissimum aduersus eam, quam rationibus firmam tuemur sententiam, videri posset, facili negotio respondebimus, temporum sola distinctione facta, haec omnia accidisse prius affirmantes, quam templum absolutum fuisset. Locus enim Esdrae, vt ibidem patet, de templi fundatione facta anno secundo Cyri, vel non multò post, loquitur. Decretum enim Cyri factum fuit eiusdem Regis anno primo: *at anno secundo aduentus eorum ad templum Dei in Ierusalem*, coeperunt aedificare. Aggaei verò prophetiam factam fuisse anno secundo Darij, idem Aggaeus testatur, quo data Hebraeis fuit libera potestas templum aedificandi. toto namque interiacente tempore ab opere cessatum est. Nec mirum sanè videri debet, tantam magnificentiae distantiam inter vtriusque templi fundamenta reperiri, cum de Salomonicis legamus: *Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis octo siue decem cubitorum*. De his verò, ac de toto aedificio Zorobabelico semel atque iterum lapides impoliti commemorantur. Verum, quod ad vtriusque templi collationem spectat, firmum esse ac citra controuersiam debet, longè aliud esse alicuius aedificij figuram, dispositionem, mensuram, ordinem, totiusque fabricae rationem considerare: aliud magnificentiam, lapides, instrumenta, splendorem, venustatem, ornamenta perpendere: illa enim omnia ad formam spectant, haec ad materiam: illa quasi naturam aedificij substantiamque denotant, haec accidentia: illa si tollas, deerit fabrica, haec quamuis desiderentur, manet tamen aedificium: illa si inuertas, aut mutes, non idem aedificium manebit, sed aliud: haec quamuis tollas, idem manere potest aedificium, haud secus quam de homine quoquam, deque eius vestimentis philosopheris. idem enim semper est homo, qui pretiosis, aut abiectis operitur vestibus: eisdem vero vestimentis, diuersi numquam in vnum coalescent homines.

ZOROBAbelis templum à Salomonico diuersum.

Aggaei 2. ℣. 3. & 4.

1. Esdr. 3. ℣. 11. & 12.

1. Esdr. 6. ℣. 3 & c. 3. ℣. 8

3. Reg. 7. ℣. 10.

1. Esdr. 5. ℣. 8. & c. 6. ℣. 4

FABRICA & ordo aedificij ab eiusdem materia, & ornamentis longe diuersa est.

Dicamus ergo, secundum Zorobabelis templum idem fuisse cum primo Salomonis: vtrique namque eadem fuit figura, dispositio, ordo, & fabrica vniuersa. Pretiosa verò materia, aureum, argenteumque instrumentum, venustas, & decor desiderata sunt, fateor. Et quamuis vtraque huius assumptionis pars rationibus sit, ac sacris testimonijs amplius suis locis confirmanda, hic tamen quam breuissimè vtriusque fundamentum aliquod indicandum est potius quàm pertractandum. Priorem igitur partem probat locus Esdrae, sic inquiens: *Seniores autem Iudaeorum aedificabant, & prosperabantur iuxta prophetiam Aggaei prophetae & Zachariae filij Addo & aedificauerunt, & construxerunt, iubente Deo Israel, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe Regibus Persarum. & compleuerunt domum Dei istam*, & quae sequuntur. Quis autem non videat domum aedificari, *iubente Deo*, qui semel locutus est, vt ait Psaltes, hoc est, vno atque eodem diuini verbi decreto immutabili semper manente, cuius etiam iussu atque consilio primum templum architectatum, & fabricatum fuit?

EADEM vtriusque templi fabrica, ornamenta diuersa.

1. Esdr. 6. ℣. 14.

Psal. 61. ℣. 12

fuit? Accedit his etiam, quòd in dedicatione huius absoluti templi nihil commemoratur moestum, nullus fleuisse, sed festos etiam dies in laetitia fecisse: *quoniam laetificauerat eos Dominus, & conuerterat cor Regis Assur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel*. Verum adhuc vnus remouendus superesse videtur scrupulus: non enim eaedem fuisse videntur vtriusque templi mensurae. cùm illud Salomonicum altum fuisse dicatur cubitos centum viginti, vt videre est in libro Paralipomenon: Zorobabelicum autem solos sexaginta. Sed & hoc etiam nihil obstare potest, quo minus idem dicatur templum, eaedemque mensurarum proportiones, haud secùs quam pueri iunioris corpus pedes altum quatuor haud diuersum est ab eo, quod post aliquot annos ad sex altitudinis pedes excreuit. Namque quod idem sit membrorum vtriusque templi numerus, eademque proportio, ex vtriusque fabricae contemplatione fiet manifestum. Siquidem de Zorobabelico sic scribitur: *ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis nouis*. De Salomonico verò: *Et atrium maius*, inquit, *rotundum trium ordinum, de lapidibus sectis, & vnius ordinis de dolata cedro: nec non & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus*. Vtrumque verò locum de eadem loqui porticu domus, eandemque referre triplicem contignationem, non est quod hic probari velit lector, cum propriam, eamque longiorem disputationem suo loco pertractandam exigat, quò eam videre, atque in hac sententia confirmari facilè possit. Quod vero ad probandam secundam assumptionis partem spectat, vel vnum esse posset sufficiens argumentum, quia pluribus infra probaturi sumus, diuitias atque opulentiam Salomonis, ac pene incredibilem auri & argenti copiam, quam templo indidit, vniuersos omnium gentium, locoram, aut temporum thesauros longè lateque superasse: quis ergo non statim agnoscat, miseros illos Israelitas a durissima, diuturnaque Babylonica seruitute ereptos, opes aggerare minime potuisse, quas vix ipsi eorum Reges ac populi, cum rerum potirentur, ac copia, vel minima quidem ex parte consequi potuissent? Accedit huc etiam eiusdem Aggaei prophetia, Dei nomine asserentis, gloriam nouissimae huius domus, quam Zorobabel aedificabat, maiorem quidem futuram gloria prioris, non quidem auro & argento, quo erat pene destituenda, sed Christi Domini aduentu, qui cùm aeterno Patre vnus est auri & argenti Dominus. Nam quòd hic sit verus eius loci sensus, nihilque ad terrenam auri & argenti gloriam tam celebris prophetia specter, propria etiam disputatione ostendendum est infra.

QVOMODO eaedem mensurae dicantur, cum alterum templum alterius sit altitudine duplum.

2 Paral 3. ℣. 4.

1. Esdr. 6. ℣. 4

IIDEM vtriusque templi ordines.

3 Reg. 7. ℣. 12.

DIVERSA vtriusque templi ornamenta & instrumenta.

GLORIA templi secundi maior, non quidem auro vel argento, sed Christi aduentu.

Iam verò quamuis certa atque stabilis videatur esse nostra sententia, argumentisque ex aduerso allatis plene videamur respondisse, non tamen propterea nostro nos arbitramur satisfecisse instituto, nisi sanctorum priùs, doctissimorumque maiorum nostrorum, quorum auctoritati, quantum fas est, vltro deferimus, responsum demus: quoniam cum hac nostra sententia videntur pugnare. Atque in primis audiendus est sanctissimus Hieronymus. Domui, inquit, Israel ostenditur domus, &c. quam nequaquam illam putemus, quae a Salomone constructa narratur in Regum & Paralipomenon libris. illa

RESPONdetur ad argumenta.

S. Hieron. lib. 13 in Ezech. 43.

A enim alterius ordinis atque mensurae est, & in singulis magnam habens diuersitatem: tantoque inferior templo, quod nunc ostenditur Ezechieli, vt non solum cultores eius & aeditui, sed & ipse fabricator eius Salomon peccauerit, & offenderit Deum, licet postea egerit poenitentiam. haec sanctus doctor. Qui cùm merita virtutesque aedificantium hoc extremum Ezechielis templum, cum vitijs ac sceleribus conferat aedificantium Salomonis templum, non dubium est, quin rem, imagini eius comparet, vmbrae, corpus, templo, Christi Ecclesiam. qua in re nullum erit tam hebes ingenium, aut pene nullum quod non statim agnoscat, infinitis partibus B templum ab Ecclesia, dignitate, artificio, magnificentia, splendore, atque alijs omnibus superari. qua in re, neque a Hieronymi sententia discedimus, neque a nobis ipse dissentire putandus est. Nam quod nos constanter asserimus, Ecclesiae Catholicae descriptionem vniuersam, templi Salomonici Ezechieli ostensi dimensionibus, ac singulis partibus designari, idipsum disertis verbis tenet, & profitetur ipse Hieronymus his verbis: Quodque Scriptura nunc dicit: *Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portae quae respicit ad viam orientalem* ostendit cuncta, quae supra dicta sunt, & forinsecus, & intrinsecus, & in interiori- C bus templi, hoc est, sancti sanctorum, propriè ad templi aedificium pertinere, & templi interioris. Hoc sancti Hieronymi testimonio, quid posset vel certius vel manifestius exoptari?

INFINITIS partibus templo praestat Ecclesia Christi.

S. Hieron. lib. 13. in Ezech. 42.

At vrges, qua ratione allato prius loco alterius ordinis esse dicit atque mensurae? quis id non statim percipere possit ex dictis? quis non videat, longe diuersas esse atque alterius ordinis columnas, verbi gratia, Hierosolymitani templi a columnis Ecclesiae? harum atque illarum mensuras, materiam, formam, dispositionem, & reliqua? qua ratione locuti intelligendi sunt alij omnes sancti viri & Ecclesiae doctores, si qui praeterea inuenientur, asserentes, aliud fuisse Eze- D chielis templum a templo Salomonis, nimirum, vt quemadmodum certò scimus ac firmiter credimus, diuersum longè fuisse a Salomonis templo corpus Christi, cum tamen pro eodem vsurpetur ab eodem Christo Domino, vt vidimus: ita etiam, quamuis aliam esse, quam describit Ezechiel, Ecclesiam Christi fateamur, a Salomonis templo longe diuersam, tamen illam sub huius nomine & figura describi, vtpote ad id praestandum aptissima, constanter asserimus. Quae omnia confirmat potiùs quam infirmat idem Hieronymus, haec paulò inferius subiungens: *Et mensus est eam vndique per circuitum*, siue iuxta Septuaginta interpretes, similitudinem domus. E Perquod demonstratur, non ipsam domum, sed similitudinem domus esse quae cernitur. Quibus consona videntur esse, quae initio huius visionis dixerat: Ita, inquit, & mihi legenti descriptionem templi mystici, quod Iudaei secundum litteram in aduentu Christi sui, quem nos esse Antichristum comprobamus, putant aedificandum, & nos ad Christi referimus Ecclesiam, & quotidie in sanctis eius aedificari cernimus, accidit. Quibus verbis quamuis domum ipsam videatur negare Hieronymus his verbis describi, sed imaginem, mysticumque templum, non verum, quodque in typo Ecclesiae reaedificandum sit, non re ipsa, tamen sapientissimi doctoris mentem

DIVERSA re ipsa sunt Ecclesiae, & templi membra, similitudine eadem.

SIMILITVdo domus, non ipsa domus ostenditur.

S. Hieron. lib. 12. in 40. cap. Ezech.

sequen-

1. Corinth. 13. ℣. 10. & 12.

sequentia verba declarant: Quia nunc, inquit, per speculum videmus in aenigmate. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur. Vnde & Moyses in tabernaculo, & Salomon in aedificio non veritatem tentorij & templi, sed similitudinem, figuramque fecerunt, vt per haec, quae minora sunt, & terrena, ea quae in caelestibus, & in spirituali aedificio sunt, intelligere possimus. Videt iam, ni fallor, prudens lector, sanctissimum Hieronymum eodem planè orationis contextu, quo veram domum esse negat eam, quam Ezechiel describit, veritatem quoque tentorij atque aedificij Moysis tabernaculo, ac Salomonis templo denegare, quo his atque illis confirmet, Ecclesiae mysteria ac veritatem repraesentari.

IPSVM TEMplum & tabernaculum vera esse negat Hieronymus, sed imagines tantùm verorum.

Quae quidem propositiones, si iuxta verborum sonum accipiantur, veritati ipsi sacrae Scripturae repugnant: quapropter & a pijssima Hieronymi mente omnino alienae censendae sunt. Eam verò assequi facilè poterimus, si antiquam sanctorum consuetudinem in memoriam reuocemus. Vsurpare enim pleramque solent vocem veri, & veram dicere rem aliquam, vel alteram veram esse negare, non quod falsa sit aut ementita, sed quod opponatur mysticae, parabolae, aut vmbrae. qua in re Christi Domini phrasim videntur imitari dicentem, *ego sum vitis vera*, atque adeo ipsum Christum vocant veram petram virga Moysis percussam, verum agnum, verum sacrificium, verum manna. Non quidem existimantes, aquam è petra scaturientem phantasma fuisse, agnum paschalem figmentum, sacrificia ementita, manna somnium, quòd vel cogitare impium esset, atque ab omni veritatis specie alienum, sed illud arbitrati, quod pium, veritatique maximè consentaneum est, illa quidem omnia vera fuisse, & re ipsa ita accidisse, vt in Scripturis sacris referuntur: sed quoniam ea symbola fuerunt eorum, quae opere & veritate completa sunt in Christo, & in Ecclesia, ideo haec dicuntur vera, illa vmbrae, hae res, illae rerum imagines, illae figurae, hae figuris ipsis expressae.

VERA DIcunt res, quae mysticae opponuntur.

Ioan. 15. ℣. 1.

Qua in re doctissimi viri sanctissimum Paulum Apostolum videntur imitari, qui sic loquitur. *Non enim*, inquit, *in manu facta sancta IESVS introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum caelum.* Apostolum itaque imitatus Hieronymus, Tabernaculum Mosaicum, Templum Salomonis, domum Ezechielis pariter non dignatur verorum nomine censere: quod exemplaria sint, similitudinesque veri Christi, eiusque solidae ac perpetuò duraturae Ecclesiae symbola. Parique ratione locutus fuisse videtur idem sanctus Hieronymus, qui dum huius atque illius domus sanctitatem confert, Salomonem illius auctorem peccasse confirmat. Ista autem, inquit, talis est, vt qui eam mente conspexerit, cesset ab iniquitatibus suis. Quibus verbis id planè indicat, Salomonis templum longè inferius esse eo, cuius erat exemplum atque figura: Salomonis namque templum nullam suis architectis, operarijs, aut ministris conferebat morum aut vitae sanctitatem: at Ecclesia Christi eodem repraesentata, non solum ministros suos, & fabricatores sanctificat, verum spectatores vniuersos: eos inquam, qui huius templi pulchritudinem, dispositionem, lapides, ligna, omnemque fabricam perspicaci mentis intuitu ita perpenderint, vt veritas suo splendore illustrare, radijs accendere, atque ad veram suorum criminum poenitentiam illos inducere facile possit. Hoc enim voluisse videtur significare Dominus, discipulis suis dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Sed ne in re planè manifesta, magis ac magis confirmanda diutiùs commoremur, quàm par est, hic finem facimus: illud vnum addentes, quòd praeter ea, quae hic simul congessimus, in sequentibus etiam atque in reliquis disputationibus, ea omnia, quae in sacris litteris dicta sunt de altero templo, ad alterum quoque pertinere demonstrabimus: quò magis firma sit haec nostra sententia, quam non amplius licebit in dubium reuocare, atque adeo deinceps sine vlla distinctione de templo loquemur, idem esse intelligentes Salomonis atque Ezechielis templum.

Hebr. 9. ℣. 24.

MOSAICVM tabernaculum, ac templum exemplaria fuere verorum.

Matt. 5. ℣. 16

TEMPLI· VRBIS·

REGIONIS, LEVITICI ORdinis, Legis, Reipublicae instauratio legitima, visione hac indicitur.

Cap. XIII.

MVLTA hactenus de fine huius visionis, deque obiecto, siue materia diximus: ostendimus namque, Angeli ministerio internis Prophetae oculis, vniuersi Hierosolymitani templi non faciem modò, verum etiam speciem omnem attentius contuendam fuisse propositam: cuius etiam multiplex finis ostensus est. Quae omnia ad tria potissimùm capita Ezechielis spectare videntur, quadragesimum videlicet, cum primo & secundo continuo sequentibus. Verùm cùm reliqua omnia vsque ad finem Prophetiae, capita ad idem propemodum argumentum spectent, cumque tribus illis primis non de templi ac aedificij modo, verum multa etiam, de sacrificijs, ritibus, ac caerimonijs disserantur, quodnam sit huius extremae Ezechielis visionis, nouem capitibus extremis comprehensae obiectum, quisque finis, insinuandum est hic potiùs, quàm pertractandum. quoniam singula proprijs quaeque locis explicata facilius percipiuntur, perceptaque memoriae commendantur auidius. Atque vt à fine, primo vtique principio eorum, qui ratione ducuntur, exordiamur, is multiplex, maximusque videtur esse, maximae huic visioni propositus. Primus verò in vniuersum is esse apparet, qui totius sacrae Scripturae proprius, Israelitarum videlicet, quibus tunc scribebatur prophetia, morum mutatio, & compositio, cuius quasi ianua est, & introitus praeteritorum criminum confusio, dolor, poenitentia. Huius verò intimus animi sensus

QVIS SIT finis totius extremae visionis, nouem capitibus comprehensae.

COMPOSITIO morum initium poenitentia est.

sus non alio aptiori spectaculo excitari pesse videbatur, quam pulcherrima quondam faciem templi proposita, quam suis sceleribus vitiauerant, deturpauerant, ab hominum memoria pene extinctam aboleuerant. id quod eiusdem Prophetae verbis capite superiore ostensum est.

PECCATORVM contritionem sequitur consolatio.

Confusionem vero, ac peccatorum contritionem, atque poenitentiam consequitur consolatio, haud secus, quam corpus vmbra. Atque hoc, secundo, sed potiori loco exoptare videtur Dominus poenitentia placatus. Qua enim alia ratione maiori potuissent laetitia perfundi miseri illi Israëlitae Babylone detenti, quam templi conspecta forma elegantissima, cuius vel sola recordatio Dauidem Regem, pijssimum, sapientissimumque Prophetam tantopere recreabat, vt in ea, eius videndi desideriorum plena verba

Psal. 26. ℣ 4

prorumperet: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae: vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.* Quidni delectetur Dauid videndi templi desiderio, quod quidem templum Dei voluptatem vocare non est veritus, vel quòd eo inhabitando maximè gaudeat Deus, vel quod Dei, hoc est, maxima voluptate perfundat illud ingressos?

TEMPLVM quare dicatur Dei voluptas.

Vt igitur Israëlitas in spem, quam de templo instaurando primùm conceperant, durante verò tamdiu eius ruina, pene abiecerant, erigeret Deus, eamque vel collapsam excitaret, vel nutantem confirmaret, templi exemplar ob eorum oculos proponi mandauerat. Nam cùm primùm audierant augustissimum illud Dei templum dirutum fuisse, succensum, inque cineres omnino redactum, animos ac spem abiecerant, non modò ipsius templi, quod infinitis propè sumptibus fuerat exstructum, instaurandi, sed ne ipsius quidem Reipublicae, status, legis, sacerdotij, ac regni, quae omnia vni templo, eiusque sacrificijs, ac ritibus inniti, quasi solido firmissimoque fundamento videbantur: quod quamdiu durauit inconcussum, firma permansit Respublica Hebraeorum: cùm primùm concuti coepit, tota Respublica collapsa perijt. Ex quo genti illi maximum quoddam fidei, ac religionis amittendae periculum imminebat: vtpote cui timendum videbatur maximè, ne desperantes sese in omnem profunderent immunditiam, atque idolorum abominationem: indeque in tantum amentiae prolaberentur, vt patribus suis factas de Christo Domino mundi instauratore promissiones vel abnegarent, vel desperarent implendas. Ergo pijssimus Pater, vt familiae suae prospiciens, iacentes excitaret animos, promissum Saluatorem venturum confirmat, denuo aedificatum antiquum templum Prophetae ostendens, illumque hortatur, vt attentius perpendat, num ad easdem mensuras, rationes, ordinem, leges, quas olim habuit, exactum sit. Praecipit enim, vt ex concepta idea exemplar expressum Israëlitis tradat, quo non modò reditum in patriam polliceatur felicissimum, verum etiam pignus quoddam sit, atque arrha pristinae religionis instaurandae, felicissimaeque Reipublicae restituendae, quae nimirum vniuersa veri numinis cultu, ac veneratione continebatur. Non enim aliud quidpiam, templi exemplar proponens, videtur praestare, quam si Dei nomine illos iuberet bono animo esse. Ac tacitus verba Domini referre videtur, quae olim Isaias, huiusmodi: *Dixit Sion,*

PROPONITVR templum, vt in spem erigantur captiui.

MAXIME ardebat huiusmodi consolatione Israel, ne amitteret fidem, ac spem promissi Christi.

TEMPLVM iidem ostenditur, quod fuerat imago Christi.

A *dereliquit me Dominus, Dominus oblitus est mei. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Non proijciam regnum Iuda, sicut proieci Israel, filios eius ab exilio, & seruitute asserros in patriam reuocabo, faciem eis Reipublicae restituam, sacerdotium instaurabo, augebo familias. Quòd si templum dirutum, incensa ligna, dispersi lapides, ablata supellex, non continuo spes perijt sacerdotij, adhuc integra res est me superstite. Ego enim ipse sum, qui primus templi fabricam excogitaui, qui Dauidem ex

Isai. 49. ℣. 14. & sequ.

PROPRIVS ostensi templi finis.

B gregibus ad regnum, è regno ad inauditam diuitiarum opulentiam, partis ostium spolijs, euexi, locupletaui, quo sumptui esset, templique expensis. Ego illi operis exemplar, ac commentarios misi, vt intelligeret omnia opera exemplaris. Ego, inquam, qui Salomonem sapientia, Hiranium Regem beneuolentia, alterum verò Hiramum disciplinis, ac scientia cumulaui, vt opus exsequerentur: ego ipse sum, cui omnis fabricae ratio, dimensio, ac partes coram oculis sunt semper, vt proposita demonstrant lineamenta. Ego, cùm opus esse iudicabo, aedificium, cuius modo exemplar ostendo, operè praestandum curabo. Huc enim spectare videtur, quod,

C aedificij ordine, fabrica, legibus, alijsque ad templum spectantibus commemoratis, subiungit Dominus: *& facient ea.* Quapropter, & hic etiam reliquis annumerandus est finis, secundae domus aedificatio legitima, quam ad exemplar prioris instaurari oportebat. Sed cùm prioris vix superessent vestigia, quae aedificij dispositionem, ac partes vel aliqua ex parte referrent, ne ob exemplaris defectum à recta ratione aberrarent, idem Deus ac Dominus, qui primum Dauidi archetypum templi miserat, nunc Israëlitis in manu Ezechielis ex prototypo paragogum mittit expressum, quo Dei domum legitimam, verissimamque aemulentur, & gloriae Domini

Ezech. 43. ℣. 11.

SECVNDAE domus aedificatio legitima ad exemplum prioris promittitur à Domino

D habitaculum magnificum. Neque verò satis esse videbatur, templi domum, porticus, atria, gazophylacia, exhedras, habitaculaque instaurare, nisi eiusdem ritus, caeremoniae, instituta, ministeria, ministrique instaurarentur. Quare sicut olim Leuitici generis hierarchiam Dauidis ministerio instituit, sic eandem modo Prophetae vaticinio instaurat. Et quae olim de ritibus, caeremonijs, legibus, ac sacrificijs per Moysem sanciuerat, nunc per Ezechielem in memoriam reuocaret, ne fortè eorum obliti, in oblationibus minus dignè ac decenter peragendis peccarent, ac pro indulgentia Dei, sacramentis illis, ac beneuolentia promerenda, eiusdem subirent Dei

SICVT olim Leuiticam hierarchiam instaurauit Dauid, sic nunc Ezechiel.

E Optimi ac Maximi indignationem, & iram. His vero omnibus ab Ezechiele ordine percensitis, sperari potuisset, vt cuncta haud secus in secunda hac domo, quàm in prima ritè, atque ex ordine peragerentur. Illud etiam quod ad Palaestinae regionis partitionem spectat, quam cum ingressuri essent filij Israel, certa quadam ratione, ac methodo diuidendam praeceperat Iosue Dominus, vel ex Dei praescripto, Israelitis Iosue: quam facilè credi posset, non amplius exstare, sublatis videlicet ab incolis terminis, dum captiuus detineretur Babylone populus: eam, inquam, iterum refert Dominus, ne fortè tribus aliqua, vel familia paternis priuaretur bonis,

REGIONIS item instauratio refertur.

quae

quae à Deo primùm donata, & longa saeculorum serie postmodum fuerant confirmata. Eorum autem omnium, quae dixi, exempla non est, opinor, cur pluribus persequar, cum cuius textum ipsum, ac verba Prophetae legenti esse possint in promptu. Quid enim aliud ea verba significant: *Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum, vt offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis. Et dabo Sacerdotibus & Leuitis*, &c. Et illa: *Omnis alienigena & incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israel. Sed & Leuitae qui longè recesserunt*, &c. *Sacerdotes autem & Leuitae filij Sadoc, qui custodierunt caeremonias sanctuarij mei*, &c. Ac tandem illa: *Cumque coeperitis terram diuidere sortito, separate primitias Domino*, &c. Quid, inquam, haec omnia cum reliquis eiusmodi, nisi rituum Leuitici ordinis, atque regionis vniuersae instaurationem indicant? Quibus, si libet, & illa addenda sunt, quae de templo, atque vrbe instauranda pluribus ab eodem Prophera explicata sunt. Verum haec extrema vaticinia de terrae partitione, vrbis instauratione, reparatione templi, & diuini cultus obseruatione augustiora multo sunt, atque illustriora, quam quae Zorobabelis tempore, aut Nehemiae videantur expleta, cum exitus non ex aequo grandioribus illis promissionibus respondisse videatur. Etenim vestibuli templi celsitudo breuior fuisse dignoscitur, quam quae olim fuerat in Salomonico: non enim illis licuit ad eam pertingere, quam vel in exemplari expressam acceperant, vel priorem fuisse memoria retinebant, sed eam tantummodo, quàm Persae rerum potiti praefixerant, vt alibi ostendemus. Apparatus etiam, supellex, atque instrumenta templi tenuiora multò fuerunt prioribus illis: nimirum quae, ac quanta habere potuerunt è captiuitate redeuntes, & vndique potentissimorum hostium vi, dolo, armisque impetiti. Aedificium quoque ciuitatis, quamuis, magna quidem Nehemiae sollertia, Ezechielis dimensionibus responderit ex aequo, & antiquioribus, non tamen pulchritudinem, perfectamque vrbis rationem assecuta est, quam legimus apud eundem Prophetam: non enim quadrata omnino forma, paribus lateribus, portis munita pariter, atque exornata. Ac tandem, vt omnia vno verbo concludam, regionis sanctae partitio, vrbis dispositio, & forma, templique instauratio numquam audita, vel lecta est opere fuisse completa, post reuocatum è captiuitate populum, in patriamque restitutum. Quare alius sanè sublimior prophetiae finis, aliud admirandum magis visionis obiectum inuestigandum superest, quo tam illustris visionis sensus, tamque magnificae promissionis vaticinium facilè percipiatur.

Ezech. 43. ℣. 18 & 19.

Idem 44. ℣. 9. & 10.

Ibid. ℣. 15.

Idem 43. ℣. 3.

TEMPLI, vrbis, regionis instauratione quid augustius promittitur.

INSTAVRATIO templi, vrbisque non ex aequo prioribus respondit.

Haec est Ecclesia Christi, cui cum veteri synagoga Hierosolymae nomen commune fuit, idem fundamentum, eadem delineatio, mensurae eaedem, rationes, leges: nam vna semper Ecclesia ex Iudaeis, & Gentibus coagmentata existit, perpetuoque duratura est. Quae quamuis vera sint, ac certa, tamen Ecclesiae post Christum operosior est structura, augustius aedificium, sumptus profusiores, maior firmitas, ornatus dignior, gratior venustas, gloria illustrior, vtpore summa, perfecta, ac sempiterna.

ECCLESIA Christi sanguine instauranda hac visione praedicitur.

Cuius nimirum repraesentatio finis fuit propositi exemplaris praecipuus, quemadmodum ipsum templi aedificium ostensae visionis obiectum primarium fuit. Haec planè domus fuit magnificentia, vt plenè exhauserit, atque operé compleuerit grandiora eiusdem Prophetae verba, vniuersaque magnificentissimi templi claustra, quae omnia suis locis explicanda, & confirmanda a nobis sunt. Interim tamen negandum non est, visionem hanc vniuersam ad Zorobabelis, Nehemiaeque tempora referendam esse, vtpote in secundo templo, secunda vrbe, secunda item regionis partitione, quasi in typo, verorumque vmbra opere compleram. Sed de fine atque obiecto visionis iam satis.

MENTE CONCEPTAM TEMPLI IDEAM

describere opus est.

Cap. XIV.

OSTENDIMVS, ni fallor, satis, visione hac Ezechielis extrema Ecclesiam Christi repraesentari, sub templi Salomonici figura, quòd videlicet templum, internis Prophetae obtutibus Angeli ministerio fuerat repraesentatum. Ex quo fit vt perspectum quoque, vix posse quemquam, ac ne vix quidem scribentis Prophetae, aut scriptae prophetiae mentem assequi, quin prius ideam templi mente concipiat, quam ipse vates concipiebat, vt Angeli, vel Dei ostendentis templum, verba percipere posset, ac mentem. Qui quidem vix etiam videtur potuisse comprehendere, quae ab Angelo reuelabantur Ecclesiae futurae mysteria, nisi prius templum ipsum, in quo repraesentabantur, mentis oculis contemplaretur attentius. Qua enim ratione quis scribentis ad se epistolam animum, aut verba percipiat, qui characteres ipsos, litterasque, quibus scribitur, percipere negligat? Quid quod tota templi deformatio, Angeli dimensio, calamus, funiculus, gesta, dictaque omnia, quasi quidam scripti characteres sunt, Ecclesiae mysteria indicantes? quis igitur credat, haec absque illorum cognitione percipi posse, aut intelligi? Et haec quidem intelligenti necessaria sunt omnino. at à docente, alia his sanè maiora exigenda sunt. non enim satis est templi ideam mente percepisse, atque efformasse perfectam, sed oportet, vt faciliori quadam methodo, ac via eam quam mente versat imaginem, oculis audientium, vel scripta legentium conspiciendam obijciat. id quod absque lineamentis, atque figuris fieri posse negamus: eosque, qui sine huiusmodi adminiculis alios hanc visionem edocere velint, oleum & operam perdituros certo statuimus. Nam praeterquam quod non parui operis est, Hieronymo teste, quod

Supr.

NON POSSET Propheta Ecclesiae mysteria, quae templo exstruendo reuelabantur agnoscere, nisi templi ideam contemplaretur attentius.

PLVRIBVS indiget, qui hanc velit explicare prophetiam.

S. Hieron. lib. 13 sup. Ezechiel. 43.

oculis carnis, vel mente conspexeris, audientibus demonstrare, vt & ipsi tecum vidisse videantur. In illis porro rebus, quarum imagines praesentes oportet esse, vt intellectu percipiantur, id nulla ratione praestari potest, quin sensibus ipsis corporis figurae praesentes sint, quarum vniuersa ratio, dimensio, ac partes internis oportet esse praesentes. Id quod vsu, assiduaque experientia edocti fatebuntur omnes, qui mathematicas disciplinas, vel à limine, quod aiunt, salutauerint: eae enim omnes propter allatas rationes, puluere indigent, aut cerata tabula, aut alia quauis materia, in qua ducantur lineae, anguli figurae, numeri, atque alia id genus schemata, quae si desint, frustra omnino labores in addiscendis earum demonstrationibus, quantumuis perspicuis. Neque enim alia ratione Aristippus philosophus Socraticus, naufragio eiectus ad Rhodiensium litus, cùm animaduertisset geometrica schemata descripta, exclamasse fertur: Bene speremus, hominum enim vestigia video, nisi quia Mathematicorum aliqui eo discutientes de rebus mathematicis, mutuò quidquam conferre nequiuerint, quin figuras, de quibus loquebantur, arenae ipsi imprimerent, quae meritò à Philosopho sapientissimo hominum vestigia dicuntur, cùm, quae pedibus imprimuntur, bruta imitari possint, haec non nisi ratione praediti. Cum igitur fabricae descriptio, quam fecit vates noster, ad Geometriam spectet, vt suprà ex Hieronymo ostendimus, & ratio ipsa demonstrat, perspectum quoque esse debet, atque exploratum, lineamentis indigere ipsius interpretationem.

MATHEMATICIS perspectum est, sine imaginibus hanc non posse percipi visionem.

Vitruu. praefat. lib. 6.

EA SVNT propriè hominum vestigia, quae ab alijs, quam à ratione praeditis figi non possunt.

Id quod non coniecturis modò, aut excogitatis argumentis posse confirmari videtur, verùm multo magis Dei Optimi praecepto, qui, cùm visionem hanc omnem repraesentata templi figura Prophetæ ostendisset, vt eam ipse Israeli quoque percipiendam demonstraret, praecipit in hunc modum: *Figuram domus, & fabricae eius exitus, & introitus, & omnem descriptionem eius, & vniuersa praecepta eius, cunctumque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum.* Quòd si Israëlitis, qui ipsam domum Domini saepius viderant, in eaque versati, & commorati diutius fuerant, non satis erat eius audire descriptionem viua Prophetae voce, sed necesse fuit exemplar descriptae fabricae tabula delineatum ostendere, atque eorum oculis, ex Domini praecepto, spectandum proponere: quis quaeso tantum sibi arroget vel percipiendo, ingenij, vel scribendo, aut docendo facilitatis, aut styli, vt absque lineamentis ideam templi vel tenere se putet exactè, cum audiat, aut legat, vel teneri, cum doceat, aut scribat? Legentis igitur, addiscentisque non minus interest delineatio, quàm vox, vel scriptura docentis. Dicam & hoc insuper, propterea maximè scribentem oportet delineationes proferre, quòd à legente absque illis percipi nulla ratione possit. Scriptorem namque oportuit, prius quàm animum ad scribendum applicuisset, omnia in promptu habuisse, quae scribere aggrediebatur; atque adeo, si geometrica erant, figuras, si arithmetica, numeros: si architectonica, imagines construendi, vel explicandi aedificij, vel efformasse, vel ita mente concepisse, vt eas facilè posset efformare. At qui legit, qua ratione poterit mentem assequi Scriptoris, nisi ipse quo-

Ezech. 43. ℣. 11.

ISRAELITIS, vt templi visionem perciperent, eius imagines proponi praecipiuntur à Deo

SCRIBENTI ac legenti de architectura, imagines sunt ob oculos ponendae.

A que animo verset figuram illam, quam animo versabat scribens? id quod in Mathematicis, aut in aedificatorijs, qua ratione fiat, videre non possumus, nisi oculis etiam aliquam imaginem contemplemur, ex qua proprias possimus mente concipere, & contemplari rerum ideas. Sed quamuis tantum fingamus in legente ingenij acumen, vt verbis adumbratam facilè concipiat figuram, atque aedificium, cuius longitudo, latitudo, celsitudo, portae, atria, deambulationes, cubicula, cenacula, conclauia, materies, ornamenta referantur ad viuum, mox fingat, & mente illud haud secus contempletur, quam si exstructum conspiceret, vel exactas vniuersas eius descriptiones vi-B disset, aut descripsisset, id quod rarum profecto est, laborisque & operae plenissimum, quodque nullus facilè aggrederetur, tamen etiamsi omnia simul in vnum confluerent ingenium, exercitatio, facilitas, promptitudo, animique affectus, adhuc tutò hanc viam incedere non posset, quin infinitis propemodum erroribus, ac deceptionibus passim, ac singulis pene momentis pateret. Quamplurimae enim mathematicae demonstrationes mente versant perspicacissima, etiam ingenia, quae verae esse initio iudicantur, sed postquam, ductis in tabula lineis, iterum conferuntur cum lineis, lineae, & reliquae inter se partes, longè a vero aberrare deprehenduntur.

ETIAM ipsis doctissimis, atque exercitatissimis architectis imagines aedificij necessariae sunt.

C Id verò in aedificijs potissimùm vsu venire maximè consueuit, quod & vniuersa attestatur Respublica, nec sine magno substantiae ciuium detrimento, atque existimationis iactura recolit. Nam quoniam architectorum penuria iam inde ab Augusti temporibus, vt auctor est Vitruuius, nosque attestamur, & vidimus, laboratum sit, plerumque fit, vt maximis sumptibus, maximisque alijs incommodis, ac detrimentis patresfamilias addiscant, non omnia quae mente concipiuntur, ita opere praestari posse, vt concipiuntur, quae si descriptionibus prius efformata fuissent, facile dignosceretur, quaenam possibilia essent, aut secus. Neque vero aliter iudi-D candum censeo de aedificio, cuius membra seorsum referuntur, ad viuum exprimendo, quam de eo, quod mente concipitur, opere exequendo. si quis enim atrium, verbi gratia, quadratum centum vndequaque cubitorum referat, cuius quaternum laterum paria exigat intercolumnia triginta, quis quaeso hoc soluet absque descriptionibus problema, siue aenigma potius insolubile? si enim septena singulis atrij lateribus assignet intercolumnia, quater septena octo efficient & viginti, binis ad tricenarium numerum deficientibus: at si octona lateribus singulis distribuas, bina item intercolumnia quaesito numero adieceris. Hoc vero cum alijs E quamplurimis eiusmodi problematis facilè in nostris descriptionibus explicatum inuenies. Quapropter liberè fatendum est, si quid hac nostra viginti annorum assidua defatigatione, Deo auctore, cui omnia accepta referimus, tandem profecimus, quod non ignoro, quàm sit exiguum, multò magis ducendis lineis, earumque contemplatione profecimus, quàm commentariorum lectione, verborum interpretatione, collatione mutua, meditatione, scribendis commentarijs, alijsque, atque alijs adhibitis praesidijs, quibus bonae memoriae pater Pradus, & ego nos vnà totos in hanc vnam curam impendimus, quamuis & alijs quoque adiumentis, de-

ARCHITECTORUM penuria, iam inde ab Augusto.

DESCRIPTIONIBUS opus est ad aedificia denuo inuenienda, & ad ea, quorum partes seorsum referuntur, componenda.

scriptio-

QVAE NObis attulerint commoda descriptiones

scriptiones ipsas ad sacrae Scripturae normam quam diligenter ac sedulo exigebamus. Accidit enim nobis plerumque, vt partium nonnullarum nulla appareret initio vel dimensio, vel commemoratio, quas postquam in ipsa membrorum consensione excogitaueramus, in ipsa quoque sacra historia inueniremus expressas nonnumquam vero mensuras, quae longè diuersarum partium videbantur esse, cum repugnare comperissemus cum alijs eiusdem textus, tum meridiana luce clarius confirmatum est, ad quae fabricae membra eiusmodi mensurae pertinerent. At ne haec, quae quàm multa sunt, pluribus persequar, vno verbo dicam, quidquid est ordinis, quidquid distributionis, quidquid speciosum est, & admirandum in hoc Ezechielis descripto templo, id omne per descriptiones, imaginesque innotuit: nam ipse Propheta portam describit, longam, latam, thalamos eius, postes, fenestras, atrium, porticum, templum, oraculum, & singularum partium nonnullas dimensiones percenset, at verum mutuò consentiant, qua ratione sibi partes respondeant, quomodo totum hoc aedificij corpus coalescat, vnum sit, ac perficiatur, id omne ratiocinatione percipiendum reliquit. quod an aliqua saltem ex parte consecuti simus, imagines, ac descriptiones templi cum his commentarijs indicabunt. Quae omnia sollertem, vt dixi, exigunt indaginem, assiduamque animi contentionem. nam qui obiter, & velut per transennam Ezechielis visionem percipere, aut eius partes aliquas seorsum ad suos aptare conceptus volet, non est, opinor, cur in his nostris lucubrationibus euoluendis tempus, & operam ludat ac terat. nos enim non adumbrare modo, verùm viuis etiam coloribus exprimere, quantum licuit, conati sumus Ezechielis Prophetae visionem, quod sine figuris, pluribusque templi imaginibus propositis praestare nos posse desperabamus, illis vero maximis sumptibus, incredibili diligentia, labore improbo tandem exhibitis, speramus, vt nostris in primis, quibus premimur proficiendi desiderijs, lectoris deinde vsibus inseruiamus, qui tum iucunditate poterit, ac voluptate, Prophetae huius difficultatem temperare, tum verò vtilitate, ac fructu legendi, ac meditandi labores compensare: poterit namque hac ratione consequi, vt & quae Propheta vidit, omnia quasi ob oculos posita contempletur, & quae scripsit intelligat. Nam absque huiusmodi figuris frustra nos scribendo defatigatos esse, lectorem verò his legendis praepeditum fore crediderim. Quapropter monendum hic etiam lectorem duxi, vt prius quàm haec nostra volumina pretio quocumque, labore, aut diligentia comparet, indicem in eis exquirat, atque imaginum catalogum, & singulas suis locis adhibitas esse recognoscat, neque vlla ratione sibi persuadeat, se quidquam percepturum ex his nostris lucubrationibus emolumenti, qualibet earum deficiente. Nam praeterquam, quòd, vt dixi, tota haec visio difficilis, ac longa in earum maximè perceptione insistat. id nos quoque quasi data opera studioque conati videmur, vt singulae horum commentariorum partes ita ex ipsis pendeant imaginibus, vt ex Phidiae inscripto nomine Palladis scutum, & statua. Verùm haec omnia ad historiae corticem tantummodo pertinere alicui videbuntur, in quibus non esset tantopere immorandum. Quod longe aliter iudicandum putamus: non enim minus ipsa fabricae lineamenta necessaria esse videntur ad suauissimum nuclei fructum degustandum, Ecclesiaeque allegoriam texendam, quàm ad visionis prophetiam intelligendam. Nam cum Ecclesiae sanctae, vt dixi, mysteria, ipsa templi fabrica, partium singularum collatione, ac proportione indicentur; templi verò, eiusque partium comprehensio tota ex delineatione pendeat, fit, vt sine figuris expressis ipsa Ecclesiae sacramenta templo figurata vix intelligi, nedum plenè percipi possint.

SOLLERtem exigunt haec nostra scripta lectorem.

RECOGNOscendae prius figurae, quam liber hic ematur.

NEQVE ipse mysticus sensus sine descriptionibus percipitur.

Quocirca mirari non desino illos omnes huius visionis interpretes, qui & litterae quem vocant sensum, & mysticum pariter, siue allegoricum pertractare aggressi sunt, cum imaginem eius aedificij, quo Ecclesiam repraesentari fatentur, non modo formis exprimere, verum ne cogitatione quidem comprehendere sint conati. Quos hortari amicè vellem, vt in mentem reuocent, sensum mysticum ex analogia rei significatae cum symbolo, re nimirum illa, qua significatur, hauriendum esse, analogiam verò in rerum comparatione consistere: sed & illa conferri mutuò non posse, quorum vtrumque, aut alterum vel non est, vel conferentis mente non concipitur, quasi verè sit. quare nulla ratione poterit allegoria aliqua concipi ex collatione Ecclesiae cum eo templo, quod non sit, aut cuiusmodi fuerit ita ignoratur, vt neque putetur esse potuisse. Sanè hoc vnum in vniuersum affirmare non dubitem, sensum literae, aut historiae, cum is prophetiae subest, ad mysticos sensus ita necessarium esse, vt sine eo consistere nulla ratione possint. Ex quo fit, vt quod ad rem nostram spectat, nisi prius visionem vniuersam, eiusque imagines rectè percipias, atque cum illis Ecclesiae mysteria conferas, neque quid Spiritus sanctus ea visione intendat, assequaris, neque, quid tecum ipse commenteris, intelligas. Quapropter diu, multumque, paruoque cum fructu laboraturos eos testamur, qui absque figuris, vel mentem Vatis, vel Ecclesiae sacramenta in Ezechiele scrutantur, illos vero, qui negant esse huiusmodi figuris insistendum, minimum hac in re profecturos esse affirmamus. nam cùm scientiae clauem se habere putent, sapientiae domum ingredi non curant, alijs aperire detrectant.

ALLEGOricus sensus è collatione rei, quae significatur, cum symbolo hauriendus est.

QVOMODO sint haec legenda.

Volumus igitur in primis, hoc vnum nostra haec commentaria, explanationesque lecturos admonitos, vt quoties ea cum iucunditate, ac fructu percipere volent, figuras explicent, atque ob oculos habeant, quò singulas pene partes harum disputationum in eis adinuenire assuescant, quò non modò loci quem legunt, sententiaeque eius veritatem probare possint, verùm etiam reliquorum omnium, quod caput est, consensione confirmare. Scio quid mihi obijci possit, quidque impedimenti occurrat, quò minùs haec, quae proponimus praestari possint, fructusque, quem cupimus, sperari: nimirum quòd haec nostra non legent architecti, qui eiusmodi figuris assueti sunt, & norunt, quid singulae descriptionum partes in fabrica repraesentent, atque eis perspectis facilè totum aedificium quasi praesens contemplari possunt. non, inquam, leget hoc genus hominum, qui quamuis legant, tamen sacrae Scripturae verba, dicendi auctoritatem, & maiestatem, maxima, & ineffabilia mysteria eisdem contenta vt percipere non pos-

ARCHITECTI absque duce Theologo haec non legant.

ERECTAE frontes facilius, vestigia difficillime percipiuntur ab ijs, qui assueti non sunt.

sunt, ita nec pro meritis venerari: quare eos sine duce Theologo haec euoluere non permitterem. At legent Theologi, quid igitur fructus percipient ex figuris his omnibus, qui nisi ex aliorum sententia ipsi per se figuras percipere minimè possunt? delectabuntur ipsi quidem earum imaginum aspectu, quae erectas aedificij facies repraesentant: operis pulchritudinem, imaginum subtilem operam, fenestras, columnas, ornamenta contemplabuntur, percipient, nihil praeterea: in vestigijs verò, ex quibus tota aedificij ratio, atque adeo prophetiae explicatio maximè pendet, neque, quid significent, agnoscent, neque qua ratione aut fiant, aut ad aedificium pertineant cum nihil simile in exstructis, quae quotidie cernunt, aedificijs perspexerint, aut exstitisse cognouerint. Quae

A me sane ratio impulit, vt, praeter ea, quae hactenus praefatus sum, ad visionis intelligentiam necessaria, aliquid insuper subiungerem, quod ad intelligendas descriptiones, subindeque templi fabricam posset conducere. Qua in re ea tantum proponemus, quae ingeniosum Theologum ad hanc sacrae Scripturae visionem, atque alia quamplurima eiusdem sacrae Scripturae loca intelligenda possint deducere; ab illis verò omnibus supersedendum duximus, quae architectum vel edocere, vel perficere potuissent, ea namque & alterius indaginis sunt, & à nostro instituto aliena. quamuis non negem, architectos quoque his sacris fabricis, & veram architectandi rationem edoceri, & quamplurimos fucos, vmbrasque eius artis dedoceri facilè posse.

Libri Primi Finis.

TOMI SECVNDI EXPLANATIONVM

PARS SECVNDA

DE EXTREMA VISIONE EZECHIELIS PROPHETAE

DESCRIPTIONVM TEMPLI EXPLICATIO

Liber Secundus Isagogicus.

ARCHITECTVM PLVRIBVS disciplinis, & variis eruditionibus ornatum esse debere.

CAPVT PRIMVM.

DESCRIPTIONES has cum alijs omnibus omnium aedificiorum ab Architecto fieri perspicuum est. Eas verò explicare vix possumus, quin pariter explicemus, num propria tradat praecepta Architectura, quibus huiusmodi aedificiorum imagines efformentur, an verò ea ab alia aliqua mutuetur scientia. Quod quam sit huic nostrae disputationi non vtile modò, sed & necessarium, ipsa eius rei tractatio vel me tacente indicabit. Et quoniam ab alijs eruditionibus, exercitationibusque ea principia atque praecepta proficisci ambigendum non est, sed exponendum tantummodo, illud in primis videndum est, an alijs ornetur Architectura disciplinis, & quibus. Nam Architecturam scientiam esse definit Vitruuius, pluribus disciplinis, & varijs eruditionibus ornatam, cuius iudicio probantur omnia, quae a ceteris artibus perficiuntur opera. Duo esse Architecturae propria initio proponit, & scientiarum praesidia atque ornamenta, & iudicium, quo probentur quae à ceteris artibus perficiuntur opera. quorum alterum ex altero videtur pendere, esseque alterum alterius causa. Ideo enim Architectus iudicare poterit, atque probare, quae ab artibus perfectionem suam mutuantur opera, quòd scientijs, disciplinis, eruditionibusque instruitur. Nam qua ratione iudicet opera, quae absque scientiarum praesidijs minimè conflantur ab artibus, qui artium ignarus sit, expersque scientia- D rum? Hanc verò egregiam Architecturae laudem non modò Architectorum princeps Vitruuius, verùm etiam Philosophorum apex Plato recensuit. Nam regnandi artem scientiam esse astruit speculatiuam, quamuis opera aliorum dirigat: idque Architecturae exemplo his verbis confirmat: *Etenim Architectus nullus manuum ministerio vtitur, sed vtentibus praesidet.* SOCR. *ita est.* HOSPES. *Dum iudicium adhibet, non ministerium.* SOCR. *id quoque verum.* HOSP. *Iure igitur speculandi scientiae particeps est dicendus.* SOCR. *& maxime quidem.* HOSP. *Hoc, vt arbitror, ad iudicem pertinet, non ad finem, quo se attinet venire, & mox discere quemadmodum computator ille, sed incumbere, operarijsque singulis operam accommo-* E *dam mandare, quousque quod est imperatum absoluerint.* Haec ille, qui mox vniuersam contemplationem in duo distribuit genera, quorum alterum iudicio tribuit, alterum imperio: atque adeo inter Imperatorias facultates Architecturam computare videtur, ac quemadmodum singula subditorum ministeria nota opus est vt sint Imperatori, vt sciat, quid cuique praecipiendum sit: pari ratione ea omnia nota esse Architecto necessarium est, quae operarijs distribuere, & quorum opera iudicare tenetur. Neque verò hoc quod manifesta ratione ex praedicta Platonis sententia confici videtur, iudicio lectoris perscrutandum reliquit Plato, verùm etiam testatum esse voluit;

Vitru. lib. 1. c. 1.

QVID SIT Architectura.

ARCHITECtura scientiarum eget praesidio.

IMPERANDI ars Architectonica dicitur.

Plato de Regno.

ARCHITEctura ars imperandi.

volait, idque rationibus maximè confirmare voluisse videtur, dum Architecturae exemplo, plurimis quoque disciplinis imbutum esse debere philosophum contendit. Pulcherrimas, ait, atque maxime congruas animo disciplinas eas esse, ex quibus maximam quis gloriam in philosophia consequatur: maximam vero gloriam adipisci, si omnium artium peritus sit: at si minus omnium, saltem plurimarum, earumque praesertim, quae aestimatione sunt dignae, ea prae ceteris discens, quae liberos homines decent, quaeque intelligentiae ratione, non manuum ministerio conficiuntur. Tum ego, sic, inquam, dicis, quemadmodum in opificijs contingit, vbi opificem quinque ad summum, aut sex minas emeres, Architectum vero ne drachmarum quidem decem millibus? nam per omnem Graeciam rari admodum reperiuntur. Haec ille. Censet igitur Plato, Architecto similem fore philosophum, qui libero homine dignas nouerit disciplinas; artes verò, opificumque traditiones, quoniam eas exercere non decet, dijudicare saltem possit. Vbi non modicè etiam commendat Architectum, vtpote omni pretij aestimatione maiorem: quique inter sapientissimos Graeciae viros rarò posset inueniri. Et sanè quòd ad scientiae dignitatem, ingenijque acumen, ac dexteritatem spectat, vix vnum è multis reperias, qui architecturae addiscendae sit aptus, nedum edocendae. Namque qui modò architectorum nomen absque vllo scientiarum praesidio circumferunt potius, quàm merentur, non dubito, quin architectura ipsa si exstaret, in opificum numerum retruderet, vnde nullius facultate disciplinae audacter emerserunt. Quod quantum Reipublicae afferat detrimenti, quantumque subtrahat vrbibus ornamenti, ciuibusque emolumenti, aut commodi, iudicare facilè possent principes viri, gubernatores, ac Reges, qui, quae, ac quanta praesidia Reipublicae posset afferre architectura, vel experti fuissent, vel iudicio, ac ratiocinatione percepissent. quapropter, & inter grauissima illa supplicia, quae veteri Hierosolymae comminatur Dominus apud Isaiam, hoc vnum meritò annumerari videtur, quod auferet *sapientem de architectis*: illis omnibus praesidijs, atque emolumentis vt careat, quibus olim architectorum industria muniebatur, & ornabatur. Ea verò persequi non est praesentis instituti: nam, vt dixi, non nostri muneris est architectum instruere, dignitate, ac commodis scientiae, quam tradimus, propositis, neque audientem in officio continere, atque ad discendi labores libenter subeundos allicere, sed ea tantummodo proponere cupimus, quae ad enumeratas in sacris litteris fabricas percipiendas Theologum iuuare possint: quapropter & scientias illas percensere decreuimus, quae architecto necessariae sunt ad artificum opera dijudicanda, quod est sui muneris proprium.

Plato lib. de philosoph.

RARI IN Graecia Architecti, alibi vero rarissimi.

ARCHITECTorum penuria detrimento Reipublicae est.

Isai 3. ℣. 3.

Duo namque fieri ab architectura tradit idem Plato, aedificium videlicet, & architecturam: illud quidem opus est, haec autem doctrina: nos verò ab illis omnibus supersedebimus, quae ad opus diriguntur perficiendum, ac de illis tantummodo quam breuissimè differemus, quae ad architecturae disciplinam propriè pertinent: non quidem de omnibus, sed de illis tantummodo, quae huic nostro instituto necessaria iudicabuntur. Ac prius, quàm à Platone discedamus, hoc vnum, quod initio proposuimus, ampliùs confirmemus, scientiarum videlicet praesidio muniri architecturam, sine quibus vix, aut ne vix quidem consistere possit. Is igitur sicuti scientias quidem artes omnes bifariam partiri decreuit, cuius rei gratia ab illis primum segregat ea, quae ad rationis iudicium, ac scientias spectant: ait enim SOCRATES: Ecce si quis ab omnibus artibus segregaret numerandi, dimetiendique, & ponderandi peritiam, vile quiddam, vt ita dicam, esset, quod vniuscuiusque restaret. PROTARCHVS. Vile profecto, residuum quippe imaginatione quadam, ac sensuum experientia, & exercitatione, coniecturisque consequi liceret, quas plerique artes vocant, cura & labore vim suam omnem adeptas. Post pauca verò haec subdit: SOCRATES. Architecturam vero mensurae, & instrumenta iamplurima, quibus vtitur illa crebro, vt perspicacem maxime, ita super ceteras artificiosam maxime reddunt. & quae sequuntur. SOCR. Ponamus igitur eas, quae dicuntur artes, in ordine duplici, alias, quae musicam quidem in operibus sectantur perspicaciae minoris participes, alias architecturae pedissequas aliquanto maioris. PROTAR. Ponamus. SOCR. Harum omnium perspicacissimas, quas paulo ante primas vocauimus. PROTAR. Numerandi peritiam, & quas cum illa supra innuisti, innuere nunc mihi videris. SOCR. Prorsus. Arithmeticam, aliasque mathematicas facultates architecturae pedissequas vocat, quod absque illis architecturae dignitas stare non possit: vel, vt alij conuertunt, architecturae vestigijs insistunt, quod ad architecturae praestantiam quodammodo aspirent.

Plato Laches, siue de fortitudine.

DVO FIVNT ab architecto, aedificium, & architectura,

Plato in Phylebo.

ARITHMEticam cum ceteris Mathematicis Architecturae pedissequas vocat Plato.

Verum haec omnia obiter à Platone dicta sunt, atque in aliarum rerum exemplum allata. Vitruuius verò, qui quae sunt ipsius architecturae propria ex instituto persequutus est, eas facultates enumerat, quae Architecto necessariae sunt: Itaque eum, inquit, & ingeniosum esse oportet, & ad disciplinam docilem (neque enim ingenium sine disciplina, aut disciplina sine ingenio perfectum artificem potest efficere) & vt litteratus sit, peritus graphidos, eruditus geometria, & optices non ignarus, instructus arithmetica, historias complures nouerit, philosophos diligenter audiuerit, musicam scierit, medicinae non sit ignarus, responsa Iurisconsultorum nouerit, Astrologiam, caelique rationes cognitas habeat. Haec ille. Quibus exempla, rationesque subiungit, vt ostendat, quid, ac quantum è singulis enumeratis facultatibus accipiat architectus emolumenti. Verum non omnia breui potuit percensere, in quibus architectus singularum disciplinarum traditionibus, principijs, & argumentis munitur, sine quibus ad summum architecturae templum peruenire non modo non posset, verùm ne in ipsa quidem consectandi via consistere. Ex ijs porrò, quas percensuit, disciplinis, duae tantummodo ad praesens institutum facere videntur maximè, quarum vtramque Graeca voce compellat, quoniam nulla tunc occurrebat Latina, qua praedictae facultates censerentur. Graphidos scientiam vocat alteram, alteram verò opticem. Graphis linearum deformationem, siue designationem indicat, quam Itali vocant, *dissegnare*, eiusque opera *dissegni*, nosque ab Italis vocem cum eius artis vsu mutuati sumus. Nec desunt, auctore Philandro, qui eam, quae ad architecturam pertinet, γραμμικὴν, quasi lineationem dicas, vocent; γραφικὴν verò, & ad scriptorem, & ad pictorem, sculptoremue referant, ad illum, descriptionem, ad hos designationem transferentes. Qua in re quamuis, quod ad Graecas voces spectat, nihil morer, illud mihi placere non potest, quod scriptores illi indicare videntur, nimirum aliam esse graphidis scientiam, quae ad Architectos spectat; aliam verò, quae ad pictores, vel sculptores. Vsus enim & ratio non aliam esse statua-

QVIBVS FAcultatibus Architectus instruatur.

GRAPHIDIS scientia quae dicatur.

G. Philand. in annot. Vitruu.

tuariam artem admittit, quae leonem, verbi gratia, imitatur, ab ea, quae equum, vel hominem: quare cùm aedificia describenda sint, eorumque ornamenta omnia, in quibus aliae atque aliae hominum, aliarumque rerum imagines sunt formandae, eadem prorsus graphidis peritia deformanda sunt omnia. Quibus accedit Vitruuij auctoritas, qui huius facultatis vsum illis verbis declarat: Deinde graphidos scientiam habeat, quo facilius exemplaribus pictis, quam velit operis speciem deformare valeat. Itaque censet Vitruuius, exemplaria ab Architecto pingenda esse, vt operis speciem, quam mente conceperit, ad viuum referre, atque ob oculos opificum, à quibus opere complenda est, expressam ponere valeat: tametsi non negem, aliquid interesse inter architecti, atque pictoris graphidem: illa enim quidquid ab ista praestatur, efficit ex munere, haec caret alienis, suis dumtaxat vacat. Pictoris namque, & statuarij exercitatio vniuersa in imitatione versatur, architecti verò non item. Nam quamuis apprimè nouerit aedificium quodcumque formare, viuisque, ac proprijs coloribus effingere, ita vt exstructum aedificium omni ex parte imitari videatur, tamen non propterea aliquam adeptus est architecturae laudem, nisi singulas partes metiri, earumque dimensiones, mutuamque analogiam, & ad vniuersam fabricam responsum ratiocinationibus consectetur, teneat, ac doceat. Non enim aliam ob causam regulae, ac circini vsum mutuari dixit Vitruuius à Geometria, nisi quia sine Geometria aedificium describens, pictor, non architectus habendus est. cuius quidem figmenta, cùm ad fabricam reuocantur, vel infirma, vel ad vsum minus apta. vel, quod minimum est, naturae monstris simillima esse deprehendentur, quaeque maximam scientiae ignorationem in architecto demonstrent, dominumque aedificij iudicio, ac prudentia in eligendo maximè caruisse, cuius aedificia duratura diu non sint, sed citò casura.

GRAPHIDIS scientia pictoribus seruit, atque architectis.

QVID INtersit inter architecti, & pictoris graphidem.

Quibus, atque alijs eiusmodi propè infinitis incommodis non alia ratione obuiari posse crediderim, quàm si aedificaturi principes viri, pluris in Architecto peritiam, quam graphidem faciant: plerumque enim accidere solet, vt falsa exemplarium specie delusi in maximas ruant rei familiaris iacturas, & quod peius est, & in propriae existimationis detrimenta non modica. Nam si qui *coepit aedificare, & non potuit consummare*, ab omnibus illuditur in Euangelio, quantò magis illudetur, qui cùm imprudens coepisse dignoscetur, nulla tamen ratione poterit ab incoeptis prudenter reuocari?

PLVRIS EST in architecto facienda peritia, quam graphis.

Luc. 14. ℣. 30.

Haec vero omnia cum bona eorum pictorum venia dicta nunc sint, qui sibi tantùm arrogant, vt ipsi Vitruuio fidem abrogare conentur, quò nullum ostendant esse posse architectum, praeter pictorem, cui vni tota incumbat architecturae peritia. At ni vererer indigna esse quae proferunt, ea hic referrem vniuersa, ipsa enim suo pondere ruerent, vel potius sua leuitate euanescerent. Vnum tamen afferam argumentum, quod esse poterit reliquorum omnium exemplum, & peritissimis, quos ipsi iactant, dignissimum. Profectò, inquiunt, ita res sese habet: Cui graphidis peritia defuerit (non pictor intellige) vt, quae particularia membra sunt, ea ita non aptet, vt non tam agglutinata, quàm nata esse videantur, is integer haud habebitur architectus. Inde igitur accidit, vt ingentia ruant aedificia, vel

GRAPHIDIS exercitatio sine peritia aedificiorum vmbras persequitur, non veritatem.

A manneant mutila, manca, luxata; prodigatur census, vbi necesse non sit, retineatur, cum esset insumendus. Qua in ratiocinatione similes esse mihi videntur ei, qui Socratem, aut Pausaniam miserè perituros affirmaret, quod vestibus decoris, aut pulchris non induerentur. Quid enim aliud afferet aedificio pictura, si quid afferat, quàm elegantem ornamentorum compositionem? Hoc enim interesse inter vtramque facultatem testatur auctor libri Machabaeorum, sic scribens: *Nouae domus architecto de vniuersa structura curandum est: ei vero qui pingere curat, quae apta sunt ad ornatum curanda sunt*; id quod & ipsi testari videntur, addentes haec

2. Machab. 2. ℣. 30.

B verba. Ad architecturam cùm magnopere spectet ornatus, quippe quae naturam imitatur, substantiam varijs ornamentis decorantem, &c. Sed quid haec cum ruinis, cum censibus? puto & sine pictoris ornamentis conseruari posse architecturam, haud secus quàm sine barba virum, aut sine supercilijs, praeclaris naturae ornamentis, humanam faciem. Ego verò diuturna obseruatione nullum adhuc vidi pictoris aedificium, quod prae nimio ornamentorum fastu miserè non sit deformatum. in quo planè ostenditur, eos quadam specie pulchritudinis ita duci, vt, quoniam columnas, antas, parastadas norunt decorem aedificijs afferre, tot addant sine ratione,

C aut ordine, vt ea reddant, supra quàm credi possit, monstrosa: haud secus quam qui, quòd praeclarissima esse videret oculorum ornamenta, decorem afferre posse faciei putaret, si bini alij binis oculis imponerentur. At frustra in his confutandis immoror: quos enim noua & inaudita argumenta delectant, nullae, vt opinor, rationes, nulla exempla commouere, nedum illis quicquam persuadere poterunt? Numquid poterit eos Aristotelis auctoritas continere? at vereor, ne qui Vitruuij tot saeculorum consensione firmatam auctoritatem, falsa de vno Baptista opinione concepta eludere conantur, quid etiam simile aduersus Aristotelem machinentur. At si in for-

NIMIVS architecturae ornatus decorem adimit.

VITRVVII auctoritas maxima.

D tem impegerint, confringantur necesse est.

Verùm hoc vnum negare non poterunt, graphidis peritiam manibus exerceri, quamuis rationis & iudicij imperio. at audiant Aristotelis sententiam, & qua ratione sit ea cum architectura conferenda: Quare, inquit, & eos, qui in quaque re architecti sunt honorabiliores & doctiores, ac eis, qui manibus operantur, sapientiores putamus, quoniam causas eorum quae fiunt, sciunt. illi vero sicut & quaedam inanimata faciunt quidem, sed nescientia faciunt ea quae faciunt, vt ignis comburit, sed inanimata natura quadam horum singula faciunt manibus laborantes, propter consuetudinem. Haec Philosophus sapientissimus. Qui quod picturae proprium est, retulisse videtur, nimirum manibus la-

Arist. 1. Metaph. c. 1.

QVO DIFferat a pictore architectus.

E borare propter consuetudinem: namque quid faciat prorsus ignorat. Si enim eam caput humanum fingentem roges, quare sit sphaericum, nasus triangulari forma, oculi oblonga, frons lata, nihil horum se scire fatebitur, physicam ea spectant disciplinam, vel mathematicam. & si propiùs accedens ad eius facultatem roges, quid, quòd lineae illae in plana ductae superficie corpora referant oculis, eminentia? ea in re optices scientiam consulendam esse, si sapiet, respondebit. pictor namque nulla alia facultate perfectum euadere se putat, quàm consuetudine laborando, eosque imitando, qui in ea facultate excellunt. Architecturam verò vel ex ipso ipsius nomine

ARCHITEcti sapientes dicuntur.

mine discernere docet sapiens doctor Sanctus Thomas. Quae quidem, inquit, artes alijs principantes architectonicae nominantur, quasi principales artes, vnde & earum artifices, qui architectores vocantur, nomen sibi vindicant sapientum. haec sanctus vir. Sed quid quaerimus in sapientiae riuulis, quae in ipso perenni sacrarum Scripturarum sapientiae fonte perspicua sunt, in quo viuis veritatis aquis sitim extinguere, atque in ipsa veritate conquiescere facilè poterimus? Verùm ne huiusmodi disceptationibus defatigati, minus apti ad sacra intelligenda reddamur, hic tantisper respirare decreuimus.

S. Thom. 1. cont gent. cap. 1.

SAPIENTIAM

MAXIME IN ARCHITECTO *requiri ostendit Dominus.*

Cap. II.

RERVM omnium effictrix, ac moderatrix diuina prouidentia in eo maximè elucet, quod sapientia, atque intelligentia duci homines exoptat, tum in alijs operibus suis, tum in illis maxime, quae ad diuinum cultum spectant. Quo admirabili Dei consilio factum est, vt facilè intelligamus, infinitam Dei sapientiam, quae in omnibus, ac singulis suis operibus architectandis maximè elucet, non alijs, quàm sapienter, maturoque consilio gestis delectari. Quapropter ad illius Mosaici tabernaculi fabricam, quod diuini opificij symbolum, Salomonicique templi exemplar fuit, non quamlibet artificum eruditionem, aut scientiam sufficere posse putauit, sed eam, quam ipse Deus Optimus, ac Maximus omnibus, & singulis operarijs mirabiliter indidit, maximo potissimùm architecto. Sic enim legimus in Exodo. *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Vri, filij Hur, de tribu Iuda, & impleui eum spiritu* Dei, *sapientia, & intelligentia & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & aere, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum. Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta quae praecepi tibi.*

Exod. 31. ℣. 1

SAPIENTIA & scientia Dei in architectis.

Architecti mores, industriam, peritiam, ac ceteras partes, atque ornamenta reliqua describere videtur his verbis Dominus. Ex quo duo nobis, quae summae, ac perfectae veritatis sunt propria, licet conficere: alterum, vt in dignoscendo architecto, ac subinde, quid praestet architectura certo statuamus: alterum vt scriptores illos vera scripsisse, aut docuisse certò cognoscamus, qui ea scripserunt, quae huic diuinae veritati sunt consona, ceteros vana, inutilia, omninoque falsa. Qua in re & Vitruuij prudentiam agnosco, & vera esse omnino fateor ea, quae sanctissimus, ac peritissimus vir Clemens Alexandrinus allatis Exodi verbis confirmat. Quod à Deo sit, inquit, quae arte fit & est sa-

DESCRIBItur architectus.

Clem. Alex. 1. strom.

A piens cogitatio, manifestum est, si hanc dictionem adiecerimus. *Et locutus est Dominus ad Moysem*, & cetera subiungit, quae paulò antè retulimus. Omnes itaque artes à Deo emanasse probat. Et verum quidem est, idque magis fiet perspicuum, cùm hoc loco, atque alijs quampluribus ostenderimus, non sententias modo, verum etiam ferè verba ex sacris litteris desumpsisse quodammodo Vitruuium. Atque illud in primis explicare videtur Dominus, quod ad architecti mores spectat, illis verbis. *Vocaui ex nomine Beseleel*, tamquam mihi carum & notum, addit interlinealis glossa. quibus verbis paterna Dei erga hominem illum voluntas exprimitur, plena

DEVS scientiarum, & artium auctor.

VITRVVII commendatio.

ARCHITECti mores.

B humanitatis, & pietatis. id quod semel atque iterum obseruare licet in eodem Exodi libro. Nam cùm de Moyse Deo familiari, ac coniunctissimo haec legamus: *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Haec etiam addita sunt Moysis ad Deum verba: *Praecipis vt educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es mecum, praesertim cum dixeris. Noui te ex nomine. &*, idest, sic enim solet sacra Scriptura coniunctionem illam interpretatiuè vsurpare, vt aliàs ostendimus, *& hoc est inuenisti gratiam coram me.* Et iterum ad Moysem Dominus. *Et verbum istud quod locutus es faciam inuenisti enim gratiam*

Exod. 33. ℣. 11. 12. & 17.

NOSSE EX nomine quid sit.

C *coram me, & teipsum noui ex nomine.* Singularem hanc Dei Optimi beneuolentiam, & amoris sollicitudinem testari videtur ipse Deus ac Dominus noster IESVS Christus sub pastoris boni translatione, *qui proprias oues vocat nominatim.*

Ioan. 10. ℣. 3

Qua in re obseruandum maximè est, proprium quidem esse huius diuini amoris, vt bonos, dignosque sua voluntate diligat. Nam cùm voluntas non feratur nisi in bonum, si nobis aliquando contingit, vt aliquid quod bonum non est, sub specie boni diligamus, id profectò sapientiae, ac recti iudicij defectu euenit: at cùm diuina voluntas, & infinitae sapientiae, atque omnipotentiae coniunctissima ita sit, vt omnia vnum

D sint, fit vt quà sapiens voluntas est, decipi non possit, qua omnipotens, quem diligit, eum esse faciat, quem esse velit. Ex quo facilè licet conijcere, singularem hanc, constantissimamque Dei voluntatem, quae ostenditur erga illum, quem ex nomine agnoscere, vel vocare dicitur, stare nulla ratione posse, nisi cum omni morum integritate, ac sanctitate. eam manifestè testantur sequentia verba: *Et impleui eum spiritu Dei.* Quam morum integritatem in architecto, vt potuit, ingenio consequutus est Vitruuius, & philosophiae praeceptis consequi arbitratur, haec scribens: Philosophia vero perficit architectum animo magno, & vt non sit arrogans, sed potius facilis, aequus, & fide-

DEVS QVOS diligit, dilectione efficit dignos.

ARCHITECtus morum integritate primum sit praeditus.

E lis, sine auaritia, quod est maximum. Nullum enim opus vere sine fide & castitate fieri potest. Ne sit cupidus, neque in muneribus accipiendis habeat animum occupatum, sed cum grauitate suam tueatur dignitatem, bonam famam habendo. Haec enim philosophia praescribit. Hactenus ex Vitruuio, qui singula pene verba mutuatus fuisse videtur ab Exodo. Quare si cui superuacanea videantur haec, & ab ijs, quae architectum perficere possint, aliena, eum ego interrogabo, quidnam opus fuit Beseleelum, quem Deus architectum instruxerat, tam amanter, ac beneuolè ex nomine vocari, & quod maximum est, spiritu Dei repleri? Quod si respondeat, illum non modò scientia imbutum esse debuisse, ne ignorantia

pecca-

peccaret in opere, & motibus integerrimum, ne malitia, aut cupiditate aberraret. ac tandem sanctum esse oportuit eum, qui sanctum Dei tabernaculum architectabatur. quod si haec respondeat de tabernaculi architecto, idem ego de Vitruuio respondebo, ea illum putasse ad architectum maximè pertinere, quae apud Moysem primum architecturae praeceptorem ac magistrum legerat, vel ab illis acceperat, qui illa legerant.

VITRVVIVS ex sacris litteris architecturae praeceptiones rimatur.

His igitur sic statutis, quae virtutem decere maxime architectum indicant, reliqua quae ad scientiam pertinent, persequamur. *Et repleui*, inquit, *eum spiritu Dei*, vbi erudite satis, vt cetera, Caietanus. Iuxta Hebraeum, inquit, habetur spiritu Elohim, hoc est, spiritu diuini iudicij, vt diuinus archifaber sit in huiusmodi operibus. Haec ille. Et sanè vox ipsa אלהים elohim, vt alias notauimus, Dei indicat supremam potestatem, quam in omnia, quae in caelo, aut in terra, aut in inferno sunt, exercet, quòd rerum omnium potiatur, vt Rex, Dominus, Princeps, ac Iudex. Quo nomine Angeli, aut homines diuinam gerentes potestatem, & auctoritatem censentur in psalmo, qui sic incipit אלהים elohim. *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem* אלהים elohim *deos dijudicat*. Chaldaeus paraphrastes. Deus, inquit, diuinitatem suam posuit in congregatione iustorum, qui potentes sunt in lege, in medio iudicum. Rabbi Abraham, Angelos, Dauid verò, iudices, legit: hos enim, atque illos indicat ea vox. Qui quidem sensus haud alienus est ab architecti notione. est enim vox Graeca, principem significans, aut caput fabrorum. cui consonat, quod Vitruuius dixit: Cuius iudicio probantur omnia, quae a ceteris artibus perficiuntur opera.

Caiet. in Exod. — *Aliàs c. 28. Ezech. ℣. 12.* — *NOMEN Dei, Elohim, quid sonet.* — *Psal. 81. ℣. 1.* — *Chaldaeus.* — *R. Abrah. R. Dauid.* — *ARCHITECTI nomen quasi iudicis, aut supremae potestatis.*

At si phrasim Hebraicam attentiùs consideres, facilè inuenies, vocem illam, *Dei*, pro superlatiuis, quibus Hebraei carent, vsurpari, vt alibi ostendimus, atque adeo, *spiritu Dei*, hoc est, magno repletum fuisse Beseleelum intelliges, quod & dixit Vitruuius: Philosophia, inquit, perficit architectum animo magno. Quam interpretandi rationem secutus videtur magnus Augustinus, sic inquiens: Vtrum Spiritus sancti muneri etiam ista opera tribuenda sint, quae pertinere ad opificium videntur, an & hoc significatiue dictum est, vt ea pertineant ad diuinum Spiritum sapientiae, & scientiae, quae his rebus significantur? Tamen etiam hic cum spiritu repletus dicatur iste sapientiae, & scientiae, nondum legitur Spiritus sanctus. Haec Sanctus Doctor; qui, quòd spiritus Dei, quo repletus dicitur architectus, sanctus non dicatur Spiritus, negare videtur, ad Spiritus sancti dona sapientiae, intellectus, consilij, & scientiae pertinere: quamuis, quod bona sit, atque perfecta ea scientia, absque Dei dono, & Spiritus sancti gratia addisci, sciriuè posse negemus. Quapropter menti Augustini magis est consona interpretatio allata, vt spiritu, hoc est, animo magno plenus dicatur architectus, quem magna decet meditari, quamplurimis imperare, pluribus, ac magnis imbui disciplinis. His etiam sequentia maxime consentanea sunt.

SPIRITV Dei, hoc est, animo, insigni praeclaro. — *Aug. quaest. 138. in Exod.*

Sapientia enim, Hebraeis dicitur חכמה bechacmah, in sapientia: deducitur autem ea vox à radice חכם chacam, quae sapere significat, denotatque certam rerum tam humanarum, quàm diuinarum cognitionem, ac scientiam: nec tantùm, sed & prouidum, ac sapientem esse significat in prouerbijs. si חכמת chacamtha sapies, *sapiens fueris* חכמת לך chacamtha lac sapiens tibi, *tibimet ipsi eris: si autem illusor, tibi portabis malum*. Propterea etiam Deus sapientia firmasse dicitur orbem terrae: *Qui facit*, inquit Ieremias, *terram in fortitudine*, omnipotentia *sua: praeparat*, firmat *orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit caelos*. Quae omnia Dei indicant sapientiam, atque potentiam, in mirabili hoc rerum omnium opificio elucentem.

QVID SIT sapientia. — A — *Prouerb. 9. ℣. 12.* — *SAPIENS sibi sapiens.* — *Ierem. 10. ℣. 12.*

Et intelligentia, Hebraicè ובתבונה vbethbunah, & in scientia. vox est deducta à radice בין baian, quae propriè significat mente considerate, & animum certa dispositione, distinctione, & iudicio intendere: rectè verbo intelligendi Latinis dicetur, quod est res accuratè dijudicare, discernere, atque perpendere. Differt autem à praecedenti haec vox, quod haec actum illum mentis significat, quo res certò cognoscimus, aut agere decernimus, luce quadam mentem ipsam illustrante: at praecedentis vocis notio res similes, dissimilesue prudenter discerni denotat. quod mentis iudicium vocare liceret. Rabbi vero Leui praecedentem vocem esse affirmat certam, ac primariam rerum scientiam; hanc verò, cum res alias ex alijs colligimus, atque deducimus. Vtramque vocem coniungit Ieremias, prioremque quasi sequentis causam facit: *Quis est vir sapiens*, inquit, *qui intelligat hoc*, hoc est, qui sapientia ita sit praeditus, vt hoc possit intelligere? Hanc verò vocem בין baian alij sic explicant, vt significet considerare, & curare, quibus partibus, praesidijs, ornamentis res sit, aut esse debeat: haud secus, quàm in architectonica disciplina aedificium vniuersum in sua cubicula, deambulationes, ac partes arte quadam, ac proportione distribuimus, eiusque modum, ac normam praefigimus, vt commodè habitari possit quae omnia voce בנה banah aedificandi, illi בין baian forma, ac notione haud dissimili, significantur. Quàm maximè igitur ad architectum pertinere censendum est Hebraicum verbum intelligendi, cum persimili verbo aedificandi. illiusque proprium est Latinum, intelligo, quod compositum ferunt ab inter, & lego, quia rem intrinsecus, penitusque considerate significat, vt diximus: non enim obiter perpenduntur, aut sine sollerti animi attentione aedificiorum fabricae perficiuntur, a qua longè alieni sunt, qui ea praestare nec norunt, nec volunt.

INTELLIGENTIA quid sit. — B — *R. Leui.* — C — *Ierem. 9 ℣. 12.* — *Forsit in dictionario.* — D — *VOX AEDIficandi, & intelligendi fere eadem apud Hebraeos.*

Et scientia. Hebraicè ובדעת vbedaghath, & in scientia: deducitur autem ea vox a radice ידע iadagh, quae propriè mentis, & intellectus est, significatque discendo apprehendere, nosse, scire. metaphoricè tribuitur etiam brutis, & rebus inanimatis. aliquando etiam sensibus, atque experiri, vel experimento comperire significat. Sanè quattuor adhuc vidimus a Deo percensere architecti eximia ornamenta, magnanimitatem, sapientiam, intelligentiam, scientiam, quorum tria priora, ad proprias, & quasi cognatas animi dotes spectare opinamur; hoc vero extremum labore, industria, ac studio comparandum esse. Ideoque plerumque fit, vt, cùm Deus vel prospera polliceatur, vel aduersa, subiungere consueuerit illa verba *& scietis quia ego Dominus*. Solet etiam plerumque verbo videndi haec vox coniungi, quasi multiplici plurium sensuum experimento probari praecipiantur ea, quae perspicacissimo

SCIRE quam late pateat. — E — *QVATVOR architecti ornamenta.*

visus

visus sensui proponuntur. Quamuis eadem transferantur ad interiores mentis sensus. Sic ad

3. Reg. 20. ℣. 22.

Achabum Propheta: *vade & confortare, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno Rex Syriae ascendet contra te*. & apud Ieremiam Dominus:

Ierem. 2. ℣. 19.

Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. scito & vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Igitur nulli fas sit deinceps tantum ingenij sui perspicacitati tribuere, vt architectum se euadere posse praesumat absque scientia, labore, diuturnaque exercitatione parta: eum enim, quem magnanimum, sapientem, intelligentemque fuisse dixerat Deus, scientia quoque praeditum fuisse dicit. At quoniam duplex genus scientiae, vt paulò antè vidimus, enumeratur à philosophis, alterum quod

DVPLEX genus scientiae, speculatiuum, & practicum.

mentem perficit, nec quidquam amplius praestat, alterum quod ad opus praeterea dirigitur: è quibus illud intellectiuum propriè dicitur, hoc factiuum. ne hanc partem de esse debere architecto putemus, subiungit sacer Exodi textus, *in omni opere*. quam vocem non ita coniungit Hebraicus textus, vt scientia fuisse intelligatur in opere, sed omnia ab inuicem distinguere videtur: sic etum omnia ad verbum conuertit Regius codex: Et repleui eum (Beseleel) spiritu Dei, in sapientia, & in intelligentia, & in scientia, & in omni opificio. Horum autem omnium vsum, ac finem indicant sequentia: ad cogitandum cogitationes, ad faciendum in auro, & in argento, &c. Aptissimè Vulgatus sensum expressit verborum, *ad excogitandum*, inquiens, *quidquid fabrefieri potest ex auro*, &c. Nullus sanè reperiri potuisset Magister, aut Doctor, qui tanta sollicitudine, diligentia, ordine, ac methodo addiscentem instrueret, quanta Deus Optimus Maximus architectum docuisse legitur. Quae quamuis non omnino persecutus fuerit Vitruuius, magna tamen ex parte assequutus fuisse videtur. nam, praeter alia multa huc spectantia, haec verba scribit: Cum in omnibus enim rebus, tum maxime etiam in architectura haec duo insunt, quod significatur, & quod significat. Significatur proposita res de qua dicitur: hanc autem significat demonstratio, rationibus doctrinarum explicata. Quare videtur vtraque parte exercitatum esse debere, qui se architectum profiteatur. Itaque eum & ingeniosum esse oportere, & ad disciplinam docilem. neque enim ingenium sine disciplina, aut disciplina sine ingenio perfectum artificem potest efficere. haec ille. Et quidem ingenium, ac disciplinam pariter in architectis requiri, non modo in summo, ac reliquorum principe, verùm etiam in alijs, qui, quod ipse statuit, curant vt exequantur artifices, probant quae sequuntur Domini verba.

INGENIVM & disciplina & in summo, & in reliquis pariter architectis exigitur.

Exod. 31. ℣. 4.

Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant omnia, quae praecepi tibi. Hebraica verba, variam sectantes constructionem variè interpretantur, Scriptores aliqui. Et in corde omnis sapientis corde dedi sapientiam: Et in corde, inquiunt alij, euiuslibet, qui ingenioso est corde, dedi sapientiam. Septuaginta: Et in corde omnis sapientis dedi intellectum. Caietanus, iuxta Hebraeum, inquit, habetur: Et in corde omnis sapientis corde dedi sapientiam. Propter reliquos cooperarios subiunctum hoc est, ad significandum, quod non istis duobus solis (Beseleelo, & Ooliabo) sed omnibus alijs bene eruditis in huiusmodi artibus ipse Deus dedit scientiam. Quo in loco prudenter notat Lipomanus, sapientiam, Dei esse donum, nec tantùm quae ad iustitiam spectat, & pietatem, ve-

SAPIENTIA tam quae ad iustitiam, quàm quae ad artes perficiendas spectat, Dei donum est.

A rùm etiam quae ad industriam artis exercendae. Quare & in consectandis eiusmodi scientijs, Dei auxilium implorandum est, ac ad Dei gloriam exercenda sunt quae parantur: ac quidquid denique ingenio, industria, aut sollicitudine consecuti sumus, id omne Deo acceptum referendum est.

Sed iam tandem, vt hoc argumentum breui absoluamus, quod alias resumendum est, vnum superest notandum, quod ad sapientis architecti rationem necessarium esse confirmat Aristoteles, nempe vt alios docere possit: id quod illis sacri textus verbis: *ad excogitandum quidquid fabrefieri potest*, indicari putat Chaldaeus para-

Aristot. lib. 1. Metaph. c. 1.

ARCHITECTVS & sapiens sit, vt alios docere possit.

B phrastes, sic ea conuertens: ad docendum artifices, vt faciant in auro &c. Quocirca constans, perpetuumque Architecti epitheton, sapiens, esse videtur. Nam apud Isaiam: *Ecce enim*, inquit, *Dominus exercituum auferet a Ierusalem, & a Iuda validum, & fortem* &c. *& sapientem de architectis*. Et Sanctus Paulus sic ad Corinthios scribit: *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui*. Quae omnia sacrae Scripturae testimonia, rationes, sententiae satis esse existimabuntur, ad persuadendum id, quod ab initio contendimus, architectum pluribus disciplinis ornatum esse oportere, ac scientijs imbutum: sordidam verò

Isai. 3. ℣. 2. & 3.

1. Corinth. 3. ℣. 10.

C manuum exercitationem nihil ad eum spectare. Ac tandem illud omnino statuendum est, quod pluribus explicare contendimus, architecti, atque pictoris longè esse diuersa ingenia, studia, dignitates, longe alia consilia. Id verò, praeterquàm quod cuilibet esse poterit, si sapiat, in promptu, disertis verbis in sacris litteris testatum est, ita vt nulli amplius de ea re ambigere liceat, aut dubitare. sic enim inquit auctor libri Machabaeorum: *Sicut enim nouae domus architecto de vniuersa structura curandum est: ei verò qui pingere curat, quae apta sunt ad ornatum exquirenda sunt: ita aestimandum est & in nobis*, &c. Quapropter & à vero aberrare putandi

AB ARCHITECTO pictor quàm longissime distat.

2. Machab. 2. ℣. 30.

D sunt, qui omnium architecturae partium quasi fontem, atque directricem esse putarunt graphidem, ex qua pictura, glyphice, sculptura, ceteraeque artes, quas vocant mechanicas (rectius dixissent βαναυσικάς banausicas) fluxere. At quoniam graphis, quam isti putant architecturae fontem esse, ac directricem, nihil omnino praesidij architecto praestare potest, nisi & ipsa dirigatur ab optice, de hac quoque nonnihil disserendum est, quae ad describendas aedificij, quas proferimus, & explicaturi sumus imagines, praecepta subministrat, & leges eas, quas breuissimè sequenti capite innuemus potius quàm pertractabimus.

E

ARCHI-

ARCHITECTVRAE PRAECIPVA PARS DISPOSITIO, OPTICES PRAECEPTIS MAXIMÈ INDIGET.

Cap. III.

Vitru. lib. 1. c. 2.

QVID SIT *dispositio.*

INTER praecipuas architecturae partes à Vitruuio computatas non infimum locum tenet dispositio, cum ipsa sit ceterarum quasi finis, & quò tanquam extremum, vltimumque spectant: tunc enim perfecta esse videbitur ordinatio, symmetria, decor, & distributio, cùm dispositio fuerit omni ex parte absoluta, atque perfecta. Est enim, eodem attestante, dispositio rerum apta collocatio, elegansque in compositionibus effectus operis cum qualitate. ea verò ex cogitatione, & inuentione nascitur. Vtramque definit idem. Cogitatio enim, inquit, est cura studij plena, & industriae, vigilantiaeque effectus propositi cum voluptate. Inuentio autem est quaestionum obscurarum explicatio, ratioque nouae rei vigore mobili reperta. Haec ille. Quibus, vt sapiens doctor, ac magister, summa proponit primùm scientiae capita, moxque disciplinae ordinem secutus, ad prima vsque resoluit principia. Quocirca eum opus est, qui naturae ordinem perpendere velit, à simplicioribus, ac primis progredi ad suprema. Nam cum primum sapiens architectus decernit nouum aliquod, ad quemcumque finem vel vsum exstruere aedificium, quae ante alia omnia quasi in limine occurrit, inuentio est. Primum enim inuenienda sunt ea, quae disponi, ordinariue cum symmetria, decore, distributione possint. Oblata igitur deliberatione exstruendi fori, theatri, Regiae, aut templi, sapienti architecto mox occurrit forma totius, quadrata, verbi gratia, circularis, oblonga: mox, propter membrorum ac partium aedificij multitudinem, vsum, proportionem, atque alia eiusmodi, plures occurrunt difficiles quaestiones, & obscurae, quas dum explicare conatur, formam mutat, alias alio constituit partes, seiungit, componit, segregat, donec quaestiones omnes vigore mobili explicentur, reique nouae ratio concepta sit. tunc enim dispositioni patet locus. Verùm quoniam, quae mente concipimus, non simul aduertere possumus, suntque omnia & singula sigillatim, & per partes examinanda, & conferenda, fit vt alia excidant, cum ad alia attendimus, horumque obliuiscamur, dum illa exquirimus: aut tam multa se simul offerant, vt, quid sit eligendum, iudicare vix, aut ne vix quidem possimus. Quapropter nullis quantumuis praestantissimis, acerrimisque ingenijs satis esse poterit ad aptam aedificij dispositionem, conceptas ideas mente euoluere, sed necessarium est, vt memini me dixisse, eas depingere, aut alia quauis ratione efformare, vt maneant, vt eas conspicere oculis possint, menteque non semel, sed saepiùs contemplari. Accedit huc etiam, quòd cùm architectus aedificium, quod intendit, architectari possit, fabricare non possit, quinimmo sit plurium artificum manibus exstruendum,

INVENTIO primùm sese offert architecto.

CONCEPTAS ideas aedificij oportet describere.

A quibus nulla ratione possint verbo conceptae ab architecto ideae repraesentari, ideo necessarium quoque sit, illas omnes ideas informare, alia atque alia ratione depingere, vt ab artificibus concipiantur. Horum autem similiâ in architectando hoc Ezechielis templo nobis fatemur accidisse. Nam cum àpud Ezechielem templum quoddam iam exstructum legeremus, cuius murum, portas, thalamos, atria, porticus, gazophylacia, ingressus Angelus metiretur, inuentione quidem opus fuit, ac dispositione, haud secus quàm si a principe, dominoue areae, domus esset exstruenda, cuius magnitudinem, vestibula, atria, porticus, ambulationes, concla- B uia numero definirentur, ac magnitudine certa: ideoque vigore mobili noua res inuenienda nobis fuit, quae obscuras quaestiones, ne dicam abstrusas, penitusque remotas explicaret. Cuius quidem rei dispositio plutibus ideis explicanda fuit. Nam quamuis hoc aedificium exstruendum non sit, explicandum tamen fuit ita, vt à legentibus, si non omnibus, saltem à quamplurimis perciperetur. qua in re multo plura, atque maiora praestanda a nobis sunt, quàm ab architecto, in suis aedificijs explicandis, praestari soleant, aut debeant. hic enim fabricae ideas artificibus suis exponit, qui eas contemplari, illisque perspectis aedificium vniuersum, singulas- C que eius partes concipere, & docti, & assueti sunt. At nobis, quorum interest, Theologum, non fabrum instruere, vt huius magnificentissimi aedificij partes singulas, earumque dimensiones, situm, atque vsum percipere, dijudicare, atque alijs, si opus fuerit, explicare facilè possit, quot, & quanta, Deus immortalis, praestanda forent? Ex multis verò non multa, sed paucissima quaedam ex maximè necessarijs, quàm breuissimè, facilique stylo, ac perspicuo explicare decreuimus. Quae si non omnibus in promptu esse poterant, vt cuperem, an meam, vel suam quisque accusare debeat ignorationem, videant alij: nobis enim concedendum est, vt aliqua ex D optices scientia hic ordine proponamus, quò facilius propositae descriptiones à sollerti lectore percipiantur. Qua de re Vitruuius sic habet: Species dispositionis, quae Graece dicuntur ἰδέαι ideae, hae sunt, Ichnographia, Orthographia, & Scenographia. Ichnographia est circini, regulaeque modice continens vsus, ex qua capiuntur formarum in solis arearum descriptiones. Orthographia autem est recta frontis imago, modiceque picta, rationibus operis futuri figura. Item Scenographia est, frontis & laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus. Haec ille. Quae sanè omnia ad optices praecepta spectare nemo non videt: siquidem de efformandis aedificij vestigijs, fronte, lateribus agunt, ita vt parua E aedificij imago cum magno aedificio, forma, longitudine, latitudine, dimensione omni ex parte conueniat, quod est illius scientiae proprium, quam Latina voce Itali, Hispanique perspectiuam vocamus, Graeci ὀπτικὴ opticen.

INVENTIONE opus fuit, ad Ezechielis templum architectandum.

DISPOSITIONIS species tres.

In hac verò scientia, quae omnium pulcherrima haberi meritò potest, vtpore quae circa lucem, rerum quasi pulchritudinem, ac visum sensuum pulcherrimum versetur, illud in primis omni admiratione dignum sese offert, quod ductae in plana superficie lineae, corpora, solidasque figuras ita exprimant, vt non oculos modò fallant, verum etiam ipsum rationis iudicium plerumque decipiant. Quae gloria non picturae tan-

PERSPECTIUA scientiarum pulcherrima.

rae tantum debetur, sed perspectiuae, opticesque scientiae. Nobile quoddam certamen Zeuxidis cum Parrhasio enarrat Plinius. Et cum ille, inquit, detulisset vuas pictas tanto successu, vt in scenam aues aduolarent, ipse detulisse linteum pictum traditur, ita veritate repraesentata, vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem. Haec ex Plinio. Ego verò, qui picturam numquam didiceram, neque quemquam agnoui generis mei pictorem, cum perspectiuae praeceptis adolescentior delectarer, ductis lineis, orbiculare lignum pluribus excauatis pyramidibus aliquando finxi, quod cùm muro nihil minùs cogitans affixissem, vidi ego ipse praesentibus alijs matura aetate virum, digito pyramidis profunditatem experiri conantem: nec sine rubore & adstantium risu, tandem comperit lignum cum pyramidibus adumbrata fuisse, atque mentita. Quae quidem res cum admirationem pariat, philosophandi quoque occasio fuit: & quae peritissimi olim viri de optice tradiderunt praecepta, sollicite inuestigare, inuestigata attentiùs percipere, percepta memoria coegit retinere, quae omnia si huc essent referenda, & diutius quam par esset detineremur, & a recto instituti tramite deflexisse meritò iudicaremur. Quapropter scientiarum peritis tantum haec nos scribere arbitrantes, summa tantùm rerum capita perstringemus, ea solum afferentes, quae ab alijs vel non plenè, vel non eodem ordine explicantur, ac sine quibus figurarum, quam polliciti sumus, explicationem, nec nos tradere, nec lector percipere potuisset. Ea vero, quae ad opticem spectant, ad tria potissimùm capita reuocantur: aut enim de visu agunt, aut de luce visui maximè necessaria, aut tandem de graphidis figuris, qua ratione oculis proponantur, quae res ipsas ad viuum repraesentent. Haec vero extrema eius pars, quae ad praesens institutum spectare potissimum videtur, tota ex eo pendet, vt cognoscat lector, qua ratione visio fiat. sed neque ea aut percipi aut tradi potest, quin lucis natura, & vmbrae apprimè sit nota. quare & de luce, quantum sequentis capitis angustiae permittent, agendum in primis est.

Plin. lib. 35. c. 10.

NOBILE pictorum certamen.

OPTICES inuestigandae initia.

QVAE SINT nobis tractanda, & quo ordine.

DE LVCE ILLVMINATIONE, ET VMBRIS.

Cap. IV.

ILLVMINATIO, & lux, quam sunt videndis coloribus necessariae, tam sunt eorum, quae in visione accidunt, non symbola modò, sed & exempla. quare necesse est, vt is, qui quae ad visum spectant, nosse cupit, prius de illis philosophetur, quae ad lucis, atque illuminationis naturam spectare probabuntur. Quorum quidem omnium consideratio, & ad philosophos spectare videtur, & ad optices praecepto- A res, atque magistros. Verùm inter hos, atque illos tanta est opinionum diuersitas, atque oppositio, quanta ne ab ipsis quidem vtriusque scientiae professoribus componi posse videatur. nam vt alia multa praetermittam, ego ipse noui, auribusque hisce meis audiui eruditum magnae auctoritatis & existimationis virum, doctorem pariter, ac philosophiae magistrum, aperto ore negantem vniuersa optices praecepta, principia, rationes, eamque nihil, quod scientiae sit proprium, continere existimantem. Ea namque radios ab oculo emissos lineas esse putat, aliquo loci interuallo a se inuicem dissitas, eosque rem visam attingere cono, coni basis res visa sit, ver- B tex in oculo, cuius verticis angulus quò maior fuerit, eò res maiores videntur, quò minor, minores, & quarum rerum angulus fuerit aequalis, eas oculo pares videri: lumen insuper impermixtè agere. atque alia id genus quamplurima, quae physicis rationibus, atque principijs videntur esse contraria. Quae tamen omnia, si attentiùs perpendantur, & vera, & rerum naturae maximè consentanea esse deprehendentur.

DE LVCE visionis exemplari agendum.

VARIAE opiniones.

PRINCIPIA optices, quae philosophicis traditionibus videntur aduersa.

Atque illud in primis cuius debet esse perspectum, cuius ignoratione non in his modo, verum & in alijs omnibus disciplinis, ac scientijs quamplurimi admittuntur errores. quid nimirum ad physicam spectet considerationem, quid C ad visionis scientiam, & quo fine physicus lucem consideret, quo perspectiuus. Nihil enim hic de rerum naturis, motu, aut generatione differit, aut corruptione, ille verò nihil praeterea. quare cùm perspectiuus visionem considerat, aut lucem, eius terminos, lineas, superficies, puncta, figuras, sectiones, rectitudines, atque alia id generis quamplurima considerat, lucis naturam eam esse supponit, quae à philosophis traditur. Hoc tamen interest perspectiuum inter, atque philosophum, quòd hic opinionum multitudine, ac difficultate oppressus à recto veritatis tramite plerumque dilabitur; ille Mathematicorum ductus argumentationibus, in D rectam veritatis viam semper deducitur, ita vt, etiam si falsas plerumque mutuetur à philosophis sententias, nec fallat, neque decipiatur.

QVID INtersit inter physicam, ac perspectiuam lucis considerationem.

MATHEMAticus nec fallit, nec decipitur.

Fuit, nulli dubium est, maxime inter philosophos controuersum, an visio fieret emissis ab oculo radijs, an vero admissis rerum formis. Priorem partem tenuit Stoicorum, & Academicorum schola, & in his Plato, quem secutus est Seneca, Chalcidius, Lactantius, Galenus, atque alij. Quibus omnibus ex aduerso stat cum Aristotele Peripateticorum schola. Ex ijs porrò, qui optices praecepta tradiderunt, Euclides, Ptolemaeus, Alchindus, Academicos secuti sunt. at Vitellio auctor perspectiuae communis, atque E alij Peripateticorum sententiam tuentur. In qua planè tam celebri controuersia, doctissimorumque virorum periculosa digladiatione vna perspectiua tuto progreditur, quam a veritate ne latum quidem vnguem discedere coget aut harum vis argumentationum, aut illorum auctoritas, & in dicendo maiestas. Nam quidquid ab his statuatur, aut illis, linea, verbi gratia, quam perspectiuus considerat, eiusque sectio, eadem omnino censenda est, idemque praestabit, vel ab oculo procedat ad obiectum, vel ab hoc tendat in oculum. Qua etiam ratione & his alijs omnibus, quae obijci possent, respondebitur, & facilè deprehendetur, verissimas huius scientiae demon-

AN VISIO fiat emissis radijs, an vero admissis rerum formis.

Plato in Timaeo.

Senec. lib. 1. quaest. nat.

Chalcid. sup. Timaeo.

Lact. lib. de opif. Dei c. 8.

Galen. l. 7 de placit. Hipp. & l. 10. de vsu part. & lib. 1. Prognost. senten. 19.

Arist. 2. de an. l. b. 7. tex. 67. & 74. & alibi.

Eucl. d. defin. 1. optices.

Ptolem. in catoptr.

Alchin. lib. de aspect.

Vitel. perspect. com. prop. 1.

demonstrationes, veris quoque philosophorum placitis esse maximè consentaneas. Non enim mihi non displicere potuerunt illorum ingenia, qui, cùm mathematicis adhaerescunt disciplinis, philosophiae insultant, ac nobilissimae scientiae derogant, quantum suae quique tribuendum existimant auctoritatis, & gratiae: vel contra, eorum, qui veterem illam philosophorum iactantiam cum rerum plerumque ignoratione coniunctam sectantes, mathematicas disciplinas contemnunt, iniurijs lacessunt, aut damnant. Hi profectò omnes tam exiliter mihi videntur de sua quique scientia sentire, vt nihil putent in ea esse laudandum, praeterquam quod de laudibus alterius, atque existimatione detraxerint: vel, quod vtrique scientiae, & suae, & alienae laudibus satisfacere posse diffidant.

MATHEMATICAE, & Philosophiae concordia.

Nos verò ab huiusmodi controuersijs, ac disceptationibus abhorremus, & semper abstinuimus, ideoque operaepretium lectori facturos nos esse existimauimus, si, citra vllam disceptationis controuersiam, nostram sententiam breuissimè aperiamus, qua explicata, arbitramur, omnia, in quibus dissident à philosophis perspectiui, vel ab his illi, facilè posse componi. In quibus receptissimas Peripateticorum tuebimur sententias, quas quoniam confirmare non vacat, apud eosdem rationes eorum, atque argumenta exquiret lector.

LVCIS Natura.

Illud verò in primis verum esse censemus, lucem à luminoso corpore in proximo diaphano produci, quae lucem praeterea in simili sequenti medio producit, & sic demceps. Quo fit, vt lux, nisi aliunde intendatur, in proximo vehementior, in remotiori debilior sit, atque adeo tandem deficiet, non alia ratione, quàm potentiae debilitate, &, vt ita dicam, impotentia.

Sed & illud quoque notandum est maximè, quòd cum omnes luminosi partes illuminare sint aptae, atque illuminent, producent vtique in qualibet parte medij sibi praesentis lucem omnes. Nulla enim assignari ratio potest, ob quam partes hae luminosi partem sibi praesentem medij illuminent, non autem aliae, quibus pari ratione eadem medij pars praesens est.

QVAE PARtes quibus dicantur praesentes.

Illam vero medij partem, partibus luminosi praesentem esse dicimus, ad quas ab illa recta linea duci potest, quae nullo opaco interiacente abscindatur, quaeue nulla medij diuersitate refringatur. nam de directo, quod primarium etiam lumen vocant, sermo nobis est, non autem de refracto aut reflexo. Dicitur autem recta linea definire posse ea, quae praesentia sunt, aut illuminari possunt: tum quòd rectus est omnis naturalis non impeditus motus, quod in leuium, grauiumque motu, calefactione, atque alijs videre est. Recta item breuissima via est, quaeque continuam lucis productionem dirigit, & quae aequè interiacet inter sua extrema: quapropter naturae motus, nisi aliunde impediatur, numquam à rectitudine discedit, nec diuagatur, sed recta tendit in suum, vel obiectum, vel terminum. Quae sanè ratio Euclidem peritissimum Mathematicum impulit, vt rectum esse definierit, cuius extremis media officerent. Quod verum ita est, vt omnibus, ac singulis medij partibus conueniat ex aequo: sublatis enim quibuslibet è medio partibus, quaecumque fuerint reliquae, adhuc extremis officient. quia nimirum, si lucem, aut visionem impedire possunt, lucem, aut oculo in altero extremo constituto, alterum

MOTVS NAturalis rectus est.

Euclid. defin. 1. cap. pr.

A nec videri, nec illuminari potest, officiente, verbi gratia, non minus vno medij palmo, quam centum. Ideoque non recto conuenire nulla ratione posset, cum eius partes extremis non officiant, nisi quae ad rectitudinem accedunt.

Iam vero ex dictis illud poterit esse in promptu, quod difficilimum visum fuit quampluri-mis, lumen vndequaque diffundi per totum circumstans medium diaphanum, idque ad modum sphaerae trina dimensione corporeae. Non quod lux corpus sit physicum, vt falsò aliquibus imponitur, sed quòd ad modum medij recipiatur, non in puncto, linea, aut superficie, sed per totam medij longitudinem, latitudinem,
B ac profunditatem. Quae sanè non obstant, quò minus in quolibet puncto medij liceat considerate pyramidem. ducta namque si intelligatur à praedicto puncto recta linea, aliquod extremum punctum luminosi contingens, &, puncto priori lineae manente, linea circumferatur per omnia luminosi extrema, praedicta vtique linea pyramidem describet, aut conum, quo, quamuis imaginario, continentur omnes omnium luminosi partium iradiationes, quae ad datum punctum recta feruntur. Non tamen propterea sentimus, multiplicem lucem in medio repetiri, immo verò, eandem in qualibet parte medij ab omnibus luminosi partibus, quibus est praesens,
C produci, magis tamen intendi, quò à pluribus partibus producta conseruatur. Quod si aliqua ex dictis luminosi partibus vel corrumpatur, vel ne illuminet, impediatur, lux manet eadem à reliquis pendens partibus, minùs tamen intensa, quò a paucioribus iradiatur luminosi partibus. Idem de pluribus numero luminosis sentiendum censeo. Nam si natura lucis ea est, quae in eodem subiecto multiplicari possit, quod a pluribus procedat luminosis, ea quoque multiplex erit, quòd à pluribus eiusdem luminosi partibus progrediatur: qua ratione in eadem parte medij infinitas lucis partes reperiri conficietur: cùm partes sint in eodem luminoso
D infinitae medietates, tertiae, quartae, centesimae, millesimae, & sic deinceps: quod est inconueniens. Neque vero oppositum probabis, si dixeris, vnitas solis partes vnam lucem producere, quae vnius more operantur: secus verò de discretis luminibus sentiendum esse, quae diuersas possent luces in eodem medio producere. Nam si medium solem zona cinxeris ferrea, tunc vtique solis vtraquepars lumen producet in medio, haud secus, quàm si discreta esset ab altera, cùm partes, quae sunt inter eas, nihil prorsus, aut in illuminatione, aut in eius modo operentur. ridiculum verò esset assirmare, partes extremas nouum sortiri operandi modum, vel propterea
E tantùm, quòd mediae partes operirentur, vel non operirentur. Idem vero dicendum videretur, si non circa solem, sed in qualibet parte medij statueretur opacum: nimirum partes quoque luminis diuisas esse. Quae omnia cùm minimè videantur probanda, illud maximè videtur, quod initio proponebamus, & à pluribus luminosis, & à pluribus eiusdem partibus, eandem lucem in medio produci, magis intensam, quò à pluribus, minùs vero, quò à paucioribus producitur. Quibus planè non obstat, plures vmbras ab eodem opaco, eidem, vel pluribus luminosis obiecto produci, quinimmo hanc, quam sequimur, philosophandi viam confirmat, vt, cùm primùm

LVMEN vndequaque diffunditur in sphaerae modum.

PYRAMIS luminosa ad quodlibet medij punctum terminata.

NON MVLtiplex lux, sed eadem a pluribus luminosis in eadem parte medij recipitur.

QVAMVIS diuersae vmbrae à diuersis luminosis, eodem opaco interiecto, producantur, non tamen probatur, multiplicem recipi in medio lucem.

vmbrae naturam considerauerimus, ostendemus.

RESPONdetur ad argumenta.


Sed vt eodem vnde sumus digressi, reuertamur, non dubito, quin ex luce refracta, vel reflexa aliquis contendere possit, irradiationem lineis fieri, non autem trina dimensione continuam. Videmus enim, solis radios ex concauo speculo reflexos, vel concauo vtrimque perspicillo refractos ita ad vnum punctum concurrere, vt lucis intensione ignis etiam in apta materia accendatur: quod fieri minimè posse videtur, nisi radios linearum more distinctos ad idem punctum concurrere intelligamus. Tamen si rem attentiùs perpendamus, pari quoque ratione eadem omnia luci accidere posse intelligemus, etiamsi per totum circumstans spatium in sphaerae modum lux diffundatur. Id quod communi quoque exemplo omnibus poterit esse in promptu. Videmus enim, iacto in quiescentem aquam lapide, vndas circumquaque turgescere, atque aquam à lapide diuisam paulatim a lapide discedere, atque circulorum instar extendi: quae planè vndae, si ad aliquod allidantur solidum, eodem fere quo prius impetu, eodem prorsus, quo prius ferebantur itinere, reflectuntur. Ex quo mox fit, vt, pluribus vndique iactis lapidibus, si omnes pariter ab eodem concauo reflectantur, omnes simul ad idem punctum conueniant, in quo aquae maximè erunt compressae: quae quidem aquae, si vlterius producantur, magis ac magis a sese inuicem separabuntur. Neque aliter de solis luce è concauo speculo reflexa philosophandum putamus, ex qua refractae quoque in perspicillo ratio reddetur aptissima. Illud praeterea, quod demonstrant, lineas assumentes perspectiui, pro lucis illa continua emanatione, & verum est, & naturae maximè consentaneum, cum in continua etiam luce longitudo possit à latitudine, & profunditate seiuncta considerari, ex qua, vt paulo ante ostendimus, lucis rationes, & motus demonstrari facilè possunt. Quod si quis adhuc lucem emissis lineis in medio produci contendet, quòd solem aspiciens, lineas videat, aut stellas firmamenti scintillare, aut noctu lumina quasi irradiare, id omne debilitati visus adscribat, cuius causa palpebrae mouentur, pilorumque eius motu luces diuiduntur. quod verum esse probabit, qui, praedicta aspiciens, manu palpebras firmauerit, ne moueantur: tunc enim nullas prorsus videbit lineas. Sed vt lucis natura melius cognoscatur, de eius priuatione, ac tenebris nonnihil dicendum est.

LINEAE perspectiuorum quomodo accipiantur.

RADII linearum more quare videantur in sole.

VMBRAE recta tendunt.

Est igitur vmbra lucis priuatio in subiecto, quod lucis potuisset esse particeps. Vmbras verò recta tendere & experimur, & ipsa lucis probata natura demonstrat. id quod proposito exemplo amplius explicandum videtur. Illuminet primùm sol AB,



totum circumquaque spatium, cui intra sphaeram actiuitatis solis, vt aiunt, objiciatur sole minus opacum CD, per cuius extrema C, & D, ducatur superficies plana, transiens per medium solis, & opaci. In qua superficie, lucis, atque vmbrae licebit considerare naturam, ac terminos. A puncto namque C, ducatur recta indefinita, circulum solis AB, tangens in A, sitque ACE: &

A rursum ex D, ducatur pariter indefinita, eundem circulum AB, tangens in B, sitque BDE. Has verò duas lineas facilè demonstrare [a] possumus concurrere in aliquo puncto extra CD. Iuncta namque AB, & ex puncto B, ducta BK, parallela ipsi AC, facilè ostenderetur, angulos CAB, DBA, duobus rectis esse minores, vtpote qui partes sunt duorum CAB, KBA, duobus rectis aequalium [b]. Sit igitur linearum concursus in E. Ex quo mox fit, spatium illud omne CED, vmbrosum esse, vtpote cuius nulla pars parti luminosi sit praesens: non enim potest ab aliqua luminosi, quae in praedicta superficie existat, duci recta linea ad aliquod spatij praedi-

B cti CED, punctum, quae non transeat per opacum, cum binae rectae AC, BD, luminosi, opaci, & vmbrosi extrema contingant. Reliquum verò medij spatium illuminatum est, vtpote quod aliquibus saltem solis partibus praesens est. Non tamen omne eodem modo, aut pari lumine illustratur. Nam si ex ijsdem punctis opaci C, & D, ducantur aliae rectae ICF, HDG, contingentes eundem circulum AB, in punctis H, I, illae planè ostendent, spatium FCE, minus illuminari, quam reliquum superstans lineae CF, siquidem ex arcu IB, ad spatium FCE, nulla potest duci recta, quae non transeat per opacum CD: quare partes solis IB, non illuminabunt

C spatium ECF. atque hoc ipsum de spatio GDE, demonstrari facilè poterit eisdem rationibus.

[a] Axiom 13. lib. 1. Eucl.

[b] Propos. 29. 1. lib. Eucl.

TRIPLEX vmbra ex eodem vmbroso, & lumine procedens.

Atque hinc orta videtur esse communis illa perspectiuorum sententia, quae lucem impermixtè agere confirmat: tum quod lucem à duplici luminoso progredientem, duplici, eaque vnicuique directa via duci obseruauerint: tum etiam quòd vmbras quoque diuersas ex eodem opaco producant. Quod & verum est, & opticès considerationi maximè necessarium: non tamen propterea ipsi quidquam de natura lucis statuunt, quae physicae considerationis est. Nostri verò instituti esse arbitramur, vtriusque sententiae rationes proponere, vt pariter osten-

D damus, eas inuicem minimè pugnare. Nam si in eadem figura arcus tantummodo AH, BI, lucescere ponamus, quorum AH, magis, BI, minus splendeat, tunc illuminatio, & vmbrae eodem sane modo, quo prius, considerandae sunt, hoc vno excepto, quòd tota vmbra spatij GDCE, fit ex priuatione lucis AH, vmbra verò spatij EDCF, fit ex priuatione lucis BI. Ex quo mox fit, vt triplex esse videatur vmbra maxima pyramidis ECD, vtpote quae vtraque luce priuatur, minima ECF, quae minori tantummodo luce BI, priuatur, & media EDG, quae maiori tantummodo priuatur luce. Quae quidem vmbrae non alia ratione procederent in priori positione: siquidem nihil ad illuminationis priuationem multiplican-

E dam facit luminosos arcus AH, BI, partes esse eiusdem luminosi AB, aut non esse, vel quod idem est, medijs partibus HI, luminosis, aut opacis continuari, aut, eisdem sublatis, disiungi. Nam quòd ad illuminationem medij spectat, satis suprà ostensum est, eadem ratione philosophandum, siue ab vno, siue a pluribus corporibus lux procedat: semper enim eadem in eadem parte medij lux reperitur.

PERSPECTIUA nihil habet ipsi philosophiae contrarium.

Neque quidquam aduersus praedicta probat, lucis ex varia luminum & corporum positione diuisio, cuius rei exemplum licebit aspicere, si illuminationem vtriusque luminosi AH, BI, per

idem

idem tabulae foramen L, transire fingamus. Nam pars medij F, illuminatur a B I, non autem ab A H, & pars, quae est in G, illuminatur ab A H, non autem a B I. Quòd quamuis verum sit, adhuc tamen non magis diuersa lux esse putanda est, quae est in F, ab ea, quae est in G, quàm quae in superioribus demonstrationibus ostensa est eadem esse, quae est in spatio E C F, cum ea, quae est in spatio E D G. nam, lucem esse magis vel minus intensam, lucem non facit esse diuersam. Quae omnia motus exemplo magis esse poterunt perspecta. Ponamus, homines duos quodam impetu determinato simul mouere rectà lapidem, atque in medio motus cesset alter mouere, alter verò eodem quo prius impetu mouebant ambo, motum prosequatur lapidis, quis quaeso neget lapidem eodem semper motu latum fuisse, spectante priùs duplicem motorem, posterius verò vnum tantùm? Quae pari ratione de alijs omnibus naturae motibus philosophanda videntur, cùm actio recipiatur in passo, motus autem specificetur à termino. Ea porrò, quae de superficie vna considerata sunt, & de omnibus alijs probari possunt, quo lucis, vmbrarumque termini perspecti habeantur.

IDEM motus à duplici, & ab vno productus motore.

Sed vnum superest explicandum huic nostrae disputationi maximè necessarium, nimirum vt vmbras perpendamus, vel vt verè sunt, vel vt apparent corporibus, quorum sunt vmbrae, maiores, minores, vel aequales. id quod ex luminosi, atque opaci collatione procedere affirmamus. Nam in priori demonstratione, atque figura ostensum est, vmbram opaci C D, in pyramidem C E D, terminari. id quod si attentius perpendatur, non alia ratione euenire probabitur, quàm quod luminosum A B, maius ponitur opaco C D: quare, si lineis ductae rectae C D parallelis secetur pyramis, aut triangulum C E D, omnes vtique minores erunt ipsa C D, vtpote similium angulorum bases, quorum minora sunt latera lateribus C E, E D. Posset autem nonnumquam abscindi triangulum C E D, lineis non parallelis maioribus, vel aequalibus ipsi C D. In cuius rei demonstratione non est immorandum: satis est enim, si propterea intelligamus, minorem vmbram maiorem, vel aequalem opaco apparere posse, iuxta modum, quo abscinditur ab ea superficie corporis, in quo vmbra apparet; nam in aëre non videmus vmbram.

QVAE vmbrae sint vel appareant maiores, minores, vel aequales opaco, cuius sunt vmbrae.

VMBRA maior vmbroso.

Tunc verò vmbra semper maior erit vmbroso, cùm luminosum minus esse ponetur vmbroso. Nam si in eadem figura illucescere ponamus tantummodo arcum A H, is quidem iuxta demonstrata, ex corpore C D, vmbram proijciet E C D G, quae semper maior erit, quò magis distabit à recta C D, cum rectae E A, & G H, si extendantur ad A, concurrant, triangulumque constituant, cuius basis sit C D, infra quam basim vtcumque vmbram consideres, impossibile est lineam ducere vel minorem, vel aequalem ipsi C D, quae vtramque lineam C E, D G, attingere possit, vt ex ductis eidem C D parallelis facilè confirmari poterit, iuxta ea, quae paulò ante demonstrauimus.

VMBRA aequalis.

Tandem vmbra semper vmbroso aequalis erit, cùm luminosum aequale ponetur vmbroso, si ponamus, exempli gratia, luminosum A B, quod ad plures casus vitandos sit sphaericum, aequale vmbroso etiam sphaerico C D, & iuxta ea, quae in priori demonstratione dicebamus

A per vtriusque sphaerae centra ducatur superficies plana, in qua ex punctis C & D, ducantur



rectae E C A, F D B, quas parallelas esse oporter[a], vtpote aequalibus vtriusque circuli diametris perpendiculares.[b] quapropter, vmbram inter parallelas indefinitam esse, & semper ipsi vmbroso corpori parem, perspicuum est: quam si abscindas sectione ipsis A C, B D perpendiculari, atque adeo ipsis diametris A B, C D, parallela sectio erit illis aequalis. si autem sectio F G, parallela illis
B non sit, semper erit maior quàm A B, vel C D. Nam si ex D, ducatur [c] D E, sectioni praedictae parallela, erit ei aequalis [d], & maior [e] recta D C, vtpote in triangulo D C E, recto, hoc est, maximo trianguli [f] angulo opposita quare & sectionem illam maiorem esse oportet vmbrosi diametro C D. quod erat vltimo demonstrandum. Ex quibus illud quoque perspectum esse poterit vnicuique, quod in perspectiua communi demonstratum est, vmbrosum sphaericum luminoso minus vmbram proijcere pyramidalem: aequale, columnarem: maius curtam, & euersam pyramidem infinitam. quorum omnis demonstratio ex dictis comprehendetur, si quae de vna
C superficie probata sunt, de singulis simili ratione ductis, simili argumentatione probare posse arbitremur. His etiam pariter demonstratum est illud, quod maximè perspectiuis posset esse vsui, reliquis delectationi, nimirum, qua ratione vmbrae in obiecta superficie terminentur, cùm per quaelibet bina vmbrosi corporis puncta duci possit superficies, in qua vmbra determinatur, eiusque cum obiecta superficie sectio haberi facilè possit, cuius termini, vmbrae dent terminos, quae ab assumptis opaci punctis procedit. Vnum praeterea animaduertendum est, ne non satisfecisse videamur scire cupientibus, vbinam lux, aut vmbra habeatur maxima. quod perspe-
D ctum esse poterit, si per centra lucentis, & vmbrosi corporis recta ducatur, vel, quod idem est, si axis cylindri, aut coni ducatur, circa quam vmbram maximam esse oportet, vtpote, quod ab omnibus partibus medij illuminati maximè distet: lux enim non modò recta tendit, sed & reflectitur, ac refrangitur, vt antea dixi, qua ratione si pyramidis quoque luces, quas initio dicebamus, consideremus, circa earum axes lux erit maximè intensa. Illud etiam praetermittendum non est, quo philosophis faciamus satis, lucem naturae accidens esse, quod in subiecto diaphano recipitur, ex quo luci idem accidere existimamus, quod reliquis, quae natura constant
E rebus, lucem puncto, linea, superficie terminari posse, aut continuari: in superficie verò, linea, aut puncto lucem esse non posse. Quapropter cùm superficies, lineas, puncta, pyramides lucis, aut vmbrae ad demonstrationes assumimus, vel physicè accipiendae sunt, quantitatem, & partes habentes, aut de terminis assumptae lucis agere credendi sumus. Atque his dictis, vniuersae lucis considerationi, quod ad nos attinet, fecisse iam satis existimamus. superest, vt de visione, quae lumine fit, atque imaginibus, pari ratione philosophemur, quod sequenti capite quàm breuissimè praestare decreuimus.

[a] 18. tertij Euclid.

[b] 33. primi Euclid.

[c] 31. primi Euclid.

[d] 33. primi Euclid.

[e] 19. primi Euclid.

[f] 32. primi Euclid.

Perspect. commun. prop. 24.

QVA ratione vmbrae à perspectiuis in obiecta superficie terminentur.

QVAE LVX aut vmbra maxima sit.

QVOMODO puncta, lineas, aut superficies lucis accipiamus.

OCVLORVM

VISIONEM IN IPSIS FIERI, *susceptis rerum formis, quas vocant species.*

Cap. V.

EADEM ratio lucis, ac visionis.

EADEM ferè omnia, quae illuminationi, ac lumini accidere ostensa sunt, pari quoque ratione visioni, ac rerum formis euenire putandum est. Visionem namque in oculo fieri ita certum est, vt nulla indigeat probatione. quis enim credat, oculum extra videntem, in re visa, suo vti videndi ministerio, manente semper in eo, qui videt, potentia visiua? Hoc igitur constituto, praesentis disputationis vniuersae fundamento firmissimo, cetera vtique moles aedificij facilè superstruetur, exstructaque *manebit*. Ex quo primum fit, vt quoniam res quae videndae sunt, magnitudine, ac numero pene infinitae sunt, ac longe ab oculo dissitae, quaeque ad oculum afferri nulla ratione possunt, earum saltem afferendae sint formae, vel imagines, quibus res ipsae videantur. Quapropter in visione, haec sunt perpendenda, sine quibus videri posse negat Aristoteles, visiuum, visibile, perspicuum, lumen, species.

Arist. 2 de anima c. 3.

QVINQVE sunt ad perspiciendum necessaria.

Visiuum dicitur potentia, visibile obiectum, quod forma mediante mouet potentiam, ex quo fit, vt duplex obiectum perpendatur à Philosophis, alterum quod videtur, nempe color, alterum quo mediante fit visio. perspicuum vero & lumen medium est, quod nisi intersit visiuum inter & visibile, nihil videbitur. Visibile, vt dixi, color est, qui sine lumine visiuum non mouet. lumen vero in perspicuo recipitur. Perspicuum autem visibile quodammodo dicitur, non secundum naturam suam, sed propter externum colorem. Aer autem, aqua, crystallum, vitrum, hisque similia, solida, aut liquida corpora, perspicua dicuntur, in quibus perspicui ratio reperitur. Est autem perspicuum potentia perspicuum, vtpote quod tenebrarum etiam sit susceptiuum: lumen vero est actus perspicui. Quod autem videtur, color est, qui videri non potest, nisi in lumine. Nam vt ait idem Aristoteles: hoc erat ipsi colori esse, motiuum esse secundum actum perspicui. actus autem perspicui lumen est. Porro visioni haec omnia inesse probat idem Philosophus, ex eo, quod colorem supra visiuum positum non videmus, sed color mouet quidem perspicuum, puta aerem, & hoc continuo existente mouetur sensorium. ex quo colligit aduersus Empedoclem, nihil in vacuo videri posse: necessarium enim est medium, quoniam, cùm aliquid videmus, sensitiuum patitur, hoc non a colore, cum, qui sensitiuum contingit, color non videatur: superest igitur, vt a medio patiatur, quod, vt dictum est, oportet esse illuminatum. Huc etiam referenda sunt, quae in vniuersum de omni sensu tradit idem philosophus, cum videlicet susce-

PERSPICVVM quid sit.

LVMEN quid sit.

Arist. 2 de anima tex. 73.

Ibid tex. 121.

A ptiuum esse, quod sensus sit id, quod susceptiuum est formarum sine materia. Confirmari id putat assiduo experimento. videmus enim, vehementi sensibili sensum corrumpi, cuius rei aptissimam quoque rationem affert. Nam si fortior sit sensorio motus, soluitur ratio. hoc autem erat sensus: sicut & consonantia, & tonus percussis fortiter chordis. Sensum itaque in debita ratione sensorij ponit, quam corrumpi necesse est, sensibili vltra modum adhibito. id quod in gustu, odoratu, & auditu facile ab omnibus percipietur. Nullam enim aliam licet adinuenite causam, cur hoc amarum, illud dulce, hoc verò nunc amarum gustui videatur, quod B antea vt dulce degustabatur: nullam, inquam, aliam eius rei assignare poteris causam, quàm debitam proportionem, siue rationem, vel huic contrariam in cibo, ac in gustu. Quae omnia facilè etiam confirmantur ex ijs, quae initio perspectiuae communis demonstrantur: lucem nimirum, aut colorem illuminatum impressiuè operari in visu. Ea verò cuius facilè possunt experimento probari: oculus namque splendidissimam lucem intuens attentius, vel colorem simili luce illustratum, dolet, ac patitur, indeque ad debiliorem lucem conuersus, tenebras videre videtur, aut colores, quos videt primo colore permistos, donec lucis, aut colo- C ris vestigia oculis impressa penitus euanescant.

SENSVS omnis susceptiuus est formarum sine materia.

VEHEMENS sensibile sensum corrumpit.

Perspect. com. prop. 1. & 2.

Quibus quidem rationibus, ac doctissimorum hominum testimonijs nihil contrarium suadet, quod de fascinatione legimus. Non enim me latent, quae scribit Plinius: In eadem, inquit, Africa familias quasdam effascinantium Isigonus, & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse eiusdem generis Triballis & Illyrijs, adijcit Isigonus, qui visu quoque effascinent, interimantque, quos diutius intueantur, iratis praecipue oculis: quod eorum malum facilius sentire puberes. Hinc orta fuisse creditur vetus illa opinio timentium sibi a fascino, quoties vel a seipso, vel ab alio coram laudaretur: quare in laudan- D do addebant plerumque vocem praefiscinae, aut praefiscini: ideoque cum magnificè de seipso locuturus esset veterator ille apud Plautum, quasi inuidiam a se auertere cupiens, ait:

DE FASCINATIONE.

Plin lib. 7. cap. 2.

PRAEFISCINI, quid.

Praefiscini hoc nunc dixerim.

Sed & Titinius in Setina inquit.

Paula mea amabo pol tu
Ad laudem addito praefiscini, ne puella
Fascinetur.

Plaut in Asinaria.

Titin. in Setina.

Apuleius etiam: Igitur, inquit, quod difficile factu erat, quodque reuera arduum nobis existimabatur gratum esse populo, placere ordini, probari magistratibus, & principibus, id praefiscine, (sic enim legendum censeo, non vt corrupti ignoratione codices ha- E bent, praefisiuè) dixerim, iam quodammodo mihi obtigit. Haec ille. Vniuersum porrò fascini damnum ab oculis, non verò a labijs laudantium in laudatos promanare, nulli non perspectum fuit. Quare Varro cuiusdam antiquae consuetudinis meminit, qua pueris, ad auerruncandas fascinationes, collo res turpiculas appendebant, quae intuentium oculos a puerorum attenta contemplatione, sua turpitudine, aut nimia deformitate auocarent. Huc forsan respexisse credendi sunt serui illi, qui, quòd Aesopum omnium hominum turpissimum vidissent, dicebant ab hero pro domus fascino emptum fuisse. Ex his verò quae de fascinatione dicta sunt, efficax

Apul lib. 3. Florid.

M. Varro lib. 6. de ling. Lat.

TVRPICVLAE res puerorum collo appensae contra fascinum.

In Aesopi vita.

desumi

desumi posse videtur argumentum, ad probandum visum in rem visam agere, haud dissimile illi, quo nos ex Aristotele probauimus, à re visa visum moueri, vtpote quod vehementiori visibili corrumpatur. Verùm, est quaedam longè diuersa ratio: visus enim lucis, aut formarum immaterialium receptiuus, qui in proportione debita consistit, ab excessu lucis, aut formae corrumpitur: sanitas, aut vita fascinatorum non ita. non enim in vna proportione consistit, nec quolibet excessu corrumpitur, sed alia aliqua venenata, ac pene corporea qualitate, qua morbus inducitur, aut interitus. Huiusmodi autem qualitatem eiaculari oculis malè affectis, nec nouum, nec inauditum est, cùm Agatharchides scribat Psyllorum gentem in Africa extitisse, quorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirent eas. Mos vero liberos genitos protinus obijciendi saeuissimis earum, eoque genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugientibus adulterino sanguine natos serpentibus. His vero contrarius minimè censendus est Auicenna, qui animam alicuius vehementer affectam in maleuolentia tradit habere impressionem nocumenti, in aliquem maximè puerum, quòd, propter corporis teneritudinem, est facilè impressionum susceptiuus. Nam quamuis animo tribuere videatur Auicenna nocumenti impressionem, id ita intelligendum est, vt ab animo moueatur corpus, quod malè affectum damni sit causa, & velut instrumentum. Quod mirificè, vt cetera, Angelicus doctor Thomas illis verbis explicare conatur. Quod autem, inquit, de fascinatione inducit Auicenna, ita accidit, quia mediante motu cordis immutatur corpus coniunctum, cuius immutatio prouenit ad oculum, à quo infici potest aliquid extrinsecum, praecipuè si sit facilè immutabile, sicut etiam oculus menstruatae inficit speculum. Habent igitur huiusmodi mulieres effascinatrices tantam cordis, simul quoque sui corporis infectionem, vt facilè inficiant naturalis imaginationis vi, quae tantum potest, vt vel etiam exaniment seipsos, ij, qui acrius imaginando mente aliquid concipiunt. haec Sanctus Thomas. Cuius planè sententia in idem recidit, quod paulo ante dicebamus: mouet enim animus, siue etiam imaginatio malè affecta corpora, quae visu postmodum venena eiaculari videntur. id quod ferè in poenam efferatarum mentium à natura inditum malum existimat Plinius, sic scribens: Adeo naturae, cum ferarum morem vescendi humanis visceribus in homine genuisset, gignere etiam in toto corpore, & in quorundam oculis quoque venena placuit: ne quid vsquam mali esset, quod in homine non esset. haec ille. Quibus alicui forte videbimur nondum propositae difficultati fecisse satis. Nam quod venena eiaculentur oculi, potiùs confirmare videtur Platonis, quàm Aristotelis sententiam, quia videtur ijsdem visiuis radijs, qui ex oculis emicant, venena ad ea, quae videntur, transmitti. Verùm, vt dixi, longè alia ratio habenda est eorum, quae visionis sunt causa, atque eorum, quae, dum videmus, accidunt, & cum visione nihil habent commune. Sed vt instituram de fascino disputationem faciliùs absoluamus, nonnulla praemittenda sunt, quae visionis naturam magis explicabunt.

FASCINATIO quomodo fiat.

Agatharchis. apud Plin. lib. 7. cap. 2.

Auicenna.

PESSIMAE animi affectiones virus nonnumquam exhalant.

S. Thom. 3. cont. gen. cap. 103.

Plin. ibid.

EFFERATAE mentes venena eiaculantur.

RESPONDETUR ad argumentum fascinationis.

Rerum vtique immateriales formae primùm mouent illuminatum medium, quod actu perspicuum dicitur: hoc verò potentiam mouet, vt fiat A visio, non quidem formarum, sed rerum quarum sunt formae, quamuis haec sine formis ad potentiam delatis videri non possent. In qua quidem formarum delatione haud aliter philosophandum est, quàm praecedenti capite de lumine dicebamus, nimirum, species haud secus quàm lumen in directum ferri, praeterquam in refractione, aut reflexione, de quibus non est nobis sermo. Ex quo mox fit, vt in ea tantummodo loca rerum deferantur species, quibus res ipsae praesentes sunt, ductis nimirum rectis lineis a rebus ad loca, ad quae sunt species deferendae. Vnde liquet id, quod paulò inferiùs magis explicandum est, visionem perfectam B fieri circa lineam illam rectam, quae à re visa ad medium potentiae visiuae per mediam pupillam duceretur. eam perspectiui cathetum vocant. Per hanc igitur lineam, & visiuas species ad oculum adduci intelligendum est, & per eandem venenatos spiritus ab oculo ad rem visam deduci. Tum quòd ea linea, vtpote recta, breuissima est, atque adeo iuxta illam maximè sibi mutuò visus, & res visa propinqua sunt, quod non parum actioni conducit, tum vel maximè, quòd, dum à re, quae videtur, ad oculum deferuntur species, ibique fit visio, indeque ad interiores sensus, ac tandem ad superiores animi potentias deferuntur, facilè animus ad C odium, amorem, desiderium, admirationem, aut eiusmodi commouetur, quo noxij quoque flatus excitantur, & officiunt ijs, vel inficiunt ea, quae attentius contuentur. Quamuis quod ad commaculata à menstruatis feminis specula, an id visu, an vero halitu fiat, non vtique exploratum est, quem etiam tenellulis pueris nocere posse dubitandum non est: is enim cum oculis pariter in eos dirigitur, dum à fascinatricibus conspiciuntur. Haec omnia, & damna pariter, quae fascinum pariat, breuissima oratione, admirabili sapientia plena complexus est sanctissimus Apostolus Paulus, sic scribens: *O insensati Galatae, quis vos fascinauit non D obedire veritati?* Vbi Sanctus Ioannes Chrysostomus sic scribit: Vulnere (reprehensionis) inflicto, protinus temperat dolorem. Non enim dixit, quis vos seduxit? quis vobis abusus est? quis vos circumuenit? sed quis vos fascinauit? sic moderans increpationem, vt non careat laude. Haec enim verba sunt indicantis, quòd priùs inuidia digna fecerint, quodque id quod accidit, daemonis insultu factum sit, qui secundis eorum successibus vehementer reclamauerit. haec ille. Qui notionem verbi *βα-σκαίνω* bascaeno reperisse videtur, quo eodem & fascinare, & inuidere significant Graeci. Quam eandem Chrysostomi notationem cum percen- E suisset Theodoretus, haec subdit: Ostendit autem etiam paternam Apostoli beneuolentiam. eos enim deflet, vt qui collectas diuitias perdiderint. Quisnam, inquit, inuidus, & fascinator daemon admirabiles vobis opes eripuit? haec ille. Quae de fascinatione dicta sufficiant.

SPECIES ad ea tantummodo loca deferuntur, quibus res sunt praesentes.

QVAE LINEA visionis dicatur cathetus.

MENSTRVATAE mulieres specula inficiunt visu, aut halitu.

Galat. 3. ℣. 1.

MODERATE Sanctus Paulus Galatas reprehendit.

S. Ioan. Chrys.

EODEM verbo inuidere, & fascinare significant Graeci.

B. Theodor.

Iam verò illud superest examinandum, quo Euclides emitti ab oculo radios ad videndum, non recipi ab eo quidquam, probare contendit: Natura enim in animalibus sentiendi instrumenta ita fecisse putat, vt eorum quaedam ad recipiendum accommodata essent, quaedam secus: auditum quippe, odoratum, & gustum caua fecit, vt reci-

Euclid. in opticis.

vt reciperent extrinsecus aduenientia corpora, quae sensus mouerent. Quamobrem, si in visione corpora visum mouentia ad visum potiùs accedant extrinsecus, quàm vt oculus aliquid ex se emittat, deberet ipse oculus cauus esse, vt ad receptionem simulachrorum esset commodior. Id autem aliter se habere constat: globosum enim esse oculum, perspicuum est. Haec est Euclidis sententia, quam retulit Penna: quae, vt est à mathematicis disputationibus, quod initio dixi, aliena, ita esse videtur pluribus partibus ipsi veritati contraria.

Ioan. Penna in praefat. optices.

OCVLI CAVI sunt, & ad recipiendas species aptissimi.

Omnia enim sensuum instrumenta caua sunt, & ad recipiendas rerum formas aptissima. nam, vt vidimus ex Aristotele, sensus omnes ab obiectis B mouentur, ac recipiunt, quae à proprijs emittuntur species. Illud verò certò colligerer, alia ratione constitui oculum oportuisse, si corporum susceptiuus fuisset. at contrà res se habet: res enim quae videntur, non vtique afferuntur ad oculum, sed tantùm earum formae, quas sine materia vocauit Aristoteles, vt verè sunt, & vt nonnulli putant, ab Augustino dicuntur spirituales, quarum susceptioni aptissimè efformatus est oculus in medio cauus, quamuis cauitas exigua sit, prae ceterorum sensuum cauitatibus: quoniam huius sensus species magis sunt à materia sepositae, & spiritualis naturae magis similes. Haec verò oculi cauitas, vel hoc foramen, quo C species visiuae recipiuntur, opertum est exteriori quadam tunica, quae perspicui naturam induit, atque adeo medij: est enim pellucidi cornu instar. Est etiam pupilla huiusmodi tunica operta, quò refrangerentur species, & visus plura percipere simul posset, & singula meliùs. Quod & à perspicillis ante oculos positis praestari videmus. Et sanè, quae tunica cornea impedimento non est, quò minus ab oculo emicent iuxta Euclidem radij, eadem non fore impedimento censenda est, vt pupilla recipere possit extrinsecus aduenientes lucis radios, cum formis rerum quae illuminantur, & colorem habent.

Arist. 2. de anima tex. 121
S. Aug. lib. 12 de genes. ad litt. c. 16.

SPECIES visiuae immateriales, & spiritualibus formis persimiles.

OCVLVS quare sit sphaericus.

Iam verò quod sphaericus sit oculus, immo D quòd ea, & non alia forma esse debuerit, vt commode videre possent animalia, probant rationes quamplurimae; ex quibus vnam tantùm vel alteram attexuisse sit satis.

In primis pluribus constare debuit oculus tunicis, humoribus, venis, neruis, atque alijs partibus, quae omnes capacissima oportuit contineri sphaerica forma, ne magnam capitis partem impedirent oculi bini. Alia tamen esse videtur longè praestantior, & perspicua magis ratio, illi persimilis, qua probant astronomi caelum esse sphaericum propter motuum diuersas rationes, vt videre est apud Clauium: atqui non pauciores motus, sed plures fiunt oculis, vt acies ad plura dirigatur, citiusque conuoluatur: non ad voluptatem E modo, sed & ad necessitatem, quò videlicet praecaueantur damna, quae caecis passim occurrunt. atqui, si alia quacumque figura esset oculus, vt pura angulari, vel oblonga, moueri non posset absque eo, quod locum, cui inest, aut diuideret, aut dilataret, extenderetque mox contrahendum, aut saltem humori immergeretur, quod flueret. quae omnia non sine dolore fierent, nec sine grauissimis capitis incommodis & damnis. Mitto hic etiam rationes alias ad perspectiuam spectantes, quia si non esset sphaericae formae, pauciora videret, neque ita facilè diiu-

OCVLVS sphaericus est, vt capax sit plurium partium.

Clau. c. 1 commen. sphae.

VT FACILIVS voluatur.

A dicare potuisset rerum formas, quae à centro oculi, aut à loco visionis aequidistare minimè possent. Est iam igitur, ni fallor, satis, superque confirmatum, visiuam potentiam à rebus visis moueri, oculumque aptissimè constitutum ad recipiendas rerum formas, quas illuminati colores ex se emittunt. De quarum natura & affectionibus pressiùs sequenti capite agendum est.

RERVM FORMIS PERSPICVVM MOVERI,

quod visus instrumenta mouet. Cap. VI.

ARISTOTELIS verbis, quoniam eius videtur maximè probanda sententia, libuit caput hoc exordiri. Is enim sic scribit: *Color quidem mouet perspicuum, vt aerem, ab hoc autem, cum* C *sit continuus, sensus instrumentum mouetur.* Quibus verbis indicare videtur Philosophus, & visibilis obiecti, & formarum, quas species visibiles vocant, naturam, & quid in visione haec praestent. Nam dum à colore ait, moueri perspicuum, obiectum visibile describere videtur, esse colorem: vel, vt pressiùs loquamur, colori in extrema corporis parte constituto, hoc est in terminatiua superficie, inesse rationem, propter quam moueatur medium. Nam quamuis alia quoque videri posse putat idem Philosophus, in quibus propriam rationem coloris inuenire non datur, cuiusmodi sunt ea, quae noctu lucent, atque adeo in tenebris videntur, & quae perspicua D sunt, vt aqua, vitrum, crystallus, & huiusmodi; tamen ea quoque propterea videri existimarem, quod aliquam induant rationem coloris. Cuius rei argumentum mihi videtur efficax, quòd ea omnia coloribus ita exprimunt ad viuum pictores, vt vera putes. Cuius rei hanc possumus assignare rationem, perspicuum, eodem philosopho attestante, videri minimè potest, nisi ratione coloris extrinseci: at cùm minus perspicuum magis perspicuo immergitur, ab hoc illud ita discernitur, vt terminati videatur: qua ratione vitream ampullam in aere videmus, atque alia eiusmodi. Neque ab hac lucis longe diuersa est ratio, quae cum actus sit perspicui, non E propriè videtur, sed est ratio medij, sine qua obiectum videri non posset: at cùm maxima lux à minori luce aliqua ratione secernitur, ipsa lux haud secus, quàm color videtur, atque adeo, ingrediente solis radio per fenestram in cubiculum, lucis terminum in ipso aere videmus, non modò in obiectis rebus magis aut minus illuminatis. Non me latet eorum sententia, qui lucem in medio diaphano videri posse omnino negant. cuius rei argumentum esse putant manifestum, id quod experimentum docet. Nam si lumen solis per aliquod paruum foramen in cubiculum obscurum ingrediens, aliud habeat ex aduerso foramen, quo egrediatur, minimè videtur

Arist. 2. de anima tex. 73

VISIBILE quid sit.

COLOR tantum videtur, & quae rationem coloris induunt.

PERSPICUUM, & lux quomodo videantur.

in medio

in medio. ex quo confici potant, lumen in medio non videri, nisi alicubi reflectatur. Quae quidem ratio nihil nobiscum pugnat: nam lumen tunc in medio non videri accidit, non alia ratione, quàm quòd medium illuminatum non est: colores enim, vt vidimus, perspicuum potentia minimè mouent, sed quod est actu perspicuum, hoc est illuminatum: at lumen illud, de quo loquimur, quod rationem induit colorati, cùm illam tantùm partem aeris illuminet, quam directè pertransit, neque reflectatur, vt reflexum lumen reliquas partes aeris illuminet, minimè videtur. id verò non aliunde prouenit, quàm quòd medium nondum habeat rationem perspicui actu. Haec eadem ratio est, propter quam aliqua sunt ab eodem philosopho enumerata, quae in lumine quidem non videntur, in tenebris autem efficiunt sensum, vt ea, quae apparent ignea, atque splendent, haec autem nomine carent vno, vt fungus, cornu, piscium capita, squamae, & oculi. sed nullus horum proprius color videtur. Quae sanè omnia & colorata sunt, & ignea sunt, atque splendentia, sed lumen quo splendent ita est exiguum, vt, interdiu lucente sole, non omnino splendescere videantur: noctu verò quamuis spendor ille videatur, qua rationem induit ignei coloris, non est tamen potens lux illa medium illuminare, vt proprius eiusmodi rerum color videatur. Et hoc est, quod dixit Aristoteles, in lumine quidem non videri lucentia, sed colorata; in nocte verò lucentia videri, quamuis earum rerum nullus proprius videatur color, qui maiore indigeret lumine, vt medium posset mouere. Posset tamen haud temere de his quisquam asserere, & proprio colore, & lumine quodam visibilis naturam induere, quod propriam non haber rationem coloris, aut lucis, quare candori apparent similia, siue illuminatae albedini. haec enim omnia, quae noctu lucent, interdiu candida apparent, aut flaua. eiusmodi verò colores luci similes quàm maximè sunt. Eadem verò ratione qua de perspicuo initio proponebamus, luminis, ac nebulae exemplo confirmari possunt, eademque ostender, cur haec oculis proxima non videantur, ab eis vero remota cernantur. Contingit enim plerumque, in medio nebulae existentes, eam videre minimè posse, vtpote quae rationem induens perspicui, impedire non possit, quò minus res, quae vltra illam sunt, perspiciantur: nebula verò non alia ratione perspicuum immutat, quam si à minori lumine immutaretur: oculus verò minus lumen non aduertit, aut dijudicat, cùm ne ipsum quidem medium, vt diximus, videat, nisi ratione coloris extrinseci. At cùm ab oculo abest eiusmodi nebula, omnino impedit visionem rerum, quae vltra illam sunt, atque ipsa terminari videtur, & rationem coloris induere, atque à magis perspicuo aere secerni, quare & videtur. Idem de alio quouis perspicuo iudicandum videtur, vt de aqua in aeris medio constituta, quae in parua quantitate visum non mouet, in maiori videtur facilius, in maxima non videri non potest. idemque de ipso aere existimarunt nonnulli, in magna distantia videri, caeruleique coloris rationem induere, quo colore non caelestes orbes modo, colore carentes, verum etiam longè à visu sepositos coloratos montes induit.

LVMEN per foramen in cubiculum ingrediens quando videatur.

QVAE NOctu tantum lucent, quomodo videantur.

NEBVLA oculis proxima non videtur, ab eis remota cernitur, & quare.

CAELI ET montes longè sepositi caerulei videntur propter aerem.

Pari quoque ratione & de igne in obscura nocte lucente philosophandum est: is enim aerem circumquaque illuminat, qui, si oculo proximus sit, rationem induit perspicui actu, quo mediante colores cernuntur. at si ab oculo sit sepositus illuminatus aer, perspicui rationem quodammodo amittit, & quòd à tenebris secernitur, quasi coloratum corpus videtur. quae etiam causa est, cur ignea lumina noctu maiora videantur à longè quam propè, & maiora quam verè sunt. At his breuiter de visibilis natura perpensis, aditum nobis ad formas intelligendas patefecisse videmur.

IGNIS QVAre longe distans noctu maior appareat, quam interdiu.

Et quidem quoniam visibiles species natura & operatione simillimas esse diximus lumini, illud in primis explicandum videtur, in quo differant a lumine. nam quod sine lumine species non producantur, ratione, exemplisque confirmauit Philosophus, cùm perspicuum a colore moueri sine lumine non posse dixit, atque adeo neque ab aere visiuum. Verùm hoc vno distat à specie lumen, quòd hoc sit quaedam realis qualitas, illa verò minimè, sed dicitur intentionalis. Cuius rei vel vnum potest esse firmum argumentum, quòd lumine qualitates producuntur, vt calor, qui plerumque intenditur ita, vt ignem producat: at a rerum formis nullus vmquam apparuit naturalis effectus, vno excepto repraesentandi. Cui consonat etiam, quòd, cùm lumen vnà cum rerum formis recipiat prospiciens oculus, à lumine quidem patitur, & dolet, res plures prospiciens, non ita, si vnam tollas animi attentionem, quae caput, non oculum grauare potest. Huius vero rei perspicuum exemplum animaduertere licet in debiliori potentia, & vehementiori lumine, in quibus maior est proportionis distantia. in proportione verò consistit potentia, vt vidimus ex Aristotele. ex quo etiam fit, vt sensus nonnumquam corrumpatur. illud verò idem quod de lumine diximus vehementiore, de colore etiam vehementiùs illuminato pariter sentiendum est. Hinc etiam fit, vt hoc obiter notemus, oculum in perspicuo aequa ratione illuminato prospicientem maximè delectari, excrescente vero lumine obtundi, deficiente fatigari.

SPECIES visibiles lumini persimiles.

QVID INtersit lumen inter, & species.

SPECIES visiuae naturales qualitates non producunt.

IN AEQVA illuminatione oculus delectatur, in vehementi obtunditur, in deficiente fatigatur.

Hoc igitur vno excepto, quo distant à lumine formae, siue species, haud alia planè ratione, quàm a luce lumen producitur, & à quocumque colore illuminato formae colorati repraesentatiuae producuntur in medio, quae deinde producunt consimiles in oculo formas, siue species visiuas. hoc enim significare Philosophus voluit, dum quae retulimus verba scripsit: Color quidem, inquit, mouet perspicuum, vt aerem, ab hoc autem, cum sit continuum, sensus instrumentum mouetur. Itaque & medium oportere putat esse continuum inter colorem, ac visus instrumentum, verbi gratia, pupillam, vt visio fiat. Reprehendit igitur primùm Democritum, falsò existimantem, in vacuo exactè, perfectèque videri, deinde medium esse necessarium hac ratione confirmat: Visio namque fit patiente aliquid sensitiuo, at vt patiatur aliquid ab ipso colore, qui videtur, fieri nequit. nihil enim agit in distans, restat igitur vt a medio. Quare necesse est aliquod esse medium inter colorem ipsum & visum. Quod si id vacuum fiat, non modo non exactè, sed neque quidquam omnino videbitur. Quam igitur ob causam necesse est in lumine colorem videri? Qua quidem Philosophi ratione non modo medium, ac lumen visioni necessaria esse probantur, verum etiam species. qua enim alia ratione color medium moueat, nisi in eo sui similitudinem producat? quae quidem similitu-

Arist. 2. de anima tex. 73.

MEDIVM continuum visioni est maxime necessarium.

Tex. 74.

SPECIES visioni necessariae.

militudo aut species, quamuis ipsa non videa-
tur, tamen ita colorem visiuo repraesentare po-
test, vt ipse color videatur, species non ita. aliàs
enim, si species cernerentur haud secus quàm
imago picta Caesaris, quae & Caesarem reprae-
sentare, & ipsa videri potest, non vtique color
videretur, sed eius species, sicut in proposito
exemplo imago, non Caesar videtur. In quo sua
intentione frustrari videretur natura, quae, dum
colorem videre intendit, speciem produceret,
quae pro colore videretur, cùm color ipse nulla
ratione videri posset. Ne ergo natura frustra co-
lores videre contendat, concedamus & nos,
quod ipsa praestare ad videndum solet, nimi-
rum species, aut formas rerum in medio illu-
minato, siue actu perspicuo producere. me-
dium porro cum continuum sit, & vsque ad
visus instrumenta pertingat, species in instru-
mentis, hoc est, in glaciali humore producit,
quae minimè videntur, sed neque videri pos-
sunt, sed causae sunt potentiam determinantes
ad eiusmodi obiecti, cuius species sunt, visio-
nem. Quibus sic statutis, & de ijs, quae huius-
modi formis accidunt, nonnulla sunt sequenti
capite praenotanda.

SPECIES non videntur.

QVA RATIONE
SPECIES PERSPICVVM
moueant, & visum.
Cap. VII.

OMNE id, quod coloris est parti-
ceps in perspicuo illuminato
formas producit, vt diximus,
sed qua ratione species fiant,
examinandum est. Atque
in primis eas, nisi aliunde
impediantur, vndequaque circa visibile in
sphaerae modum produci necessarium est. Nul-
la enim assignari ratio potest, propter quam in
hanc potiùs quàm in illam partem producantur,
à dextris, an a sinistris, ante, an retro, sursum, aut
deorsum. Hoc tamen semper obseruant, quod
de lumine prius dicebamus, vt in directum ten-
dant, & ad ea loca, quibus est praesens id, cuius
sunt formae. Quod de recta specierum produ-
ctione intelligendum est, atque eisdem planè ra-
tionibus confirmandum, quibus quae de lumi-
ne his similia diximus, comprobantur. Quam-
uis enim species huiusmodi, & suis quoque lo-
cis refrangantur, atque a solida, & perpolita
superficie reflectantur, tamen refractione & refle-
xione supersedendum est nobis in præsentiarum.
Praedictus verò producendi modus, suapte na-
tura efficit, vt quaelibet coloris pars pariter con-
currat ad producendam speciem in qualibet par-
te medij, cui praesens est. Est autem illis om-
nibus medij partibus color praesens, vt diximus,
ad quas ab hoc rectae duci possunt. Ex quo
mox fit, vt in quolibet puncto medij terminari
putent pyramidem perspectiui. quia si ab assi-
gnato puncto ad extrema visibilis rectae lineae
intelligantur ductae, illis vtique comprehende-

SPECIES circa coloratum in sphaerae modum producuntur.

SPECIES in directum tendunt, non impeditae.

QVALIBET coloris pars speciem producit in qualibet parte medij.

A retur species omnis, quae vno immoto oculo
possit visum in eo mouere. quare & in qualibet
parte medij praedicti potest fieri eiusdem visi-
bilis visio, si tamen eidem parti sit visibile eo-
dem modo praesens: species namque eas omnes
visibilis partes repraesentare potest, à quibus
producitur. Non enim alia ratione de huius-
modi rerum formis philosophandum esse existi-
maui, quam suprà de lumine. Quare vna ea-
demque species omnes obiecti partes repraesen-
tat. sicut enim ex pluribus lucis partibus idem
lumen produci dicebamus, quibus si nouae lu-
cis aduenient partes, lumen vtique in eodem
medio intenditur, non tamen aliud, aut nouum
B lumen producitur: corruptisque prioris lucis
partibus, non aliud a priori lumen in medio ma-
net. ita sanè vna eademque species ab vniuersis
coloris partibus fit, eas omnes visui repraesen-
tare potens, à quibus producitur. Quod si pars
aliqua coloris addatur, vel subtrahatur, vel,
quod idem est, opaco interposito, vel sublato,
occultetur, vel manifestetur, eadem planè spe-
cies eiusdem vbique manet, partes illas reprae-
sentare potens, à quibus producitur, illas verò
minimè, à quibus iam non pendet. Eadem verò
omnia, quae de visibili quodam vno, eiusque
omnibus partibus, vnam, eandemque speciem
producentibus diximus, & de omnibus visibili-
C bus vna visione comprehensis pari ratione cre-
dendum esse ostendemus, cùm primùm visionis
modum aliqua ex parte indicauerimus.

Et inprimis speciem in qualibet parte medij pro-
duci diximus, quod in debita proportione acci-
piendum esse nulli dubium esse debet. Nam cùm
color finitae potentiae sit, non ad quamcumque
distantiam speciem producit, sed in debita, vltra
quam, deficiente agentis potentia non produci-
tur: citra verò minutae quaedam partes mini-
mè repraesentantur distantes, quoniam earum
potentia non eo vsque producit. atque adeo iter
agentes videmus prius montes quasi vniformes,
eodemque colore praeditos: deinde singularum
D partium colores propius accedentes distingui-
mus, ac tandem arbores, saxa, animalia, atque
his similia. Quod etiam in caeco visum à Chri-
sto apud Marcum non simul, sed paulatim reci-
piente obseruare possumus. prius enim videt
homines quasi arbores ambulantes, deinde resti-
tutus clare videbat omnia. Haec igitur, quae
de specie visibili diximus, visionis quoque mo-
dum manifestare posse arbitramur. Nam cum
in qualibet parte medij speciem inueniri dixe-
rimus, quae visibilis, verbi gratia, libri, sit re-
praesentatiua, cum primum eiusmodi species in-
strumentum visus attigerit, adhibita animi at-
tentione fit libri visio. Qua in re cùm perspecti-
E ui considerent librum maiorem esse foramine
illo pupillae, per quod introducitur species in
instrumento visionis recipienda, visionem fieri
affirmant per conum, cuius basis sit in re visa, cu-
spis in oculo. Hinc rursum philosophorum non-
nulli putauerunt, Mathematicorum sententiam
id asserere, quod quamuis ab aliquibus probe-
tur, verum tamen alicui videri omnino non de-
buisset. visionem nimirum cuiuscumque rei in
puncto illo indiuisibili fieri, quo cuspis termina-
tur coni.

Verum oppositum à nobis constituendum est
primum, quod cùm verum esse probauerimus,
facillimè poterimus mox demonstrare, Philo-
sophorum,

IN QVOLIBET parte medij quomodo fiat pyramis.

VNA SPEcies omnes visibilis partes repraesentat.

VNA SPEcies plura visibilia repraesentat.

COLOR IN qualibet distantia speciem producere non potest

Marc. 8. ℣. 24.

QVOMODO & quando visio fiat.

VISIO FIT per conum, cuius basis in re visa, cuspis in oculo fit.

sophorum, ac Mathematicorum veras, probatasque sententias minime secum inuicem pugnare, immo vero his illas, illisque has maximè confirmari, certioresque reddi. Visionem quidem in indiuisibili fieri, & speciei repugnat, & visionis instrumento, & visui, & visioni. Fatemur enim speciem intentionalem esse, & à luce distare, quòd haec qualitas sit realis, illa tantùm repraesentatiua forma sine materia, quae extensionis sit capax, quaeque cerni non queat, sitque propterea spiritui simillima. his tamen minime obstantibus, semper manere debere speciem existimamus intra naturam rerum corporearum, aut saltem earum formarum, quae in subiecto recipiuntur extenso. quare cum & in medio recipiantur, & in instrumento, quae magnitudines sunt, iuxta eorum naturam recipientur extensae. Quinimmo cum species suapte natura repraesentet obiectum, aliquo sui repraesentare censenda est: quod praestare minimè potuisset, si indiuisibilis esset, cùm omni parte careret. Hoc etiam diligens, & considerata Philosophi ratiocinatio suadet, qua sensum sensationis instrumento comparat his verbis: *Nam id quod sentit, inquit, aliqua est magnitudo, non tamen ratio sensitiui, neque sensus est magnitudo, sed est quaedam ratio, potentiaque illius.* Quibus verbis visus, aliorumque sensuum instrumenta magnitudines esse confirmat, hoc est, substantias extensas, & quantas, quae species suscipiunt sensibilium: sensum vero in ratione, seu proportione consistere planè indicat, quod disertis verbis testatur, subdens: *Manifestum autem ex his, propter quid sensibilium excellentiae corrumpunt sensitiua: si namque sit fortior sensitiuo motus, soluitur ratio. hoc autem erat sensus: sicut & symphonia, & tonus percussis fortiter chordis.* Proposito exemplo significare voluisse videtur Aristoteles, quae sit ratio illa, siue proportio, quae dat esse sensui: quae haud dissimilis est symphoniae & tono. At cùm perspectum sit, proportionem paucioribus, quàm tribus terminis inueniri minimè posse, necessariò affirmare cogemur, proportionem hanc in instrumento, potentia, atque specie consistere, species enim vices gerit obiecti, nihil enim praeterea licet inuenire in visione, quod sit huius proportionis terminus. quare inter speciem, quae recipitur in instrumento, & instrumentum ipsum, atque potentiam, proportio quaedam ponenda est, vt fiat visio. Proportionem autem inter ea, quorum alterum quantitate est præditum, alterum vero expers. cuiusmodi sunt, diuisibile, instrumentum, & indiuisibilis species, reperiri non posse definit Euclides. non ergo potest indiuisibilis species visioni esse apta.

VISIO NON fit in indiuisibili.

SPECIES quae in subiecto recipiuntur extenso, extensas esse oportet.

Arist. 2 de anima tex. 122

SENSVVM instrumenta magnitudines sunt.

Ibid tex. 123

QVAE SIT ratio vel proportio, in qua consistit sensus.

Defin. 9. lib. 5. Euclid.

Eucl. defin. 5. lib. 5.

Quae sanè omnia etiamsi tam stabili, ac firma ratione minimè confirmarentur, tamen ipsis quoque quotidianis experimentis manifestarentur. Positis enim in eadem distantia, eademque perspicui, ac luminis ratione oculis, verbi gratia, noctuae, atque aquilae, eandem rem intuentibus, ita tamen, vt propter noctuae debilem potentiam rem non perspiciat, quam praestans visiua potentia aquila videat: seclusa omni alia differentia, ceterisque paribus constitutis, parem vtique speciem inuenire licet in instrumento visionis noctuae, & aquilae, cum tamen ab hoc fiat visio, ab illo vero non fiat. Huius vero rei causa quamuis ex debili potentia oriatur, ea tamen vna non sufficit, cum propius accedens oculus noctuae videat. Quare alia

EADEM species in diuersis recepta potentijs visum non mouet propter proportionis defectum.

A praeterea differentiae ratio ex magnitudine ipsius speciei petenda est, quae in instrumento visionis constituta debiliorem non moueat potentiam, moueat autem fortiorem, quae tamen in indiuisibili specie adinueniri non potest. Haec verò non ratione modò, neque tantum experimentis confirmari possunt, & philosophorum auctoritate & placitis, verum etiam perspectiuorum ratiocinationibus stabiliuntur, atque argumentis Iidem enim ipsi, qui visionem per pyramidem, quam radiosam vocant, fieri contendunt, cùm eiusdem pyramidis formam propiùs considerant, eam esse curtam affirmant, angulumque eius inchoatum, non completum. tantùm abest, vt
B in ipso indiuisibili anguli termino visionem fieri existiment Ac ne vlla superesset dubitandi ratio, qua permoti nonnulli, putarent perspectiuos ita sentire, vt illis falso adscribitur, perspectiui quidem demonstrari existimant visionem fieri, dispositis in glaciali humore rerum formis, eodem quo res ipsae sunt ordine, earumque partibus suis quibusque locis dispositis. alias enim confusa, ac minimè ordinata rerum visio fieret, haud aliter quàm in ebriorum oculis, confusis ac perturbaris vini flatibus rerum formis. Verum enimuero, in oculo, ordo, ac partium dispositio debita in indiuisibili, partibus carente, non inuenitur, vt omnibus Mathematicis in promptu, perspe-
C ctumque est. Mathematicos igitur sentire necesse est, species in organo extenso susceptas extensas esse, non verò indiuisibiles. Sed etsi species omnino indiuisibiles essent, nihil profecto esset in specie, quo discerneret visus inter res maiores, minores, aequales, atque id genus alias, quas longum esset percensere, praetermittere operaepretium. His igitur sic constitutis, visionis modus, & speciei magnitudo ita percensenda est: vt visionis instrumentum magnitudo quaedam esse existimetur, atque in modum sphaerulae compressae, ad lenticularem tendens figuram. Atque circularem esse versus anteriorem oculi partem, demonstrat ipsa foraminis circularis figura,
D quae exterius conspicitur, & per quod species admittuntur. Nam si alia quauis forma esset, verbi gratia, angulari, vtique inutiles forent anguli, ad quos species per circulare foramen non admitterentur, aut inutiles essent species, quae per maius foramen introducerentur. Est etiam instrumenti magnitudo ipso foramine minor, eadem ferme ratione: nam a visibili maiori per foramen minus inductae species rectà tendentes, minorem formam vlterius productae efficiunt: atque adeo instrumentum quidem sensationis minoris circumferentiae erit, quàm sit ipsum foramen, saltem quod ad vsum spectat proximum visionis Illud etiam certum est, atque ab omni-
E bus receptissimum, omnium tunicarum & humorum centra vna recta linea contineri.

PERSPECTIVI quoque negant visionem in indiuisibili fieri.

Perspect. com. lib. 1. prop. 38. & 40. & 7.

VISIO FIT dispositis rerum formis eodem quo res ipsae sunt ordine.


QVARE ebrij res videant perturbatas.

VISIONIS modus, & speciei magnitudo.

Lib. 1. persp. com. prop. 30.

Perspect. com. prop. 34.

His igitur sic constitutis, quae de visione dicturi sumus, propositis figuris, atque exemplis expeditè à nobis dicti, facileque à lectore percipi poterunt. Sit



igitur circulus A B, pupillae foramen, cuius centrum

centrum C, sitque circulus minor DE, glacialis humor visionis instrumentum, cuius centrum F, iungaturque indefinita recta CE, quae deinceps vocabitur axis, vel cathetus, & per A, & D, circulorum



AB, DE, axi respondentia puncta, iungatur indefinita recta A D, quae axem secet in G. &, immoto manente puncto G, circumducatur recta G A, B donec ad eundem locum reuertatur, vnde moueri coepta est: tunc enim conus descriptus erit lineae motu, qui quidem conus ea omnia comprehendit, quae vna recta visione percipi ab vno possunt oculo. quòd si conus terminari intelligatur ad visibilia, sitque eius basis vtcumque HI, ea omnis, eiusque species vniuersa medium, atque potentiam ex aequo mouebit. Nam, si praedictum vnius rectae visionis conum attentiùs perpendamus, facilè inueniemus eius basi HI, omnia visibilia contineri, quae vna possunt recta perspici visione: coni verò vertex in oculo est, quamuis in extremo puncto, vt dixi, visio non fiat: species vero visibilium, quae basi con- C tinentur, ita complet oculi foramen, vt nihil praeterea videri possit ab oculo: quoniam ex suppositione, nulla pars visibilis extra praedictum conum, aut basim existens, praesens est organo, quare & recta visione videri non potest. Verum tamen est, propter diuersam interiacentium mediorum raritatem, vel densitatem, species refrangi, atque aliqua extra conum in oculo recipi, atque videri, de quibus non esse operaepretium modò differere existimaui, sed de recta visione tantum, vt saepiùs dixi. Illud insuper animaduertendum est, species visibilium, quae basi comprehenduntur, ita conum, foramen, & instrumentum visus complere, vt eae tan- D tummodo visum moueant.

VNA OCVLI vnius visio quomodo terminetur

VNIVS VIsionis an vna sit species.

De eiusmodi verò specie ambigi meritò posset, an vna sit, vel multiplex. Nam multiplex esse videtur, quae plurium rerum colore, magnitudine, situ, diuersarum est repraesentatiua. Videmus siquidem vnico intuitu maximam caeli partem, quae solem, lunam, ac stellas plures continere simul posset, ac insuper vrbes, oppida, campos, montes, valles, flumina, fontes, maria, plantas, arbores, siluas, atque alia magnitudine, ac numero propemodum infinita. Quis igitur credat, tot rerum tam diuersas naturas, colores, ac formas in vnius conuenire speciei productionem? At contra, si quis ea, quae su- E pra diximus de pluribus eiusdem visibilis partibus, vnam eandemque speciem producentibus, in memoriam reuocet, atque attentius perpendat, haud difficilè inueniet, non aliam esse rationem videndi res plures, ab ea, qua eiusdem rei plures videantur partes. Nam quòd partes vnitae sint, vel a se inuicem longè sepositae, nulla ratione species, quas producunt, immutat, vt infra magis explicabimus: idque verum est, cùm partium vnio non repraesentetur, nisi quantum interiacens corpus, simile repraesentatur, aut dissimile. Sed & nulla alia ratione oculo repraesentari potest distantia, quàm quod interia- A centia corpora ostenduntur, quae si minimè videantur, extrema coniungi existimabuntur. cuius rei exemplum vel vnum è multis, quae afferri potuissent, rem totam facilè confirmare poterit. Videmus enim plerumque Lunam, Venerem, Saturnum, & stellas alias firmamenti, quae omnes in eadem videntur esse superficie: ita vt nisi iudicium accederet rationis, diiudicari minimè posset, multò amplius errantes aliquas à fixis distare stellis, quàm a nobis errantes ipsas. cuius rei non alia potest assignari ratio, quam quòd interiacentia corpora, vtpote perspicua, minimè possint visum mouere, vt videantur. Et certè quamuis nulla alia suppete- B ret huius rei ratio, ab ea, quam quotidie experimur, sufficiens esse putaretur ad nostram sententiam confirmandam. coloribus namque artificiosè in plana, aut non plana superficie dispositis, ita visibilia omnia praedicto comprehensa cono imitantur pictores, vt fere iudicium ipsum rationis eludant: proponunt enim simul videndas caeli stellas, terras, montes, campos, valles, homines, maria, flumina, fontes, quod nulla ratione fieri posset, si res ipsas plures species repraesentarent, tabulae picturam, vna tantum species. Quod etiam exemplum ea confirmat, quae paulò superiùs dicebamus, oculum nimirum minimè discernere, an res di- C uersae, diuersiue colores rem vnam componant, an verò plures, quae alijs rebus interiacentibus a sese inuicem distent: cùm, vt dixi, in eadem tabula, maximè vniti sint colores, qui res longè à se dissitas mentiuntur. Fit etiam ex hac ratione perspicuum, cur species diuersarum rerum visum pariter mouentes, minimè confundantur, cum eadem sit plurium visibilium ratio, atque eiusdem visibilis plurium partium, quae, vt verè sunt, ita videntur, hae, verbi gratiae, dextrae, illae sinistrae, illae sursum, hae deorsum. Verùm haec explicanda sunt magis. Ecce enim, manu ducente nos ipsa ratiocinatione, quasi inopinato, & de repente incidimus in diffi- D cilem illam quaestionem, quam initio proponebamus. Eam verò intra huius extremi capitis angustias coarctandam minimè censuimus: quinimmo eam sequenti, cum alijs nonnullis ad visum spectantibus, explicare, Deo dante, statuimus.

QVOD NON sit vna, probatur

VNA ESSE probatur.

Inf. cap. seq.

RERVM DIstantia non cernitur, nisi interiacentia corpora cernantur.

STELLAE omnes quare in eadem esse videantur superficie, cùm longe à se inuicem distent.

SPECIES diuersarum rerum, quare non confundantur in oculo.

DE IIS QVAE VISVI ACCIDVNT.

Cap. VIII.

VISVM quare maxime diligamus.

VISVM maximè diligi ab hominibus, tradit Philosophus, & quod ad scientias maximè sit necessarius, & quod ea, quae visu cognoscimus, certò cognoscere arbitramur. Aristotelis haec sunt verba: Etenim remota vtilitate ipsi sensus per se cari sunt, is maxime, qui fit per oculos. Non enim vt agamus solum, sed nihil etiam acturi ipsum videre omnibus, vt ita dicam, alijs anteponimus. Causa autem est, quod hic sensus vnus ex omnibus maximam nobis rerum cognitionem afferat, multasque differentias ostendat haec ille. Ex quibus, maximè necessarium visum esse ad scientias inuestigandas, conficiunt Doctores, vtpote quem rerum quamplurimas formas, siue species menti referre cognoscant, quarum contemplatione, ac collatione scientiae putantur inuentae, auctae, magisque ac magis quotidie locupletatae. Negandum tamen non est, auditum ad perdiscendas, quae ab alijs inuentae sunt, scientias maximè esse necessarium. Confirmant etiam C praedictis verbis Aristotelis, visus iudicium maximè certum esse. nam dum maximam cognitionem afferre dixit, aliud indicare videtur voluisse, quam dum subdit, multas rerum differentias ostendere. illud enim ad perfectam cognitionem spectare videtur, hoc ad multiplicem. His vero minimè obstare videtur, quod tactu experiri quoque soleamus ea, de quorum certitudine visus iudicio non acquiescimus. Id quod significare voluisse Thomas videtur, qui de Christi resurrectione dubitans, ac certior fieri vulnerum experimento cupiens: *Nisi videro*, inquit, *in manibus eius fixuram clauorum*. Visui vero minùs fidens subiungit: *& mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*. Vtrumque verò benignissimus permisit Dominus, vt videret, ac tangeret. Quem locum explicans Augustinus, praedictam videtur confirmare sententiam: Suffecerat, inquit, ad fidem propriam vidisse quem nouerat, sed nobis operatus est, vt tangeret quem videbat: vt si fortè diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere, manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. Haec Sanctus Doctor. Sanctissimus verò Euangelista Ioannes, pari quoque ratione: *Quod audiuimus*, inquit, *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus*: Verùm non horum tantummodo sensuum testimonio contentus fuisse videtur, cum & tertium addat, subiungens: *& manus nostrae contrectauerunt de verbo vitae*.

Arist. 1. metaph. tex. 1.

VNVS visus maximam cognitionem, multasque rerum differentias ostendit.

VISVS, ET auditus quomodo ad scientias necessarij.

CERTVS visus, certior nonnumquam tactus.

Ioan. 20. ℣. 25.

S. Aug. serm. de temp. 161.

1. Ioan. 1. ℣. 1.

Quibus planè locis negari non potest, certiora haberi, vt verè sunt, quae visu, & tactu simul experimur, quàm quae visu tantum. Nam quae simul videmus, ac tangimus, & duplici ea sensu percipimus, & proprius experimur: at quae clausis oculis, aut non videntibus, manu contrectamus, nos saepiùs decipiunt, quàm quae visu propius contemplamur. Cuius rei exemplum suppe-

TACTVS etiam decipitur.

A ditat aptissimum in historia Genesis. Dubitans namque caecus Isaac, an filius, cuius vox, aliaeque coniecturae suadebant esse Iacobum, vere is esset, an quem asserebat Esau: *Accede huc*, inquit, *vt tangam te, fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non*. quo palpato, subdit sacer historicus: *Et non cognouit eum, quia pilosae manus similitudinem maioris expresserant*.

Gen. 27. ℣. 21. & 23.

Et quamuis haec ita sint, tamen nullus videtur sensuum tot patere deceptionibus, toties falli, tamque ab obiecti perceptione aberrare, quàm visus. Non enim cernimus res in rebus ipsis, neque vt verè sunt, sed vt per species repraesentantur, quas rem eandem aliter atque aliter repraeB sentare multiplici ex capite contingit. Primùm enim, si perspicuum, per quod a rebus ad visum deducuntur species, non sit eiusdem rationis, raritate potissimum, ac densitate species immutantur. Esse autem illud densitate par, videtur impossibile. Nam per aërem frequentius aspicimus, cuius varias dispositiones, etiam si nihil curemus, tamen pars oculi diaphana, per quam species deducuntur ad visionis instrumentum, quod ferè in oculi centro constituitur, densa magis est, quam aër, inter extremum oculum, & rem, quae videtur, existens. Quare refringi species necesse est, ad oculi ipsius ingressum. Refractio vero specierum, rem aliter, atque alio in C loco repraesentat. Vtriusque deceptionis perspicuùm proponitur in sole exemplum, quem maiorem apparere contingit in horizonte, quam in meridie, cum propius ad nos accedat, tota terrae semidiametro in meridie existens. Id verò accidere tradit Ioannes de Sacrobosco, propter crassiores terrae vapores interiacentes. quorum etiam causa solem citius a nobis videri contingit, quàm oriatur. Nam cum demonstratum sit, radios lucis, vel coloris, occurrente medio densiori, super cuius superficie perpendiculares, aut recti non sint, ad perpendicularem frangi, occursu verò subtilioris, a perpendiculari diuerti, vt species, rariori occurrente medio, rem maD iorem repraesentent: densiori occurrente, minorem, quàm repraesentarent, si medium vniuersum simile fuisset. Quae ratio diuersum facilè probat apparendi modum.

VISVS plurimis, ac maximis patet deceptionibus.

SPECIES aliter, atque aliter obiectum repraesentant.

REFRACTIO specierum visionem immutat.

Ioan. de Sacrobos. cap. 1. sphae. ibid. Clauius. Lib. 1. persp. com. prop. 15. & 16.

Quod verò ad locum spectat, propter refractionem alibi rem videri quam sit, ratione probandum est, & experimento. Nam cum species, vt diximus, rectà ferantur, oculusque ibi rem videre soleat, vbi recta linea ab oculo ad rem visam ducta terminatur, cum refracta specie rem aliquam videt, ibi eam videre putat, vbi radius ille, qui ad oculum pertinet, in directum ductus terminatur. Huius rei vel vnum sufficere poterit exemplum, cuius experimento quiuis facilè noE biscum sentire suadebitur. Fiunt aliquando perspicilla altera facie plana, altera verò, pluribus exstantibus ex angulis planis, aspera, quibus, si rem aliquam prospicias, toties vnam multiplicari videbis, quot sunt in vitro diuersae superficies: neque vnquam poteris digito rem veram contingere, quamuis singulas, quas vides imagines, coneris successiuè disquirere. cuius rei causam nullam aliam inuenies ab ea, quam paulo ante proposui. Addamus his etiam, quae in perspectiua communi demonstrata sunt: omnium radiorum super visum orientium vnum transire non fractum, esseque illum, qui ad rectos angulos in oculi incidit superficiem, transitque

REFRACTIO rem alibi repraesentat.

Persp. com. lib. 1. prop. 35

VNVS radius non fractus in quauis visione recipitur, & quis.

sitque per centra humorum omnium, & tunicarum oculi: hunc vero radium paulò superiùs visibilis coni axem nuncupari diximus. His constitutis perspecta erit ratio, propter quam illa visibilis pars, cuius species per eiusmodi coni axem oculo proponitur, perfectam efficiat visionem: reliquarum vero partium illae melius percipiantur, quae dictae lineae propinquiores sunt, quod minus à perpendiculari refringantur, illae vero partes confusae magis percipiantur, quò magis à dicta seiunguntur recta, quaeque magis refringuntur. Ex quo fit, vt velocissimo quodam motu oculus moueatur, dum rem aliquam, ac singulas eius partes certò cognoscere cupimus, vt cum, verbi gratia, legimus, quò lineam illam ad singulas scripturae partes, syllabas, aut litteras applicandam deferamus. Quae sane ratio Euclidem Mathematicum praestantissimum mouit, vt radios ab oculo emissos affirmare videatur, aliquo interuallo inter se distare, cum tamen contra etiam ipse Euclides sentiat. Nam cùm rem totam simul non videri confirmet, sequentia verba subiungit, quae, quid verum, ac certum sit, quidque ipse sentiat, planè demonstrant.

Eucl. postul. 2. optices.

QVARE radios visum mouentes à se inuicem distitos esse dicant Mathematici.

Ibid. prop. 1.

Totum, inquit, &c. non simul cernitur. existimatur autem totum simul cerni propter delatorum radiorum celeritatem. quae vtraque propositionis pars & vera est, & eam propositis exemplis explicare contendunt non pauci. Contingit enim non raro, vt deperditam acum, vel quid simile ante oculos habeamus, ac saepe saepius locum intuentes, in quo est, acum tamen non videamus, donec tandem visum figamus, atque acum ipsam linea illa, aut directo radio attingamus. Cuius rei ratio non alia poterit assignari, quàm quod, dum oculo rem illam paruam inquirimus, quam refractis radijs minime possemus percipere, oculum sensim moueamus, vt radius ille directus singulas attingat loci partes. At si duplicem visionem ad duo visibilis puncta simul delata esse fingamus, duo illi directi radij in oculi centro concurrent: quare, quo magis ab oculo recedent, eo magis à sese inuicem separabuntur, ideoque minimus oculi motus magnum percurret visibilis spatium, atque adeò animi attentio visioni necessaria, esse non potest ita continua, vt singulas percipiat interiacentes partes, quod, exemplo à nobis alibi allato, perspectum esse lectori facilè poterit. Hoc verò, quod continuo oculi motu contingit in perfecta partium visibilis comprehensione, ita considerauit Euclides, vt si plura visione vna comprehenderentur. Quod esse non potest, vt quotidiana docet experientia. nullus enim videre potest pari attentione, dum legit, primam, & vltimam lineae alicuius syllabam: ex quo fit, visum non radijs aliquo interuallo inter se distantibus fieri, sed delatione lineae illius, quae, quoniam per omnes spatij partes continuo motu ferri non potest, adhibita animi necessaria attentione ad omnes videndas, ideo perceptio singularum visibilis partium, non alia ratione fieri videtur, quàm si per radios à se inuicem distitos videretur.

QVARE totum obiectum simul non videatur.

PLVRA simul non videntur perfectè.

In Apparatu, parte 2. lib. 1. c. 6. prop. 11.

His igitur praetermissis, quae propter specierum refractionem visum decipere quodammodo solent, superest, vt ad alia veniamus, quae vsu quotidiano docente magis in promptu sunt, & cognitu faciliora. Contingit enim non raro, visum decipi circa rerum magnitudines, maiora, aequalia, vel minora iudicans, quae eiusmodi

VISVS decipitur in rerum magnitudine percipienda.

A non sunt, remotiora, propinquiora, ad dexteram declinare, aut ad sinistram, sursum esse, aut deorsum, quae ita non sunt. atque vt tandem omnia vno verbo concludam, decipitur planè sensus collatione rerum circa magnitudinem, figuram, locum, motum, & alia eius generis quamplurima. Omnis namque rerum collatio fit, collatione partium eius speciei, quae in visus instrumento semel, vt dixi, recipitur. Ac in primis ea omnia aequalia videntur, quorum species aequalem occupant instrumenti partem. & maiora videntur ea, quorum species maiorem complent instrumenti partem, minora, quae minorem. Quae sanè consideratio rationi maximè videtur consentanea.

QVOMODO rerum, quae videntur, collatio fiat.

B Nam cùm vnica visione illa tantummodo species visum moueat, quae totum complet oculi foramen, atque adeo totum etiam exaequet visus instrumentum, huiusmodi planè species haud aliter visum mouebit, si à re aliqua magna, vel parua, vna, vel multis producatur. modum enim repraesentandi non mutat, siue hac, siue illa ratione intelligatur producta.

Res vniuersa, cum illa, quam suprà magis explicandam esse polliciti sumus, proposito exemplo ob oculos mentis quodammodo proponetur. Contemplemur in primis conum illum visionis, quem supra explicauimus, &

Supr. cap. praeced. circa fin.

C in eius medio aptetur aeneus circulus, verbi gratia, moneta, ita vt coni axis per centrum transeat monetae, et insistens ad angulos rectos, & ita oculo sit proximus, vt circuli terminos coni terminis visus adaptet. quibus sic constitutis, nemo non videt, monetam aequalem prorsus videri rebus omnibus, quae antea videbantur. Quoniam, quorum extrema ita vndequaque conueniunt, vt vnum ab alio non excedatur, aequalia certè iudicabuntur. Hoc verò idem, quod de vniuersa visione diximus, de singulis quoque eius partibus iudicandam esse censemus. Si enim canis, & equus vna visione cernantur, ita vt species canis, sinistram,

QVOMODO moneta vna aequalis videatur visioni, qua caelum, terra, maria, aliaque quamplurima conspiciuntur.

D exempli gratia, instrumenti visionis partem occupet aequalem omnino ei, quam à dextris occupat species equi, quis neget, cani parem equum videri? praesertim cum canem, & equum liceat considerare ita disponi, vt eorum species eandem occupent coni partem, atque instrumenti. nam si conum perpendamus, quo equus in eadem distantia, qua erat prius, cernebatur, & canem in eadem etiam distantia eidem aptari cono imaginemur, equi pariter, & canis extrema conuenire iudicabuntur, atque adeò exaequari videbuntur: alias enim aequales instrumenti partes eorum species minimè occuparent, quod esset contra suppositum.

AEQVALIA videntur ea, quorum species parem occupant instrumenti partem.

Haec E verò omnia, quae de rebus minoribus, aequalibus, vel maioribus oculo apparentibus ad formarum in oculo receptarum quantitatem retulimus, ad angulos referre consueuerunt Mathematicorum more Perspectiui, maiora videri statuentes, quae maioribus cernuntur coni angulis, minora, quae minoribus, paria, quae paribus. quae & vera sunt, & ex ijs, quae diximus, confirmantur, sicut haec ab illis. Nam quò maior est, qui ad coni verticem fit, aut qui fieret, si extenderetur decurtati coni angulus, eo magis ab inuicem seiunguntur coni latera. quapropter in eadem à vertice distantia, maior erit basis eius coni, cuius maior est angulus, atque

Euclid. optic. postul. 5. 6. & 7.

QVAE PARibus, maioribus, minoribusve angulis cernuntur, paria, maiora, minorave videntur esse.

que

que ex opposito, quo maior est basis eiusdem altitudinis coni, eo maiorem esse necesse est coni angulum, vt mathematicis rationibus facilè demonstrari potest. Agimus enim de conis, quorum axis, vt diximus, basi perpendicularis est: quare si per axem ducta intelligatur plana superficies, ea vtique abscindet conum, & basim, atque in praedicta superficie triangulus describetur a communi sectione laterum, & basis coni cum ducta superficie qui quidem triangulus diuisus erit bifariam ab axe coni, quae perpendicularis erit basi trianguli. Iam verò si alterius visionis conus, ducta simili superficie, eiusque triangulus cum praedicto conferatur, quae de cono, eiusque basi diximus, vera vtique erunt in triangulis: nimirum vt quorum bases, & altitudines aequales erunt, anguli ad verticem sint [a] aequales. & quorum altitudines, & anguli ad verticem sunt aequales, bases quoque aequales erunt. prius enim latera aequalia esse probabuntur, ac mox bases. A sectione verò, & triangulo in plana superficie descripto, ad conos facilis est progressus. aequales enim planorum triangulorum bases aequales dant circulorum, qui bases sunt in conis, diametros, diametri verò aequales aequalium circulorum sunt, at coni angulos solidos aequales esse necesse est, quorum similes sectiones aequales dant angulos planos. eadem enim ratio est vnius, atque omnium possibilium sectionum. Verùm haec ad Mathematicos tantum spectant, quibus non est in praesentia mos gerendus, sed insinuandum tantummodo, ea, quae assumimus, demonstrari posse. Ex demonstratis igitur mox fit, vt, si ad idem oculi punctum conuenire ponamus omnes omnium visionum conos, sicut maximè fit probabile, facilè intelligamus, ex maiori, vel minori coni angulo, maiorem esse coni basim, vel minorem: hoc est, instrumenti visiui, vt basi maiori occupata, à cono parte, maiorem fieri angulum ad coni verticem.

Diximus hoc cap. in notat. vnus radius &c.

a 4. Primi Eucl.

Neque absimili omnino via reddendam esse rationem putamus eorum, quae radijs tribuit Euclides, sublimiora nimirum apparere ea, quae sublimioribus conspiciuntur radijs, depressiora quae depressioribus, dexteriora, quae dexterioribus, sinistriora tandem, quae sinistrioribus attinguntur radijs. Nam cùm paulo superiùs ostenderimus, rerum species in instrumento visionis susceptas repraesentare res ipsas, quarum sunt formae, nec tantùm eas, verum earum quoque dispositionem, magnitudinem, locum, & his similia, eaque omnia praestent iuxta modum quo in instrumento recipiuntur, fit vt, quod ad quattuor illos dispositionis modos, sursum, deorsum, dextri, ac sinistri spectat, non aliter res appareant, quàm vt in instrumento sunt dispositae species, nimirum superiora apparent ea, quorum species superiori manent loco, inferiora, quorum manent in inferiori, & sic de reliquis. Quae sanè specierum dispositio non aliunde prouenire censenda est, quàm ex praesentia obiecti, atque eius partium, quia videlicet vna recta linea, vel ad modum lineae quaedam magnitudo directa, speciem, & rem, cuius est species, attingit, vel refracta, si species refringatur in medio. atque huiusmodi lineas radios meritò vocat Euclides, quia lucis radijs sunt simillimae. Sed mirabitur fortasse quispiam, quid sit, quòd ex sex positionibus, quas natura rebus indidit, penes quas à philosophis considerantur omnia disponi, quattuor tan-

Eucl. optic. postul. 8. 9. 10 & 11.

QVO AD dexteram, sinistramue magis accedunt radij visiuum, eò magis ad eam partem accedere videntur res.

A tum expenderimus, hoc est, sursum, deorsum, dextrorsum, ac sinistrorsum, de reliquis, ante, & retro, nihil curauerimus. Verùm cum de visu egerimus, cui, quae retro sunt, perspecta esse non possunt, nisi reflectantur, cùm de reflexione nihil nobis agendum sit, neque de ea positione quidquam est differendum. Anteriora verò sunt omnia, quae videmus, atque inter ea, quae ante oculos nostros sunt, superiora, & inferiora, dexteriora quoque, & sinistriora consideramus: nam quae propriè supra nos sunt, aut infra nos, aut à dextris, aut sinistris, corpore nostro interiacente, non magis videri possunt, quàm ea, quae retro sunt, nisi aut refringantur, aut reflectantur. de
B quibus, vt saepe dixi, nihil attinet ad praesens institutum disputare. Ac tandem de rebus, quae rectè oculis ipsis obijciuntur, neque sursum, neque deorsum, neque ad dexteram declinant, neque ad sinistram, plura esse non possunt, atque adeo mutuò conferri nequeunt, sicut de alijs collatio facta nunc est.

QVAE RETRÒ sunt, recta visione videri non possunt.

Vt ergo, quò cupimus, tandem veniamus, de his, quae ante oculos sunt, ad calcem huius capitis consideranda sunt quaedam scitu iucunda non minùs, quàm cognitu facilia. Ex ijs igitur, quae supra oculos nostros sunt, quae remotiora sunt, videntur esse inferiora ex ijs, quae infra oculos sunt, quae remotiora sunt, videntur esse supe-
C riora: quae ad dexteram constituuntur, quò remotiora, eo magis ad sinistram accedere videntur; sicut è contrà, quae ad sinistram conspiciuntur, quo magis recedunt ab oculis, eò magis accedere videntur ad dexteram. Quae omnia accuratè demonstrat Euclides, id omne consimili visibilium radiorum dispositioni tribuens, quod verum est, facileque à lectore perspici potest, atque nostrae sententiae aptari. siquidem ita disponuntur in instrumento visionis species, vt eorum quae infra oculum sunt, quae remotiora sunt, superiori loco species producant in instrumento visus. id quod, si rectè imaginemur quas ducit Euclides lineas, facillimè demonstrabitur. Verùm
D hoc ipsum, quod proprium huius disputationis est, proposito exemplo explicandum est magis. Exemplum autem sit huiusmodi: Intra cubiculum constituti, in alterius ex breuioribus parietibus medio terga ponamus, & conum illum, quo suprà diximus vnam visionem contineri, imaginemur, atque eius coni axem in aduerso pariete figamus pauimento parallelam: & quidem is conus intra cubiculi tectum, pauimentum, dextrum, & sinistrum parietem terminabitur prope nos, quia, vt dixi, quae supra, aut infra nos, aut à lateribus nostris constituuntur, non videntur. quare quandam exigunt debitam distantiam, quae anteriora sunt, at-
E que à nobis videnda. Igitur, cùm iuxta ea, quae dicta sunt, nihil extra conum illum videatur, omnia, quae videnda sunt ea visione, intra conum illum videnda sunt. Notetur igitur in tecto, pauimento, ac muris eius coni terminus: & si per similes conos videri, quae videntur, imaginemur, conus, verbi gratia, palmi proximi dicto termino, per conum videbitur, qui est intra primum, atque adeo priori minor erit. quapropter eius partem superiorem deprimi necesse est, inferiorem eleuari, dextram, & sinistram ad medium accedere, atque adeo totum conum magis accedere ad axem, quàm primum: quapropter species earum rerum, quae per directionem huius secun-

QVAE SVPERIORA sunt oculis, quò magis ab oculo recedunt, eò magis descendere videntur.

Eucl. optic. prop. 10. 11. & 12.

di coni deferuntur ad instrumentum visionis, eandem, quam diximus, conorum dispositionem in eodem instrumento obseruabunt: ideoque visibilia, quae huiusmodi producunt species, non alia ratione apparere censenda sunt, quàm ea, qua species disponuntur in organo, nimirum sublimiorum remotiora descendere videbuntur, inferiora ascendere, & sic dextra, & sinistra ad medium appropinquare. Haec autem omnia, quae de cono vnius palmi cum priori cono collato dixi, pari quoque ratione de cono secundi palmi intelligenda sunt, respectu secundi coni, cui est totus interior, ac sic de reliquis. Quapropter quas videmus à perspectiuis formari figuras, omnes videmus ad quoddam punctum conuenire. sed haec magis sequenti capite explicanda sunt.

QVARE Perspectiuorum figurae ad vnum concurrant punctum.

DE AEDIFICIORVM IDEIS, AC PRIMVM DE *Ichnographia.* Cap. IX.

EXPOSITIS ijs, quae ad visum in vniuersum spectant, reliquum est, vt ea, qua ratione ad hanc nostram disputationem pertineant, iam declaremus. Et quoniam Salomonici templi imagines hoc libro explicare instituimus, quae ad tria genera reuocantur, Ichnographiam, Orthographiam, & Scenographiam, de his primùm, quid sint, & quomodo fiant, agendum esse necessario duximus. Perspectum igitur omnibus esse debet, aedificia nulla ratione fieri posse, quae dignitatem habeant, atque praestantiam, quin architectus primùm mente concipiat vniuersum aedificium, quod opere praestandum est, nec alia ratione concipiat ab ea, quam ipsum habere vult, & disponit aedificium. At cùm immensa propemodum aedificij moles non possit vniuersa simul ex aequo hominis intellectui repraesentari, necessarium esse existimandum est, illud temporis successione, ac per partes considerari. Ea verò partium vna consideratio minùs esse videtur sufficiens ad perficiendam cogitatione symmetriam, pulchritudinem, ordinem, proportionem, & alia, quae in totius, ac partium collatione consistunt. Quocirca necessarium fuit, ideas ipsas lineamentis efformare, vt manentes imagines saepius contueri, conferre, iudicare, ac tandem perficere possit. Sed quoniam vniuersum aedificium nulla ratione potest sub vnum aspectum proponi, sed neque vno, eodemque lineamentorum genere praesignari, multiplici illud fuit, ac pluribus eiusdem generis lineamentis efformandum. quae sane lineamenta cùm eiusmodi plerumque sint, quae in aedificijs ipsis non appareant, atque aliorum modus, & ratio ex alijs sit petenda, euenire plerumque, immo & ferè semper solet, vt, cùm huiusmodi aedificiorum figurae ijs proponantur, qui architecturae periti non sunt, inutiles omnino censeantur, vtpote quae, quas partes aedificij repraesentent, minimè indicare posse, huiusmodi prospectoribus videantur. Quae sanè res in eam me impulit sententiam, vt de singulis nonnulla di-

FVTVRVM aedificium mente concipiendum est prius.

QVARE aedificiorum ideae lineis efformandae sint.

NONNVLlae aedificiorum figurae, & ideae inutiles videntur imperitis, quae maxime sunt necessariae.

A cam, non quidem ea, quae architectos edocere posse putentur, sed ea tantummodo, quae ad percipiendas descriptiones, quas proponimus, sufficere iudicabuntur quibusque Theologi ipsi, & alij potissimum, qui studio sacrarum Scripturarum tenentur, ipsas templi, ac singularum eius partium ideas perspectas habere, & eas cum sacris historijs conferre, & conuenientes esse cognoscere, ac dijudicare possint: si tamen, quae proponimus, accuratè, ordineque legere non grauabuntur: eaque attenta mentis cogitatione perpendere. Vt igitur rem totam ordine perscrutemur, ideas quas mente conceperit architectus, si exterius lineis efformare voluerit, tri- B plici eas ratione poterit delineare, tot enim esse tradit Vitruuius dispositionis species, quae communi voce dicuntur ideae, Ichnographia, Orthographia, & Scenographia. De his verò non eodem, quo percensentur modo & ordine, agendum esse putaui; tum quod, quae propter plurium Scriptorum controuersias, ac disputationes magis dubia videntur esse, priùs explicanda videbantur: tum vel maxime, quòd ex Scenographiae explicatione multa pendent ad aliorum explicationem necessaria.

HAEC SI accurate legant Theologi, percipient.

Vitru. lib. 1. cap. 2.

Est igitur Scenographia, si Vitruuium audiamus, frontis, & laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus. At si eius- C dem interpretes audiamus, vix quidquam certi definiri posse putabimus. Vocem enim, eius notionem, ac singula propemodum definitionis verba adducunt in controuersiam. sunt enim qui, Sciographiam, legendum putent, non Scenographiam. Ego vero, quam ipsi Sciographiam scribunt, Graecè sic lego Σκιαγραφία Sciagraphia: eaque voce significari tradunt lexica adumbrationem, ductum, & inumbratam picturam, lineamenta, fallacem, inanemque rerum speciem repraesentantia. Est insuper huius vocis notio simillima voci, qua rem adumbratam significamus, cui merito Cicero non suis coloribus expressam opponit. Hanc verò vocem illi, D quam in omnibus ferè Vitruuianis codicibus legimus, substituendam esse arbitrantur, tum re ipsa idem suadente, tum Vitruuij definitione plane indicante, cum adumbratam frontis, ac laterum abscedentium imaginem ea voce significari tradat. Verum eos Scriptores, qui hanc sententiam tuentur, mirari non desino, vtpote Scenographiam ad opticen pertinere arbitrantes, cuius vsum minùs vtilem esse censent architecturae, & non vident, multò minùs vtilem fore adumbratae picturae rationem. illa enim omnes, ac singulas aedificij partes, terminos, proiecturas, ostia, porticus, ac reliqua expressis lineis, angulisque demonstrat, quamuis ad v- E num punctum, quasi ad circini centrum lineae respondeant omnes: at in adumbrata pictura vix terminos rerum aufugientes, vt dixi, & minùs apparentes visu consecteris acutissimo. Sed quamuis haec prior definitionis pars ad Sciagraphiam, hoc est, vmbrae descriptionem, sola adumbrationis voce respicere videatur, reliquae nulla ex parte ei poterunt adaptari. quas enim in adumbratis figuris lineas inuenies, quae ad circini conueniant centrum? quòd si haec pars Sciagraphiae non conuenit, nec tota definitio. quare subtilis haec vocum inuestigatio superuacanea censenda est, quamque non multum curasse Vitruuium putarem, quem rerum,

SCENOgraphia quid sit.

SCIAGRAphia quid.

ADVMBRAta pictura architecturae inutilis omnino.

non

SCENOGRAPHIAE NOTIO.

non vocum cura tenebat. Accedit his etiam ipsa vocis Σκηνογραφίας Scenographias notio, quam vno verbo scenae descriptionem, aut delineationem licet conuertere. Dicitur autem scena ea theatri pars, quae inter duo extrema protenditur. id videlicet omne, quod medium inspectanti theatrum vna visione apparet, quod nulla ratione lineis, aut etiam coloribus exprimi, aut fingi potest, quin optices habeatur ratio perspecta. Nam quod scriptoribus quibusdam visum est inconueniens, Scenographiam ad opticen pertinere, quae architectis minus apta iudicetur, nullum planè inconueniens adducit: praesertim cum non minùs Ichnographia, & Orthographia ad opticen pertineat, quàm Scenographia: quamuis alia optices ratio seruetur in hac quàm in illis, vt mox explicabimus. Quae planè sententia tunc esse poterit lectori perspecta, cum, quos vsus praestet architecturae Scenographia, ostenderimus. Quare & ex ea optices parte, quae ad praxim spectat, nonnulla sunt principia assumenda, quibus probare possimus, eum modum, quem in ideis Scenographia formandis tenere consueuerint architectorum periti, ad optices praecepta spectare, quamuis imperitorum vulgus nulla certa ratione ducatur, sed fallaci quadam, imperitorum plerumque, imitatione.

QVAE SIT perspectiua practica, quis eius finis.

Vt ergo propiùs ad rem accedamus, vniuersa, quae ad praxim spectat perspectiua, hac vna re continetur, vt det communem sectionem coni, quem diximus, vnius visionis, & plani propositi. Quoniam eius finis est, oculo rem aliquam conspiciente, lineas in data superficie ita disponere, vt earum species non aliter visum moueant, quàm rei propositae species mouebant. vel, quod idem est, idem prorsus putetur spectare oculus, lineas ductas in data superficie prospectans, atque rem ipsam in seipsa conspiciens. Quod fieri

POSSIBILE est, lineas in data superficie ductas rem aliquam ad visum repraesentare.

posse ex ijs probatum esse videtur, quae suprà à nobis tradita sunt. Nam rerum species tunc visum mouere diximus, cùm in visionis instrumento quanto recipiuntur species, eundem seruantes ordinem, eandemque rationem, seu proportionem, quam res ipsae, quarum sunt species, in seipsis seruant. Earum praeterea rerum species oculo praesentari confirmauimus, quae praesentes oculo sunt: res verò praesentes esse, ad quas ab oculo, vel à quibus ad oculum rectae lineae duci possunt, nisi propter medij diuersitatem refringantur. Ac tandem illud constituimus, quod maximè debet esse perspectum, rerum distantias minimè videri, speciesque haud alia ratione visum mouere consueuisse, si a distanti producantur obiecto, quàm si à proximo: nam quamuis hae accuratiùs, quàm illae visum moueant, & minutiores partes repraesentent, quas illae non possunt; tamen, cùm id pluribus alijs ex causis euenire pari ratione contingat, vt ex defectu potentiae, luminis, aut attentionis, vel ex crassiori medio, aut ex similibus, non potest visui innotescere id ex distantia obiecti, & non ex

DISTANTIAM rerum oculus non videt.

alia causa procedere. His igitur ob mentis oculos constitutis, si conum aliquem visionis consideremus, quo omnis species vnius visionis, vt dixi, continetur, si eiusmodi conus superficie quacumque secetur, atque eandem speciem, quae priùs ab obiecto producebatur, ab illa superficie produci intelligamus, eadem omnino visio fiet, cùm eadem sit species iuxta suppositum.

A Idem hac etiam ratione faciliùs fortè percipietur. Fingamus, species, quae intentionales sunt, reales esse, quaeque non modò repraesentare, sed & videri possint, ac seipsas exprimere, vbicumque secentur: & tunc perspectum omnino erit, visionem eandem fieri, absciffo, vt dixi, quacumque superficie cono, siue maneat obiectum, siue conseruentur in dicta superficie expressae species, obiectum repraesentantes. Tandem hoc ipsum mathematica ratione confirmari potest. nam si lineas rectas ductas intelligamus ab omnibus obiecti partibus, ad omnes partes instrumenti visionis, in quibus earum species recipiuntur; si inter obiectum, & visum quaelibet B superficies consideretur, ea vtique ab omnibus praedictis lineis secabitur, neque alia ratione visionis instrumentum contingent, quae ab obiecto per dictam superficiem ductae sunt lineae, quàm quae à superficie ad oculum vsque ducentur, si earum reliquae partes corrumpantur, eundemque prorsus dispositionis modum, & distantiae obseruabunt, siue hac, siue illa ratione considerentur: cùm, quod ad linearum terminos, qui in instrumento recipiuntur, spectat, extrinsecum omnino sit, si longiores ponamus lineas, omnes pariter, siue breuiores, siue alias breuiores, alias verò longiores. Ex quo fit, vt si quis praedictarum linearum in dicta superficie terC minos signaret, ita vt visum possent mouere, eandem visionem efficerent, quam eaedem lineae ab obiecto procedentes priùs efficiebant. Quod si dictos linearum terminos lineae coniungerent, illae non modò indiuisibiles visibilis terminos repraesentarent, sed & longitudine praeditos: lineas verò, ac puncta physica dicimus visibilia, non verò mathematica. Quae quidem lineae praedicta ratione ductae, si vmbris quoque distinguantur, rei, quae lineis repraesentatur, similibus, humanos oculos ita decipient, vt verae videantur, quod supra a nobis ostensum est.

QVOMODO sectio coni visionis eandem producat visionem, quam res ipsa, quae eiusmodi cono videretur.

PERSPECTIVAE ratio.

Huius, ni fallor, artis gloria ceteros excelluit Ephesinus Parrhasius, de quo sic Plinius D scribit: *Primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Haec est in pictura summa subtilitas. Corpora enim pingere, & media rerum, est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam tulerunt: extrema corporum facere, & desinentis picturae modum includere, rarum in successu artis inuenitur.* Hanc verò eximiam pingendi artem extremis corporum delineatis, graphidis artem meritò vocat ipse Plinius, de eodem vita functo haec subdens. *Alia multa graphidis vestigia extant in tabulis, ac membranis eius, ex quibus proficere dicuntur artifices.* Quae verba perperam explicata videntur fuisse à Barbaro, graphidis vestigia cum aedifiE ciorum vestigijs confundente, quae Ichnographiae dicuntur: nam ex his proficere facilè possunt architecti, non pictores, de quibus loquitur Plinius. Accedit, quod longè diuersa sunt aedificiorum vestigia, quae graphicè fiunt, à tabularum vestigijs, vel membranis, quae graphicè pictae sunt. Haec enim à Plinio recensentur: illarum nec meminit. Sed his praetermissis, quae ad Plinij spectant intelligentiam, magnam profectò laudem, iustamque gloriam Parrhasio non concessere modò, verùm etiam cum praeconio obtulerunt Antigonus, & Xenocrates, qui de pictura scripsere: siquidem ea picturae parte excelluit, quae praecipua est, & reliquarum origo, gra-

Plin. lib. 35. cap 10.

PERSPECTIVI celeberrimi.

PARRHASIUS graphidis peritissimus.

Hermol. Barbar. not. in Plin.

GRAPHIDIS peritia picturae origo.

phidis nimirum petitia, atque ea item graphidis parte, quae maxima est inter reliquas; quamque, cùm in aedificijs efformandis versatur, Scenographiam appellat Vitruuius, qui architectum esse oportere dixit graphidis non ignarum, quo faciliùs exemplaribus pictis, quam velit operis speciem deformare valeat.

Vitru. lib. 1. c. 1.

Quibus verbis graphidem quasi genus quoddam disciplinae proposuisse videtur, ad operum species deformandas necessarium, quod deinde in suas quasi species tribuit, Ichnographiam, Orthographiam, & Scenographiam. Hanc autem facultatem ab optices scientia seiunxisse videtur, cùm inter architecti scientias, opticem, & graphidem seorsum enumerauit, huic operum tribuens efformationes, illi verò luminum in aedificijs, ac certis regionibus ductus.

GRAPHIdem ab optice seiungit Vitruuius.

Quod, contra quàm à Vitruuio definitur, praestitum à nobis esse cuiquam fortasse videbitur, qui non aliam ob causam optices quasdam rationes percensuimus, quam vt graphidis descriptiones explicaremus. quod est huius libri institutum. Verùm, si res ipsa attentiùs perpendatur, hoc idem inter opticem, ac graphidis scientiam interesse comperietur, quod inter eam, verbi gratia, Geometriae partem, quae in perficiendo versatur intellectu, & eam, quae ad opera exsequenda dirigitur. hanc practicam, illam speculatiuam appellare consueuerunt Doctores.

Et quemadmodum Geometria, quae dicitur practica, intelligi plenè non potest, nisi propria speculatiuae tineatur principia: ita sanè vix certi quidpiam de graphide, practica optices parte definiri, aut percipi posse putandum est, quin aliqua assumantur optices, speculatiuae videlicet partis, principia, quae, si plenè sint à legente perspecta, perspicua planè erunt, quae de graphide, atque eius partibus diximus: at contra, si illa vel perspecta non fuerint, vel obliuione recesserint, haec omnia obscura satis, atque intellectu difficilia, ne dicam impossibilia, videbuntur.

CVR OPTIces principia tradiderimus.

His igitur sic in vniuersum constitutis, quid esse Scenographiam Vitruuius intelligat, cuilibet, vel me tacente, esse poterit in promptu, cùm, quas aedificij partes ea soleat repraesentare, proponat, nimirum frontes, ac latera, non vt Ichnographia vestigia tantum, aut, vt Orthographia, frontes solummodo, sed simul frontes, ac latera à frontibus abscedentia. Quae sanè frontis, ac laterum species non aliud indicare videtur, quàm quod vna visione percipimus. Itaque, si totum aedificium iam exstructum imaginemur, atque illud oculis immotis contueamur, frontis vtique, atque abscedentium laterum species instrumenta visus mouent; cuius quidem aedificij praesentia cono quodam, vt dixi, continetur, quem si aliqua plana superficie abscissum intelligas, verbi gratia, tabula, membrana, aut papyro, & vniuersorum aedificij terminorum lineas, aliqua reliquisse in superficie vestigia mag gineris, ea vtique ipsum aedificium oculo in eadem distantia constituto repraesentabunt, vt dixi, haud secus quàm ipsum sua specie aedificium oculo repraesentabatur.

SCENOgraphia quid repraesentet.

Ea verò tabulae figura Scenographia dicetur, quàm hoc vno distare à pictura cognosces, quod haec coloribus proprijs ipsas aedificij partes, lapides, verbi gratia, ligna, ferreos cancellos, atque alia format, Scenographia lineis, atque vmbris eiusdem omnino rationis diuersas plerunque aedificij partes re-

SECTIO coni vnius visionis Scenographia dicitur, differtque à pictura.

A praesentat. atque haec ratio est, propter quam adumbrationem eam vocauit Vitruuius, non quòd minus exactas imagines formet, vt solet adumbrata pictura. quippe quae exactissima est, & eximia minimatum etiam aedificij partium efformatrix.

QVARE dicatur adumbrata.

Quibus addendum censeo, non modo Scenographiam latera cum fronte adumbrare consueuisse, verum etiam cum eis pariter pauimentum plerumque, ac tectum, quorum non meminit Vitruuius, quòd ea viderentur Ichnographiae beneficio perpendenda.

Sunt insuper diligentius inuestiganda, quae Scenographiae accidunt, ijs haud dissimilia, quae visui accidere diximus, cui, quae à fronte **B** recedunt, si subliniora oculo sunt, depressiora videntur, si depressiora, subliniora apparent, & quae ad dextram recedunt, ad sinistram accedere videntur; sicut è contrà, quae in parte sinistra ab aedificij fronte recedunt, versus dextram ad medium appropinquare videntur: cumque species non alia ratione abscindantur à Scenographiae superficie, quàm qua ab oculi instrumento recipiuntur, fit vt in ipsa Scenographia abscedentia à fronte latera, pauimentum, ac tectum, quo magis à fronte recedunt, sibi mutuò appropinquent: vt, si eorum lineae extendantur, ad certum quoddam punctum conuenient, ac pyramidem quandam constituent, non quidem **C** eam, quae versus oculum tendit, ac visionem efficit, vt imperitum vulgus existimat, sed eam, quae ex aduerso constitui videtur, eò quòd superiora descendere, ascendere inferiora, dextra, ac sinistra sibi mutuò appropinquare videantur.

QVOMODO ad medium accedant lineae in Perspectiua.

Quae sanè Scenographiae ratio, & perspecta Vitruuio fuit, & eam disertis verbis indicare voluit, eius definitioni partem illam adiungens, *ad circinique centrum omnium linearum responsus*, hoc est, haud secus ad quoddam punctum coeunt lineae omnes, quam si ad circini centrum omnes, quas à circumferentia ad centrum ductas esse intelligeremus.

Sed posteaquam Vitruuij definitionem, at**D**que ipsam Scenographiae naturam satis superque explicasse videmur, ecce tibi, quasi ex aduerso sese nobis opponit eruditus quidam magnae auctoritatis hac nostra aetate Scriptor, quandam obijciens non parui momenti argumentationem, quia videlicet parum vtilis esse videtur hoc descriptionis genus architectis, operarijs verò nihil, qua ratione ductus, aliud quidpiam Scenographia, vel, vt ipse legit, Sciographia significari arbitratur. Eius verò argumentum duo videtur à nobis exigere. Primum, quos vsus architectis afferat Scenographia: secundum, quare huiusmodi, quam dicimus, Scenographia minùs videatur esse conueniens. & **E** vtrique dubitationi pariter responderi à me posse confido. Primum quidem facilè perspectum erit, si ea in memoriam reuocemus, propter quae diximus, architectum descriptionibus egere, nimirum, vt, exstantibus ideis, partes cum partibus, & eas cum vniuerso aedificio conferre possit. hoc igitur vna maximè potest praestare Scenographia. Nam, vt modò diximus, Ichnographia vestigia tantum pingit aedificij, Orthographia singulas erectas aedificij facies, latera cum frontibus repraesentare non potest: at verò Scenographia, pauimenta, frontes, latera, tecta, haud alia ratione pingit, quàm oculo repraesentarentur, cùm perfectum fuisset aedi-

QVOS VSVS afferat architectis Scenographia

set aedificium, omnibusque suis numeris absolutum, cuiusque forma non architectis modo, verùm alijs quoque expendendum, & quasi oculis conspiciendum, futurum aedificium proponat. Quod quantas, quamque praeclaras praestare possit fabricae vtilitates, omnibus vel me tacente perspectum erit, illis potissimùm, qui innumera damna experti sunt, quae afferre solet fabrica praecedens considerationem, siue maxima commoda, quae nascuntur ex eo, quòd, priusquam aedificetur, plene consideretur, atque expendatur. Quae quamuis non multis essent probata, quorum exemplo reliquis possent esse perspecta, saluberrimo tamen, ac sapientissimo Christi Domini consilio probarentur. Is enim cum sui sequelam maturè considerandam esse suaderet, id sese ad fabricae alicuius aedificationem accingentis exemplo confirmat, dicens: *Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non priùs sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum*. Non temere quisquam turrim aedificandam aggreditur, sed etiam atque etiam considerat, num possit necessarijs sumptibus sufficere. id quod illis potissimùm verbis significare videtur Dominus, *sedens computat sumptus*, hoc est, seriò, ex otio, prudenti consilio: sedentes enim cogitamus, quae praedicta ratione considerauimus. Eius rei praeclarum exstat apud Iob exemplum. nam vbi nos legimus: *Respondete, obsecro, absque contentione, & loquentes id quod iustum est iudicate*. Septuaginta legunt: Sedete obsecro, & non sit iniustum. & rursum: iusto adestote. vbi Olympiodorus, & Polychronius existimant, perinde esse, illos sedere praecepisse, ac si apertè dixisset, vos ipsos meorum verborum iudices constituo, cùm iudices sedentes iudicent. Dydimus verò sedentis animum curis vacuum, attentumque, & inquirendae veritatis cupidum sedendi voce significari, existimat: & vtrumque praestare solitum eum, qui aedificium suscipit peragendum, indicat Dominus, subdens: *Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei dicentes: quia hic homo coepit aedificare, & non potuit consummare*. Dedecori confirmat, tribuendum esse propemodum sempiterno, ab incepto opere desistere, prudentiae, ac sumptuum penuria. At quis non videat, sumptus nulla ratione computari posse eius aedificij, cuius magnitudo, forma, materia, dispositio perspecta non sit, ac satis cognita? Quòd si totius aedificij ratio priùs pensanda est, deinde sumptus, ac tandem operi manus admouenda, ea profectò dispositionis pars, quae Scenographia dicitur, & maximè conducere potest ad fabricae rationem praemeditandam, maximè necessaria iudicanda erit architecto. Sed ne diutiùs in hac re confirmanda immorer, planè profiteor, me vel nullo negotio omnibus tum aedificiorum dominis, tum vero maximè ipsis architectis necessariam esse Scenographiam: idque vniuersis suadere me posse considerem, nisi tantum exigeret Scenographia industriae, artis, operae, quantum satis esse videatur, ad doctissimos quosque, & studiosos viros ab eius exercitatione deterrendos. Nam & ego ipse, qui bonam aetatis meae partem huic operi perficiendo, nullis parcens laboribus, sumptibus, operis, expendi, ab initio hoc vno desiderio tenebar, inter tot

Luc. 14. ℣. 28.

Iob. 6. ℣. 29.

Lucae 14. ℣. 29. & 30.

SCENOgraphiae difficultas.

Explan. Tom. 2. Par. 2.

A templi descriptiones, quas profero, vnam vniuersi aedificij proponere Scenographiam, eam saepe conatus sum exequi, saepius ipsa rei difficultate, ac temporis, quod exigebat, longitudine victus, ab incepto destiti. sed qui totius templi Scenographiam exhibere non potui, nobilissimae, atque praecipuae eius partis, nempe sancti sanctorum, ecce exhibeo, cum huiusmodi inscriptione.

PROSPECTVS TESTVDINIS MVRORVM ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM ATQVE ARCAE TESTAMENTI CVM CHERVBINIS.

In qua aptissimum eorum, quae diximus, licebit B aspicere exemplum. Si quis enim locum ingressus, qui dicitur, Sanctum, sublatoque muro, sanctum à sanctosanctorum diuidente, ipsum sanctum sanctorum vno intuitu prospiceret, is absque dubio muros tres, fornicem, ac pauimentum, inque eius medio arcam cum suis Cherubinis ex auro, Moyse praecipiente, diductos, atque pauimento insistentes, alios duos, quos Salomon è ligno factos laminis operuit aureis necnon reliquos muris adpactos, & interpositas palmas, cum reliquis aureis, gemmatisque ornamentis, de quibus suis locis agemus. quae omnia non alia ratione, si ex eodem loco aspiceret, videre sibi videretur, quàm in dicta apparent C Scenographia. Non tamen diffido, posse me, quamuis hac prima editione non possim, si Deo dante vita superstes fuerit, & totius templi Scenographiam operis huius supremam manum apponere. Sed ad institutum redeuntes, supererat iam tandem, vt rationem redderemus, propter quam minùs vtilis videatur architectis Scenographia: sed quoniam haec eadem ratio alias ab hac longè diuersas optices rationes, Ichnographiam videlicet, & Orthographiam adinuenire coegit, inuentisque frequentius vti, eas sequenti capite vtilius tractandas putaui.

SCENOgraphiae exemplum.

D

DE RELIQVIS AEDIFICIORVM IDEIS,

Ichnographia, & Orthographia in vniuersum.

Cap. X.

E ARCHITECTI munus esse dixit Plato: incumbere, operarijsque singulis operam accommodam mandare, quousque quod est imperatum absoluerint. Cui sanè muneri vix, ac ne vix quidem poterit satisfacere, qui duo alia, quae his maximè sunt necessaria, minimè praeterierit. Primum, vt futurum opus mente concipiat, perspectumque maximè habeat: deinde, vt eam ipsam, quam mente concepit, operis ideam ob oculos ponat artificum, ita, vt illi quoque architecti mentem plenè, ac perfectè assequantur.

Plato allatus c. 1. huius lib.

DVPLEX architecti munus.

Qua enim ratione exequi poterit artifex architecti mentem, quam non assequitur, aut quomodo imperabit architectus, quod nondum cognitum habet, neque perspectum? Atque hoc est, si finem attendas, praecipuum, ac maximum architecti munus: idemque, si ipsius scientiae dignitatem spectes, ad nobilissimam partem spectat, quae architectum perficit, eique imperandi facultatem tribuit, ac potestatem. Igitur, vt architectus hoc suo munere fungatur strenuè, ordinandae sunt ei quantitates, adhibita symmetria, dispositione, eurythmia, decore, ac distributione, quae sunt architecturae partes, quas minimè poterit in fabrica, quam architectatur, obseruare, nisi aedificium exprimat, vt saepius B dixi. Atque vt eius eurythmiam & distributionem obseruet, aspectuique, atque oculis iudicandam proponat, aptissima est ea, quam diximus, Scenographia. quae verò ad symmetriam spectant, quae in partium, ac totius commensuratione consistit, non facilè in Scenographia perfici possunt. nam, vt supra diximus, abscedentium laterum lineae ad vnum conueniunt punctum, haud secùs quam ad circuli centrum a circumferentia ductae lineae: ex quo fit, vt earum terum, quarum pares sunt altitudines, atque adeo lineis comprehensae sunt parallelis, in Scenographia lineis comprehendantur conuenientibus, & aliae alijs sint maiores, quae C videlicet magis à concursu distant, aliae verò alijs minores, quae nimirum magis ad concursum accedunt.

QVO DIFferant sine Scenographia ab Orthographia, & Ichnographia.

Et quamuis huiusmodi membrorum aequalium disparitas, quae notissima esse debet architecto, incommodi parum afferre posset, illis tamen, quorum opera, & artificio in exequendo opere vti deberet, nocere posse plurimum credebatur. Id enim omne, quod, aliquibus partibus perspectis, de alijs, quae non ita perfectè apparerent, consequi ratiocinatione potuisset architectus, nec minima quidem ex parte assequeretur artifex. quapropter alia fuit excogitanda graphidis ratio, quae omnes, ac D singulas ita proponeret aedificij partes, vt quaelibet earum commensurari cum tota fabrica posset. huiusmodi autem fuit partim Ichnographia, partim Orthographia, de quibus agendum nobis est hoc capite potissimum.

SCENOgraphia, quae vtilis est architecto, operarijs minus esse videtur proficua.

Illud verò in primis exponendum est, quod tamquam certum assumpsi, mensurari oportere fabricam, cuius proponuntur imagines, si tamen opus perficiendum sit. Id quod non modò quotidie omnium aedificantium experimentis comprobatur assiduis, & architectorum omnium placitis, verum etiam sacrae Scripturae testimonijs confirmatur luculentissimis. Nam E cùm Ezechieli praecepisset Dominus *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum*, vtique exstruendum, si erubesceret ab iniquitatibus suis, mox subdit: *& metiantur fabricam*. Hebraicè תכנית thachenith, exemplar. Figuram domus mensurandam tradere praecipitur. Igitur vt fabricae futurae mensurabiles ideae fierent, noua vti opus fuit optices ratione, ea nimirum, quae parallelis vniuersa contineretur lineis, non verò ad aliquod punctum conuenientibus, vt accidit in Scenographia. Cuius rei modus non alia ratione explicari faciliùs potest, quàm vmbrarum, ac lucis exemplo. Duplicem enim esse lucis, & opaci, atque adeo vmbrarum comA parationem diximus: alteram minoris inaequalitatis, quando videlicet lux est vmbroso minor, & vmbra in pyramidem maiorem semper excrescit: aut maioris inaequalitatis, quando lux est vmbroso maior, & vmbra semper in pyramidem decrescit. Alteram verò collationem aequalitatis esse ostendimus, quando nimirum lux est vmbroso par, & vmbra semper aequalis procedit, lineis contenta parallelis. Ad eundem vtique comparandi modum, duplicem quoque esse videndi rationem licet considerare, quod ad ideas formandas spectat: alteram, quae communis est, ac naturalis, qua visus minor est re visa: alteram vero, quae luminis exemB plo fingitur, cum oculus aequalis esse ponitur rei visae, & id, quo visiuae species continentur, aut cylindrus est, si res, quae videtur, sphaera sit, aut circulus, oculo parallelus: aut parallelepipedum, aut alia quaeuis solida figura, constans parallelis, iuxta rei, quae videtur, modum, & oculi formam, qui similis figurae, & omnino par ipsi rei visae fingitur, eiusque fronti parallelus. Atqui Scenographia priorem visionis modum exigit, Ichnographia verò, & Orthographia posteriorem. In eo verò Ichnographia, & Orthographia similes omnino sunt Scenographiae, quod sicut haec communi sectione fit plani, & coni rei visae, sic etiam OrthograC phia, & Ichnographia sectione fiunt dati plani, & illius cylindri parallelepipedi, aut cuiuslibet figurae parallelae, qua effictam illam visionem contineri diximus.

Ezech. 43. ŷ. 11.

QVONIAM Scenographia mensurari non potest, noua adhibenda fuit optices ratio.

QVO PERspectiuae genere Ichnographia formetur, & Orthographia.

Est tamen in hac ipsa sectione cylindri aliquid Ichnographiae, & Orthographiae proprium. semper enim fieri intelligitur plano ad angulos rectos ipsi parallelae figurae constituto, contra quàm in Scenographia euenire diximus. in qua visionis conum plano quocumque secari fingimus, & ad quoscumque angulos constituto. Hinc mox fit, vt ea omnia, quae visui sunt parallela, in Orthographia, & Ichnographia aequalia formentur omnino ipsis aedificij memD bris, & eandem rationem secum inuicem habentia. quod ex sectione oritur figurae parallelae, vt suprà demonstrauimus.

SECTIO parallelae figurae, qua visio continetur, in Orthographia & Ichnographia ad rectos fit angulos.

Sup. c. 6. huius.

Est & aliud quoque considerandum, in quo cum Scenographia pariter conueniunt Orthographia, & Ichnographia, quod nihil videre possunt praeter ea, quae oculo sunt praesentia: praesentia autem oculo dicenda sunt ea, ad quae ab oculo rectae duci possunt lineae. Hoc vero quod vniuersale, & omnibus commune est, propria quaedam accidentia in Orthographia, & Ichnographia sortitur, quae explicanda scorsum videbuntur. Ac primum quae ad Orthographiam spectant, in qua aedificium E licet considerare perfectum, & oculum ipsi parem, ex aduerso in directum constitui: ex quo mox fit, vt ipsa tantum frons aedificij oculo obiecta conspiciatur, & ex lateribus abscedentibus nihil. Quod quidem proposito exemplo esse poterit cuiuis in promptu. Nam si imaginemur vnam ab oculo huiusmodi conspici ipsi oculo parem columnam, cui in directum plures aliae aequales columnae constitutae sint, prior vtique praedicta columna videbitur, reliquarum nulla. Ductis enim binis planis, omnes illas columnas tangentibus, ipsa quoque plana si extendantur, oculum contingent, vtpote ipsis columnis aequalem, & in directum constitutum.

MEMBRA aedificij in Orthographia & Ichnographia paria fiunt ipsis aedificij membris, & eandem proportionem habentia.


EX LATERIbus abscedentibus nihil videtur in Orthographia, quod non sit oculo praesens.

tutum. quapropter ea quoque plana visionem A vniuersam terminabunt. atque adeò prior columna, vtpote opaca, totam visionem complebit, & nulla praeterea alia videbitur columna. Hoc igitur, quod de columnis dixi, de portis, fenestris, muris, ac quibusuis aedificij partibus intelligendum est, quarum prior tantummodo videbitur, reliquae omnes illi aequales, & in directum constitutae non videntur. ex quo fit, vt cùm è multis ordine dispositis in aedificio aequalibus membris, ac partibus, ea tantummodo ostendatur in Orthographia, quae anterior est, haud secus, quàm si ea tantùm esset exstruenda in futuro aedificio, necessarium fuit, ichnographiam excogitare, quae singulas partes suis B quasque locis constitutas ostenderet, vt mox videbimus.

ICHNOgraphia cur sit inuenta.

Ex ijs verò, quae paulo superiùs de orthographia, & ichnographia diximus in vniuersum, ijs tum rerum ideas ostendi ipsis rebus, quae videntur, aequales, idque propter sectionem, quam diximus, parallelae figurae ad angulos rectos, aliquid sequitur, quod est orthographiae proprium. nam cùm ea aedificij frontem, siue faciem repraesentet oculo ipsi aedificio magnitudine pari, iuxta diuersam aedificij rationem fit, vt aliquae aedificij partes in orthographia repraesententur, ipsis, quae in aedificio sunt exstructae, vel exstruendae, aequales, aliquae verò minores, nullae maiores. Horum omnium ratio, proposito exemplo, perspecta esse cuiuis poterit. Sit enim aedificium A B C D, exangulum, sex constans columnis A, B, C, D, &c paribus seiunctis intercolumnijs. Iam, si eius facies A B, conspiciatur, vt dixi, cùm visio per parallelas fiat ad angulos rectos sectas, apparebit vtique intercolumnium A B, ipsi aedificij consimili intercolumnio par: at intercolumnium B C, quamuis sit aequale ipsi intercolumnio A B, non apparet illi aequale, sed quanta est distantia C E, ducta nimirum parallela B D, iuxta quam fit visio, & illi perpendiculari C E, iuxta quam fit sectio. Cumque nulla possit duci ad parallelas perpendicularis, quae maior sit ipsa distantia columnarum, quae penes perpendiculares pensatur, fit, vt nullum intercolumnium maius appareat eo, quod verè est, vel futurum est in aedificio, quod & in omnibus alijs licet obseruare. nobis enim summa tantummodo capita insinuanda sunt, quibus totum huius scientiae corpus innititur, vel continetur.

IN ORTHOgraphia aliqua veris apparent rebus aequalia, alia minora, nulla maiora.



QVAE SINT
ORTHOGRAPHIAE PROPRIA.
Cap. XI.

Vt igitur ad explicanda aliqua de Orthographia propiùs accedamus, illud in primis animaduertendum in vniuersum est, quòd non semel Vitruuius suis adiunxit definitionibus, quodque non semel ab expositoribus vel explicatum est, vel insinuatum, vel in dubium saltem reuocatum, vt ab alijs exquireretur, nisi fortè rem, vt perspicuam, silentio praetermittendam duxerunt: quam non parum rei percipiendae conducere posse putaui, si plenè percipiatur. Est autem quod inquirimus, quid voce saepius repetita, modica, & modice significare voluerit. Nam ordinationem sic definit: Est, inquiens, modica membrorum operis commoditas. Et iterum: Ichnographia est, inquit, circini, regulaeque modice continens vsus. Ac tandem: Orthographia autem est, ait, recta frontis imago, modiceque picta rationibus operis futuri figura. Quid autem ea voce prioribus locis C significare voluerit, hoc extremo disertis verbis explicare videtur, modicè pictam fore testatus figuram, quae futuri operis rationibus, vel proportionibus sit efformata. Idque propterea maximè notandum toties duxit Vitruuius, quod non modo minus vtiles forent aedificij figurae, si pares omnino ipsi aedificio formarentur; sed quod ferè essent impossibiles. Quare necessarium omnino videbatur, vt modici aedificij ideam conciperet in primis architectus, quod esset maximi futuri aedificij velut exemplar, cuiusque membra, iuxta operis commoditatem, proportionemve ordinarentur, & firmitatem: Atque huius quidem modici aedificij vestigium D Ichnographia dicitur, erecta frons Orthographia; ideoque modicè depicta dicitur, & modica commoditas. Sed idipsum quare de Scenographia non dixerit, exponendum est, quo, quid Scenographiae nomine significare voluerit Vitruuius, iterum confirmemus. Nam si quod Daniel Barbarus significari Scenographia putat, significaretur, nimirum quod vulgo Italis dicitur *profilum*, non minus addenda esset vox, modica, quam reliquis: eiusdem enim modici aedificij murorum crassitudines, membrorum proiecturas, recessus, ac partes indicat ipsa haud secus, quam Orthographia frontem, & Ichnographia vestigium. Id quod propositis binis exem- E plis fieri potest lectori manifestum. Inter ideas enim templi alteram proponimus, quae domum Dei, eiusque interiores partes ostendit, cum hac inscriptione. SECTIO MVRORVM TESTVDINIS, ATQVE CENACVLI AVLAE SANCTAE OSTENDENS FACIEM SANCTI SANCTORVM. Quam quilibet obseruare poterit, cubitorum mensura aequalem esse faciei orientali, & occidentali prospectui, nec non lateri ipsius domus, ac triplici vestigio, quae simul proponuntur. Alteram verò vniuersi templi ideam proponimus cum hac inscriptione: DISSECTI TEMPLI SALOMONIS ORTHOGRAPHIA OSTENDENS INTE-

QVARE vox, modice, addatur definitionibus idearum.

MINVS vtiles, atque impossibiles forent aedificio pares ideae.

Dan. Barb. sup. Vitru.

NON EST Scenographia quod Itali dicunt profilo.

INTERIORA PORTICVVM, ET ORIENTALEM SANCTVARII FACIEM, NEC NON TERNOS EIVSDEM FACIEI, ET ATRII INTERIORIS, ATQVE EXTERIORIS ORDINES, BINOSQVE ATRII GENTIVM. Quam quidem ideam, vniuersali ipsius templi Orthographiae, vniuersalibusque vestigijs aequalem esse, non modò cuilibet conferenti perspectum est, verùm etiam ibidem est annotatum. quod nulla ratione fieret, nisi eiusdem aedificij dissecti haec esset imago, cuius est integri Orthographia. quapropter quamuis haec pingendi interioris aedificij ratio difficilior multò sit exteriore Orthographia, id quidem non ex ipsa pingendi, vel efformandi B scientia pronenit, sed ex eo, quod difficiliùs ab architecto concipiuntur eiusmodi membrorum, ac singularum aedificij partium sectiones, quas sola imaginatione, atque intellectu conspicere licet, oculis ferè numquam. Quapropter hanc etiam aedificij pingendi rationem ad Orthographiam reuocandam duxi, à qua non alia ratione differt, quàm quod haec integri, atque perfecti aedificij frontem repraesentat, illa verò vel omnino, vel aliqua ex parte resecti, vt & in ipsa nostra vniuersali Orthographia videre licet, in qua murum, & porticum orientalem vniuersam sustulimus, quae muri atrij Israel prospectum impedire posset. Longe vero diuersa ratio est de Scenographia reddenda: nam cùm ea, vt diximus, conum abscindat visionis, quae oculo ferè minimo fit, & re visa quàm maxima, sectio vtique minor semper ac minor fieri poterit, quò propius ad oculum, conum abscìderit: ex quo fit, vt si vel ipsum aedificium in propria magnitudine conspiceretur, eius Scenographia pingi potuerit quacumque ratione modica: quapropter non fuit ea proprietas aedificij pingendi exigenda. Fuit autem in Orthographia, & Ichnographia id necessariò exprimendum, quoniam, vt dixi, sectio parallelae ferè semper sit ipsi aedificio, quod videtur, par. quam quia oportuit modicam ad vsum facere, exprimendum necessario fuit, modici aedificij deformationem esse debere.

QVARE difficilius sit secti aedificij quam integri Orthographiam pingere.

IN SCENOgraphia non est quod modicum imitemur aedificium, sed verum.

Sed quoniam in hanc incidimus disputationem, qua maximas figuras difficiliùs comparari, ac minus vtiles esse diximus aedificatoribus, reddenda hic obiter ratio videtur, propter quam nos omnes eiusdem aedificij formas aequales non adhibuerimus, sed alias alijs maiores, minores alias. Quod vt praestemus, primum statuendum est, huius aedificij tam immensi figuras ipsi aedificio pares efficere, neque operaepretium esse, neque possibile. Quapropter modici cuiusdam aedificij ideas oportuit praestare, quod ad illud maximum eandem in omnibus partibus seruet rationem. Huius porrò modici aedificij, cum omnes partes vna formari non possint imagine, vt neque vna possunt visione comprehendi, ita oportuit omnia foliorum papyri magnitudini attemperare, vt quò plures aedificij partes simul essent formandae, eò breuioris mensurae aedificium illud modicum fingeretur, vt in vtraque vniuersali Orthographia videre est: at cum pauciores pares sunt exprimendae, vt cùm domus tantummodo sanctuarij fuit efformanda, maius aedificium effinximus, quod quomodo fiat, post pauca explicabitur, atque singularum descriptionum A numerus, ratioque reddetur. priùs tamen de Ichnographia in vniuersum aliqua exponenda sunt.

CVR NON omnes descriptiones nostrae aequales sint.

QVID PRAESTET ARCHITECTIS ICHNOGRAphia, & quomodo fiat.

Cap. XII.

EST quidem Ichnographia Graeca vox, ab ἴχνος deducta, quod est vestigium, & γραφία, quod est delineatio, descriptio: quasi dicas, vestigij delineatio. Et quamuis haec vna vox rem ipsam ita significet, vt nulla Latina satis explicari posse videatur, eam tamen auersantur nonnulli, superstitiosa quadam Latini sermonis obseruatione, quem non esse putant peregrinarum vocum mixtione foedandum: cùm contra illis eueniat, vt, quòd proprijs C vocibus careant, & ab alienis abstineant, rebus ipsis, quas cuperent, explicandis non sint, ac ne, plerumque percipiendis. Sed quamuis eorum ratio minimè probanda videatur, illis tamen morem esse gerendum duxi, illud vnum maximè veritus, ne viderer, illam ipsam percipiendi templi difficultatem peregrinarum vocum augere velle difficultate. Quapropter VESTIGIVM vbique in nostris imaginibus pro Ichnographia scribimus, hoc vno voces has ab inuicem distare professi, quod Latina, vestigium, id referat, quod repraesentatur, Ichnographia idem ipsum significet, & illud insuper quod repraesentat, nimirum descriptionem, vel D delineationem. Haec autem delineatio consimili planè voce, atque notione Italis, Hispanisque *planta* dicitur, idemque significat, quod Latinis, pedis planta, qua vestigium terrae imprimitur. vestigium porro simile est omnino, & aequale plantae, cuius est vestigium. Qua plane notione vel maxima ex parte indicari videtur, quid sit Ichnographia: nam si fingamus modicum aliquod aedificium super plana aliqua superficie ita constitui, vt quas premit partes, etiam signet, quae, sublato aedificio, manerent in superficie signa, ea propriè vestigium aedificij Latinis, Ichnographia Graecis, planta Hispanis, Italisque, ac Gallis diceretur, quasi plana, E vt auctor est Philander. Quae sanè figura haud dissimilis esset ei, quae maneret, deambulante homine, si super candido marmore plano plantas haberet rubrica infectas. Ex quo mox contemplari licet, muros rectos, ac pares, lineis parallelis signari, in portis verò murum abscindi, teretes columnas circulis, semicolumnas semicirculis, antas exstantibus lineis extra murum, pilas quadratis figuris repraesentari, & sic de reliquis. Quae omnes figurae quoniam vix, ac ne vix quidem dirigi, aut circumagi, vel exaequari possunt, sine circino, ac regula, ideo horum instrumentorum meminit in eius definitione Vitruuius, quod contineat circini, ac regulae

ICHNOgraphia vnde dicta.

VESTIGIVM ab Ichnographia in quo diuersum sit.

VESTIGIVM & planta.

Philan in not. c. 2. Vitruu.

EXPLICAtur definitio Ichnographiae.

gulae

gulae vsus, idque non in maximi aedificij deformatione, sed modici: quoniam ex Ichnographiae modica delineatione capiuntur formarum in solis atearum descriptiones. Quia nimirum, iuxta Ichnographiae significationes, in solo, vel plana superficie pauimenti formantur exstruendi aedificij prima delineamenta. Atque, vt hoc etiam obiter dicamus, haec ferè potissima causa est, propter quam aedificiorum Ichnographiae difficilius, quam Orthographiae ab ijs, qui architecti non sunt, percipiantur: immo vero nulla ratione cognoscantur, quoniam erectas aedificiorum frontes, quas refert Orthographia, frequenter respiciunt, qui architecti sunt, & ij, qui architecturae sunt ignari. at aedificiorum vestigia architecti tantummodo vident, idque semel, cùm lineae ducuntur in areis, ad dirigenda totius aedificij fundamenta. Atque illud in primis, maximeque obseruandum est à lectore, si aedificium hoc, quale, quantumque fuerit, percipere cupiat, vt vestigia eius, siue Ichnographias perpendat attentius, & plenè concipiat, ac singulas propemodum vestigij lineas, quid ex ipso aedificio repraesentent, & quare partes aliquae quasi adumbrentur, aliae lineis ductis tantummodo designentur, perpendat, meditetur, intelligat. Huius verò rei ratio tunc esse perspecta lectori poterit, cùm ipsam Ichnographiam ad optices praecepta reuocauerimus, cuius non minus principijs innititur, quàm ipsa Orthographia, aut Scenographia.

QVARE difficilius Ichnographiae, quàm Orthographiae percipiantur.

ICHNOgraphia opticis praeceptis efficitur.

Est autem, vt dixi, Ichnographia modica vestigij descriptio, vel, quod idem est, quae vestigium describit modici aedificij, quod oculo conspicitur ipsi aedificio pari, vel, vt ad proprium eam genus reuocemus, est quidem Ichnographia communis sectio plani pauimento paralleli, & visionis parallelae, qua aedificium è sublimi despicitur. Huius autem definitionis ratio, & Ichnographiae natura, proposito lucis exemplo erit perspicua. Nam si modicum aliquod aedificium super tabula, vel pauimento plano constituamus, à & luminoso quodam ipsi aedificio aequali, eique ad perpendiculum superposito illuminari faciamus, vmbra vtique parallela vniuersos aedificij terminos in pauimento notabit. quos si manere facias, & illuminatas pauimenti partes ab vmbrosis aliqua ratione seiungi, sublato vtique aedificio, eius Ichnographiam in pauimento descripseris: quia nimirum vmbra illa aedificij parallela, pauimento secatur ipsi vmbrae ad rectos angulos constituto, quae sunt huius visionis, ac perspectiuae propria. Est tamen ad plenam Ichnographiae cognitionem aliquid insuper considerandum. Quod, cùm luci sit proprium, extremis tantum corporum terminari, quae maximè procurrunt aedificij partes, prædicta ratione signarae erunt. atqui ad architectum spectat, non eas describere tantummodo, sed & illas potissimè, quae ad perpendiculum eriguntur, cuiusmodi sunt muri, parastades, columnae, & quae his sunt similes. Quapropter, sublatis ex ipso modico aedificio omnibus, quae extra perpendiculum procurrunt ornamentis, praedicta ratione delineanda est Ichnographia, & partes illae, quae muris, columnis, pilis, reliquisque eiusmodi solidis aedificij membris operiuntur, adumbrandae sunt: deinde verò, si opus fuerit, adijciendae coronices, bases, ac stylobatae, & singularum

ICHNOgraphia quid propriè sit.

NON MOdo aedificij membra in Ichnographia, sed & ornamentorum proiecturae figurantur.

A partium termini, lineis in ipsa Ichnographia designandi sunt, quo proiecturae, quae extra perpendiculum procurrunt, à reliquis perpendicularibus partibus in Ichnographia discernantur. Huius vero rei exemplum vel vnum in nostris descriptionibus ostensum videri poterit lectori satis. In ipso namque primo & vniuersali vestigio, peribolus quidam totum aedificium circumquaque ambiens occurrit. Qui quidem peribolus, vt in vniuersalibus Orthographijs apparet, quibusdam constat quadratis, quos stylobatas vocant, ordine dispositis, alijsque in aedificio exaduerso constitutis respondentibus. praedicti verò stylobatae quibusdam marmoreis B interiectis cancellis vinciuntur, qui aditum intercludunt, visum verò minimè impediunt. Et huius quidem periboli vestigium ita delineauimus, vt totum illud pauimenti spatium, quod operit, adumbraretur. Verum quoniam totus hic peribolus, stylobatae nimirum, & cancelli, proprijs ornamentis extra perpendiculum procedentibus desuper, & infrà cingitur, horum quoque ornamentorum proiecturas binis hinc inde procedentibus lineis designauimus, quoniam eiusmodi proiecturarum rationem habuisse videtur mensurans aedificium angelus, vt in explicatione capitis quadragesimi mox videbimus. similium verò proiecturarum lineas, tum in C hac, tum in reliquis Ichnographijs quamplurimas alias obseruare licebit.

PROIECTVras periboli quare signauerimus.

Hac verò eadem ratione, qua ornamentorum proiecturas, à perpendiculari aedificio seiunximus, vt tam hoc, quàm illas in Ichnographia signaremus, superiores quoque aedificij perpendicularis partes auferendas esse monemus, vt fenestrarum, & ostiorum apertiones in ipso vestigio assignentur. Ex quo mox apparet, portas totam abscindere in Ichnographia muri crassitudinem, fenestras verò maximam eius partem, quoniam inferiorem fenestrae partem quodam muro occludere solemus, ne incauri per fenestram cadant, muro vtique subtiliore, D quo accessum ad prospiciendum commodiorem praester.

QVOMODO fenestrae in Ichnographia signentur.

Verum enimuero haec vna consideratio vniuersam Ichnographiae rationem lectori manifestabit, si ab omnibus erecti aedificij partibus lineas, & superficies perpendiculares in pauimentum ita cadere imagineris, vt omnes sui vestigium vnà cum parte ipsius aedificij, quae pauimentum premit, maneant, earumque signa impressa ibidem perseuerent tunc enim omnia, & singula totius aedificij membra, tam interiora, quàm exteriora, omnium arearum distributiones, columnarum propria loca, earundem, & omnium murorum crassitudines, portarum, E & fenestrarum apertiones, nec non ipsa aestuaria, quae in media murorum crassitudine aperiuntur, cum exstantibus antis, & pilis, proiecturae coronicum, capitulorum, ac spirarum, cum reliquis maioribus, vel minoribus membris, in Ichnographia, tamquam in vestigio conspiciuntur, haud secus, quàm si totum aedificium diaphanum esset, cuiusque termini omnes viderentur, medijs partibus visum minimè impedientibus ex quo fit, vt singularum partium dispositionem, magnitudinem, locum in Ichnographia prudens dignoscat architectus. Verùm quoniam plurium similium partium diuersae lineae confusionem non modicam in eadem

ALIA RAtio exprimendae Ichnographiae.

QVAE COMmoda praestet Ichnographia.

dem Ichnographia parere possent, vsu receptum ab omnibus architectis iam est, vt, cùm varijs contignationibus coaxatum aedificium in altum erigitur, singularum contignationum singulae fiant Ichnographiae. quod & nos in his nostris descriptionibus obseruandum duximus, triplicem vniuersi aedificij Ichnographiam his nostris commentarijs apponentes, primam videlicet, quae primam referat vniuersae fabricae contignationem, secundam, quae secundam, eique omnino similem tertiam, & tandem aliam Ichnographiam tradimus fundamentorum quarum omnium rationem in sequentibus reddendam esse arbitramur. Priùs tamen saluberrimo quodam consilio monendos esse architectos duximus, vt omnium contignationum Ichnographias in vna eademque describant Ichnographia, in qua diuersorum colorum lineis diuersa distinguant contignationum vestigia, quae postmodum in varias transferant papyros, seorsum singula: sic enim fiet, vt superiora omnia membra inferioribus aptè respondeant, vt decet, solida solidis, cauitates cauitatibus. quae vel vna obseruatio venustati, ac firmitati non parum conducere possit, ea verò neglecta turpissimi admittantur errores, quibus perniciosissima succedat ruina. Huius verò aedificij nostri sapientissimus architectus, quod illud, quasi totius architecturae normam proponere videatur, hac vna lege illud a fundamentis muniuit, ornauit, erexit. Quod quàm verum sit, quilibet vel mediocriter in architectura versatus facile poterit experiri, si superiores omnes Ichnographias inferiori velit superinducere. Sed de Ichnographia, quid sit, quos vsus praestet, ac quo modo fiat, iam satis explicatum est, ac de aedificiorum ideis in vniuersum. Reliquum est, vt eas, quas huius aedificij proponimus, pressius explicemus.

QVARE plures fiant eiusdem aedificij Ichnographiae.

OMNES eiusdem aedificij Ichnographiae simul faciendae.

DESCRIPTIONVM

RATIO, NVMERVS, ORDO *traditur.*

Cap. XIII.

MAXIME procliue in reprehensionem est liuore tactum hominum genus: hic verò aduersus eos potissimùm concitatur, qui arduum aliquod opus aggrediuntur, ac maximum. Inuidiae quidem aculeos reformidabat initio praesagus noster animus, verum assiduo iam vsu, & quasi consuetudine expertus, non reformidat modò, sed vitat, aufugit, detestatur. Nam, etiamsi quid de re quauis sentiam, liberè me dicturum profitear, ac liberam cuique potestatem facturum sentiendi, siue etiam ex his nostris lucubrationibus carpendi quod volet;

A tamen non est cur negem, quod in me humanum est mihi, planè nonnumquam animum merore contrahi, quod plures me habere sentiam reprehensores, quam imitatores, pluresque multo, qui improbare contendant, quam qui percipere cupiant, quae profero. Sed quamuis huius mei sensus rationem habendam esse non crederem, tamen despiciendi non sunt obtrectatores ij, qui legentes quoscumque a veri perceptione deterrere suis conatibus facilè poterunt, illisque obsistere. Non enim cuiuis integrum est iudicare, an obmurmurans, veritatis id studio faciat, an aliqua eius specie delusus, seu propriae potiùs quasi affectionis illecebris seductus.

B Oblatrantium igitur conatibus obsistendum est, non quidem semper, aut ex professo, sed arrepta occasione, quae ad id nos quodammodo praestandum compellat. Est igitur haec in primis accipienda. Nam cùm de numero, ac partibus descriptionum scribendum mihi iam esset, in memoriam redijt, quod mihi olim obijciebat vir quidam Architecturae peritus, tantam imaginum multitudinem ostentationi potius meae adscribendam, quàm necessitati, potiusque me architectum haberi velle, quàm Ezechielis interpretem, cum haec sacrae architecturae ratio architectis minimè probanda videretur, quibus meliora suppeterent exempla apud eius Scri- C ptores, Theologis verò, aut ijs, quos eruditos vocat, minùs fore frugifera iudicarentur. Quae sanè obiectio duo videtur inuoluere, non tam nobis, quàm ipsi veritati contraria. alterum est, de huius architecturae, cum Graecorum, aut Romanorum architectandi praeceptis collatione, alterum de schematum numero, ac multitudine, quae sine magna temporis, ac sumptuum iactura haberi non potuit: si tamen paucioribus schematis quod cupimus potuit haberi.

OBIECTIOnibus nonnumquam, & quomodo respondendum sit.

Quod verò ad primum spectat, non minùs haec sacra, ac paenè diuina architectandi ratio reliquas omnes antecellere putanda est, quàm humanis soleant inuenta diuina praestare. Id ve- D rò, quoniam non est hoc loco ostendendum, in propria loca reijciendum est, quibus luce meridiana clarius ostensuros nos esse profitemur, omnem Romanorum, aut Græcorum architectandi rationem, aut si quae est alia, vel nobilior, vel vetustior, ab huius fabricae ratione, eiusque ideis desumptam fuisse. quapropter hanc, atque illam non alia ratione conferendam esse, mox apparebit, quam si fluminis aquae cum aquis conferantur fontis, ex quo dimanant.

QVO DIFferat a reliquis huius aedificij architectura.

Quod verò ad alteram partem obiectionis attinet, huius loci proprium esse non negem, cui, quod ad alia properamus, quàm breuissimè satisfaciendum esse existimaui. Atque illud in pri- E mis, quod ad me, meamque ostentationem attinet, fateri me cogit, idque ingenuè, ea quidem, quae mihi obijciuntur, atque ijs peiora facilè potuisse de me alios suspicari. nam si architecturae dignitas, atque nobilitas spectetur, atque ego tantopere videar gloriae cupidus, vt quae supra ingenij, atque exercitationis meae vires sunt, mihi arrogem, facilè eam affectem. Verum iudices, & arbitros in hac causa eos omnes appello, qui meam non sunt auersati consuetudinem: facile enim cognoscere potuerunt, me numquam de architectura quidquam non vocatum, vel egisse, vel non, cùm primùm potuerim, quid horum aggressum dimisisse.

fisse. De me verò non est, opinor, cur plura persequar, cum non paucis sim notus. de re ipsa breuiter dicam. Et quidem hoc primum fidenter dicam, me, quam sequor impeditae viae ducem, diuinae Scripturae auctoritatem, & veritatem, eandem semper habiturum sperare vindicem, atque omnium aduersariorum incursuum propugnatricem. Est igitur locus sacrae Scripturae celeberrimus, cuius praesidio nostra tuebimur consilia, non circa praesentem disputationem modo, verùm etiam alijs in rebus non paucis. quapropter eius ferè singula verba hic semel explicare oportebit. Locus autem sic habet: *Dedit autem Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, &c.* Quo sanè loco cùm templi descriptiones à Dauide, Deo auctore, Salomoni datas legamus, à nobisque eiusdem templi, vt dixi, descriptiones sint tradendae, operaepretium esse existimandum est, attentius inquirere, num ibidem aliquis descriptionum numerus, aut ordo insinuetur, quem cùm tenuerimus, & muneri nostro satisfecisse videamur, & esse ab omni prorsus reprehensione immunes. Cuius rei gratia locus est cum Hebraica lectione conferendus.

SACRAM Scripturam ducem, & propugnatricem sequamur.

1. Paral. 28. ℣. 11.

Atque illud in primis, quod dedisse dicitur, Hebraicè scribitur הבנית habenith, quae vox similitudinem, figuram, exemplar significat, propriè aedificij, cùm à radice בנה banah deriuetur, quae aedificare significat. Verùm pro imagine, figura, exemplari, plerumque accipitur. vt in Exodo: *Iuxta omnem similitudinem*. Ex Hebraeo sic Regius codex: secundum omnia, quae ego videre faciam te. את הבנית eth habenith similitudinem *tabernaculi* ואת הבנית, veeth habenith, & similitudinem omnium vasorum eius, & sic facies. Et in Deuteronomio: *Ne forte decepti*, inquit, *faciatis vobis sculptam similitudinem, aut* הבנית habenith *imaginem masculi, vel feminae*. Atqui non vna eademque imagine, aut exemplari eodem tabernaculum repraesentari posse, cum omnibus vasis suis, cuius, vel me tacente, perspectum esse poterit, atque in promptu. Quapropter nulli mirum videri debet, si quam ijsdem verbis, eadem planè phrasi imaginem, vel descriptionem templi datam fuisse Salomoni legimus, nos non vna, sed pluribus descriptam fuisse cartis, aut membranis affirmemus, praesertim cum aedificium nullum vna possit imagine, aut descriptione repraesentari, vt suprà pluribus ostensum est. Accedit huc etiam, quòd non eandem aedificij partem, sed plures, magnitudine, loco, ac forma longè à sese inuicem dissitas, eiusmodi descriptione, aut imagine expressas fuisse testatur sacer historicus. Atque hinc reliquae disputationis exordium sumendum esse putauimus. Ad duo igitur potissimum capita descriptiones omnes Salomoni datae reuocari videntur, & meritò, duabus enim praecipuis partibus vniuersa huius aedificij fabrica constat altera potissima est, & quae propterea quasi iure suo domus Dei dicitur: altera, quae atria dicuntur.

EXEMPLAR aedificij a Dauide Salomoni datum.

Exod. 25. ℣. 9.

Deut. 4. ℣. 16

PLVRES descriptiones Salomoni fuerunt datae.

DVPLEX templi pars.

Priorem partem illis verbis contineri existimamus. *Dedit autem Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cenaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis*. Haec autem omnia ad domum Dei propriè spectare, disertis verbis indicat Hebraea lectio, quam sic conuertit Regius codex: Et dedit Dauid Selemoh filio suo exemplar por- A ticus, & domorum eius, & cellariorum eius, & cenaculorum eius, & cubiculorum eius intrinsecorum, & domus propitiationis Idem fere Septuaginta interpretes indicant, sic enim habent in Latino Sixtiano codice: Et dedit Dauid Salomon filio suo exemplar templi, & domorum eius, & zacchon eius, & cenaculorum, & apothecarum interiorum, & domus propitiationis. haec ibi.

1. Paral. 28. ℣. 11.

Atque vniuersa huius loci interpretatio ex propria vocis אולם vlam notione, eiusque frequenti vsu pendet. ea enim, vt latius infrà ostendemus, porticum illam, seu vestibulum templi significare solent sacri Scriptores, non modò Propheta noster, & Ioel, atque alij, verùm B & Historici: vt videre est in libris Regum, & Paralipomenon. Hanc verò porticum ad Dei domum propriè pertinere, cui ex aduerso constitutum erat altare, non verò ad atria, indicant ij, qui Deum in templo suo adoraturi *inter vestibulum*, Hebraice אולם vlam, *& altare*, plorabant, *Sacerdotes ministri Domini*, & dicebant: *parce Domine, parce populo tuo*: cum contrà fecisse, testetur Ezechiel, iniquos illos viros, quos viderat, ingressus in atrium domus Domini interioris: *Et ecce*, inquit, *in ostio templi Domini inter* אולם vlam, *vestibulum, & altare, quasi vigintiquinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, &* C *adorabant ad ortum solis*. Quae omnia vestibulum hoc, seu porticum ad domum Dei propriè spectare indicant. quare meritò septuaginta interpretes, sensum potiùs quàm verbum reddentes, templum reddiderunt pro porticu, aut vestibulo templi. Vestibuli autem, seu porticus potius meminit, quàm reliquarum domus Domini partium, Sancti, aut Sancti Sanctorum: quoniam templum ingredientibus, vel ab Oriente prospectantibus vestibulum primum apparebat, cuius imaginem, vel descriptionem dedit Dauid, & domorum eius, hoc est, domus Sancti, & domus Sancti Sanctorum, quae vestibulo adiacebant. cui interpretationi adstipula- D tur vulgata nostra, &, templi, reddens pro בתיו battau. cum, quasi iure suo, praedictae partes templi, vniuersae sibi nomen vendicent. nisi malis, templi, & domorum eius, voce dici vniuersali, ea omnia comprehendente, quae postea per partes distribuit: tam latè enim Hebraea vox, domus, patet, vt omne habitationis genus ex aequo denotare possit.

VLAM vestibulum templi significat.

Ezech. 40. ℣. 48.

Ioel. 2. ℣. 17.

Ezech. 8. ℣. 16.

TEMPLI domus quae dicantur.

Et cellariorum. Hebraicè וגנזכיו veganzacaiu, & cellariorum eius. Vox est, cuius notio pene ignoratur: cum hoc loco tantummodo legatur in Biblijs. Verùm concors omnium interpretum sententia, eam in cellaria, apothecas, gazophylacia conuertit. Qui fòrte omnes interpretes, E vocem esse notione similem putasse credendi sunt voci גנזים ganzim, quae thesauri loca significat, quibus pretiosissima quaeque reponuntur: vel potius ipsas res repositas significat vox Persica, gaza, haud dissimilis. Eius notionis exempla passim occurrunt. apud Ester pessimus Aman. *Decerne*, inquit ad Regem, *vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazae tuae*. & apud Ezechielem ובגנזי vbenginze, *gazarumque pretiosarum*. Hanc vero vocem Aquila in Magozis legit voce Hebraica, quamuis nonnihil Graecorum more mutata: idemque de voce illa, quae à nobis explicatur Septuaginta interpretes fecisse videntur, & ζακχὼν zacchon

Ester 3. ℣. 9.

Ezech. 27. ℣. 24.

chon eius scribentes. & iterum infra ζακχῶ zaccho. A Ex dictis igitur satis esse perspectum arbitror, quod ea voce significentur loca illa circa templum, in quibus aurea, argenteaque templi vasa pretiosissima asseruabantur. De reliquis verò atriorum gazophylacijs paulo inferiùs meminit, cùm atriorum quoque descriptiones datas fuisse dixit.

CENACVLA templi superiora.

Et cenaculi ועליותיו vaghalitiuu, & cenaculorum eius. vox est à radice עלה ghalah deducta, quae ascendere significat, & superius indicat cenaculum. Fuisse autem triplici columnarum ordine porticum templi erectam, suo loco ostendemus. quapropter duplici saltem cenaculorum ordine porticum ascendisse, nulli dubium esse debet, B ac propterea cenaculorum eius meminisse hic sacrum historicum, facile credimus; quamuis, & singula cenacula in suas quoque partes diuisa fuisse, indicent eorum Ichnographiae, idque propter fabricae rationem factum esse, cuiuis vel mediocriter instructo in promptu esse poterit. Verum est tamen, plures quoque alios vsus praestare eiusmodi cenaculorum partitionem potuisse. Horum quoque cenaculorum domus Domini meminit liber Paralipomenon: qui aurea recensens Sancti Sanctorum ornamenta: *Cenacula quoque*, inquit, *texit auro*. ac si apertè testaretur, non tantum domum Sancti Sanctorum auro contectam fuisse; verùm etiam cenacula illi superstructa. C

2. Paralip.3. ℣. 9.

CVBICVLA intrinseca quae dicantur.

Et cubiculorum in adytis. וחדריו הפנימים vachadarau hapeniuim. & cubiculorum eius intrinsecorum. Harum vocum prior à radice חדר cheder deducitur, quae adytum, cubiculum interius, aut penetrale significat. & hoc loco interiora quaedam loca, quorum meminit Propheta noster, dicens: *Et erat interior domus in lateribus*, hoc est, inter latera *domus*, vt ibi videbimus. Tandem absoluit hanc primam descripti templi partem Historicus sacer, dicens· *Et domus propitiationis*. Quam nulli dubium est esse Sanctum Sanctorum. Haec verò omnia, quae hactenus explicata sunt, iterum recensentur circa D finem capitis in Sixtiano Septuaginta interpretum codice, tam Graeco, quam Latino, verbis illis, quae à Complutensi & vulgata absunt. Sunt autem huiusmodi: Et dixit Dauid Salomoni filio suo: Confortare, &c.: ecce exemplar templi, & domus eius, & zaccho eius, & cenacula, & apothecas interiores.

Ezech.41. ℣. 9.

DE TRIPLICI
SANCTVARII ICHNOGRAPHIA, & quadruplici Orthographia, necnon de oraculi Scenographia.
Cap. XIIII.

Ex his igitur omnibus testimonijs numerus earum imaginum, quibus domus Domini repraesentanda est, in hunc modum colligetur: Triplex vestibuli contignatio tres exigit ipsius domus Domini Ichnographias. Primam, quae sic inscribitur: VESTIGIVM PRIMVM SANCTVARII. In quo quidem vestigio vestibulum in primis occurrit, & latiora quaedam hincinde cubicula, quibus pretiosiora fortasse vasa asseruabantur, atque adeò gazophylacia dici possent, suntque fortasse ea, quae cellaria dicuntur à Vulgatae interprete. non quod in eiusmodi cellis quidquam esculentum reponeretur, aut poculentum, sed quod esset sacrarum fortasse C vestium promptuarium, haud secus quam frumenti, vini, aut olei cellarium. Vlterius deinde progrediendo, aula conspicitur, quae sancta dicitur, in qua altaris incensi vestigium circa interius ostium apparet, atque hinc inde, secundum murorum latitudines, ac longitudines, vestigia mensarum, & candelabrorum. Interius verò Sanctissima constituta est cella, quae Adytum, Sanctuarium, Sanctum Sanctorum, Oraculum, Domus propitiationis dicitur, quorum nominum ratio suis locis reddenda est. In huius medio vestigium est arcae testamenti. quae omnia duplici muro circumdata sunt, quodam interiacente cauedio, quod in cellulas quasdam D diuisum est, interiectis muris quibusdam paribus dispositis interuallis, quorum pars illa, quae extra murum extimum proijcitur, quadratis pilis, seu antis ornatur, quas quadratas columnas vocaret vulgus. interiectos verò muros costas vocat Propheta, vt infra videbimus. Obseruanda ibidem sunt fenestrarum vestigia sibi mutuo respondentia, extima intimis, dextra sinistris, posterioribus anteriora. reliqua verò huius primi vestigij facilè, cùm haec perceperit, secum ipse percipiet lector: faciliusque multo, cùm singulas partes, earumque dimensiones, ac proportiones certis probauerimus sacrae Scripturae testimonijs. Secunda porrò Ichnographia sic inscribitur: E VESTIGIVM SECVNDVM COENACVLI SANCTVARIO SVPERSTRVCTI. Quod quamuis firmitate tuenda, ac proportione coacti in quinque partes secuerimus, cenaculi tamen nomine omnes censuimus: quoniam singularum partium vsus, nomina, aliaque id genus quamplurima ignoramus. Est tamen obseruanda in hoc vestigio murorum crassitudo aptissimè constituta, maior, quo magis ascendit fabrica superstructa. Sunt etiam parastades diligentius perpendendae, quae circa vestibulum ad perpendiculum inferioribus respondent, reliquae circa domum retrahuntur ad interiorem murum, prae-

NVMERVS descriptionum domus Domini probatur

PRIMVM vestigium sanctuarij.

SECVNDVM vestigium.

termissa

termisso in inferiore ordine muro exteriore, cui nulla desuper exstruitur fabrica. Fenestras item secum inuicem, & cum inferioribus respondentes ibi videbis. Tertium tandem vestigium sic inscribitur. VESTIGIVM TERTIVM TVRRIS VESTIBVLO SANCTVARII SVPERSTRVCTAE. Cuius quidem parastades, fenestras, diuisiones aptissimè constitutas esse, quiuis vel me tacente obseruabit. Secundum porrò, ac tertium vestigium in eodem excusum est folio, quod vtriusque esset capax. Et haec de vestigijs sanctuarij in vniuersum dicta sufficiant.

TERTIVM vestigium turris.

Orthographiae ratio reddenda nunc est, quam quattuor figuris exprimendam esse, quod paucioribus non posset, censuimus. Prioris hic est titulus. ORIENTALIS FACIES VESTIBVLI SANCTVARII ET TVRRIS SVPERSTRVCTAE In qua triplex ordo sursum ascendit, quilibet tetrastylos, dispositis miro artificio parastadis. fornix conspicua est in imo. quadruplices vtrinque cellariorum fenestrae, aureis cancellis, non ornatae minus, quàm munitae. coronis item aureis inter sculpta capitelia pendentibus, impositis desuper ornamentis, ad ostentationem maiestatis, proportionis, venustatis, ac infinitae sapientiae, quae in architecto effulget. Succedit huic similis, ordo secundus, debita proportione decrescens: cui tertius magnitudine impar, maiestate supremus superstruitur; vtpote qui celeberrimum illum angularem lapidem sustinet, in quo vniuersa aedificij dignitas, gloria, celsitudo continetur: quam alias opportunè magis percensere decreuimus. Huius verò Orthographiae venustati, artificio, dignitati explicandae, quoniam imparem me esse sentio, atque profiteor, eam silentio praetermittendam potiùs esse existimaui, quàm imperita oratione implicandam. Quapropter operaepretium me lectori facturum putem, si illum meo silentio ad perscrutanda singula incitatem, ne, dum à me explicata esse omnia arbitraretur, facilè ab inuestigatione desisteret.

SANCTVARIJ Orthographia quadruplex.

Huic proximè succedit eiusdem aedificij Orthographia, cui hic titulus adijcitur ASPECTVS LATERIS SANCTVARII ET COENACVLI AC TVRRIS SVPERSTRVCTAE VESTIBVLO. Quae planè Orthographia mira varietate decoratur, paribus vndique constans parastadis, aequis dissitis intercolumnijs, dissimili plane artificio dispositis. simplices enim in postica sui parte, duplices sunt in anteriore antae, inferiores vniuersae perpendiculares sunt: secundi ordinis aliae perpendiculares, aliae ita contrahuntur in summo, vt extra perpendiculum protrahantur in imo: quae etiam causa est, cur coenaculum templi & minus sit latum, minusque longum, quàm inferius sanctuarium cum duplici muro suo: quod, vtriusque collato vestigio, cuilibet perspectum esse facilè poterit. Tandem ordo tertius vestibulo tantum superstructus prae reliquis erigitur, atque angulari lapide totum ferè aedificium, quasi corona, insignitur, & decoratur.

Haec autem summa similium partium dissimilis compositio, nonnullos, qui se putabant architecturae esse peritos, ita permouit, vt, immeritò quamuis, audacter tamen verbis, ac scripto aduersus mirabilem hanc partium compositionem obmurmurarent, haec nobis obijcientes: Columnae laterales domus (permittamus

A hoc illis, vt ignorantium more, antas columnarum nomine censeant; & nos in his omnibus obiectionibus, pro columnis, antas intelligemus, vt illis morem geramus.) Columnae, inquiunt, laterales domus, quae versus Orientem sunt, non respondent Occiduis eiusdem lateris, quia istae singulae disponuntur, illae autem binae. Columnae posteriores domus non respondent anterioribus, contra artem, contra rationem, contra pulchritudinem tam magnificae fabricae. Columnae anteriores domus non respondent lateralibus eiusdem domus, non minori deformitate. Haec illi. Quae sane obiecta omnia propterea contemnenda duxi, quod ex summa rerum ignoratione promanare videantur. nam praeterquam,

B quod de Diuina quodammodo sapientia secus, quàm par est, sentire videantur, rerum etiam principijs, & naturae, ac omnibus omnium scientiarum praeceptionibus omnino repugnat insulsa illa & insipiens, quam exigunt, omnium partium, atque membrorum similitudo, estque vsui omnino inutilis, atque ideo à fine architecturae quam longissimè aberrans. Quis enim non videat idem ferè praestare aspectui pulchritudinem, quod auribus harmonia, nimirum partium rei, ant soni proportionem, debitamque collocationem, quam ex proportione maioris, vel minoris inaequalitatis dimanare perspectum est. aequa-

NON EST omnimoda omnium partium similitudo ad pulchritudinem expetenda.

C litate enim fidium vnisonus fit, non consonantia. meritò sanè Philander aedificiorum symmetriam explicans, haec verba subiungit: Ardua profectò res, tam varias, tam dispersas partes ita collocare tamen, vt in organo non sit gratior concentus discordia illa fidium concordis, quam oblectat in structura grata partium, & vniuersae molis commodulatio. Haec ille. quae definitioni illi, quam harmoniae tribuunt nobilissimi philosophi, maximè sunt consentanea. non enim acuti tantum soni, aut grauis tantum commodulatio harmoniam parit, sed acuti, & grauis simul. sic enim Plato. Ordinis autem, inquit, qui in motu conspicitur, nomen Rhythmus, idest numerus, esse potest, sed eius, qui in voce, acuto, & graui simul contemperato,

Philander super Vitruu. cap. 1.

PARITATE fidium vnisonus fit, non consonantia.

Plato dialog. 2. de legibus.

D harmonia, idest concentus, vtrumque vero simul chorea nominabatur. Sed his, quae nimis speculatiua sunt, aut videri possent, omissis, ad propinquiora exempla veniamus. Rationem, seu proportionem in architectura ex humani corporis symmetria petendam esse, confirmat illis verbis Vitruuius: Non potest aedes vlla sine symmetria, atque proportione rationem habere compositionis, nisi vti ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem. At si humanum corpus primum exemplar est totius architecturae, hi quidem, quos dixi censores, similes esse videntur ijs, qui humani corporis compositionem reprehenderent, quod pedes capiti non

ARCHITECturae ratio ex humani corporis symmetria petenda.

E respondeant: caput, quod facies occipiti sit dissimilis: faciem, quod, oculis in summo constitutis, bini alij in ima facie non respondeant. Sed vt hoc etiam obiter dicamus, non modo perfectissimam architectandi rationem prae se fert hoc aedificium; omnem complectens humani corporis, eiusque membrorum aptissimam compositionem; verùm etiam perfectissimi inter caetera animantia leonis figuram ita retulit, vt admiranda quamplurima Verbi incarnati mysteria simul repraesentaret. sed quod ad hominem spectat, alibi fusiùs, & opportune magis tractandum praetermittamus. De leone illud vnum referamus, quod receptissimum ab Hebraeis semper fuit;

Talmud tractatu de mensuris templi.

vt apud Talmudistas videre est, quibus templum Ariel, hoc est, Leo Dei, vel magnus, dici existimabatur, quod templum angustum esset retrò, & latum ante, & assimilabatur leoni, inquiunt, quia dictum est: Vae Ariel, &c. quia leo est angustus retro, & latus ante. Hanc vero Hebraeorum sententiam confirmat Hebraeus Iosephus:

Ioseph. 6. belli cap. 6.

Et a fronte quidem, inquiens, altitudo eius, & latitudo centenos cubitos habebat. pone autem quadraginta cubitis angustius erat. Aditus enim veluti quibusdam humeris vtrimque vicenum cubitorum producebatur. Et quamuis in cubitorum numero, quo humeri illi protenduntur, cum Iosepho non conueniamus; tamen latiores humeros facimus, posteriorem partem templi angustiorem, vt illinc leonis pectus, brachiaque referat, hinc caudam. ac, vt verum fatear, vniuersa huius fabricae compositio leonem refert, qui caput extollit in anteriore parte, cuius celsitudo angulari lapide, quasi leoninis iubis, coronatur. Quae omnia leonem illum de tribu Iuda, qui vicit omnia, meritò possent referre, vt aliàs ostendemus.

DIVINA mysteria, & quam fabricae rationem simul obseruauit architectus.

Verùm hoc idem fortasse argumentum aduersus nostram sententiam contorquere tentabunt aduersarij, quòd praedicta mysteria respexerit huius fabricae architectus potius, quam exactam, atque perfectam fabricae rationem. quasi verò architecti sapientia ita fuerit exigua, vt vtrumque simul praestare nequiuerit. quod si praestare potuit, vt omne hominum genus fateri tenetur, vtique praestitit, cùm nulla possit, veri saltem specie, ratio cogitari, quae seiunctam fuisse à mysterio sapientiam suadeat. At quoniam aliàs ostensuros nos esse professi fumus, omnem architectandi rationem ab hac vna fabrica petitam fuisse, hoc idem, quod reprehendunt hi, tamquam propriam architecturae legem recenset Vitruuius.

Vitruu. lib. 3. cap. 1.

Aedium autem principia sunt, inquiens, e quibus constat figurarum aspectus, & primum in antis, quod Graece [illegible] naos en parastasin, dicitur, deinde prostylos, amphiprostylos, & quae sequuntur. & post pauca subdit: Amphiprostylos omnia habet, eaque prostylos, praeterea que habet in postico ad eundem modum columnas, & fastigium. Ex quo mox fit, aedem, quae prostylos dicitur, anticum postico similem non habere. Ac ne hi quidem tantae auctoritatis molem, vt effugiant, eleuare contendant, vt & illi, quos supra retulimus, iam ante fecerunt, ipse se maiorum suorum auctoritate communit Vitruuius, templa referens Iouis, & Fauni in Tiberina insula multò ante constructa.

NON SEMper posticum antico debet esse simile.

Sed & nos nobilissimum illud templum omnium seculorum probatione celeberrimum, quod omnium adhuc temporum, atque inuidiae iacturam euasisse conspicimus, illis proponemus, Pantheonem, inquam, in quo videmus anteriorem porticum, cui similis nulla ex parte esse deprehendetur, aut fuisse posticum. Sed & in ipsa porticu, quam nemo non laudat, octo disponuntur columnae, quarum prima, tertia, septima, & octaua antas habent, quibus respondent muro templi, adpactas; at secunda columna, quarta, quinta, & septima nullas habent similes antas, quibus respondeant in muris: immo verò mediae portae ostio obijciuntur, reliquae medijs cauitatibus loculamentorum (vt ex eius descriptionibus, quae passim ab architectis circumferuntur, apparet) sunt aduersae, quod vtrumque vitiosum esse iudicaretur ab ijs, qui minimè perpen- A dunt venustatem, decorem, ac pulchritudinem, eam, & à natura, & ab arte maximi fieri, quae maximè vsui sit, illam omnino respui, quae minùs vtilis, seu potiùs nocens iudicaretur, cuiusmodi esset ea, quam isti exigunt.

EA PVLchritudo expetenda, quae vtilis est, inutilis respuenda.

Nam si iuxta horum falsam apprehensionem domum sanctuarij componamus, quia porta vna in porticu aperitur, alia quoque in postico similis aperienda esset, atque ab angulis Meridianis Orientali, & Occidentali aeque distantes binae aliae in muro Meridiano, totidemque in Aquilonari, ac rursum aliae mediae: qua ratione vniuersa domus portis, fenestrisque vix esset sufficiens, nedum sacris ministerijs, atque vsibus, quod maximè B esset absurdum. Sed diutius fortasse quam par erat, in his futilibus refellendis immorari videbimur. *verum hoc semel funditus euelli permittent prudentes, quod pulchri, rationisque falsa species facilè posset quamplures decipere. quapropter, illis omissis, institutum explicandae secundae Orthographiae ordinem, & quasi telam texemus. Parastades extrinsecus quasi vinciuntur, interiecto muro, parum supra earum medietatem ascendente in quo quidem muro porta vna aditum ad cubicula, deinde verò ad vestibulum aperiebat. in ipso quoque muro triplex fenestrarum ordo conspiciebatur, lumen in ipsa interiora cubicula inducens. reliqua C vero parastadum pars, ipsum templi murum fulciens, tota conspicua erat, atque inter parastades fenestrae aulae sanctae lumen recipiunt, vt in dissecti templi Orthographia videri potest. Secundus deinde ordo parastadum retractiones circa templi cenaculum indicat, duplices fenestras, ac desuper aureas achrotherias, de quibus suis locis agemus. Tertius tandem ordo, velut leonis caput supra vestibulum tantum euectus, miro plane artificio, ac summa omnium membrorum consensione perficitur.

ORTHOgraphia tertia templi posticum refer[illegible]

Succedit huic tertia Orthographia, cui hic titulus in imo praefigitur: OCCIDENTALIS ASPECTVS SANCTVARII COENACV- D LI, ET TVRRIS SVPEREMINENTIS. In cuius ordine inferiore quinque parastades sunt, fenestrarum tres ordines, & binae desuper fenestrae, quae Sanctum Sanctorum illustrant; si tamen externa luce illustrabatur locus ille. De quo fusius suis locis. In secundo verò ordine retractiones parastadum magis sunt conspicuae, quam in alijs descriptionibus, quibus incumbit extremum coenaculi coronamentum, ac desuper tectum aureis ornamentis conspicuum, quae achroteriae dicuntur. Tertius tandem ordo quam simillimus est tertio ordini turris, in prima Orthographia descripto, cui respondet ex aduerso. Huius verò fastigium, quod non est illi simile, E quod Itali, & nos frontispicium vocamus, atque adeò neque illi, quod apparet in fronte dignitas enim angularis lapidis alterius omnimodam similitudinem respuit, vt suo loco ostendemus. Quae hactenus dixi, exteriores tantum facies domus proponunt, reliquae interiores aperiunt.

QVARTA Orthographia dissecti templi.

Quarta namque Orthographia sic inscribitur: SECTIO MVRORVM TESTVDINIS ATQVE COENACVLI AVLAE SANCTAE OSTENDENS FACIEM SANCTI SANCTORVM. Haec est forma illa, quam vulgò Itali profilum vocant, voce mutuata nos perfil, eam, vt supra dixi, Scenographiam dicendam esse arbitrantur nonnulli, sed falsò,

Supra cap. 9. huius libri.

falso, vt ibidem ostendi. Repraesentat autem ea A aptissimè interiora quaecumque aedificij membra. quod vt praestet, primum imaginatur aedificium dissectum, sublatamque esse anteriorem partem, & id, quod visione, quam diximus, parallela videretur, repraesentat. Atque illud maximè in hac, & reliquis eiusmodi Orthographijs obseruandum est, vt attentius cognoscatur in primis, in qua parte Ichnographiae sectio aedificij fiat, quaeue aedificij pars sublata sit, vt, quaenam repraesentetur, possit percipi. Igitur in prima, quam diximus, Ichnographia, seu in primo vestigio, in ipsa interiori muri domus longitudine, quinae hinc, & quinae illinc aperiuntur fenestrae. si igitur per medias illas fe- B nestras, quae reliquarum omnium medium obtinent, secta intelligatur esse vniuersa domus, eiusque anterior pars, quae Orientem spectat, sublata, quod reliquum est ad Occidentem, hac vna figura repraesentatur: in cuius medio porta primum Sancti Sanctorum, cum omni ornatu suo ostenditur: muri deinde duplices hinc atque illinc domum ipsam ambientes ostenduntur; quamque sint lati, & alti: atque cubicula illa, quae inter duos muros, ac binas parastades triplici ordine cedrinis tabulatis distinguuntur, eorumque ternae fenestrae dissectae; super quorum tectis fenestrae item aliae in aulam sanctam lumen immittunt. E trabibus item il- C lis grossioribus, longioribusque, quae totam fere domum colligabant, & continebant, vna zophoris respondens conspicitur. ac super prima trabeatione muri eriguntur cenaculi, cum suis vtrimque parastadis, sectisque fenestris. inter sectos verò cenaculi muros, non quidem murulus ille depingitur, qui cenaculum in duas partes diuidit, sed, haud secus, quàm si is sublatus fuisset, quaternae illae fenestrae ostenduntur, quae in occiduo muro aperiuntur. & illae quidem propterea fuerant pingendae, quòd nulla alia esset Orthographia, in qua earum interior forma depingeretur, & quòd latiores essent interius quàm exterius. Tan- D dem superius cenaculi fastigiatum tectum exprimitur, ita dispositum, vt imbres facilius effluerent, desuperque possent homines sine molestia ambulare. Ac tandem in summo achroteriae reliquis persimiles constituuntur.

SANCTI sanctorum Scenographia.

Postremùm tandem locum obtinet Scenographia, cuius hic est titulus. PROSPECTVS TESTVDINIS MVRORVM ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM. ATQVE ARCAE TESTAMENTI CVM CHERVBINIS. De qua nihil dicam, praeter illa, quae superiùs explicata sunt: quae propterea legenti quaerenda sunt. His verò interim percensitis ternis Ichnographijs, E quaternis Orthographijs, atque vna Scenographia, videre iam puto lectorem, omnes & singulas ita fuisse necessarias, ad plenam domus Domini intelligentiam, eiusque partes singulas, quae allato Paralipomenon loco recensentur, cognoscendas, vt ne vna quidem praetermitti potuerit, quin sacrae Scripturae deesse, aut legentium commodis obesse videremur. De reliquis verò atriorum ideis idem sentiendum esse sperabo, cùm primum parem de eis rationem reddidero. si tamen calamum longa descriptione defatigatum interim aptare licuerit.

Supra cap. 9. huius.

DE ATRIORVM
TEMPLI ICHNOGRAPHIIS *in vniuersum.*

Cap. XV.

ATRIOREM fabricae huius partem primis illis verbis loci Paralipomenon. quae superioribus capitibus tractauimus, contineri diximus, posteriorem, quam hoc capite tractandam suscipimus, extremis, quae non alia ratione, quàm illa exponenda sunt. Sunt autem huiusmodi. *Necnon & omnium, quae cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum, diuisionumque Sacerdotalium, & Leuiticarum in omnia opera domus Domini, & in vniuersa vasa ministerij templi Domini.* Septuaginta interpretes sic habent in Sixtiano codice: Et exemplar, quod habuit in spiritu suo, atriorum domus Domini, & omnium pastophoriorum, quae in circuitu, quae ad apothecas domus Domini, & apothecarum sanctorum, & diuersariorum, & victium Sacerdotum, & Leuitarum, ad omnem operationem ministerij domus Domini, & apothecarum ministerialium vasorum cultus domus Domini. Ex Hebraeo sic conuertit Regius codex: Et exemplar, vel similitudinem omnis, quod fuerat in spiritu cum eo in atrijs domus Domini, & in omnibus cubiculis vndequaque in thesauris domus Dei, & in thesauris sanctorum, & diuisionibus Sacerdotum, & Leuitarum, & in omni opere seruitij domus Domini. Illud autem in primis verba ipsa indicare videntur, quod supra assumebamus, nimirum, aliud esse atriorum exemplar, vel figuram, ab exemplari, vel figura domus Domini: non enim temere repetit exemplar atriorum datum, cum antea exemplar porticus domus datum fuisse dixisset, sed velut insinuans, hinc ab illo diuersum fuisse. Neque propterea, praedictas descriptiones domus superuacaneas esse, credendum est, quod in atriorum descriptionibus vel maxima ex parte sint, quia in Ichnographijs atriorum, Ichnographiae quoque sunt domus Domini: & in illorum Orthographijs huius Orthographiae, & Orientalis potissimùm facies in dissecti vniuersi templi Orthographia. non, inquam, superuacaneae videndae sunt domus Dei propriae ideae, cum de ea tam multa membra, & ornamenta, tamque diuersa ministeria, idque tam difficili stylo, enumerentur in sacris historijs, atque prophetijs, vt ea in maiori forma vix à solerti lectore percipiantur, in minori, qualem oportuit esse atriorum capacem, ne vix quidem perciperentur.

1. Paralip. 28. ℣. 12. & 13.

ALIVD exemplar domus, aliud atriorum.

QVARE IN maiori forma factae sint domus Dei descriptiones.

Est aliud, quod difficultatem videtur inuoluere, explicandum, qua ratione à Dauide excogitata fuisse, dicat historicus, atria, quasi primùm inuenta, cum eundem Dauidem ipse historicus inducat dicentem: *Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* Verùm, omnem

1. Paral. 28. ℣. 19.

DEO INuentore excogitat Dauid templi atria.

sublatam esse difficultatem, facilè intelligemus, si vtrumque verum esse assumemus, & a Deo Optimo ac Maximo acceptum fuisse vniuersi templi exemplar, & scripturam ad illud intelligendum aptissimam, & à Dauide atria excogitata fuisse. Vel, quod idem est, Deo inspirante, atque impellente, cogitasse vniuersa, ac singula exemplaris opera. Id enim indicat Hebraea phrasis ברוח beruach in spiritu, illi persimilis, quam apud Lucam Euangelistam legimus. ibi enim, cum Simeonem virum iustum, ac timentem Deum responsum a Spiritu sancto accepisse dixisset, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, *Et venit*, inquit, *in spiritu in templum*, &c. Simeon vero venit, non tantum impulsu Spiritus sancti, quo iusti quicumque ad quaeuis iure peragenda deducuntur, iuxta illud Beati Pauli Apostoli: *Qui spiritu Dei aguntur*, vel deducuntur ad bona opera exequenda, *y sunt filij Dei*, vtique per adoptionem, sed & praeter impulsum illum iustis communem, alium habuit impulsum Prophetarum proprium, quia nimirum certa reuelatione cognouerat, visurum se tunc natum iam de Virgine Christum Domini.

IN SPIRItu venire, aut cogitare, quid sit.

Rom. 8. ℣. 14

Toletus in Luc. S. Cyprianus. Timotheus. Iuuencus.

Quam sententiam tuentur apud Toletum Iuuencus, Cyprianus, & Timotheus. Pari quoque ratione Dauid in spiritu vtique Dei, cuius reuelationibus assuetus iam fuerat, cogitaue- C rat: hoc enim indicat particula illa superaddita Hebraicae phrasi עמו ghamu cum eo, quasi dicat, non vtique proprio, quod aiunt, marte, sed in spiritu Dei. cum eo assistente, ac docente illum spiritu Dei, cogitauerat, mente euoluerat atria, & reliqua, quorum exemplar à Deo ipso acceperat, eiusque explicationem, & reliqua, de quibus iterum nobis agendum est. Quod verò ad loci huius intelligentiam reliquum est, omne in eo versatur, vt atria enumeret, ea quidem plurima, & exedras circa ea, quarum varia recenset ministeria, variosque vsus. Alia enim erant, in quibus thesauri asseruabantur domus Dei, alia, in quibus thesauri sanctorum. D

THESAVrus, & thesaurizare quid sit.

Quid autem thesauri nomine intelligendum sit apud Hebraeos, ipsa vox indicat, quae sic habet לאצרות leotsroth. ea vero a radice אצר atsar deducitur, qua significant, recondere, reponere, recludere in arcam, aut penum. Eius exemplum videre est in libris Regum: nuncijs enim Regis Babyloniorum ostenderat Ezechias *domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia: vnguenta quoque, & domum vasorum suorum &c.* Roganti autem Isaiae quid vidissent nuncij, respondit Rex: *Nihil est, quod non monstrauerim eis. Dixit itaque Isaias Ezechiae: Audi sermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia quae sunt in domo* E *tua, & quae* אצרו *atsru condiderunt patres tui.* Eleganti eiusdem vocis translatione vsus est Amos Propheta האוצרים chaotsarim, qui recondunt. *Thesaurizantes iniquitatem, & rapinas in domibus suis.* Ex hoc verbo deducitur nomen אוצר otsar thesaurum significans, thecam, aut apothecam, omnem denique locum, in quo aliquid reponitur, vt aliquando depromatur. vim vocis exprimit Graeca θησαυρὸς thesauros παρὰ τὸ εἰς αὔριον τίθεσθαι to eis aurion tithesthae, quasi in crastinum repone, hoc est in tempus futurum. Id significare voluisse videtur Sanctus Paulus Romanis scribens: *Thesaurizas*, reponis *tibi iram*

Amos 3. ℣. 10.

Rom. 2 ℣. 5.

A Dei depromendam *in die irae, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Quae omnia exempla illud vnum probare videntur, quod hic locus maximè videtur exigere, nimirum thesauri nomine non modo aurum, aut pecuniam reconditam, vt vulgo putatur, significari, verùm etiam, vt dixi, quidquid asseruandum reponitur: id quod, non coniectura modo ducti asserimus, sed multo magis luculentissimo quodam Malachiae testimonio: *Inferte*, inquit, *omnem decimam in domum* האוצר haotsar *thesauri in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus.* Sed & apertè magis in ipso Paralipomenon libro. *Cellis autem vinarijs* Hebraicè לאוצרות le- B otsaroth *praeerat Zabdias Aphonites: supra apothecas autem olei Ioas*, Hebraice ועלאצרות vegalotsaroth, super thesauris olei licet, conuertere. Itaque thesauri hic dicuntur, vel apothecae, quibus vinum, oleum, frumentum, ligna asseruabantur, & reliqua, tam quae necessaria erant ad cultum domus Dei, quam quae ad alendos Sacerdotes, vel Leuitas: quos sanctos, hoc est, Deo dicatos vocat. quas quidem omnes apothecas, vel horrea omnia in cryptoporticibus templi reponimus, vtpote in aptissimo loco, quique alijs quoque sacrae Scripturae testimonijs confirmatur, vt videbimus.

THESAVrus non modo pecunias, aut aurum, sed omnia alia, quae asseruantur, significat.

1. Paral. 27. ℣. 27. & 28.

Exedrae item referuntur Sacerdotalibus, Leuiticisque diuisionibus datae, quas quidem exe- C dras cubicula fuisse, indicat vox Hebraea, iuxta versionem Regij codicis, quam retuli, quae in superioribus templi cenaculis exstitisse, suis locis ostendemus. Exedras item fuisse commemorat in circuitu atriorum, in omnia opera domus Domini, & in vniuersa vasa ministerij templi Domini, quae in ipso templi pauimento collocanda esse, suis locis constabit. Quae omnia, si distinctè, & veluti per partes ostendenda sunt, paucioribus, quam tribus Ichnographijs minime possunt exprimi, cùm, vt dixi, singularum contignationum, aut singulorum aedificij ordinum singulae sint Ichnographiae perficiendae, vt earum D ratio exhibeatur.

Tres igitur vniuersi templi Ichnographias praestamus: priorem sub hoc titulo: VESTIGIVM PRIMVM TEMPLI HIEROSOLYMITANI ET VNIVERSARVM ILLIVS PORTICVVM A SALOMONE CONSTRVCTARVM EX SACRAE HISTORIAE MONVMENTIS EZECHIELISQVE DESCRIPTIONE DEPROMPTVM ATQVE EMENDATISSIME EXACTVM AD PRIMARIVM EXEMPLAR OLIM A DEO INVENTORE DAVIDI TRADITVM ET AB ANGELO POSTEA EZE- E CHIELE PROSPECTANTE COMMENSVRATVM. Quae quidem vniuersa Ichnographia quadrato schemate formata est, paribus angulis, ac lateribus, in qua periboli cuiusdam occurrit primum vestigium: qui sane peribolus, quod aedificij nomine censeretur, in Vulgata nostra versione, altitudineque calami vnius definiretur, quasi cantherius in porta fuisse videtur Beato Gregorio, vt ex parte supra, plenius in explicatione Ezechielis ostendimus. Et hic peribolus super celsissimis substructionibus exstructus arulis quibusdam ordine dispositis constat, mirabili artificio, ita vt peribolo in area circumquaque descripto, ductisque lineis oc-

PERIBOLI descriptio.

Ezech. 40. ℣. 5.

cultis

cultis, parallelis à medijs quadratis periboli, ad A opposita similia quadrata eiusdem periboli, vniuersi aedificij quodammodo vestigium habetur, vt peritis, vel me tacente, esse poterit in promptu, atque omnibus, cum primum, quae dicturus post pauca sum, perceperint. Peribolus hic perpetuus est, cancellis quibusdam interiectis inter stylobatas, ijs tantum locis exceptis, qui ex aduerso portarum sunt, quos oportuit esse peruios. Post peribolum via est vniuersa, plana, satis ampla, & quae longitudine sua totum vndequaque circuit aedificium. Viae huic adiacet murus, hinc antibis, illinc adpactis semicolumnis distinctus, quibus triplex columnatum ordo ex aduerso respondet. Portò in muro, porta, ac B fenestrae medijs intercolumnijs aduersae quamplurimae designantur. Quod reliquum est columnas inter, & interiorem murum, spatium, sub dio est, atriumque gentium appellatur: praedictae quoque quaternae circum porticus, porticus dicuntur gentium.

Quadratum subsequens, paribus constans lateribus, quattuor caeli prospiciens angulos, siue regiones, totum ad Israelemita spectat, vt sub poena capitis alienigenas arceret, illudque accuratissimè & mensuratur ab Angelo, & describitur ab Ezechiele, cum contra, Dei iussu, quae hactenus dixi non modo non referantur à Propheta, verum ne Angelus quidem ea metiatur: cuius rei rationem reddendam alibi esse C existimauimus. Aedificij exterior murus exstantibus paribus semicolumnis, extrinsecus & intrinsecus totus ornatur. atque hic vnus murus perpetuus est, ac solidus, in quo portae, fenestraeque aperiuntur, iuxta vniuscuiusque loci opportunitatem, & proportionem. reliqui verò omnes muri, quibus interior haec area in plures quadratas, & non quadratas diuiditur, vniuersi postibus distinguuntur, quibus fornices incumbunt. Sunt quoque postes omnes adpactis paribus semicolumnis exornati, ijs exceptis, qui in angulis sunt, quos columnarum quadrantes exornant. Inter duplices hos mu- D ros, duplex columnarum ordo porticus singulas in ternas diuidit ambulationes: qua ratione porticus omnes cedrinis trabeationibus potuerunt contignari; reliquae verò inter porticus quadratae areae sub dio manent. Et quamuis haec in vniuersum dicta satis esse videbantur ad praesens institutum, quo viam tantummodo quasi digito ostendere decreuimus, ad reliqua percurrenda: tamen, quoniam ex huius Ichnographiae perfecta cognitione vniuersa Ezechielis prophetiae intelligentia pendere videtur, de ea hic etiam proprius aliquid dicendum est.

DE TRIPLICI VNIVERSALI ICHNOGRAphia. Cap. XVI.

SVNT in primis domum hanc ab Oriente ingredienti gradus ante portam obuij, quos (vt hoc etiam alibi praetermissum non omittamus) ductis lineis signari necesse est in vestigio, quae quidem lineae graduum altitudines repraesentant, quas vulgo Hispani cementarij peraltes vocant. atque adeo quot sunt in vestigio lineae, tot sunt computandi gradus: quot lineis concluduntur areae, tot graduum retractiones indicant, quas voce aptissima dicti fabri vocant huellas, vestigia; quod eiusmodi retractiones ascendentium, vel descendentium pedibus proterantur. Portam mox indicat interruptus murus: eius verò intercapedo portae indicat latitudinem, muri crassitudo, hincinde postes, qui portam muniunt, ac sustinent superliminare. Hos postes calamo metitur Angelus, vt videbimus. Muri crassitudinem praetergressos spatium quoddam suscipit tripla latitudinis longitudine, quod postibus eorum simillimis, quibus atria cinguntur, & ipsum cingitur, donec ad exteriorem murum venias, qui haud aliter apertus est, quàm ipsa prior porta, simili omnino, ac pari muri crassitudine, atque intercapedine. atque hoc totum, quod dixi spatium, cùm suis postibus, semicolumnis, fornicibus, mensuris, ornamentis, maiori cura ab Angelo mensuratum describit initio huius visionis Propheta noster Ezechiel, ipsum spatium, portae nomine saepe saepius censens. Quòd si ad interiora extra portam progrediaris, quadratam aream inuenies atrij exterioris, siue Israelis atrium latis porticibus vndique cinctum, quarum, quae ad Orientem spectat, & quae ad Occidentem septenis aperitur fornicibus, porta media, ternisque hinc, ac totidem illinc relictis. reliquae verò porticus, quae ad Aquilonem, & Meridiem spectant, septenis pilis, octonis fornicibus constant: qui quidem fornices non vniuersi templi modo videndi facultatem liberam praebent, verum etiam pedibus peragrandi. Huic verò, quam diximus, quadratae areae ternae aliae eidem similes, & aequales vtrinque adiacent, paribus ab inuicem seiunctae porticibus, quae omnes ad atrium spectant Israelitarum, ad quod per bi- E nas alias portas praeter dictam patet accessus: altera sistitur ad Meridiem, in medio muro Australi aperta, altera eidem ex aduerso constituta, quae in medio muro Aquilonari aperitur. Intra atrium exterius atrium iacet interius, quod sublimius est inferiore, vtpote ad quod per gradus ascenditur, quorum vestigia in ipso apparent portarum introitu. idem atrium peribolo quodam totum cingitur colligante postes porticuum, quae ipsi atrio interiori adiacent. Sunt autem huius atrij portae tres, totidem atrij exterioris portis similes, pares, & ex aduerso respondentes. Diuiditur autem ipsum atrium interius, secundum longitudinem, in areas binas,

PRIMAE Ichnographiae propria tractatio.

 qua-

quadratam alteram, in qua sacrificiorum peragebantur sacramenta, cuiusque in medio aeneum erigebatur altare, & quodam peribolo claudebatur ab Occidente inter templum, & altare praedictum. ac tandem reliqua areae pars priori latitudine par, longitudine maior est: in cuius medio templum illud sacrosanctum erigitur, de quo superiore capite dicebamus.

Hortamur igitur benignum lectorem, vt, cum primum hanc vniuersam Ichnographiam, vel hoc vniuersi templi vestigium perspexerit, eius admirandam compositionem, quae primum sese offert conspicienda, perpendat: nam praeter peribolum, & atrium gentium, quod atrium Israelis cum templo cingit, ac pene coronat, atrium ipsum Israelis, vel potius illud omne spatium, quod quadrato muro Israelis cingitur, porticibus circa murum totum circumdatur, ac reliquum binis alijs ex aequo interiectis porticibus ita diuiditur, vt vniuersa area in areas distributa sit quadratas octo: oblongiorem vnam, quod porticus vna, quae aream templi diuideret ab area altaris, sublata sit, ne aut conspectum, aut locum ipsum templi impediret. Fiunt autem, vbi porticus aliae alijs occurrunt, quadratae porticus pulcberrimae sexdecim, inter quas manent porticus oblongiores tres & viginti. Quae omnia cur ita pridem facta sint, ratio a nobis reddenda est, sed non prius quam horum omnium partium dimensiones ex sacris literis comprobentur.

VESTIGIVM secundum vniuersale.

Huic primo vestigio secundum imminet, cuius hic est titulus: SECVNDVM TEMPLI SALOMONIS VESTIGIVM CVBICVLA OSTENDENS PRO SACERDOTIBVS CANTORIBVS ET ALIIS MINISTRIS, NECNON GAZOPHYLACIA PRO SANCTIS VIRGINIBVS, CONCILIO SENIORVM, SCHOLA THEOLOGIAE ET ALIIS MINISTERIIS. In quo primum expendenda est exterior porticus, porticibus respondens gentium, quam, vt dixi, constare certum est quaternis columnarum ordinibus, quorum quartus, vt ait Iosephus, intextum habet lapideum parietem, atque ita fiunt per interualla ternae porticus. super harum media, & super binis medijs columnarum ordinibus, bini alij eriguntur hoc secundo vestigio, inter quos vna manet desuper contignata porticus. reliquum hinc atque illinc tecti spatium liberis patet ambulationibus subdialibus, quas domata vocant: eas verò coronae vtrinque cingunt, iuxta praeceptum Domini. *Cum aedificaueris*, inquit, *domum nouam, facies murum tecti per circuitum.* Deut. 22. ℣. 8

Septuaginta interpretes coronam, vertunt, solario tuo: *ne effundatur sanguis in domo tua, & fis reus labente alio, & in praeceps ruente.*

Reliquum verò huius vestigij aedificium omne, eiusque partes inuicem sunt simillimae: muri enim omnes exteriores porticuum, qui postibus, & fornicibus aperiebantur, hic sunt perpetui, & in quibus fenestrae tantummodo aperiuntur. Super medijs verò porticuum columnis quadratae quaedam pilae eriguntur, subtilioribus quibusdam murulis inuicem, & cum grossioribus muris colligatae, ita vt cubiculis hinc atque illinc adiacentibus, via quaedam perpetua, & aequalis totum vndequaque peruium faciat aedificium. Sexdecim autem illae quadratae porticus, quarum in priori vestigio memini, propter lumina, & propter ambulationis laxationem, necnon ad pompam, & splendorem aedificij manent peruiae. Cenacula omnia varijs ministerijs, ministrisque attributa fuerunt: quorum, quae nota esse potuerunt, in ipso describuntur vestigio, & suis locis, ac testimonijs confirmabuntur. reliqua similibus vsibus fuisse disposita certo scitur: quamuis, quae, quibus, ignoretur. Huius porrò secundi vestigij commodis seruiunt scalae, quae iuxta Angeli praescriptum, & proportionis rationem disponuntur. earum verò in priori vestigio non memini, quoniam ad aedificium minime videbantur spectare, vtpote quae exstructo iam aedificio è lignis cedrinis sint superadditae, vt infra ostendemus. Huic demum vestigio, secundum quoque domus Domini vestigium adiecimus, non quidem ignorantes, hoc, & illud non in eadem esse superficie, quippe quod duplo altius ascendat, sed vt secundum vtriusque aedificij vestigium pariter cerneretur, & posset conferri, ac dijudicari, quae huius membra membris illius ex aduerso respondeant. Illud praeterea arbitrantes, quod si illud domus Domini vestigium pingeremus, quod maneret, si superficies, quae secundam atriorum contignationem seiungit a prima, domum Domini diuideret, operae nobis non parum, vtilitatis lectori quam modicum, confusionis quam multum fortasse attulissemus. Tertiam atriorum contignationem vestigio exprimere non oportuit, quoniam, si extrinsecam columnarum porticum ab hac Ichnographia sustuleris, eadem tertiam atriorum contignationem omnino exprimet. Quartam porro, ac quintam contignationem, in quibus eminentia castella cum tectis inferiorum exprimerentur, vestigio indicandas esse non censui. non quidem, quod reprehensionem eorum subterfugerem, qui nos multitudine propositarum imaginum architectos haberi velle arbitrantur. sed quod facilè possent in hac ipsa Ichnographia cognosci, si longiores porticus tectis opertas esse imaginetur lector, quadratas sursum ascendere; tunc enim quartum haberetur vestigium. Quintum vero, si harum quadratarum porticuum mediae columnae tantum putentur ascendere. Atque ita puto me satis iam dixisse, quod ad hoc exordium spectat, de secundo vestigio, & reliquis superioribus.

SECVNDVM vestigium domus Domini cum secundo vestigio atriorum pingitur. & quare.

TERTIVM vestigium atriorum, quartum, ac quintum, quare non fiant.

VESTIGIVM tertium fundamentorum.

Superest iam, vt ad ima descendamus, fundamenta ipsa rimemur, quorum tertium proponitur vniuersale vestigium cum hac inscriptione. VESTIGIVM MVRORVM SVBSTRVCTIONIS TEMPLI SALOMONIS, ET GAZOPHYLACIORVM QVAE ERANT IN EIVS CRYPTOPORTICIBVS PRO CVLINIS HORREIS CAETERISQVE APOTHECIS EXSTRVCTA. In hoc verò vestigio murus quidam exterior immensae magnitudinis conspicitur, porticus gentium latitudini, crassitudine respondens non enim minori crassitudine exstruendus fuit murus, qui ab imis vallibus ad vsque montis culmina, incredibili propemodum altitudine erectus, aggeres sustinere posset, quibus area templi laxabatur, necnon superimpositam porticum gentium, quam non decuit superaggesta terra fundari, sed in solido illo muro adusque solidam petram in vallem profundam descendente. Hic vero murus, quamuis, vt dixi, per-

perpetuus

petuus fuisset, non tamen eadem crassitudine: A nam in angulis, in quibus maiorem exigit ratio firmitatem, duplam habuit crassitudinem eius quae est inter extremos angulos: medium spatium binis parastadis munitur, quae pares quaternis angulorum parastadis cum sint, vna cum eis extra perpendiculum in inferioribus procurrunt, quo firmius sidentis totius montis aedificio pressi, molem sustinere possint. Praedicta vero muri celsitudo ab Oriente quidem, & à Meridie maxima est, ab Occidente minor, ab Aquilone minima: proptereaque ab Aquilonari muri tractu medias parastades sustulimus, ab Occidente verò minus celsas fuisse testamur: quinimmo, & ipsi muri ab his duobus lateribus B non omnino pari crassitudine reliquorum fuerunt. quamuis, quod, qua ratione facti fuerint, conijcere non possimus, similes eos reliquis effecerimus. sed de substructione hac, plura sequenti capite dicemus.

Interius omne aedificium porticibus atriorum Israelis, & sacerdotum subiacet, ac templo, addita crassitudine, quam fundamenta exigunt, de qua suo loco. Vniuersa verò haec fabrica, quoniam, vt titulus indicat, pro gazophylaciorum, & culinarum vsu relicta fuit inter fundamenta domus, ideo porticus omnes in gazophylacia, & congruam illorum ambulationem distribuuntur. quare exteriora gazophy- C lacia longiora sunt, ambulationem vnam ante se habentia, reliqua verò hinc inde disposita, ambulationem habent mediam, quae totum vndequaque peragrat aedificium. Fundamenta praeterea templi perpetua finximus, non quod tam solida fieri debuisse putemus, sed quod eorum formam aliqua certa coniectura, vt cetera, definire non possimus. Spatium autem illud, quod in medio atrio interiore sub altari depingitur, locus is est, in quem cineres ex altari defluebant, inde postmodum educendi, vt in loco ad radices Caluariae montis ad id designato, quem in imagine depinximus, asseruarentur. Atque his interim in vniuersum praelibatis de atriorum Ichnographijs, satis me dixisse existimaui: nam quae superest interioris atrij partialis Ichnographia, opportuniùs explicabitur inter Orthographias, quarum potissimùm de causa facta fuit.

FVNDAmenta domus Domini.

DE IDAEARVM

MODICA MENSVRA, DEQVE *substructionibus templi, & earum Orthographia.*

Cap. XVII.

PRIVSQVAM de Orthographijs quidquam dicamus, explicanda nobis fuit modica mensura, & eius ratio reddenda, quae in omnibus tam Ichnographijs, quam Orthographijs describitur, sub cubitorum, aut calamorum nomine, ac numero. quod cum praestiterimus, modum quoque praescribemus huiusmodi descriptiones conficiendi, & examinandi. Ponamus igitur ob oculos iterum vestigium Sanctuarij primum, quod oporteat nunc primum delineare. Et quidem illud esse debet in primis perspectum, quot, verbi gratiâ, cubitis totum aedificium, ac eius singulae partes longae sint, ac latae. Quo habito, magnitudo perscribi solet, intra quam velim Ichnographiam vniuersam contineri: qua nimirum papyri magnitudine delineanda proponatur. His igitur omnibus sic constitutis, cum vniuersae domus longitudo centum sit cubitorum, ea definiatur in papyro, vt libuerit, aut ita temperetur, vt vsui futura sit in descriptionibus, quod te docebit vsus, & aedificij magnitudo: & ducta vna linea, aut binis parallelis, in eis notetur dicta longitudo, ea in duas aequas partes secetur, & earum altera in dicta linea, aut in dictis parallelis notetur, eaque deinde in quinque diuidatur partes aequales, & earum extrema vna in decem D partes aequas diuidatur, adiectis numeris, quinario quintae, denario decimae, quaternisque alijs partibus maioribus proprij addantur numeri, secundae viginti, tertiae quadraginta, ac quartae demùm quinquaginta, vt sub praedicta Ichnographia obseruare poteris. Hanc igitur mensuram aptissimam habebis, & ad quascumque aedificij praedicti delineationes faciendas, & ad eas commensurandas, quae eiusmodi mensura factae fuerint. Huiusmodi mensuram vulgo Hispani Gallica voce vocamus Piripie, quasi petit pie, hoc est, paruus pes, quoniam pedibus, non cubitis, aut quauis alia longitudinis mensura aedificia metimur. Nos vero in descriptio- E nibus dictam mensuram cubitos vocamus, aut calamos, quoniam cubitis mensuratur hoc aedificium, aut calamis. Atque vox calamus indicat, tot partibus ex his domum Domini, verbi gratia, in imagine latam esse, quot cubitis eadem domus Domini lata erat. atque eadem de reliquis partibus aedificij, & de vniuerso aedificio ratio est: eandem enim proportionem habet quaelibet pars huius Ichnographiae ad quemlibet numerum partium diuisae lineae, quam similis pars aedificij ad parem cubitorum numerum. Est autem, non cubitorum modo habenda ratio, sed & calamorum, quippe quod saepe calamis, nulla facta cubitorum mentione, mensuret plerumque

MODICA cubitorum mensura quomodo accipiatur.

MODICAE mensurae cum imagine proportio.

A Propheta partes huius aedificij. Quapropter eidem quoque mensurae addendi fuerunt calami, seruata quam habent ad cubitos proportione. Haec vero ostendenda est esse, quam habet quaternarius ad numerum viginti quinque, & octonarius ad quinquaginta cubitos. quare si praedicta linea in partes diuidatur rursus octo, singulae earum calamum vnum referent, cubitos continentem sex cum quarta insuper cubiti parte. Huius autem calami ratio reddenda est paulo inferius: eius verò cum cubitis collatio multiplex habetur in tabula proportionum septima, in qua cum nostris quoque, & cum antiquis mensuris confertur.

Tabula proportionum septima, in fine secundae partis tom. 3. Apparatus.

B His igitur de idearum mensura constitutis, ad Orthographias explicandas accedamus. Et quidem iuxta ea, quae diximus de mensura contemperanda pro modo delineationum, nos eam mensuram ad vestigia delineanda delegimus, quae neque plus nimio excrescere eas faceret, neque ita minueret, vt subtiliores partes non perciperentur, & iuxta praedictam mensuram, primam effecimus Orthographiam, quae sic inscribitur: ORIENTALIS FACIES SVBSTRVCTIONIS AB IMIS VALLIBVS CVBITOS TRECENTOS ERECTAE AD SVSTINENDOS AGGERES QVIBVS ATRIORVM TEMPLI AREAM SALOMON LAXANDAM CVRAVIT. NECNON PE- C RIBOLI ATQVE PORTICVVM QVAE AD HEBRAEOS QVAEQVE AD GENTILES PERTINEBANT. SVB MINIMA CVBITORVM MENSVRA QVA ETIAM VNIVERSALIA VESTIGIA DIMETIVNTVR. in qua quidem inscriptione corrigendus error in primis occurrit: nam pro, DIMETIVNTVR, DEFINIVNTVR, scribendum fuisset. Est autem, non modo ductis lineis, verum etiam addito hoc titulo, quid exprimat huiusmodi Orthographia fere perspectum. Nam Orientalis facies potius quam reliquae, describenda fuit, quoniam haec celsissima fuit, vt paulo ante dixi, quare haec potiùs quam aliae aedificij di- D gnitatem, ac maiestatem commendare maximè posset. Haec autem structura, & à lapidum magnitudine, & subtili opera, & ab artificio maximè commendatur a Iosepho suo loco afferendo: quamuis, non maximi faciendam esse hac in re Iosephi auctoritatem, putarem, cum diuina quaedam suppetat IESV CHRISTI Domini nostri, ac maxima huius aedificij commendatio: Nam, *Cum egrederetur de templo*, inquit Beatus Marcus Euangelista, *ait illi vnus ex discipulis suis. Magister, aspice quales lapides, & quales structurae. Et respondens IESVS ait illi: Vides has omnes magnas aedificationes?* Et E quidem de hac templi facie, quam explicamus sermonem fieri perspicuum est: nam è templo egressum Christum, ad montem Oliuarum rectà iuisse, constat ex eo, quod mox subdit Euangelista: *Et cum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus*, &c. At montem Oliueti Orientalem faciem vrbis ac templi prospectasse, infra pluribus ostendendum est. Quod vero ad historiae intelligentiam spectat, optime noster Maldonatus expressit: Videtur, inquit, discipulus ille, quisquis fuit, qui templi Christo structuram ostendit, tempus, locumque, vt illi templi pulchritudinem demonstraret, idoneum quaesiuisse, si forte commouere eum ad

SVBSTRVctionum prima Orthographia.

SVBSTRVctionis commendatio.

Marc. 13 ℣. 1. & 2.

Ibid. ℣. 3.

Infra tom 3. parte 2. cap. 5

Maldonat. in Marc.

A commiserationem posset, totique vrbi Ierosolymitanae, saltem propter templi amplitudinem, & religionem parceret, quod res illi indigna videretur, vt tantum, tamque elegans templum euerteretur. Hanc autem templi magnitudinem suadent amplius verba Christi, *magnas aedificationes* vocans eas, qui, quod ipsa veritas sit, neque quidquam, quod verum non esset, proferre poterat, neque vero quid, quod vltra veritatem transcenderet. sed de his alias. Nostrae explicationis filum retexamus. Appatet in summo huius substructionis porticus Israelis gentium porticui supereminens: & ea quidem columnarum, ac parastadum dispositione, immo verò B multo magis atriorum, & porticuum distributione, modum quoque ipsis substructionibus videtur praescribere: quod collata cum vniuersali Ichnographia, haec eadem Orthographia indicabit. Nam atrium Israelis in areas tres diuiditur, quibus pari mensura tres respondent fornices, viam illam desuper sustinentes, quae vniuersum circumdat templum, & inter peribolum, & murum iacet porticus gentium. Areas quaternae porticus diuidunt, ac finiunt, quibus adnumerandae sunt binae hincinde porticus atrij gentium: atque his quidem senis porticibus totidem in substructione respondent anterides, siue erismae. quae quidem erismae in imo procurrunt quidem extra C perpendiculum ad centenos cubitos, & paulatim sursum contrahuntur, donec in summo tantum procurrant, quantum est crassus murus substructionis, hoc est, cubitos quinquaginta.

MAGNAS templi aedificationes vocat Christus Dominus.

TEMPLI atria, & porticus modum substructionibus praescribunt.

SVBSTRVCTIONVM TEMPLI SYMMETRIA

cum Vitruuij praeceptionibus confertur.

Cap. XVIII.

ILLVD quidem maximè notandum hic sese offert, quod non sine maxima admiratione recolo; cum enim haec omnia multis ante annis ex ipsis huius fabricae principijs, & dimensionibus hausissem, nec quidquam me legisse eiusmodi apud Vitruuium meminissem, tandem incidi in Vitruuij locum ita de substructionibus agentis, vt omnia, quae tradidit praecepta ex huius substructionis obseruatione deprompta fuisse videantur. locus autem sic habet: Maxima autem esse debet cura substructionum, quod in his infinita vitia solet facere terrae congestio. Ea enim non potest esse semper vno pondere, quo solet esse per aestatem: sed hybernis temporibus recipiendo ex imbribus aquae multitudinem crescens, & pondere, & amplitudine disrumpit, & extrudit structurarum septiones. Itaque, vt huic vitio medeatur, sic erit faciendum, vti primum pro amplitudine congestionis crassitudo structurae constituatur. Hoc primum Vitruuij praeceptum vt intelligatur hoc maximè aedificio obseruatum, seu potiùs ex huius obseruatione desumptum, in memoriam reuocanda sunt, quae de mello à Salomone aedificato & voragine ciuita-

Vitruu lib 6. cap. 11.

VITRVVIVS praecepta substructionis ex huius obseruatione deprompsit.

Alibi tom. 3. part. 1. lib. 2. cap. 8.
3. Reg. 11. ℣ 27.
SVBSTRVCTIO quae dicatur, & congestio.

ciuitatis Dauid completa alibi diximus. Nam, vt ibi ostendimus, murum erexit ab vna valle meridiana templi, quam substructionem vocare licet, iuxta Vitruuianum loquendi morem: spatium verò, quod erat reliquum murum inter, & montem templi, terra completum, siue aggestum fuit. hoc verò totum spatium, quod coaequatam voraginem ciuitatis Dauid vocat historia Regum, vocatet Vitruuius congestionem. Non autem alia ratione de superstructione Orientali censendum est, quam de Meridiana, cum de Orientali plura dicat Iosephus, sic scribens: Fanum autem conditum erat, vt dixi, supra durissimum collem; Et initio quidem vix templo cum atrio Israelis, atque areae atrij gentium sufficiebat iacens in summo planicies, quod vndique praeceps erat, atque decliuis. Cum autem Rex Salomon, qui etiam templum aedificauerat, muro eius partem ab Oriente cinxisset, vna porticus aggeri est imposita, &c. Huius autem substructionis alibi meminit his verbis: Dici autem non potest, ac vix etiam oculis credi, quam mirandum fuerit illud exterius fanum Ipse contextus indicat de atrio gentium loqui, cum illud conferat cum atrio Israelis, cuius ante meminerat. Vallibus enim expletis tam profundis, vt ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo templum exstructum est, aequauit. Hanc cinxit duplicibus porticibus, quas columnae e natiuo saxo sustentabant, & laquearia cedro expolita tegebant. Haec ille, in quibus non satis sibi constans videtur esse Iosephus, cùm hic substructionibus, & porticibus cinctum dicat à Salomone intra septennium templum; ibi verò tantummodo Orientale latus. At quamuis dubitari facilè possit apud Iosephum, num vnus Salomon, an verò & alij quoque Reges post eum vniuersam templi substructionem absoluerit, illud tamen in dubium venire non potest, quia manifestè falsum est, quod quidam nostra aetate affirmarunt, substructiones has ab Herode constructas fuisse. quibus ipse palam contradicit Iosephus, qui etiam illa referens, quae Herodes aedificauerat, cùm ad superstructiones venit, semper has explicat à Salomone aedificatas fuisse. id quod mox afferendo eiusdem testimonio confirmabitur. Illud tamen me certo affirmare posse non dubito, Scriptores illos nouae illi sententiae minimè subscripturos fuisse, si animaduertissent, eam ex aduerso pugnare cum illis omnibus sacrae Scripturae locis, quae à Salomone tradunt mello aedificatum fuisse, cum, vt alibi ostendimus, nihil aliud mello significet, quam huiusmodi substructionem. Sed de muri auctore alibi, nunc quod ad substructionem spectat. Hoc vno Orientalis substructio à Meridiana distare videbatur, quod haec in voraginem quandam angustiorem desinebat, cui respondebat altitudo ferè aequalis ex aduerso in monte Sion, at verò Orientalis substructio Opheli imminens, in latissimam vallem Iosaphat quodammodo desinebatur, ita vt eius prospectus maximè esset conspicuus, vt ex Euangelij loco paulo ante allato, & ex ipsa vrbis imagine constare poterit. Iam verò propius ad rem accedentes, murus Israel non potuit super congestione fundari, quin ad solidam vsque montis firmitatem descenderet, alias enim vitiosa nimis esset structura, & ruinae maxime pateret, quod quam longissimè abesse debet ab huius aedificij consideratione. atqui substructionis crassitudinem consimili argumento confirmare licebit, fuisse non

Iosephus 6. belli cap. 6.

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.
SVBSTRVCTIONIS latus.

FALSVM est, ab Herode substructiones templi factas fuisse.

QVO DIFFERT à Meridiana Orientalis substructio.

A minorem latitudine porticus gentium, & muri illam ambientis, quae praedictae imminet substructioni; est enim quinquaginta ferè cubitorum, atque adeò murus substructionis quinquaginta cubitorum, calamo vno superans praedictae porticus latitudinem. Superest autem inter substructionem hanc, & murum Israelis congestio quinquaginta cubitorum, quanta videlicet est latitudo atrij gentium· ex quo fit, vt congestio ipsi substructioni latitudine sit par; ita enim fieri oportuit, propter congestionis sexcentorum cubitorum longitudinem, altitudinem trecentorum, propemodum infinitam. Hoc verò significare voluit Vitruuius, sic scribens: Itaque B vt huic vitio medeatur, sic erit constituendum, vti primum pro amplitudine congestionis crassitudo structurae constituatur. Illud verò pro amplitudine, quod rationem, ac debitam proportionem exigere videtur in hoc nostro aedificio, paritatem denotat, cum congestio quinquaginta sit cubitorum substructionis crassitudini par. Neque verò hac vna constituta substructionis crassitudine contentus fuit Vitruuius, sed insuper haec verba adiecit: Deinde in frontibus anterides siue erismae sint, vna struantur. Anterides, erismae, Graecae voces ab eodem deducuntur verbo ἐρείδω hæreo, firmo, figo, fulcio. Ideo erismae, siue, vt alibi scripsit ἐρείσματα herismata, sunt fulcimenta, vt bene notauit Philander. C Hinc fit compositum ἀντερείδω antendo, contrafulcio, vel obnitor, indeque ἀντερὶς ἀντερίδος ipsa structuram fulciens. vocis notionem, potius quam rem ipsam significare videtur vox Italica *contraforti*; rem prius indicat altera *speroni*. Hispani vocamus *estriuos*. Porrò anterides vna cum substructione faciendas esse praecipit Vitruuius, illud innuens, quod in huiusmodi fulcris maximè requiritur, nimirum vt ipsa anteridum structura bene sit connexa, & colligata, & secum ipsa, & cum ipsa substructione. quod fieri vix potest, nisi eadem structura, eodemque tempore erismata fiant, & substructionis muri. id quod meritò notandum, ac maxi- D mi faciendum duxit Iosephus, de huius substructionis fabrica sic scribens: Huius montis inquam Moria, verticem prius Salomon Rex noster, instinctu Dei muro circumdedit. Radices quoque eius alio muro cinxit, cui versus austrum subiecta est vallis profunda. Hic murus constat saxis grandibus, plumbo inter se iunctis complectens interius spatium, & in profundum descendens, vt miranda sit magnitudo, & altitudo structurae forma quadrangulari. Saxorum enim magnitudo a fronte est conspicua, interiora ferro vincta iuncturae continent contra omnium temporum iniurias firmissimas.

Sed ad Vitruuium redeamus, qui haec praedictis de erismis subiungit: eaeque inter se distent tanto spatio, quanto altitudo substructionis est futura crassitudine eadem, qua substructio. E Hunc locum explicans Philander. Habet, inquit, Superbi Tarquinij agger (is hodie ab aede Sancti Viti vltra Diocletiani thermas protensus cernitur) anterides, sed aliquando frequentiores, aliquando rariores, quam Vitruuij praescriptum patitur. Quam rem bene consultus, quisquis fuit ille, Architectus pro loci natura temperauit. Haec ille. Hoc porro praecepto Vitruuius communes fabricas respexisse videtur, quarum nulla ad tam incredibilem ascendit celsitudinem, quanta haec nostra est. Accedit huc etiam, quod vel ipse Vitruuius, vel ij, à quibus Architecturae praecepta, legesque susceperat, fortè diffidebant, tam

omni-

CONGESTIO substructioni par

Vitru. lib. 10. cap. 1.

QVID ANTERIDES, quid erismae sint.

Philander ibid.

Iosephus 15. ant. cap. 14.

ERISMATA, & murus, cui adiacent, vna facienda, ac bene colligata.

CRASSITVDO, & distantia anteridum.

SVBSTRVctionis symmetria quam maxima.

omnimodam, tamque exactam partium symmetriam, vel in ipsis substructionibus posse ab omnibus obseruari. quapropter illa tantummodo praescripserunt, quae firmitati substructionis conducere possent, reliqua, quae ad decorem, ac venustatem, consultò praetermiserunt. Ego verò, cum in hoc architectando ædificio nullam aliam legem mihi praescripserim ab ea, quam numeri ipsi calamorum, aut cubitorum, quos sacrae Scripturae tradunt, praescriberet, quo magis ac magis rationes symmetriarum perpendo, eo magis admiror Dei optimi, ac maximi in eo architectando sapientiam. Nam tota periboli in singulis lateribus longitudo centum vigintiquinque calamorum fuisse ab Ezechiele traditur, vt in eius explanatione videbimus quorum octoni calami cubitis exaequantur quinquagenis, quanta est anteridum latitudo, & in summo prominentia: tantundemque recedunt ab angulis extremæ anterides, quò ipsi respondeant muro substructionis, cui supereminet porticus gentium. Et quoniam in angulis maiorem adhibendam esse munitionem certum est, ideo haec extrema erismae a proximis quinquaginta tantum cubitis distant, quanta est atrij gentium extra porticus latitudo: cùm reliquae ab inuicem centenis, vt dixi, distent cubitis. Altitudo verò huius substructionis trecentorum cubitorum fuisse definitur à Iosepho. quapropter erismae, altitudinem sortientur suae latitudinis sextuplam, quanta videlicet est humani corporis altitudo ad proprij vestigij longitudinem. Prius tamen quàm reliquas proportiones persequamur, operaepretium fore existimaui, reliqua Vitruuij de hac re verba percensere. Procurrant autem, inquit, anterides ab imo, per quam crassitudo constituta fuerit substructionis, deinde contrahantur gradatim, ita vt summam habeant prominentiam, quanta operis est crassitudo. Hunc locum, ex ijs, quos videre potui, nullus interpretum assecutus esse videtur. Sed quoniam eorum sententias refellere non vacat, quid sentiendum esse arbitremur, breuissime ac dilucide proponemus. lectoris deinde iudicio, in quo illi à vero aberrauerint, statuendum. Atque illud magis est perspicuum, quod Vitruuius vltimo loco tradit, nimirum vt promineant in summo anterides extra substructionis crassitudinem, quanta est ipsa substructionis crassitudo: id enim denotant illa verba: quanta operis est crassitudo. Illud, propter dicendi modum, ac phrasim, maiorem inuoluit difficultatem, quod initio dixerat, ita vt nonnullis suspicio inciderit, mendum librarij vitio subrepsisse, ac pro, perquam, plusquam legendum fuisse. Ego verò quamuis de mendo nihil ausim affirmare, ne videar illis subscribere, qui temere antiquos quoslibet Scriptores corrumpunt, correctionis causa, tamen eum esse verum loci sensum, quem eiusmodi correctio indicat, haud dubito. An verò Latina phrasis admittat, vt perquam dicatur pro plusquam, iudicent bene de lingua Latina meriti: mihi enim Vitruuium Latinae linguae peritissimum sequi certum est. Loci igitur sensus est, vt anterides in imo, quod celsitudine substructionis, quasi longiori vecte, maiori vi a congestione propelluntur anterides, eae ampliùs procurrant, quàm quae fuerit substructionis crassitudo, ac deinde contrahantur gradatim, ita vt summam habeant prominentiam, quanta operis, siue muri substructionis est crassitudo. Hoc autem, quantum procurrere debeant in imo anterides, non definit

Ezech. 42. ℣. 16. & seq.

PARTIVM & anteridum substructionis mensurae, ac proportiones.

VITRVVII locus explicatus.

PERQVAM pro plusquam.

IN IMO magis substructio a congestione propellitur.

A Vitruuius, puto, vt pro loci, ac firmitatis ratione à prudenti Architecto constitueretur: at nos quamuis eiusmodi nec simus, nec haberi velimus, quoniam nullibi huiusmodi prominentiam decerni comperimus, eam consimili praedictis ratiocinatione constitui posse arbitrati sumus. illis igitur inferioribus prominentijs haud secus innitetur fabrica, quam pedibus homo, humani igitur pedis erit ei apta proportio. Pedis longitudinem Albertus in tres aequas partes diuidit, quarum anteriorem digitis, mediam ossibus, & neruis, postremam tibiae iuncturae, ac talo tribuit, ex quo fit, vt pes à tibia promineat duplo, plusquam tibiae anterior pars à tali extre-

B ma, atque adeò centum quinquaginta cubitos prominere fecimus à muro substructionis imas anterides, summas quinquagenos (tantundem enim crassa est substructio) centenos reliquos gradatim contraximus. & quamuis vocis origine idem significari videatur, ac si per gradus contraheretur, iam tamen vsus obtinuit, vt gradatim idem significet, quod sensim. Quapropter nos primùm gradus subiecimus substructioni, vel, vt Vitruuij verbis vtar, scamillos impares adiecimus, hac ratione: anterides in imo cingit trium calamorum fascia, hoc est, dimidiae latitudinis erismae, sublatis binis illis hinc inde calamis incumbarum, sic dicuntur sti-

C pites illi, quibus incumbunt fornices. At in summo fascia quaternos alta est calamos, propter nimiam enim altitudinem tantumdem adijciendum fuerat, vt aliquam videatur habere ad latitudinem proportionem. Huic igitur imae fasciae alia subijcienda fuit quattuor calamorum, & huic tertia quinque: sic fit, vt fasciae debitam seruent venustatis proportionem, ac omnes simul duodenos altae sint calamos, qui quarta pars sunt quadragenum octonum, quibus trecenti illi altitudinis cubiti continentur, vt in ipsa videre est Orthographia, in qua omnes lapidum ordines altos fingimus calamum vnum, hoc est, cubitos sex cum quarta parte

D cubiti, de quibus Iosephus: Saxa, inquit, quadragenum cubitorum magnitudinis erant nam & pecuniarum copia, & populi largitas maiora dictu conabatur. Has igitur retractiones fecimus ita per gradus, tum ob dictam rationem, tum verò maximè, quoniam non aequale fuisse videtur solum in ima valle ophel, quae huic erat subiecta structurae, sed ad Meridiem depressior, ad Aquilonem celsior, id quod alibi satis apertè me demonstrasse recolo. Subscribit his Iosephus, de hac substructione sic scribens. Cuius quod humillimum fuit trecentenis cubitis muniebant: in quibusdam vero locis pluribus, non tamen omnis altitudo fundamentorum videri poterat, multum vallibus obrutis, vt angustas vias oppidi coaequarent.

E igitur, ne huiusmodi soli inaequalitas ipsas anterides absconderet, quod vitiosum est, & maximè vitandum in structura, gradus illos aptauimus, haud aliter quam stylobatis gradus respondent in templorum porticibus. Demum vestibula illa, seu loculamenta fornicibus operta sic manent, duplo ferè altiora quam lata, gratissima proportione. Haec autem omnia de substructione tractanda in praesentiarum duxi, cum, quod nullum videbantur deinceps commodiorem posse sortiri locum, tum, vt à fundamentis, quasi naturae ordinem sequentes, aedificij tractationem aggrederemur. Vnum tamen superesse videbatur, quo vniuersae huius primae Ortho-

Albertus Durerius lib. de symmetria part. corp. hu.

HVMANI pedis proportio anterides mensurat.

GRADVS substructioni quare subijciantur.

Vitruu. lib 3. cap 3. & 5. cap 9.

Ioseph. 15. antiq. cap. 14.

Alibi tom. 3. parte 1. lib. 3. cap. 21.

ALIA QVOque ratione gradus in substructione sunt.

MEMBRA in aedificio abscondere vitiosum est.

Orthographiae ratione mittderemus, vt aliquid de porticibus summis diceremus; verùm & hae proprium habent tractationis locum, & hic tam sunt exiguae, vt in eis vix possent minutiora membra, & ornamenta signari. quapropter cum hac ratione maiores fuerint aliae factae Orthographiae, quae hic dicenda videbantur, in proprium caput reijcienda sunt, quo eiusmodi Orthographiae, Deo bene fauente, explicabuntur.

DE PECVLIARI QVADAM ATRII INTERIORIS ICHNOGRAGHIA.

Cap. XIX.

DIFFICVLTAS illa, quam extremo superiore capite attingebamus, nimirum quod vix, ac ne vix quidem membra aedificij omnia, atque ornamenta in superiore Orthographia possent exprimi, nedum à lectore discerni, tanti ponderis est, vt vel vna posset nouas exigere descriptiones, nouos sumptus, nouum opus. Quid enim nobis profuisset, tam improbo labore, tot sumptibus, tot incommodis, quibus vita etiam nostra nonnumquam periclitabatur in explicando hoc templo, vel potius in explicando Dei Optimi sermone de templo, defatigatos fuisse, si illud vnum, quod maximè ad Dei gloriam optabamus, nimirum vt intelligeretur, ipsis datis descriptionibus, consequi nos posse desperaremus? Quamuis enim adhuc lectori minimè perspectum sit, quibus sacrae Scripturae verbis haec contineantur, aut quam potissimum ob causam olim scriberentur, ac modò ab Ecclesia Catholica legenda proponantur, tamen ea omnia tunc esse perspecta poterunt, & cognita, cum totus noster hic liber legetur, cuius extrema Ezechielis visio nulla ratione absque his, quasi primis principijs percipietur. Fuerunt quidem, mihi credat lector, descriptiones aliae maiori forma conficiendae, neque frustra putet minores has factas fuisse, non enim fuisset papyrus vlla tam magna, quae maiores posset commodè capere, quae libris annexae darentur in vulgus. Hanc vnam tamen vtilitatem afferet in primis illa, quam protuli substructionis Orthographia, & eius, quae desuper erigebatur vtriusque porticus, quod cùm singulas primi ordinis columnas tantae crassitudinis fuisse intelligat, quantam possent, vt ait Iosephus, tres homines consertis inter se complexu brachijs, quibus pares esse pilas illas cognoscet, quae murum atrij gentium ornant extrinsecus, eas perpendens, collatione substructionis tam exiguas videri, vt fere sine perspicillis non videantur. huius quidem substructionis magnitudinem fuisse propemodum immensam cognoscet, & quae ipsam quodammodo superare videatur humanam cogitationem. Sed his, quae ad templi magnificentiam faciunt, praetermissis, quae ad reliquas

MINORES ac maiores Orthographiae cur sint.

Iosephus. 15. antiq. cap. vlt.

A descriptiones explicandas spectant, ordine prosequamur. Et illud in primis proponendum est, quod, propter allatas rationes, vniuersas templi ideas, quod ad fabricam spectat, vna Scenographia dempta, sub triplici modica cubitorum mensura expressimus, quam, vt diximus, vulgo nos peupie vocamus. Maxima fuit illa, sub qua tres Ichnographiae, & quattuor templi Orthographiae fuerunt factae, quas initio proposui, minima vero ea, qua tres Ichnographiae vniuersales, cum ea, quam dixi substructionis Orthographia confectae fuerunt. Alia quoque mediocris adhibenda fuit cubitorum mensura, ita contemperata, vt Orthographiae cum suis quae- B que membris videri possent, atque ornamentis, nec tamen papyri modum plus nimio excederent. Sed quoniam, vt dixi, vix possunt Orthographiae exactam aedificij rationem ostendere, nisi cum suis Ichnographijs conferantur, ideo & sub eadem mensura alia quoque fuit Ichnographia paranda, cui respondeant ad vnguem proponendae Orthographiae. Et haec quidem Ichnographia esse vniuersi templi prae magnitudine non potuit, quoniam paucioribus, quàm duodenis eiusdem magnitudinis folijs non potuisset comprehendi. fuit igitur facienda partis, & quidem nobilissimae, cui hic est impositus titulus: VESTIGIVM ATRII INTERIORIS, C ET SANCTVARII. Huic verò titulo alius additur, finem indicans, propter quem haec sit facta Ichnographia. estque huiusmodi. EIVSDEM CVBITORVM MENSVRAE SVNT ORTHOGRAPHIAE VNIVERSALES. Atque ob hanc causam seorsum ab alijs Ichnographijs hanc vnam explicandam esse duxi, atque vna cum ipsis reponendam Orthographijs. Est autem & alia huius praeponendae Ichnographiae, & praecipua fortasse causa, quae ad aliam adhibendam cubitorum mensuram nos impulit, nimirum, quoniam in parua illa atriorum Ichnographia apponi non poterant distinctae, quae ad huius atrij ministeria ibidem D extitisse recensentur, ideo opus fuit maiori forma hoc atrium fingi, quo eiusmodi instrumenta omnia, vel saltem ea, sine quibus intelligi Propheta noster haud posset, suis locis apponerentur.

OMNES fabricae ideae sub triplici sunt modica cubitorum mensura.

PECVLIARIS Ichnographia atrij interioris

In hac igitur Ichnographia, vt ad propria descendamus, domus Domini in medio atrio primum visitur, cum ijs omnibus membris, atque instrumentis, quibus in priori illa maxima eiusdem Ichnographia conspiciebatur. Hoc vno haec ab illa distat, quod haec platea quadam viginti cubitorum latitudinis vndequaque cingitur, quae rursum triplici ex parte lata porticu circumscribitur; ex reliqua Orientali peribolo tantum, illi haud dissimili, qui totum atrium E cingit interius. Illud verò hic potius obseruandum, quia commodius quàm alibi, quod centra semicolumnarum atriorum directè aduersis respondent templi circumquaque antis, quamuis duplo sint latiores quàm illae. Ac ne quidquam deesse videretur ad perfectam rationem symmetriae, postes ipsi atriorum latitudine pares sunt ipsis antis templi, vt singula suis locis, sacra Scriptura probante, confirmanda sunt. In porticibus praeterea meridiana, & aquilonari scalae illae apparent, quarum longa oratione meminit Propheta. earumque graduum numerus facile poterit suis locis computari. Ab Occidente murus fabricam claudit perpetuus semi-

IN HAC Ichnographia plurima templi instrumenta suis locis apponuntur.

Ezech. 42. ℣. 9.

semicolumnis hinc atque illinc ornatus, in quo fenestrae in medijs intercolumnis aperiuntur. patent quoque in eo binae illae portae in medijs quadratis porticibus, quas electionis dici ostendemus: atque in eis septeni illi gradus atrij exterioris, portarum gradibus, numero, atque altitudine respondentes, quod vniuersarum porticuum templi area aeque librata sit. His autem portis proximae sunt scalae, ad vsum cenaculorum iuxta symmetriam dispositae, quarum mensurae, & graduum numerus prioribus, iam dictis, respondent. & haec de Occidentali Ichnographiae parte nunc dicta sufficiant. In Orientali tres illae apparent celeberrimae atrij interioris portae, cum suis vestibulis, thalamis, frontibus, gradibus, atque alijs, quae in ipso quadragesimo Ezechielis capite recensentur, mensurantur, repetuntur. In earum Aquilonari, & Meridiana constituuntur hinc atque illinc quaternae illae lapideae mensae, pro sacrificiorum vsu, quem infra dicere suadebit Ezechiel. In portarum medio quadrata iacet area atrij interioris, quae propriè ad sacerdotes pertinet, vtpote in qua ferè omnia eorum ministeria peragebantur. clauditur hoc atrium à Meridie, Oriente, & Aquilone porticibus, ab Occidente peribolo eodem, quo plateam ante templum concludi paulo ante dicebamus. In quo peribolo bina ostiola hinc atque illinc aperiuntur, nullum in medio, reuerentiae, & religionis ergo, ne videlicet per ea egressuri terga templo verterent. praedicta verò ostiola non temere, aut casu facta, sed fere ab vniuerso vestigio deducta sunt, vtpote postibus orientalem portam munientibus rectè respondentia. In atrij medio altare illud aeneum ita constituebatur, vt ternis, cum interioris, tum exterioris atrij portis esset conspicuum. Altaris verò ipsius vestigium, eius ferè singula membra, partes, mensuras indicat, & quadratam formam, ab Oriente gradus, peribolum, seu coronam circa fossam, quae ad suscipiendum victimarum sanguinem iacet in imo: crepidinem deinde vtramque, ac demum ipsum altare superius, quod craticula operiebatur, lignis, atque ignibus continendis, cineribusque excernendis aptissima, quorum omnium formam, ac dimensiones Ezechiele duce proponemus. Altaris dexteram ab Oriente occupat mare illud aeneum, magnitudine, artificio, capacitate admirandum, cui ex aduerso stat pulpitum illud, quod musach sabbati dicebatur, quod quamuis ligneum esset, propterea omittendum non fuit, quod mari ipsi quodammodo responderet, ne videretur a latere sine aliqua symmetria constitutum. Tandem decuit bases lutherum ibidem assignari, quae, quoniam plures erant, magnitudine, artificio, & opera mirabili non parum conducere videbantur ad huius atrij, immo & ipsius templi magnificentiam, & pompam. Sed de vestigio iam satis, quoniam haec omnia sigillatim suis locis pertractanda sunt.

ALTARIS aenei partes.

DE DVPLICI VNIVERSALI ORTHOGRAPHIA. Cap. XX.

SVCCEDIT huic ordine prima atriorum Orthographia, in qua haec verba leges: VNIVERSI TEMPLI HIEROSOLYMITANI ORTHOGRAPHIA, QVAE OSTENDIT ORIENTALEM FACIEM MVRI ATRII EXTERIORIS, ET PARTEM MVRI PORTICVS GENTIVM, QVAE DEINDE DICTA EST SALOMONIS. Non est silentio praetereundum potentissimi pariter ac sapientissimi Regis de hac vna descriptione iudicium: nam, quid de omnibus senserit, facta ipsa testantur. Is est felicis recordationis PHILIPPVS secundus, dominus, ac moecenas meus meritissimus. Cui, cum praesente Rege nostro PHILIPPO eiusdem nominis tertio, domino nostro, ac eius sorore Elisabeta Archiducissa Austriae, Belgij domina, atque alijs principibus viris, singulas has descriptiones eodem fere ordine, quo hic eas recensui, explicassem, ipsaque Maiestas Regia perhumaniter de singulis partibus quamplurima sciscitata percepisset, immo vero etiam & quae deerant adnotasset: cum ad hanc vnam ventum esset descriptionem, in tantam raptus est admirationem, vt non se potuerit continere, quin in haec ipsa verba prorumperet: o estraño edificio, ò ratum, peregrinum, & inauditum aedificium. Quod quidem testimonium eo pluris a me aestimatur, quo clarius tanti Regis Maiestas, modestia, & quasi innata moderatio, cum summa aedificiorum cognitione, & frequenti eorum videndi vsu coniuncta, mihi penitus erat cognita, atque perspecta. Nam cum Regia Maiestas nihil haberet antiquius, quàm vt diuino cultui, & religioni seruiret, ac propterea exstruendis summis, ac magnificentissimis templis Regio apparatu, quod in se erat, addictus esset, cuperetque his etiam vt maxima accederet artis, rationisque praestantia, ac propterea architectorum sapientissimi alij conquirerentur, alij vltro spe quaestus, & gloriae ad ipsum confluerent, fiebat, vt hi omnes artis suae indices, atque industriae Regi offerrent quam accuratissimas templorum, aut aliorum aedificiorum formas, non modò eorum, quae fuerant, sed & eorum, quae mente assequi potuerant, ad hoc vnum potissimùm excogitata, vt Regis animum in admirationem raperent. His verò schematis euoluendis ita delectabatur, & tam perfectas mente concipiebat aedificiorum formas, vt hac vna re, quae difficilis est, vt mihi Ioannes ipse Ferrerius affirmauit, cognouerim, à Rege ipsos etiam peritissimos architectos esse superatos. Horum verò schematum ego ipse saepe apud eundem Regium architectum, non modò arcas plenas euolui, sed & aedes etiam plenissimas. Quae omnia cùm mecum ipse perpendo, facilè mihi persuadeo, vocem illam, quam de ore Regio, grauissimis, certissimisque testibus praesentibus, ego ipse audiui, & quasi quoddam oraculum

REGIVM celebre testimonium.

lum suspexi, non casu, aut temerè prolatam, sed quod prae omnibus alijs, quas viderat, aedificiorum ideis, haec vna Regis animum, ac mentem perspicacissimam posset penitùs non explere modo, sed etiam superare. nec mirum, cùm in hoc opere Diuina Architecti rerum omnium maximi effulgeat sapientia, quae eo magis humanas, siue etiam angelicas mentes in sui rapit admirationem, quo perspicaciores sunt, & maiori cum lumine eam intuentur. quod si alijs deinceps huius aedificij aspectus nullam eiusmodi pariat admirationem, perpendant ij, an ex aedificij tenuitate nascatur, an vero ex eorum animi magnitudine, & rerum perceptione maiore. Verum ab his temperandum mihi esse iam duxi, ne non satis a seipsis probata videantur ea, quae rudi hac mea, & inerudita oratione commendantur. Ad eius explicationem propius accedamus.

PERIBOLus atrij describitur.

Ostendit haec primùm Orthographia (vt ab imis extimisque ad interiora, & ad summa procedamus) hinc atque illinc periboli formam, qui vniuersam domum circumdabat, & aeque latus, atque altus dicitur fuisse calamum vnum Sed tamen peribolus nulla ex parte integer est; illinc enim aenea lamina non amplius extendebatur: hinc verò peribolum oportuit abscindere, quo stylobatarum, & podij vtriusque atrij, gentium & Israelis forma pateret: sed quoniam totus peribolus sibi similis est, ex hac parua quantumuis parte vniuersi conijcietur forma. Sunt enim in eo stylobatae ordine dispositi, inter quos marmorei cancelli disponuntur, fenestris obliquis, hoc est rhombis, non quadratis foraminibus pertetebrati. Super stylobatis sphaeras apposuimus, quod, quomodo desuper ornarentur, minimè habeamus compertum, neque aliud suadeat ratio fabricae, quo aptius possent ornari. Pars deinde apparet in hac Orthographia muri porticus gentium exterior, in eo stylobatae, & interiacens podium inferiorem sustinet muri, & parastadum partem: hae deinde suis spiris, & capitellis ornantur, immissa desuper coronice, & in zophoro triglиphis appositis, vt in reliquis templi contignationibus distribuuntur: murus simplex, ac purus fenestrarum duplici ordine tantum ornatur desuper peribolus doma cingit: cui eminent secundi ordinis columnae, trabeationem, ac tectum sustinentes, dispositis super columnis achroterijs ornatum. Hic porrò murus, quamuis vniuersum vndequaque cingeret templum, è medio sublatus est, quo manifestaretur murus atrij Israel, qui omni ornamentorum genere illustris erat, ac celeberrimus. In eius medio porta aperitur Orientalis, ad quam gradibus septem ascendebatur Stereobatae inter stylobatas columnarum fenestris ornantur, quae lumen cryptoporticibus immittunt. Triplex columnarum ordo altitudinem complet sexaginta cubitorum. super porta, & super castellis quartus erigitur ordo: atque in castellis medijs quadrata alia castellula eriguntur, quintò columnarum ordine munita, atque exornata. super haec omnia facies eminet vestibuli sanctuarij, quae miram cum reliquis omnibus aedificij partibus, ac membris symmetriam, ac venustatem parit. Sunt autem ordines hi omni ex parte, supra quam dici potest, aut credi, ornatissimi, non modo ipsius Architecturae proprijs ornamentis, verum etiam ab ipsa sculptura mutuatis alijs, vt coronae,

A palmae, flores, fructus indicati potiùs quàm expressi argumento esse possunt. Sed longum esset hic omnia percensere, satius erit, vt lectorem hortemur, vt de singulis singula, quibus tractantur, perquirat loca.

DISSECTI templi Orthographia, eiusque vtilitates.

Demùm extrema Orthographia huic eminet inscriptioni. DISSECTI TEMPLI SALOMONIS ORTHOGRAPHIA OSTENDENS INTERIORA PORTICVVM ET CRYPTOPORTICVVM, ET ORIENTALEM SANCTVARII FACIEM NECNON TERNOS EIVSDEM FACIEI ET ATRII INTERIORIS ATQVE B EXTERIORIS ORDINES BINOSQVE ATRII GENTIVM. Vix dici potest, nedum breui oratione perstringi, quantas vtilitates, & commoda Architecturae praestet, dissecti aedificij videre Orthographiam. Quis enim sub vnum aspectum proferre posset tot tamque varias aedificij partes, natura, situ, dispositione, ac forma à sese inuicem longe semotas, nisi hanc adinuenisset dissecti aedificij pingendi rationem? In ea verò illud potissimum obseruandum est, vt dixi, perspecta nimirum vt apprimè sit in ipsa Orthographia, quaenam pars aedificij, qua parte sublata repraesentetur: sic enim fiet, vt, quibus Ichnographiae partibus sin- C gulae huius Orthographiae respondeant, facilè intelligatur, quo ignorato, quamplurima ignorari necesse est; cùm non sine magna iactura, & confusione, quae putabuntur cognosci, alio referentur, quàm debeant, quod eo periculosum est magis, quo eiusmodi plerumque defectus à paucioribus, ijsque peritioribus corrigi possit: quoniam aedificij partes aliae alijs sunt similes, non omnes eaedem. Huius rei gratia, si in primo vestigio vniuersali, sublato altari de medio, linea quaedam ducatur per medias portas Meridianas, & Aquilonarem atriorum, eique erigatur perpendicularis ad pauimentum plana indefinita superficies, ea quidem omnia atria, porti- D cus, muros, tecta, fundamenta denique omnia diuidet. Sublata igitur anteriore parte, quae ad Orientem reliqua fuerat, quod superest aedificium omne, hac vna Orthographia exprimitur: in qua interior facies periboli, qui ab Occidente viam exteriorem cingit, primùm exprimitur, ei nulla re dissimilis, quae in superiore Orthographia expressa fuit exterior eiusdem periboli facies. Murus deinde succedit atrij gentium per mediam portam sectus, ex quo fit, vt postium latitudo, portae altitudo, fenestrae desuper, quantumque dilatentur interiùs, videri, ac mensurari facilè possit, necnon antae, quae murum exterius, & semicolumnae, quae il- E lum interius ornant, quantum procurrant, quomodo exornentur, quam exactè haec illis respondeant, atque alia id genus propemodum infinita obseruari poterunt. Ibi etiam contignatio facta demonstrat eam, quàm persequitur Vitruuius ornamentorum originem, de qua nos alias. trabes item quasdam longiores, breuiores alias, nonnullas porticus latitudinem velut colligantes, alias in longitudinem protensas. desuper domata peribolis vtrinque munita licet obseruare. Binae insuper columnae eriguntur, medijs porticus inferioris columnis ita ad perpendiculum impositae, vt harum centra illarum respondeant centris, quae tandem propria contignatione, fastigio,

QVOMODO sit consideranda aedificij sectio.

Vitruu. lib.4. cap.2.

ſtigio, ac tecto operiuntur, & ſuis ornamentis quaſi coronis illuſtrantur. Succedunt his aliae obſcuriores columnae, interiores illas referentes, quæ Occidentalem porticum Gentium fulciunt, templique poſtica reſpiciunt: inter quas feneſtrae aperiuntur, quae interiores oſtendunt earum retractiones, nec habent ornamenta exteriorum ſimilia. Eadem verò, quae de hac porticu gentium ſecta dixi, quoniam cum reliquis porticibus ſunt communia, in illis repetenda non ſunt ſed iuxta praedicta examinanda. quae verò eorum ſunt propria, quam breuiſſimè perſtringam, quoniam ſingula deinde confirmanda ſuis locis ſunt.

PORTICVS Iſraelis ſecta, in qua ea recenſentur, quae capite 40 Ezechielis menſurantur.

Porticus Iſraelis ſecta, multa proponit attentiùs perpendenda, cryptoporticus in imo, earumque quadratas pilas, marmoreas fornices, obliquas feneſtras, vniuerſam denique diſpoſitionem, propriamque fabricam: quam expendendam eſſe monemus, atque illud in primis, ex quo omnes ducuntur dimenſionum proportiones, quam aptè ſuperiores columnae cum ſuis ſtylobatis, & hi cum ſuis proiecturis, ſolidis inſiſtant pilis. Ex atrio gentium ad portam accedentibus, ſepteni gradus occurrunt, ac poſtis portae, quem calamo primum menſurauit angelus, cui ſimilis reſpondet in alio muro porticum concludente, cum binis alijs dimidijs poſtibus, muris adiectis, & fornicibus deſuper colligatis, porticuum interna diuidunt veſtibula inter poſtium ſtylobatas. quod reliquum eſt ſpatium cancellis occluſum tres thalamos exhibet aequè longos, ac latos ſingulos calamo vno: quibus tres alij per omnia ſimiles, & aequales ex aduerſo reſpondent in reliqua parte templi, quam initiò ſuſtulimus. His autem veſtibulis, poſtibus, ſemicolumnis, fornicibus ſimilia ſunt non modò aliarum portarum veſtibula, & reliqua, verùm & omnium atriorum, vt ipſa indicat Orthographia, cuius inferior ordo muros omnes poſtibus diſtinctos ita aperit, vt ille tantummodo conſpiciatur cum ſuis feneſtris, qui templum ipſum ab Occidente claudit. Ordinem primum prima coronat contignatio, cuius exteriorem faciem atriorum areis reſpondentem vides, formam interiorem, ac dimenſiones, in ſectis porticibus. Superſtat huic ſecundus ordo, cuius muri perpetui ſunt, non verò fornicati, vt inferiores atriorum, in eis tamen duplices feneſtrae aperiuntur, quibus non minus atriorum facies exornantur, quàm illuſtrantur cubicula. abſciſſae verò porticus mediam porticum cubicula vtrimque oſtendunt, cuius feneſtrae ſunt illae, quae in Occidentali muro aperiuntur: qui murus quingentis cubitis menſuratur ab angelo, & ab Ezechiele dicitur eſſe diuidens inter ſanctuarij, & vulgi locum. Huic etiam ordini propria imponitur contignatio, quae exterioribus reſpondet ornamentis columnarum: cui omnino ſimilis eſt tertius ordò, hoc vno ab illo diſtans, quod, praeter planam contignationem, qua bini alij ordines operiuntur, hic aliam quoque habet faſtigiatam, quae tecta atriorum ita in vtram-

Ezechiel. 42. ℣. 20.

A que partem procliuia facit, vt inde imbres è caelo cadentes facilè effluant, ne ibidem aliquamdiu manentes tecta penetrent, & materiam aut vitient, aut, vt quod minus eſt dicam, deturpent; ac deſuper ambulantibus commodam praeſtent, non nimis aſperam ſoli erectionem. Aſcendunt deſuper caſtella, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. quod verò ad quartum ordinem ſpectat, qui ſuper Orientali porta in praecedenti Orthographia deſcribitur, quoniam is non tam firmis nititur ratiocinationum fundamentis, vt negari non poſſit, non deſcribitur in hac ſecunda Orthographia. neque propterea tantum, verum etiam ne caſtellorum B proſpectum impediret, qui certioribus confirmantur ſacrae Scripturae teſtimonijs. Atque, vt finem iam dicendi faciam, in omnium atriorum medio facies illa ſanctuarij celeberrima praefertur, quae, quoniam duplo altior eſt, quàm atria, ac triplici etiam ordine erigitur vt illa, fit, vt membra quoque ſingula huius aſpectus ſanctuarij, duplo ſint maiora ſimilibus atriorum membris. Maximè autem animaduertendum eſt in hac deſcriptione, quàm aptè, quantaque cum ſymmetria, & decore à ſummo angulari lapide gradatim deſcendat hinc atque illinc fabrica, vſque ad infimum peribolum, quidque, & quantum ſplendoris, ac magnificentiae huic C accederet aedificio, ſi licuiſſet imas ſimul repraeſentare ſubſtructiones. ſed quia minimè poſſunt, ſatis hic ſit, monuiſſe lectorem, vt eas mente concipiat vtrimque infra peribolum deſcendentes tantundem, quantum diſtat ab atrio interiore ſacerdotum ipſum atrium gentium Sed & illud quoque non parui faciendum eſt, quod in tam vaſto aedificio omnes columnarum baſes, capitella, epiſtilia, zophori, coronices ad libellam intrinſecus, & extrinſecus ita conſtituantur; verum haec ad templi architecturam ſpectare videntur, quae proprio libro tractanda eſſet, Haec de deſcriptionibus in vniuerſum dicta ſufficiant Sed, vt eò, vnde digreſſa eſt, re- D uertatur oratio, quod de harum numero probare conabamur, non plures reddi, quam ratio ipſa, & lectoris commoda poſtulare videbantur, id quidem perſpectum eſſe lectori omnino tunc poterit, cum omnia Ezechielis capita, quae de templo loquuntur, attentiùs legerit, atque perceperit plenius: interim tamen vel magna ex parte hoc noſtrum conſilium ei probandum eſſe putamus, ſi omnes ac ſingulas inuicem contulerit, & perſpexerit, quàm ſint aliae ab alijs diuerſae. quare ſi totum templum percipiendum eſt, vt dixi, planè nulla earum deſcriptionum ſuperuacanea erit, quae diuerſam partem, aut diuerſo modo eandem refert, ab ea, quam aliae deſcri- E ptiones repraeſentauerant. Quod vt praeſtari facilius poſſit, atque vt ea moleſtia lectorem liberemus, qua ſaepius eſſet hic liber, aut alij euoluendi, quo imagines exquireret per varia loca diſperſas, omnes ſimul hic congeſſimus, eodem, quo à nobis explicatae ſunt ordine.

ISTIVS fabricae ſymmetria pulcherrima.

Accipe igitur, benigne lector, sequentes descriptiones, quarum elenchum, ac numerum apponimus. Domus Domini triplex est vestigium duplici folio expressum, quadruplex Orthographia, ac Sancti Sanctorum vna Scenographia. Atriorum porrò triplex est vestigium vniuersale, atque vnum peculiare atrij interioris, quod est sacerdotum: triplex item Orthographia vniuersalis, substructionis templi vna: Orientalem faciem atriorum ostendens secunda: ac demum tertia dissecti templi. Omnes igitur templi ideae quindecim sunt, quattuordecim expressæ folijs, alijs simplicibus, alijs duplicibus, siue etiam triplicibus; maioribus alijs, alijs minoribus. Duplici enim foliorum genere in vniuerso opere hac prima aeditione vtimur: altero, quod regium vulgo vocant, quodque commune vocabimus, altero, quod imperiale dicunt, nos maximum appellabimus. Has verò figuras omnes euoluat lector necesse est, ac plenè iuxta praedictam explicationem perspectas habeat, si difficillimam hanc Prophetae visionem percipere velit, aut nostram cum fructu legere explanationem. nam praeter rationes illas, quas initio prioris libri proponebamus, quibus necessarias esse descriptiones suadebatur, haec vna huius loci propria est, quod in aedificio hoc explicando Mathematicorum morem seruare noluimus: ij enim appositis litteris suos angulos, lineas, figuras exprimunt: id illis propterea contingit, quòd propria nomina non suppetunt, quibus angulos ab angulis, aut hos à lineis, aut has à figuris, aut inter sese distinguant. In architectura verò, vti singula membra propria sortiuntur nomina, Architectorum morem, quem ipse quoque Propheta noster tenuit, retinere visum est.
Huius verò difficultatis leuandae gratia, praeter descriptiones, indicem proprium huic tomo adijciemus, quo voces Architectorum non modò Italicè, atque Hispanicè reddantur; verùm etiam quae poterunt explicari, ac veluti definiri, definiantur.

✠

LIBRI SECVNDI FINIS.


SEQVEN-


SEQVENTIVM FIGVRARVM

NVMERVS ORDO	TITVLI	FORMA
I.	*Vestigium primum Sanctuarij.*	
II. & III.	*Vestigium secundum &c. & Vestigium tertium &c.*	
IIII.	*Orientalis Facies vestibuli &c.*	
V.	*Aspectus lateris Sanctuarij &c.*	Simplici folio communi.
VI.	*Occidentalis aspectus Sanctuarij &c.*	
VII.	*Sectio murorum testudinis &c.*	
VIII.	*Prospectus testudinis murorum & pauimenti &c.*	
IX.	*Vestigium primum templi Hierosolymitani &c.*	
X.	*Secundum templi Salomonis vestigium &c.*	Duplici folio maximo.
XI.	*Vestigium murorum substructionis templi &c.*	
XII.	*Orientalis facies substructionis &c.*	Duplici folio communi.
XIII.	*Vestigium atrij interioris &c.*	Simplici folio maximo.
XIV.	*Vniuersi templi Hierosolymitani Orthographia &c.*	Triplici folio communi.
XV.	*Dissecti templi Hierosolymitani Orthographia &c.*	


VESTI-


VESTIGIVM PRIMVM SANCTVARII
CVI EX AEQVO RESPONDENT ORTHOGRAPHIAE EIVSDEM SANCTVARII





VESTIGIVM TERTIVM TVRRIS VESTIBVLO SANCTVARII SVPERSTRVCTAE






VESTIGIVM SECVNDVM COENACVLI SANCTVARIO SVPERSTRVCTI

[illegible]




ORIENTALIS FACIES VESTIBVLI SANCTVARII ET TVRRIS SVPERSTRVCTAE







SPECTVS LATERIS SANCTVARII ET COENACVLI AC TVRRIS SVPERSTRVCTAE VESTIBVLO






OCCIDENTALIS ASPECTVS SANCTVARII COENACVLI ET TVRRIS SVPEREMINENTIS






SECTIO MVRORVM TESTVDINIS ATQ. COENACVLI AVLAE SANCTAE OSTENDENS FACIEM SANCTI SANCTORVM




ROSPECTVS TESTVDINIS MVRORVM ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM ATQVE ARCÆ TESTAMENTI CVM CHERVBINIS




...TECTVS ET STRVCTVRA MVRORVM ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM ATQVE ARCA TESTAMENTI CVM CHERVBINIS

VESTIGIVM PRIMVM TEMPLI HIEROSOLYMITANI ET VARSARVM ILLIVS PORTICVVM A SALOMONE
CONSTRVCTARVM EX SACRAE HISTORIAE MONVMENTIS EZECHIELIS QVE SCRIPTIONE DEPROMPTVM ATQVE EMENDATISSIME




SECVNDVM TEMPLI SALOMONIS VESTIGIVM CVBICVLA OSTENDENS PRO SACERDOTIBVS CANTORIBVS ET ALIIS MINISTRIS NECNON GAZOPHYLACIA PRO SANCTIS VIRGINIBVS CONCILIO SENIORVM SCHOLA THEOLOGIAE ET ALIIS MINISTERIIS CVI EST OMNINO SIMILE VESTIGIVM TEMPLI TERTIVM



OCCIDENS


VESTIGIVM MVRORVM SVBSTRVCTIONIS TEMPLI SALOMONIS ET GAZOPHYLACIORVM QVAE ERANT IN EIVS CRYPTOPORTICIBVS PRO CVLINIS HORREIS CAETERISQVE APOTHECIS EXTRVCTA

MERIDIES




SEPTENTRIO

ORIENS




ORIENTALIS FACIES SVBSTRVCTIONIS AB IMIS VALLIBVS CVBITOS TRECENTOS ERECTAE AD SVSTINENDOS AGGERES QVIBVS ATRIORVM TEMPLI AREAM SALOMON LAXANDAM CVRAVIT NECNON PERIBOLI ATQVE PORTICVVM QVÆ AD HEBRÆOS QVÆQVE AD GENTILES PERTINEBANT

SVB MINIMA CVBITORVM MENSVRA QVA ETIAM VNIVERSALIA VESTIGIA DIMETIVNTVR



VESTIGIVM ATRII INTERIORIS ET SANCTVARII EIVSDEM CVBITORVM MENSVRAE SVNT ORTHOGRAPHIAE VNIVERSALES





VNIVERSI TEMPLI HIEROSOLYMITANI ORTHOGRAPHIA QVAE OSTENDIT ORIENTALEM FACIEM MVRI ATRII EXTERIORIS ET PARTEM MVRI PORTICVS GENTIVM QVAE DEINDE DICTA EST SALOMONIS





DISSECTI TEMPLI SALOMONIS ORTHOGRAPHIA OSTENDENS INTERIORA PORTICVVM ET CRYPTO PORTICVVM ET ORIENTALEM SANCTVARII FACIEM NECNON TERNOS EIVSDEM FACIEI ET ATRII INTERIORIS ATQVE EXTERIORIS ORDINES BINOS QVE ATRII GENTIVM



TOMI SECVNDI EXPLANATIONVM

PARS SECVNDA.

DE EXTREMA VISIONE EZECHIELIS PROPHETAE

PROOEMIVM.

*F*VERVNT *utique sequentia capita, sicut caetera, non mediocri diligentia explananda: sed si illa explanatione indiguerunt, quòd essent difficilia, haec certe maxime indigent, quae difficillima sunt. Accedit, quod non sunt explananda modo, sed etiam cum templi figuris, vel potius, figurae cum his sedulo conferendae: quod in alijs capitibus praestandum non fuit. Quapropter, praeter explanationem, addenda binis quoque sequentibus capitibus fuit, breuissima quaedam paraphrasis: cuius hic erit vsus, vt pene partes singulae, singulis fere Prophetae verbis comprobari videantur, si ea iuxta paraphrasis expositionem intelligantur. Quòd si qua aliter à nobis in paraphrasi, quam in textu à Propheta referri videbuntur, eorundem verborum explanatio consulenda est. qua perspecta, speramus, facile intelligi posse ipsissimam Prophetae mentem, atque sententiam paraphrasi reddi. Itaque cum textu paraphrasis, cum paraphrasi imagines; paraphrasis vero & textus cum explanatione accurate conferenda est. Quae omnia cum in vnam Salomonici templi perfectissimam ideam demonstrandam conspirare prudens lector deprehenderit, is profecto, propositum nobis nostris hisce lucubrationibus finem, facile consequetur.*

EZECHIELIS PROPHETAE: CAPVT QVADRAGESIMVM.

ARGVMENTVM.

Atriorum Hierosolymitani templi mensuras recenset Ezechiel, quas eo deductus in extasi Angelum viderat calamo definientem.

EZECHIELIS PROPHETAE CAP. XL.

I. *IN vigesimo quinto anno transmigrationis nostrae.*

in exordio anni, decima mensis,

decimo quarto anno post quam percussa est ciuitas, in hac ipsa die.

facta est super me manus Domini.

Et adduxit me illuc.

II. *In visionibus Dei adduxit me in terram Israel.*

PARAPHRASIS.

ANno vicesimo quinto transmigrationis Regis Ioachim, quae propterea populi dicitur transmigratio, quòd tunc primum cum Rege, populi principes, ac vulgus in captiuitatem fuit abductum. Nostram vocat eam Propheta, quòd ipse quoque adhuc puer tunc Babylonem fuerit abductus. Anno à prima visione Ezechielis vigesimo, regni Assyriorum quinquagesimo: Nabuchodonosoris trigesimo secundo,

in primo anni mense, qui Nisan dicitur,

decimoquarto anno subuersae vrbis, atque incensi templi, qui fuit Sedechiae vndecimus in hac ipsa, quam paulo ante retuli, primi mensis decima die, qua olim agni, paschate immolandi, inferebantur in vrbem, quaque eadem deinde Christus verus agnus, die paschatis immolandus vrbem eandem ingressurus fuerat, & à turbis cum palmis excipiendus,

Omne bonum in me contulit Dei largitas. veni in eius potestatem ac manum vis quaedam diuina irruit super me, voluntatem suam ad saluandum propensam in me declarans,

Spiritu sancto afflatus, quo repleri solent Propherae, adductus fui in vrbem, iam ante à Deo percussam.

In visionibus magnis, admirandis, vere diuinis, illis simillimis, quibus omnem felicitatem, ac benedictionem promittebat olim Deus, & largiebatur primis illis sanctissimisque Patriarchis Abraham, Isaac & Iacob: tamque illustris ac perspicua visio mentis meae oculis obiecta fuit, vt corporeis oculis cernere viderer proprium solum, terram inquam Israel.

Et dimisit me super montem Moria, cuius nomen A ipsa celestitudinis commemoratio indicat, sanctitatem verò & dignitatem loci, quòd is ab Angelo demonstratus Dauidi fuerit, cum desaeuire desijt in populum: quique emptus fuit aureis sicutis binis, & binis denis, ac binis centenis. ibique requieuisse se dicit Propheta, quòd ad Christum respexerit vniuersa visione signatum, qui in Ecclesia requiescit, vt in propria, domo aeternum duratura, perpetuo manens. Sed & ibi requieuit manus Domini, quae creato homine, requieuit ab omni opere quod patrarat, cum recreato homine, quieuit Christus ab omni labore passionis, & resurrexit manibus spolijs plenis, atque trophaeis.

Super quem montem aedificium erat templi, mi- B hi è Babylone venienti à meridie obiectum, quod ciuitati erat quamsimillimum.

Et adduxit me ad templi ianuam, quae in Aquilonari peribolo aperiebatur; vt cominus singulas totius aedificij partes possem contemplari.

Ibique virum, Angelum videlicet humana specie vidi, fortasse Michaelem Ecclesiae catholicae tutelarem, qui eius formam, dignitatem, atque opes, ostenso ac dimenso templo indicaret: siue Gabrielem, aut alium è septem, qui astant coram Domino, qui Christum Dominum praesignaret Ecclesiae verum aedificatorem.

quem dum aspicerem, videbar videre splendidissimum aes candens, lucidissimis micans scintillis. C

& manu altera funiculum cementariorum gerebat, altera calamum mensurae, ad quam perfectissimum illud aedificium exactum olim fuit eadem ab Angelo nunc dimetiendum, vt indicetur quam perfecte foret in Ecclesia instaurandum, quam iampridem exstructam contemplari, nobis benigne conceditur, sed metiri, prae magnitudine, non datur.

Stabat autem in porta Aquilonaris periboli, Orientali angulo proxima, quasi templi custos, & Prophetae doctor: vel vt Christi Domini exemplum, qui templum nouum aedificaturus, veteris fuit factus custos, inde eijciens ementes ac vendentes, & non permittens transferri vas per templum.

Et allocutus est me ipse primum hisce verbis: Fili D hominis. Quo nomine & humanae infirmitatis me admonere voluit, quae tantum distat ab Angelis pariterque humanae dignitatis: assumpta enim a verbo humanitate, ea adoratur ab Angelis, dominatur in caelis: siue vt me admoneret, quanta essent addiscenda humano intellectui, qui ratiocinatione intelligit, non simplici apprehensione, vt angelicus. quapropter attentione, & sollicitudine opus mihi esse indicauit, subdens:

Certum adhibe rationis iudicium, & attentius percipe, admoue attentas purgatasque mentis aures, poneque in corde tuo, memoriae thesauro conseruanda omnia, quae ego ostendam tibi, vel faciam te videre. sunt enim multa quae visu percipies, alia, E quae auditu omnia vero corde atque animo expendenda sunt. propterea enim tam admiranda dignus es habitus visione, in qua me doctorem, Angelum, Prophetam, habere meruisti.

Esto tu igitur Israelis Doctor, Propheta, Angelus. Annuncia dictis, factis, gestu, propone ob oculos eorum omnia nihil enim superuacaneum est, aut minus necessarium, ex ijs, quae tu vides: quinimmo omnia vtiliter exponenda sunt filijs Israel, hoc est, ijs, qui mente conspiciunt Deum. nec tantum terreno illi populo, sed Ecclesiae potissimum Catholicae, cui intelligere datum, ac videre quae carnalis ille populus portare non poterat,

Et dimisit me super montem excelsum nimis.

Super quem erat quasi aedificium ciuitatis vergentis ad Austrum.

Et introduxit me illuc. III.

Et ecce vir,

cuius erat species quasi species aeris,

& funiculus lineus in manu eius, & calamus mensurae in manu eius.

Stabat autem in porta.

Et loquutus est ad me idem vir: Fili hominis IV.

Vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quae ego ostendam tibi.

quia vt ostendantur tibi adductus es huc.

Annuncia omnia quae tu vides domui Israel.

Et

V. *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique: & in manu viri calamus mensurae sex cubitorum & palmo.*

Et mensus est latitudinem aedificij calamo vno, altitudinem quoque calamo vno.

VI. *Et venit ad portam quae respiciebat viam Orientalem*

Et ascendit per gradus eius: & mensus est limen portae calamo vno latitudinem, id est limen vnum calamo vno in latitudine.

VII. *Et thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum: & inter thalamos quinque cubits.*

VIII. *Et limen portae, iuxta vestibulum portae intrinsecus, calamo vno.*

IX. *Et mensus est vestibulum portae octo cubitorum.*

Et frontem eius duobus cubitis: vestibulum autem portae erat intrinsecus.

X. *Porro thalami portae ad viam Orientalem, tres hinc, & tres inde: mensura vna trium, & mensura vna frontium ex vtraque parte.*

XI. *Et mensus est latitudinem liminis portae, decem cubitorum & longitudinem portae, tredecim cubitorum.*

XII. *Et marginem ante thalamos cubiti vnius, & cubitus vnus finis vtrimque: thalami autem sex cubitorum erant hinc, & inde.*

XIII. *Et mensus est portam à tecto thalami, vsque ad tectum eius, latitudinem vigintiquinque cubitorum ostium contra ostium.*

XIV. *Et fecit frontes per sexaginta cubitos: & ad frontem atrium portae vndique per circuitum.*

XV. *Et ante faciem portae, quae pertingebat vsque ad faciem vestibuli portae interioris, quinquaginta cubitos.*

XVI. *Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quae erant intra portam vndique per circuitum, similiter autem erant & in ve-*

A Et ecce peribolus quidam vniuersam domum, porticus omnes, atque atria cingebat extrinsecus. Habebat autem prae manibus vir ille calamum sex constantem veris perfectisque cubitis, ac praeterea quarta parte cubiti, quae palmus dicitur, quod nulla sit huic magis proxima mensura. quo quidem calamo praedicti periboli altitudinem mensus est, ac latitudinem, & vtramque ex aequo reperit parem calamo.

Praetermisso deinde gentium atrio, quod prae multitudine ad fidem ex gentibus confluentium mensura cariturum erat, primum venit ad portam Orientalem atrij Israelis, tum quod ea dignissima esset, quippe Regi deputata, tum vero maxime, quod
B per eam vnam gratissima Sanctuarij facies conspiceretur.

Et septenis portae gradibus conscensis, qui in atrio gentium ante ianuam erigebantur, mensus est postem alterum portae calamo vno, & postem alterum calamo vno, quanta nimirum est muri crassitudo, & vtriusque liminis, inferioris & superioris latitudo.

Mensus est quoque ianitorum conclaue seu thalamum, aeque longum ac latum, calamum vnum: & postem, qua parte inter thalamos erigitur cubitorum quinque, quanta videlicet est stylobatae frons, demptis proiecturis.

Et mensus quoque est vtrumque postem portae
C interioris, cui fornix innititur, deprehenditque esse aequalem calamo, sicut & ipsa fornix, & murus latus erat calamum vnum.

Vestibuli quoque longitudinem octo cubitis dimensus est, hoc est limen portae, quantum videlicet Meridianus portae postis distat ab Aquilonari.

Et semicolumnas eius duobus cubitis. Vestibulum autem hoc portae non erat in fronte aedis ante ianuam, sed intra ianuam in ipsa porticus latitudine.

Thalami vero in vestibulis, constituti intra Orientalem portam, tres erant eiusdem mensurae ab Austro, tres ab Aquilone, paribus distincti postibus, paribusque semicolumnis exornati.

Et spatium in media porta inter thalamorum
D frontes relictum, latum fuisse compertum est decem cubitos. Altitudo vero luminis portae super stylobatis, fuit cubitorum tredecim.

Et thalami peribolo vtrimque, cubiti vnius claudebantur: & postes cubitum vnum vtrimque extra perpendiculum proijciebantur, cum tamen thalami aequales omnes essent cubitorum sex, hoc est, calami vnius, qui, vt dixi, totidem constat cubitis, & quanta praeterea cubiti parte.

Et mensus est portae latitudinem ab extimo peribolo thalami, vsque ad peribolum, qui simul portam claudit & thalamum, & comperit eam esse quinque & viginti cubitorum, discurrente mensura per ostia thalamorum, è quibus vnum erat è regione alterius.

E Et dimetiendo declarauit columnationes, siue ordines columnarum, omnes simul altos esse cubitos sexaginta: & par erat mensura columnarum ordinibus, qui cingebant atrium portae proximum vndique per circuitum.

Et à facie anteriore, vel à primo limine portae huius Orientalis, vsque ad faciem vestibuli interioris eiusdem portae, quinquaginta cubitos longitudinis, portae includentis muros, vestibula, postes, & thalamos.

Et cancellis visui peruijs, reticulatis, obliquis foraminibus, thalami claudebantur, qui quidem cancelli, è regione semicolumnarum, quae totam intrinsecus portam cingebant, protendebantur atque

adeo vestibula omnia portae interiora eiusmodi cancellis claudebantur: nam thalami in ipsis portae vestibulis inter stylobatas erant constituti.

Et columnarum capitella palmarum spatulis exornabantur.

Et portam quidem egressum induxit me in atrij exterioris Orientalem aream subdialem, quam ingressus animaduerti, eam porticibus vndique cinctam fuisse, tessellatis pauimentis affabre elaboratis, quibus gazophylacia imminebant in singulis intercolumnijs singula, erantque omnia circumcirca triginta.

Porticuum vero inferiora pauimenta à lateribus portarum discurrentia latitudine erant, portarum longitudini paria.

Et mensus est latitudinem Orientalis areae atrij exterioris à facie portae exterioris nuper dimensae, vsque ad frontem exteriorem atrij interioris centum cubitis, ab Oriente ad Occidentem: ac longitudinem totidem, à Meridie ad Aquilonem. Vel mensus est aream subdialem inter exteriorem & interiorem portam iacentem, exclusis portis, latitudinis & longitudinis centum cubitorum.

Et Orientalem portam egressum deduxit me ad portam Aquilonarem eiusdem atrij exterioris, & mensus est singularum partium eius longitudinem, & latitudinem.

Hoc est, thalamos eius positu, ac numero pares, & frontes eius, & vestibula eius eisdem plane mensuris mensus est, quibus prioris portae similes partes: necnon longitudinem, ac latitudinem portae eandem, eodemque modo mensus est, illam quinquaginta, hanc vero quinque & viginti cubitis.

Porro cancelli, quibus thalami concludebantur, vestibula, & postes cum suis semicolumnis, & capitellis sculptis ad modum palmarum, omnia dimensa fuerunt, & eiusdem mensurae ac formae reperta, qua erant, in Orientali porta, similes partes atque ornamenta. Et septenis conscensis gradibus, ad portam patebat accessus, & per eam ad vestibulum: vestibulum enim erat vltra ianuam.

Et porta atrij interioris Aquilonaris erat è regione praedictae portae, haud secus quàm portae Orientali contraria erat Orientalis porta atrij interioris: & mensus est Aquilonarem aream atrij exterioris, à porta vsque ad portam centum cubitis longitudinem, ac totidem latitudinem.

Et me Aquilonari porta eductum deduxit ad Austrum: & ecce porta exterioris atrij prospiciens ad Austrum, quam mensus est, nimirum columnas eius, & fornices eius, & omnia eisdem mensuris constare comperta sunt, quibus & ea quae supra sunt dicta.

Et reticulatos cancellos, & fornices ac postes, quae portam cingebant, quorum longitudo quinquaginta cubitorum fuit, latitudo vero quinque & viginti cubitorum.

Et ad portam gradibus septem ascendebatur, quibus conscensis, aderat ostium, fores, vestibulum. Et semicolumnarum capitella, caelatis palmarum spatulis exornabantur ex vtraque parte portae.

Et porta quidem Australis atrij interioris recta prospiciebat Australem portam atrij exterioris: & mensus est Australem aream atrij exterioris inter portas iacentem, & inuenit eam aeque longam, ac latam cubitos centum.

Et deduxit me ad portam Australem atrij interioris, & mensus est eam, ac omnes mensuras comperit pares ijs, quas in supradictis portis recensuerat.

A *stibulis fenestrae per gyrum intrinsecus.*

Et ante fronte pictura palmarum.

Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimentum stratum lapide, in atrio per circuitum triginta gazophylacia in circuitu pauimenti. XVII.

Et pauimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. XVIII.

B

Et mensus est latitudinem à facie portae inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem. XIX.

Portam quoque, quae respiciebat viam Aquilonis atrij exterioris, mensus est tam in longitudine, quàm in latitudine. XX.

C *Et thalamos eius tres hinc, & tres inde: & frontem eius, & vestibulum eius secundum mensuram portae prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem eius, & latitudinem viginti quinque cubitorum.* XXI.

Fenestrae autem eius, & vestibulum, & sculpturae secundum mensuram portae, quae respiciebat ad Orientem, & septem graduum erat ascensus eius, & vestibulum ante eam. XXII.

D *Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem, & mensus est à porta vsque ad portam centum cubitos.* XXIII.

Et eduxit me ad viam Australem & ecce porta, quae respiciebat ad Austrum: & mensus est frontem eius, & vestibulum eius iuxta mensuras superiores. XXIV.

Et fenestras eius, & vestibula in circuitu sicut fenestras ceteras, quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine vigintiquinque cu- XXV.
E *bitorum.*

Et in gradibus septem ascendebatur ad eam & vestibulum ante fores eius & caelatae palmae erant, vna hinc, & altera inde in fronte eius. XXVI.

Et porta atrij interioris in via Australi: & mensus est à porta vsque ad portam in via Australi centum cubitos. XXVII.

Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem, & mensus est portam iuxta mensuras superiores. XXVIII.

Thala-

XXIX. *Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius eisdem mensuris. & fenestras eius, & vestibulum eius in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis viginti quinque cubitos.*

XXX. *Et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.*

XXXI. *Et vestibulum eius ad atrium exterius, & palmas eius in fronte & octo gradus erant, quibus ascendebatur ad eam.*

XXXII. *Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem, & mensus est portam secundum mensuras superiores.*

XXXIII. *Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius sicut supra & fenestras eius, & vestibula eius in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum.*

XXXIV. *Et vestibulum eius, idest atrij exterioris: & palmae caelatae in fronte eius hinc & inde: & in octo gradibus ascensus eius.*

XXXV. *Et introduxit me ad portam, quae respiciebat ad Aquilonem: & mensus est secundum mensuras superiores.*

XXXVI. *Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius, & fenestras eius per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum.*

XXXVII. *Et vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius: & caelatura palmarum in fronte eius hinc & inde & in octo gradibus ascensus eius.*

XXXVIII. *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum. ibi lauabant holocausta.*

XXXIX. *Et in vestibulo portae, duae mensae hinc, & duae mensae inde vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto.*

XL. *Et ad latus exterioris, quod ascendit ad ostium portae, quae pergit ad Aquilonem, duae mensae: & ad latus alterum ante vestibulum portae, duae mensae.*

XLI. *Quatuor mensae hinc, & quatuor mensae inde. per latera portae octo mensae erant, super quas immolabant.*

XLII. *Quatuor autem mensae ad holocaustum, de lapidibus quadris extructae, longitudine cubiti vnius & dimidij, & latitudine cubiti vnius & dimidij, & altitudine cubiti vnius: super quas ponant vasa in quibus immolatur holocaustum, & victima.*

A Thalamum eius, inquam, vnumquemque, frontes eius, vel postes, vestibula seu fornices, omnia iisdem mensuris, quibus in reliquis portis similia membra dimensa sunt & reticulati cancelli portam cingebant, postes, ac fornices, quae erant circa portam, quinquaginta cubitos longae, quinque & viginti latae.

Et postes in circuitu, quorum stylobatae inter thalamos lati sunt cubitos quinque, ipsi vero cum trabeatione postes alti cubitos quinque & viginti.

Et vestibulum vniuersum ad exterius atrium vergebat, & semicolumnarum capitella palmis exornabantur in vestibulo, ad quod gradibus a-
B scendebatur octonis.

Et porta Meridiana eductum, deduxit me ad portam Orientalem atrij interioris, eamque mensus est, & comperit easdem esse in hac porta mensuras, atque in supradictis:

thalamos, postes, ac fornices, reticulatos cancellos inter postes portam ambientes longos cubitos quinquaginta, latos cubitos quinque & viginti.

Et vestibulum eius vergebat ad atrium exterius, & capitella in postibus, palmis erant vtrimque similia: & gradibus octo ascendebatur ad
C illud.

Absolutis mensuris Orientalis portae, deduxit me ad portam Aquilonarem eiusdem atrij interioris, & mensus est membra omnia, & ornamenta eisdem mensuris, quibus supradictas portas.

Thalamos eius, semicolumnas, postes, ac fornices, necnon reticulatos cancellos, qui totam portam circumdabant, longitudine quinquaginta cubitorum, latitudine quinque & viginti cubitorum.

Et vestibulum eius vergebat ad atrium exterius, & capitella sculpta ad modum palmarum
D erant in postibus ex vtraque parte portae: & octo gradibus ascendebatur ad eam.

Et ad sena thalamorum ostia, quae erant inter frontes interiores portarum, lauabantur holocausta.

Et in ipso vestibulo portae duae mensae hinc ad binos postes, qui sunt inter thalamos, & duae mensae illinc ad totidem similes postes: super quibus expansae pecudes, vel armenta iugulabantur, in holocaustum, vel pro peccato, vel pro ignorantiae delicto.

Et à lateribus portae Aquilonaris, cum primum quis ascensis gradibus ostium ingreditur, duae mensae: & à lateribus vestibuli interioris
E duae mensae hoc est in quatuor angulis vestibuli portae Aquilonaris, quatuor mensae erant, binae ad vtrunque parietem.

Quod si binas vtrimque angulares binis medijs quas dixerat, annumeres, quaternae mensae erunt in vnoquoque portae latere, & in vtroque octonae, super quibus victimas iugulabant.

Quaternae autem mensae holocaustorum, ex singulis saxis singulae affabre, ad normam & regulam elaboratae, quadrata forma cubiti vnius & dimidij erant, altitudine vero cubiti vnius: cuius formae ac mensurae erant & reliquae, super quas ponebant instrumenta, quibus immolabatur holocaustum & victima.

Mensarum autem cymatia, vel superiora ornamenta fuerunt palmi vnius intrinsecus reflexa, ita vt summa mensa longa, ac lata fuerit palmos nouem, hoc est cubitum vnum & dimidium, inferior ara longa fuerit palmos septem, alta quinque, cum mensa vna cum cymatio alta palmos sex, hoc est cubitum vnum.

Super mensas autem ponebatur quaelibet oblata caro, vt ibi in frusta concideretur.

Et atrium interius ingressus animaduerti gazophylacia Cantorum in Orientali porticu atrij interioris super vestibulis suspensa, quae inter Aquilonem, & Austrum tendebantur. Fuit vero gazophylacium vnum in eadem Orientali porticu, & in eius angulo Aquilonari, & alterum in eiusdem porticus angulo Meridiano.

Et dixit mihi. Gazophylacium hoc, quod est à latere Meridiano Orientalis porticus, Sacerdotum erit custodientium custodias domus.

Et gazophylacium alterum, quod est à latere Aquilonari Orientalis porticus, Sacerdotum erit custodientium custodiam altaris. Qui omnes Sacerdotes à primo ac summo templi Sacerdote Sadoch de genere Leui originem ducentes, Dei fungebantur ministerio.

Et mensus est atrij interioris quadratam aream, quae inter tres iacet praedictas portas, & eam esse comperit aeque longam ac latam cubitos centum. in cuius medio fuit altare aeneum, faciem templi, nullo interiecto aedificio prospiciens.

Et introduxit me in vestibulum templi, & mensus est postem eius Meridianum quinque cubitis hinc, & postem Aquilonarem quinque cubitis illinc. & latera portae, siue postes, qui ab ostio extenduntur vsque ad interiores angulos vestibuli, mensus est, Meridianum trium cubitorum hinc, & Aquilonarem trium cubitorum inde: ex quo fit, vt portae latitudo sit in medio relicta quatuordecim cubitorum, quoniam mensus est longitudinem vestibuli cubitorum viginti, & latitudinem eius vndecim cubitorum. Et gradibus octo ascendebatur ad porticus ostium. Et columnae erant ad parastades vestibuli ex vtraque parte portae Sanctuarij, illis persimiles, quas Salomon aeneas posuit in eodem vestibuli loco, quarum alteram vocauit Iachin, alteram Booz.

A *Et labia earum palmi vnius, reflexa in-* XLIII.
trinsecus per circuitum.

Super mensas autem carnes oblationum.

Et extra portam interiorem gazophylacia XLIIII.
Cantorum in atrio interiori, quod erat in latere
portae respicientis ad Aquilonem, & facies eo-
rum ad viam Australem, vna ex latere por-
B *tae Orientalis, quae respiciebat ad viam Aqui-*
lonis.

Et dixit ad me. Hoc est gazophylacium, quod XLV.
respicit viam Meridianam Sacerdotum erit,
qui excubant in custodijs templi.

Porro gazophylacium, quod respicit ad XLVI.
viam Aquilonis, Sacerdotum erit, qui excu-
bant ad ministerium altaris. Isti sunt filij Sa-
doch, qui accedunt de filijs Leui ad Dominum,
vt ministrent ei.

Et mensus est atrium longitudine centum XLVII.
C *cubitorum, & latitudine centum cubitorum per*
quadrum, & altare ante faciem templi.

Et introduxit me in vestibulum templi, & XLVIII.
mensus est vestibulum quinque cubitis hinc,
& quinque cubitis inde. & latitudinem portae
trium cubitorum hinc, & trium cubitorum
inde.

D *Longitudinem autem vestibuli, viginti* XLIX.
cubitorum, & latitudinem vndecim cubito-
rum & octo gradibus ascendebatur ad eam. Et
columnae erant in frontibus, vna hinc, & al-
tera inde.

EXPLA-

EXPLANATIO EIVSDEM CAPITIS QVADRAGESIMI

DE TEMPLI ATRIIS, PORTIS, PORTICIBVS, LIBER TERTIVS.

QVO A TRANSMIGRATIONE ANNO TEMPLVM VIDERIT EZECHIEL. CAP. I.

PROPHETAE exordium quid contineat.

IN *vicesimoquinto anno transmigrationis nostrae.* Admirabilem hanc visionem, mirabili quodam vsus exordio aggreditur explicandam Propheta, in quo diuinum quendam propheticae visionis modum indicat, eiusque tempus, locum, ac finem. Quae omnia & singula ita percenset, vt non ad historiae complementum modo spectare videantur, sed multo etiam magis ad visionis commendationem, ex qua audientium, siue etiam legentium animi fructus iucundiores, vberioresque perciperent. Instaurationem enim euersae vrbis, destructique templi, visione hac contineri, constans est Scriptorum omnium sententia, quamuis in eius instaurationis modo longe dissentiant, qui omnia ad humanae artis referunt aedificium, & opulentiam ab ijs, qui omnia ad animi diuitias vocant, & Ecclesiae mysticam aedificationem. Qua de re cum aliàs sit latius agendum, modo tantum illud colligimus, quod omnibus pro comperto habetur, Deum quidem Optimum Maximum propitium populo suo, vniuersa hac visione ostendi, admissorum criminum, concessa iam indulgentia, oblitum. Neque id tantum, verum etiam, quod maius est, Deum, Optimum ita esse, vt malum omne, quod peccatum affert, possit auferre, ita benignum, vt facile adducatur, vt velit, ita potentem, vt nihil possit obstare, quo minus id omne ad exitum perducat, quod velit. Quae sane res in ipsis primis verbis innuitur non enim tempora, aut dies Regum commemorat, vt alij fere omnes Prophetae fecerunt, atque vt ipsemet Propheta noster initio suae prophetiae fecisse confirmauit Pradus, annum referens trigesimum NabopolAssaris, Regis Babyloniorum, sed transmigrationis refert annos, & percussae vrbis. Quae vtraque populi, atque vrbis ruina in scelerum vindictam, illorum maxime, quae a Regibus fuerant admissa, accidisse testatur Dominus: *Et non polluent*, inquiens, *vltra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi, & Reges eorum in fornicatio-*

DEVS POPVlo propitius vniuersa hac visione ostenditur.

Pradus Cap. 1. Ezech. ℣. 1.

Ezech. 43. ℣. 7. & 8.

A *nibus suis*; quibus enumeratis subdit: *Propter quod consumpsi eos in ira mea.* Huius vero loci explanationem in proprium referentes locum, quod ad praesentem spectare videtur, illud est, Israelem apte disponi à Propheta ad felicissimum veniae nuncium suscipiendum, enumeratis prius scelerum supplicijs, quibus perpensis, animi excitaret dolorem, ac confusionem: salutare perniciosissimi huius morbi medicamentum. Neque vero quis putet hoc esse animi nostri commentum: est enim hic vniuersae huius visionis propositus à Deo finis, quamuis & is ipse finis ad suprema dirigatur Christi, eiusque Ecclesiae promissa. Id quod disertis verbis testari videtur Deus ipse E-
B zechieli praecipiens: *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, &c.*

SCELERIS medicamentum, dolor.

Ezech 43. ℣. 10. & 11.

Quae omnia tunc liquido constare videbuntur, cum transmigrationis historiam aliquanto altius repetemus. non enim propter peccata tantum Ieconiae Regis, facta fuit eiusdem, ac regni transmigratio, sed multo etiam magis, quia Rex hic cum patribus suis opere complesse videtur id, quod dira interminatione praemissa prophetauerat Isaias, dicens. *Vae, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* In priori voce consuetudinem quandam denotari putant Interpretes. *Vae* trahentes, vel, trahentibus, antiqua consuetudine, & vsu, ini-
C quitatem. Voce עון ghauon interdum poenam significari, per tropum sacris Scripturis vsitatum constat, cum alijs multis locis, tum exemplo Saulis dicentis ad mulierem, pythonem habentem: *viuit Dominus, quia non eueniet tibi* עון ghauon, peruersitas, punitio, vertunt Hebraei, Septuaginta, iniustitia: Chaldaeus, culpa. sensum aptissime reddit Vulgatus, *quidquam mali*, scribens, *propter rem hanc* Atque hac eadem ratione accipiendam esse hoc loco vocem contendit idem Forerius: ac si sensus sit trahentium quasi temeritatis funibus, & veluti asciscentium propriam perditionem. Ego vero cum re ipsa, ac rerum naturis longe ab inuicem distare comperiam culpam ac poenam, tempore tamen, ac loco ita coniunctas esse existimo, vt quam citissime haec illi succedat; & hanc & illam simul trahi, non dubito: neque

Isa 1. ℣. 18.

HEREDItaria scelera vindictam exposcunt.

FORERIVS super Isaiam.

1 Reg. 28. ℣. 10.

POENA culpam quam citissime consequitur.

aliam

aliam ob causam, primam homini legem iniunctam fuisse, cibumque prohibitum cum huiusmodi interminatione *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Non quod statim moriturus esset, sed quod statim mortis in se causam habiturus esset, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius exponunt, id quod sequentibus confirmatur verbis· *& quasi funiculum plaustri peccatum*. longissimis funibus, aut rudentibus validissimis peccatum trahi indicant verba. & bene sanctus Augustinus In modum funis, inquit, qui ex pluribus minimis crescit in multum, peccata semper, tamquam longo fune trahuntur. Quod si parentum scelera à filijs longa serie producta in vnum quasi funem contorqueri fingamus, tot B sunt à Regibus gentis illius admissa, vt quamuis tenuissimis canapis aut lini fibris, subtiliora essent, in densissimum rudentem coalescerent, quo vel ipsa Dei vindicta euocaretur è caelis, aut, quod magis proprie diceremus, quo tamquam ad poenarum, & suppliciorum plaustrum firmiter ligarentur, vt curru in praeceps, perpetuae damnationis ruente, haud secus quam iumenta alligata pertraherentur. Quae omnia propositis historiae exemplis abunde confirmabuntur.

Gen. 2. ℣. 17.
Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius apud Maldonatum. In Ioannis 3. ℣. 18.
Augustinus Psal. 108.

Vehementer infensus aequissimus iudex Deus vni Manasse, qui fecerat *malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel*, in animum induxisse videtur, vt in Regem, C vrbem, ac populum seuere animaduerteret. Non enim aliud significare videtur idem apud Ieremiam Dominus, dicens· *Visitabo super eos quatuor species, gladium ad occisionem &c. propter Manassem &c. Quis enim miserebitur tui Ierusalem?* &c. Neque vero Prophetarum tantum vocibus, ac minis iniquissimum Regem ab interitu reuocare conabatur Deus, sed & factis· immissis namque principibus exercitus Regis Assyriorum captus fuit Manasses, & vinctus catenis, atque compedibus, ductus fuit in Babylonem. sed angustias ac tribulationes expertus, poenitudine tactus ac lacrymis, veniam à Deo obtinuit, & patriam. Huic successit filius eius Amon, paterni D sceleris heres & iniquitatis, non virtutum, ac poenitentiae. Cuius non diu distulit Deus vindictam. biennio namque post a seruis suis misere peremptus interijt. In huius locum suffecit populus Iosiam eius filium, cuius ob merita, atque virtutem distulit vindictam Deus vno & triginta annis vitae Iosiae, cum tamen in exemplum vsque vindictam in tribus filijs, ac nepote Iosiae desaeuire permiserit. Mortuo Iosia, populus male sanus Eliachimo Iosiae filio natu maximo regnum abstulit, ac detulit secundo genito dicto Ioachaz· cuius ob scelera, atque iniquitatem Rex Aegypti Hierosolymam inuadens, amouit iniquum Regem, qui in Aegyptum delatus interijt. E Fuit autem a Rege Aegypti legitimus Rex constitutus Eliachim, mutato nomine Ioachim; centum talentis argenti, vnoque auri tributum indictis. fuit hic fratri suo, auis, ac proauis iniquitate simillimus, poenae grauitate fuit par: nam Nabuchodonosori Regi Babylonis obsidem se dedit, & vasa templi non pauca. Verum non multo post Deo infidelis, Regi quoque fidem minime seruauit, sed fregit, & ita extulit iniquitatem suam, vt huius causa, peccata Manasses iterum ad Dei conspectum venisse videantur, vindictam postulantia - quae cito consecuta est Regem, eius sublata cum pace ac regno perniciosa vita: qui

2. Paralip. 33. ℣. 9.
REX MAnasses initium perditionis populi.
Ierem. 16. ℣. 3. 4 & 5.
PESSIMOS etiam a perditione reuocare conatur Deus
AMON SCEleris paterni heres.
PROPTER Iosiam distulit vindictam Deus.

A post diram à latrunculis illatam necem, honore caruit sepulturae, cuius loco asini, quam vocat Ieremias, obtinuit sepulturam.

Ierem. 22. ℣. 19.

Huius filius Ioachimus successit in regnum, natura bonus, & iustus dictus à Iosepho, qui tamen longe aliter censetur à sacris historicis: fecisse namque malum dicitur, iuxta omnia quae fecerat pater eius. Idque subsequens Dei vindicta demonstrat. ea enim, quae adhuc diximus, quasi futurorum malorum praesagia fuisse videntur, & omnia ad Regum transmigrationem pertinere potius, quam regni, aut gentis. atque adeo nullam illarum computat Ezechiel, cuius anno vigesimoquinto facta fuerat praesens visio.

Ioseph. 10. ant. cap. 9.
QVI MAlum fecisse dicitur, bonus, & iustus vocatur a Iosepho.

B Sed anno primo huius Iechoniae, immo vero mense tertio, ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis Hierosolymam, eam oppugnaturus, poenitens, vt ait Iosephus, quod hunc Ioachimum constituisset Regem, cui obuiam factus supplex Ioachim, nihil ab eo obtinuit, quo minus Regem cum matre sua, principes, eunuchos, ac seruos; milites, artifices, ac vulgus, thesauros, vasa pretiosa, sacra, & profana, omnia transferret Babylonem. Hanc porro sacrae Scripturae vocant populi transmigrationem, inter quam, & extremam hanc Ezechielis visionem, quatuor & viginti intercesserunt anni. facta est enim visio in exordio anni, vt mox videbimus. Ioachimo iussu Nabu- C chodonosoris successit Matthathias, qui & Sedechias dictus est, patruus Iechoniae, & Iosiae filius. hic pessimus fuit, Deo rebellis, ac Babyloniorum Regi, a quo captus fuit, regno, ac liberis coram orbatus, ac mox visu, cum annos vndecim inique regnasset. quo tempore capta est ciuitas, direpta, & vniuersa cum templo conflagrauit. Et ab hoc anno computat Ezechiel percussae vrbis decimumquartum.

IECHOniae transmigratio, populi dicitur.

Prius tamen quam à transmigratione discedamus, nonnulla breui explicanda sunt, quae huius loci Interpretes torquent. Ac primum sit de anno huius cum primae visionis annis conferendo qua in re cum vtrobique annos referat transmigratio- D nis Regis Ioachim, res est ab omni dubitatione semota, nam minori numero ex maiore sublato, reliquus annos dabit inter vtramque visionem medios, nimirum viginti· prima enim visio contigit anno quinto transmigrationis Regis Ioachim, haec vero extrema, quinto & vigesimo. Quem annorum numerum colligit, & confirmat Sanctus Gregorius Papa, qui & difficultatem soluit non modicam, quia anno vigesimoseptimo prophetasse videtur, Aegyptum Assyrio dandam in praemium vastatae Dei iussu Tyri. non enim necessarium videtur, Prophetam ibi de hac eadem transmigrationis computatione locutum fuisse sed de alia, quam ipse putat ad eundem Ba- E byloniae Regem pertinere, quamque nos, Deo dante suo loco explicaturi sumus.

ANNI INter primam, & vltimam visionem Ezechielis transacti viginti.
S Greg. homil. 13. in Ezech.
RESPONdetur obiectioni.

Praeterea non est difficile, hunc annum extremae visionis cum anno primae, quem trigesimum esse dixit, componere, quamuis, quod esset eius principium, non exposuerit. nam si tricenario numero vicenarius interiacens, quem paulo ante probauimus, addatur, fiet quinquagenarius, à praedicto, de quo ambigimus, principio. Illud tamen difficultatem inuoluit non modicam, quod cum de illo trigesimo anno Doctores in varias discedant sententias, eorum quilibet hunc locum in suam pertrahere conatur. Quapropter operaepretium esse existimaui, breui exponere, cuinam

eius

ex illis sententijs magis conueniat hic quinquagesimus annorum numerus, quem probant verba Prophetae. Sed de illa sancti Hieronymi sententia, quae computationis initium ad inuentum librum legis retulit, nihil est quod dicam, cum haud secus quàm ille trigesimus hic, possit illi aptari quinquagesimus. Illam vero, cui constanter adhaerent Rabbini, Dauid, & Salomon, dubitandum non est annorum numero comprobari: at cum a sancto Hieronymo refellatur, non est, opinor, cur in ea immoremur aut confirmanda, aut refellenda, praesertim cum testatum habeamus a Theodoreto in Hebraeorum annalibus diligenter conquisitis nullum reperiri trigesimum Iubilei annum cum quinto Sedechiae, aut translati Iechoniae, conuenire. Accedit, quod paulo inferius examinandae veniunt reliquae coniecturae, quibus suam putant firmari sententiam: illa vna aliquid habere videretur ponderis, atque momenti, quae libertatis, & patriae restituendae nuntia cum anno Iubilei, cuius sunt propria, conferri demonstraret. at ea, si vera esset, aut expressa fuisset a Propheta, aut magis clare insinuata.

S. Hieron.

RABBINORUM sententia refellitur.

Rabbi Dauid, R. Salomon in comment.

S. Hieron.

B. Theodoret. Sect. 1. in Ezech.

Quod vero ad sententiam spectat Patris Hieronymi Pradi de trigesimo anno Chaldaeorum, cuius initium fuit imperium NabopolAssaris, vel Nabuchodonosoris senioris, ea explicanda nonnihil est, & ostendendum, qua ratione cum hoc, quem examinamus, numero conueniat. Hunc igitur NabopolAssarum regnasse tradit idem Iosephus à Prado relatus, annos nouemdecim. atque adeo cum quinto transmigrationis, & primae visionis anno conueniet annus Magni Nabuchodonosoris vndecimus: aut, si initio deciminoni mortuum putemus NabopolAssarum, duodecimus. cui numero si addatur senarius, quo distat desolatio vrbis a prima visione Ezechielis, vt mox patebit, continget vtique desolatio anno Nabuchodonosoris decimooctauo. Quod habetur apud Ieremiam, qui cum in vnam summam redigere vellet numerum eorum, qui è principibus populi translati fuerant Babylonem primum, secundo, ac tertio, tres has vastitates ordine recenset, atque annum Nabuchodonosoris, quo vnaquaeque accidit & de secunda sic scribit: *In anno octauodecimo Nabuchodonosor* subaudi, transtulit de Hierusalem, *animas octingentas trigintaduas*. Hanc autem de superato Sedechia, & incensa vrbe intelligendam esse, probat annorum numerus, qui ex alijs eiusdem Prophetae locis colligitur. nam paulo superius dixerat: *In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonusdecimus Nabuchodonosor Regis Babylonis, venit Nabuzardam princeps militiae &c. & incendit domum Domini* &c. Et constat, vt mox videbimus, hanc esse annum vndecimum Sedechiae. Neque quemquam mouere debet, quod ibi octauusdecimus dicatur, hic nonusdecimus: ibi enim de completo loquitur decimooctauo, hic de incipiente decimonono. Non enim potuit mihi non displicere eorum sententia, qui putant numeros huius loci aptandos esse numeris historiae Regum: liberam enim ea ratione aperiremus viam ignaris, aut impijs, sacras corrumpendi Scripturas, qui à numeris incipientes, ad reliqua pautim progrederentur. Quae omnia Pradi sententiam non mediocriter confirmant, quam non dubito, quin si superuixisset, in ea, quam moliebatur, Chronologia magis ac magis comprobatu-

P. Hier. Prado cap. 1. Ezech. ℣. 1.

Iosephus apud Pradum ibid.

EXPLICATUR sententia, quae initium computationis Regni Assyriorum initio tribuit.

Ierem. 52. ℣. 29.

Ibid. ℣. 12. & 13.

A rus fuisset. quapropter si illam sequamur, erit hic annus Regni Assyriorum, hoc est NabopolAssaris primi eorum Regis, quinquagesimus, vt paulo ante ostendimus. Tandem hic annus extremae visionis incidet in trigesimumsecundum Nabuchodonosoris: nam, vt supra ostendi, anno duodecimo Nabuchodonosoris, fuit prima visio, additis viginti interiacentibus, fient omnes, vt dixi, anni triginta duo. Sed vt ab annorum numeris ad rem ipsam accedamus, cuius sacras historias legenti esse poterit in promptu, quantum intersit inter Iechoniae captiuitatem, & vrbis desolationem, cum, vt dixi, illa populum transtulerit, atque vrbem intactam dimiserit, haec vr-
B bem cum templo flammis exurendam tradiderit. Vtriusque discrimen apud Hebraeus, & vniuersos Interpretes, Hieronymo teste, ipsis nominibus exprimitur. Ioachimi enim dicitur transmigratio, non captiuitas: non enim captus vrbe superata, sed voluntate se tradens, ductus est in Babylonem. Igitur, inquit, Ioachim, idest, Iechoniae dicatur prima transmigratio: Sedechiae autem secunda, vel extrema captiuitas: & quidem de transmigratione nihil est quod addam, praeter id quod notat Theodoretus, & sentit Gregorius: propterea transmigrationem suam dici à Propheta, quod vna cum populo, & Iechonia ipse captiuus ductus sit Babylonem.

ANNVS quinquagesimus, & trigesimus secundus.

QVO DIFFERT a transmigratione desolatio.

S. Hieron. super cap. 1. Ezech.

B. Theodoret. S. Gregorius.

QVARE suam transmigrationem vocet Propheta

C Cui sententiae minime obstare debet Iosephus, affirmans, Ezechielem puerum ductum fuisse in Babylonem statim post mortem Ioachim, siue Eliachim, quae incidit in septimum, vel octauum Nabuchodonosoris annum, vt supra ostendimus. Sed cum anno duodecimo huius Regis factam fuisse primam visionem ostenderimus, esset quidem adhuc puerulus Ezechiel, cum primam visionem conspexit, annis enim quatuor minime potuit ad maturam aetatem ascendere, qua decuit habere virum huiusmodi visione dignum. Accedit, quod vix decet conijcere, ea aetate minorem fuisse Ezechielem, quam in eius lectore exigebant Hebraei triginta annorum. Haec sunt
D quae nobis obijciuntur. Verum cum nihil diuinae deroget aut sapientiae, aut bonitati, immo vero potentiam maxime deceat, pueros etiam ad celsissimam Prophetarum dignitatem euehere, non est, opinor, cur alienum esse putetur, Ezechielem puerum Prophetae maximi nomine dignum fuisse, praesertim cum alijs quoque Prophetis datum hoc fuisse sciamus. Samueli namque puero reuelatus est Dominus, & Daniel duodennis Prophetico ductus spiritu Susannam liberauit, vt ex Ignatij, Sulpitij, & Augustini sententia probat Pererius. Quod vero ad Hebraeos spectat, trigesimum annum lecturis praefinientes, id statuerunt, illam tenentes opinionem, quam initio
E retulimus, & abiecimus, nimirum, anno trigesimo aetatis, Prophetae à Deo ostensam fuisse primam visionem. Atque adeo nihil ad praesens facere videtur institutum. Iam vero ordinem textus persequi operaepretium duximus, ac suo loco, quae de vrbis desolatione notanda videbantur, breui post pauca expendere.

Ioseph. 10. ant. cap. 8.

DANIEL duodecim annorum prophetauit. Samuel, & Ezechiel adhuc pueri

S. Ignat. Epist. ad Magnesia. Seuer. Sulpi. lib. 2. sacrae histor. S. Aug. Serm. 242. de tempor.

QVO ANNI MENSE, QVOQVE MENSIS DIE *facta fuerit haec visio.*

Cap. II.

Rabbi David in comment. & in lib. rad.

IN *exordio anni, decima mensis.* Vtramque particulam hanc connectunt Rabbini, vt ex hoc loco probent, annum huius visionis fuisse Iubilei. Dauid enim: Quis est annus, inquit, cu- B ius exordium est in decima die mensis? dic quod est annus Iubilaei. & quoniam serui exibant de seruitute in libertatem in anno Iubilaei, in die expiationum, propterea ostendit illi Deus benedictus exitum de captiuitate, & aedificationem templi, in anno Iubilaei, & in die expiationum, quoniam eo die parcet Deus iniquitati Israel, & peccatum eorum non memorabitur vltra. Haec ille. Rabbi vero Salomon eadem confirmat, ac probat hunc Iubilaei annum quinquagesimum esse à decimooctauo Iosiae, qua in re sententiam Beati Hieronymi non minus quàm suam roborat, quia anno decimooctauo Iosiae inuentus est liber legis, & siue hac, siue C illa ratione ab eo anno computari coepti sint anni, computatio certa esse videretur. Nam cum annos vnum & triginta regnasse dicatur Iosias, superfuerunt à decimooctauo vsque ad finem Regni anni tredecim. atque in decimoquarto regnauit Ioachaz, & Ioachin regnauit annos vndecim, vsque ad transmigrationem Ioachin, qui regnauerat tres tantum menses. at hic annus vigesimusquintus esse dicitur a transmigratione. ergo si omnes hos annos in vnam colligas summam, facile inuenies, anno quinquagesimo à decimooctauo Iosiae ostensam fuisse templi visionem Ezechieli. Quae quamuis vera sint, & certa, il- D lud non est vsquequaque certum, praedictum decimumoctauum Iosiae annum fuisse Iubilaei.

Rabbi Salom. in comment.

A DECIMOoctauo Iosiae, hic annus est quinquagesimus.

14
11
25
50

NON IDEM hic est anni exordium, & decima dies mensis

Et quidem ea, quam afferunt Rabbini, non est satis firma coniectura, immo verò textui videtur esse contraria. non enim pro eodem accipiendum est anni exordium, & dies mensis decima. Sed principium, siue exordium anni primum mensem significat, vt bene verterunt septuaginta, cuius die decima haec acciderunt. Hebraice habetur בראש beros in capite. Huius porro vocis notio, atque anni principium à Domino definitur in Exodo: *Mensis iste*, inquit, vobis ראש ros caput, *principium mensium* ראשון rison caput erit ipse E mensium, *primus erit in mensibus anni*. quasi dicat, alijs anni principium ab Octobri incipientibus, vobis deinceps alio non licebit vti, quàm mense Nisan. qui quidem mensis nostro respondet Martio, siue Aprili.

Exo. 12. ℣. 2.

EXORDIVM anni mense Nisan.

Gaudentius Tract. 2. in Exod.

Huius rei rationem satis congruam assignat Gaudentius Brixiensis Episcopus Ambrosio coaeuus: vt sicut circumcisione, ita & anni computo à gentibus distingueretur Hebraeus populus. Scio rem hanc in controuersiam a malris vocari, quod plerumque anni principium, in sacris etiam litteris, Octobri, aut Septembri mensi ascribatur, cum hoc loco tam disertis verbis praecipiatur initium à mense sumi nouarum frugum. At quamuis minime vacet, vtriusque sententiae, in A quam abeunt scriptores, momenta perpendere, quàm breuissime aperiam, quae ad praesens institutum videbuntur esse necessaria. Atque illud in primis, quod constanter asserebant Rabbini, negandum non est, annum Iubilaei à decima die mensis septimi exordium sumpsisse, cum id testatum perspicue sit in Leuitico. Verum animaduertendum est, annum, quod ad agrorum cultum spectat, & ad solemnitates, quae propterea celebrari praecipiuntur à mense Septembri, inde exordium sumere, cum ita natura constitutum sit, vt eo potissimum tempore fruges omnes ac fructus maturi sint, vt anni naturalem quendam finem denotare videantur. Qui propterea septi- B mus mensis האיתנים ethanim dicitur, à radice איתן aiath fortem denotante. atque adeo mensem fortitudinum seu virium licet interpretari, quòd tum omnia ad summum incrementum peruenerint. Vel, iuxta Hebraeorum sententiam, quod eo mense nati sunt fortes mundi. Vel, iuxta Baal Haruch, & Chimchi, nata rum primum sint fortissima mundi, firmamenta terrae. Vel, secundum Rabbi Ioseph, quòd colligeretur in eo panis, & vinum, vitae fundamenta. Vel propter solemnitates honorabiles & fortes, hoc est, magnas, quae celebrabantur in eo. Vel propter eam potissimum, cuius mentio fit relato Regum loco, quia fortes potentesque Israelis tulerant arcam in templum, C potentesque ad Deum effusae sunt preces, vt in eius rei memoriam perpetuo hic mensis eo censeretur nomine.

INITIVM Iubilaei a decima die mensis septimi sumebatur Leuit.

3. Reg. 8. ℣. 2.

R. David Chimchi in comment. & R. Ioseph.

Verum enimuero, triplicem anni rationem à legislatore, praedicto loco recenseri, notandum est. Primum, annorum senarium, quo terram colere, ac serere licebat, quem georgicum vocant. deinde septimum quemque, quo terram nec serere licebat, nec metere, qui propterea Sabbatum terrae dicitur. ac tandem annum quinquagesimum, qui eandem Sabbati habebat solemnitatem, atque alias proprias quamplurimas. qui omnes anni, quod ratione colendi, vel non colendi agri distinguebantur, ab anni naturali, vt di- D xi, principio exordiebantur. Hoc autem, quod de exordio aut fine quasi naturali dixi, non quidem a me inuentum est, de quo ipsius sacrae Scripturae praeclarum habemus testimonium, in Exodo, vbi sic legimus: *Sollemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs frugum messis tuae triticeae, & sollemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*. & iterum: *Sollemnitatem quoque*, inquit, *in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro*. ecce quem vocat exitum anni, & qua ratione.

Exo. 34. ℣. 22.

Exod. 23. ℣. 16.

At longe aliter in rebus alijs peragendis ratio anni habebatur, cuius mensis Nisan initium erat, vt initio explanationum notauit Pradus. Cuius E rei Hebraeorum omnia calendaria sunt testes, & Chaldaeus quoque Paraphrastes mensem Ethanim, quem septimum vocat Vulgatus, fortium mensem vocat, & olim primum dictum fuisse confirmat, cum sua tempestate, vt ipse testatur, mensis esset septimus. Accedit his Iosephi testimonium, qui diluuium accidisse affirmat anni mense secundo, qui a Macedonibus vocatur Δῖος dios, Hebraeis autem Marsonane, qui respondet Octobri, admonet tamen, Moysen postea primum mensem vocasse Nissan, qui Graece est ξανθικὸς & respondet Martio. Nec me latet id, quod à nonnullis in controuersiam vocatur de tempore creati mundi: inde enim anni exordium deducendum

Prad. super Ezech. 1. ℣. 1

Chaldae. 3. Reg. 8. ℣. 2.

Ioseph. 1 ant. cap. 4.

mendum esse necessario putant, iis, qui integros annorum circulos computare velint. qua ratione computatos ab Hebraeis fuisse non dubitant. Cum vero inter omnes conueniat, mundum, atque adeo solem in aequinoctiorum altero creatum fuisse, qui in autumnali creatum fuisse existimant, antiquum Hebraeorum morem pro se allegant; qui mos perpetuus Orientalibus fere fuit, vt Octobri mense annum exordirentur. Alij vero, & rationabilius multo putant, Hebraeos ad rectam anni computandi rationem reuocatos fuisse, diuina illa lege, qua vernum aequinoctium anni initium haberi praecipitur, quia nimirum id fuerit creati mundi principium, quo etiam mysticum illud, libertatis ab Aegyptiaca seruitute principium constitutum fuit. Illae porro coniecturae, quas aduersae opinionis Scriptores meditantur, eorundem potius, quam nostrae se opponunt sententiae. maturas enim fruges, fructus perfectos homini, ad vescendum, initio datos existimant, eosque non tantum creationis miraculo editos, verum etiam, iuxta anni rationem, ac temporum, ab ipsa denuo procreata terra productos. Quod si ita esset, nouum anni tempus, quo ad interitum, & corruptionem omnes terrae foetus videntur procedere, eligendum non esset sed vernum, quo omnia generantur, & producuntur, atque quotannis denuo Dei Optimi praeceptum illud primum videtur adimpleri. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Confirmat hoc Philo Iudaeus disertissimus. Moses, inquit, primum anni mensem fecit eum, qui in vernum aequinoctium incidit non sicut quidam qui praecedentibus id honoris tribuunt, non obseruato naturae beneficio: tunc enim maturescunt segetes ad victum necessariae, arborum vero foetus pubescunt recens editi, secundis mensis inferendi. sine tritico, hordeo, caeterisque similibus frugibus non viuitur: sine vino, & oleo, frugibusque arboreis, quaedam gentes aetatem producunt in annos plurimos. Haec ille: Verum his praetermissis, quae ad coniectandi artem spectare videntur, huius nostrae sententiae antiquitatem, & dignitatem probare possunt grauissimi Scriptores, qui eam tuentur. & in primis Anatolius Laodicensis Episcopus, cuius haec sunt verba. Ab antiquis Iudaeis ante Christum cum sic decretum fuit, tum ab illis imprimis obseruatum, quod ex Philonis, Iosephi, Musaeique verbis licet cognoscere: neque ex his solum, sed ab alijs qui illis sunt vetustiores: nimirum duobus cognomento Agatobulis praeceptoribus illius eximij Aristobuli. iste ex septuaginta interpretum numero, qui sacras, & diuinas Scripturas Ptolomaei Philadelphi, & eius patris rogatu ex sermone Hebraico in Graecum conuerterunt, vnus fuit. Isti Scriptores, dum quaestiones Exodi dissoluunt, aiunt omnes ex aequo, Pascha, siue διαβατήρια, idest, festum transitus, verum aequinoctium, medio primum mense celebrare oportere: hocque tempus esse primam sectionem cursus solis, siue cum sol penitus obiens signiferum, vt quidam illorum nominant orbem. Quo tam insigni tanti viri testimonio res esse videtur satis confirmata, quam propterea tuetur ipse, qui haec retulit Eusebius, necnon Cyrillus Hierosolymitanus: Sanctus Leo Papa, S. Isidorus, Beda, atque alij.

VERNVM aequinoctium creati mundi exordium.

Genes. 1. ℣. 11.

Philo lib. 3. de vita Mosis.

Euseb. lib. 7. histor. c. 26.

Euseb. in Chronicis Cyrill. Catechesi 14. S. Leo ser. 9 de pass. Isid. 5. Orig. cap. de temp. Beda lib. de ratione temp.

Sed ad institutum nostrum redeuntes, omnem, quam diximus, Hebraeorum controuersiam sustulisse videntur septuaginta Interpretes, qui, idem, quod nos legunt, *in exordio anni, decima mensis.* Quae autem fuerit haec decima dies, & quam celebris, mox ostendam.

A

Decimoquarto anno postquam percussa est ciuitas. Anno Sedechiae vndecimo, qui regnare coepit eodem transmigrationis anno capta fuit ciuitas Hierusalem à Chaldaeis. est autem hic annus à transmigratione vigesimusquintus: sublatis igitur vndecim ex vigintiquinque supersunt quatuordecim, atque adeo perspicuum est, annum hunc, decimumquartum fuisse à desolata vrbe. Sed quamuis tam facili discursu hic decimusquartus annus cuiuis potuisset esse perspectus, tamen à sapientissimo Propheta merito debuit percenseri, quo eiusdem vrbis ante tot annos subuersae futuram praediceret instaurationem, &

ANNVS captiuitatis, & incensi templi.

B Dei ostenderet benignissimi erga populum suum voluntatem, quippe qui ad correctionem, non ad interitum punit: differt autem miserationem, vt augeat spem, ac tandem pollicetur remedium, vt incitet, ad exquirendum: quod aptissime fit poenitentia praeteritorum, & morum mutatione, subsequentium. Huius rei gratia florentissimae illius vrbis, & reipublicae ruinam Iudaei, singulis annis ieiunio & planctu recolebant, dierum videlicet eorum memores, quibus maiora damna, quondam perpessa est. id quod retulit apud Zachariam Dominus, iucunditatem, poenitentiae fructum, abunde promittens. *Haec dicit Dominus exercituum. ieiunium quarti, & ieiu-*

IVCVNDItas poenitentiae fructus *Zachar. 8. ℣. 19.*

C *nium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domus Iuda in gaudium, & laetitiam, & in sollemnitates praeclaras.* Praedicta autem ieiunia, iuxta Cyrillum, & communiorem sententiam, quam probat Hieronymus, quamuis alias quoque causas assignet, sic fuerunt primum instituta. Ieiunabant enim mensae quarto, nona mensis, qua die capta est ciuitas, mense quinto, die decimo, quo incensa fuerat; mense septimo, die tertia, qua Godolias gentis columen cecidit, & spes reliquiarum Iuda: denique mense decimo, die mensis decima ieiunabant, diem illum recolentes, quo obsessa à Nabuchodonosore fuit ciuitas, quoque Ezechieli Babylone detento, vr-

S. Cyrillus. S. Hieronymus.

IEIVNAbant Hebraei in memoriam vastitae vrbis.

D bis misera conditio à Deo fuit manifestata.

Ezech. 24. ℣. 1. & 2.

Eandem porro Dei benignitatem ipsa verba praedicant, quibus haec verbis ruina refertur. Nam Hierosolymae vastitas, atque perditio, tanta fuit, vt merito varijs modis a Ieremia exaggeretur, similitudinibusque quamplurimis maior esse ostendatur, quam mente, non modo verbis comprehendi possit. *O vos omnes,* inquit, *qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, vt locutus est Dominus, in die irae furoris sui. De excelso misit ignem in ossibus meis.* Vineae confertur Hierosolyma, quam iratus Dominus vindemiauit, mox feris ac bestijs obijciendam, atque ignibus exu-

Thren. 1. ℣. 12.

HIEROSOlymae vastitas vineae conflagranti confertur.

E rendam, ita vt, prae incendij magnitudine, ne ipsae quidem radicum medullae, terrae altius infixae, incendij damna euadere videantur quibusque absumptis, spes omnis reuiuiscendi pereat. Et quidem subuersae vrbis supplicium tam ingens fuit, tamque execrandum, vt humanis oculis obiectum, haec, atque maiora damna intulisse videatur. At Deo parenti benignissimo, tunc maxime cum vrbem illam instaurandam pollicetur, ac templum pristinae integritati restituendum promittit, non euersa dicitur ciuitas, non conflagrasse, non perijsse, sed percussa tantum, ad correptionem fuisse. Hebraice vox est הֻכְּתָה huccethah, à radice נכה naca, quae percutere signi-

PERCVSSA dicitur ad correptionem ciuitas, cui instauratio pollicetur.

ficat

Zachar. 13. ℣. 7.

Matth. 26. ℣. 31.

PERCVSsus pastor, Christus a patre suo dicitur, quia pro nobis illum percuti permisit.

ficat: qua voce Christum Dominum compellare non dubitat Zacharias הך hac: *Percute*, inquit, *pastorem*, *& dispergentur oues*. Hunc autem locum de Christo Domino loqui ipse Dominus confirmat apud Matthaeum, discipulis suis dicens: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte: scriptum est enim. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*. Quod vero à Propheta, Euangelista distare videtur in verbis, cum hic Deum videatur inducere loquentem, quasi ipse sit filium suum pastorem percussurus, ille vero indicare videatur, à Deo tantum permitti vt percutiatur, ex quo fit, vt gregis dispergantur oues. Idem omnino colligitur sensus siue, percute, dicat, siue percutiam, Deus enim erat, qui pastorem pro ouibus percuti iubebat atque adeo, quod per alios fieri permittebat, per se fieri merito dicebatur. Sic apud Isaiam, eiusdem verbi & sententiae habemus exemplum: nam cum Dominicae passionis acerbitatem expendisset, & causas in nostris sceleribus abluendis, & poenis subleuandis sitas esse ostendisset, haec subdit: *Et nos putauimus eum quasi leprosum, percussum à Deo* מכה אלהים mucche elohim, *percussum à Deo*, vel, percussum Deum, vt legunt nonnulli, & *humiliatum*. Vt ipsamet Scriptura indicet, Deum Optimum Maximum esse eum, qui in filio suo vindictam sumat de peccatis nostris, & Deum ipsum filium Dei hominem factum, à Deo patre suo percussum esse. Atque vt haec filij percussio non ex vindictae affectu nascitur, neque in perditionem tendit, sed in salutem, ad maiorem percussi filij gloriam, & nostram, quorum interest, vtilitatem, sic etiam praesens Hierosolymae vastitas, cui instauratio promittitur, & pristinae, siue etiam maioris gloriae restitutio, percussio dicatur, non desolatio, contra quam iterum, cum funditus fuerat subuertenda, & non amplius instauranda, abominatio desolationis stetisse dicitur in loco sancto, hoc est abominabilis desolatio, de qua nos alias.

PERCVSSA ciuitas quare dicatur, non subuersa.

Tomo 3. Apperat part. 1. lib. 3. cap. 35.

Gen. 7. ℣. 13.

Leuit. 23. ℣. 14.

Caiet. in Gen.

In hac ipsa die בעצם היום beghetsem haiom Phrasis est Hebraeorum propria, quam varie conuertunt cum alij, tum vulgatae interpres in Genesi בעצם היום beghetsem haiom. in corpore diei illius, vel in ipsomet die, vertunt alij. Vulgatus. *In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, Cham, & Iaphet &c.* Et in Leuitico עד עצם gad ghetsem, vsque ad corpus, vel substantiam diei huius, idest, vsque ad hanc diem. Vulgatus. *Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete, vsque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro*. Caietanus Hebraicam vocem interpretatur, in proprietate diei illius, ac si hac die tantum id factum fuisse, indicetur, cui illa particula adiungitur. Alij vero quoniam voce עצם ghetsem, corpus cuiuscumque rei vident significari, hac voce diei addita, ipsam diei lucem ita exprimi putant, vt non modo nox excludatur, verum etiam crepuscula, quae tenebras cum nocte participant. Ego vero phrases idiomatum proprias nonnumquam expendens, vim huius omnem arbitratus sum à vulgato exprimi, dum dixit, *In hac ipsa die*: quae eadem interpretatio alijs quoque locis aptissime conuenire potest: nimirum vt ipsa, quam paulo ante retulerat, dies certissime designetur. Id quod non casu, aut temere à Propheta nostro factum fuisse existimauerim, sed vt indicaret diei illius sanctitatem, qua celebris haec visio vniuerso Israeli, vtilis ostendebatur, & salutaris,

IN CORpore diei, hoc est in ipsa plena diei luce.

A Quae quidem diei sanctitas, atque celebritas, non propter expiationis diem, aut legales tantum ritus pensanda videtur, sed multo magis propter veritatem Christi, cuius omnia legalia vmbram gerebant. Satis igitur probatum est, non esse hunc Iubilaei annum, neque decimam diem mensis septimi, qua ille sumit exordium: sed mensem primum Nisan, & huius diem decimam. Cuius quidem diei sollemnitas haud obscure definitur in Exodo, vbi primus hic mensis, anni principium haberi semper, praecipitur. *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum* &c. *& seruabitis vsque ad decimamquartam diem mensis huius*. Quis iam non videat, quàm bene conueniant inter se lex & prophetia, sacer ritus & sacra promissio.

QVARE Decimae diei primi mensis, tam accurate meminerit Propheta.

Exodi 12. ℣. 3. & 6.

DECIMA die sollemnitas antiqua.

B Decima die mensis primi vniuersus populus, Hierosolymam vetuens, agnos debuisset afferre, in singulas familias, ac domos, quinta deinceps die immolandos. quo sane ritu publicae profiterentur, se ab Aegyptiaca seruitute, Dei optimi singulari beneficio, ereptos olim fuisse. ac decima quidem die, qua agni parabantur, promissa futura libertas recolebatur. Hi quidem cum primum in Aegypto agnos parauerant, adhuc sperabant, Moysis pollicitationibus confisi, fore, vt breui liberarentur. Quae igitur dies conueniens magis excogitari posset, aut eligi, qua Ezechiel Propheta Moysen imitatus, Babylone detentis C annunciaret promissam à Deo libertatem, vrbem, ac templum pristinae integritati restituendum, ac gloriae?

CONCORdia diei decimae cum promissione Prophetae.

DIE HAC decima memoriam recolebant promissae olim ex Aegyptiaca seruitute libertatis

Verum minora sunt haec omnia, si temporalia tantum attendas, quam vt tam magnificas possint explere promissiones. quare ab vmbris, ad res ipsas, à figuris ad veritatem, ab infimis his rebus, ad summa, mentis oculos erigere nos docet idem Propheta, qui *hac ipsa die* mensis primi decima, templum sibi priore augustius, vrbemque veteri illa infinitis partibus meliorem iam instaurandam, ostensam esse praedicat. Quae omnia in figura illis contigisse Catholicorum negabit nemo. Vt igitur mentis oculos in veritaD tem ipsam defigamus, audiamus oportet Beatum Ioannem Euangelistam, atque Prophetam, qui enarrandae Dominicae passionis historiam aggressus, in hanc ipsam diem respexisse videtur, dum sic ait: *Iesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam*. & post commemoratam coenam, Christo ibidem factam, recensitis multis, ex ijs, quae ibi acciderunt, haec subdit: *In crastinum autem turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum* &c. Quem locum tam accurate interpretatur Cyrillus, vt nihil praeterea addendum esse videatur, quo Euangelistae mens habeatur perspeE cta, & Euangelij & legis concordia. Decima die, inquit, mensis primi agnum Iudaei capiunt immolandum in festo Paschae: ex eo enim tempore celebritatis Paschatis praelibant sollemnia. Quapropter in die praecedente, quae est nona mensis primi, & praecedit sextum diem (sexto die, si dixisset, perspicuam fecisset orationem interpres, vt ex sequentibus mox apparebit) ante Pascha, epulantur splendide, & exordium festi, hanc diem constituunt. quo fit, vt Iesus quoque pergens Bethaniam coniuaretur. Mox vero sequentia verba sic exponit: Praeceptum legis erat, vt decima luna primi mensis, agnus, siue haedus in domo occluderetur, vsque ad lunam decimamquartam eiusdem mensis, quando ad vesperum immolabatur, Vnde & verus agnus,

DECIMA die libertas promittitur, quia eo die Hierosolymam ingressus est Christus mundum instauraturus.

Ioan. 12. ℣. 1.

Ibid. ℣. 12.

B. Cyrillus Alex. lib. 8. cap. 6. & 9.

Exod. 12.

ex om-

ex omni grege sine macula electus, pro populi sanctificatione immolandus, ante quinque dies, idest, decima luna Hierosolymam ascendit, & appropinquante hora passionis, appropinquare voluit loco passionis, vt etiam per hoc claresceret, quia non inuitus, sed sponte pro humani generis salute mortem pateretur. Ante quinque dies Paschae, vt ex hoc loco constat, Hierosolymam venire voluit: vt etiam per hoc ostenderet, se esse agnum immaculatum, qui peccata tolleret mundi, & agni illius typici, qui in lege immolabatur, exemplar, & veritatem. Haec sanctus Doctor. Anselmus, item de die palmarum sic loquitur. Nec sine ratione in hac die venit Ierusalem, decima enim erat dies mensis: quod habemus ex Euangelio Ioannis. ait enim: *Ante sex dies Paschae venit Bethaniam*, vbi facta est coena &c. In crastinum vero venit Hierosolymam, & acceperunt eum cum ramis palmarum. Vnde habemus, quia quinto die ante Pascha venit Ierusalem, qui est decimus dies mensis: Pascha enim celebrabatur in quartadecima die. Decimo autem die voluit ingredi, quia ita praefiguratum erat in lege, vbi praecipitur: decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas. & paulo post ait: Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius &c. Decima ergo die mensis primi, agnus, quem in Pascha immolarent introduci iussus est, quia Dominus decima die eiusdem mensis, hoc est, ante quinque dies Paschae, in ciuitatem, in qua pateretur, erat ingressurus. Haec sanctus Anselmus. Rupertus hoc idem affirmat. Bene ergo, inquit, verus iste agnus immolationis suae tempus ipsum, quod typico praescripserat agno, per omnia prouidit. Mense primo, decima die mensis, quo secundum legem agnus in domos Iudaeorum tollebatur, intrauit in sanctam ciuitatem Ierusalem, turbis deducentibus, & quamdiu item secundum legem seruatus est, tamdiu & iste circa ciuitatem eandem, & circa templum demoratus est, idest, vsque ad quartamdecimam diem mensis eiusdem. Eandem porro sententiam secutus est Theophylactus, cui non video, qua ratione se opponant, ex recentioribus nonnulli, affirmantes, praeceptum illud accipiendi agni die decima, ad primam tantum agni immolationem pertinuisse, non autem ad reliquas futuris temporibus. ipsi viderint. qui audiendi non sunt, donec explicent, qua occasione & ab alijs multis patribus dissentiant, quos ipsa Hebraeorum traditione ductos fuisse non dubitamus. Sed quamuis scriptores hi aliter sentiant, quod ad praesens attinet institutum, satis superque certum est, decima die imperatum accipi agnum, atque eadem ipsa die visionem ostensam Ezechieli, qua Christus Dominus asello vectus, ingressus est Hierosolymam. Sed non hoc tantum, sed & alia multa, vel me tacente, lector conferre poterit, de Ecclesia sub templi, & vrbis figura Prophetae ostensa hac die decima, cum ijs, quae hac ipsa die decima aggreditur Christus passione sua peragenda. Sed de his omnibus nos alias iterum, si, Deo dante, vita superstes fuerit.

ANTE quinque dies Paschae, hoc est decima mensis, ingreditur Iesus Hierosolymam, qua do agni inducebantur immolandi, vt esse se verum agnum qui abstulit peccata mundi, indicaret

B Anselmus super Matth. 21.

Ioan. 12. ℣. 1

ibid. ℣. 12.

Rupert lib. 2 in Exod. c. 6

Theophylact.

REFELluntur ij qui putant agnum decima die assumi, semel tantum imperatum fuisse, non singulis annis.

Vnum superest notandum, quod praedicta confirmare videtur, atque eisdem confirmari. Prophetam nostrum minime agere de aedificato a Zorobabele templo, cum eius gloria, vt latius nos ostendemus alias, longe inferior fuerit, si diuitias attendas, templi Salomonici gloria atque opibus. id quod rationibus ac argumentis confirmare studet Beatus Hieronymus. Quae tanti ponderis A sunt, vt ipsos Hebraeos veritatis hostes coegerit confiteri, hanc templi aedificationem ad nullam aliam respicere, quàm ad regnum Christi. quam si non temporalem fingerent, iam factam fuisse vtique agnouissent.

NON HIC agitur de instaurato a Zorobabele templo

FACTA MANVS DOMINI FELICITATEM HAC *visione promissam indicat.*

Cap. III.

Facta est super me manus Domini: Hebraice היתה עלי יד יהוה hathah ghalai iad adonai. Fuit super me manus Domini, conuertit Regius codex. Vis diuina mecum egit, Vatablus. Septuaginta interpretes haud differunt à vulgata. Chaldaeus: Resedit super me spiritus propheticus à facie Domini. Rabbi Salomo: *Manus Domini*, inquit, id est robur fortitudinis eius, ad deducendum me super vires meas: vel, contra voluntatem meam. C Mitius quidem agendum esset cum Rabbino, si, praeter, aut supra voluntatem meam dixisset, nam contra nihil significat contextui consonum. Has vero tam varias interpretandi rationes in se complectitur breuissimae Hebraicae vocis יד iad manus, late patens notio. cuius originem alij, à radice ידה iadah deducunt, quae iaculari significat, aut proijcere. quasi manum vocent proijciendi instrumentum. Alij, ad praesens institutum conuenienter magis, a radice deducunt ידד iadad, quae non longe distat à praecedenti, significat enim misit, emisit, proiecit, aut iaculatus est: manum vero dici putant, quasi è brachio emissam. vel notio est Latinae persimilis, qua manus dicitur, quasi D e brachio manans. Sed quoniam in latinam vocem, manus, incidimus, haud è re nostra erit, quid ea significarent antiqui, breui indicare.

Facta manus Domini, quae dicatur.

Rabbi Salomo in comment.

MANVS, multiplex notio.

Manare, inquit Festus, solem antiqui dicebant, cum solis orientis radij splendorem iacere coepissent, à quo & dictum putabant, mane. Alij, dictum mane putabant, quòd manum bonum dicebant. Varro, idem quoque confirmat, Diei, inquit, principium mane, quòd tum manet dies ab Oriente: nisi potius, quod bonum antiqui dicebant manum. Sed & Beatus Isidorus eadem aliquanto explicatius tradit. Mane lux matura, & plena: nec iam crepusculum. Et dictum mane a manu, manum enim antiqui bonum dicebant, quid enim E melius luce? Alij mane existimant vocari a manibus, idest, à Dijs, quia manus, idest ratus est, atque perspicuus. Haec sunt Isidori verba. Quae omnia bona, si Ezechieli tribui intelligamus, cum Dei manum factam esse super se affirmat, fortasse à vero non multum aberrabimus. Sed ad Hebraea redeamus. Nulli, in sacris litteris, vel mediocriter versato dubium esse debet, ea omnia voce manus indicari, quae manu, corporis instrumento praestare solemus. At, praeter propriam notionem, transfertur, ad significandum primum, potestatem, seu rei alicuius dominium, eorum enim potestatem habemus, quae in manibus tenemus. Sic ad Noe Dominus. *Omnes pisces maris manui,*

Festus de verb signif.

MANVM pro bono vsurpabant antiqui.

S. Isid. lib. 5. Orig cap. 3.

MANVS pro rei potestate, aut dominio.

Gen 9. ℣. 2.

Gen. 24. ℣. 10.

nus, idest potestati, *vestrae traditi sunt*. Et de seruo Abrahami Mesopotamiam profecturo, sic habent Hebraea: Et omne bonum Domini sui בידו beiado, in manu eius. Vulgatus aptissime sensum reddidit, *ex omnibus bonis eius*, inquiens, *portans secum*. Et ad vxorem suam Abraham: *Ecce*, *ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet*.

Gen. 16. ℣. 6.

Gen. 9. ℣. 5.

MANVS bestijs tribuitur, hac eadem notione.

Manus quoque bestijs tribuitur in Genesi. *Sanguinem enim animarum vestrarum exquiram, de manu cunctarum bestiarum*. Ideo bestiae occidunt, vt comedant, & quasi in suam redigant, mortua corpora potestatem, atque adeo humanae vitae rationem, exigendam esse a bestijs, illam auferentibus, pollicetur. Quod & factum fuisse videmus in lege, praecipiente Domino, homicidam bouem lapidibus obrui, & carnes eius non comedi. cuius facti si dominus bouis aliqua ex parte reus fuerit, occidi pariter demandatur. Pari tandem ratione, manus linguae tribuuntur, dicente Domino: *Mors & vita in manibus linguae*, hoc est in potestate. quasi dicat: potest homo loquendo mortem, aut vitam sibi, aut alijs afferre.

Exodi 21. ℣. 28.

Prouer. 18. ℣. 21.

MANVS linguae etiam eadem ratione datur.

Iuxta hunc igitur loquendi modum, fuit super me manus Domini, idem erit ac si diceret: veni in eius manum, aut potestatem. vel, apprehendit me manus Domini, *& adduxit me illuc*. Verum haec interpretatio vix exhaurit vim huius locutionis, quae prophetae nostro frequens est: eamque à communi loquendi modo longe distare, significare voluisse videtur Vulgatae editionis interpres, dum non conuertit: fuit super me manus Domini, sed: *Facta est super me manus Domini*, ideirco aliam vocis יד iad notionem exquirere oportet, quae non minus frequens est sacris Scriptoribus, Deo enim tribuitur, qui corporis omnino est expers, atque adeo manus. Verum quoniam nos manibus operamur, viresque exerimus atque potentiam, ideo Dei manus, eius indicat virtutem, potentiam, opera, efficacitatem: plerumque etiam flagellandi vim, atque puniendi. sic in psalmo: *Eripe animam meam ab impio frameam tuam ab inimicis manus tuae*. Difficilis plane locus, qui timoris vim, dissecta oratione indicare videtur. *Eripe*, inquit, *animam meam ab impio*; *frameam tuam* exere, aut extende, quo aufugiat territus. Vel, ò framem tuam: non enim minori praesidio, aut defensione me indigere cognosco, quàm frameae tuae, qua eripiar *ab inimicis manus tuae*: idest, potentiae, virtutis, roboris tui. Hebraei aliter videntur interpretari locum hunc. *Eripe animam meam ab impio*, qui est gladius tuus, à viris manus tuae, Deus. hoc est, à viris, qui sunt manus, virga, flagellum tuum, quibus sontes punire soles. Longe aliter in psalterio Vaticano, vel Romano cuius alias rationem dedimus: Eripe animam meam ab impio frameam inimicorum de manu tua. hoc est, Eripe animam meam ab impio, & eripe, siue, abijcias, quaeso, frameam, qua inimicos ferire soles, de manu tua. Concordat autem haec lectio cum Hebraica notione. illud enim ממתים me methim à viris, si notetur, inquiunt, *sceua*: hoc est duplici puncto, altero alteri superposito, viros significat. at si notetur *tsere*.. hoc est duplici puncto altero alteri ad latus posito, significat mortuos. Ex quo fit, vt viri manus Dei dicantur hoc loco, vel ij, quorum opera Deus vtitur ad puniendum alios: vel ij, qui diuinae vltioni deputati sunt; qui nimirum omnes facile confunduntur: cum vix intelligi possit, virgam percutere, aut manum, quin ipsa quoque manus patiatur, & doleat. Sed, his praetermissis, ad institutam nostram probationem reuertamur. In Exodo ad Moysem Dominus: *Sed & ego scio*, inquit, *quod non dimittet vos Rex Aegypti, vt eatis, nisi per manum validam*. Hebraice, ac Graece, in manu valida. Chaldaeus, per timorem fortem. quae omnia, grauem punitionem indicant, quam mox explicat, subdens: *Extendam enim manum meam*, idest exeram profecto, & manifestabo potentiam meam. *& percutiam*, hoc est, dum percussero *Aegyptum in cunctis mirabilibus meis*. Quae autem sit haec manus Domini, ad flagellandum Pharaonem extensa, ipse Dominus alibi declarat: *Ecce manus mea erit super agros tuos* inquiens: idemque magis explicat subdens: *Et super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues pestis valde grauis*.

DEI manus virtutem, potentiam, efficacitatem significat, nonnunquam flagella.

Psal. 16. ℣. 14.

INIMICI manus qui dicantur.

Exo. 3. ℣. 19. & 20.

Exod. 9. ℣. 3.

Verum non semper manus Dei pro vltione sumitur, sed plerumque auxilium denotat, opem, fauorem. Vtramque notionem indicare voluisse videtur Psaltes, Deum Optimum sic interpellans: *Vt quid auertis*, vel retrahis *manum tuam* adiutricem, Psalterium Vaticanum hoc indicans, faciem legit pro manu; *& dexteram tuam vltricem de medio sinu tuo in finem?* Ex Hebraeo sic vertunt nonnulli: Quare conuertis manum tuam, & dexteram tuam in medio sinu tuo prohibens. Varablus: Quare manum tuam, & dexteram tuam retraxisti? è sinu plene profer eam notatque Hebraice haberi, arce manus tuas à sinu tuo. Chaldaeus vero sic habet. Quare conuertes manum tuam? dexteram autem tuam de medio bonitatis tuae extrahe. putauit enim sinum Dei, bonitatem Dei dici, hoc est, voluntatem, & benignitatem, à qua exerendam petit Propheta, vtramque Dei manum, & eam, qua nobis opem afferre solet, & eam, qua de hostibus nostris vindictam sumere consueuit. Magis autem perspicue, Dei potentiam in hominum auxilium propensam indicat extensa manus Domini: eodem dicente ad Moysem de carnium esu, vniuerso populo exhibendo dubitantem: *Numquid manus Domini inualida est?* Hebraice היד יהוה תקצר haiad adonai thictsar, manus Domini abbreuiabitur. pro, abbreuiata est. verbum enim קצר catsar angustare, stringere, arctare, breuiare significat, seu abbreuiare. Eisdem plane verbis vsus est Isaias, eodemque sensu, licet non eodem modo prolatis, hic enim affirmatiue ea verba profert, quae ibi Dominus interrogando protulerat. *Ecce*, inquit, *non est abbreuiata*, hoc est paruula facta, vt interpretatur Augustinus, *manus Domini, vt saluare nequeat*. Hanc igitur Dei manum ad saluandum protensam, factam, hoc est manifestatam super se esse affirmat Propheta noster, cum adductus fuit in terram Israel, ibique futuri templi imago pulcherrima sibi benignissime ostensa est, ac populi sui libertas, & summa promissa est, foelicitas.

MANVS pro auxilio, ope, fauore.

Psal. 73. ℣. 11.

Vatab. ibid. nu. 18.

Numer. 11. ℣. 23.

MANVS extensa & abbreuiata.

Isa. 59. ℣. 1.

S. August. Ser. 47.

Sed adhuc superest loci sensus, & sublimior, & admirabilior, & ad Hebraeorum perfidiam conuincendam aptior. Per manum enim Dei, haud secus quam per Dei digitum, qui manus est pars, ipsum Spiritum Sanctum haud obscure significari putant nonnulli, qui locutus est per Prophetas. Et quidem si ipsam vocis originem, quam initio dicebamus, attentius perpendas, emanatione manus eiusdem cum brachio, & toto corpore substantiae, spirationem Diuini Spiritus adumbrari agnosces, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur. vt canit Ecclesia.

PER manus & digiti à brachio emanationem Spiritus sancti ex Patre & Filio processio adumbratur.

sta. Nec deest in ipsa vocis origine illud, quod proprium est Spiritus sancti, vt voluntate procedat, & per amorem: vt יעד iad, a radice יעד iadad deducta demonstrat. Quod vero digitus Dei idem significet, quod manus, perspectum esse potest ex eo, quod malefici cum non potuissent cniphes educere, ad Pharaonem dixerunt: *Digitus Dei est hic.* hoc est Dei virtus atque potentia: Opponere autem videntur Dei digitum, daemonum malis artibus, atque incantationibus &, vt notat Philo, Dei digitum validiorem esse profitentur manibus, & omni potestate malignorum spirituum. Atque eadem plane phrasi locutus videtur apud Lucam Christus Dominus, firma ratione confirmans, se diuina virtute, non diabolica fraude daemonia eijcere. *Porro*, inquit, *si in digito Dei eycio daemonia. profecto peruenit in vos regnum Dei.* Quid autem digito Dei accipiendum sit, explicat sanctus Matthaeus Euangelista, eadem verba sic referens *Si autem ego in spiritu Dei eycio daemones, igitur peruenit in vos regnum Dei.* Quae omnia simul collata facile confirmant id, quod bene notauit quidam, manum plerumque accipi pro Spiritu sancto, qui per Prophetas locutus est, & fuit efficax. Huic concordat Chaldaica paraphrasis, quam supra retulimus. estque phrasis haec nostro prophetae familiaris. *Et facta est super eum ibi manus Domini. Et cecidit ibi super me manus Domini. Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere.* Et tandem. *Facta est super me manus Domini:* hoc est irruit in me spiritus propheticus, spiritus, inquam, sanctus, quo repleri solent prophetae. *Et adduxit me illuc.* Pintus nihil putat in littera praecessisse ad quod referatur aduerbium *illuc* verum Rabbi Selomo, quem sequitur Vatablus, aperte testatur, *illuc*, referendum esse ad ciuitatem, quae fuerat percussa, nimirum Ierusalem. atque haec verba subdit sententiam confirmans, quam nos antea tuebamur. Illo autem anno ostendit illi reaedificationem domus futurae tempore Messiae. Quam vtinam ipse cum suis asseclis intellexisset de mystica Ecclesiae aedificatione, quam fere ante mille sexcentos annos completam fuisse cognoscerent, & non tamdiu futuram frustra sperarent.

Exo. 8. ℣. 19.

DIGITUS Dei Spiritus sanctus quare dicatur.

Philo de vita Mosis.

S. Luc. 11. ℣. 20.

S. Matth. 12. ℣. 28.

Forsterus in Dictionario. radice 609.

PHRASIS Ezechielis frequens

Ezech. 1. ℣. 3. & c. 8. ℣. 1. & c. 33. ℣. 22.

Hector Pintus super Ezechielem.

Vatablus.

R. Selomo in commentarijs.

VISIONIS HUIUS

DIGNITAS EX NOMINE

& loco dignoscitur.

Cap. IV.

IN *visionibus Dei adduxit me in terram Israel.* In visionibus magnis, admirandis, vere diuinis intelligendus est hic locus, haud secus quam Pater Pradus alibi haec eadem verba interpretatus est. Sed superest adhuc mihi vehemens quoddam desiderium cognoscendi, cur Propheta noster toties hac phrasi, *in visionibus Dei*, visus sit. Neque mirum cuiquam videri debet: nonnihil enim noui, & admirandi hac phrasi contineri tandem reperi, ea enim Hebraice sic habet בַּמַרְאוֹת אֱלֹהִים bemaroth elohim. priorem vocem omnes constanter affirmant à radice ראה raah deduci, quam memini me alias explicasse, & ostendisse, notionem eius esse, videre, aspicere oculis, imaginatione, vel mente. ex hoc verbo, addita littera מ mem, nomen componitur מראה mareh, quod visum, visionem significat, quod quidem nomen multitudinis numerum forma masculea frequenter format. At Propheta noster eundem eiusdem nominis multitudinis numerum forma etiam foeminea proferre solet. Quae res quamuis vsu etiam alijs vocibus venire consueuerit, tamen aliquid hic latere mysterij fere semper suspicatus sum. quare diligenter à me conquisitum est, num alijs in locis sacrae Scripturae eadem vox, eadem proferatur forma, ac bis tantum illam reperi: semel in Exodo: *Fecit labrum aeneum*, Moyses, cum basi sua במראות bemaroth in visionibus, conuertunt nonnulli, & obscurius in fenestris. Sed bene vulgatus, *de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi.* Qui quidem locus tum quod maiorem quaerat indaginem, quàm quae hic obiter adhiberi possit: tum vero maxime quod propriam habeat sedem, cum de maris aenei forma agemus, atque materia, in eam reijciendus esse videtur. Iterum vero eadem vox in Genesi legitur. Nam cum Iacobum, Israelem dictum retulisset, primùm audisse Iosephum filium suum, quem mortuum crediderat viuere, & dominari in tota terra Aegypti, dixisse memorat: *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam & videbo illum antequam moriar. Profectusque Israel cum omnibus quae habebat, venit ad puteum iuramenti. & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum* במראות *bemaroth in visionibus nocturnis, per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem* & quae sequuntur. Longior plane sim, quàm Ezechielis interpretem decet, si singula percensere velim, quae in huius loci explicatione occurrunt, quae visionem quoque Ezechielis illustrare possent. Satis tamen meo muneri nunc me fecisse existimaui, si lectorem moneam, vt huius diuinae promissionis locum, foelicitatem, euentum, ac singula pene verba cum nostrae visionis similibus partibus conferat, ac facile intelliget, quas Dei visiones commemoret Propheta noster, quarum similes sint hae, quibus templi, atque vrbis instauratio à Deo potentissimo ac benignissimo promittuntur. Venit enim primum Iacob in Bersabee, quem locum reuelationum seu visionum merito vocat Lipomanus: nam ibi afflictam Agar, & de Ismaelis sitientis filij sui morte sollicitam consolatur Dominus, Angelum mittens, qui puteum ostendat ei, & polliceatur, futurum puerum in gentem magnam. Ibi etiam locus est concordiae & pacis, vt ait glossa, vbi Abraham, & Isaac foedus inierunt cum Abimelech, quod sacramento firmarunt. Ibidem etiam de Isaac legimus, quod cum venisset Bersabee, *apparuit ei Dominus in ipsa nocte dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia*

Pradus Ezechiel. 1. ℣. 1.

Exo. 38. ℣. 8.

Genes. 45. ℣. ult. & Cap. 46. ℣. 1. 2. 3. & 4.

VISIONES Dei felicitatem prae se ferunt.

BERSABEE locus visionum.

Lipomanus in Catena.

Genes. 21. ℣. 10. & seqq.

Genes. 26. ℣. 24.

LOCVS promissae benedictionis.

ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum. In hoc loco, vbi Abraham & Isaac Domino religiose sacrificauerant, cum sacrificium obtulisset Iacob, apparuit ei in visione Dominus, & dixit: *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere.* Duplex Dei nomen hic legitur אל el & אלהים elohim. Quorum primum Dei fortitudinem, virtutem, potentiam denotat: absolute potentem aliqui ita interpretantur, vt omnia ei suam quamcumque potentiam atque virtutem acceptam referant. Secundum vero nomen iudiciariam, seu absolute dominandi potestatem denotat: & vtrumque nomen ita notione confundunt nonnulli, vt ex eadem radice ortum putent. B Quo fit vt visio Ezechielis, quem interpretamur, cum illa Iacobi congruere videatur, quoniam idem Dei nomen vtrobique refertur, Dei Optimi potentiam indicans, qua possit quaecumque polliceatur complere. id quod manus nomine, paulo ante indicari probauimus. Sed quoniam longum nobis esset, singulas partes vtriusque visionis conferre, id quod a lectore praestari facile posse arbitrati sumus, atque, vt facilius fiat, locum Iosephi hic subiungendum duximus, quo historiam hanc, & Iacobi visionem ita recenset, vt sacrae Genesis potius commentatorem agere videatur, quam propriae scriptorem historiae. is sic habet: Iacobus autem postquam ex filijs statum Iosephi cognouit &c. iter aggressus est, ad Iosephum properans. C Vt vero ventum est ad puteum iuramenti, oblato Deo sacrificio, cum timore, ne filijs, propter vbertatem Aegypti, cupiditate habitandae regionis capeis, posteritas sua non rediret in Chananaeam, occupatura eam iuxta promissa Dei: neue, inconsulto Deo, migratione praesenti facta, genus ipsius clade aliqua ferretur: adhaec, ne forte ipse, antequam Iosephum aspicere contingat, ex hac vita eximatur, talia voluanti in animo, & somno grauato Deus per visionem astitit, eumque bis nominatim inclamauit. Quo rogante, quisnam esset. Ah ooo agnoscis, inquit, Deum, tam tuam, quam tuorum maiorum protectorem simul, & auxiliatorem? Qui contra patris tui propositum principem familiae te constitui, & cum solus in Mesopotamiam profectus esses, effeci, vt, coniugium nactus fortunatum, redires & liberis multis, & D facultatibus auctus: incolumem etiam progeniem tuam seruaui, & quem amisisse videbaris Iosephum, ad tam sublime dignitatis fastigium euexi, vt non multum a Rege Aegypti differat. Nunc quoque in hoc veni, vt me ducem huius itineris habeas, vtque tibi praenunciem, inter manus Iosephi te e vita exiturum, & posteritatem tuam per multa saecula potentem fore simul, & illustrem, occupaturamque terram, cuius ditionem ei sum pollicitus. Haec Iosephus, promissam Iacobo illa visione, felicitatem referens. Iuxta quam si verba Ezechielis interpretemur, In visionibus Dei adductum se dicit in terram Israel, hoc est in visione quadam illarum simillima, quibus Deus Patriarchis, atque Prophetis & omnem felicitatem promisit, & opere com- E pleuit. Quibus verbis in certissimam spem erigere, conabatur moerore confectos Hebraeos, fore vt in patriam redirent, & templum, quod, vt alias dixi, de vero templo, ac patria intelligendum est, qua nos hodie fruimur, non de illa, quae huius tantum erat vmbra, & similitudo quaedam.

DEI NOMEN, el, significat Deo referendam esse omnem potentiam

ELOHIM dominandi potestatem denotat.

IOSEPHVS est veluti quidam sacrae Scripturae interpres

Iosepus 2. antiq c. 3. & 4. alias 7.

VISIO DEI illis similhma, qua felicitatem Patriarchis pollicebatur Deus.

Adduxit me in terram Israel. Beatus Gregorius, quod dixerat, inquit, adduxit me illuc, hoc replicans subdit: *adduxit me in terram Israel.* Esset autem huc referendum, quod supra latius tractauimus, corporene, an spiritu in terram Israel sit ductus. Verum, quoniam ibi pluribus ostendimus, spiritu tantum adductum A fuisse, sensus loci hic erit breuissime insinuandus: tam illustris ac perspicua visio mentis oculis mihi obiecta est, vt videter non tam phantasia versare, quàm corporeis oculis lustrare patrium solum. Huius vero loci proprium id esse existimarem, vt quoniam paulo ante in ciuitatem Ierusalem adductus fuisse dixerat, qui erat quasi huius visionis finis, nunc ordine recensere incipiat iter, quo adductus est, è Babylone profectus, in terram Israel adductus sit, & dimissus super montem &c. tam enim est distincta haec visio, vt singulas rerum singularum partes ita ostendat, ac si vere esset corporea.

S. Greg. homi. 13 in Ezech.

Sup. lib. 1. Isagog. huius part. cap. 5.

VISIO TAM manifesta, vt vel minimae quaeque percenseat.

EODEM LOCO

TEMPLVM NVNC

ostendit, quo olim fuerat exstructum.

Cap. V.

C

ET dimisit me super montem excelsum nimis. Hunc montem, constans Doctorum sententia tenet, montem esse domus Domini; neque illi tantummodo, qui litterae sensum exquirunt; verum illi etiam, qui, hoc sublato, mysticos tantummodo consectanrur sensus. Inter quos, qui primas tenet, sanctissimus Gregorius sic scribit: Domus enim Domini Israeliticus populus fuit. Mons itaque domus Domini ille appellatus est, qui in Israelitico populo incarnari dignatus est. Hunc autem eundem inter- D pretandi morem tenuerunt non sacri Doctores modo, sed & profani, ac perfidi, qui, ne veritati, quam prae manibus tenere videbantur, salutarem praeberent assensum, ad somniati Messiae tempora referunt, quae iam in Christo Domino opere completa sunt. Rabbi enim Salomon: Ad montem, inquit, excelsum valde, quoniam sic futurum erat, vt eleuetur, sicut dicitur, & eleuatus à collibus. Sed & Rabbi Dauid: Hic est, inquit, mons domus & ostendit eum illi excelsum valde, quoniam sic futurum est, antonomastice excelsus, & eleuatus valde, sicut scriptum est: Praeparatus erit mons domus Domini in vertice montium, & eleuatus de collibus. E Per seipsum etiam est excelsus secundum locum suum, quoniam terra Israel est magis excelsa, & eleuata, quàm reliquae regiones: Ierusalem autem est magis excelsa & eleuata, quam vniuersa terra Israel. Haec ille. Duplicem vtique loci sensum indicauit: alterum quem primum intendere videbatur propheta, Ecclesiam indicaturus, cuius *fundamenta in montibus sanctis*. quorum celsitudinem, vt ait sanctus Hieronymus, Isaias, & Micheas vaticinantur. Alter vero sensus est, qui litterae primum subest, quemque respiciens propheta, ad praedictam Ecclesiae celsitudinem indicandam transtulit, nimirum de monte ipso, cui templum illud Salomoni-

S. Gregorius.

Rabbi Salom. in comment.

Rabbi Dauid in comment.

S. Hieronym.

Isa. 2. ℣. 2.

Mich. 4. ℣. 1.

MONS MOria est mons domus, ad quem fuit adductus Propheta. Ezech. 45. ℣. 12. 2. Paral. 3. ℣. 1.

monicum, mox describendum imminebat de eo- A dem enim templo sic scribit idem Propheta: *Ista est lex domus in summitate montis* Quis autem hic mons fuerit, in libro Paralipomenon habetur expressum: *Et coepit*, inquit, *Salomon aedificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusaei.*

1. Paralip. 21. ℣. 16. Ibid. ℣. 15. Ibid. ℣. 18.

Loci porro sanctitatem & dignitatem denotant praedicta verba. tunc enim ostensus fuisse locus Dauidi putatur, cum *Vidit Angelum Domini stantem inter caelum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem.* Cui, cum propter Dauidis lachrymis, ac poe- B nitentiam placatus Dominus imperasset: *Sufficit iam, cesses manus tua. Porro angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusaei.* Sed & *Angelus Domini praecepit Gad, vt diceret Dauidi, vt ascenderet, extrueretque altare Domino Deo in area Ornan Iebusaei* Locum deinde de aedificando templo praeparauerat Dauid, cum *Dedit Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.*

Ibid. ℣. 25. AREA TEMpli scutis aureis empta fuit 222½. Tom 3. Apparat part 2 lib. 2 cap 36. Tabulae numismatum. To 3. p. 2 lib. 2. in fine

Et de areae quidem pretio aliquid nos dicere suadet hic locus, quem quod ad pretium spectat late pertractamus suo loco. ibique ostendimus, areae pretium fuisse aureorum siclorum quinquaginta, qui sexcentis argenteis siclis aestimatione sunt pares. Quod si quis hoc pretium ad nostra numismata reuocare velit, is ingrediatur tabulam C nostram numismatum primam, atque in columna siclorum inquirat numerum quinquaginta, atque in eadem linea ad dexteram procedendo, in columna scutorum auri in auro Romanorum, inueniet scuta ducenta vigintiduo cum dimidio, ac tantumdem dicat stetisse aream: atque eadem ratione de alijs numismatis Romanis, atque Hispanis in eadem linea existentibus iudicabit. Sed quoniam, vt dixi, aurum in tabula perfectissimum examinatur, cuiusmodi nullum vnquam, neque olim creditur fuisse percussum, ideo qui rem propius examinare voluerit, is ingrediatur secundam numismatum tabulam, atque è regione sexcentorum siclorum argenti, quibus quinquaginta D illos aureos siclos diximus respondere, inueniet scuta monetae Romanae ducenta octoginta octo: Hispanica ducenta triginta septem cum quinta insuper scuti parte. A qua scutorum summa adhuc auferenda est vel vigesima quarta, vel duodecima pars, prout argentum ea tempestate cussum a perfectissimo defecisse putabitur. Ego enim, quod in antiquissimis illis numismatis obseruare potui, perfectissimum reperi, atque adeo ad eam computandi normam, quae in tabulis obseruatur, omnia reuocaui, vt ibidem notatum est. Sed his omissis, quae ad tertiam apparatus partem propius spectare videntur, ad illud, quod est huius loci proprium, veniendum est.

EADEM steterit scutis monetae Romanae 288. Hispanae 237.

MONS MOria excelsus nimis. Tomo 3 part. 2 lib. 1. c. 7.

Montem vtique Moria quasi definiens Propheta vocat *excelsum nimis*. quod ipso nomine Moria proprie significari fusius alibi ostendimus. Vox enim, Moria, à verbo ראה raah deducta, quod significat videre, montem visionis, seu visibilem denotat, quia prae celsitudine vndequaque conspicuus erat atque visibilis. Sed & aliam quoque vocis notionem longe praestantiorem, mysterijsque plenissimam ibidem pertractauimus: quae nimirum Iesum Christum Saluatorem ac Dominum nostrum respicit, in monte hoc salutem generis humani operantem: id quod haud secus quàm Abraham credendum est vidisse Ezechielem. cum, vt ait quidam Doctor, Ezechiel, Propheta non esset, si, quid ostensa sibi visione indicaretur, non cognouisset. Ideo & haec quoque mysteria his eisdem verbis indicasse videtur: nam, vbi nos legimus, *& dimisit me super montem excelsum nimis*, in Hebraeo habetur verbum וינחני vaieniechem, a radice נוח nuach, quod quiescere, requiescere significat, non tam à labore praecedenti, quam cum quadam pace, atque animi tranquillitate.

AD CHRIsti mysteria respiciens Propheta, requieuisse se dicit in monte Moria.

Isa. 11. ℣. 2. QVA RAtione spiritus requieuit in Christo. Ezech. 44. ℣. 30. Pagninus in Thesauro.

Sicut de Christo Domino scribit Isaias: *Et requiescet super eum spiritus Domini*, hoc est, quasi in propria domo manere delectabitur. Sic apud Prophetam nostrum reperitur hoc B verbum non sine magna venustate, atque decore. *Et primitias*, inquit, *ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuae.* non male vertit Pagninus: vt requiescere facias benedictionem super domum tuam. Iuxta quam vocis notionem sic licet interpretari Prophetae nostri verba: *Et dimisit me*, hoc est, & requiescere me fecit, aut requiem & pacem mihi praestitit super monte Moria. Respexisse iam nunc videtur Propheta noster ad caput vigesimumquintum Isaiae, quod totum qui attentius leget, & cum illis conferet, quae de Moriae monte relato loco diximus, si ea huc retulerit omnia, admirandam Christi, & Ecclesiae commemorationem in prophetarum collatione reperiet. Sed quod ad prae- C sens institutum spectat, sic breui insinuandum est potius quàm pertractandum.

VETVS IErosolyma semel subuertenda fuit, nec amplius instauranda. Isa. 25. ℣. 2. CIVES ECclesiae fortes, robusti. Ibid. ℣. 3. Ibid. ℣. 6. 7. & 8. Ibid. ℣. 9. ECCLEsiae propria. Ibid. ℣. 10.

In praedicto Isaiae capite cuiusdam ciuitatis fit mentio, omnino subuertendae, neque amplius in sempiternum instaurandae, quam terrenam Ierosolymam esse cum suo templo illo magnifico non est qui dubitare possit, vel saltem propterea, quod prophetia haec, eiusque interpretatio, quam sequimur, probetur euentu. deinde nouae cuiusdam ciuitatis meminit, quae nouis constat ciuibus, nouo populo. *populus fortis, ciuitas robustorum.* haec est Ecclesia Christi, cuius ciues fideles sunt. hanc vero eisdem Ierosolymae, Sionis, Moriae mon- D tis nominibus censendam esse probant infiniti propemodum sacrae Scripturae loci. In monte vero hoc conuiuium pinguium faciendum esse à Domino omnibus populis, mortem, lacrymam, opprobrium auferendum, ac praecipitandum esse denuntiat. Ac tandem Deum ipsum ibidem recognoscendum, vt Saluatorem: *Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum, exultauimus & laetabimur in salutari eius. Quia requiescet manus Domini in monte isto.* Vbi eadem vox legitur in Hebraeo, quam hic adhibuit Propheta noster. Locum autem Isaiae sic conuertunt septuaginta interpretes: Exultauimus & laeta- E ti sumus in salute nostra, Requiem dabit Dominus in monte isto. Quae verba ad requiem beatae patriae, & caelestis Ierusalem referunt Theodoretus, Irenaeus, Origenes, Tertullianus, & Ephrem: at Athanasius ad passionem Christi, in qua recognoscitur à creaturis Deus, haec retulit & Cyrillus ad Christum à fidelibus Deum habitum, vt à Ioanne Baptista, Petro, & Thoma factum fuisse legimus in Euangelio. Quae omnes interpretationes lectionem septuaginta interpretum videntur respicere, quae requiem, de qua sermo est, ad nos referre videntur.

Theodoret. Iren. lib. 4. cap 22. Orig. homil. 23 in c. 28. Numer. Tertull. lib. de Resurrect. Ephrem. lib. de compunct. Athanas. lib. de Incarnat. apud Leonem de Castro in Isa. Cyrill. apud eundem.

Verum quoniam Vulgata nostra manum Dei quiescere tradit, ideo aliter locum explicat Fo-

Forerius.

rerius, & phrasim ingeniose rimatur, qua manum A Dei quiescere denotet perpetuum Dei fauorem, & auxilium virtutis, ac potentiae Dei in Ecclesia, qua etiam eius hostes conterat, & ad nihilum redigat, vt indicant sequentia Isaiae verba. Ac tandem Christum Dominum perpetuo manentem in Ecclesia quiescente, manu Dei indicari putat. Quae omnia & vera sunt, & facile ad praedictam phrasim reuocari posse crediderim. Verum nescio quid, adhuc cupit animus scire, cur manus Dei quiescere dicatur potius, quam Deus ipse, num aliquid egisse intelligatur manus, quo peracto quiescere dicatur? Quod cum euoluerem, occurrit mihi locus Geneseos, quo, cum creationis opera omnia, creato homine complevisset Deus: *Et requieuit*, inquit, *die septimo, ab vniuerso opere, quod patrauerat*. Et cum salutem humani generis operata dicatur manus Domini in monte hoc, atque instaurasse *omnia in Christo, quae in caelis, & quae in terra sunt in ipso*: merito huiusmodi opere completo, atque omnibus numeris absoluto, quieuisse dicetur manus Domini. quippe quae in passione ac morte nimium laborauerat, in Resurrectione requiescat.

CHRISTVS perpetuo manet in Ecclesia, opem illi non deficientem allaturus.

MANVS DEI quiescere quare dicatur.

Psal. 73. ℣. 12.

Ephes. 1. ℣. 10.

QVIEVIT Deus, creato homine, ab omni opere, requieuit Christus recreato homine, ab omni labore passionis.

Est tamen longe diuersum verbum in Hebraeo, quod Beatus Hieronymus & in Esaia, & in Genesi eodem interpretatus est requiescendi. Nam in Genesi est verbum שבת sabath quod proprie cessare ab opere significat, vt ibidem perspicuum est, dicente Scriptura: *Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat*, habetur hoc verbum, *ab omni opere suo*. Sed quoniam cessationem ab opere consequitur quies, hoc verbum transfertur ad significandam etiam quietem. at verbum נוח nuach vt dixi, proprie quietem significat, ita vt merito tunc cessasse dicatur Dei manus, cum creato homine mundum absoluit. supeterat ei tunc, vt illum pene perditum humano peccato, proprio effuso sanguine, quasi reficeret, quo instaurato iam tandem quiescit manus Domini, cum nihil amplius illi supersit peragendum, quod laborem afferat diuinae manui. Quae omnia, atque alia quamplurima mysteria, quae nos mente consequi nulla ratione poterimus, contemplatus in monte Ezechiel, in quem adductus fuerat manu Dei, requiescere merito dicetur, hoc est, particeps effectus quietis, quam in monte Hierosolymitano, huic coniunctissimo consecuta fuerat Christi manus ex mortuis resurgens, spoliorum plenissima atque palmarum.

Gen. 2. ℣. 3.

DEI MANVS in resurrectione quiescit, spoliorum plenissima atque palmarum.

TEMPLVM
CIVITATI SIMILE
quare dicatur.
Cap. VI.

SVPER *quem erat quasi aedificium ciuitatis vergentis ad Austrum*. Rabbi Dauid, Aedificium, inquit, כמבנה cembneh, nomen est regiminis. & sensus est, aedificium ostendit ei quasi ciuitatem aedificatam, aut quod erant adhuc eam aedificantes. Et in aedificio domus ostendit illi, quonam pacto debeant illam aedificare. & ostendit ei virum, qui praeerat ijs, qui aedificabant, & mensurabat longitudinem, & latitudinem, iuxta quam aedificarent. Haec ille. Qui paulo ante haec verba scripserat: ostendit autem illi aedificium domus futurae, sicut ostenderat illi ruinam eius, vt consolaretur hac prophetia domum Israel, quae transmigrauerat, ne forte periret spes eorum, & adhuc sunt in terram suam redituri, & in ea habitabunt confidenter. aedificium autem domus maius futurum est, quam fuerit in principio. Quae omnia Rabbini verba vera sunt, si ad Christi tempora referantur, alias à veritate longe sunt aliena. Illud porro certum esse videtur aedificium, quod ciuitati simile dicitur, templum esse: quod confirmat Richardus. Dicitur autem recte, inquit, hoc aedificium habere similitudinem ciuitatis, eo quod esset vndique cinctum muris, firmatum portis, multis stipatum aedificijs. Et certe, si templi formam, muniones, capacitatem, magnitudinem consideres, positis tantum ob oculos, nostris vniuersali ichnographia, & orientali orthographia, mox intelliges, ciuitatem quandam ijs omnibus potius referri quam vnum aliquod ciuitatis aedificium. Exstructum enim erat super excelsum montem, substructionibus ad quadringentos cubitos se erigentibus. quibus superstans murus atrij Israel, validissimis erat munitus turribus; hunc murum ambit alius atrij gentium: qui duo muri, haud secus quàm murus, & antemurale tutissimam possent reddere ciuitatem. Atria interiacentia latissimas dixeris plateas: gazophylacia spatiosas domos, medias porticus vias. omitto loca publica, ad ministeria Magistratuum obeunda, quae sacerdotum ministerijs deputabantur. atque alia id genus propemodum infinita; quae facile possent ciuitatem constituere potius, quàm referre, vt suis locis singula explicata indicabunt. Neque vero me latet Lyranum mihi esse contrarium. nam cum Doctorum suorum sententiam retulisset, asserentium, ciuitatis atque aedificij nomine, idem templum importari, quoniam multas habebat mansiones, ac muros, cum propugnaculis, ipse primum, quamuis Rabbinorum probet sententiam, negat tamen propugnacula sacra Scriptura probari. Verum, alienam non esse à sacra Scriptura eiusmodi sententiam, probat nostri Prophetae testimonium. Nam vbi nos legimus: *Et culinae fabricatae erant subter porticus per gyrum*. Hebraice habetur טירות hanroth. quam vocem castella licet conuertere. propugnacula conuertit in canticis Beatus Hiero-

Rabbi Dauid in comment.

CIVITAS aedificacatur, & qui praeerat aedificantibus, metiebatur.

Richardus in explana templi Ezechielis.

TEMPLVM ciuitati confertur.

Nicolaus Lyranus.

PROPVGNACVLA quae a Lyrano negantur, ex sacra Scriptura probantur.

Ezech. 46. ℣. 23.

Cant. 8. ℣. 9.

Hieronymus: *Si murus est*, inquit, *aedificemus* A *super eam* טירת כסף tirath caseph. castellum, arcem, palatium argenteum, *Propugnacula argentea*. Accedit etiam Romanorum principum testimonium, qui, cum coram Tito de templo subuertendo consultarent,

Ioseph. 7. belli cap. 9.

Nonnulli si templum reliquissent Iudaei, neque armis pro eo quisquam certaret, conseruandum esse suadebant: si vero id pugna obtinuissent, ignibus consumendum, quoniam castellum iam videretur esse, non templum.

TEMPLVM castellum dicitur.

Idque non defensione militum modo, sed multo magis aedificio ac munitionibus. Quare Imperator se numquam tantum opus incensurum affirmabat: iam enim Romanorum fore hoc damnum sicut ornamentum quoque fore imperij, si maneret.

Ioseph. 14. antiquit. c. 8.

Ipsius vero Iosephi testimonium extat huiusmo- B di: Pompeius vero a septentrionali templi latere, quod maxime erat oppugnationi obnoxium, admouit milites. erant autem hac quoque parte turres altae &c. Sed de his alias. nunc enim satis esse arbitratus sum, monere Lectorem, me nullam partem nostris apposuisse descriptionibus, quam aliqua probabili coniectura confirmari posse non arbitrarer, cumque in eis multa emineant super porticibus castella, ea quoque probari posse, haud temere diffidimus. Disputat deinde Lyranus contra Doctores suos, quoniam ciuitas cum templo ostensa fuit pariter Ezechieli, atque adeo aedificij nomine significari putat ab eo: nunc templum nomine ciuitatis ipsam vrbem Hierosolymam. ac tandem tem- C plum quidem ad Aquilonem statuendum putat; ciuitatem contra, ad Austrum.

Quod vtrumque nihil plane probat, quominus templum ipsum ciuitati conferat, quamuis templum viderit ac ciuitatem conspexerit, idem enim templum vocat aedificium ciuitatis: quod non modo latina vulgata lectio probat, verum & Hebraea: quod ex grammatices praeceptionibus confirmat Rabbi Dauid, vt paulo superius ostendimus.

Rabbi Dauid in comment.

De eodem quoque aedificio intelligendum est illud, quod subiungit Propheta: *vergentis ad Austrum* id quomodo aperiendum sit, mox aperiemus. Falsum enim omnino est, templum vrbi à Septemtrione opponi: nam, vt D ait Iosephus, vrbs sita erat e regione templi, theatrali specie, hoc est triplex eius latus cingens, vt in vrbis topographia, eiusque confirmationibus cuiuis potest esse perspectum.

Ioseph 15. antiq. cap. 14.

Vergentis ad Austrum, נגבה minnegeb. a meridie. Sanctus Hieronymus, cum multa de monte in mystico sensu insinuasset, sic scribit: super hunc montem ostenditur aedificium ciuitatis iuxta Septuaginta & Aquilam, è regione, & ex aduerso Aquilonis, vnde ad terram Israel Propheta veniebat. iuxta Theodotionem vero, & Symmachum, vergentis ad Austrum. Hanc vero lectionem potius amplectitur pius Doctor, vtpote prae interpretationi, cui insistit congruentiorem. vtraque vero E eundem sensum reddit, quem expressit illis verbis Apollinaris: Ab Austro aedificium apparet ei, qui ab Aquilone accesserit.

S. Hieron. lib. 12. comment. in Ezech.

VENIENTI è Babylone templum apparet ad Austrum.

Appolinar. in catena.

III *Et introduxit me illuc.* Subauditur, inquit Hieronymus, manus Dei.

S. Hieron.

Illuc autem, hoc est quasi aedificium ciuitatis: vt mihi cuncta quae erant intrinsecus demonstraret. Quibus verbis certe confirmat quae paulo superius diximus, nimirum, quasi aedificium ciuitatis ipsum templum dici, in quod modo introducitur Propheta, Hebraice ויבא vaiabe. & adduxit me illuc, legit Regius codex. Vatablus: duxit, inquam, me illo. Quae verba non denotant, ad interiora templi iam fuisse deductum Prophetam, cum adhuc exterior peribolus conspiciendus infra sit, sed tantum comminus allatum, vt posset singulas ordine partes inspicere. Iam vero tempus est, vt Lector vniuersalem nostram ichnographiam, haec cum sequentibus lecturus, ob oculos ponat. ibique mox conspiciet in extimo Aquilonari peribolo apertam portam ab Orientali angulo non longe dissitam, in eaque Angelum stantem videri in fine huius versiculi; cum Propheta vel intra portam in via, vel iuxta portam in monte domus stetisse credendus sit, cum ad templum adductus fuisse dicitur.

AD AQVIlonarem portam exterioris peribolis adductus fuit primum Propheta.

Quod si latinam vocem omnino sequaris, in via stetisse eum dices, quae intra peribolum vndequaque iacet, atque adeo intra templi septa. quamquam magis congruit cum sequentibus, vt vsque ad portam allatus fuisse credatur Propheta à vi illa, seu manu diuina, quasi inuisibili quadam virtute, atque iuxta extimam templi portam dimissus, vbi visibili forma vir quidam illi ostensus fuerit, quasi templi custos, aut ianitor, qui Prophetae sit ductor, & doctor. hoc enim indicare videtur subdens sequentia verba.

PROPHETAE

DVCTOR ANGELVS *quidem fuit, sed qui Christum referret.*

Cap. VII.

ET ecce vir והנה vehine *& ecce*: aduerbium quidem hoc ostendentis est, quasi tunc primum conspexisset virum illum. Quem morem tenuisse videtur historia Genesis: nam vbi nos legimus de Iacobo: *viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens caelum: Angelos quoque Dei ascendentes per eam, & Dominum innixum scalae*: in Hebraeo hoc aduerbium legitur.

Genes. 28. ℣. 12. & 13.

Chaldaeus paraphrastes sic vertit: Et somniauit, & ecce scala erat defixa in terra, & caput illius pertingebat vsque ad caelum & ecce Angeli Domini ascendebant, & descendebant per eam & ecce gloria Domini stabat super eam.

ECCE ADuerbium, ea quae tunc primum videntur solet indicare.

Hunc autem, quem vidit Propheta noster, virum vocat איש is. quod nomen quamuis sexum nonnumquam denotet in vnaquaque animantium specie, plerumque vero hominem quemcumque, non raro tamen illum significat, qui auctoritate, dignitate, gloria, virtute, viribus, existimatione caeteros antecellat.

VIRI NOmen quid denotet.

Nam cum somnium illud panis subuertentis Madianitarum castra interpretaretur è Madianitis quidam: *Non est hoc aliud*, inquit, *nisi gladius Gedeonis filij Ioas* איש ducis vertunt nonnulli *viri Israelitae*. Sic & Dauid ad Abner: *Numquid*, inquit, *non* איש is, *vir tu es?* Quid autem viri nomine indicare voluerit, explicat, subdens *Et quis alius similis tui in Israel?* Idem propemodum Ieremiae accidit. *Circuite*, inquit, *vias Ierusa-*

Iudic. 7. ℣. 14.

1. Reg. 26. ℣. 15.

Iere. 5. ℣. 1.

rusalem &c. & quaerite in plateis eius an inueniatis virum. Quid autem viri nomine significare voluerit indicat subdens, *facientem iudicium, & quaerentem fidem.* Id quod magis exprimunt Hebraea, quae sic habent: Quaerite in plateis eius, an inueniatis virum, an sit faciens iudicium &c. Quae omnia illud videntur confirmare, quod hic notandum esse existimaui, voce viri, hoc loco, angeli dignitatem indicari, ac maiestatem. cuius quidem pulchritudinem, splendorem, habitum, & instrumenta mox describit Propheta. Quis autem fuerit hic vir, explicare conatur Rabbi Dauid sic scribens. *Et ecce vir*, quasi dicat, angelus de caelis mensurabat aedificium. Angelum autem vidit Propheta in similitudinem hominis, B sicut dicitur in Iosue: Et ecce vir stabat contra eum. Quibus verbis locum citat Rabbinus hic, quo eadem, quae hoc loco habentur verba, atque eiusdem fortasse Michaelis Archangeli fit mentio. locus autem sic habet: *Cum autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit* והנה איש vehinne is & ecce vir *virum stantem contra se*, à quo, num amicus esset, an secus, interrogatus respondit: *Sum princeps exercitus Domini, & nunc veni.* Quapropter satis videtur rationi consentaneum, Michaelem quondam synagogae, nunc vero Ecclesiae Catholicae tutelarem missum à Deo fuisse, vt aedificium metiretur, quo ipsiusmet Ecclesiae aedificatio indicabatur. neque aedificatio tantum, sed & leges, iura, dignitates, cum infinitis propemodum eius thesauris praesignabantur.

VIRI NOmen angelum indicat.

Rabbi Dauid in comment.

MICHAEL Archangelus hic fuisse putatur.

Iosue 5. ℣. 13.

Ibid. ℣. 14.

Sunt tamen alij, qui virum hunc Gabrielem fuisse autumant, haud leui ducti coniectura, quippe qui eodem viri nomine censeatur à Daniele. *Adhuc*, enim inquit, *me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio.* qui quidem Angelus multa de noua Hierosolyma, nouoque templo aedificando per Christum, subuerso priori, Prophetae venerat denunciaturus. Et sane res haec tanti ponderis est, atque momenti, vt hoc aut illo, aut alio aliquo è septem principibus, qui astant coram Domino, fuerit peragenda. Quod sanctissimis viris Gregorio atque Hieronymo perspectum fuisse videtur, qui ad mysticos haec omnia sensus referentes, virum hunc Christum fuisse existimant. Et merito hic quidem locum retulit Zachariae: *Haec ait Dominus exercituum, dicens: ecce vir Oriens nomen eius, & subter eum orietur, & aedificabit templum Domino.* Ipse enim vere ac proprie templum hoc aedificaturus erat, eiusque partes mensuras, formam, ornamenta, leges & caetera praescripturus, quae Ezechiele spectante praesignabantur ab angelo. Aliam vero ab hac non longe diuersam assignat rationem Gregorius: quia & ipse omnia intra Sanctam Ecclesiam iudicando disponit, & E ipse eandem Sanctam Ecclesiam portat, & portando ad caelestia subleuat. Neque mirum est, hos sanctos Doctores, viri nomine, Christum indicari arbitratos esse, cum eo nomine censeatur à Paulo celebri illa concione Athenis habita, per quam magnum habet Ecclesia Dionysium. *Eo quod statuit*, inquit, *diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate*, iuste, *in viro, in quo statuit &c.* hoc est per virum sibi ab aeterno ad hoc statutum, nempe per Christum. Sed de his alias, nunc enim viri species ac forma inuestiganda est.

ALII Arbitrantur fuisse Gabrielem.

Dan. 9. ℣. 21.

VIRO HOC Christus praefiguratur, ecclesiae aedificator

S. Hieron. hic Zachar. 6. ℣. 12.

S. Greg. lib. 2. in Ezech. homil. 12.

VIR DICITUR à Paulo Christus.

Actorum 17. ℣. 31.

Cuius erat species quasi species aeris. Hebraice כמראה נחשת מראהו marehu cemareh nechoseth. aspectus eius sicut aspectus aeris. Visio eius quasi visio aeris, liceret conuertere, cum eadem haec vox sit, quam visionem supra conuertetat Vulgatus interpres, & merito, deducitur enim, vt dixi, à verbo ראה raah quod est videre: & verbotum sensus erit, ac si diceret, videbar videre aes, non vtique quodcumque, sed splendens. quam vocem addidere paraphrastice septuaginta interpretes. Sed & Rabbi Salomo aspectus aeris, inquit, idest, quasi aspectus splendoris animalium, & scintillae quasi aspectus aeris candentis. Idem prorsus sentit Rabbi Dauid. qui nomen aeris נחשת nechoseth à radice deducit נחש nachas cuius quoque vsus est in Genesi. petenti enim Iacobo mercedem suam respondit Labam: *Inueniam gratiam in conspectu tuo. experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te.* Pro illo, experimento didici, Hebraice habetur נחשתי nichasti. quam praedictus Rabbinus ita conuertit: auguratus sum, & benedixit mihi Dominus propter te. Eam versionem sequutus est Pagninus, & sic interpretatur, vt auguratus, vel ominatus sum benedixit mihi Dominus. Et certe radix ipsa hoc significat alijs quoque sacrae Scripturae locis. verum, quid aes, aut chalybs cum augurandi ominandiue arte commune habeat, nondum perspectum est, neque à Rabbinorum aliquo, quod sciam, satis expressum. nam quae C ratio à nonnullis excogitata est, ab augurijs metallum deduci, quòd huius sonitu, aut tinnitu multa indicentur, longe videtur petita, atque adeo non magnifacienda. satiusque multo esse duxi, vt ingenue fateamur, propter vtriusque vocis notionem alterius agnosci cum altera cognationem, quamuis adhuc ignoretur, quare aes ab augurando dicatur.

VISIO AEris splendentis.

Rabbi Salomo in comment.

Rabbi Dauid in comment.

Genes. 30. ℣. 27.

Pagninus in Thesauro.

AERIS NOmen ab augurando deductum.

D

DE FVNICVLO, ET CALAMO MENSVRAE *in vniuersum.*

Cap. VIII.

ET *funiculus lineus in manu eius, & calamus mensurae in manu eius.* Septuaginta interpretes vertunt: & in manu eius erat funiculus cementariorum, & calamus mensura. Quae de visione hactenus diximus breui paraphrasi complexus est Theodoretus. Ait igitur, inquit, in visione Dei, hoc est spiritu, non corporis visione, suam mentem in terram Israel abductam fuisse, vidisseque in monte quodam excelso aedificium, & quendam ibi stantem humana quidem forma praeditum, sed colore splendidissimi, atque pulcherrimi aeris, calamumque & funiculum, ad aedificandi vsum confectum afferentem. Haec ille. At Beatus Hieronymus. Funiculus quoque erat, inquit, lineus siue cementariorum in manu eius: de quo & in Zacharia scriptum est, quod funiculum habuerit geometricum, vt latitudinem & longitudinem vrbis meti-

FVNICVLVS cementariorum

Theodor. in Ezech. Sect. 15.

S. Hieron.

Zachar. 2. ℣. 1. & 2.

metiretur. Verba autem Zachariae à sancto Hieronymo relata sic habent. *Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: vt metiar Ierusalem, & videam, quanta sit latitudo eius, & quanta sit longitudo eius.* Quem locum Chimchius apte interpretatur illis verbis.

R. David Chimchi super Zachar.

Ad aliud iam visi genus, sumpto hic initio progreditur: quod ad Messiae tempora non inepte referri poterit, aeque ac illa quae Ezechieli visenda proposita, tum temporis fuerunt, cum angelus longitudinem, latitudinemque vrbis Hierosolymitanae metiretur. Funiculus mensorius, qualem vulgo metiendis rebus adhibere solent.

Idem in comment. Ezech.

FVNICVLVS & calamus, quibus solent homines mensurare

Rabbi Salomo.

B Idem vero Rabbinus, funiculi, & calami vsum explicat, dum vtrumque ad dimetiendum adhiberi solitum tradit, subditque: quia nimirum funiculo homo mensurat mensuram magnam in area, aut in profundo: calamo autem mensuram paruam, qualis est mensura aedificij. Rabbi vero Salomo propius accedit, calamo quidem dimetiri confirmans grossitiem muri, & longitudinem, & latitudinem portarum. Ego vero nihil praeterea indicari puto, dum *funiculus lineus* dicitur: aut, vt habent Hebraea linorum: quam quod dixere septuaginta, cementariorum, aut quod dixit Zacharias, *mensorum*, aut quod ait Ambrosius, agrimensorius, quia nimirum lineis filis eiusmodi vterentur artifices, non vero e canape, sparto, aut alia materia, quippe qui longiore, subtilioreque filo, & extenso indigent, cuiusmodi vsibus vnum linum poterit deseruire.

QVARE DIcatur lineus funiculus.

S. Ambr. lib. 3. de fide c. 3.

C Beatus vero Gregorius proprium explicat vsum fili cementariorum, vt cognosci nimirum queat aequalitas, vel rectitudo surgentis parietis. vt si lapis intus est, foras eijciatur, si exterius prominet, interius reuocetur. Quem vsum in Ecclesia Catholica quotidie exstruenda praedicatoribus merito cum Hieronymo tribuit noster Ezechiel. immo & cum Regio Propheta. quid enim aliud indicant illa verba ad caelestes viros relata: *In omnem terram exiuit sonus*, Hebraice קו cau linea regula amussis *eorum*. vt nimirum ex omnibus orbis terrae partibus lapides viuos seligant in huius caelestis, ac noui aedificij structura coaptandos, siue vt eiusmodi regula coaptentur. Perfectissimum enim Ecclesiae aedificium, nonnisi perfectissimis architecturae regulis construendum est. eas vero praescribit illis verbis Vitruuius: vti longitudines ad regulam, & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur. sed & Plato: Architectura, inquit, vtitur amussi, regulaque, torno, circino, filo, perpendiculo &c. Nos vero de his alias.

S. Greg. super Ezech.

APOSTOLI Ecclesiae constructores

Psal. 18. ℣.

D

Vitruu. lib. 9. c. 3.

At silentio inuoluendum non est, quod sanctus Dionysius Areopagita de huiusmodi instrumentis, angelis datis scripsit propterea, quòd per ea angelorum ministeria facile nobis innotescunt. Vasa quoque, inquit, Geometrica atque Fabrilia fundandi, & construendi ac perficiendi vim, & quaeque alia sunt prouidentiae illius munera, quae inferiora promouet atque conuertit. Interdum & diuinorum in nos iudiciorum signa sunt, quae finguntur sanctorum angelorum instrumenta: alijs quidem significantibus emendantem disciplinam, siue iustitiam punientem: alijs vero mestorum casuum ereptionem, siue disciplinae finem, siue prioris felicitatis receptionem, siue aliorum quoque munerum adiectionem. Quae omnia propterea à sanctissimo & perspi-

S. Dionys. de caelesti. c. 15. Plato in Phileba.

E

A caciffimo viro dicta fuisse credendum est, vt quae huiusmodi geometricis siue architectonicis instrumentis significarentur nobis exposita innotescerent: hoc maxime loco, quo omnia Dei Optimi benignitatem denotant cum alias soleant seueritatem.

Et calamus. Hebraice קנה chene. Eandem Hebraicam vocem vsurpant vulgo Itali canna. Galli canne. Hispani cana. Vocis huius origo ignota est: nam verbum קנה chana, à quo deducitur, longe aliam habet notionem, & quae in nullo congruat cum voce calami. significat enim illud verbum acquirere, possidere, emere. hoc vero nomen, arundinem, aut calamum vtique naturalem, sed propter similitudinem dicitur etiam de mensura, atque alijs rebus. Non me latet, aliquibus à longitudine deduci vocem eam, qui propterea putant, lanceam cannam dici in psalmo: nam vbi nos legimus: *Increpa feras arundinis*, arundinem pro lanceis sumunt metonymicos ac si sensus sit: Increpa, & perde turbam lanceis armatam, greges lanceatorum in populum tuum insurgentium. Et quamuis sensus idem eliciatur, siue hac, siue illa ratione sumatur vox, ego quidem metaphoram hanc, elegantissimamque translationem in re ipsa potius quam in voce statuendam esse putarem, qua mirabiles innuuntur allusiones. acies enim lanceatorum militum ordinata, arundineto quam simillima est; milites, feras, vtique infra discurrentes referunt, & vtrumque hostium ferocitatem indicat. Quod Vaticano psalterio magis exprimitur; feras enim legit siluarum. At Chaldaeus paraphrastes & sensum reddit, & aliam ex arundine sumptam similitudinem: sic enim habet: Irascere in exercitus peccatorum, confringe illos sicut cannam. Quasi dicat: hastatus miles arundinetum refert, at non secus à potentia tua poterit confringi, quam arundo vna. quod maxime congruit cum vulgata nostra lectione, vt dicantur arundinis ferae.

Psal. 67. ℣. 31.

FERAS Arundinis vocat Propheta milites lanceatos

Psalterium Vaticanum, seu Romanum.

Chaldaeus.

Sed, quod ad praesens spectat institutum, longe alia ratione longitudinum mensura dicitur canna, nimirum, quia longitudine, cilindrica forma cannam refert; praeterea quia cubitis ac palmis distincta cum esset, calami nodos imitaretur. Huiusmodi calami formam, pretiosamque materiam, disertis verbis expressit sanctus Euangelista Ioannes: *Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream*. Quo loco, quamuis sensus idem apud omnes interpretes eliciatur, de varia codicum lectione controuersia est. nam in Graecis codicibus sic legimus *μέτρον κάλαμον χρυσοῦν*. hoc est mensuram calamum aureum. in alijs, vt auctor est Ribera, tantum habetur: habebat calamum aureum. atque ita legit Andreas. Ex latinis vero vulgatae editionis codicibus aliqui legunt habebat mensuram, arundinem auream. quam lectionem probant nonnulli, quod calamum vocet arundinem, eamque auream fuisse tradat. Sic etiam habet Anselmus, & Primasius, qui legit: arundinem auream ad mensuram. Verum plures, nobilioresque codices, quos sequitur Sixtianus maxima diligentia correctus: *mensuram* legunt *arundineam auream*. quae sane lectio, dum auream dicit esse mensuram, materiam, ex qua confecta erat, indicat: dum arundineam dixit, eius formam indicauit, quae, praeterquam quod illis omnibus partibus, quas supra retuli, arundini erat similis

MENSVRA quare dicatur calamus.

Apocal. 21. ℣. 15.

P. Ribera in Apoc.

missis. Hic addi etiam potest aureus color, cui haud multum dissimilis est arundineus. Hanc porro arundinem Aretas tradit fuisse geometricam, illis nimirum similem, quibus terram dimetiuntur geometrae. Idem vero Ioannes Euangelista eiusmodi mensuram similem fuisse tradit virgae, dum sic ait: *Et datus est mihi calamus similis virgae, & dictum est mihi surge & metire templum Dei* &c. Visus enim obtinuerat, vt virga, vel funiculo, vel vtroque simul, agros, vineas, & campos dimetirentur Hebraei, vel tunc maximae, cum inter fratres, aut cognatos, in partem hereditatis vocatos, partiendi forent. Ex quo factum est vt Psaltes propria sorte contentus dicat: *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*, hoc est in vberrimis pulcherrimis, in dulcibus proprie, agrorum partibus, quod exponens subdit: *Etenim hereditas mea praeclara est mihi.* Neque tantum huiusmodi hereditatum partes funiculo diuidebantur, aut virga, verum, eodem quoque nomine plerumque censebantur, virgae, aut funiculi. Hoc perspectum est in Deuteronomio: *Pars autem*, inquit, *Domini populus eius*. Idem alia phrasi repetit: *Iacob funiculus hereditatis eius*. Illud vero videri poterit in psalmo: *Redemisti virgam hereditatis tuae*. hoc est hereditariam partem virga dimensam, quae est *mons Sion in quo habitasti in eo*. vel, vt habet psalterium Vaticanum, vel si mauis vocare, Romanum, in quo habitas in idipsum, Et apud Ieremiam *Non est his similis pars Iacob: qui enim formauit omnia, ipse est.* Hoc idem alia phrasi repetit subdens: *& Israel virga*, hoc est pars *hereditatis* hereditaria *eius*. *Dominus exercituum nomen illi*. Hoc est Israelis hereditas, aut sors Deus verus est, quia nimirum Israelitae, parentum suorum exempla sectantes, quasi hereditario iure, omnibus mundi illecebris, atque alijs spretis, solum Deum viuum ac verum possidere totis suis viribus conantur.

Aretas super Apocal.
Apocalyp. 11. ℣. 1.
FVNIS VIRga pro parte hereditatis sumitur.
Psal. 15. ℣. 6.
Deuter. 32. ℣. 9.
Psal. 32. ℣. 2.
Psalterium Romanum.
Ierem. 10. ℣. 16.

Sed ad institutam disputationem redeuntes, fabrilium instrumentorum, quae gestabat Angelus, duplex visus valde diuersus, immo & omnino contrarius reperitur in sacris litteris: nonnumquam enim aedificandi sunt signa, sicut in praesenti, & apud Zachariam: *Domus mea*, ait Dominus, *aedificabitur in ea* קו cau linea, filum, regula, *perpendiculum extendetur super Ierusalem*. hoc enim fieri solet, cum domus, palatium, aut ciuitas aedificatur. Alias vero quasi per catacresim signa sunt desolationis. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum*. Septuaginta interpretes. extendit mensuram. Chaldaeus: extendit perpendiculum. Hebraice קו cau, lineam, filum, quod aedificaturi extendunt, vt recte aedificent, numquam vero vt destruant: at Deus & filum extendit, vt aedificet, & filum quoque, vt destruat: quia nimirum iusto, rectoque iudicio punit, vt non plus poenarum irroget, quàm culpa exigat subuertenda. Id quod sanctus Hieronymus aptissime exposuit: *Tetendit*, inquit, *funiculum*, hoc est, rectam, & condignam mercedem nequitiae suae, reddere ei disposuit. Hac eadem visus est metaphora Isaias, de Bosra Idumaeorum metropoli sic scribens: *Extendetur super eam* קו cau, linea, filum, funiculus, quo vti solent latomi ad mensurandum: ideo vocatur *mensura, vt redigatur ad nihilum*. Vox autem אבני abne pondusculum illud proprie significat, quo è filo pendente

FVNICVlus, calamus, perpendiculum, aedificandi, aut euertendi aedificij Symbola sunt
Zachar 1. ℣. 16.
Thren. 2. ℣. 8.
S. Hieron. ibid.
Isa. 34. ℣. 11.
PERPENDIculi visus

A vtuntur cementarij, tum vt areas à centro mundi aequidistare faciant, quod librare dicitur, Hispanis niuelar, Italis liuellare tum vt superimpositam fabricam ad perpendiculum erigant, quod Itali vocant mettere a piombo, Hispani plomar. Atque adeo sensum aptissime reddit vulgatus, *& perpendiculum*, inquiens, *in desolationem*. Pari quoque ratione, indigne ferens omnipotens Deus peccata Manasses, *Extendam*, inquit, *super Ierusalem* קו cau *funiculum Samariae, & pondus domus Achab*. Quid autem illis verbis significare voluerit, explicat, subdens. *& delebo Ierusalem* &c.

4. Reg. 21. ℣. 13.

Sed de funiculi, calamique visu iterum disputatum,
B ad reliqua progrediamur: admonentes lectorem prius, vt attentius perpendat an bis iterata illa verba, *in manu eius*, ad sermonis spectent elegantiam, an vero potius, vt indicent, horum instrumentorum singula singulis manibus ab Angelo gestari. quasi sensus sit: *Et funiculus lineus in manu eius, & calamus mensurae in manu eius* altera. Neque praetermittenda Richardi sunt verba, eo nobis necessaria magis, quo magis in describendis templi ideis elaboratum est. Quod vir iste caelestis, inquit, funiculum, & calamum mensurae, ad aedificium dimetiendum in manu portat, vtinam ad hoc, saltem apud fastidiosos auditores valeat, vt nemo nos repre-
C hendere audeat, cum nos viderit singulorum aedificiorum situm, qualitatem, & mensuram subtiliter quaerere, & inuestigare, & cum tanta diligentia assignare; & singula quaeque prout possumus, vel Scripturae auctoritate, vel rationis attestatione probare. Haec ille.

Richar part. 2. Explanat. templi Ezechiel. cap. 3.

D
QVASI TEMPLI CVSTOS STAT ANGELVS *in porta. Vbi de religione templis nunc debita.*

Cap. IX.

STABAT *autem in porta*. Hebraice, & ipse stans in porta, participium עמד ghomed verbi עמד ghamad proprie stantem, vel astantem significat: peculiari phrasi de ministris dici-
E tur, qui dominis suis ministraturi adstant. quo nomine Angeli quoque censentur, qui ad Domini iussa exequenda praesto adsunt. sic Zacharias Iesum inducit stantem ante faciem Angeli, *qui* quidem Angelus, *respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens*, &c. ministrorum, & inseruientium nomine eos expressit Chaldaeus paraphrastes, Est autem visu receptum Hebraeis vt hoc participio pro praesenti, vel imperfecto indicatiui vtantur, atque adeo proprie vertit interpres *stabat*. Quod si vtramque simul componas notionem. *Stabat*, vtique Angelus quasi ad ministerium accinctus, vt Prophetam duceret, & mensuras templi ei osten-

ASTARE ministrorum proprium.
Zachar 3. ℣. 7.
Chaldaeus paraphrast.

ostenderet, & reliqua. *Stabat* autem *in* ipsa *porta*, A periboli atrij Aquilonari, vt dixi, quasi templi ipsius custos & ianitor.

Ego vero hic haereo, & Christi Dei ac Domini nostri singulare pietatis, ac religionis exemplum admirans veneror. dum enim sanctos patres, quos paulo superius retuli constanter affirmantes audio, Christum Dominum hoc Angelo

CHRISTVS Dominus praesignatur factus templi custos, aut ianitor.

repraesentari, atque Angelum stantem in porta video, ipsum Angelorum regem videre mihi videor in hac eadem porta stantem, ianitoris, aut custodis templi fungentem ministerio: quippe qui *non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum.* Tantum tamque praeclarum Christi

Marci 11. ℣. 16.

factum retulit sanctus Marcus Euangelista, vt silen- B tio praetermittendum non sit, quippe lucis non parum huic disputationi allaturum, commodi quamplurimum, si ob oculos semper habeatur. Eius gratia vniuersalis nostra Ichnographia perspecta sit, atque in ea, porta quam diximus periboli Aquilonaris, intra quod via quaedam iacet, & intra viam murus, & porticus gentium, cuius Orientale latus, vt suo loco ostendemus, porticus dicitur Salomonis. His igitur bene perpensis, Christum Dominum meminerimus, vendentes &

Ibid ℣. 17. Matth. 21. ℣. 7. Luc. 19. ℣. 35. Ioan. 12. ℣. 14. & 15. P. Maldonat. in Matt. cap. 21. ℣. 12. Ioan. 10. ℣. 23. Actor. c. 3. ℣. 11. & c. 5. ℣. 12.

ementes eiecisse de templo, apud Marcum, Matthaeum, Lucam, & Ioannem Euangelistas. Et quamuis in dubium reuocetur, an id semel Christus fecerit, an saepe, illud tamen confirmatur à C nostro Maldonato, e prima parte templi electos esse vendentes, quae atrium & porticus Salomonis appellabatur, vbi docere & ambulare solebat Christus Dominus apud Ioannem is enim locus patebat omnibus, vt videre licet in Actis Apostolorum. Quae omnia vera sunt, & satis ex ipsa historia sacra probantur. Idem tamen Pater, cum partes templi distinguit, & gradus eorum, quibus illae patebant, aut lege occludebantur, non omnes recensuit. quare id quod ipse bene proposuit, explicandum est magis, ac statuendum, atrium illud, è quo ementes & vendentes electi fuerunt, & porticum illam, quae Salomonis dicta est, ad gentes pertinuisse, non ad Sacerdotes, neque ad Israelitas, quibus duplex aliud atrium deputabatur: vt patet in ipsa Ichnographia, cuius singulae partes comprobandae sunt. Interim tamen quod nunc proponimus, satis superque constare

S. Ioan. c. 12. ℣. 20. 21. & 22.

videtur ex ipsa historia Beati Ioannis Euangelistae. quippe cum Christum Dominum eodem plane die ac tempore, quo ementes eiecerat de templo, glorificatum à turbis induxisset, mundia, atque odio à Pharisaeis prosequutum, haec subdit: *Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, & rogabant eum dicentes: Domine volumus IESVM videre. Venit Philippus, & dicit Andreae. Andreas rursum, & Philippus dixerunt IESV. IESVS autem respondit* &c. Quae omnia quis non videat in eodem accidisse loco, quo gentiles erant, & vnde paulo ante negotiatores electi fuerant? Et quidem licet haec non ita certo conuincerentur, tamen sunt plures coniecturae idipsum confirmantes. Quis enim credat, eos, quibus maior ementium numerus cordi erat, ad atriorum intima penetrasse, & non in extimo mansisse, per quod omnes necessario erant transituri. Sed haec omnia tunc magis certa videnda esse lectori arbitramur, cum illi singulorum atriorum fabrica, & vsus perspectus fuerit.

His igitur sic constitutis, illud iam in memoriam reuocandum est, quod Beatus Marcus, Marci 11. ℣. 16.
Christum Dominum, eiectis negotiatoribus e templo, fecisse narrat. *Et non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum.* Vbi duo explicanda videntur, priusquam huius facti magnitudo pensetur. Primum, quid per vas significetur, deinde, quid templi nomine. Et primum quidem apte explicatur à Iansenio, ita vt nihil praeterea addendum videatur, pro vase in Graeco affirmans haberi σκεῦος sceuos, quia quidem voce quaecumque vtensilia, instrumenta, vel arma significantur, haud secus quam Hebraica כלי celi. vtramque vocem vas interpretatur. sic enim vasa psalmi dicuntur in psalmo, musica instrumenta. Vasa belli dicuntur apud Ieremiam arma bellica. Vasa interfectionis dicuntur enses, sagittae, secures, aut his similia. Quapropter loci proprius sensus is est, Dominum prohibuisse, ne quis sarcinam quamuis gestans, aut sportulam, aut quid simile, per templum transiret. Quod vero ad alteram partem spectat, quae explicanda erat: templi nomine hic ipsum atrium gentium significari arbitramur, idque ex ipsa templi, eiusque portarum dispositione probari arbitramur. Nam quibus ex Bezera, vel Coenopoli, vel ex ipso foro pecuario transeundum erat in superiorem vrbem, vel in Regiam Salomonis, primum ingredienda erat haec porta periboli, in qua modo Angelum stetisse dicebamus. ingressis vero viam duplex sese offerebat iter, compendiarium alterum, portam ingredientibus huic aduersam in atrio gentium, & per ipsum atrium, & per porticum Salomonis transeuntibus, ad portam occiduam porticus gentium, quae priori est contraria: alterum vero iter longius aliquanto erat, circa murum atrij gentium, per ipsam viam exteriorem. Quapropter onusti pueri, serui, aut alij, mirum non est, si compendiariam ingressi viam, longiorem fugerent. At Christus Dominus, qui id, in dedecus templi cedere censebat, stans in porta hac, vel saltem in illa, quae ei aduersa est in atrio gentium, prohibebat huiusmodi, ne transirent per templum. Quo nimirum facto aeternum Dei Verbum caro factum, infinita sapientia Patris, è breuissimo illo triennij tempore, quod vniuerso hominum generi instruendo, atque instaurando decreuerat, partem non modicam ponit, in custodiendo illo templo, eiusque parte communi, & veluti profana, ne illi tam leuis irrogaretur iniuria, vt quispiam aliud agens, vel pedem in ea poneret. quo, inquam, facto haud obscure nobis indicare videtur, & quanta religione colenda sint nostra templa, & quam seuere puniendi sint, qui maiores multo, ac frequentiores his, irrogant, iniurias templis. Quocirca quamuis multa nobis sese offerant dicenda, E quoniam alterius sunt indaginis, ea consulto praetermittimus omnia. Ijs vero quae diximus sequentia & vicissim eadem sequentibus confirmantur.

QVID VAsis nomine significetur. Iansen. capit. 112. concordiae.

Psal. 70. ℣. 22. Ierem. 21. ℣. 4. Ezech. 9. ℣. 1.

QVANTA religione templa colenda sint, Christi exemplo indicatur.

QVAE

QVAE EXIGANTVR A PROPHETA VISIONEM hanc contemplaturo.

Cap. X.

QVAE EXIGANTUR à Propheta visionem hanc contemplaturo.

III. ET *locutus est ad me idem vir*. vtique illum admonens de ijs, quae à Propheta exigit Deus, vt dignus habeatur hac visione. Nam quòd alias Angeli, admirandis, visionibus consolaturi veteres illos Patriarchas, eos monere consueuerant terrae, aut loci sanctitatem, calceamenta vt abijcerent, atque his similia; tum propter loci sanctitatem, iamptidem Prophetae, ac Sacerdoti notam: tum vero maxime, quòd spiritu, vt diximus, non corpore adductus fuit in templum Hierosolymitanum, eorum tantummodo admonetur Propheta, quae ad dignoscendam visionem, eiusque fructus percipiendos spectare videntur. Quae autem locutus sit Angelus, indicat subdens: *Fili hominis* בן אדם ben adam. Quaestionem mouet Maldonatus, Cur vnus Christus in nouo Testamento, vnus Ezechiel in veteri, hoc nomine censeatur. Non alterum filium hominis, inquit Irenaeus, nouit Euangelium, nisi hunc, qui ex Maria, qui & passus est. Non alterum filium hominis nouit vetus testamentum, possemus & nos dicere, nisi hunc Ezechielem, aut eundem Christum, quem filij hominis nomine, quasi proprio appellare voluit Daniel, quo & ipse nomine vocatur ab Angelo, cum visionis intelligentia ab eo exposcitur. Non me latet Augustini sententia, quae phrasin, vtique Hebraeam, indicare videtur, eosdem affirmans dici filios pauperum, qui & pauperes, sicut eadem dicitur filia Sion, quae est Sion. qua quidem ratione alij quoque filij vocantur hominum, hoc est homines: peculiari vero ratione Christus Dominus filius hominis dicitur, siue homo, ille, inquam, qui praedestinatus à Patre, qui praecursus fuerat à Prophetis humanam assumpturus naturam: quique, ab Apostolis fuit praedicatus, illam iam assumpsisse. Haec est enim Epiphanij, & Theodoreti sententia. Gregorius vero Nazianzenus, filium Adam, vt sonant Hebraea, dici putat Christum, vt se patrem hominem, ostendat non habere, sed per virginem matrem, ex Adam vsque, genus traxisse. Sanctus vero Augustinus: filium hominis se vocat Christus, commendans, inquit, nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis, & veluti mysterium commendans admirabilis Incarnationis suae, nomen hoc saepius auribus nostris insinuat. Aliam porro rationem, Christo, cum Ezechiele communem, tamquam veram sequitur idem Maldonatus, quia abiectionis hoc nomen est, non honoris. atque adeo non raro Ezechieli ab Angelis, cum quibus loquebatur, vt in praesenti loco, tribuitur, vt suae naturae, & conditionis monitus, quantum ab Angelis, quorum fruebatur consortio, distaret, grata mentis cogitatione perpenderet. In hac appellatione, inquit Beatus Gregorius, memoratur semper, quia est ex infirmitate, ne extollatur de contemplationis magnitudine. Quae sane sententia & vera est, &,

Exod. 3. ℣. 5. Actor. 7. ℣. 33. Iosue 5. ℣. 16.

Maldonat in Matth. 8. ℣. 20.

Irenae. lib. 3. cap. 18.

Dan. 7. ℣. 13. & c. 8. ℣. 17.

S. August. super Psal. 71. ℣. 4.

Isa. 21. ℣. 10.

FILIVS HOminis, id est homo

S. Epiph. haeres. 57. lib. 2. tomo 1.

Theodor. in Dan. 7. ℣. 13.

Gregor. Nazianz. Orat. 4. de Theol.

S. Aug. lib. 2. de consens. Euang. c. 1.

S. Greg. Papa homil. 14. in Ezech.

A quod ad vocis notionem spectat, supra pluribus a nobis confirmata. Quae etiam ratio Christum Dominum mouere potuit, vt hoc sibi crebro assumens nomen, humilitatis suae nobis fere perpetuum indicaret exemplum. At postquam assumptam humanam naturam, ad dexteram Dei Patris vnigenitus Dei Filius collocauit, non iam abiectionis nomen hoc est, sed gloriae, sed dignitatis, sed excellentiae. Quid enim aliud indicare voluit sanctissimus Euangelista Ioannes, cum Angelum, quem in medio candelabrorum, Christi referre maiestatem vidit, similem ait esse filio hominis: ibi enim voce filij hominis Christum B indicari, confirmant Beda, Primasius, Richardus, atque alij: Namque, quod ad articulos spectat, qui hic desiderantur in Graeco, non ea est tanti ponderis ratio, quae tantorum virorum auctoritati praeponenda sit. quinimmo arbitrarer, quacumque ratione filius hominis, in nouo testamento, dignitatis causa, nominetur, ibi Christum intelligendum esse. Quod, qua ratione factum sit ab Euangelista, apposite satis explicat Ioachimus. Christus, inquit, tanta in caelo praeeminet claritate, tanta maiestatis gloria fulget, prae omnibus Angelis, vt sicut in eo aliquando diuinitatis suae gloriam occultabat humanitas, ita nunc humanitatis eius abiectio, exinanita à maiestatis gloria, & à splendore sum- C mae lucis absorpta esse videatur. Hactenus Ioachimi sint verba, quae ostendunt, Christum, dignitatis ergo filium hominis dici. Qua ratione, si arbitremur idem nomen nunc ab Angelo Prophetae dari, elegans profecto indicabitur huiusmodi theoria. Templo, vt diximus, Christi humanum corpus indicatur, illius ruina, huius perpessiones ac mors, illius instauratione, huius resurrectio, & gloria: quae omnia, propter nos homines, & propter nostram salutem facta esse profitetur sancta mater Ecclesia. Igitur, cum, non modo eorum, quae in figura tunc contingebant, certior faciendus esset Propheta, verum etiam ipsius veritatis, in temporis plenitudine com- D plendae, quid mirum est, si filius hominis diceretur, vt sciret, ad quantam dignitatis celsitudinem extollenda esset humana natura, particeps futura in Christo Diuinae: ac si diceret: Agnosce, o homo, dignitatem tuam, & diuinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.

Verum, si planiorem adhuc loci sensum exoptet lector, eum accipiat, qui cum priore mirifice congruit. Filius hominis, hoc est, homo vocatur ab Angelo Propheta, quo, quantum distet ab angelico humanus intellectus indicetur. Angeli enim, vt auctor est Sanctus Thomas, statim in ipsa cognitione principij noti, E inspiciunt quasi notas omnes conclusiones consequentes; quapropter intellectuales dicuntur. intellectus enim, primorum principiorum est habitus, vt quae statim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur. at humani intellectus, per quendam discursum, veritatis acquirunt cognitionem, atque adeo rationales dicuntur. id quod ex defectu intellectualis luminis originem ducit: nam si plenitudinem haberent intellectualis luminis, sicut Angeli, statim in primo aspectu principiorum, totam virtutem eorum comprehenderent, intelligendo quidquid in eis ratiocinari, ac veluti syllogizari posset. Accedit etiam, quod haec eadem conclusionum, aut ipso-

Apocal. 1. ℣. 13. & c. 14. ℣. 14.

Beda. Primasius. Hugo Card. Richardus.

Ioach. Abb.

In Symbolo Nicaeno & Constantinop.

FILIVS HOminis vocatur Ezechiel, vt agnoscat dignitatem naturae, quam Verbum assumpsit.

S. Leo. Ser. 1. in Natiuit. Domini.

S. Tho. 1. par. q. 58. art. 3. corp.

ANGELI atque homines, diuersa ratione res intelligunt.

ANGELVS statim plene cognoscit, nec decipitur, nec obliuiscitur.

ipsorum principiorum cognitio minime ad intellectum accedit, nisi per sensus ex quo fit, vt non raro humanus decipiatur intellectus, quod angelico non accidit. ac tandem eorum, quae semel didicit homo, non semel, sed saepius obliuiscitur; & fere ignorationis nox lucem fugat cognitae veritatis. Quae omnia imbecillitatis humanae impedimenta, vna subleuat sollicitudo, attentio, diligentia. cuius admonetur Propheta, dum angeli verba audit.

PLEONASmus Rhetoricae tropus.

Vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quae ego ostendam tibi. Pleonasmum agnoscunt hoc loco interpretes, figuram sacris, atque alijs Scriptoribus non infrequentem. cuiusmodi est illa Matthaei: *Et aperiens os suum docebat eos, dicens. Beati pauperes spiritu*, & quae sequuntur. Scio equidem, hoc loco, ab omnibus fere interpretibus Pleonasmum negari, quo mysterium certius colligant: quod & praeclarum & multiplex videre licebit apud Maldonatum. Qua etiam ratione locum hunc licet interpretari. ac primum Hebraicam phrasim libet expendere. Videre enim oculis aduertere significat: audire auribus, attentissime auscultare. Et quod ad verbum ראה raah spectat, quod saepius hoc versu vsurpatur, illud proprie significat, oculos, vel animum in rem aliquam intendere. sic Iacob ad Ioseph filium suum: *Vade, & vide*, hoc est, diligenter animaduerte Hebraice, pacem fratrum tuorum, & pacem pecorum, sensum aptissime Vulgata reddit: *si cuncta prospera sunt erga fratres tuos, & pecora* addens vero בעיניך beghenecha in, vel, cum oculis tuis, id ipsum magis indicare videtur nimirum, vt oculi ad videndum ita intendantur, vt neque huc aut illuc diuagentur. Nisi forte phrasim Hebraeam agnoscas, qua, videre in oculis idem est atque perspicere, quae ob oculos sunt. Cuius exemplum videre est in libris Regum, dicente ad Samuelem Domino; Nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt לעינים leghenaijm, pro oculis. Tharghum, quia filij hominum vident in oculis suis ea quae parant. Dominus autem intuetur cor. Verum est tamen, hanc atque illam phrasim nonnihil esse diuersam: haec enim cum littera ל lamed construitur, illa cum ב beth. quocirca alius esse videtur magis proprius loci sensus, quo nimirum rationis iudicium ipsi tribuitur oculorum aspectui, quippe sensuum acutissimo, citissimo, certissimo. quapropter verbum, placet, quo carent Hebraei, eleganti supplent periphrasi, quod bonum est in oculis, dicentes, hoc est quod oculi probauerint bonum, iucundum, pulchrum, gratum; haec enim omnia significat Hebraea vox טוב tob. Sic Eli ad Samuelem, verba irati Domini referentem. *Dominus est*, inquit, *quod bonum est in oculis suis faciat*. quam phrasim Latinam reddidit Vulgatus in Genesi: nam vbi dixisse legimus Abrahamum Sarae: Ecce ancilla tua in manu tua, fac ei quod bonum in oculis tuis. ipse conuertit, *vtere ea vt libet*. Sed & hoc oculorum iudicium magis esse perspectum poterit in Deuteronomio: *Fac*, inquit, *quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi.* Hebraice, rectum & bonum in oculis Domini. Qua quidem ratione, videre in oculis, vel oculis videre, idem erit quod certo cognoscere, & dijudicare quae tibi proponentur videnda.

S. Matth. cap. 5. ℣. 2. & 3.

P. Maldonat. super Matth.

VIDERE oculis, vel in oculis.

Genes. 37. ℣. 14.

1 Reg. 3. ℣. 18.

Gen. 16. ℣. 6.

Deuter. 6. ℣. 18.

Porro verbum שמע famagh, quo audire significant, ad animam transferri, atque adeo, pro eo quod est intelligere, aut animo percipere, vsurpari certum est. Sic in Genesi: *Venite igitur*, ait Dominus, *descendamus & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat*, intelligat, percipere possit, *vnusquisque vocem proximi sui*, hoc est sensum verborum proximi sui. Vocis propriam notionem expressit Vulgatae editionis interpres in Deuteronomio: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terrae finibus in similitudinem aquilae volantis cum impetu, cuius linguam* לא תשמע lo tismagh, non audias, *intelligere non possis* Hoc idem indicauit Chaldaeus in psalmo: nam vbi nos legimus: *Cum exiret de terra Aegypti, linguam, quam non nouerat, audiuit* ipse sermonem fieri de Iosepho arbitratur, & sic paraphrastice conuertit. Egressus est de domo carceris, & dominatus est super regionem Aegypti, labium, hoc est, linguam, quam nesciebat didicit, & audiuit. Neque ab his dissident Hebraea, quae sic conuertuntur in Regio codice In exeundo ipsum על ghal super, vel ad terram Aegypti, labium, vel loquelam, quam non noueram, audiam, intelligam, percipiam. eundem Iosephum inducit loquentem, atque eundem sensum facit quem nostra Latina versio, *Linguam quam non nouerat audiuit*, siue, intellexit. Apte igitur audire idem significat atque intelligere, mentis aures accommodare. Quae verbi notio quàm apte huic loco conueniat, nemo non videat, si in memoriam reuocet, quae supra à nobis pluribus confirmata sunt, nimirum, spiritu, non corpore, haec omnia à Propheta & audiri, & videri. Praedicta vero verbi notio roboratur magis, cum *auribus* audire praecipitur, siue באזניך beozneca in auribus tuis, vel, cum auribus tuis. Quam vocem Chimchius notat, aures ita indicare, vt illi plerumque tribuantur quae sunt cordis propria, & auris purgata & attenta, atque interna magis, quàm externa intelligatur. id quod ex verbo אזן izzen inde deducto facile percipi potest: quod aures aptare, aut ad aliquid audiendum, siue percipiendum accommodare significat. Est huius exemplum in Ecclesiaste celebre: *Cumque esset*, inquit, *sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum* ואזן veizan. auscultauit, conuertunt nonnulli, vel, audiendo perpendit, & inuestigauit: & audiebat, & perscrutabatur, Forsterus. Rabbi Ionah, ponderauit, librauit, exponit, idem fere quod perpendit. Septuaginta: Et auris scrutabitur ornatum parabolarum, & enarrauit quae fecerat. Beatus Hieronymus, *docuit* scientiam *populum*, & audire eos fecit: quasi sensus loci inuicem cohaereat, atque idem sit, audire eos fecit, atque docuit eos scientiam, & parabolarum, quas composuerat, intelligentiam. Sic idem Salomon in prouerbijs, vbi nos legimus *Malus obedit linguae iniquae, & fallax obtemperat labijs mendacibus*. Hebraea, pro, obedit, & obtemperat, auscultat, habent, & audit; vbi est hoc verbum. & sensus est, vnumquemque ijs rebus capi, quae cum suo ingenio conueniunt. Malus linguam iniquam libenter audit, & qui fallere cupit, intentus est ijs, quae à fallacibus proferuntur labijs. Sed & in psalmo apte exprimitur verbi huius notio: *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamaui, voce mea ad Deum* והאזין vehazin, *& intendit* mihi. Rabbi David, & inclinauit aurem. Chaldaeus, & percipiet verbum meum.

Deuter. 28. ℣. 49.

Psal. 80. ℣. 6.

AVDIRE pro intelligere.

AVRIBVS tribuuntur quae sunt mentis propria.

Eccles. 12. ℣. 9.

Forsterus in Dictionario.

℞ Ionah.

S. Hieron. in commentar. Ecclesiast.

Prouerb. 17. ℣ 4.

VNVSQVISque ijs rebus capitur, quae cum suo ingenio conueniunt.

Psal. 77. ℣. 1. & 2.

Rabbi David.

Ex eadem voce deducitur vox מאזנים mozenajm forma duali bilancem significans, quod bi-

nis vtrimque lancibus, haud secus quàm binis auribus caput constet. Vbi silentio praetermittenda non est ingeniosa quaedam Patris Pinedae aurium, & bilancis collatio, quae lucem huic nostrae tractationi afferre poterit. Is enim verba Iob huiusmodi explicans: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas quam patior in statera.* Cum trutinam, inquit, requirit, certe aequum auditorem, & incorruptum aurium iudicium requirit: est enim inter aures, veluti inter duas lances, media trutina rationis & iudicij. Haec ille. Et sane haud secus auribus iudicium inter dissidentes tribuitur, quam lancibus ponderum examen, cum iudex vix, non audita vtraque parte, ac ne vix quidem rationis iudicium ferre possit. Quibus sic adnotatis, elegans quidam elicitur difficilioris illius psalmi sensus: *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Ex Hebraeo sic potest conuerti: Verumtamen vanitas filij Adam, siue hominis plebei, ac infimae conditionis, vt alias adnotauimus, mendacium filij viri, nobilis, potentis, diuitis, si ascendant in stateras, minus quam vanitas erunt simul. Quorum sensus huiusmodi indicatur: si filij alicuius hominis plebeij, & filij hominis potentis, in ius vocati accedant, vt probentur illi quidem vanissimi esse, hi vero mendaces: eisdem vocibus corpoream pulchritudinem definit sapiens, quas sic conuertunt nonnulli: Mendacium est gratia, & vanitas pulchritudo; *Fallax gratia, & vana est pulchritudo*: si igitur hi atque illi iusta lance pensentur, hoc est, si rectum rationis iudicium accedat, deprehendetur, hos, atque illos vanitate ipsa pariter esse vaniores. Nam si phrasim ipsam attentius consideres, pro eodem accipi inuenies, in stateras ascendere, atque purgatis auribus iudicis sisti, qui recte dijudicet. Quocirca & symbolum, & eius interpretationem coniunxisse videtur in parabolis Salomon, quo alterutram ex vtriusque collatione perciperetur. *Pondus*, inquit, *& pondus, mensura & mensura, vtrumque est abominabile apud Dominum.* quia nimirum tum haec, tum illa iniqua sunt, quippe quod, vt ait Sanctus Gregorius, alio pondere pensamus aliena, alio nostra, diuersa mensura nos, atque alios metimur. Huius causa, adhibito pueri exemplo, cuius opera ex studijs dignoscuntur, mox subdit: *Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque.* Hae enim sunt mensurae ac pondera, quibus aliena facta metimur, aut nostra: quibus quod rectum accedat iudicium rationis, Dei donum est, cui non minus acceptum teferendum est iudicium certum, ac rectum circa ea quae videmus, aut auribus percipimus, quam ipsarum aurium, & oculorum, eorumque sentiendi facultatum largitio salutaris. Huiusmodi porto oculis caruisse dicitur apud Isaiam populus ille, cui, cum amissa libertate, omne bonum pollicetur Dominus dicens: *Educ foras*, ad lucem Euangelij, vt interpretatur Hieronymus, & Procopius *populum caecum*, qui fuerat caecus, *& oculos habentem*, quibus potuisset etiam olim videre, cum lumen haberet propheticum, *& surdum, & aures sunt ei.*

Est denique auris apud profanos Scriptores non iudicij modo Symbolum, sed & memoriae. Nam Seneca, cum difficilem quaestionem proposuisset, siquis alicui tamquam dignos se daturum promittat, quem postea indignum esse comperiat, an à promissione recedere, an vero indigno dare teneatur. Huiusmodi quaestioni cum distinctione respondet: aut enim magnum aliquid promissum est, & tunc praestat semel pudere, quam semper poenitere; & si exiguum est, inquit, dabo, non quia dignus est: sed quia promisi. Nec tamquam munus dabo, sed verba mea redimam, & aurem mihi peruellam. idest, scribam hoc in animo diligenter, & in memoria infigam, vt mihi documento sit in posterum, ne temere promittam. Aurem enim vellebant, cum quid volebant in memoria habete. Plinius. Est, inquit, in aure ima memoriae locus, quem tangentes attestamur. Vidisse se ait Muretus nummos aereos, in quibus viri duo sculpti erant, quorum vnus alteri auriculam tangebat, & in orbem scriptum erat μνημόνευε mnemoneue, hoc est memento. Cum simili fere sculptura, & simili verbo lapillum restatur Lipsius, apud Laurinos exstare. Verum quod ad memoriam spectat, non auribus tribuitur à Propheta, sed cordi, vt mox videbimus.

Et pone cor tuum in omnia, quae ego ostendam tibi. adhibe mentem, hoc est, attenta animi cogitatione perpende quae videris, cordi enim internas animi operationes solere tribui, meminí me supra exemplis confirmasse. Verum alius sensus praedictis satis consonus Hieronymo placet, quo, cum ad intellectus exprimenda munia quae diximus applicentur haec verba, ad memoriam reuocentur, & sensus sit: *Pone cor tuum*, inquit, *in omnia*. siue, & pone in corde tuo omnia *quae ego ostendam tibi*. Nihil enim prodest vidisse, & audisse, nisi ea, quae videris, & audietis, in memoriae reposueris thesauro. Haec Sanctus Doctor. Quibus figuram agnoscit, cuius meminit his verbis Cicero: Hanc hypallagen rhetores, quia quasi submutantur verba pro verbis: metonymiam grammatici vocant, quod nomina transferuntur. Aristoteles autem translationi hanc ipsam subiungit. Quibus & hanc aliam adiungere possumus translationem verborum, quae, quod loco mutantur, diuersum videntur reddere sensum, illustrandae orationis gratia: cuius quidem est vsus sacris Scriptoribus frequens, atque adeo quampluribus locis explicandis aptissimus. Sunt autem ex his loci perspicui alij, qui horum exemplo exponendi sunt in psalmo. *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Hebraice propinasti in lacrymis mensuram, hoc est lacrymas in mensura, vtique magna, vt ait Rabbi Dauid. Et historiam Iezabel si ad verbum conuertas: posuit, inquit, in stibio oculos suos. hoc est stibium in oculis suis. *Depinxit oculos suos stibio.* Et in libro Iosue: Et ciuitatem, inquit, miserunt in ignem, pro, miserunt ignem in ciuitatem. Sensum ac phrasim pariter innuere voluisse videtur Vulgatus: *Tradentes*, inquiens, *cunctam incendio ciuitatem.* Et in Exodo: *Rubus*, inquit, ardebat in igne. idest, ignis ardebat in rubo. Et in psalmo. Miserunt in ignem sanctuarium tuum, pro, miserunt ignem in Sanctuarium tuum. *Incenderunt igni Sanctuarium tuum.* Quibus omnibus locis perspicua est figura hypallage, quippe ab auctore Vulgatae explicata, & in proprium sensum, non figuratum conuersa. Ibi vero difficulta-

Pineda in Iob cap. 6. ℣. 3. nu. 4.
AVRES dicuntur bilances.
Psal. 61. ℣. 10.
VANI SVNT pariter diuites, ac pauperes.
Prouerb. 31. ℣. penult.
Prouerb. 20. ℣. 10. & 12.
S. Gregor. homil. 4. in Ezechiel.
INIQVAE iudicare abominabile: rectum iudicium a Deo tribuitur.
Isa. 43. ℣. 8.
S. Hieron. Procopius.
AVRIS PRO memoria. Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 36.
PROMITTENDUM non temere. Plin. lib. 11. cap. 45. Muret. lib. 12. Variar. cap. 5. I. Lipsius lib. 4. epist. quaest. epist. 26.
CORDI TRIBUUNTUR animi propria. Supra, Ezechiel. 28. ℣. 2. S. Hieron.
HYPALLAGE, seu metonymia. Cicero in Oratore.
Psal. 79. ℣. 6.
4. Reg. 9. ℣. 30. Iosue 8. ℣. 8.
Exo. 3. ℣. 2.
Psal. 73. ℣. 7.

cultatem parit, vbi eadem figura in Latinis manet versionibus. vt videre est in Psalmo: *In sole posuit tabernaculum suum*. Hebrea sic vertit Genebrardus: Soli posuit tentorium in eis. Et in alio psalmo cum festorum obseruationem iniunxisset Dominus, ea potissimum ratione, qua à Deo erant praecepta, Dei incipit enarrare mirabilem beneficentiam, quo illos hortaretur ad Dei Optimi praecepta seruanda. *Testimonium*, inquit, *in Ioseph posuit illud*. hoc est, Ioseph posuit in testimonium. cui nimirum bene cesserunt omnia, quòd legem Dei seruauerit. Quam loci interpretationem indicare voluisse videtur Chaldaeus paraphrastes, qui, Testimonium, inquit, posuit super domum Ioseph, quia non attigit vxorem Domini sui.

Psal. 18. ℣. 5. Genebrard. ibid.

Psal. 8. ℣. 6.

Sed vt ad explicandam nostri Prophetae phrasim proprius accedamus; verbo שום sum, quod habetur in Hebraeo notione simillimum est verbum שית sith: ita vt huius vsus illius notionem illustrare videatur, illud huius esse synonymum. Significat enim illud ponere, arte quadam, cura, sollicitudine, ordine. Eius vsus est in libris Regum: cum Dauid esset in domo Achis Regis Geth, & defferretur à ministris ad Regem, ac si rex terrae potentissimus esset, in quem vnum Israelitici populi propenderent animi. *Posuit autem Dauid*, inquit, *sermones istos in corde suo, & extimuit valde*. Hanc ipsam sollicitam mentis attentionem, cum quadam animi propensione & affectu coniunctam denotat psaltes, hoc altero vsus verbo. *Diuitiae si affluant*, inquit, *nolite cor apponere*. Non sunt enim tanta sollicitudine, dignae, aut amore. Theodoretus: Nolite illis, inquit, vestram mentem submittere. Sollicitudinem, & affectum quem dixi significauit Hilarius: Cum sint, inquit, magni amoris & desiderij illecebrae, rapiunt ingenia, mentesque pendulas apprehendunt. Quae omnia facile poterunt indicare lectori, quae & quânta sint ea, quae hac vna ponendi cordis, phrasi exiguntur à Propheta. Beatus vero Hieronymus aliam ingressus est viam quam sequitur Vgo cum alijs: Ponere cor, aut ponere in corde, idem est, inquit, quod memoriae mandare. Sic Semei ad Dauidem: *Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem; neque memineris iniuriarum &c. neque ponas Rex in corde tuo*. hoc est; ne in memoriam reuoces. Hinc desumpta videtur Latini verbi recordari, adnominatio, quasi in cor reuocare, Hispanici, acordarse, Italici recordarsi. His porro subiungit idem Hieronymus: Quando autem dicit: *Omnia quae ego ostendam tibi*, intentum facit auditorem, facit & cordis oculis praeparatum, vt memoriter teneat quae sibi ostendenda sunt, *quia vt omnia ostendantur tibi adductus es huc*. Haec ille. Vbique, vt dixi, habetur verbum ראה raah, cuius gratia sic locum conuertit Regius codex: pone cor tuum omnibus, vel ad omnia, quae ego ostendens tibi, vel quae ego videre te facio, quia pro ostendi tibi adductus es huc, vel vt ea videres. Ex quo quidem liquido constare videtur, haec omnia in visione contigisse Prophetae: siquidem cum aures, oculos, & cor, paulo ante postulasset ab eo Angelus, modo visionis tantummodo mentionem facit, dicens: quia, vt haec videas, adductus es huc, neque vt quidquam audias. Vtriusque vero sensus, auditus, & visus meminit Angelus, vt indicaret res hac visione ostendendas esse, quae partim ad visum, partim ad auditum pertinerent, partim vero, vel potius vniuersas ad cordis, & animi internam cogitationem. Videtur enim, inquit Hieronymus, aedificatio ciuitatis, & auditur ordo caeremoniarum, & sacerdotum, terraeque descriptio.

Vgo Card.

1 Reg. 21. ℣. 12.

Psal. 61. ℣. 11. Theodoretus. Hilarius.

S Hieronym. Hugo Card.

2 Reg. 19. ℣. 19.

IN VISIONE contingunt haec omnia.

S Hieron.

Aliam porro haud incongruam huius loci expositionem memini me supra retulisse, quam ibi videre lector poterit. Quae omnia non ad ipsum tantummodo Prophetam spectare videntur, verum etiam scripta esse, velut prooemium, ad omnium legentium captandam attentionem, beneuolentiam, docilitatem, ita vt merito dicat Richardus: Quem obsecro nequeat caelestis oraculi tanta contestatio attentum, vel attonitum reddere, & ad horum intelligentiam desiderio inflammare? Magna erat, inquit Hugo Cardinalis, Deo cura vt haec ostenderentur tibi, & per te alijs. cum propter haec tam miraculose sis huc adductus. Per hoc videtur mihi, quod multum placet Deo labor illius, qui laborat intelligere visionem istam, non solum secundum mysterium, sed etiam secundum litteram. Quae autem diximus, breui oratione complexus est Theodoretus: Ait igitur, in visione Dei, hoc est, spiritus, non corporis visione, suam mentem in terram Israel abductam fuisse, vidisseque in monte quodam excelso aedificium, & quendam ibi stantem humana quidem forma praeditum, sed colore splendidissimi atque pulcherrimi aeris: calamumque & funiculum ad aedificandi vsum confectum afferentem, sibique praecipientem, vt & quae ostenderentur, conspiceret, & quae dicerentur, audiret. ea enim gratia se venisse aiebat, vt & ostenderet, & doceret, vt etiam tu, inquit, haec renuncies domui Israel. Quibus verbis, angelum venisse dicit Prophetae doctorem, siue Prophetam, qui Prophetam denunciet futurum populi doctorem, siue etiam Angelum, cuius nimirum munere fungeretur. Rupertus idem fere astruere videtur, quòd Theodoretus. O videns, inquit, magnitudine reuelationum ne extollaris, vbi visiones Dei vides, quia filius hominis, vermis es. Hoc non te praetereat, hoc tene memoriter. Ita humiliato capite, *vide oculis tuis, & auribus tuis audi*, oculis cordis, auribus interioris hominis. *Et pone cor tuum in omnia quae ego ostendam tibi*. omnia quae ego ostendam tibi; neque sis eorum, quorum cor auersum, ista intelligere nolunt. Hoc enim competit, vt beneuolo corde adsis, neque sis ingratus, *quia vt ostendantur tibi, adductus es huc*.

Supra lib. 1. Isago. cap. 8.

BENEVOLum, attentum ac docilem reddit lectorem hoc prooemio Richardus.

Hugo Card. super Ezech.

Theodoretus sect. 15. in Ezechiel.

PROPHETA populi doctor, & Angelus.

Rupertus lib. 2. in Ezech. cap 4.

Annuncia omnia quae tu vides domui Israel. הגד haged, *annuncia*, verbum à radice נגד nagad deductum, quod nunciare, annunciare, indicare significat, verbis nimirum, gestis, aut opere. Deducitur autem ab eadem radice nomen נגד neged coram, ante significans. Vnde quidam verbi ipsius notionem deducunt, quod sit, coram referre, vel ob oculos aliquid conspiciendum proponere. Sic in libro Iudicum, vt habent Hebraea: Et vidit Dalilah quod הגיד higgid indicasset sibi totum cor suum, & misit, & vocauit ad se Satrapas Philistinorum, dicendo: ascendite semel, quia הגיד higgid indicauit mihi totum cor suum. *Vidensque illa, quòd confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum, ac mandauit. ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum*. Et apud Isaiam: *Peccatum suum quasi Sodoma* הגידו higgidu nunciauerunt, *praedicauerunt*, hoc est, propalam, & omnibus conspiciendum posuerunt, *nec absconderunt*, vt ab alijs

ANNVNciare quid significet.

Iudic. 16. ℣. 18.

Isa 3. ℣. 9.

prae pudore fieri contingit. Sic etiam ad Dauidem Ioab: *ostendisti*, vel declarasti *hodie*, vtique lugens mortuum Absalon, nihil laetatus de parta victoria, *quia non curas de ducibus tuis* &c. Qua ratione annunciare praecipitur Propheta, hoc est propalam perspicienda, & intelligenda proponere *omnia*. Nihil enim ex eis superuacaneum est, nihil minus vtile, nihil praetermittendum eorum *quae tu vides*, sed omnia vtiliter exponenda sunt *domui Israel*. Domum autem vocat familiam, genus ducentem ab Israele, quod sacris scriptoribus frequens est, atque adeo domum alicui aedificare dicunt, pro eo quod est, filijs ac posteritate donare. Sic in Exodo: *Et quia timuerunt obstetrices Dominum, aedificauit eis domos*. hoc est copiosam sobolem eis dedit. vt locum exponunt Eusebius Caesariensis, & Hugo Cardinalis. Et omnis populus ad Booz. *Faciat*, inquit, *Dominus hanc mulierem, quae ingreditur domum tuam, sicut Rachel, & Liam, quae aedificauerunt domum Israel*. in duodecim tribubus, addit Chaldaeus paraphrastes, Rachelem, & Liam indicans propterea dici aedificasse domum Israel, quod duodecim illi liberos pepererunt, duodecim tribuum parentes.

2 Reg. 19. ℣. 6. — *DOMVS PRO familia, gente.* — *Exo. 1. ℣. 21.* — *Euseb. Caesa. Hugo in Exo. Ruth. 4. ℣. 11.*

Itaque, quamuis omnia quae viderit, annuncianda esse dicantur, tamen non omnibus, sed ijs qui ab Israele originem ducunt, quippe qui a videndo Deo nomen accepit; ac si dicat, ijs tantummodo propalanda esse mysteria, quibus videndi est data facultas. quam disertis verbis indicauit Hieronymus: *Annuncia*, inquit, *omnia quae tu vides, domui Israel*, vt qui per se videre non possunt, per te discant, quae tibi à Domino demonstrantur. *Domui autem Israel*: his qui mente conspiciunt Deum: de quibus erat & Nathanael, qui Christum studiosissime requirebat, & meruit audire: *Ecce verus Israelita*. Hactenus Sancti Hieronymi sunt verba. Sanctus vero Gregorius miram inuenit horum, & antecedentium verborum connexionem. Ad hoc, inquiens, es adductus huc, vt videas; & ideo, vides, vt annuncies. Ex quibus mox sensum edisserit ad mores componendos aptissimum. Quia quisquis, inquit, spiritualia videndo proficit, oportet vt haec loquendo etiam alijs propinet. Videt quippe vt annunciet, qui ideo quod in se profecerit, & praedicando de profectu proximi curam gerit. Vnde & alibi scriptum est: *qui audit, dicat veni*. Cui enim iam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est, vt proximi per praedicationis officium erumpat in voce, & idcirco alium vocet, quia iam ipse vocatus est. Haec Sancti Gregorij verba sunt. Rupertus tamen annunciandae visionis modum, & tempus illis verbis exposuit: quamuis annunciatio haec nunc interim, pro tempore suo, clausa esse debeat, quia videlicet domus Israel, nunc si nudo sermone annuncias, ea portare neque vult, neque potest, tamen annuncia quae tu vides, non tantum praesenti, immo non tam praesenti, quàm ei quae futura est, non tam carnali, quàm spirituali domui Israel. Primum tibi ipsi, iam nunc in praesentiarum, quod hoc licet absconditum, confessionis autum contuleris in thesauros veritatis, deinde proderit & futurae domui Israel, videnti, & cognoscenti ex parte, & nihilo minus veneranti, quod videre, aut cognoscere non potest, donec, veniente eo, quod perfectum est, euacuetur quod ex parte est. Haec ille.

NON OMNIBUS Dei mysteria propalanda. — *Ioan. 1. ℣. 47.* — *S. Greg.* — *QVISQVIS in spiritualibus proficit, alijs prodesse conatur.* — *Apoc. 22. ℣. 17.* — *Rupert. in Ezech. lib. 2. c. 4.* — *ECCLESIAE potissimum annuncianda haec sunt.*

DE PERIBOLO
TEMPLVM CINGENTE.
Cap. XI.

ET *ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique*. Hunc murum fateor domo hac multos exclusisse, eiusque dimensiones visas nonnullis fuisse, reliquis aedificij omnino contrarias. Quare huic insistens muro Beatus Hieronymus, sibi visus est videre cryptas in terrarum profundo defossas, quas Romae puer pietatis ergo solebat inuisere. Quare solerter inuestigandum est, & quisnam murus hic sit, & quis eius situs. quod vtrumque definit Cardinalis Vgo, sic scribens. Supra dixerat, quòd vir stabat in porta, sed quia tres erant muri in hoc aedificio, dubitari posset, in quo muro erat illa porta, ideo hic determinat, quod supra tacuerat, describens murum exteriorem, in quo erat porta supradicta. *forinsecus* qui totum claudebat aedificium, *in circuitu domus vndique*, idest, totius aedificij: quandoque enim solum templum, quandoque totum aedificium vocatur domus. Hactenus Vgo. Qui cum tres tantum muros agnouerit in domo, eorum extremum hic putat commemorari. Idemque confirmat Richardus ex ipso contextu. Verum cum huius muri altitudo calamo vno definiatur inferius, quisnam hic murus sit, & qua ratione porta in eo aperiatur, adhuc dubitandum est: quamuis nulla nobis superesse videatur dubitandi ratio, cum hic plane sit peribolus ille, qui viam extra murum atrij gentium vndequaque circumdat. Et quidem quod ad חומה chomah, muri nomen, quod hic legimus, spectat, nihil aliud rimari possumus, quàm esse communem quandam vocem, qua non muri modo, quibus vrbes aut domus muniuntur, indicantur, verum etiam illi, quorum tantum est ambire, seu circumdare. Quod perspectum est in Exodo; *Ingressi sunt*, inquit, *filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra, & laeua*. Quem locum paraphrastice exposuit Zeno Episcopus Veronensis: Subito, diuina prouidentia, scinditur mare: aquae dextra, laeuaque gelido stupore frenatae, vitreos diriguntur in muros, praestolantes transitum Dei populi, vt persequentibus mare sint. Quae vocis notio Septuaginta Interpretes, & Symmachum impulisse credenda est, vt pro muro, teste Hieronymo, περίβολον peribolon ponerent. cuius vocis interpretationem, & huius periboli formam, tunc opportune magis explicandam esse arbitramur, cum simul de periboli huius latitudine, atque altitudine paulo infra erit agendum. Interim hoc vnum huius loci proprium esse videtur, vt statuamus, in huius periboli Aquilonari porta angelum stetisse, eundemque post pauca appellari ab Hebraeis בנין binian, à Graecis προτείχισμα protichisma, antemurale, à Latinis aedificium. Quae voces omnes cum muri mensuris collatae, clarissimam nobis lucem afferent.

MVRI MENsura difficilis fuit multis. — *Hugo Card. super Ezech.* — *Richard par. 2. explanat. templi Ezec.* — *Exod. 14. ℣. 22.* — *Zeno lib. 2. sermon. 13.* — *MVRVS, Peribolus, antemurale aedificium dicitur, atque binian.*

Illud praeterea explicandum est: quid domus nomine intelligendum sit. Qua in re Sanctus

S. Hieron. ctus Hieronymus templum, Domini domum dici A arbitratur. Murus ergo, inquit, siue περίβολος ex omni parte domum, hoc est, templum Domini
S. Gregor. circumdabat. Sanctus Gregorius ipsam domum Domini significari putat. Quorum autoritas, non modo Vgonis, Richardi, atque aliorum senten-
Rab. Dauid in comment. tijs confirmatur, verum etiam Rabbinorum. Dauid enim, qui visionem hanc ita ostensam fuisse prophetae existimat, vt non templum viderit aedificatum, sed eodem praesente aedificari. Incipiebant, inquit, aedificare murum circa montem domus; quia mons totus dicitur domus sanctuarij. Putarunt tamen nonnulli, voce, domus, quasi per antonomasiam, Dei domum significari, hoc est, augustissimum illud à Salomone B olim constructum templum, quod nunc in visione ostenditur Ezechieli. quorum sententiae haud difficile subscribet lector: si meminerit, ita plerumque in sacris litteris templum ipsum appel-
2. Paral. 2. ℣. 1. & 5. lari solere. *Domus enim*, scribit Hiramo Salomon, *quam aedificare cupio, magna est. magnus est enim*
Isa. 6. ℣. 1. & 4. *Deus noster super omnes deos.* Isaias quoque, cum Dominum vidisse se diceret: *ea quae sub ipso erant*, inquit, *replebant templum.* Septuaginta: & plena domus erat gloria eius. ac tandem subdit Propheta. *Et domus repleta est fumo*. Quae verba
S. Hieron. super Isaiam. sic exponit Sanctus Hieronymus: Quam pulcher ordo verborum: Postquam terra repleta est gloria Domini Sabaoth, Iudaeorum templum im- C pletum est ignorantiae tenebris, & caligine, & fumo qui noxius est oculis. Vel certe per fumum, templi monstratur incendium. Et Propheta no-
Ezech. 10. ℣. 4. ster alias dixerat: *Et eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus. & repleta est domus nube*. Quem locum de Salomonis templo intelligendum esse, confirmat Pradus ipso contextu.

QVARE templum Dei dicatur domus. Quod si rationem exquiramus propter quam sic dictum fuerit templum, facile inueniemus, hoc distare à tabernaculo domum, quòd huius vsus in via tantum sit, illius, in patria, & loco, in quo manendum est diu. Dominus autem in templo permanentem sibi sedem locauerat, & domicilium, in quo coleretur: non D quidem vt olim in mobili illo Mosis tabernaculo, quod complicabatur, & alio transferebatur, ac tandem sublatum est. Quae omnia haud obscure in sacris litteris indicantur. Quòd enim perpetuam sibi in templo habitationem delegerit Dominus, perspectum est in psalmo:
Psal. 131. ℣. 13. & 14. *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Haec requies mea in saeculum saeculi hic habitabo quoniam elegi eam.* pro, *elegit*. Hebraea habent, concupiuit, vel desiderauit. Psalterium Vaticanum, praeelegit. Chaldaeus paraphrastes: Quoniam elegit, inquit, Dominus Sion, desiderauit eam pro habitatione sua. Haec requies diuinitatis meae vsque in E saeculum; hic habitabo quoniam desideraui eam.
PERPETVA Dei inhabitatio Ecclesiae promittitur sub figura templi. Quae omnia in figura domui illi contigisse non sacri Doctores modo attestantur, verum & profani, & perfidi Iudaei. Nam Rabbi Isaat, Deum non semper à longe videndum confirmat praedictis psalmi verbis, & subdit: Quando veniet ille, de quo scriptum est, pauper & aequitans super
R. Isaac lib. Beresith Rabba super Genes. 22. asinum, reuertetur Deus ad amicos suos. Haec ille. Et quidem si sacras historias attentius euoluamus, Dominum comperiemus, vsque ad Salomonis tempora quasi fortem armatum in papilionibus habitasse, cum caeteris castrorum Israelis militibus. Neque domum sibi parari, aut arma ponere voluisse, donec Cananaeos expugnasset, eorumque regiones, vrbes, oppida militibus suis ante promissa, ipse victor distribuisset.
HABITAT Deus in templo, quod propterea Dei domus dicitur. Iam vero, hostibus deuictis, & per Dauidem archiducem triumphatis, quasi de diuturna statione rediens, tentorium sibi complicari mandat, ac domum à Salomone Hierosolymis aedi-
2. Reg. 7. ℣. 5. & 6. ficari. Quae omnia Dauidi enunciata fuisse à Propheta, Natan oraculo didicimus: *Numquid tu*, inquit, *aedificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Aegypti, vsque ad diem hanc sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio per cuncta loca, quae transiui cum omnibus filijs Israel*. perpende antitheses elegantiarum plenissimas, habitaui, ambulabam, domus, tentorium, denique domum in pace habitari solitam diximus, tentorium in bello. Quae causa fuit,
1. Paral. 22. ℣. 8. & 9. propter quam Dauidi domus aedificatio sit inhibita, Salomoni concessa: ille enim sanguine quem effuderat, adhuc respersus esse videbatur; hic vero nomine, ore, factis pacem prae se ferebat, vt alias diximus. Quae quamuis vera sint omnia, tamen aedificandae domus magnitudinem, atque praestantiam, cum filij sui tenera ad-
Ibid. ℣. 5. huc aetate conferens, aiebat: *Salomon filius meus puer paruulus est, & delicatus. domus autem quam aedificari volo Domino talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur praeparabo ergo ei necessaria.* Sunt autem alia propemodum infinita sacrae Scripturae loca, quibus templum vel domus dicitur, vel Dei domus. illud tamen ce-
ATRIA quoque templi domus dicuntur Dei. lebertimum, quo non modo, quod assumpsimus probandum confirmatur, verum illud etiam, quod huius loci proprium est, nimirum, eodem domus nomine atria ipsa templi compellari. Nam
2. Paral. 6. ℣. 13. cum basim aeneam posuisset Salomon in media basilica coram altari, ibique genu flexus coram
Ibid. ℣. 22. omni multitudine filiorum Israel oraret: *Si peccauerit quispiam*, inquit, *in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari, in domo ista tu exaudies* &c.

Quae omnia de atrio Israelis intelligenda sunt, vltra quem nullus non sacerdos aut Leuita, ingrediebatur. sed & de atrio gentium pari ratione
INVOCARI nomen super domum quid sit. loquitur: orat enim Dominum, vt gentes, quae non sunt de populo suo, orantes in loco exaudiat, rationem subiungens: *Vt sciant omnes po-*
Ibid. ℣. 32. & 33. *puli terrae nomen tuum, & timeant te sicut populus tuus Israel; & cognoscant quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc quam aedificaui.* quia nimirum de nomine tuo dicitur domus Dei. Quae omnia mirifice confirmat hic idem Ange-
Ezech. 43. ℣. 12. lus, qui Ezechielem alloquitur dicens: *Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum est*, hoc est, sanctissimus. *Ista est lex domus*, quae perpetuo asseruari praecipitur. Ex quo mox liquet, murum hunc, qui extra domum vniuersam fuit, eamque vndique circumdedit, atria omnia Sacerdotum Israelis, & gentium vna cum suis porticibus, & via complexum fuisse. quod in vniuersali Ichnographia videre lector poterit.

DE PROPRIA CALAMI LONGITVDINE.

Cap. XII.

CALAMI longitudo quare non sit à nobis in libro de mensuris explicata. In Apparat. par. 2. lib. 3.

ET in manu viri, calamus mensurae sex cubitorum, & palmo. Calami longitudinem definit Vates, quam in libris de mensuris non pertractamus, tum, quod ibi de Reipublicae illius mensuris in vniuersum agere decreuimus. haec autem huius est aedificij propria, cui tantum dimetiendo inuenta est, vt mox videbimus, tum vero maxime, quod calami huius certa mensura definiri vix potest, nisi ex partium aedificij collatione, quas nulla ratione possemus, extra ipsius aedificij tractationem percensere. Verum enimuero, perspecta calami longitudine, tam admirabilis splendet vniuersi huius aedificij, & singularum inuicem partium consensio, vt ab ijs, qui haec nostra studia vel examinare, vel oppugnare conati sunt, nihil magis in votis fuerit, quam hoc vnum quasi totius fabricae fundamentum subuertere, demoliri, subtrahere. Ego vero si singula eorum argumenta, coniecturas, discursus huc vellem referre, vt singulis ordine satisfacerem, non dubito, quin lectori sim tedium allaturus, qui mihi metipsi molestus fui, non modo, cum illis primum fuit respondendum, verum etiam quoties obiectiones eiusmodi, & responsiones mihi fuerunt iterum perlegendae. Sed hoc vnum praestandum mihi esse non dubito, vt nihil omnino praetermittam eorum, quae ad perfectam rei cognitionem conducere videbuntur, & quibus facile prudens lector poterit, excogitatis, vel excogitandis, omnibus argumentis respondere.

Iam vero, vt ad loci explanationem accedamus, Hebraice sic habet D וביד האיש קנה המדה שש אמות באמה וטפח vbiad hais Kene hamidah ses, ammoth beammah vatophah. Et in manu viri, vertit Regius codex, calamus mensurae sex cubitorum in cubito, & palmi. Septuaginta interpretes; καὶ ἐν τῇ χειρὶ τοῦ ἀνδρὸς κάλαμος τὸ μέτρον πηχῶν ἓξ ἐν πήχει καὶ παλαιστῆς; ce en ti chiri tu andros calamos tometron pichon hex en pichi, ce palestis. Et in manu viri calamus mensura cubitorum sex in cubito, & palmi. sic vertit Complutensis, explicans id quod obscurius vertit Sixtianus codex, eandem Graecam vocem relinquens. & palestes. Et quidem si Septuaginta Interpretum verba attentius perpendantur, facile ipsius Hebraicae lectionis verus sensus elicietur. non enim genitiuus vltimus, E palmi, media coniunctione, &, potest coniungi cum ablatiuo, cubito: vt sensus sit, singulos cubitos habuisse totidem palmos, sed cum genitiuo, sex cubitorum, vt sensus sit, calamum fuisse sex cubitorum, & palmi vnius, omnibus simul cubitis superadditi.

CALAMVS sex cubitorum & palmi vnius.

Scio hanc esse veram ac certam loci expositionem, quam negare nemo potuisset, nisi Hebraea lectio casibus carens, ansam dubitandi praeberet aliquam, cum illud וטפח vatophah, & palmi, conuerti possit, & palmo. Alterum vero, quod dubitandi praebuit occasionem, fuit, quod in Graeco, inter illa verba, cubitorum sex, & illa, & palmi, media illa interseruntur, in cu- A bito. Quorum explicatio lucem afferet huic implexae difficultati.

Est autem Hebraea phrasis, saepius vsurpata à Propheta nostro, capite praesertim secundo & quadragesimo: *Mensus est autem, inquit, contra ventum orientalem calamo mensurae, quingentos calamos, in calamo mensurae per circuitum.* Hanc vero phrasim, nullo alio vel certiore, vel digniore interprete explicari posse putaui, quam ipso Vulgatae interprete, qui alibi pro Hebraico באמה baamoth, in cubitis, ipse conuertit, *in cubito verissimo.* in quo sequutus fuisse videtur Septuaginta Interpretes, qui apud eundem Hieronymum, in cubito perfecto legunt. Cuius mox B ipse facet textus in qualibet lingua longitudinem explicat continere cubitum vnum vulgarem, & insuper palmum. Itaque quoties in cubito, vel in calamo dicit aliquid dimensum esse, de cubito, vel calamo iusto, legali, ac certo sermo est. qua ratione si Graecam, ac Latinam lectionem iuxta Hebraeam interpreteris, genuinum sensum assequutum esse te noueris. In manu viri calamus mensurae cubitorum sex, intellige perfectorum, in cubito, & palmi. Idem autem sensus ex Hebraea lectione colligitur, quam habet Regius codex. Sex cubitorum, inquit, in cubito, & palmi. Sex cubitorum vtique iustorum, legalium, ac si diceret sanctuarij, & palmi. Idem C omnino indicari videtur Vulgata nostra lectione, quae legit, *sex cubitorum & palmo.* quae diuersorum casuum coniunctio, aliquid subintelligendum esse denotat. *& palmo* quasi dicat, superaddito cubitis sex, non singulis: nam cum pluribus ostensum à nobis sit, cubitum quemcumque sex palmis constare, si senis cubitis singuli addantur palmi, fient certe cubiti septem, non sex.

Ezech. 42. ✝. 16

METIRI IN calamo, vel in cubito quid significet

Ezech. 43. ✝. 13.

IN CVBITO certo, iusto, ac vero.

In apparatu par. 2. lib. 3. cap. 17.

NON SINGVLI palmi cubitis singulis, sed vnus omnibus hoc textu tribuendus agnoscitur.

Hunc porro, quem dixi sensum verum ac certum, confirmat communis Patrum consensus, à quo nullus, quod viderim, omnino discedit. Sanctus Hieronymus de calamo sic ait: Cuius mensura supra tacita est, & nunc ponitur cubitorum D sex, & palmo: qui rectius Graece dicitur palesti, & est sexta pars cubiti. & iterum latitudo, inquit, & altitudo vno fuere calamo, hoc est, senis cubitis, & palmo vno. Ac tandem locum illum Prophetae explicans, quo quingentis calamis singula cuiusdam muri latera metitur. Qui murus, inquit, simul habebat duo millia calamos. sin autem calamus sex cubitorum erat, & παλαιστῆς palaestis, vnusque palaestis sexta pars cubiti est, perspicuum est, murum exteriorem habuisse per circuitum calamos duo millia, qui faciunt cubitos duodecim millia trecentos triginta tres, & trientem de duobus millibus. Ecce logistica supputatione indicat Sanctus Hieronymus, quem E ipse verum putat Vulgatae sensum.

S. Hieron. hic.

SANCTORVM Patrum consensu probat, palmum omnibus cubitis addendum, non singulis

Ezech. 42. ✝. 20.

Sanctus Gregorius: Et per sex cubitos, quid aliud quàm actiua vita exprimitur: quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. palmus vero, qui super sex cubitos esse dicitur, iam de septimo est, ea tamen cubitus non est. Sanctus itaque Gregorius aperte sentit, palmum è septimo cubito, senis addendum, qui tamen septimum cubitum non compleт, quem, vt dixi, certe compleret, si singulis adderetur cubitis palmus vnus.

S. Gregor.

Beatus quoque Isidorus: Pertica autem, inquit, à portando dicta, quasi portica. Omnes autem praecedentes mensurae in corpore sunt, vt palmus,

S. Isidor. lib. 15. Orig. cap. 15.

palmus, pes, passus, & reliqua: sola pertica portatur: est enim decem pedum, ad instar calami, in Ezechiele templum mensuraris. Quibus verbis aperte indicat Sanctus Isidorus. palmum addendum sex cubitis esse: nam cum ostensum alibi à nobis sit, cubito vno pedem contineri ac semis, sit vt bini cubiti tribus exaequentur pedibus, seni cubiti nouenis pedibus: decimum vero, vel decimi partem palmus ille supplet, quo perticae similis sit calamus, aut potius calamo pertica. Qua in re errat plane Agricola, qui putat, licere sibi erroris nota censere sanctos viros, in ijs maxime, in quibus ipse caeco errore decipitur. Sanctus namque Isidorus cum praedictis mensuris perticam conferens, hanc dixit solam portari, quamuis non ignoraret funiculos etiam portari, eodem etiam loco, quo calamus hic portabatur.

Georg. Agric. lib. de mens. internall.

Richardus: Cur quaeso, inquit, in hoc calamo ad sex cubitos palmus adijcitur, nisi quòd inter metiendum, ex ea parte apprehenditur, atque tenetur?

Richard. de S. Victore.

Rupertus Abbas: Quis, inquam, est calamus iste mensurae *sex cubitorum & palmo*, nisi gratia septiformis Spiritus Sancti? Etenim calami huius cubitus vnus timor, cubitus vnus pietas, cubitus vnus fortitudo, cubitus vnus consilium, cubitus vnus intellectus. palmus autem sapientia est: siquidem caetera temporaliter operantium quaedam arma, vel instrumenta sunt, sapientia vero quiescentium merces.

Rupert. Abbas.

Hugo Cardinalis: Iste ergo calamus sex cubitos habebat, & insuper palmum.

Hugo Card.

Hanc porro sententiam sequuntur aetatis nostrae Doctores, Arias Montanus, quamuis in eo decipiatur, quod זרת zeret assumpsit pro טפח tophah nimirum, semicubitum, pro sexta parte cubiti· qui pro se quoque Chimchium citat, Ribera, Blasius Viegas, atque alij.

Arias Montan. in Apparatu lib. de mensuris.

Verum enimuero, non est, opinor, cur huic tantae auctoritati opponant nonnulli Hebraicam lectionem, cum ea etiam ab ipsis Hebraeis haud aliter quàm à nobis explicata sit. Qua in re audiendus est Lyranus, cuius haec sunt verba: Dicunt autem expositores nostri, vtique Hebraei, communiter, quòd palmus erat pars calami, qua tenebat eum angelus, & residuo calami, quod continebat sex cubitos, siue vlnas, mensurabat. & erant isti cubiti sex, signati distincte, sicut in vlnis, quibus mensurantur panni, signantur distinctae medietates, & quartae. ideo angelus aliquando mensurabat secundum partem calami, scilicet, secundum vnum cubitum tantum, vel duos, vel tres. Haec sunt Lyrani verba, ex quibus liquido constare videtur, expositores illos, quos retulit, nulla ratione sensum illum de palmo senis cubitis superaddito admissuros, nisi viderem, id ipsis Hebraicis verbis indicari. Quos quamuis vera sensisse arbitremur; in eo tamen, quod additum palmum putarunt, vt manu comprehenderetur, dum reliquo dimetiebatur, longe à vero aberrarunt, ac merito à Lyrano reprehenduntur. Eius tamen additi palmi longe veriorem, ac certiorem rationem mox exponemus.

R. David Chimchi.
Ribera in Apocalyp. cap. 11. nu. 26.
Blas. Vieg. in Apocaly. 11. Sect. 2.
Nicol. de Lyra.

DECIPIVNTUR Hebraei, qui additum palmum putant, vt inde teneatur.

Lyranus.

Ad Hebraicam porro lectionem reuertentes, haud ignoramus, quid ipse Lyranus, Chaldaeum paraphrastem forte sequutus, atque alios Hebraeos expositores: huiusque vestigijs insistentes Clarius, Vatablus, Hector Pintus, atque alij sentiant, legenda, videlicet Hebraea, sic: Calamus sex cubitorum in cubito & palmo, hoc est, quorum singuli cubitum continent vulgi, & insuper palmum: idque confirmari putant ex illo, eiusdem Prophetae testimonio: *Istae autem mensurae altaris, in cubito verissimo, qui habebat cubitum, & palmum*. Verum cum longe diuersa sit vtriusque loci phrasis, longe alia verba, vt conferenti in his nostris explanationibus constare poterit, non est, opinor, cur alter cum altero confundatur. Perspicuum est enim, vt diximus, cubitum Hebraeorum cum Babylonio collatum, hoc fuisse maiorem palmo, hoc est sexta minoris parte. atque ex huiusmodi cubitis, senos fuisse in calamo signatos, vt probat modo relatus textus, verum huiusmodi senis cubitis vnum insuper palmum addendum esse probat latina, loci, quem explicamus, lectio: quae tenenda est, reclamantibus quamuis vniuersis Hebraeis. Id quod confirmare non grauabor Illustrissimi pariter, ac doctissimi Cardinalis Bellarminij auctoritate, qui cum, quae de hac re olim scripseram, rector ipse huius nostri Collegij, attentius legisset, haec verba rogatus propria manu scripsit, atque subscripsit, vigesimaquinta Ianuarij millesimi quingentesimi nonagesimi tertij. Videtur mihi satis aperte colligi ex textu Ezechielis, calamum fuisse sex cubitorum, & vnius palmi, quamuis phrasis Hebraica sit paulo obscurior. Robertus Bellarminus.

Isidor. Clar. Vatablus. Hector Pint.

Ezech. 43. ℣. 13.

Cardinalis Bellarminus.

Quod si obscurae phrasis, rationem aliquam conijcere licet, ea fortasse non videbitur improbanda, vt vtroque modo, aeque intelligatur: cum vterque sensus verus sit, conueniens ac certus, & nulla ratione alter alteri contrarius. Neque moueatur quisquam, quod videat thalamos portae sex cubitis dimetiri, qui paulo ante calamo dimensi fuerant. perpetuus est enim sacrae Scripturae mos, numeros Cardinales referre, quamuis aliquid eis supersit, aut desit. vt de duobus & septuaginta discipulis à Domino apud Lucam electis videre est. a quo non dissentiunt Graeci, ac Syriaci codices, cum multis etiam antiquis interpretibus, septuaginta, scribentibus, vt late probat Maldonatus: idque confirmat Toletus. Ex quo fit, vt interpretes illos, qui sex cubitorum fuisse calamum putant, facile in nostram possimus afferre sententiam, eos Scripturae morem tenuisse, arbitrantes, illam partem cubiti, senis cubitis additam subintelligendam putasse, non subtrahendam, aut negandam.

PHRASIS Hebraea, vtrumque sensum admittit.

Infra ℣. 12. & 7.

NVMERI Cardinales referuntur, eorum partes additae subticentur.

Maldonatus ibid.
Tolet. ibid. notat. 1.

Verum enimuero, quamuis tam firma ratione confirmatum non esset, aliquid praeterea senis illis cubitis perfectis, verissimisque addendum esse, adhuc tamen idem ipsum constare facile posset, ei, qui numeros partium huius aedificij, quos sacer textus retulit, simul contulerit. id quod infra suis locis demonstrandum esse confido. Interea tamen, in vniuersum mihi via insinuanda est modo, qua id sit infra dignoscendum. Sunt enim numeri, quibus maximae huius aedificij partes, in area potissimum dimetiuntur, quingentorum, centum, quinquaginta, quinque, & viginti, qui omnes in partes diuiduntur proportionales, vel, quod idem est, in partes diuiduntur, quae aliquoties sumptae hos numeros reddunt· at senarius numerus id non potest praestare, non ergo numerus est calamo aptus. Huius vero rationis pondera non facile ab alio, quàm à Mathematico architecto dijudicabuntur. haec vero quae subiungam, facile ab omnibus poterunt perpendi, Cauedium portarum metitur angelus decem cubitis, & frontes, siue semicolumnas duobus cubitis,

QVA RAtione probetur ex contexta prophetae, palmum vnum senis cubitis superaddendum esse.

Ezech. 40. ℣. 11. & 9. & 7.

bitis, & thalamos singulis calamis, Cum vero A has omnes simul partes vno numero computat, portarum latitudinem saepius quinque & viginti cubitis definit. Quod si calamus senos tantum haberet cubitos, bis seni duodenis additi, quatuor & viginti redderent, non vigintiquinque, vt habet sacer textus post pauca explicandus, Statuamus ergo iam semel, illos quinque & viginti cubitos quaternis calamis fuisse dimensos, quorum singuli, praeter senos cubitos, quartam contineant cubiti partem, hoc est sex digitos, eam vero palmi nomine indicatam fuisse à Propheta, quod nulla fuisset mensura Hebraeis, huic magis proxima, Quae omnia cum suis locis confirmanda sint, haec praelibasse sufficiat: nam ratio, quae à nobis reddenda est, cur huiusmodi mensuram angelus vsurpauerit, & quanta, quàmque admiranda proportionum varietas, & pulchritudo ex hoc calami vsu, huic aedificio promanarit, tunc opportunius explicabitur, cum de ipso aedificio agemus.

CALAMVS ex cubitis constat, & quarta cubiti parte, hoc est senis digitis, palmo, ac semis.

P E R I B O L I

LATITVDO, ET ALTITVDO.

Cap. XIII.

Dixi lib. 1. huius partis cap. 7.

ET *mensus est latitudinem aedificij calamo vno, altitudinem quoque calamo vno.* Locus hic, vt antea dixi, non modo Beatum Gregorium permouit, vt negaret litteralem sensum huic subesse visioni, verum alios multos interpretes in eas angustias coniecit, vt rectum intelligentiae callem ingredi minime potuerint. Vniuersa vero difficultatis occasio in vno aedificij nomine sita esse videtur, quo totum templum significari putant, non partem. quapropter eius nomen prius explicandum nobis est, ac res ipsa deinde. In ipso vero huius disputationis exordio referre libuit Richardi verba, quibus ad Sancti Gregorij sententiam respondere poterimus. Scio quidem, inquit, Patres quaedam Scripturarum loca, quae facile possent penetrare, negligenter tamen praeterire, dum inuenisse desiderarent, atque gauderent, quae iuxta litteram stare non possent, vt per hoc saltem conuincerentur homines, allegoriam recipi debere, quam illis adhuc temporibus pauci, & vix voluissent recipere. Sed & monendus est lector, vt huius aedificij vel periboli vestigium perspiciat in vniuersali Ichnographia, cuius ibi nomen indicatur, forma & longitudo calamorum quinque & viginti supra centum: erecti vero periboli forma, hinc atque illinc in vtraque vniuersali orthographia. Et hic quidem peribolus Hebraice dicitur בנין binian. Quam vocem interpretes omnes à verbo בנה banah quod est aedificare, deducunt, vt merito à Vulgatae interprete aedificij generali nomine nuncupetur, id quod ab angelo dimensum nunc est, Sed cuiusmodi aedificium hoc fuerit, ipsa voce videtur indicari, quae & Chaldaeis fuit in vsu sub eadem notione, forma, & origine ita vt Guido Fabritius de hac voce sic scribat: Hoc etiam nomine Hebraei vocant vnam & praecipuam ex tribus orationis partibus, scilicet verbum, quod sit radix, thema, primitiuum fundamentum, & basis, cui tota linguae structura innititur, & superaedificatur. Sed longe diuersam vocis notionem, & veriorem fortasse rationem attulit Forsterus, sic scribens: Et grammatici Hebraeorum appellant hac voce coniugationem verborum, eo quod ex modis, temporibus, & personis aedificetur & B constet. Itaque aedificium quoddam ex voce significari intelliges, quod varijs partibus inuicem connexis, siue etiam repetitis constet, haud secus quam verbi coniugatio modis, temporibus, personis.

QVID AEdificij nomine intelligendum sit.

Ricar. par. 2. Explanation. templi Ezechiel. cap. 10.

BINIAN coniugationes quasi aedificia vocant Hebraei.

Guido Fabritius in Dictionario. Syro Chald. in apparatu bibliae Regiae.

Forsterus in Dictionar.

Quod si à voce gradum faciamus ad rem, illud meminisse oportet, quod memini me non semel retulisse: Salomonem videlicet, vastissimam celsissimamque substructionem, ab imis Moriae montis radicibus erexisse, qua aggeres sustinerentur, quibus templi pomoeria, & solum dilatarum est. Quae omnia sub nomine Mello, eiusque aedificio relata sunt à sacro historico perspicuis nominibus a Iosepho: Dici autem non potest, inquit, ac vix etiam oculis credi, quam mirandum fuerit illud externus fanum vallibus enim expletis, tam profundis, C vt ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo templum exstructum est, aequauit: atque hoc modo factum est, vt area fani cum solo templi aequaretur. Hanc vero aream quis non videat, muniendam externis fuisse, muro, aedificio, aut peribolo, ne obambulantes per eam, in praeceps ruerent. Praeceptum vtique Domini erat huiusmodi: *Cum aedificaueris domum nouam facies murum tecti*. Hebraice מעקה maghacah peribolum, circumferentiam. Septuaginta στεφάνην τῷ δώματί σου stephanim to domati su, facies coronam solario, habet Sixtianus codex, Regius vero, domui tuae. ego vero legi posse crederem, domati tuo. *ne effundatur san*D*guis in domo tua, & sis reus, labente alio, & in praeceps ruente*. Quae lex in ipsa legislatoris domo seruanda maxime fuit, tum propter maximam in eam confluentium multitudinem, tum vero maxime propter incredibilem soli celsitudinem, cui vix vllius solarij altitudo conferenda videtur. Peribolus autem hic vniuersam vndique domum debuit circuire, quippe quam valles celsissimae vndequaque cingebant, vt auctor est Iosephus, sic scribens: Pompeius vero a Septentrionali templi latere, quod maxime erat oppugnationi obnoxium, admouit milites. erant autem hac quoque parte turres altae & fossa manu facta, praeter profundam vallem, quae templum cingebat. nam etiam versus vrbem abrupta E erant omnia, sublato ponte, qua parte Pompeius erat cum suo contubernio. Ille igitur murus, qui iuxta Domini praeceptum laxatam templi aream, & super praeruptis fossis erectam extrinsecus cingebat, principio relatus à Propheta fuit, nunc calamo dimensus ab angelo. qui quidem murus, quod vniuersam templi aream circumdaret περίβολος peribolos, ambitus, vallum, septum dicitur à Septuaginta interpretibus paulo ante. quod vero reliquis omnibus muris inferior est, eosque murur haud secus quam vrbis alicuius murum solet προτείχισμα protichisma, hoc est, antemurale, vocatur ab eisdem hoc loco. Et qui stylobatis, quadratis videlicet arulis, ordine dispositis, medijsque

Retuli lib. 2. Isagog huius part. cap. 13.

Ioseph. 8. antiquit. cap. 2.

PERIBOLVS hic necessario fuit circa templum extruendus.

Deuter. 22. ℣. 8.

CELSISSIMAE valles templum vndequaque cingebant.

VARIA HVius periboli nomina explicantur.

A que cancellis colligatis constat, haud secus quàm varijs vocum inflexionibus verborum coniugationes. adeo ab Hebraeis בנין binian dicitur, qua voce coniugationes vocant. Quod vero huius periboli mentionem fecerit prius, confirmari potest

Rabbi Salomo.

Rabbini testimonio, qui paulo superius, cum primum se vidisse testatur Propheta super montem excelsum quasi aedificium ciuitatis, ipse interpretatur quasi בנין binian, concatenationem, peribolum, vel antemurale ciuitatis ab Austro. Quae forte causa fuit, propter quam à Beato Hieronymo hic בנין binian dicatur *aedificium*: nisi malis propterea sic dici, quod pluribus constet partibus, ordine ac certa ratione dispositis. ac ne quis

B forte arbitraretur, hoc loco vniuersi aedificij altitudinem calamo definiri, ipse in commentarijs quid aedificij nomine significare voluisset, expressit, sic scribens: Hoc igitur calamo mensus est latitudinem, & altitudinem muri: & vtrumque, hoc est latitudo, & altitudo, vno fuere calamo, hoc est senis cubitis, & palmo vno. Haec

S. Hieron.

Sanctus Hieronymus. Huiusmodi peribolum Hispani dicimus antepecho, eadem fermè ratione Itali parapetto, Latini loricam.

Rabbi Salomo in comment.

Porro quod ad huius attinet periboli mensuras latitudinem eius Rabbi Salomon grossitiem muri dici arbitratur, & merito: Septuaginta vero interpretes, in Complutensi, ac in Regio Codice: Et mensus est antemurale, inquiunt, lati-

C tudinem aequalem calamo, & aequalem calamo longitudinem, & aequalem calamo altitudinem. quae sane longitudinis in muro dimensio ab altitudine distincta, superuacanea videri posset ei, qui huius periboli formam in nostris de-

PERIBOLI forma cubica constans aris.

scriptionibus non perpenderit. Ijs vero perspectis, vniuersus hic peribolus quadratis aris constare cognoscetur, quarum longitudo, latitudo, & altitudo aequalis est calamo. Quae quidem dimensiones quoniam non temere in perfectissimo aedificio desumuntur, sed ex vi proportionis reliquarum omnium partium, iterum explicandae sunt. pariterque ostendendum est, longitudinem, ac latitudinem stylobate in proiecturis, calamo

D metiri, atque alia huc pertinentia non pauca.

1. Mach. 14. ℣. 26.

Meminit praeterea huius periboli historia Machabaeorum. de Romanis enim gratiam referre Simoni cupientibus sic scribitur. *Et statuerunt ei libertatem, & descripserunt in tabulis aereis, & posuerunt in στήλαις titulis in monte Sion*. Aptissime conuertit, in *titulis*, ea enim propria est vocis notio, quam alias a me explicatam fuisse meminimus. Montis vero Sion nomine templum ipsum

Alibi tomo 3. appar. par. 1. lib. 1. c. 16.

intelligi, hac potissimum Machabaeorum historia, non contemnendis exemplis alibi confirmamus.

E Titulos vero hos aras esse, siue stylobatas huius periboli, perspectum esse poterit ei, qui sequentia eiusdem historiae verba, quae de Rege Demetrio, Sacerdotium, atque Regia insignia Simoni decernenti sic habent: *Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis aereis, & ponere eam in peribolo sanctorum in loco celebri*. Quibus verbis

PERIBOLUS sanctorum quis, & quare sic dictus.

nulla possem exoptari clariora, aut magis expressa: peribolus enim hic sanctorum dicitur, quippe qui sanctos, hoc est, mundos admittat, reliquos excludat: cui similis est ille alter

Ioseph. 6. bel li cap. 6.

dicendi modus, quo legem castimoniae praemonuisse dicitur a Iosepho. Hic vero monendus est lector ne moueatur Rabbinorum fig-

RABBINORUM figmenta de muro templi refelluntur.

mentis, quae ex maxima rerum ignoratione

A procedunt. Omnes muri, inquiunt, qui erant ibi, erant excelsi, praeter murum Orientalem, quoniam Sacerdos exurens vaccam rufam stabat in monte vnctionis, quem nos dicimus oliuarum, & intendebat deuote, & videbat contra portam ipsius templi in hora aspersionis sanguinis: quod si murus Orientalis, qui erat in monte domus, fuisset altus, non potuisset videre portam templi, quoniam murus stetisset ante illum. Hoc autem quod ipse dicit, praeter murum Orientalem, dicit de muro montis domus, qui exterior est. Ascendentes autem de captiuitate fecerunt aedificium iuxta similitudinem, quam viderant in aedificio Ezechielis, futuro ex

Rabbini de mensuris & R. Dauid & R. Salomo in comment.

B maiori parte rerum. Et quamuis sensus litteralis huius scripturae sit, quod omnes muri erant humiles in circuitu, id factum est, quoniam non comprehendit murum Orientalem, sed tantum dixit in vniuersum, *altitudinem quoque calamo vno*. Hactenus ex Rabbi Dauid Chimchi. Qui quidem ipso contextu fateri conuincitur, vt ipse fatetur, omnem circumquaque murum hunc extremum aeque altum fuisse calamo vno. excipit autem à contextus mensura, propter suas traditiones, partem eius Orientalem, quae portis obijcitur, quia non animaduertit & portam ipsam domus vniuersam super hac altitudine eleuari, & praeterea partem eam periboli, quam

C vult esse humiliorem cancellis ita occlusam fuisse, vt accedentium casum impediret, visum tamen impedire non posset. quae omnia suis locis pluribus explicabuntur. Nec est, opinor, cur in confutando Pinti effugio diutius immorer, qui praesentis loci difficultate deterritus, claram & germanam loci intelligentiam esse eam putat, quae nihil omnino significari contendit. quia vno calamo longitudinem & latitudinem aedificij dimensam fuisse putat, quod angelus vnum tantum habuerit calamum, nec alium habuerit. Qui quidem animaduertere debuisset, an stare possit eiusmodi interpretatio cum Septuaginta interpretum, magnae auctoritatis, lectione Et mensus est,

Hector Pintus in Ezech.

D inquiunt, antemurale latitudinem aequalem calamo, & altitudinem eius aequalem calamo. Hanc porro periboli longitudinem, & altitudinem ad mores retulit apte Sanctus Gregorius: Sed latitudo, inquit, & altitudo aedificij vno calamo mensuratur, quia videlicet, vnaquaeque anima, quantum lata fuerit in amore proximi, tantum & alta erit in cognitione Dei. Dum enim se per amorem iuxta dilatat, per cognitionem superius exaltat.

S. Greg. homi. 14. in Ezec.

ATRIVM

ATRIVM GENTIVM QVARE NON dimetiatur ab Angelo.

Cap. XIIII.

Et venit ad portam quae respiciebat viam Orientalem. Dimensa periboli latitudine, & altitudine, venit ad portam, quoniam vniuersi periboli longitudinem, post enumeratas omnes interioris domus mensuras, iterum eductus foras metitur sub finem capitis quadragesimi secundi, vt ibi videbimus.

PORTA, AD quam venit, est atrij Israelis, quod atrium dicitur exterius.

S. Hieron.

Richard par. 2. explanat. templi.

Et venit à priori porta periboli *ad portam quae respiciebat viam Orientalem*. Cumque essent portae plurimae, inquit Hieronymus, noluit per alias intrare portas, sed per eam quae respiciebat ad Orientalem plagam. Richardus vero: alia est, inquit, porta ad quam venit, alia porta de qua venit, in qua & prius stetit. Sed luce clarius constat, portam, ad quam veniebat, esse atrij exterioris, non atrij interioris: hoc enim sequentia tam aperte indicant, vt nostra probatione non egeant. Qua tamen attestatione non obstante, adhuc probare contendit Richardus, Prophetam ab exteriore porta ad interiorem fuisse deductum, quoniam ascendisse dicitur per gradus eius, cum contra, egredienti descendendum fuisset, non ascendendum. deinde confirmat, non ab alia aliqua atrij exterioris ad hanc Orientalem venisse, cum singulas ordine postea metiatur, ac tandem: Patet ergo, inquit, quod extimi muri haec porta fuerit, in quo primum stetit, de quo muro dicitur. *Ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique*. Illud porro, quod initio probandum assumpserat, plane perspectum est,

℣. 17. vt dixerat, ipso contextu: nam, post exactas portae interiores mensuras, eductum se esse dicit ad

℣. 19. atrium exterius, vbi dimensa fuit Orientalis area, à facie huius portae, ad faciem vsque, vel frontem portae atrij interioris centum cubitis. Id quod singulis propemodum atriorum, & portarum dimensionibus, confirmari facile poterit. Verum si in praedicta vniuersali Ichnographia portam spectemus periboli Aquilonaris, & portam atrij exterioris, ad quam venit, hanc ab illa longe distare comperiemus, interiacente nimirum latissima primum via, muro, porticu, & atrio gentium, hoc est area subdiali atrij gentium, quod, quare ab angelo factum sit, inquirendum est, priusquam ipsum angelum dimetientem subsequamur.

CVR ANGELus atrium gentium non metiatur.

Apoc. 11. ℣. 2.

Victorin. bibliotheca sancti to. 1.

Huius vero rei nullam aliam rationem excogitari posse arbitratus sum, quàm si ab angelo idem nunc obseruari intelligamus, quod ab Angelo Ioanni Apostolo, & Euangelistae, dato calamo, vt metiretur templum, & altare, & adorantes in eo, iniunctum fuit: *Atrium autem quod est foris templum eijce foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus*. Atrium αὐλὴ auli dicitur Graece, quam vocem sic exponit Victorinus Pitabonensis Episcopus, & martyr: Aula, atrium, dicitur vacua inter parietes area. Et nos quidem hoc ipsum Domini praeceptum a sacris historicis ita obseruatum fuisse probauimus, vt A atrij gentium vix vna reperiatur mensura, quo fit, vt reliquas partim ex collatione aliarum templi partium, partim vero ex Iosephi testimonijs indagare compellamur. ex quibus tamen facile probari posse confidimus.

ATRII gentium vna mensura reperitur in sacris historijs, reliquae discursu, aut Iosephi testimonijs exquirendae.

Quod vero ad causam attinet, propter quam & à Domino praeceptum id sit, & ab Angelis atque Prophetis obseruatum, cum ea expressa sit allato Apocalypsis testimonio, nihil erit de ea ambigendum, *quoniam datum est*, inquit *gentibus*. Illud vero non vsquequaque inter Doctores constat, quanam ratione conueniat, dari atrium gentibus, & non dimetiri. Andreas Caesariensis Episcopus duplicem huius rei causam longe B diuersam, ne dicam aduersam, attulit. Aduerte autem, inquit, non deesse, qui, per Dei templum, vetus testamentum intelligant, per aulam autem exteriorem, nouum, propter innumeram illorum multitudinem, qui salutem in eo adipiscuntur. Nos autem arbitramur, Dei viuentis templum Ecclesiam appellari, in qua rationales hostiae Deo offeruntur, atrium autem exterius, gentium, & infidelium Iudaeorum Synagogam, vtpote propter infidelitatem, qua obstricta tenetur, quae ab angelo mensuretur, indignam. Hactenus Andreas. Cuius quidem sententia, quod ad locum attinet Apocalypsis, amplectenda videtur, tum propter plures Doctores sacros, C qui eam tuentur, tum quod contextui, & sequentibus verbis magis videatur conueniens. At vero si locus hic Ezechielis quem interpretamur, atque alij, quibus atrij gentium mensura supprimitur, attentius perpendantur, haud incongruus esse videbitur prior sensus, est enim aptus atque conueniens. Saepe enim à nobis confirmatum est, templo vniuerso, Ecclesiam Christi significari, singulis illius partibus, huius gradus, ordinem, dignitatem, Ecclesiam videlicet, quae Iudaeis constat, atque gentilibus. Et Paulus quidem Iudaeos à Iudaeis seiungit, à Graecis, Graecos. *Iudaei*, inquit, *signa petunt, & Graeci sapientiam quaerunt. Nos autem praedicamus* D *Christum crucifixum: Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Vides, opinor, quantum distent ipsa Christi cognitione, & aestimatione vocati Iudaei, & Graeci, hoc est in vnitatem fidei conuenientes, ab ijs qui vocati non sunt, & a fide sunt longe semoti: quare si hi cum illis conferantur, merito extra templum dicuntur esse, & foras eijciendi, quippe quos diuina vocatio in templum non admisit: sed hi ad atria templi non spectant, neque Deum, quem non norunt, orare veniunt in templum, cuius ipsum atrium gentium, domus Dei, ac *domus orationis* vocatur a Christo, E cum indigne tulit, vt dixi, in atrio gentium exerceri negotia. Quare, si ipsos adhuc vocatos ad fidem Iudaeos, & gentiles, velut atria templi inter se conferamus, atrium vtique Israelis atque Leuiticum, calamo, ne dicam palmo, dimetiri poterit, prae paucitate venientium ad ea; at atrium gentium prae multitudine confluentium in illud, nulla poterit mensura comprehendi.

Andreas c. 29. comment. in Apocal.

ATRIVM gentium, infidelium Synagoga.

VNIVERsum templum Ecclesiam repraesentat Iudaeis constantem atque gentibus in Christum credentibus.

NON DImetitur atrium gentium propter innumeram multitudinem indicac, in Ecclesiam confluentium.

Marci 11. ℣. 17.

Hoc idem mysterium consimili plane argumento indicare voluisse videtur Zacharias Propheta, quod dum exponit, pariter ostendit, vt angeli ab angelis illuminentur, ab illuminatis angelis prophetae: quod fuse persequitur Dionysius Areopagita. Sic enim habet Zacharias:

AB ANGElis illuminantur angeli, ab illuminatis angelis prophetae

S. Dionys. lib. de caelesti hierarch. c. 8.

Et

Zachar. 2. ℣. 1. 2. 3. & 4.

Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum; & dixi, quo tu vadis: & dixit ad me, vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius. Quibus verbis paucos futuros Hierosolymae incolas indicari, ante mille ducentos & eo amplius annos putauit Philastrius, sic scribens:

Philastr. Episc. Brixien. lib. de Heresibus c. 100.

Est haeresis quae cum audit in Zacharia Propheta de funiculo agrimensorio, de quo & Dauid; forte, Ezechiel, scribendum, non Dauid, edixerat, quod angelus tenens, ibat mensurare Ierusalem, aestimat secundum litteram ita dixisse Scripturam, cum non Ierusalem metiri, quae tradi debebat hostibus, sed credentium recte atque paucorum perfecte lectio, electio substituenda esset, vt facilis sit intelligentia loci, numerabatur per angelum affutura, vt dictum est multi vocati, pauci electi. Ierusalem ergo in funiculo agri mensorio mensurabatur, idest, & ante sub paucis, & post fidem Christi paucorum Catholicae fidei gignendo electio praedicabatur in saeculo. Quod & Apostolus ait, *Oportet haereses esse*. Haec est Philastrij Brixiensis Episcopi sententia. quam, quod ad mensurae spectat Symbolum, certam esse non dubito, cum frequens sit in Scripturis sacris, vt ea, quae sub mensura, aut numero comprehenduntur, pauca esse intelligantur; rerum multitudo, ipsa mensurae, aut numeri negatione intelligatur. Priorem huius propositionis partem probat psalmus, qui: *Ecce*, inquit, *mensurabiles*, Hebraice palmares, momentaneos, breues, breuissima quippe mensura comprehensos, *posuisti dies meos*. Celebris est locus Iobi in hanc sententiam. Ibi enim cum Sophar Naamathites diuina iudicia, supra omnem humanae cognitionis captum excelsa esse probaret: *Excelsior*, inquit, *caelo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari*. Mensura maior esse solet ijs, quae dimetiuntur, quippe quae saepius repetita, eius rei quae dimetitur denotet magnitudinem. Sensus igitur loci huc esse poterit: Deus Optimus immensus est, quique omnem superat etiam infinitam, vt ita dicam, mensuram; quod si, qua velit vti mensura ad res dignoscendas, aut dijudicandas; eiusmodi mensura longitudine terram, latitudine mare ipsum excedet: cum tamen haec hominibus immensa pene videantur, & quae nullus hominum aut mensus est, aut metiri possit. Septuaginta interpretes haec omnia ad Dei opera exaltanda retulerunt. Sublime est caelum, & quid facies? profundiora autem ijs quae in inferno, quid nosti? nonne longiora quam mensura terrae, quae parua vtique est, si quidem habet suam mensuram. Didymus haec sic exponit: Isthaec omnia referuntur, vt intelligatur, certum quendam esse modum humanae scientiae, nec eam posse ad Dei iudicia accedere: En, inquit, caelum adest, & inferni profunditas, & terrae longitudo, & maris latitudo, de his dic aliquid, si potes. Illud etiam tacitus forsasse indicat: quamuis de caelo, de terra, de mari dicere aliquis conatus sit, ea nihilo minus, quae vltra sunt, ignoraturum.

1. Cor. 11. ℣. 19.

Matt. 22. ℣. 14.

QVAE DImetiuntur, aut numerantur, parua; maxima, quae carent numero aut mensura.

Psal. 38. ℣. 7.

Iob 11. ℣. 8. & 9.

Didymus in catena Conitoli.

Quod vero ad alteram partem in oppositum spectat, vel vnus è multis satis esse poterit locus, qui facile probet, numerum, aut pondus negari, vt magnitudo denotetur, & multitudo. in libro Paralipomenon, vbi cum Dauid impensas domus Domini praeparasse se diceret, *Centum millia talenta auri, argenti vero mille millia talentorum*, haec subdit: *aeris vero & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine*.

1. Paral. 22. ℣. 14.

A Verum quod ad hanc propositionis partem attinet, non est, opinor, cur in ea explicanda diutius immorer, cum ipsa Zachariae Prophetae verba aperte declarent, absque muris, hoc est, sine vlla longitudinis, aut latitudinis mensura habitandam esse Hierosolymam, prae multitudine habitantium in ea. Prophetae verba sunt haec: *Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius: & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens. Absque muro habitabitur Ierusalem, prae multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis.* Kimchius locum hunc sic explicat: Iubet ergo, conceptis in hanc formam verbis cum alloqui: fore nimirum, vt quamuis iampridem angelum, certa quadam mensura, tum longitudinem, tum latitudinem vrbis Hierosolymitanae describentem aspexerit, ea tamen vicatim habitetur, nec vllis includatur moenijs: idest, vt multi foris extra vrbem illam habitent, quibus capiendis vrbs ipsa nequaquam suffectura videbitur. Et quamuis iam longius multo, latiusque pateat, quam pro prioris ambitus ratione, multi tamen foris extra eandem in vicis commoraturi sunt, quibus nec moenia, nec valuae, nec alia vlla repagula adsint: idque adeo magna etiam cum animi fiducia, nullo prorsus aliunde impendente metu:

Zachar. 2. ℣. 3. 4. & 5.

SINE MVris habitatur Hierosolyma.

Rabbi Dauid. Kimch in commentar.

B (beside "ceptis in hanc formam verbis")

C Nam *Ego ero ei, dicit Dominus, murus igneus*. Haec est Rabbini sententia, quam paulo ante dixerat ad Messiae tempora referendam esse, haud secus quam illa, quae Ezechieli visenda proposita tum temporis fuerant, cum Angelus longitudinem, latitudinemque vrbis Hierosolymitanae metiretur. Est autem fere eadem Doctorum Ecclesiae sententia, nouam Hierosolymam muro cariturum, eo, inquam, qui definiat loca, aut vrbis capacitatem, quae propterea Ecclesia dicitur Catholica, hoc est toto orbe diffusa, vt exponit Sanctus Augustinus: quia diuersorum Haereticorum Ecclesiae ideo Catholicae non dicuntur, quia per loca, atque per suas quaeque
D prouincias continentur, haec vero à Solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur. Haec Sanctus Augustinus. Illa vero hominum & iumentorum commemoratio, incolarum vrbis multitudinem denotat, siue, Iudaeorum ratione, iuxta legis praescripta viuentium, & gentium, pecudum, aut iumentorum more sine ratione degentium, vt ait Hieronymus, siue, *hominum*, eorum qui scientia pollent Scripturarum, & iumentorum, eorum, qui in simplicitate credunt, de quibus locutus fuisse videtur psalmus *Homines*, inquiens, *& iumenta saluabis Domine*. siue etiam *hominum*, idest, iustorum, qui nimirum ratione vtuntur, ac laude digni sunt, &
E honore hominum, *& iumentorum*, idest, iniquorum, de quibus in Psalmo: *Et homo cum in honore esset* rationalis & intelligentis, *non intellexit*, ratione non est vsus, immo potius abusus, *comparatus est iumentis, & similis factus est illis*. His enim omnibus aditum patefacit Ecclesia, si tamen fide huic aedificio apti reddantur. Quocirca modus ille, quem secutus est Rabbinus innuens vicatim habitandam vrbem, prae multitudine eorum, qui extra pomeria vrbis habitaturi essent, haud satis videtur conueniens textui, qui homines pariter ac iumenta dicit habitaturos *in medio eius*. qua dicendi ratione significare videtur, hos omnes, ciues futuros huius vrbis,

ECCLESIA quare dicatur Catholica.

S. Augustin. ser. 131. de tempore.

HOMINES & iumenta. *S. Hieron.*

Psal. 35. ℣. 7.

Psal. 47. ℣. 13.

qui &

qui & dignitate, & priuilegijs, & immunitatibus A vrbis gaudebunt, ac ciues vere censebuntur.

Leuitic. 18. ℣. 29.

Sic in Leuitico: *Peribit*, inquit anima, *de medio populi sui*. hoc est, tolletur è medio, nomenque eius delebitur è libro, in quem ciuium nomina referuntur, vt amplius non dicantur ij, qui fide carent, Christi. qui quamuis ad Ecclesiam non pertineant, ei nihilominus vtiles sunt, & quodammodo necessarij. Haec enim Ecclesia Catholica, inquit Augustinus, per totum orbem valide, lateque diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cum euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suae: haereticis, ad probationem doctrinae suae: schismaticis, ad docu- B mentum stabilitatis suae. Iudaeis ad comparationem pulchritudinis suae. Alios ergo inuitat, alios excludit &c.

S. August. lib. de vera religione cap. 6.

ATRIVM gentium ad templum pertinens non dimetiri, quo multitudo gentium denotetur.

His igitur sic statutis facile colligemus, atrium gentium non dimensum fuisse, quamuis ad templum Dei spectaret, quo multitudo gentium ad Christum conuersarum indicaretur: Israelis vero atrium mensura definiri, quia quamuis multi ex eis in Christum crediderint, tamen, facta cum reliquis collatione, paucissimi sunt: ideoque atrium Israelis vndique dimetitur: gentium atrium mensura certa non definitur. Qua ratione locum Isaiae exponit Sanctus Hieronymus, quo Christum alloqui putat, ac dicere: *Multiplicasti gentem*, hoc est, replesti omnes gentes C notitia tui, *sed non magnificasti laetitiam*. Iuxta quod Apostolus moerorem sibi dicit esse perpetuum pro fratribus suis, qui sunt Israelitae. Verum haec alterius indaginis sunt, quapropter pauca praelibasse sufficiat, quibus rationem redderemus, ob quam angelus nihil de gentium atrio dimetiens, *ad portam*, venerit atrij Israelis, *quae respiciebat viam Orientalem*.

S. Hieron. super Isaiae, 9.

Roman. 9. ℣. 1. 2. 3. & 4.

AD PORTAM Orientalem quare prius venerit.

Cur autem ad hanc prius venerit, cum, sicut dictum est, per Aquilonarem periboli portam ingressus, propinquior fuisset portae Aquilonari rationem reddunt nonnulli, portae Orientalis dignitatem, & merito. Etsi ea Regis porta dicebatur in Parali- D pomenis, quod per eam Rex ingrederetur, vt infra videbimus, tamen ea dignitatis ratio potissima censenda est, quod ea tantum cerneretur gratissima sanctuarij facies: *facies enim domus*, vt ait noster Propheta, *respiciebat ad Orientem*. Rabbinique propterea exponunt, ad portam, quae erat aperta ad viam Orientalem. Sed Rabbi Salomo, portam putat hic commemorari atrij mulierum, quod atrium tota hac narratione exterius dici arbitratur, quoniam erat ante atrium Israel. Verum, cum vnius tantum atrij Israelis mentio fiat in his descriptionibus, nullus superest locus atrio mulierum, quod posterioribus saeculis, muro in- E teriecto, diuisum est à communi hominum, & mulierum Israelis atrio.

2. Paral. 9. ℣. 18.

Infra Ezech. 47. ℣. 1.

Rab. Dauid.

Rabbi Ionathas in comment.

Rabbi Salomo ibid.

ATRIVM mulierum non fuit primum in templo Salomonis, sed post captiuitatem.

DE GRADVVM
PRIMAE PORTAE Orientalis, vsu, numero, mensura.
Cap. XV.

FT ascendit per gradus eius. Gradus in porta ascendendi excelsiorem fuisse demonstrant aream atrij Israelis area atrij gentium: quod montis accliuitas postulare videbatur, sed & multo magis locorum dignitas, quae ipsa soli celsitudine indicabatur: atque adeo Israelis atrium vniuersum excelsius erat atrio gentium, atrio Israelis atrium Sacerdotum, super quo ascendebat solum Domus Dei. Non enim parum dignitati basilicae aut templi conducit, si à reliquo vrbis paumento emineat. Quod animaduertentes antiqui architecti, ante idolorum templa gradus perpetuo excitabant, vt videre est apud Vitruuium, qui tamquam quid templo necessarium non eos constitui praecepit, sed tantum graduum mensuras definiuit. Quo sane consilio non modo dignitati prouisum esse videtur, verum etiam maxima ex parte, firmitati: cum quod non raro vrbis solum, domorum ruinis, & instauratione augeatur, exuberet, tum quod ipsa templi fundamenta maximo pondere pressa subsidant, nonnumquam etiam terrae motu concussa descendant, atque findantur. Cuius rei exemplum vltra quam credi possit exaggeratum legimus apud Iosephum: & oculis quotidie hic cernimus in Phantheone celebertimo firmissimoque antiquitatis monumento, ad quod tot gradibus hodie descenditur, quot olim, vt aiunt, ascendebatur. Cui sane incommodo exaggerato templi solo prouisum est, quod gradibus conscensis in ianua sit superandum.

PAVIMENTI sublimitas loci denotat dignitatem.

Vitruu. lib. 3 ca. 2. & 3.

Ioseph. 6. bell. cap. 6.

Quod vero ad graduum numerum spectat, cum neque in Hebraeo, neque in vllo codice, praeter illos Septuaginta interpretum, definiatur, Rabbi Dauid Kimchi: Iuxta expositionem, inquit, Rabbi Salomonis, ascendit per duodecim gradus, qui erant inter antemurale, & atrium mulierum. At secundum expositionem nostram, quoniam mons domus altior erat locis, qui in circuitu eius sunt, propterea per gradus ascendebatur. Nihil itaque ausus est circa graduum numerum statuere Rabbinus, quamuis sciret, Salomonis sententiam, libri testimonio confirmari, quem Misnaioth vocant. Qua in re haud secus hic liber, quam Salomon ille, decipitur, duodenarium graduum numerum, cum atrio mulierum, ad hoc templum referentes, quae fortasse temporibus longe posterioribus constructa sunt. Septuaginta vero interpretes paraphrastice addiderunt Et ascendit in septem gradus eius. Qui quidem septenarius graduum numerus certa ratione colligitur ex sequentibus, atque ex ipsa huius aedificij architectandi ratione. Id quod Richardus nobis indicare voluisse videtur, sic scribens: hanc portam gradus habere Scriptura commemorat: quot tamen habuerit, aperte nusquam determinat: sed, quia octo habere leguntur simul tres atrij interioris,

GRADVVM numerus.

Rabbi Dauid Kim. in comment.

R. Salomo.

GRADVS duodecim cum atrio mulierum in posteriore templo, non in priore.

Richard par. 2. explanat. templi Ezech.

rioris, & septem duae aliae atrij exterioris, admonemur de similibus similia existimare: & idcirco credimus, eam ad exteriorum similitudinem, septem gradus habere. Haec Richardus. Ego vero, maxima cura obseruatum esse, in hoc aedificio comperio, id quod in omnibus obseruandum esse existimo, vt pauimenta omnia, tum atriorum, tum etiam porticuum inferiora, & superiora ad libellam constituantur: ita vt nullus omnino gradus scandendus, vel descendendus sit in vniuerso aedificio, praeterquam in scalis, vel in portis, quae ab vno atrio ducunt in aliud. Nam praeterquam quod ad venustatem, & ornamentorum proportionem, non parum huiusmodi obseruatio conducit, ambulantium securitati maxime videtur esse necessaria, ne incauti decidant, & habitantium incommoda dedecori sint architecto, conuitijs, & maledictis aditum apperientia. Hoc autem praesenti aedificio constitutum fuisse demonstrat par graduum numerus in singulis atrij Sacerdotum portis: nam, cum eiusdem sint gradus altitudinis, aeque libratam fuisse indicant atrij interioris aream vniuersam, ad quam ascendunt, necnon aream atrij exterioris, à qua ascendunt, idemque colligi potest de area atrij gentium, cum par etiam graduum numerus computetur ab angelo in binis portis atrij exterioris, Aquilonari, & Meridiana. Quae portarum collatio plane indicat & parem fuisse graduum numerum in porta Orientali, quae media est inter binas illas: necnon aeque libratam esse aream atrij gentium, à qua pares illi septem gradus ascendunt sicut aeque librata est area atrij exterioris, ad quam ascendunt.

PAVIMENTA omnia ad libellam construenda.

Iam vero, quoniam ostensuros nos esse polliciti sumus, non vniuersam modo architectandi rationem, ex hoc aedificio ab antiquis desumptam fuisse, verum etiam singula praecepta: hoc vnum, quod firmitati, & venustati aedificij maxime conducere posse arbitramur, & incolarum commodis, ostendendum est qua ratione à Vitruuio commendetur. *Extructis autem*, inquit, *fundamentis, ad libramentum stylobatae sunt collocandi*. Stylobatam dici putat Vitruuius, quasi columnam excipientem, aut stereobatam, quod excipiat onera. Stereobatam idem esse putat Barbarus atque stylobatam, cum contra, à Vitruuio indicari videatur: stereobata enim perpetuus quidam murus subcolumnis dicitur, qui vulgo *podium* vocatur, qui murus vniuersum excipit columnarum, intercolumniorum, atque murorum pondus: stylobata vero quadrata illa ara, antiquis altaribus persimilis, quae columnam sustinet, & quae Graece στύλος, *stylos*, dicitur; atque adeo stylobata, quasi columnam sustinens, dicatur. Stylobatarum vsum sic definit idem Barbarus: vt aedes à solo subleuentur, dignitatemque habeant, & auctoritatem; eisdem stylobatae non parum afferant ornamenti. Cumque ratione gradus in aedis fronte constituti sint, fit vt tanta sit stylobatarum altitudo, quanta & graduum, id enim gradibus consequi videmur, vt stylobatarum perpetua celsitudo gradibus, quasi in partes diuisa facilius ascendatur. His igitur constitutis, colligemus stylobatas ad libramentum construendos esse, quia nimirum solum, & area inferior aedificij, vrbis solo respondens aeque libranda est, quae aeque alta futura est ac stylobatarum celsitudo. Ex quo mox fit, vt omnes columnarum interiorum, exteriorumque bases aeque libratae sint.

Vitru. lib. 3. cap. 3.

STYLOBATAE, & stereobatae.

Daniel Barb.

A Qua in re admirandum, ac plane diuinum sese nobis offert, considerandum in ipso limine, huius aedificij artificium: quod cum tot, ac tantis, tamque diuersis partibus constet, bases omnes parastadum earum, quae ipsum Sanctum sanctorum exornant, ijs parastadum basibus, quae externum atrij gentium murum cingunt aeque libratas esse, vt videre est in dissecti templi orthographia vniuersali: qua ratione fit, vt antemuralis celsitudo calami vnius, quae stylobatis columnarum respondet, vniuersa, celsitudini pauimenti ipsius vestibuli, Sancti, & Sancti Sanctorum ex aequo respondeat: quae omnis celsitudo gradibus, vt dixi superanda erat.

ADMIRANDUM huius aedificij artificium in basium libratione.

B Quod si graduum numerum, quem infra probaturi sumus, hic colligamus: septenos portarum atrij exterioris, octonos portarum atrij interioris, octonos item ante vestibulum, ac binos tandem introitus vestibuli, omnes simul efficient quinque & viginti gradus: qui cum pares sint, & simul alti, vt diximus, calamum vnum, singuli gradus crassi erunt quarta cubiti parte, tot enim quartis cubiti partibus constat calamus, qui sex, vt vidimus continet cubitos, & quartam insuper cubiti partem, vt patet computanti. Quae quidem graduum crassitudo non magna est, quippe quam non homines modo conscensuri essent, verum etiam pecora, vituli, ac reliqua animantia in interiori atrio immolanda.

C

GRADVVM, qui in atrijs ac vestibulo templi ascenduntur, numerus.

7
8
8
2
25

Quod si quis scire desideret, quam habeat eiusmodi graduum altitudo ad aliquam, e nostris mensuris proportionem, is quaerat in nostra tabula proportionum quarta, proportionem calami ad quamcumque voluerit, e nostris longitudinum mensuris: tunc enim quinta & vigesima calami pars dabit vniuscuiusque gradus altitudinem, in partibus similibus ijs, quae alteri mensurae assignantur. Ego vero cum rem attentius expendissem, nulli mensurae propinquiorem esse reperi gradus altitudinem, quàm palmo Hispanorum: cuius inueniendi rationem nunc praescribam. Quaesita in superiore parte tabulae calami Hebraeorum linea, atque à dextris, palmi Hispanorum, vbi huiusmodi lineae sibi inuicem occurrunt, numerum reperi, indicantem, vt ibi adnotauimus, calamum Hebraeorum habere ad palmum Hispanorum eam proportionem, quam numerus bis millesimus nongentesimus tertius ad numerum centesimum vigesimum. Diuiso ergo numero calami in partes quinque & viginti, dat numerum centesimum decimum sextum, cum tribus vigesimis quintis partibus: qui numerus mox apparet, quàm parum deficiat à numero palmi Hispanorum. Vitruuius vero gradus constituit non fore dodrante tenuiores, qui quidem pedis antiqui dodrans, vt ibidem videri poterit, maior est palmo Hispanorum: verum, vt dixi, gradus tenuiores effecti sunt, quo facilius ab hostijs possent conscendi. Qua etiam ratione graduum retractiones maiores multo sunt, quàm quae à Vitruuio definiuntur, quippe qui faciendas censet non minores, quàm sesquipedales, nec maiores quàm bipedales. Nos vero in portis atrij exterioris nullam certam rationem inire potuimus constituendarum huiusmodi retractionum, quoniam in area atrij gentium, extra portam, vt mox videbimus, gradus constituuntur. At in portis atrij interioris, cum intra crassitudinem muri, quae vnius est calami, gradus constituantur octoni, vt ibi videbimus, fit vt calamum diuidamus in septenas retra-

D

E

ALTITVDO graduum templi ad nostras mensuras relata.

Tabula proportionum 4. in fine secundae partis Apparatus.

Cubitus Hebraeorum.

2903

120

Palmus Hispanorum.

$116\frac{3}{25}$

Crassitudo gradus.

Vitru. lib. 3. cap. 3.

GRADVS templi alti, fere palmum Hispanorum.

RETRACTIONES graduum quomodo constituamus.

ctiones, quae octonas dant graduum crassitudines, vt patet computanti in dissectu templi orthographia. Quod si quis optet huius tetractionis ad antiquam Vitruuij legem exactam rationem, is in eadem tabula inquirat proportionem, quam habet latus cubicum amphorae, hoc est pes Romanus antiquus ad calamum Hebraeorum, & duplum accipiat numerum pedis, & septimam partem numeri calami, & inueniet quam proportionem habeat bipedalis tetractio ad hanc nostram, quam vides in margine. Sed haec subtilius fortasse inquiri videbuntur quam par est. Verum ea profecto molesta videri non debent ei, à quo possunt praetermitti, nos enim vel paucissimis ea scire cupientibus, deesse non debere censuimus. Illud tamen omnibus debet esse perspectum, quod dum Angelus ascendisse dicitur portae gradus, priusquam ad portae limen accederet, plane indicat, gradus ante portam excitatos fuisse, vt in Ichnographia vniuersi templi sunt descripti.

1920
31449

Vitruuij retractio.

3840
4492 1/7

Ezechielis retractio.

DE LIMINE PORTAE, ET MVRI
crassitudine. Cap. XVI.

Et mensus est limen portae calamo vno latitudinem, id est, limen vnum calamo vno in latitudine. Hebraea sic ad verbum conuertuntur in Regio codice Et mensus est limen portae calamo vno latitudine; Totidem pene verbis Chaldaeus paraphrastes locum interpretatur. Sanctus Hieronymus: limen igitur portae, inquit, siue θεὲ thee ut Hebraeo סף saph, quod Symmachus οὐδὸν vdon, Aquila & Theodotio πρόθυρον prothyron interpretati sunt, habebat calamum vnum, hoc est sex cubitos & palmum in latitudine: pro quo nescio quid volentes Septuaginta addidere de suo, sex hinc, & sex inde. His verbis Sanctus Hieronymus varias huius vocis interpretationes retulit, cum paulo ante conquestus fuisset, eas nimia vetustate, & librariorum vitio fuisse corruptas. Sed vt à Septuaginta interpretibus exordiamur, longe diuersa est in singulis fere codicibus eorum lectio. Nam apud Sanctum Hieronymum sic legimus, vt ipse retulit: Et mensus est thee sex hinc, & sex inde. In Complutensi & Regio: Et mensus est thee sex. In Sixtiano: Aelam portae aequalem calamo, & thee aequalem calamo longitudine, & aequalem calamo latitudine. Ego vero hanc omnem lectionum diuersitatem duplici ex capite originem ducere potuisse censeo, & quod multa hoc versu calamo vno finiantur, & quod eorum, quae dimetirentur nomina propriam plerumque commutent notionem, vt alienam sortiantur. Ex quo factum est, vt vocem Hebraicam thee, quam in thalamum mox conuertit Vulgatus, hic ita accipiat Hieronymus, vt si à Septuaginta interpretibus vsurparetur pro סף saph. Quod si coniecturis vti liceat, potius arbitrarer, liminis mensuram ab ipsis fuisse praetermissam, et eos, ad thalami mensuras mox accessisse, vel, quod verisimi-

S Hieron.

VARIA Septuaginta interpretum lectio.

A lius est, à librariis eiusmodi mensuram fuisse relictam. Quamquam Theodoretus harum vocum interpretationem afferens, Septuaginta interpretes cum Hebraica lectione concordare voluisse videatur: Deinde metiens, inquit, calamo, ostendit mihi omnes aedificij mensuras, & eorum, quae limina vocantur, & superliminarium, & postium. Aelam enim singulari numero postem vocat, aelamoth vero numero multitudinis postes, & thee rursus, & limen, & super liminare, theim vero eadem numero multitudinis. Ita enim comperi apud Syrum, horum interpretationem. Haec Theodoretus. Sed quod ad Septuaginta interpretes spectat, si vocem thee
B pro סף saph vsurparunt, id quod de suo addidisse videntur, sex hinc, & sex inde, phrasim vtique Hebraicam expresserunt, qua limen vnum calamo vno, & limen vnum calamo vno dicunt, quod idem est ac si dixissent, limen vnum atque alterum. Cuius rei quamplurima suppetunt exempla elegantiae plena. Nam in libris Regum: mulier Techuitis Dauidem Regem sic alloquuta dicitur: *Ancillae tuae erant duo filij, qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset & percussit* האחד את האחד haechad & haechad, vnus vnum, *alter alterum, & occidit eum.* Et apud Zachariam: *Et assumpsi mihi*, inquit, *duas virgas*, אחת achad, *vnam vocaui decorem, &* אחת achad, *vnam, alteram vocaui funiculum.*
C Et Iob: *Vna vni* אחד באחד ethad be achad, vna in vnam, hoc est, altera adhaerebit, *coniungitur; & ne spiraculum quidem incedit per eas.* Quae omnia plane indicant, vnum pro altero vsurpari frequenter in sacris literis, atque adeo Latinam nostram Vulgatam lectionem non modo verbi singula proprijs verbis respondentia reddidisse verum etiam ipsam phrasim, si illud, id est, auferas: quod ad emolliendam alienae phrasis asperitatem additum fuisse videtur, sensusque tunc erit loci perspicuus. *Et mensus est limen portae calamo vno latitudinem, & limen vnum*, hoc est alterum, *calamo vno in latitudine. Limen vnum:*
D interlinearis: est enim, inquit, aliud. Lyranus, limen portae secundum spissitudinem portae interpretatur. Tamen, inquit, in Hebraeo sic habetur: Et mensus est postem portae, & dicitur postis ostij pars muri ascendens sursum secundum latitudinem ostij ex vna parte, cuius latitudo est secundum spissitudinem muri, sicut & liminis: illud vero, id est, positum esse putat pro, &, in quo rem ipsam assequutus videtur, à qua aberrauit omnino, dum litteram esse corruptam astruit, cum, vt alias ostendimus, Hebraica coniunctio ו ve, &, significet, atque id est: vt mirandum non sit, ab interprete Latino alteram notionem pro altera substitui. Praedictam vero expositionem
E confirmant, cum suis sequacibus Hebraei. Vatablus enim in sua versione sic habet: Et mensus est crassitudinem vtriusque postis vno calamo. Et in notationibus. Hebraice, inquit, postem portae calamo vno in latitudine: latitudo secundum ingressum sumebatur. Haec ille. Rabbi vero Dauid: Et mensus est, inquit, limen portae calamo vno latitudinem: iuxta latitudinem muri erat latitudo eius. *Limen vnum:* sic etiam erat limen secundum. Limina autem sunt postes portae hinc & inde. Rabbi Selomo: Limen portae, inquit, id est, postes portae calamo vno latitudinem, id est, sex cubitis: oportebat autem totam grossitiem muri, quae erat vnius calami, sicut

Theodoretus.

VNVM ET vnum pro vno & altero.

2 Reg. 14. ℣. 6.

Zachar. 11. ℣. 6.

Iob 41. ℣. 7.

VVLGATAE editionis commendatio, & defensio.

[illegible]

Nicolaus de Lyra.

Vatabl. sua versione. & Num. 17.

Rabbi Dauid in comment.

VTERQVE postis calamo aequalis, & muri crassitudini. sicut dictum est superius. *Limen vnum*, idest po- A stis secundus, vnus ab Aquilone, & alius ab Austro.

Accuratius vero Rabbini hoc loco tradiderunt, quid voce סף saph significetur, quoniam ea vox non eandem aedificij partem significat, sed aliam plerumque, atque aliam: ea enim deduci videtur à radice ספף soph, quae limitem, finem, seu terminum apponere significat, haud secus quàm Latinis limen dicitur, quasi luminis limes, Hispanis lumbral dicitur, quasi lucis terminus, vel vmbrae causa: quamuis Festo, à limo dicatur, quod est obliquus, seu transuersus, quod ingredientibus quasi ex obliquo stet. *Festus Pompeius.* Ab Hebraeis liminare inferius nonnumquam significat; quandoque superius. B

Iudic. 19. ℣. 27. Prioris exemplum habes in libro Iudicum: *Et ecce concubina eius iacebat ante ostium, sparsis* הסף *hasaph, in limine manibus*. In huius rei exemplum locus adducitur Regum, qui sic habet: *3. Reg. 14. ℣. 17.* *Cumque illa ingrederetur,* בסף *besaph, limen domus, puer mortuus est*. sic etiam locum exponit Chaldaeus. Septuaginta in Regio codice προθύρῳ prothyro. quam vocem in vestibulum conuertit Latinus interpres; quamuis limen etiam nonnumquat significet.

Superum vero limen voce סף saph significatur apud Zachariam: *Zach 12. ℣. 2.* *Ecce ego ponam Ierusalem* סף רעל *saph raghal, superliminare crapulae omnibus populis in circuitu.* Non me latet, à Rabbinis hoc loco vas, phialam, aut craterem legi pro סף verum C nobis praeponderare debet Vulgatae auctoritas, quae septuaginta Interpretes sequuta est, superliminaria, quae mouentur, eodem fere sensu scribentes. Tandem vox סף postem portae vtrumque significat, qui inferiori insistunt limini, superius sustinent. Cuius rei non est, opinor, cur in afferendis exemplis immorer, cum praesens locus, quem interpretamur, ab omnibus fere interpretibus, in huius phrasis exemplum adducatur. Opponit se tamen his diligens quidam prophetae Amos interpres, *Amos 9. ℣. 1.* qui obiter etiam omnem contextus nostri conuellere voluisse videtur assensum. Ibi namque ait Dominus: *Percute cardinem, & commouebuntur,* הספים *hasippim superliminaria.* *RESPONdetur obiectioni.* Reprehen- D dit acerbius Chimchium, huius loci auctoritate fretus, quod putarit sippim postes significare, quasi vero quae vox superliminare significat, postes etiam significare non possit. Huius quaestionis assumpta occasione, ad Ezechielem nostrum accedit, & confirmare contendit, vtrumque limen, superum videlicet, & inferum hoc loco angelum dimensum fuisse: quae res quamuis vera esset, tamen nihil aduersus nostras descriptiones adhuc obtineret, cum vtrumque limen vtrique posti latitudine parem futurum esse constet, postes ac limina muri crassitudini. Illud vero silentio praetermittendum non est, quod illa confirmans adducit, thalami nomine hos postes portae E indicari, quos anthas, vel parastadas putat vocari. Sed quomodo fiet, quaeso, vt portae limina lata sint calamo, postes vero portae tres hinc, & tres inde, singuli lati calamum? totidem enim thalami, ac tam magni referuntur in textu. Denique ex praedicta sententia colligit, Rabbi Dauid ignorasse in multis verborum proprietatem: Hieronymum autem sequutum esse antiquissimos & doctissimos interpretes, & nouisse quae iuniores Iudaeorum magistri minime nouerunt. Quae quidem sententia vera est, quippe quae alijs quamplurimis locis posset confirmari, praesenti tamen nihil ad eam rem confirmandam facere potest:

A nam si quid peccauit Rabbinus סף saph, postem conuertens, ספים sippim postes, idem mox adscriberetur Hieronymo, qui in Paralipomenis: *CONFIRmatur voce saph postem significari.* *Texit,* inquit, *domum, & trabes eius,* הספים *hassippim & postes* &c. *2 Paral. 3. ℣. 7.* Verum, cum hoc loco errasse Hieronymum, neque dicendum, neque suspicandum sit, neque alibi errasse eos credendum est, aut vim vocis ignorasse, qui pro סף saph postem verterunt: ac bene statuta fuisse quae diximus de vtroque portae poste ab Angelo dimenso. Quae sane mensura maxime notanda est, quippe quae omnium murorum templi crassitudinem definiat, reliquis aedificij partibus maxime consonam: vt suis locis ostendemus.

DE CALAMO,

QVI HVIVS AEDIFICII MODVlus est, & de Ichnographijs describendis; necnon de thalamis. Cap. XVII.

E*T thalamum vno calamo in longum & vno calamo in latum.* VII. Iam propius ad aedificij structuram accedendum est, & attentius perpendendum, quid voce thalami indicetur, ac multo magis qui sint huiusmodi thalami in portis, quae eorum mensurae, & qua ratione cum reliquis portae partibus conueniant: quibus breui à nobis explicatis, & à Lectore perspectis, fiet spero, vt reliqua omnia facillime percipiantur. Cuius rei gratia ponendum est ante oculos vestigium, siue Ichnographia vniuersalis, atque in ea Orientalis porta, quam ingreditur nunc Angelus dimetiendam. Vocat autem Ezechiel portam, vt infra videbimus, totum illud aedificium, quod in media porticu iacet, cuius longitudo à facie portae exterioris vsque ad finem muri, vel pilarum interiorum quinquaginta cubitis definitur, ab Oriente Occidentem versus: latitudo vero quinque & viginti cubitorum esse perhibetur, ab Austro in Aquilonem. Huius vero portae structuram si attente percipias, inuenies, *THALAMOrum situs, & numerus.* latus Orientale perpetuo muro tantum cingi, cuius crassitudo superiori versu definita est calami vnius, reliqua vero latera pilis distincta, fornicibus connexa fuisse, in ipsa Ichnographia demonstrantur. Et quoniam longitudo portae quaternis pilis constat, binis extimis, totidem medijs, fit, vt ternae fornices intersint inter eas, ternae in quam hinc, ternae vero illinc. atque in harum fornicum imo, thalami illi sex sunt, e quibus primum thalamum modo calamo dimetitur Angelus.

Huius vero mensuram vix percipi posse arbitrarer, nisi de vniuersa aedificij symmetria aliquid initio praefarer: quae tam est admirabilis, vt aliquibus fere videatur incredibilis. nostri tamen muneris esse existimaui, rem ipsam suis fultam rationibus quam breuissime simpliciterque proponere: non enim fieri posse arbitratus sum, vt omnium captui aptetur, vt proprias vniuscuiusque soluat obiectiones, ne dicam cauillationes, aut somnia.

QVARE ANgelus calamum adhibuerit templo dimetiendo

A Ac de calamo iterum nonnihil ante dicendum est: est enim veluti vniuersi artificij fundamentum, qui vix ab aliquibus credi potest, mirantibus vehementer, quod angelus calamum adhibuerit templo dimetiendo, non quinum aut senum, aut denum cubitorum, aut numeri cuiusdam integri, atque perfecti, sed senum cubitorum, cum quarta parte cubiti: quid opus fuit, ad dimetiendum illam quartam partem addere? quibus ego respondeo, eiusmodi mensuram propterea ab angelo fuisse adhibitam, quod à Deo Optimo, sapientissimoque architecto haec eadem fuerat in architectando templo adhibita, quippe quae vna vniuersum templum, ac singulas eius partes incredibili artificio disponat, vt mox B ostendam.

Vitru. lib. 3. cap. 2.

VITRVVII praeceptum ex huius aedificij obseruatione depromptum.

Lib. 4. cap. 3.

Exstat apud Vitruuium praeceptum quoddam, à paucis expensum, à nemine, quod viderim, obseruatum, quod tamen est vniuersae dispositionis fundamentum, atque adeo proportionis, ac venustatis norma: illud ex huius obseruatione aedificij quoniam desumptum esse arbitramur, breui explicatum, lucem ei allaturum esse speramus non modicam. Vitruuius: *Frons loci, inquit, quae in aede constituta fuerit, si tetrastylos facienda fuerit, diuidatur in partes vndecim semis, praeter crepidines, & proiecturas spirarum: si sex erit columnarum, in partes decem & octo, si octastylos constituatur, diuidatur in vigintiquatuor & semissem. Item ex his partibus siue tetrastyli, siue hexastyli, siue octastyli vna pars sumatur, eaque erit modulus, cuius moduli vnius erit crassitudo columnarum.* Atque iterum sic scribit: *Frons aedis Doricae in loco quo columnae constituuntur, diuidatur si tetrastylos erit, in partes vigintiseptem, si hexastylos quadraginta duas,* sic corrigo cum Philandro: *Ex his pars vna erit modulus, qui Graece ἐμβάτης dicitur, cuius moduli constitutione ratiocinationibus efficiuntur omnis operis distributiones.* Hanc autem moduli constitutionem, symmetriae originem fecerat in sacris aedibus constituendis. Ordo igitur in sacro aedificio architectando hic primum seruandus praescribitur a Vitruuio: vt locus eligatur initio, deinde frontis definiatur longitudo, ex qua demum in partes pro ratione columnarum conuenientes

MODVLI ratio praescribitur

Lib. 1. cap. 2.

D diuisa modulus constituatur, quo apte fiant totius operis distributiones. Hoc idem in hoc aedificio, templorum augustissimo, ac maximo constitutum à Deo fuisse, credendum est, & ab Hiramo, Salomone praecipiente completum. Primum enim in monte Moria, in area Hornam Iebusaei locus templo deputatus est. atque in ea Israelis atrio area quaedam quadrata definitur quingentorum in vnoquoque latere cubitorum. Nam quod tantae magnitudinis fuerit, paulo inferius ipsius Prophetae verbis confirmandum est. Quòd vero prius Israelis atrium absoluerit, cum interiori Sacerdotum, & domo Domini, antequam ad atrium gentium construendum accesserit Salomon, confirmat disertis verbis Iosephus. Hanc igitur aedis frontem, quae eadem fuit in quolibet quadrati latere, partitus est architectus in aequas partes numero octoginta. quoniam ipsa columnarum constitutio totidem exigebat, atque earum vnam, quam Vitruuius dixisset modulum, calamum mensurae vocauit Hebraea phrasis.

QVOMODO templum Salomonis dispositum primum fuerit.

Ioseph. 8. antiq. c. 2. & 6. belli cap. 6.

500 | 6¼ (80)

CALAMVS quomodo constitutus.

Huiusmodi calamum ad dimetiendum templum afferebat angelus, quo primum exstructum fuerat. non enim aliud, neque alia ratione instaurandum fore significabat, sed idem ipsum quod dudum fuerat euersum. Vel potius significare volebat, hoc à Spiritu Sancto instaurandum, corporis Christi, Ecclesiaeque templum, quod antiquo illo praefigurabatur. Est autem ex hac, quam dixi, quingentorum cubitorum in partes octoginta partitione calamus sex cubitorum, & praeterea quartae cubiti partis, vt computanti poterit esse perspectum. Et haec de calami constitutione nunc dicta sufficiant, è quibus nihil mihi credendum postulo, praeter id vnum, quod manifesta ratione probauero.

CALAMI vsus, & modus delineandae Ichnographiae.

Iam vero de calami vsu pauca quaedam dicenda sunt. Et in primis de vniuersalis nostrae Ichnographiae compositione sciendum est, quod, quoties quaelibet ex ijs figuris describenda fuit, idem à nobis fuit obseruatum, quod in conformando ipso templo obseruatum fuisse existimauimus. Constituta enim papiri, aut aeneae tabulae, cui inscribenda erat, magnitudine atrij Israelis quadrata, singula forma primum designabatur latera in partes secabatur aequas octoginta, & ductis per omnes eiusmodi laterum diuisiones rectis lineis occultis, totam aream in quadrata sex mille quadringenta diuisam habuimus, quorum vnumquodque quadratum, calamum vnum longum ac latum aeque fuisse fingebamus. His sic constitutis, omnia columnarum huius aedificij centra, siue exstantes sint columnae, siue muris adpactae, murorum crassitudines, fornicum, fenestrarumque medietates, necnon omnes radices,

IN QVAdrata are, diuisa in partes aequales sit Ichnographia.

80
80
6400

C quas vocant, in aedificijs, lineas ductas fuisse comperimus. Hanc porro cubitorum quingentorum, calamorum vero octoginta mensuram, in ipso vestigio primo descripsimus, quo magis esset omnibus perspecta. Neque tantum pro atrio Israelis, efformando ductae eiusmodi lineae nobis vsui fuerunt, verum etiam extensae pro atrio, & porticu gentium, via, & peribolo architectando. Quem eundem morem in reliquis figuris describendis semper tenuimus. Atque hoc est maximum, maximeque admirandum artificium, omnium, quae explicandae sunt, proportionum, & earum, quae ne explicari quidem à nobis prae multitudine poterunt, fundamentum.

OMNIVM huius aedificij proportionum fundamentum.

D Vt igitur hoc etiam obiter dicamus, quod nusquam me dixisse recolo, ex hac calamorum constitutione, cubitorum etiam paruam mensuram constituimus, assignantes videlicet, in linea quadam sexdecim ex illis partibus, quas dixi, eamque lineam in decem partes rursum secuimus, & earum primam in decem, sic enim factum est, vt centenis cubitis sexdecim calami exaequentur, & iusta respondeat calami, & cubiti commodulatio, vt in ipsa Ichnographia apparet. Verum enimuero non haec tantum, quae ad descriptiones peragendas spectant, sunt calami commoda, sed ipsi quoque aedificio construendo sunt multo plura, hisque maiora. Nam cum huius aedifi-

De modica mensura lib. 2 Isagog. cap. 17.

E cij fundamenta, non temporis interuallo, neque per partes, sed omnia simul exstructa sint, quod tempus in exstruendo breuissimum plane demonstrat: post expleta solidissima structurae fundamenta, vniuersa templi area explanata fuit, ac desuper huiusmodi lineae filo laneo, vel lineo rubrica infecto ductae sunt, quae vniuersam aream in quadrata diuiderent, vt dixi, sex mille quadringenta: super quae postmodum murorum crassitudines, portarum apertiones, columnarum centra, atque his similia quamplurima, aequa ratione, sibique mutuo respondentia designarentur, haud secus quàm à nobis in describendo vestigio factum est. fieri enim vix potest (ex-

IDEARVM parua mensura quomodo constituta.

QVOMODO describenda sint ipsa aedificia, ne in partibus dimetiendis peccetur.

perto

perito credite) vt seorsum signatae aedificij partes sibi mutuo respondeant ex aequo, nisi huiusmodi ducantur lineae, quae vniuersum aedificium construendum in partes diuidant, futurae fabricae respondentes.

Iam vero his praeiactis, quasi caelestis diuinaeque architecturae fundamentis, reliquum est, vt ad singula membra examinanda, iuxta datam ab hac vniuersali diuisione rationem, propius accedamus. Et in primis perspectum iam esse arbitror, omnium columnarum centra a sese inuicem distare, vel calamum vnum, vel duos, vel plures, etiam, si aliae columnae intersint. Cumque parietes omnes, tum exteriores perpetui, tum etiam interiores in pilas, seu parastadas diuisi externis lineis centra contingant columnarum, fit vt omnes muri aeque lati sint calamum vnum. mitto modo domum, quae deinde his ipsis lineis commetienda est: nam quae modo proponimus, ad atria tantum spectant.

PARIETIS crassitudo probatur

Portae vero atriorum, instar portarum vrbis in turribus, aut propugnaculis aperiuntur, quorum exemplum vides in vniuersali orthographia super Orientali porta erectum, de qua est praesens sermo. Huiusmodi vero turris, aut propugnaculum pariete aut postibus fulciendum fuit celsitudini sustinendae conuenientibus. perpetuus paries impedimento fuisset, quare fornicibus aperiendus fuit, ac pilis sustinendus, quo porticuum reliquarum similitudine seruata, earum praestaret commoda. Fit igitur ex dictis, vt porta quinquaginta cubitos longa, quinque & viginti lata, quattuor ambiatur parietibus: in Orientali & Occiduo portae aperiuntur; in reliquis vero Meridiano, & Aquilonari, terni in vnoquoque fornices, binis relictis medijs postibus, externis totidem. Horum vero postium vna stylobatis sustinentur, inter quos quadrata quaedam spatia relinquuntur, quae periboli hinc atque illinc cincta, commodam praebent ianitoribus stationem. Ea vero ianitorum cubicula thalamorum nomine censentur: ac primum ab angelo portam ingresso calamo dimetiuntur, ac si morem ingredientium indicare vellet, qui limen ipsum portae ingressi ianitori sese statuebant, vt de puritate, atque alijs, sine quibus ingredi Dei templum fas non erat, iudicaret Leuita à Deo constitutus portae custos. Sed quae diximus omnia à nobis excogitata forte videbuntur, quoniam simul proposita, & nondum locis sacrae Scripturae confirmata sunt: sed singula sacro textu ita continentur, vt quia alia cum alijs connexa sunt, vt vidimus, vix vnum aliquod dimoueri possit, quin reliqua corruant: quapropter textus explanationi maxime inuigilandum iam est.

PORTAE Orientalis forma, eiusque rationes.

THALAMORUM vsus & nomen.

S. Hieron.

Et thalamum, Sanctus Hieronymus: Post limen autem portae iuxta Hebraicum, mensus est תא thaa thalamum, siue cubiculum, vt Symmachus transtulit παραστάδας idest postes ex vtraque parte calamo vno, tam in longum, tam in latum. quod & ipsum Septuaginta aelam transtulerunt, quod in consequentibus Symmachus antelimitare interpretatus est. Haec est Sancti Hieronymi sententia, quae fere tota in aliorum referendis sententijs versatur, illud addens, quod תא thaa thalamum significat, aut cubiculum. Eam vero vocem, aliqui à radice תאה thaah deducunt, quae definire, designare, circumscribere significat; atque adeo conclaue circumscriptum, designatum denotare eam putant. Haec vero con-

Explan. Tom. 2. Par. 2.

A claua parastad s, siue postes dicuntur à Symmacho, non quod pro eodem vsurpari putauerit, cum longe diuersi sint postes ab interiacente cubiculo, sed quod eiusdem mensurae fuisse existimauerit, vt vere sunt, postes ac thalami, si crepidines metiaris, vel si, quantum distent ab inuicem thalami, metiaris, vt paulo post ostendam. Septuaginta vero interpretes quaedam paraphrastice addidisse videntur, non ab re. Ipsi enim vocem retinuerunt Hebraeam paululum Graecorum more inflexam, & θεε thee primum, secundumque tertium calamo metiuntur. & aelam, quae vox etiam Hebraea est, & vestibulum, aut postis
B conuertitur, vt mox indicabo. & aelam portae aequalem calamo metiuntur: & subiungunt, & aelam in medio taeelath cubitorum sex. Quod si aelam postem significare credamus, Symmachi, quam diximus, sententia confirmabitur: postem nimirum indicare aequalem calamo inter thalamos fuisse statutum. hanc autem postium mensuram, calamo aequalem fuisse, tunc maxime confirmabimus, cum singulas textus mensuras in vnam quinquaginta cubitorum summam colligemus, quae portae longitudini tribuitur.

Quibus non obstant, quae sequuntur: *Et inter thalamos, quinque cubiti*. idem namque postis & quattuor cubitorum est in summo, cuius stylobata quinque cubitorum est, adiecta vero stylobatae
C tae in maiora protectura, calamus completur, cubitorum sex & quartae cubiti partis, vt infra singula, logistica supputatio te docebit. Quod vero ad rem attinet, quam quinque cubitis metitur, quamuis in Latino atque Hebraeo codice idem omnino sit sensus, intercessisse nimirum inter thalamos quinque hos cubitos, tamen ex eiusmodi lectione non videtur colligi, fueritne paries, an postis, an spatium inane inter cubicula iacens. Septuaginta interpretes dubium huiusmodi auferre voluisse videntur, quod sustulissent plane, nisi librariorum vitio factum fuisset, vt vix possit statui, quid ipsi scripserint. Sed quoniam Sixtiano codici maxime deferendum est, eius lectio
D caeteris merito praefertur, quae sic habet: καὶ τὸ αἰλὰμ ἀναμέσον τῶν θεεὶμ, & aelam cubitorum quinque. Aelam enim, vt dixi, vox Hebraea est, quam mox ostendam vestibulum aut postem significare. Habetur autem in quibusdam Graecis exemplaribus, quae licuit videre, ἀιλ ael, quae vox Hebraea quoque est, ita postem significans, vt nihil praeterea aliud. quocirca corruptus est Complutensis codex, eumque imitatus Regius, qui ᾶις Graece legit, idque correxisse videtur Latinus interpres, aelam scribens, pro ᾶις Graeca voce, quae nihil simile significat. quocirca postem quendam intercessisse, statuendum hic est inter binos quosque thalamos. A quo non dissidet
E Chaldaeus paraphrastes: Et inter thalamos, inquiens, paries quinque cubitorum, oblongum postem parietem vocat: sicut Rabbi Dauid, qui: Quod erat, inquit, inter thalamos, quasi dicat murus, qui erat medius inter duos thalamos, erat latus quinque cubitis. totidemque verbis Rabbi Ionathas: hoc addens, quod nostram expositionem confirmare videtur: Thalami autem, inquiens, erant intra murum. nam vt in ipsa vniuersali Ichnographia, quam prae manibus habemus, apparet, in ipsa latitudine parietum portae Aquilonaris, & Meridiani aperti erant thalami, vt infra quoque magis explicabitur.

STYLOBATAE postium quinque cubitos lati sunt.

IN CRASSItudine parietum portae aperti sunt thalami

Rabbi Dauid in comment.

Rab. Ionath. apud eundem.



THALAMI PORTAE

VESTIBVLI NOMEN, VSVS, MENSVRA Cap. XVIII.

VIII. ET limen portae iuxta vestibulum portae intrinsecus calamo vno. Hunc versum cum praecedenti coniungit Hebraicus, D quoniam alium octauo loco posuit, quem non habet Latina lectio, estque huiusmodi: Et mensus est vestibulum portae intrinsecus calamo vno. post hunc autem sequitur nonus quem habet Vulgata: hunc autem explicaturi sumus, cum primum vocem
VOCIS vlam interpretatio. אולם vlam exposuerimus, cuius explanatio non minus huic, quam illi versui necessaria est, immo ex qua tota fere huius visionis intelligentia pendet.

Deducitur autem ea vox à verbo אלם alam, quod colligare proprie significat, vt in Genesi,
Gen. 37. ℣. 7. Iosepho fratribus referente: Ecce nos, inquit, E מאלמים אלמים meallemim alumim colligantes colligaturas, manipulantes manipulos, hoc est, colligantes manipulos. *Putabam nos ligare manipulos in agro.* Ex hoc verbo vox deducitur, mutum
MVLTIPLEX vocis notio. significans, quasi lingua ligatum, & viduum, vel viduam, quasi obmutescentes, vel colligatos viduitatis, aut solitudinis vinculis. Ex hac etiam radice nomen illud deducitur, quo ea nuncupari solent, quorum nomina subiceri volumus, Hispani dicunt fulan, Itali vn tale, Graeci ὁ δεῖνα sine nomine, quasi dicant, cuius nomen silentio praeteritur, aut colligatum est, quae omnia nihil ad rem nostram pertinent, sicut neque illud, quod [illegible] vlam, particulam vsurpare solent affirmantem, profecto, vere, certe, eamque ad sequentem notionem fortasse referunt, vt certum ac firmum manere testentur id quod affirmant, haud secus, quàm porticus, aut aedificium aliquod. Voce vero אולם, siue אלם vlam, porticum, seu vestibulum significari putant Hebraei. Rabbi Dauid existimat esse domum, aut aedificium ad deambulandum extructum, quod dicitur vulgo Italis, Hispanis, Gallis, Galeria. Sunt qui ad אלה alah & איל aiil referant, à maiestate, quod prostet, & promineat. *Rabbi Dauid in lib. rad.*

Alij testudinem fornicem ea voce significari putant, vel fornicatam porticum, quam Chimchius illa verba exponens, historiae Regum, *Et porticum columnarum fecit*, ait esse locum portae, cuius contignatio constructa sit instar fornicis. Huius porro vocis eleganti translatione vsus est Psaltes: nam vbi nos legimus: *Et firmamentum in plaga eorum*, in Hebraeo habetur וכרי אולם vban vlam & firma vestibula eorum, sic enim conuertit Sanctus Hieronymus. Rabbi Ionah, & pinguis, conuertit, ac si sit כאולם coulam, sicut aedes, porticus, palatium, fortis, aut pinguis. Assentitur huic Chaldaeus. Et pingue, inquiens, & forte est cor eorum. nisi malis corporis habitudinem, & formam prae pinguedine, vestibulo, hoc est testudini, aut fornici assimilari. *PORTICVS fornicata. Rabbi Dauid Chimchius comment. 3. Reg. 7. ℣. 6. Psal. 72. ℣. 4. R. Ionah.*

Verum enimuero si ipsam vocis originem expendas, & conferas cum locis sacrae Scripturae, in quibus huius vocis fit mentio, facile inuenies, vinculum, colligationem, nexum postium ea voce significari, id videlicet omne, quo postes desuper vinciuntur, siue fornix sit, siue rectae trabes, siue tectum: transferturque non raro ad ipsam postium & fornicum seriem significandam. id quod confirmat Lyranus: nam, vbi nos legimus: *Vsque ad faciem vestibuli portae*, Hebraice, inquit, habetur, vsque ad faciem porticus. & *Nicolaus de Lyra.*

sic pa-

sic patet quod in translatione nostra vestibulum ponitur pro porticu. Haec ille. Ex quo factum est, vt ipsam quoque apertionem, spatiumque sub fornice relictum nonnumquam significet, atque alias postes ipsos. quarum omnium acceptionum exempla suis locis infra explicabuntur. Praesenti vero textu locum illum sub fornice relictum in porta significat, quem Graeci πρόθυρον prodhyron, vt Vitruuio placet. Prothyra, inquit, Graece dicuntur, quae sunt ante in ianuis. alij corrigendum putant, ante ianuas vestibula.

Vitru. lib. 6. cap. 10.

VESTIBVLA quae dicantur. Macrob. lib. 6. Saturn. c. 8.

Vestibula autem dici putat Macrobius, composita voce a particula, ve, quae tum intensionem significat, tum minutionem. nam vetus & vehemens alterum ab aetatis magnitudine compositum, elisumque est: alterum à nimio impetu, & vi mentis instructum. Vecors autem & vesanus, priuationem significant sanitatis & cordis. Quapropter locum quendam ante fores relictum, vestibulum dici potat, in quo diu stabant, domus dominum salutaturi incolae autem domus nonnisi ingredientes, vel egredientes domum. Quare siue per stationis excessum, siue, vt Gellio placet, venientium stationes, siue stabula, aut à priuatione stationis, vestibula, quasi minime stabula dicuntur. Seruio praetereà vestibulum dicitur, vel quod ianuam vestiat, vt videmus cameram duabus sustentatam columnis: vel quoniam vestae consecratum est. Vnde nubentes puellae limen non tangant. Lucanus:

A. Gell. lib. 16. cap. 5.

Seruius.

Lucan. lib. 2.

Translata vetuit contingere limina planta.

Varro.

At Varro negat, vllam esse propriam vestibuli etymologiam. Sed vt à voce ad rem gradum faciamus, binis columnis vestibuli cameram fulciri tradit, vt vidimus, Seruius: cuius exemplum in templo Sancti Clementis nunc Romae visitur, cuius etiam meminit Sanctus Gregorius.

S. Gregor. homil. 15. in Euang.

Virgilius quoque, alueatium vestibula operta esse debere confirmat, sic inquiens:

Virgil. 4. Georg.

Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster obumbrat.

His vero in vniuersum de vestibulo praelibatis, ad nostri textus explanationem propius accedamus. Hebraea namque sic ad verbum conuertit Pagninus. Et limen portae, quod erat apud vestibulum portae interius calamo vno. qua quidem versione & sensum assequutus fuisse videtur Prophetae, & asperitatem emollire voluisse Hebraicae phrasis, quam sic retulit Regius codex: & limen portae a iuxta vestibulum portae à domo calamo vno: idem enim est Hebraeis מאצל maetsel à iuxta, quod Latinis iuxta, ac si aperte diceret: *Et limen portae*, quod erat *iuxta vestibulum*, vel vestibulo proximum. Illud praeterea מהבית mehabbayth, à domo, idem plane significat quod interius, vel intrinsecus: sicut oppositum vocant ab extra. Quae omnia plane confirmant, ab angelo hoc loco postem portae dimensum fuisse in muro, qui quam diximus portae longitudinem cingit ab Occidente. Describit autem his verbis & portae formam, & dispositionem. nam dum limen hoc, vel hunc postem esse dicit iuxta vestibulum portae intrinsecus, plane indicat, limen, aut postes, quos paulo superius dimensus erat, exteriores fuisse huic portae, nimirum versus atrium gentium ad partem Orientalem: Dum iuxta vestibulum, vel ad vestibulum interius hunc fuisse postem dicit, discrimen assignare videtur inter portae limen, interioris, & exterioris, haec enim quadrato epistilio, Hispane [illegible] fuit operta, vt patet in Orientali orthographia, interior vero vestibulo operiebatur, hoc est fornice seu arcu, reliquis portae, atque atriorum vestibulis quam simillimo, vt videre est in dissecta templi orthographia vniuersali.

Pagninus.

EXTERIOR ianua limen habuit rectum interior fornicatum.

Haec vero quae diximus, omnia libuit Rabbinorum quoque testimonijs confirmare, quorum auctoritas non modica esse debet circa vocum phrasiumque explanationem. Rabbi Dauid: Quoniam, inquit, supra mentionem fecerat mensurarum liminum portae, quae sunt limina exteriora, & huic portae erant quoque limina interiora, quoniam vestibulum erat illi coniunctum, dicit quod limen interius, quod erat apud vestibulum portae, habebat mensuram latitudinis suae vnius calami, sicuti exteriora. Et sic etiam limen secundum, quamuis eius non fecerit mentionem. *Intrinsecus*, vel à domo significat a facie. Ionathas autem exponit intrinsecus. Hanc vero Rabbi Dauidis expositionem perpendendam esse monemus, Porta namque duas habebat facies, exteriorem alteram, quae atrium gentium spectabat, alteram vero interiorem, quae ad atrium exterius pertinebat, vt paulo inferius constabit magis. Et in hac facie interiore fuisse quidem vestibulum, & postes eius qui dimetiuntur, testatur Rabbinus, ne forte confunderetur hoc vestibulum cum alijs, quae sunt intra portam, & in quibus sunt thalami vt dixi.

Rabbi Dauid in comment.

Rab. Ionath. apud eundem.

Sed & Rabbi Salomo, limen exponens hoc calamo mensuratum, sic ait: latitudo eius erat cooperiens grossitiem muri vestibuli, vnam à dextris, & alteram à sinistris: grossities enim muri vestibuli a dextris, & à sinistris erat vnius calami, sicut exponendo progreditur. Et mensus est vestibulum portae intrinsecus, vel à domo calamo vno. idest, grossities muri dextri, & sinistri, super quo vestibulum est fundatum. Rabbi vero Dauid pari ratione eadem verba exponit; Grossities, inquit, muri vestibuli interioris erat vnius calami. Haec est Rabbinorum sententia. & hic est versus ille, quem paulo ante dixeram in vulgatis biblijs non legi. Duo enim hic metiuntur, quae oportuit aequalia esse: & postis portae, hoc est סף saph, cui sine dubio aequalis fuit postis alter, atque adeo ipsius muri crassitudo aequalis fuit calamo: alterum vero, quod metitur, est vestibulum, nimirum spatium illud inane, quod in medio muro aperitur, vt fiat porta, quod quidem spatium desuper fornice, vt dixi operitur, & huius quidem spatij latitudo, quae ab Oriente tendit in Occidentem, vno calamo dimensa est in Hebraeo textu. Eam vero nemo non videat esse non potuisse vel maiorem, vel minorem postium latitudine aut crassitudine. ex quo liquet nihil in Latino textu desiderari, quod ad mensurarum completam rationem posset conducere.

R. Salomo in comment.

POSTIS vterque fornix, & paries aequalis calamo.

Rabbi Dauid.

Et mensus est vestibulum portae octo cubitorum. IX.

Idem ipsum vestibulum, cuius paulo ante latitudinem mensus erat, nunc metitur iuxta longitudinem, & comperit longum esse cubitos octo, nimirum ab Aquilone in Meridiem, vt in ipsa videre est Ichnographia, in qua lumen portae latum est cubitos octo. Maxime autem animaduertenda est mensura haec, quippe quae vniuersi templi vestibula, tum quae in portis, tum quae in porticibus aperiantur, atque in atrijs, necnon exteriorum portarum latitudinem definiat. In aedificio enim tam concordi, tam consona structura, vnius portae, columnae, postis, aut muri, dispositio, modus, mensura, non coniecturam modo

QVAE L. I. per vota mensura similium est efficax argumentum.

inducit

inducit, verum efficax argumentum ad reliquas portarum, vel similium partium rationes, mensurasque omnes exigendas. Id quod duplici ratione confirmari posse videtur: altera quidem, cum, omnibus bene dispositis aedificijs, communis, quae huius, quippe omnium praestantissimi, videtur esse propria. fieri enim non potest, vt membra omnia cum toto corpore, aut inter sese non conueniant. quis enim pulchram diceret humanam faciem, cuius oculus alter altero esset aut sublimior, aut maior, auris aure prolixior, os altera parte productior? Altera autem ratio, omnium, quae desiderari possent, est longe firmissima, quippe quae sacrae Scripturae innititur certissimae veritati. Quid enim aliud indicant illa
Ezec. 40. v. 22 & 24. Prophetae verba: *Fenestrae autem eius*, loquitur de porta Aquilonari atrij exterioris, *& vestibulum, & sculpturae secundum mensuram portae,*
v. 28. 32. 35. *quae respiciebat ad Orientem*. Et iterum de porta Australi eiusdem atrij, *Et mensus est frontem eius, & vestibulum eius iuxta mensuras superiores*; atque quod idem repetit de porta Orientali, & Aquilonari atrij interioris? Quod si tam accurate Propheta hanc partium similitudinem, paritatemque definit, quis audeat deinceps negare, vestibula omnia aequalia fuisse, similique ratione disposita, atque exornata? Quae quidem vna ratio in eam nos adduxit linearum cognitionem, quas radices vocant, earumque dispositionis, vniuersae, quae huius aedificij percipiendi potissima ratio est, ac veluti fundamentum. Atque huius similitudinis causa multa ab Angelo in hoc aedificio dimensa non fuisse putamus, multa alia ab Angelo dimensa praetermissa fuisse a Propheta, quod satis fore existimauerit vterque, quarumdam partium dimensiones ostendisse, vt reliquae ex symmetriae rationibus colligerentur, certiore plane coniectura, ac methodo, quam, qua Pythagoras in repetienda modulandaque Herculis staturae longitudine, ex statuti ab eo
A Gell. lib. 1. noct. c. 1. stadij longitudine, vsus esse dicitur a Gellio.

NIHIL continet vna mensura atrij aduersum.

Hic tamen expendendum est, num haec mensura cum sua ratiocinatione coniuncta aliquid videatur continere praedictis mensuris aduersum. Supra enim diximus, thalamos in vestibulis portae relictos esse, quorum longitudinem, latitudinemque calamo parem mensus est: at quomodo, inquies, vestibulum longum sit cubitos octo, cum thalamus in eius medio constitutus longus sit calamum, hoc est cubitos sex cum quarta cubiti parte? Quibus respondemus id maxime fieri potuisse, immo & factum fuisse; cum postes vestibulum, vel fornicem sustinentes à sese mutuo distent cubitis octo, thalami vero inter stylobatas, & spirarum proiecturas relicti calamum tantum habeant longitudinis. Quanta autem sit stylobatarum cum suis ornamentis

STYLOBATarum proiectura probatur.

à perpendiculo proiectura, iam constat, si calamum ab octonario subducas, & reliquum cubitum cum tribus quartis cubiti partibus bifariam diuidas: inuenies namque septem octauas cubiti partes pro singulis proiecturis, quas oportet memoriae mandari, vt cum ipsius aedificij symmetria congruere ostendantur.



Verum, cur potius huic vestibulo portae interiori haec mensura tribuatur, aut quid proprie huiusmodi vestibulis portarum ex hac mensura conueniat, quam breuissime nunc accipe. Sed
Vitru. lib. 3. cap. 2. memineris in primis Vitruuij rationem reddentis Eustyli ad visum speciem, firmitatem maxime probabilis. Nam quae facienda sunt, inquit, in interuallis spatia, sic vocat modo, quae intercolumnia dicentur, duarum columnarum & quartae partis columnae crassitudinis, mediumque intercolumnium vnum, quod erit in fronte, alterum quod erit in postico trium columnarum crassitudine. Sic enim habebit & figurationis aspectum venustum, & aditus vsum sine impeditionibus. Medium vtique intercolumnium, propter ingredientium frequentem multitudinem, magis patens fieri oportuit. At Vitruuio columnas laxare liberum fuit. non enim craticulae, quam diximus, cancellis arctabatur, vt noster architectus, qui cum summam cuperet seruari in hoc aedificio partium similitudinem, & proportionem, radices

MEDIVM intercolumnium latius patet.

B illas lineas aeque distantes per totam aream aedificij duxit, extra quarum decussationes nullum licuit columnae centrum statuere, atque adeo intercolumnia omnia, omniaque vestibula oportuit fuisse paria. Sed inuenit consilium admirabile, quo medium laxaret ingredientium vestibulum abstulit namque huic tantum bases, & stylobatas à perpendiculo eminentes, quas venustatis, & firmitatis causa exstare fecerat in alijs omnibus vestibulis. qua ratione factum est, vt hoc vnum vestibulum in summo, atque in immo aeque latum sit cubitos octo, reliqui vero in summo, hoc est super stylobatis, & spiris totidem, at in imo sex tantum cubitos cum quarta

PORTARVM vestibula stylobatarum carent proiecturis.

C insuper cubiti parte, vt videre est in dissecti templi orthographia.

Huius autem sublatae stylobatarum proiecturae aliam quoque licuit excogitare rationem: nam cum exterioris portae postes recti sint, quo fores rectae essent, huius quoque vestibuli postes, & reliquorum illi respondentium rectos esse oportuit, & eorum lumen lumini portae aequale, vt vides in Ichnographia, & portae exteriorem faciem in orthographia vniuersali. Qua in re diuinare vix possim, quid significare voluerint Septuaginta interpretes, qui sic scribunt: Et aelam portae iuxta aelam portae cubitorum octo: nam quas licuit huius sectionis excogitare
D coniecturas, omnes praetermittendas duxi, quod nulla mihi ipsi satisfaceret, nedum in spem adduceret, alijs satisfacturam. Chaldaeus vero paraphrastes quam simillimus est latinae nostrae lectioni.

DE FRONTIVM, COLVMNARVM, VESTIBVLI dispositione.

E

Cap. XIX.

ET frontem eius duobus cubitis. Hebraice ואילי השער אמות & postes eius duobus cubitis. Rabi Salomo. Omnes אילים ailim, frontes, siue postes, qui dicuntur in narratione sunt quasi arbores rotundae factae in lapidibus dolatis, & stabant in porta, vna a dexteris, & altera a sinistris. Hebraismus est, idem significans, ac si

FRONTES quae dicantur, Rabbi Salomo.

ac si diceret, aliae hinc, & aliae illinc, in loco liminum, & in loco postium hoc est, liminibus ac postibus adpactae, vt mox explicabimus. Ionathas autem exponit hoc modo illud Isaiae. *Et commota sunt superliminaria cardinum*, idest arbores superliminarium. Dicuntur autem אֵיל elim propter earum rotunditatem similem arbori quercus. *Et frontes eius duobus cubitis.* Grossities rotunditatis earum, & stabant in fine spatij vestibuli coniunctae altera muro dextro, & altera sinistro muro. Habetur igitur, quod eminentia vestibuli cum suis postibus erat decem cubitorum intra atrium, intra portam. Quid vero Rabbinus hic significare voluerit obscura hac, difficilique loquendi ratione, infra explicabimus, cum latitudinem liminis portae decem fuisse cubitorum ostendemus.

Isaiae 6. ℣. 4.

Explicanda vero nobis nunc est vocis אֵיל el notio, cuius frequens est in sequentibus vsus. Deducitur ea à radice אל aal, significatque fortitudinem, cuius gratia Dei nomen אֵל el, à fortitudine deducitur. immo vero, Deo tantum per antonomasiam tribuitur, vt in psalmo. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*. Sic enim legendum esse probat Codex Vulgatae editionis denuo, iussu Sanctissimi Domini nostri Clementis Papae Octaui, Romae editus. Sed ex vocis etymo, & quercus natura genus ipsum intelligere poteris: vel eius speciem, quam simili ratione Latini robur appellant. vel illam, quam voce non longe ab Hebraea diuersa Latini ilicem vocant. Huius vero vocis, eiusque notionum, quas diximus, elegantem plane allusionem fecit Isaias Propheta. *Confundentur*, inquit, מֵאֵילִים meelim *ab idolis, quibus sacrificauerunt*. Ab arboribus vel ab vlmis, alij à quercubus quas concupiuistis. sic vocat per contemptum idola. *Cum fueritis veluti quercus, defluentibus folijs*, & cetera. Comparat illos marcidae quercui, qui robusteis idolis concupiscentias suas affixerunt.

VOCIS EL notio.

Psal 41. ℣. 3.

ROBVR, ET ilex vnde dicantur

Isaiae cap. 1. ℣. 29.

IDOLOLATRAE marcidae quercui conferuntur

Ex hac porro voce deducitur אַיִל ail aries, & huic similis vox אֵיל ael; cui eandem plane significationem tribuit Rabbi Dauid, quam voci אֵילָם vlam paulo superius tribuendam esse probauimus, quod fortasse ab hac eadem radice deductam esse putauerit: neque multum ab re, cum paulo inferius ostendendum à nobis sit, vocem אֵילָם vlam pro hac eadem vsurpari: verum cum id minus sit frequens, liceat modo communem aliorum interpretum sententiam sequi, & vocem hanc ab illa diuersam esse existimare, eamque prominentiam interpretari: quo similis sit arieti, cui in fronte cornua eminent. Aquila frontem posuit, illumque imitata Latina nostra editio. quod sicut frons eminet in capite animalis, ita huiusmodi postes extra muri perpendiculum emineant. Quod vero sint semicilindrica forma, vel, vt pressius loquar, semicolumnari, ideo frontes dicuntur: frons enim fere ea forma est. Hac autem mensura describit Vates omnium columnarum, ac semicolumnarum templi diametros, duorum cubitorum: quod bene notauit ex Rabbi Salomonis sententia Lyranus: qui non bene ex sua sese illi opponit, quibusdam ductus coniecturis, quibus neminem moueri debere, infra, cum ea exponemus loca, quae retulit, pariter indicabimus. Sunt autem huius aedificij columnae tanto collocatae artificio, vt illae prius videantur suis locis dispositae, ac mox ducti muri, columnarum centra contingentes. ex quo fit, vt in medijs muris, aut in postibus semicolumnae existent, in angulis, columnarum quadrantes, vt in ipsa vides

POSTES qui, & quare frontes dicantur.

Lyranus hic

COLVMNArum dispositio mirabilis

A Ichnographia. Eius autem rei, quam dixi, exemplum sane praeclarum videre licet in porticu gentium, cuius columnae eodem plane ordine dispositæ sunt, quo reliquae atrij Israelis, & Sacerdorum. ita vt porticus gentium porticus dici possit Israelis, sublatis muris porticus vero ipsa Israelis, porticus dicatur gentium, interiectis, pro vsus sui ratione, muris. Hanc autem interiectorum murorum sententiam, Iosephi quoque auctoritate licuit confirmare, qui sic scribit de porticu gentium: In eius porticibus stabant paribus interuallis quatuor columnarum ordines, quorum quartus interium habebat lapideum parietem &c. His quaternis ordinibus fiunt per interualla ternae porticus. quae omnia in vniuer-
B sali Ichnographia facile videri poterunt.

PORTICVS gentium reliquis porticibus dispositione similis.

Ioseph. 15. antiq. c. vlt.

Vestibulum autem portae erat intrinsecus. Quid his verbis indicet Vates, perspectum esse cuiuis potest. Vestibulum enim hoc non erat in fronte aedis, sed potius vltra ianuam in ipsa porticus latitudine constitutum. Id quod ex ipsa contextus serie facile probari posset, cum venisse dicatur ad portam Angelus, & ascendisse gradus eius, & mensus esse vtramque limen, thalamum, limen interius, ipsumque vestibulum interius, & postes, vel columnas eius. At expetendum fuit, inquit Rabbi Dauid, quod aliud vestibulum fuit extra portam, id quod mox videbimus in portis interioribus, necnon in vestibulo domus. Esse tamen aliam hu-
C ius rei rationem longe superiorem arbitrari sumus, quam tacite significare voluit his verbis Propheta.

VESTIBVlum inter ianuam.

Rabbi Dauid in comment.

Duplex enim esse videtur vestibuli vsus, alter, qui externorum commodis deputatur, alter aedificij dignitati, & maiestati incolarum. Vtriusque meminit Vitruuius: Animaduertendum est, inquit, quibus rationibus priuatis aedificijs propria loca patribus familiarum, & quemadmodum communia cum extraneis aedificari debeant. Namque ex his quae propria sunt, in ea non est potestas, omnibus introeundi, nisi inuitatis quemadmodum sunt cubicula, triclinia, balneae, caeteraque, quae eosdem habent vsus rationes. Communia autem sunt, quibus etiam inuocati suo iure de populo
D possunt venire, idest, vestibula, caua aedium, peristylia, quaeque eundem habere possunt vsum. Igitur his qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica vestibula, nec tablina, neque atria, quod hi alijs officia praestant ambiundo, quae ab alijs ambiuntur. Haec Vitruuius, qui communem esse vestibuli vsum testatur, quapropter esset quidem Hebraeis profanus: pro eodem enim profanum, & immundum, communemque vsurpant, quod est contrarium sancto, puro, aut sanctificato. Exstat huius rei exemplum in Actis, dicente Petro: *Absit, Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum*. *Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*. At atrium, & porticus Israelis,
E & vniuersum intra portam templum, sanctum dicebatur, ita vt nulla pars eius communis esset, aut profana. Testis est Iosephus, de atrio gentium sic scribens: Totum autem sub dio spatium variabatur omnium quidem generum lapidibus stratum: qua vero ad secundum templum ibatur cancellis septum saxeis ad tres cubitos altis, nimiumque grato opere factis: vbi aequis dispositae interuallis columnae stabant, legem castimoniae praemonentes, aliae Graecis, aliae Latinis litteris, in locum sanctum transire alienigenas non debere; sanctum enim vocabatur alterum fanum, & quatuordecim gradibus ascendebatur à primo. quadratumque sursum erat, & proprio muro cir-

DVPLEX vestibuli vsus, externorum commoda, & aedis dignitas.

Vitruu. lib. 6. c. 8.

A VESTIBVlo communi, quippe immundo, Hebraei abstinent.

Actor. 10. ℣. 14. & 15.

Ioseph. 6. belli. cap. 6.

ATRIVM & porticus Israelis dicuntur sancta.

LEX CAstimoniae cum interminatione capitis à Salomone lata, perpetuo deinde asseruata fuit.

cum-

cumdatum. Hanc autem castimoniae legem, non quidem sine graui poena, latam olim a Salomone fuisse testatur idem Iosephus, haec eadem de eius prima aedificatione sic referens: Atque hoc modo se habebat primus ambitus, vtique gentilium. Interius vero non longo interstitio secundus paucis gradibus scansilis, hoc enim graduum numero distabat templum à Salomone primum constructum, ab eo, quod postea instauratum est, quod illud, vt dixi, septenis tantum gradibus ascendebatur, hoc vero aggesta ruinis terra quatuordenis. Septum habebat lapideum cum inscriptione, quae vetaret transgredi alienigenam sub interminatione poenae capitis. Hanc autem poenam nullo vmquam tempore non inflictam fuisse in legis transgressores, probat ipsa Titi Romani Imperatoris grauis aduersus Iudaeos increpatio: Nonne, inquit, vos, o sceleratissimi, cancello sanctum locum protexistis? Nonne litteris Graecis ac nostris incisas tabulas constituistis? Animaduertendum hic obiter est, quod quas columnas allatus Iosephus vocauerat, hic Titus lapideas tabulas vocat, indicans eas non columnas fuisse, vt habent Latini codices, sed vt habent Graeci στήλας. ipsa namque voce rem proprie significauit, quae in magno Etymologico a verbo deducitur στῶ, significatque lapidem situm in capite mortui, vel, vt alij tradunt, cippum, qui statuebatur in sepulchris, aut in quo foedera, vel alia, quae posteritati mandare cuperent, scribebantur. Homerus.

Ioseph. 15 antiq. c. 14

Iosephus 7. belli cap. 4.

Magnum Etymologicum

Homerus Iliad. 6.

ὡς τε στήλη μένει ἔμπεδον ἥ τ' ἐπὶ τύμβῳ
Ἀνέρος, ἑστήκει τεθνειότος hoc est:

Quare columna manet stabilis, quae in tumulo viri stetit mortui. Huiusmodi vero lapides passim Romae videmus quam plurimos, aris simillimos, aut stylobatis. Atque adeo hoc septum simile omnino fuisse vniuersi templi peribolo conijcere licet, quamuis alter [illegible] stadapla. Incisas, inquam, tabulas constituistis, quibus ne fas cuiquam transgredi liceret, edicitur? Nonne eos, qui transissent, quamuis Romanus quis esset, vobis necare permisimus? Verum enimuero, non scripta lege, contenti fuerunt Hebraei, sed & ianitores constituerunt in portis legis tutores: quorum cubicula vel thalamos paulo ante calamo mensus est angelus, vt vidimus. Quae omnia indicare voluisse videtur Propheta, dum ait: *vestibulum autem portae erat intrinsecus*.

Sed notandum occurrit, quod huius aedificij normam in Regijs potissimum aedificijs ac domibus imitati sunt Graeci, quippe aetate ac moribus Hebraeis, quàm Romani, viciniores. Cuius rei auctor est Vitruuius sic scribens: Atrijs Graeci quia non vtuntur, neque nostris moribus aedificant, sed ab ianua introeuntibus, itinera faciunt latitudinibus non spatiosis, & ex vna parte equilia, & ex altera ostiarijs cellas, statimque ianuae interiores finiuntur. Hic autem locus inter duas ianuas θυρωρεῖον appellatur. Disertis plane verbis huius nostrae portae formam persequutus fuisse videtur, negans vestibulum ante ianuam, sed eius loco spatium quoddam inter duas ianuas non valde latum commemorans, in quo ianitorum cellis, & equili ostia aperiebantur. In nostro vero aedificio, quod, vt dixi, totum sanctum erat, equis, aut equili nullus fuit statuendus locus. quapropter totum θυρωρεῖον thyroreon ianitoribus tribuitur, vt sequentia verba mox indicabunt: idque ipsa Graeca vox confirmare videtur θύρα, thyra enim porta dicitur θυρωρὸς thyroros ianitor, θυρωρεῖον thyroreon quasi ianitoris locus. Huic loco haud dissimilem Hispani in suis domibus aedificant, quem vocant, el zaguan de la puerta.

VESTIBVLA intra domum construebant Graeci Hebraeos imitati.

Vitru. lib. 6 cap. 10.

A Huius vero loci latitudinem paulo inferius definit angelus fuisse decem cubitorum. Sed priusquam à vestibulo discedamus, perpendendum etiam est, quàm accurate templi formam iuxta Vitruuij descriptionem imitati sint Graeci, in hac ipsa vestibuli constitutione: qui cum obseruassent, intra atria templi nobilissimam illam domum exstructam fuisse, quae proprie Dei domus dicitur, cui ad dignitatem, & maiestatem, simul & ad vsum non parum conducebat, relictum extra ianuam vestibulum, aut porticus celsissimis fulta, & super exstructa parastadis; de qua infra latius: Graeci quoque intra peristylium, quod circumstant oeci, cubicula, thalami, triclinia, B cellae familiaricae, atque his similia, quibus coniunguntur domus ampliores &c. Habent autem, inquit, eae domus vestibula egregia, & ianuas proprias cum dignitate, porticusque peristyliorum albarijs, & tectorijs, & ex intestino opere lacunarijs ornatas. Quae omnia ex hoc nostro aedificio desumpta esse, facile intelliget, qui eius rationes attentius obseruauerit: firmum hinc quoque argumentum desument redarguendi eos, qui profanam architectandi rationem huic sacrae vtilitate praeferunt, quorum nos supra retulimus coniecturas.

VESTIBVLum ante domum Domini ad dignitatem exstructum.

Infra in fine huius capitis, & in sequentis.

Supra lib. 2. Isagog. c. 13.

X

Porro thalami portae ad viam Orientalem tres hinc, & tres inde, mensura vna trium, & mensura vna frontium ex vtraque parte. Sanctus Hie-C ronymus: Thalami, inquit, idest, cubicula, quae post portam Orientalem erant aedificata in vestibulis, respiciebant ad viam Orientalem. Et vt sciamus, quot fuerint thalami, iungit *tres hinc, & tres inde*: ad Septentrionem videlicet, & ad Meridiem respicientes, & ad Orientalem viam vnaque mensura frontium fuerat ex vtraque parte. Haec Sanctus Doctor, qui paulo ante retulerat Septuaginta Interpretes primum, & secundum, & tertium vestibulum transtulisse. Quod & certum esse, & propterea factum arbitramur, quod Septuaginta Interpretes vniuersam visionem hanc paraphrastice potius, quàm ad verbum transtulisse videantur, vt ipsa vtriusque codicis, D Graeci, & Hebraici collatio probat: atque adeo, cum hoc versu viderent, trium thalamorum eiusdem mensurae fieri mentionem, ipsi primum, secundum, ac tertium sex cubitorum vestibulum retulerunt, quoniam, vt paulo ante ex eorum sententia diximus, & à Hieronymo nunc confirmari videmus, in vestibulis erant thalami. In praesentiarum vero sic habent Septuaginta: Et in vestibulis thee portae, thee e regione, tres hinc, & tres inde. In quibusdam vero codicibus additur, per viam Orientalem: neque ab re. & mensura, subaudi eadem in tribus, mensura vna aelam hinc & inde. Hoc est vestibulorum, quae erant ex vtraque parte viae, eadem erat mensura, tum in longitudine, tum in E latitudine, necnon in semicolumnis, quae eorum postes ornabant. Symmachus enim, pro frontibus, παραστάδες parastades conuertit.

THALAMI in vestibulis.

Chaldaeus paraphrastes totidem fere verbis hunc locum conuertit ac Latinus interpres. Rabbi vero Dauid locum sic explicat: Quoniam erant coniuncti huic portae Orientali thalami, propterea Scriptura proximos illis enumerat, cum dicit: Et thalami portae viae Orientalis, cuius via est ad Orientem, tres a Meridie portae, & tres ab Aquilone eius. *Et mensura vna frontium*, idest frontium vestibuli, cuius fecit mentionem, aut frontium thalami. Rabbi vero Salomon: *Et thalami portae*, inquit, idest, huius, quae est ad viam Orientalem,

Rabbi Dauid in comment.

Rabbi Salomo in comment.

A talem, quae est in pariete Orientali atrij mulierum, tres erant hinc, & tres inde, tres a Meridie, & tres ab Aquilone coniuncti muro atrij mulierum, & facies eorum erant ad montem domus, & mensurae spatij eorum, & muri diuidentis inter eos, sunt illae quas supra declarauimus. Duplici errore labitur Rabbinus hic putat enim primum muro atrij mulierum coniunctos fuisse thalamos, cum tamen neque apud Ezechielem, neque apud alium sacrum Scriptorem eiusmodi atrij, sub eo saltem nomine fiat mentio. Deinde decipitur, existimans thalamos muro coniunctos fuisse, ita, vt facies eorum prospicerent ad Occidentem. Ingredientibus namque per portam Orientalem mons domus stat ad Occidentem haec vero thalamorum constitutio textui repugnat Ezechielis, quo thalamorum ostia sibi inuicem aduersantia fuisse testatur, dicens: *Ostium contra ostium*. id quod suo loco explicabitur, & constabit thalamos ita statuendos esse, vt apparent in vniuersali Ichnographia. In eo etiam hic Rabbinus decipitur, quod illa verba exponens, *Mensura vna frontium*, idest, inquit, quae sunt factae liminibus vestibuli interioris: quasi vero de his tantum frontibus loquatur Propheta, & non etiam de reliquis omnibus, quae vestibula omnia intra portam fulciunt, & exornant. Lyranus hoc confirmat: *Et mensura vna frontium*, inquit, quia murus cuiuslibet thalami est spissitudinis duorum cubitorum: frontem in murum conuertit, frontes significans muris adpactas fuisse, vt dixi. Hic vero Prophetae locus duo nobis proponit, ad vniuersi aedificij intelligentiam maxime necessaria. Primum, porticus omnes, ac singulas in tres aequas partiri ambulationes. Vestibula namque terna, tresque thalamos enumerat in longitudine portae, cui parem esse latitudinem porticuum, infra restabitur Propheta. Trium item, intra portam in vestibulis, thalamorum deinde meminit, in singulis portis. In medio autem duorum postium exstantes apparent frontes, vel adpactae semicolumnae, quibus totidem respondent columnae in porticibus, vt apparet in vniuersali Ichnographia. Ex quo fit, vt inter muros, & duplicem columnarum ordinem ternae relinquantur ambulationes, vt dixi, eas vero fusius suis locis iterum confirmabimus. Alterum vero, quod hoc loco, atque alijs etiam multis innuitur, illud est, quod maxime debet lector ob oculos semper habere, vnius partis mensuram omnium eiusmodi partium esse posse quasi normam & mensuram: quae quidem ratio quamuis ex ipsa tam concordis aedificij symmetria posset facile colligi, tamen a Propheta nostro fuit saepius repetenda, quo nulla superesse posset dubitandi ratio.

RABBINVS redarguitur

Nicolaus de Lyra.

TRIPLICES porticus aequales.

SIMILITVDINIS efficax in hoc aedificio argumentum

PORTAE NOMEN EXPENDITVR, EIVSQVE IN *vniuersum mensurae recensentur.*

Cap. XX.

B *ET mensus est latitudinem liminis portae decem cubitorum.* XI.
His verbis mensuram retulit Propheta eius spatij, aut loci, quem paulo ante ostendi à Graecis vocari θυρωρεῖον thyrorion. quodque in eorundem domibus pro Romanorum vestibulo relinquebatur: idque significare voluisse videntur Septuaginta Interpretes τοῦ πυλῶνος tu pylonos, scribentes, hoc est, vestibuli. Quam vocem, ad Hebraeam simul respiciens latinus interpres Et mensus est, inquit, latitudinem introitus portae decem cubitorum. Scholiastes vero magis ad verbum τοῦ πρoπυλαίου scribit, hoc est, vestibuli. Chaldaeus paraphrastes, latitudinem scribit introitus portae, Hebraice, פתח השער perhach hassaghar. Rabbi C David: Postes, inquit, liminaria, & porta, omnia appellantur nomine שער scaghar portae, quod vero in ea apertum est tantum, appellatur פתח perhach, ianua. Dicit autem quod latitudo eius, quod apertum est, erat decem cubitorum. Quod vero ad priorem vocem, שער scaghar, spectat, memini, me supra exposuisse, atque alijs deinceps locis vera esse quae Rabbinus dicit confirmabuntur. Interim tamen statuendum est, portae nomine totum illud aedificium intelligi, cuius longitudo totam occupat latitudinem porticus, in qua portae aperiuntur, vna in muro exteriori, altera in interiori; & inter vtramque, thalami sex conspiciuntur, tres hinc, & tres illinc. Alteram porro vocem פתח pe- D thach, à radice פתח pathach, deductam putant, quae aperire proprie significat, aut soluere: quare ostium apertionem, quod lumen portae nos dicimus, ea vox proprie significabit. Vt in Genesi: *Apparuit autem ei Dominus sedenti in*, פתח pethach, *ostio tabernaculi sui*. Non tamen semper in propria significatione vsurpatur, quinimmo & pro tota domo nonnumquam, vt in prouerbijs. *Qui exaltat*, פתחו pethucho, *ostium suum, quaerit ruinam*, Chaldaeus: qui exaltat portam suam, quaerit interitum. Septuaginta interpretes sensum respexisse videntur, dum aiunt: Qui altam facit suam domum, quaerit contritionem, nimirum, vt ruens repente domus conterat aedificatorem E cum habitatoribus suis. Rabbi Dauid ex Hebraeorum sententia: Omnis qui vacat aedificijs, pauperabitur: Verum tamen est, non vacare mysterio, quod ostij quasi ad mores indicandos aptioris fiat mentio: quippe priorem versiculi partem exponere posterior videtur subdens: *Qui meditatur*, forte meditari pro loqui; vt in Psalmo: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium*, sic igitur: *Qui meditatur discordias, diligit rixas*: sicut *qui exaltat ostium*, magna loquens, aut iactans, *quaerit ruinam*. At nunc nec tam proprie vsurpatur, vt in priori exemplo, nec tam large, vt in posteriori. Mensus est enim lati-

INTROITVS portae, siue spatium ambulationi relictum in media porta

QVID PORtae nomine intelligendum sit.

OSTIVM pro domo. Gen. 18. ℣. 1.

Prouerb. 17. ℣. 19.

Rabbi Dauid in lib. rad.

Psal 36 ℣. 30.

latitudinem eius spatij, quod reliquum est inter A semicolumnas, quae à postibus thalamorum extant, ac reperit ibi decem cubitos. Nam latitudo luminis portae, quam aliqui putarunt hoc loco Angelum metiri, dimensa iam fuerat octo cubitis, vt ostendimus. Cum enim in lumine portae triplicem liceat obseruare dimensionem: latitudinem, quamuis non proprie, hoc est muri, qui aperitur crassitudinem, quam dixerat aequalem calamo fuisse, & longitudinem, quantum nimirum postis distet a poste, quam fuisse dixerat octo cubitorum, & altitudinem, quam paulo inferius tredecim definiet cubitis, nihil superest in lumine portae decem cubitis finiendum. Quapropter vltra parietem exteriorem, ingressum B fuisse angelum plane intelligimus, &, vtroque pariete dimisso spatium, quod dixi à Graecis θυρώριον thyrorion, appellari, ab Hispanis el zaguan de la puerta, metitur hic angelus iuxta latitudinem, à Meridie in Aquilonem, vel contra, & reperit decem cubitos. At quoniam columnae varijs partibus constant, quarum plures supra, & subtus columnam à perpendiculo proijciuntur exterius, aliae rettabuntur interius, certam quandam mensuram respexisse videtur Vulgatus, quam solemus in vestigijs potissimum describere, nimirum, quantum à sese inuicem distent semicolumnae, aut, quod idem est, epistylia ipsis columnarum summis hypotrachelijs ad perpendiculum re- C spondentia: quae quidem epistylia transuersis asseribus desuper impositis contignationem sustinent: ad quam quidem contignationem respexisse videtur Vulgatus, cum *latitudinem* dixit *luminis portae*. trabes enim, quasi quaedam limina, illud spatium inter portas, ac vestibula operiunt. Huius vero spatij longitudinem Propheta non retulit, tum quod facile deduci posset ex portae longitudine, quam paulo inferius quinquaginta cubitis definiet: tum vero quòd numerus cubitorum irrationalis est, quippe septem & triginta cum semisse, sex videlicet calamorum, vt infra patebit.

Supra ℣. 9. huius cap.

LATITVDO luminis portae quae dicatur.

Et longitudinem portae tredecim cubitorum. D Lyranus: longitudinem, inquit, portae, idest, altitudinem ostij portae, quae vocatur hic longitudo, eo quòd est maior dimensio eius, *tredecim cubitorum*. & tanta est altitudo postium ostij. Scopum plane attigisse videtur hoc loco Lyranus, ita vt eius interpretationi nihil addendum esse videatur, quae congruit cum voce Hebraica ארך orech, a radice ארך arach, deducta, quae in longum producere, extendere, seu differre significat. quare & Vatablus altitudinem portae conuertit, pro longitudine. Quòd vero Septuaginta interpretes, pro longitudine portae, latitudinem scribant, librariorum negligentia deprauatum fuisse putat Hieronymus.

Lyranus.

LONGITVDO portae quae.

Vatablus.

S. Hieron.

Et quidem cum certum sit portae altitudinem dimensam, esse videndum nobis est, & quis hic numerus sit, & vnde initium mensurae sumatur, & quam denique habeat haec portae altitudo & ad totum aedificium, & ad suam latitudinem, proportionem. Quae omnia cum ex vniuersa pendeant partium portae proportione, ne multa cogamur hic supponere, quae inferius probanda sunt, ideo haec, vna cum illis percensenda, relinquuntur. Interim duo tantum hic proponimus infra explicanda. primum, mensuram hanc duorum calamorum fuisse, hoc est, cubitorum duodecim & semis, quos vocat tredecim, sicut posset vocare duodecim id quod de vestibuli, aut porticus templi latitudine factum ab eodem Propheta nostro ostendemus. Alterum est, altitudini huic portae addendam esse stylobatae altitudinem, vt tota luminis celsitudo comprehendatur, non enim mensus est angelus stylobatas, quippe quos minime reperit aequales: nam propter gradus qui in portis ascenduntur, quo interiores sunt stylobatae, eo sunt inferiores, vt dixi: quapropter aequalem assumpsit, ac perpetuam mensuram à summis stylobatis, & imis spiris columnarum, quas omnes spiras pauimento domus Domini aeque libratas fuisse diximus.

Et marginem ante thalamos cubiti vnius, & cubitus vnus finis vtrimque. Hebraicam vocem גבול gebul, Vulgatus hic marginem, alibi definitionem vertit, & merito: significat enim ea vox terminum, definitionem, confinium, & quidquid definit, vel terminat; quare & pro corona, aut proiectura vsurpatur. Hic vero idem hac voce significatur, quod sequenti versu, voce גג gag, quamuis diuersa ratione, consimili tamen analogia; nam, vt saepe diximus, thalami portae relinquebantur inter stylobatas postium; esset autem spatium illud vtique peruium, nisi margine, peribolo hoc, aut tecto concluderetur; marginem propterea metitur hoc loco cubito vno. Quoniam vero singuli thalami quadrati C erant, vndequaque conclusi, propterea addidit verba illa, *& cubitus vnus finis*, vel margo, *vtrimque*. Hebraea sic conuertit Regius codex. Et terminum ad facies thalamorum, vel ante thalamos, cubito vno, subaudi, mensus est, & cubito vno terminum hinc: מפה mipo, hinc vel illinc solet conuerti. Vtrumque thalami terminum, Aquilonarem videlicet, & Australem eiusdem fuisse mensurae retulerunt Septuaginta interpretes in Regio, & Complutensi codice. Et cubitus vnus reductus, substantiue accipiendus est, non adiectiue, ac si marginem, vel peribolum vocet reductum: in conspectu theim, & cubiti vnius terminus hinc & inde. At in Sixtiano codice, Et cubitus redigebatur D in conspectu theim hinc & inde. Graece Καὶ πῆχυς εἷς ἐπισυναγόμενος. Ce pichys his episynagomenos. Verbum hoc significat etiam contrahere quod apertum est, idest claudere, quo sensu conuenit haec vox cum Hebraica paulo ante explicata. Ea magis explicatur à Graeco Scholiaste, qui sic habet: Καὶ ὅριον ἔμπροσθεν τῶν παραστάδων πήχεος ἑνός: Ce orion emprosthen ton parastadon picheos henos. & terminum ante postes cubiti vnius. Rem ipsam exposuit Scholiastes, idem namque peribolus qui thalamos claudit, postes siue parastades concludit: quippe cum inter parastades, vt dixi, sint thalami. De forma porro huius marginis nihil habemus hic, praeter ea quae nobis indicant vo- E cum variae explicationes, quas attulimus. Ex quibus facile colligimus parietem hunc non solidum fuisse, neque perpetuae crassitudinis, sed pro loci indigentia, quoddam cancellum marmoreum, quod superiore, atque inferiore stylobatae ornamentis dum cingitur, computatis hinc, atque illinc proiecturis ornamentorum, cubitum vnum complebat: quod forte significare voluerunt Latini Septuaginta virorum interpretes, dum, cubitum redactum, aut, cubitus redigebatur, scribunt, quasi retractionem à proiectura coronae stylobatae significantes. Huius vero periboli formam, & facies thalamorum, in quibus ostia, quorum sequenti versu meminit aperie-

bantur,

XII.

MARGO peribolus tectum thalama.

Ezech. 43. ℣. 13.

Scholiastes Graec.

MVRVS thalami non solidus.

bantur, videre poterit lector in dissecti templi Orthographia inter postes quattuor sectarum porticuum: & exactam rationem in figura thalami quam supra apposuimus.

Supra cap. 17. huius.

Praeter allatam expositionem, quae sermonem hic fieri tradidit de thalamorum vtroque peribolo, si Septuaginta interpretes sequamur, immo & Rabbinos, qui abstractum à muro semper exponunt, aliud quidpiam his verbis indicari intelligemus: nempe proiecturas binas à perpendiculo postis inter thalamos constituti. Nam cum postis cubitos quattuor latus fuisse ostendatur, eiusque stylobatam supra quinque cubitis definitam fuisse probauerimus, proijcietur vtique vtrimque stylobata semicubito, nimirum quanta ponenda est basis columnae proiectura, quam Vitruuius ex quarta crassitudinis columnae faciendam esse praecepit. Huic vero semicubito alius semicubitus addendus est, quanta nimirum fuit basis stylobatae proiectura, mensura respondens altaris aenei proiecturis, vt ibi videbimus. Vtraque igitur proiectura cubitum vnum continet extra perpendiculum postis siue parastadis, quae lata fuisse ostendenda est cubitos quattuor: atque adeo totus postis in immo cum suis proiecturis, latus erit cubitos sex, vel calamum vnum, vt mox ostendemus. De margine satis apte Richardus sic scribit: Quod dicit marginem ante thalamos cubiti vnius fuisse, & cubitum vnum finem vtrimque, debemus sub eodem sensu accipere, scilicet marginem cubiti vnius, non solum in thalamorum fronte fuisse, sed etiam in vtroque latere. Nihil autem aliud intelligimus hunc marginem circa thalamum, nisi eiecturam quandam muri, quemadmodum fieri solet, vel ad sedendum, vel ad muri firmamentum: saepe enim paries in inferioribus latior fundatur, & cum paululum eleuatus fuerit, iterum restringitur. Rem ipsam subodoratus Richardus, qua ratione potuit, expressit: ac expressisset satis, si proiecturas dixisset ad firmamentum simul, & ornamentum fieri in imis, & summis stylobatis, vt diximus. Ac ne quisquam putaret huiusmodi proiecturas in thalami latitudine contineri, propterea illud repetit, quod antea dixerat: *Thalami autem sex cubitorum erant hinc & inde.* Neque vero quisquam existimet, hanc ab illa diuersam esse mensuram, quòd ibi calamo vno, hic vero sex cubitis constet thalamus; neque calamum sex tantum habuisse cubitos putet, cum, vt ibidem diximus, frequens vsus sit, tum apud profanos, tum vero apud sacros Scriptores numerum referendi integrum, eius vero partes, aut semel enumerandi, alias subticendi, aut semper omittendi: quasi quid alienum esse arbitrantes ab historiae instituto, in minutissimis quibusque partibus referendis immorari. Haec porro interpretatio illud confirmat, quod paulo ante assumebamus, nimirum vestibula porticuum omnia, siue fornices aeque latas fuisse ac vestibulum portae octo cubitorum, cum senis thalami cubitis binos alios proiecturarum vtrimque addat locus hic.

PROIECTVRAE stylobatarum.

Ezech. 43. ℣. 13.

Richard. de templo Ezec. par. 2. c. 7.

XIII. *Et mensus est portam a tecto thalami vsque ad tectum eius, latitudinem vigintiquinque cubitorum, ostium contra ostium.* Duo nobis hoc textu constare poterunt, ad totius aedificij intelligentiam apprime necessaria: Primum portae latitudo, quam propterea in singulis deinceps repetit portis; alterum est calami iusta longitudo, quae ex priori nota portae latitudine facile demonstratur. Vocat autem hoc loco portam, vt frequenter solet, totum illud spatium, quod inter bina ostia postibus, fornicibusque circumdatur, cancellisque binis vtrimque concluditur, vt vides in vniuersi templi vestigio. Quae omnia duplici ex causa facta fuisse crediderim: & vt portam ingressuri, prius in atrium venirent, quam in porticus, quo bene singuli probarentur à ianitoribus in thalamis perpetuo manentibus: & vt munitionem illam portae sustinerent quaternis vtrimque semicolumnis ornatam, quam in media vniuersi templi Orthographia videre poteris.

PORTAE latitudo, & calami iusta mensura.

RATIO thalamorum, & vestibulorum in portis.

Quod vero ad primum spectat, portae latitudinis mensuram hanc esse certum est, quippe quam saepius deinceps repetit, nullibi alias mentitur. Huius tamen loci difficultate perterritus Rabbi Dauid Chimchi, cum plura aduersus Rabbinum alterum haec exponentem, leuia quidem, & parui momenti disseruisset, haec subdit: Verum tamen est, quod istae mensurae, quae sunt in hoc aedificio, non satis sunt clarae apud nos, quoniam sunt aedificij futuri, & quidquid homo de illis dicit, secundum opinionem tantum dicit, & non est fidendum: idque solum, quod de illis inuenitur in traditionibus in tractatu mensurarum, vel in expositione paraphrastica Ionathae, id tantum acceptabimus, reliquum vero suo loco reconditum maneat, donec veniat Elias: sic enim dicunt Rabbini, quod pleraque eorum, quae in hoc capite continentur, huius prophetiae venturus est Elias exponere, & explicare. quasi dicat: nos eius expositionem ignoramus. Haec Rabbinus cum suis. Qui si Ioannem Baptistam audissent, *qui venit in spiritu, & virtute Eliae*, primum Christi praecedens aduentum, audissent & Christum, qui finis est legis, & prophetarum, qui pius, ac misericors iam venit, aperiens discipulis suis *sensum, vt intelligerent Scripturas.* At qui hunc primum Eliam audire detrectant, & Christum Redemptorem venisse non credunt, frustra secundum exspectent Eliam mox ante Christi tremendi Iudicis tribunal sistendi, ac vocem illam damnationis audituri: *Ite maledicti.* Sed his praetermissis, quod praesentis instituti proprium est persequamur. Ab ipso, qui iam aduenit Christo Domino precibus Beati Ioannis Baptistae, qui suo nos, antequam nasceremur dignatus est nomine, lucem & sensum expostulantes, vt intelligere possimus hanc Scripturam, in quam enucleandam omnia nostra studia contulimus.

Rabbi Dauid Chimchi in comment.

HVIVS prophetiae intelligentiam ad Eliae futura tempora referunt Rabbini.

Luc. 1. ℣. 17.

Hebraica huius loci verba totidem fere verbis cum Vulgatae interprete conuertit & Regius codex, & Chaldaeus paraphrastes: illud tamen difficultatem ingerit, quod à tecto thalami ad tectum eius dimensa esse porta dicitur. Sed Hebraea vox גג gag, à verbo גנן ganan, deducitur, quod circumcludere, circummunire significat, vel cingere, aut circumcingere septo, vel scuto, muniendi causa: sic ad Ezechiam Dei nomine Isaias, וגנותי veganothi. *Et protegam*, vel, circummuniam, *vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Et apud Zachariam: *Dominus exercituum* יגן iagan, circummuniet, circumuallabit, *proteget eos.* Ab hac porro radice vocem גג gag, deducunt, à qua etiam deducunt גן gan, hortum, quod circumseptus sit, aut circummunitus: qua ratione voce גג gag, tecta

4. Reg. 20. ℣. 6.

Zachar. 9. 15.

VOX GAG, quae in tectum conuertitur, explicatur.

tecta Palestinae plana, septo circummunita significari putant. Sunt tamen alij, qui vocem hanc non ab alia radice deducunt, sed propriam esse radicem putant & tum hi, tum illi ea voce sine tecto solaria significari existimant, quia quae suppetunt exempla id plane significant. Verum eiusmodi vocis notio praesenti textui non potest conuenire, cum quòd thalami nullo desuper tecto operiuntur, sed fornicibus tantum vestibulorum, tum vero quòd minime manent sub dio thalami, quos triplex porticuum, vel etiam quadruplex operit contignatio portarum. Quapropter ad praedictam radicem reuocandam esse vocem crediderim, & sic dictam, non quòd muniatur, sed quòd muniat, & circumdet domum desuper, vt tectum, vel à lateribus, vt ea, quam paulo ante exposuimus, vox גבול gebul: id quod sensisse videtur Rabbi Salomon, sic scribens: A tecto thalami, quod est in Aquilone portae ad tectum thalami, quod est in meridie portae. Perspicue magis Septuaginta interpretes: Et mensus est portam ἀπὸ τοῦ τοίχου, à muro thee ἕως τὸν τοῖχον, ad parietem thee latitudinem vigintiquinque cubitorum. Quod, qua ratione intelligendum sit, explicat Vulgatus, atque alij omnes interpretes, addentes: *Ostium contra ostium*. Periboli siue muruli bini singulos cingunt thalamos: alter ad portae aditum, vbi aperiuntur thalamorum ostia. alter ad longiorem porticum, qui perpetuus est, & portam simul & thalamos claudit. Mensus est, igitur nunc Angelus vniuersam portae latitudinem, ab Australi, verbi gratia, & extimo thalamorum peribolo adusque similem Aquilonarem thalamorum, vel portae pribolum. Hanc autem mensuram duplici praeterea textus coniectura licet confirmare. Prima, quòd *a tecto thalami ad tectum eius*, videlicet portae, dicitur dimensa esse: nam Hebraea, quae לגגו legaggo habent, sic exponit Rabbi Dauid ו vau, nominis גגו gaggo, *ad tectum eius*, est relatiuum ad portam, non autem ad thalamum, quamuis non omnino neget, ad thalamum quoque posse referri, quod fecerunt Septuaginta viri quoniam, vt dixi, idem muralus, vel idem tectum, portam simul & thalamos claudit. Altera vero coniectura est, indicasse mensuram hanc per ostia thalamorum recta transijsse, quorum vnum erat è regione alterius.

R. Salomon in comment.

Rabbi Dauid in comment.

IDEM MVRUS qui thalamos portam simul claudit.

Non me latet, septuaginta viros ita hunc locum interpretati, ac si sermo esset, non de portis thalamorum, sed de porta atrij interioris, dum: Haec porta, inquiunt, contra portam. vel, quod expresse magis significauit Rabbi Dauid: *Ostium contra ostium*, idest, inquit, spatium portae huius erat contra spatium portae interioris. Illa vero expositio vix videri potest, quomodo cum hoc textu cohaereat, cum, quod ad portam è regione interioris constitutam spectat, infra opportune magis tradiderit Propheta: quare Septuaginta interpretes interpretandi sunt, & Rabbinus non audiendus, sed in ea tantum, quam aptiorem multo retulit Salomonis expositione. portam thalami, qui erat apud portam, clarius dixisset ad partem, Australem, directam contra portam thalami, qui erat apud portam, ad partem, Aquilonarem. Sed ipse se melius explicat Rabbinus: Ostium, inquit thalami, qui erat apud portam in Austro hinc, est è regione ostij thalami, qui erat apud portam in Aquilone; quoniam non erat singulis sex thalamis istis porta in muro à latere exteriori, sed tantum duobus thalamis portae vicinioribus erant portae vergentes ad spatium, quod erat inter vtrumque & sic dicit inferius *Et in frontibus eorum, quae erant intra portam*. Plus nimio audae litterae insistens Rabbinus negat thalamis portas, quae non habentur expressae: verum ipsa aedificij ratio, & vsus, praeter communem illam similitudinis, singulis thalamis suas portas tribuere nos cogit: nam in reliquis apte processit Rabbinus locus enim ille, quem retulit, id demonstrat, quod assumit. Lyranus litem dirimere voluisse videtur. Sic enim, inquit, est dispositum ostium thalami ex vna parte, quod secundum rectam lineam opponitur ostio thalami ex altera.

Rabbi Dauid.

THALAMORUM ostia inter se aduersa.

Rabbi Salo.

Infra ℣. 16.

Nicolaus de Lyra.

CALAMI IVSTA MENSVRA SVBDVCITVR.

Vbi de mirabili totius aedificij in aequas partes sectione.

Cap. XXI.

Latitudinem viginti quinque cubitorum. Haec porro mensura, vt ad calami iustam longitudinem expendendam accedamus, thalamos, frontes, & introitum portae, iam antea dimensa complectitur, vt vides in vniuersi templi Ichnographia. Sunt autem bini thalami duorum calamorum, frontes vero quae semicolumnae sunt, quarum diametri, vt vidimus, duobus constent cubitis, singulae exstant à muro semidiametrum, hoc est cubitum vnum: reliquum inter vtramque frontem spatium decem cubitis definitum est: qui omnes numeri (denarius, duplex vnitas, duplex senarius, si nihil praeter sex cubitos contineat calamus) simul collecti, quattuor & viginti efficiunt, non vigintiquinque, vt habet textus. At addantur, inquies, periboli bini, quorum singuli praesenti textu singulis dimensi sunt cubitis: quod si fiat productus, numerus textus numerum cubito superabit, vt prius ab eo cubito superabatur. Nam nulli veniet in mentem, è similibus peribolis, alterum mensura inclusum, alterum exclusum: dicamus igitur quod res est, muros pariter excludendos esse hac mensura vigintiquinque cubitorum, qua binos certo scimus comprehendi thalamorum calamos, & duodenos item cubitos integros, qui quattuor efficiunt & viginti. ille autem cubitus reliquus in quattuor aequas partes diuisus, singulis calamis ex aequo tribuatur. cumque cubitus, vt alias ostendimus, quattuor constet & viginti digitis, obuenient singulis calamis senum cubitorum, seni item digiti. Quae quidem calami mensura ita deprehensa, tam certa est, vt ab alio negari non possit, quam ab eo, qui vel huiusmodi partes nondum collegit, vel quomodo colligantur minime capere potuit. Non enim

CALAMI longitudo probatur.

10
1
1
6
6
———
24
2
———
26

his

his tantum quae diximus confirmari possunt, verum infinitis propemodum alijs rationibus, ac symmetrijs, quibus cum mire quae diximus conueniant, contraria stare nulla ratione possunt. Sed, praetermissis concertationibus, ad rem ipsam contemplandam propius accedamus: & venustatis, decorisque plenissimas huius diuinae architecturae proportiones, quae subinde sequuntur, expendamus.

Et lineam quandam occultam per mediam Orientalem portam ductam esse imaginemur indefinitam, hoc est, quae vniuersum aedificium bifariam secet. Est enim primum praeceptum ab aedificiorum delineatoribus obseruandum, vt lineas quasdam praecipuas, quas radices vocant, vndequaque indefinite extendant, iudices aequos deinceps futuras, quae ostendant, num solida solidis, inanibus inania, media medijs respondeant, aut secus. Ab hac igitur linea, si intra portam consistamus, vsque ad centra columnarum, quae portam interius ornant, calami computabuntur singuli, simul bini, à praedictis rursum columnarum centris adusque centra columnarum, quae postibus adhaerent thalamorum versus porticus, calami sunt item bini, omnes simul quaterni, qui cubitis aequales sunt quinque & viginti.

LINEAE radices in Ichnographia indefinitae praemittendae

Primum igitur ex hoc colligitur elegans quaedam & firmissima proportio inter muros, aut postes, & medium inane spatium, quod inter eos relinquitur. Sunt enim ex dimidia latitudine postes, bini vtrimque postes medio spatio aequales: quam eandem proportionem in vniuerso aedificio obseruatam agnoscimus, cuius porticus omnes quinquaginta cubitos latae sunt, areae vero subdio centenos vndequaque occupant, vt mox videbimus. Neque in his modo maioribus numeris & partibus hanc licet obseruare rationem, sed in omnibus vniuersae fabricae vestibulis, in quibus propter fornices maxime obseruanda fuit.

POSTES subdupla proportione vestibuli,

Id quod ex dicta calami mensura colligimus adhuc intra portam manentes, cum centra columnarum, vt ostendimus, binis distent calamis: vestibulum autem portae octonis pateat cubitis, si è duodenis eos auferas, reliqui erunt quaterni cubiti, bini nimirum dimidio posti vestibuli hinc: & bini item dimidio posti vestibuli illinc eritque totus postis huic, respondens ex aequo quaternum cubitorum: & statutum hic semel erit, vestibula, seu fornices atriorum latas esse cubitos octo, postes, quibus sustinentur, cubitos quatuor. At nemo arbitretur oblitos forte nos fuisse quartae cubiti partis, quam senis calami cubitis superaddimus, eam enim haec eadem, quam prosequimur dupla proportio, simili ratione, partiendam esse suadet: & vnicuique ex his minimis cubitorum numeris parem addendum esse digitorum numerum. non enim temere, sed maturo grauique consilio factum est, vt senis calami cubitis quarta pars cubiti, hoc est, seni digiti responderent. Quare vestibulum portae latum esse affirmamus cubitos octo, digitosque octo; retractionem vero, seu postem, cui incumbit arcus vtrimque, vsque ad quadrantes columnarum, qui sunt in angulis, vnumquemque cubiti vnius & digiti item vnius, ita vt columnae à columnis distent cubitos decem, digitos totidem, columnarum vero semidiametros vnius esse tantum cubiti in immo scapo, in ventre autem columnae adiectionem fieri, singulis cubitis singulorum digitorum, ostendendum à nobis est, cum de ratione agemus aenea-

CVBITOrum minimis numeris totidem adduntur digiti.

A rum columnarum: qua etiam ratione iterum colliguntur, centra à centris distare calamos binos, cubitos videlicet duodecim cum dimidio.

Tertio loco, facili plane negotio probatur ex dictis, craticulae ratio, quam supra proponebamus: nam, sicut ducta linea occulta per mediam portam, calamum vnum distat à centris columnarum, si eadem calami mensura vlterius dimetiendo progrediamur, sequenti calamo contingemus centra columnarum, quae postibus portae adhaerent extrinsecus: sequenti mediam fenestram, mediumque vestibulum, sequenti centra columnarum subsequentium: & sic deinceps ad Meridiem, vel ad Aquilonem à media porta Orientali progressi. B Quae omnes lineae si ductae intelligantur, omnia in directum opposita columnarum centra contingent, necnon vestibulorum, aut Occidentalium fenestrarum media. Sed quoniam idem omnino linearum ductus in portis Meridianis, & Aquilonaribus constare potest, ita vt, si à media earum qualibet calamo dimentiamur, eadem plane ratione columnarum centra, fenestrarum & vestibulorum media contingamus, fit, vt vniuersa templi area in quadratas areas diuisa sit, singulas aeque latas, ac longas calamum vnum, quod est huius aedificij proprium, & admirandum artificium. Sed & illud admirabilius, quod ab eiusmodi lineis ipsa C Dei domus, cuius membra ac partes dupla ratione reliquis sunt maiores, eadem omnino ratione dimensa sit, vt infra videbimus.

CRATICVla in radicibus lineis maxime obseruanda.

Tandem, quod ad intercolumnia spectat, examinandum occurrit, omnia enim columnarum centra ab inuicem vel vno, vel binis calamis distant: sed duorum calamorum distantia propter postes, & fornices atriorum disposita, aptissimam seruat proportionem, quam dixi, duplam vestibuli ad postem: quae vero columnae his respondent in medijs porticibus Israelis, & in facie exteriori muri Israelis, necnon in porticu gentium ad eam rationem sunt dispositae, quam Araeostylos vocat Vitruuius, vltra columnae triplam D crassitudinem laxatae, quibus impositae sunt de materia trabes perpetuae. Sed & ipsae columnae eandem seruant dupli rationem: columnae namque singulae crassae sunt binos cubitos, inter se distant denos, cum, vt, dixi, earum centra distent duodenos: sed & altae sunt cubitos bis denos, vt infra ostendemus. Perspectum igitur est, huiusmodi intercolumniorum altitudinem duplam esse latitudinis. Reliqua vero intercolumnia columnarum, quarum centra calamo vno distant inter se: si in vno scapo, vnde ratio intercolumnijs desumitur, perpendatur, binis, sublatis cubitis è calami longitudine, reliqui erunt, intercolumnas duorum cubitorum, cubiti E quattuor cum quarta cubiti parte. Hoc est, erunt inter columnas intercolumnia duarum columnarum & quartae partis, non columnae, sed cubiti, atque adeo columnae octaua.

INTERCOlumnia templi quam seruent proportionem.

Vitruu lib. 3. cap. 2.

Sed audiendus de hac re Vitruuius: Species autem, inquit, aedium sunt quinque, quarum ea vocabula. Pycnostylos, idest, crebris columnis, Systylos paulo remissioribus, Diastylos amplius patentibus, rarius quam opus est inter se diductis Araeostylos Eustylos interuallorum iusta distributione. Qui postquam singulorum generum rationem reddidit.

Vitruu. ibid.

Reddenda nunc est, inquit, ratio Eustyli, quae maxime probabilis & ad vsum, & ad speciem, & ad firmitatem rationes habet explicatas: namque facienda sunt in interuallis spatia

duarum columnarum & quartae partis columnae crassitudinis. Distat autem haec Eustyli ratio ab illa Salomonis, octaua crassitudinis parte, non quod ab illa haec desumpta fuisse non videatur: sed quod illa intercolumnia, singula inter laxiora quaedam constituuntur, vt vides in Ichnographia, & Orthographia: haec vero Vitruuiana omnia, praeter medianum, paria sunt, ideoque laxiora oportuit esse, vt illorum imitarentur decorem.

RATIO inter columnarum ab hoc aedificio petita.

DE PORTICVVM ORDINIBVS ATQVE *altitudine vniuersa.*

Cap. XXII.

XIV. ET *fecit frontes per sexaginta cubitos*. Phrasis primum explicanda est sermonis Hebraici propria, deinde, quaenam aedificij pars hoc loco dimensa sit. *Fecit* Hebraice ויעש vaiaghas, futurum est verbi עשה ghasah, quod facere proprie significat: eius tamen notiones tam late patent, vt vix possint angustijs huius loci comprehendi: quare, reliquis praetermissis, eas tantum, quae textum hunc nostrum illustrare possint breui explicandas suscipimus. illud prius referentes, quod cum alijs verbis habet commune, vt futurum pro praeterito vsurpetur, sicut è contra solent, prophetae maxime, praeteritum pro futuro vsurpare. Exstat exemplum in libris Regum, vbi inter egregia Saulis facta, hoc percensetur. *Congregatoque exercitu percussit Amalec*. ויעש חיל vaiaghas hail, quod cum futurum sit ab Hebraeis, Chaldaeo paraphraste, & Septuaginta interpretibus in praeteritum conuertitur, & merito, ad id enim cogit subsequens oratio praeteriti, *percussit Amalec*. Et bene quidem cum Chaldaeo paraphraste, quem secutus est Rabbi Dauid, conuertit Vulgatus *Congregatoque exercitu*, hoc est congregauit exercitum, & *percussit Amalec*. Is enim est loci proprius sensus, phrasis tamen à Latina longe distat, quam aliqua ex parte imitati sunt Septuaginta nam, & fecit, inquiunt, exercitum. Regius codex: Fecit virtutem. Vocem חיל hail ab איל ail, deduxisse videtur: fecit, id est, congregauit fortes, vel potentes, nimirum exercitum. At quod ad phrasim hanc nostram spectat, metonimiam admisisse videtur Propheta Scripturis sacris frequentem, qua res pro signo, aut rursum, signum pro re ipsa, quae significatur, accipitur, quae huic verbo frequenter tribuitur, sic ad Christum Pharisaei: *Quem teipsum facis?* id est, nobis te suades esse? Et in psalmo, & apud Matthaeum Christus Dominus: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*: Fundasti robur, vt habent Hebraea: hoc est declarasti firmum, laudabile, aeternum duraturum regnum tuum. sic Paulus: *Nonne stultam fecit*, ostendit esse, *Deus sapientiam huius saeculi?* Hispani hac eadem phrasi dicimus: yo hare bueno lo que digo, hoc est, ostendam vera esse quae dixi.

VERBVM faciendi Hebraeis late patet.

FVTVRVM pro praeterito.

1. Reg 14. ℣. 48.

Rabb Dauid.

METONIMIA res pro signo, aut contra.

Ioan. 8. ℣. 53.

Psal. 8. ℣. 3.

Matth. 21. ℣. 16.

1. Corinth. 1. ℣. 20.

A Sensus igitur loci est: *fecit frontes*, idest ipsa mensura ostendit, frontes fuisse sexaginta cubitorum. Frontes columnas dici, supra ostensum est. Frontium vero, seu columnarum altitudinem hic dimensam fuisse affirmat Rabbi Salomon: Altitudo frontium, liminum, vel postium vestibuli erat sexaginta cubitorum. Id quod confirmat Rabbi Dauid, testatum olim fuisse à Chaldaeo paraphraste. In aliquibus, inquit, lectionibus paraphrasis Chaldaicae inuenio sic. Et fecit frontes sexaginta cubitorum altitudinis earum, cubito vno. Chaldaeam huius lectionis phrasim explicare forte poterit Hispanus sermo: mando la alteza de los corredores de sesenta codos, a vno por vno. B hoc est exactissime. Latinus tamen eius interpres, qui in Regio codice nulla tactus rei difficultate, in maximas se coniecit, sensum peruertit: Et fecit, inquit, frontes sexaginta: altitudo earum vnius cubiti erat. Clarius quoque, Rabbinorum sequutus sententiam: Frontes, inquit, postium, porticus sunt altae cubitos sexaginta: sic de omnibus frontibus postium totius atrij censendum. Supradictam phrasim explicare voluit Vatablus, sic scribens: Executus est quoque mensuram frontium, postium, aut columnarum anteriorum sexaginta cubitos. Sed quod ad altitudinem dimensam spectat, citra controuersiam est praesertim si omnes simul, ac singulas particulatim mensuras C expendas: nullam enim aliam desiderari comperies, si ea hoc loco non explicetur: cum contra haec mensura non alteri, circa portam, aedificij parti possit conuenire. Illud vero assumendum nunc est, quod late infra probabitur, triplicem columnarum ordinem hic referri, triplicemque trabeationem, quae omnia hac vna mensura comprehenduntur. porticus enim has omnes altitudine triplices esse, triplicesque latitudine, in ipsis perspectum esse poterit Orthographijs, & Ichnographijs: id quod sacrae Scripturae testimonijs proprijs locis confirmandum est, in quibus ordini cuiumque sua est altitudo tribuenda. Verum illud silentio hoc loco prætermittendum non est, quod D Septuaginta interpretes in Sixtiano codice, columnarum primi ordinis altitudinem indicasse videntur, dum sic habent: Et sub diuo aelam portae extrinsecus cubiti viginti theim portae per circuitum. Quorum verborum hic sensus esse videtur, in atrio prope vestibulum portae, fuisse postes, quos vocat theim, semicolumnas intellige, viginti cubitorum: cuius altitudinis erant reliquae circa atrium. Et quidem columnarum primi ordinis altitudinem viginti cubitorum construendam esse demonstrandum est iterum. Illud porro, quod Septuaginta affirmarunt, circumquaque columnas pares fuisse, de omnibus trium ordinum columnis, atque adeo de vniuersa E atriorum altitudine censendum esse confirmat, quamuis obscura phrasi, ipse Propheta, haec verba subiungens:

Et ad frontem atrium portae vndique per circuitum. Quae verba sic conuertit Regius codex: Et ad postem atrij portae, circum circum. Pagninus duriusculam phrasim emollire voluisse videtur, aliqua verba paraphrastice addens: Et vnicuique posti atrij portae, per circuitum eadem erat mensura. Rabbi Dauid: Et ad frontem atrij portae in circuitu: dest, inquit, & sic erant excelsae omnes frontes atrij, quae sunt frontes portae in circuitu, sic erat illis haec mensura. Et postquam plures portas secundae domus, hoc est tem-

FECIT frontes, idest declarauit esse sexaginta cubitorum.

R. Selomo in comment.

Rabbi Dauid in comment.

Isidor Clarius in scholys.

Vatablus.

Infra cap. 42. ℣. 6.

TRIPLEX columnarum ordo, tum altitudinis, tum latitudinis.

ALTITVDO columnarum primi ordinis, viginti cubitorum.

Pagninus.

Rabbi Dauid in comment.

pla

pli à Zorobabele exstructi enumerasset In hoc autem versiculo, inquit, dicitur, quod sicut erant frontes portae Orientali, sic erant omnibus portis in circuitu. Rabbi vero Salomon: Et sic, inquit, omnibus frontibus atrij, quae erant in omnibus vestibulis portae eius, erant in circuitu: quoniam in Aquilone etiam, & in Austro erant illi portae fabricatae iuxta similitudinem huius portae, sicut explicatur in littera. Vatablus sic habet: qui modus fuit, vnicuique frontium atrij, & portae circumquaque. Omnes vero huiusmodi lectiones in hoc conueniunt, quod certum esse debet, atque exploratum, hoc textu indicari, frontes, vel columnarum ordines, qui atrium vndequaque cingebant, eiusdem fuisse altitudinis, sexaginta cubitorum: namque quod ad aliarum portarum frontes spectat, suo loco inferius à nobis explicandum est. Quidam vero interpretes hoc loco distinguunt atrium portae, ab atrio vestibuli portae, quasi hoc sit Israelis, illud vero Gentilium: sed nimis id subtiliter indagant nam quamuis verum sit, aditum huius portae ab atrio Gentium per portam patere quadratam, egressum vero à porta ad atrium exterius per arcuatum vestibulum, tamen idem quod Latinus cum Hebraeo textu vocat atrium portae, Septuaginta interpretes appellarunt, vt vidimus αἴθριον, quasi atrium subdio aelam, vestibuli portae, nisi forte arbitreris, hac atque illa lectione vtrumque atrium indicari: siquidem vtraque huius porticus facies, aeque alta est cubitos sexaginta, & ea quae atrium exterius prospicit, & quae atrium gentium.

Rabbi Selomo.

Vatablus.

OMNES ORdines columnarum atrij pares sunt sexaginta cubitorum altitudinis.

Illud porro hoc loco animaduertendum est, portae frontes atriorum frontibus pares sexaginta cubitis comprehendi: nam propugnacula portis superstructa, quorum vnum videre licet in media orthographia vniuersali, supra celsitudinem sexaginta cubitorum eriguntur, vt suis locis confirmandum est.

DE PORTARVM LONGITVDINE.

Cap. XXIII.

XV.

PORTAE longitudo.

ET ante faciem portae, quae pertingebat vsque ad faciem vestibuli portae interioris, quinquaginta cubitos. Hoc versu, portae longitudinem ab Oriente in Occidentem, inclusis Orientali & Occiduo muro, E dimensam fuisse, perspectum esse inprimis debet quod & in reliquis quoque portis testatum est. Sed non modo ipsa phrasis obscura est, quippe à communi longe diuersa, verum & voces ipsae difficiles sunt, cum in earum expositione Doctores non conueniant, easque propterea oportet primum explanare. Est autem velut nomen quoddam, portae inditum איתון haithon: quam vocem Rabbi Dauid notat legendam, ac si scriberetur איתיון haithion, & haec subiungit: Ego autem ignoro omnino quid intendat Chaldaeus interpres, qui vertit portam mediam. Et, vt eius expositionis difficultatem effugiat, quas-

Rabbi Dauid in comment.

A dam confingit à lateribus huius portae porticulas. Sed Rabbinorum figmentis nulla est habenda fides, praesertim cum nullum, ne leue quidem porticularum eiusmodi vestigium reperiatur vel in sacris, vel in profanis historijs. Multo sane certius eius appellationis rationem inuenisset Rabbinus, si expendisset triplices templi portas totidem muris apertas fuisse: primas in muro atrij gentium: secundas, vel medias, in muro atrij Israelis, quarum haec est prima: tertias vero in muro aut in vestibulis atrij Sacerdotum. Sed insistit adhuc idem Rabbinus in explanatione vocis ac loci. Fieri autem potest, inquit, vt איתון athon, sit significationis אתא בקר atha bocher, B venit mane. vel, vt ipse alibi testatum reliquit, ab אתה athah, dicitur, quod est venire: quoniam, inquit, per hanc portam ingrediebantur, venientes ad atrium ad orationem, quoniam erat Orientalis, & respiciebat directe portam templi. Dicit autem, quod *ante faciem* huius *portae*: quasi dicat, à facie portae exteriori, vsque ad faciem vestibuli portae interioris, erant quinquaginta cubiti longitudinis: sicuti recenset in reliquis portis longitudinem quinquaginta cubitorum, & latitudinem vigintiquinque, cum thalamis, frontibus, & vestibulis. Quasi dicat: à limine portae exterioris, vsque ad frontem portae interioris, quod est vestibulum, erant *quinquaginta* C *cubiti Vsque ad faciem vestibuli*, על ghal, supra, est quasi עד ghad, vsque ad Rabbi Salomon autem exponit sic: & facies portae &c. idest, altitudo portae dicit autem, quòd ex altitudine caeterarum portarum, quae sunt in littera quinquaginta cubitorum, ego deduco, quod supra faciem, de qua hic dicitur, est altitudo: & sic exponit infra illud, quinquaginta cubitorum longitudo eius, idest altitudo eius Ego vero, inquit, miror de ipsius expositione, quoniam in tota narratione numquam dicitur de altitudine portarum mensura aliqua. Sic etiam in aedificio secundi templi nulla erat porta, cuius altitudo esset quinquaginta cubitorum: quoniam omnes portae D erant latae decem, & altae viginti cubitis, praeter portam vestibuli, cuius altitudo erat quadraginta. Hactenus ex Rabbino, qui, quod ad huius loci explanationem spectat, ita persequutus est, vt nil addendum videatur.

PORTA MEdia an haec dicenda.

R. Salomo in comment.

Quòd vero Salomonem reprehendit iure optimo reprehendit, quippe quem nulla ratio, vel probabilis coniectura in eiusmodi peregrinam sententiam, & textui contrariam adduxerit: cum portae altitudo, quod ad lumen attinet tredecim cubitorum sit, eius vero frontes altae minimum sint cubitos sexaginta. Et quod ad secundi templi mensuras portarum spectat, eaedem plane sunt cum mensuris templi, quod hic describitur, si portarum exteriores facies consideres, non vero ostium, lumen, aut columnationes. Porta enim haec latum habet ostium, aut lumen octo cubitos, faciem vero vsque ad semicolumnas decem cubitos latam, vt antea vidimus, cuius spatij altitudo viginti cubitorum est, quanta nimirum est altitudo columnae, vt paulo ante dicebamus. Quod vero ad templi, aut domus vestibulum spectat, cuius latitudinem non est dimensus, eius facies Orientalis alta est cubitos quadraginta, vsque ad epistilium, quantae altitudinis fuisse ostendendae sunt pilae, aut parastades vestibulum vtrumque fulcientes.

PORTA cum suis ornamentis lata cubitos decem alta viginti.

Sed vt ad ea, quae in loci explicatione dicta sunt redeamus, hic esse videtur proprius Latinae nostrae lectionis sensus. *Et ante faciem*, & à facie anteriori, vel exteriori, *quae pertingebat*, per quam ingrediebantur ab atrio Gentium venientes in templum, *vsque ad faciem vestibuli portae interioris*, hoc est vsque ad faciem vestibuli portae, quae aperiebatur in muro Occidentali huius primae porticus: vel à facie Orientali portae, per quam ingrediebantur, vsque ad faciem Occidentalem vestibuli, per quam egrediebantur à porta, & ingrediebantur in atrium exterius, hoc enim significat, quòd portam vocat interiorem, portae huius interioris faciem, quae respicit atrium Israelis: *quinquaginta cubitos*. B Hanc vero mensuram saepe infra vocat portae longitudinem, & merito, quippe cuius latitudo paulo ante fuisse ostensa est cubitorum quinque & viginti. Sed haud secus quàm antea ex portae latitudine, calami rimabamur iustam longitudinem, eandem licet ex portae longitudine confirmare, subducentes, ac colligentes simul minores, quos retulerat Propheta partium numeros, qui hoc vno quinquaginta cubitorum numero continentur.

LITTERAE ordo.

CALAMI iusta longitudo iterum subducitur.

Proponamus igitur ob oculos templi vniuersi vestigium primum, atque in eo portam Orientalem atrij Israel, de qua est sermo. Et quoniam in ea bini muri comparati sunt primum, singuli vtuus calami, illis modo praetermissis, ad reliquum spatium examinandum veniamus. Tres thalami hinc, ternis ex aduerso illinc respondentes, qui sunt in imis, vt diximus vestibulis, diuidi à paucioribus quàm binis postibus non possunt, vt intuenti patet. Adde quod architecturae praeceptum perpetuo obseruandum est, non quidem ad venustatem modo, verum ad vsum, & firmitatem maxime necessarium, vt binis medijs postibus semipostes respondeant totidem muris, Orientali, & Occiduo interius adpacti: alias enim arcus postibus ex vna parte insistentes, poste carerent, cui insisterent ex altera, nam ipso muro incumbere sine vitio non possunt. Accedat his ratio ex ipsius textus mensuris deducta, quam, mensuras recensentes, afferemus. Est igitur expressum in textu, muros vtrimque, & thalamos esse calami vnius, omnes simul sunt calami quinque: postes autem inter thalamos iuxta Prophetam constituendi sunt cubitorum minimum quinque, & bini semipostes, quinque itidem cubitorum, qui omnes simul efficiunt cubitos quindecim: si vero his addamus cubitos triginta, quos certum est contineri quinis calamis, sunt enim in vnoquoque seni, fient omnes cubiti quini & quadrageni: quibus quini alij desunt ad numerum sacrae Scripturae complendum. Dicamus

15
30
45

E igitur, ne diutius in re perspicua confirmanda immoremur, portae longitudinem, haud secus quam de latitudine diximus, in partes aequas diuisam fuisse octo, totidem calamos referentes, binosque externos muris tributos, tres medios thalamis, binos alios, vt diximus, medijs postibus, cum proiecturis spiarum, & binos semicalamos binis semipostibus muris adpactis. Iam vero, si quinquaginta cubitos in octo partes diuidas, singulae cubitorum sex erunt cum quarta cubiti parte, quanta prodiuit paulo ante ex partitione quinque & viginti cubitorum in quaternas partes. Ex quo fit vt omnia intercolumnia, vestibula, postes, portae, aequalia sint, &

A craticulae ratio, quam supra expendebamus, in ducendis occultis lineis radicibus, magis ac magis confirmetur.

CONFIRMATUR iterum craticulae ratio.

DE CANCELLIS QVIBVS THALAMI

clauduntur, ac portae: necnon de columnarum capitellis.

Cap. XXIIII.

ET fenestras obliquas in thalamis. Huius versus explanatio multa confirmare poterit ex ijs quae assumpsimus, alia probare, quae nondum exposita sunt, ac tandem maximam rerum consensionem ostendere: quare veluti per partes, & attentius is erit pertractandus. Est igitur in primis vox חלונות chalonoth, quam in fenestram conuertunt Septuaginta XVI.

C interpretes, Chaldaeus, & Rabbini, cum Vulgata nostra, deducta à voce חלל chalal, quam maxime significatione patere arbitrantur Hebraei, quamuis de propria vocis notione non conueniat inter eos. Ego vero ad praesens institutum maxime facere existimarem sententiam Marini, qui primariam vocis significationem esse putat perforari, aut perforatum esse. Qua ratione exponendum putat illud psalmi. *Cor meum*, חלל chalal, perforatum, saucium, vulneratum, perfossum est intrinsecus, *conturbatum est intra me*. Hinc fit, vt vulneratum significet inde deducta vox, aut viuum, aut mortuum, atque adeo profanatum, pollutum, immundum, quoniam eiusmodi est

FENESTRAE quae dicatur.

M. Marinus in arca Noe.

D mortui cadauer. Hinc etiam fit vox חליל chalil, tibiam significans, ad sonitum edendum multis patentem foraminibus. Elegans est vocis translatio apud Hieremiam: *Cor meum ad Moab quasi tibia resonabit*. lugubre carmen adiungens, quo grauissimam Moabitarum defleat calamitatem. Vel, vt habent Septuaginta: cor Moab quasi tibiae resonabunt: quasi dicant, multis confossum vulneribus, perforatae instar tibiae, nil aliud quam luctum resonare poterit, ac perditionem. Inde vero deducta vox חלון chalon, fenestram significat, aut foramen, quod in domo fit ad prospiciendum. Quapropter sinonymam facit hanc vocem idem Marinus, voci חרכים charachim, can-

COR CONturbari, hoc est sauciari. Ierem. 48. ℣. 36.

COR QVAsi tibia.

E cellos significanti; cancelli vel in portis domorum, vel in fenestris ideo fiunt, vt aditum intercludant: visum vero minime impediant. Qua ratione aptissime exponi posse videtur locus ille celebris Canticorum, alioqui difficilis, & obscurus, si contextum perquiras. Is vero sic habet: *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles. &c. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per* חלונות chalonoth, *fenestras, prospiciens per* חרכים charachim, *cancellos*. Sensus autem loci hic videtur esse proprius: Quoniam sponsam induxerat dulci contemplationis somno quiescentem, sponsum vero quietis amatorem, quamuis a longe, adiuran-

Cant. 2. ℣. 8. & 9.

FENESTRAE & cancelli pro eodem vsurpantur.

adiurantem filias Ierusalem, ne eam à somno excitarent, sollicitum, & veluti praesagum sponsae animum fingit eam repente excitasse, in ea verba prorumpentem: *Vox dilecti mei*, haec esse videtur, quam audire videor, nec me fallit animus, *ecce iste venit saliens*, concitato cursu. en iam stat ad ianuam, qua nondum aperta, *respiciens est, per fenestras, prospiciens per cancellos*. hoc est per cancellorum fenestras, quibus occludi solent rurales portae, dilecti mei pulcherrimam faciem videre mihi videor. id quòd Hebraea vox. ציץ tsits, indicat, quae proprie de rosa & floribus dicitur, cum è folliculis erumpunt: qua eleganti similitudine, & propriam sponsi pulchritudinem indicare videtur, ac nescio quid noui decoris in eo vidisse, quod faciem fenestrae illius cancelli imposuisset, cuius quadrata, vel Romboidis forma, quoddam videbatur esse faciei ornamentum, illi persimile, quod nascenti rosae praebet, dum sese explicat, in quinque partes discissus viridis folliculus. Quae si non hac ratione interpretemur, vbinam reperisset fenestras sponsus, per quas ab agro veniens videre posset domi inclusam sponsam, atque ab ea conspici. Qua plane ratione exponenda quoque esse praesentia Prophetae nostri verba putarem, vt fenestras hoc loco accipiamus, non in muris apertas, sed in ipsis thalamorum cancellis, reticulato opere perforatis.

CHRISTI pulchritudo meditanti conspicua.

Formam autem eiusmodi cancelli foraminum indicare videtur vox altera, *obliquas*. Hebraice אטמות atumoth, deducitur à verbo אטם atam, quod obturare, claudere significat, constringere, obstruere. Auribus nonnunquam tribuitur. Nam & Isaias Regem in decore videndum esse testatur ei: *qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem*. Iudicium sanguinis aduersus proximum apte interpretantur Septuaginta, iniquum videlicet in proximi perniciem. Quapropter in fenestras clausas conuertunt vocem quamplurimi. Obijci tamen posset, has duas voces omnino videri esse contrarias, cum, vt dixi, fenestra ideo dicatur, quod aperta sit: quod si aperta, quomodo clausa; si clausa, quomodo aperta? praesertim cum in libris Regum, vbi nos legimus: *Fecitque in templo fenestras obliquas*, in Hebraeo habeatur: חלוני שקפים אטמים chalone sequphim atumim. hoc est fenestrae prospectiuae, vel ad prospiciendum, vel quibus prospici posset, clausae. Auget porro difficultatem hanc discrimen, quod assignari solet inter vocem אטם atam, & סגר sagar, quòd haec significat claudere, quod iterum aperiendum est, illa vero, quod numquam.

FENEstrae obliquae.

Isa. 36. ℣. 15.

3. Reg. 6. ℣. 4.

Sed huic difficultati respondere voluisse videtur Rabbi Dauid, sic scribens: Non dicit autem quod fuerint omnino clausae, quoniam tunc non dicerentur fenestrae si non essent apertae, sed tantum dicit אטמות atumoth, quod erant strictae interius: atque in confirmationem suae sententiae Chaldaeum Ionatham adducit, possetque referre, vt alias solet Salomonem, qui idem sentit. Aliter tamen sentiunt alij, qui pro se afferunt eundem Ionatham asserentem, fenestras extrinsecus fuisse latas, intrinsecus vero clausas, idest, magis strictas. Septuaginta tamen interpretes non eodem modo vocem hanc vbique verterunt, quamuis vbique aliquid posuisse videantur, quod ad eius intelligentiam possit conducere. hic enim: θυρίδες κρυπτὰς tyrides cryptae, fenestrae absconditae, scripserunt. Sanctus Hieronymus: Quas Septuaginta, inquit, absconditas, Symmachus τοξικὰς toxicas, vocat: quae fenestrae obliquae, vel τοξικαὶ toxicae idcirco a sagittis vocabulum perceperunt, quòd, instar sagittarum, angustum in aedes lumen immittant, & intrinsecus dilatentur. Huiusmodi fenestras Hispani à sagittis, quas saetas vocant, vocare solent saeteras: sed longe diuersa ratione, quia sagittarij in muris eiusmodi delectabantur fenestris, quo hostem ita ex obliquo sagittis peterent, vt ab hostium eiaculatione, parietis ipsi interuentu, tuerentur. Verum, cum hoc potissimum loco eiusmodi mentio fenestrarum stare nullo modo possit, nullus enim murus in thalamis est, qui eiusmodi fenestras admittat, praesertim cum thalami, vt vidimus, & iterum confirmaturi sumus, in medijs vestibulis constituti, vastissimisque luminibus aperti fuissent, nullus in eis poterit reperiri fenestrarum vsus: quapropter ad ipsos Septuaginta interpretes iterum recurrendum est, qui allarum Regum locum de fenestris domus sic interpretantur: καὶ αἱ θυρίδες δικτυωταὶ ὑποφαύσεις, cae hae thyrides dictyotae hypophausin. Et fenestrae reticulatae ad lucendum, scribit Regius codex, Sixtianus vero: Et fenestrae in modum retis factae, tres ad lucendum, vt prospiceretur per eas. Quibus verbis nemo non videat sermonem fieri de cancellis, quibus fenestrae claudi solent, ne quisquam per eas ingredi, aut egredi possit: cancelli autem huiusmodi in modum retis fieri solent aperti, vt visum possent, & lumen admittere. Id vero disertis verbis testatur Sanctus Hieronymus. Fenestrae quinque, inquit, erant factae in modum retis instar cancellorum: vt non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus, & vermiculatis clauderentur. Haec Sanctus Doctor. Qua plane ratione melius multo respondetur obiectioni initio propositae, quam à Rabbino responsum sit.

Rabbi Dauid in comment.

R. Salomo.

S. Hieronym.

S. Hieron. lib. 12. in Ezec. 41.

Sed quoniam de fenestris templi iterum agendum est, quod ad praesens spectat institutum, apte interpretabimur locum hunc, si de cancellis opere reticularo apertis sermoenm fieri intelligamus, vt initio dicebamus. Quod vero ad varias interpretationes loci spectat, si bene perpendantur, omnes in hanc vnam sententiam confirmandam confluunt, vt cancellos, vel cancellorum foramina, siue mauis fenestras, ad modum retis factas fuisse intelligas. rete enim explicatum plagas efficit, non quadratas, sed oblongas, figurae illi similes, quas Mathematici Rombos vocant. Eorum exemplis, quamuis omnes propemodum templi ideae plenae sint, periboli tamen imaginem in ea, quam apposuimus thalami figura, videre licebit: quo facilius, quae de peribolo eiusmodi sumus dicturi, percipientur.

DE CANcellis thalamorum sermo est.

Fuit vtique, ni mea me fallit opinio, peribolus hic marmoreus, cuius superior pars & inferior stylobatarum ornamentis cingebatur: peribolus vero foraminibus oblongis aperiebatur: quae quidem quoniam suis quoque ornabantur vtrimque modulis, vt vides, fiebat, vt in media crassitudine periboli angusta essent foramina, inde vero in vtramque partem dilatarentur: vt in externo prospectu latiores exterius fenestellae viderentur, interius angustiores, in interno contra ita laxari intrinsecus viderentur, vt exterius arctarentur. atque ita quae contrariae videbantur sententiae, contrariae non sunt, sed altera alteri lucem affert. Quod vero *obliquas* eas vocat Vulgata nostra, propterea factum esse, Deo disponente crediderim,

Supra c. 27. huius.

FENEstrae & intus latae, & extra angustae fuerunt, similique intus angustae, & extra latae.

quod

quod eorum anguli obliqui essent, non recti, vt A esse solent ac dici quadratorum anguli. Atque huc etiam spectat, quod τοξικαὶ toxicae, dicuntur à Graecis, quod in modum cuspidis sagittae foramina haec acuminentur.

Huiusmodi igitur cancellos *fenestras obliquas* vocat Propheta, quas fuisse dicit *in thalamis*. CANCELLI describuntur ex vtraque parte thalamorum. Hebraice אל התאים el hattaim, ad thalamos, quibus videlicet thalami ex vtraque parte concludebantur: *& in frontibus eorum* ואל אליהמה veel elehema, & ad frontes eorum, vel in postibus eorum, *quae erant intra portam vndique per circuitum*. Disertis vtique verbis cancellos huiusmodi describit discurrentes per totum illud spatium, quod est intra portam è regione postium, siue B semicolumnarum, quae interius illud portae spatium vndique exornabant. Esset autem operaepretium lectori perpendere, quàm accurate Propheta minutissima quaeque definiat: his enim potissimum verbis, quibus cancellos tantummodo videbatur describere, quamplurima alia significat ad aedificij comprehensionem maxime necessaria. Et quoniam thalamos calamo vno definierat, & nos tantumdem dixeramus inter se centra distare, haec duo, quomodo conueniant, iam nunc constat: vides enim cancellos thalamum vtrimque cingentes, ex aequo respondere semicolumnis postium. quarum semidiametri cubiti vnius pares sunt crassitudini huius periboli, quam vno cubito paulo ante vidimus definiri. Hoc enim significant praesentia verba, cancellos affirmantia אל el, ad frontes, vel è regione frontium constitui, *quae erant intra portam vndique per circuitum*.

Sed quae sequuntur verba, aliud quoque confirmant, quod nos supra non raro assumpseramus, nimirum thalamos in vestibulis constitutos fuisse. THALAMI fuerunt in vestibulis. sunt enim huiusmodi. *Similiter autem erant & in vestibulis fenestrae per gyrum intrinsecus*. Quae verba haud aliter connectit Vulgatus, quàm Septuaginta interpretes prius fecerant eodem plane sensu, quo Hebraea, quae sic habent: Et fenestrae clausae in thalamis, & in postibus eorum circa portam circumcircum, & sic in vestibulis: & fenestrae circumcircum intrinsecus. Chadaeus vero sic: Et fenestrae obturatae erant in thalamis, & in frontibus eorum intra portam per circuitum, & similiter in vestibulis· & fenestrae per circuitum intrinsecus. Septuaginta vero interpretes Et fenestrae absconditae, inquiunt, super theim hoc est thalamis, & super aelam, hoc est vestibulis intra portam atrij per circuitum. Et similiter ipsis aelam, vestibulis, fenestras in circuitu intrinsecus. Sensus autem loci tunc parebit, cum vox illa, *similiter*, Hebraice וכן vechen, & sic, eundem sensum reddere intelligatur, quem Latina vox, qua ratione vel, atque adeo. Indicant enim ea verba thalamos E in ipsis vestibulis constitutos fuisse, quapropter fenestrae vel cancelli, qui thalamos cingebant, omnia pariter concludebant vestibula, quae erant intra portam· hoc enim significat addita illa vox, *intrinsecus*. idemque confirmatur sequentibus, cum nondum à porta ad atrium egressus fuisse dicatur, vsque ad subsequentem versum.

Verum cum multa hoc versu maximi facienda, & ad aedificij rationem percipiendam maxime necessaria recenseantur ne vel disputationum aut confirmationum multitudine occupatam mentis aciem effugerint, vel, cum primum singula perspecta sint, memoria excidant, ea hic simul colligere decreui. Fenestras igitur pro cancellis vsurpari diximus· quorum reticulatas rhomborum more apertiones obliquas vocat, quamuis non desit his etiam ratio obliquitatis, quam fere omnes tradunt expositores, cum intrinsecus, & extrinsecus latae sint in medio contractiores. huiusmodi autem cancelli e regione frontium, illisque crassitudine pares extenduntur. Frontes ante thalamos proijciuntur: thalami in ipsis sunt constituti vestibulis. Quae omnia membra, aedificijque nobilissimae partes, vestibula, thalami, postes, frontes, cancelli, intra portam sunt constituenda, vt ipsa Prophetae verba plane restantur. SVMMA EOrum quae hoc capite explicata sunt.

Et ante frontes pictura palmarum. Hebraice PALMAE IN frontibus, quae. ואל איל תמרים veel ail thimmorum, & ad postem palmae. vel, vt habet Pagninus, & vnicuique posti palmae. Septuaginta: el super aelam, forte elim scripserunt ipsi, palmae hinc & inde. Chaldaeus paraphrastes ועל אלא כותרתא veghal ala cotharthaa: quae verba sic conuertit Latinus interpres in Regio codice Et super frontes capitella. apposuit enim Chaldaeus hoc loco, pro palmis, vocem illam, כותרות cotharoth, quamuis Chaldaeorum 3. Reg 7. V. 16. more protractam, quam in libris Regum Vulgatus vertit capitella. Rabbi Dauid· fronti vnicui- Rabbi Dauid que, inquit, erant palmae. Ionathas autem exponit coronas. In aedificio vero Salomonis expo- C suit figuram palmarum fieri autem potest, quod fuerint facta in figura palmarum capitella super capite earum. Haec ille idem fere restatur Rabbi Salomon. Et Clarius Rabbinos sequutus· Coronae, inquit, ad modum arborum palmarum, caput Isidor. Clar. in suis notationibus. frontium, vel postium superne cinxerunt. Ex quibus liquido constare poterit, sermonem hic fieri de columnarum capitellis, quorum ornamenta CAPITELlorum ornamenta his verbis indicantur. his fere verbis à Propheta indicantur· erant enim vniuersa huius aedificij capitella spatulis palmarum ornata. Quod ornamenti genus imitati sunt deinde Phoenices, a quibus Architecturae praecepta hauserunt Graeci, è quibus Corinthij palmae folia commutarunt in folia achanti, vel quòd D eiusmodi folia viderentur sua asperitate venustiora: vel quòd ea ratione sperarent se facile posteris persuasuros, primos eiusmodi ornamenti inuentores se esse· neque eos omnino fefellit opinio. Nos vero quoniam huiusmodi capitellorum ornamenta tunc opportune magis explicanda esse arbitramur, cum de columnis aeneis agendum est, à reliquis hoc loco consulto abstinemus.

DE ATRIO EXTERIORI, ET EIUS *quadrata area Orientali.*

Cap. XXV.

XVII. *ET eduxit me ad atrium exterius.* Absolutis portae mensuris, recta in Occidentem tendens, è porta egreditur ad atrium, id quod significare voluisse videtur Latinus interpres, dum, *eduxit me*, legit, cum in Hebraeo ויבאני vaibieni, legatur, hoc est venire me fecit. verbum enim בוא bo, venire in vniuersum significat, atque adeo in Regio codice: Et adduxit me ad atrium exterius, legimus. Septuaginta vero interpretes, & Chaldaeus paraphrastes. Et introduxit me, conuertunt, eodem plane sensu. Portam enim egressus, atrium ingreditur, quòd Hebraice חצר chatser, dicitur. cuius vocis origo fere ignoratur. nonnullis enim visum est dici à voce חציר chatsir, foenum, aut gramen significante; quòd ea voce locus indicetur sub dio, in quo crescit foenum, siue intra ciuitatem sit, siue extra: quare & villas significat. Hanc vero vocis originem respexisse videtur auctor libri Machabaeorum: *Et viderunt*, inquit, *sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus.* Mirum vtique non esset, si in desertis ac profanatis templi atrijs foenum nasceretur, aut vrticae, sicut in alijs atrijs plerumque solent, at virgulta, querceta, aut ramna, qualia in saltu nasci solent, aut in montibus, hoc maxime mirandum est, & diuturnae desolationis argumentum.

ATRII NOmen quid significet.

1 Machab. 4. ℣. 38.

Vox vero haec, alijs notione ac significandi modo affinis esse videtur Graece αὐλὴ auli, in quam conuertitur, quae Athenaeo perflabilem locum significat, & fere semper apud Homerum subdialia, in vniuersum ea voce intelliguntur. Hinc fit, vt palatia, aedes Regias aulas vocemus, quòd subdialia amplaque loca ante se habeant. Latinam porro vocem, atrium, Festus definit: Est, inquit, genus aedificij ante aedem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia descendit. dictum autem atrium, vel quia id genus aedificij Atriae primùm in Etruria sit institutum: vel quia à terra oriatur, quasi aterreum, vel aterium. Quod si nobis etiam liceat conijcere, Latinam vocem existimarem potius à Graeca αἴθριον aethrion, hoc est, sub dio, dici, cuius vocis vsum post pauca videbimus. Quod vero ad rem spectat, quae voce significatur, plana erunt omnia illi, qui aedificij vniuersi vestigium acurate contemplatus fuerit ingreditur enim angelus quadratam aream subdialem atrij exterioris, quae est ad Orientem, cui, vt mox videbimus, aptissime conueniunt omnia, quae de atrio dicta sunt in vniuersum. Ac primum vocatur exterius Hebraice חיצונה chitsonah, à radice חוץ chuts, quae extra, foris, foras significat, respectu interioris, ideo quibusdam dimidiam partem, scilicet exteriorem notat. in quo, quamuis reprehendantur ab alijs, id ideo, ni fallor, fit, quod non expenderint locum hunc, atque alios, in quibus atrium Israelis quod medium

AVLA graece quae dicatur.

Athenaeus.

Pomp. Festus

ATRIVM vnde dictum.

A est inter atrium Sacerdotum, & gentium, exterius dicitur. Accedit his etiam quod latis porticibus cingitur hoc atrium, neque extra aedificium est, quamuis appelletur exterius, id quod mox hoc eodem versu testatur Propheta. Neque absurdum est cogitare vocem, sicut forma, ita notione similem esse voci חצה chatsah, quae bifariam diuidere significat.

ATRIVM quare dicatur externus & medium.

Diuisum est autem hoc atrium, interiectis porticibus, in areas septem: è quibus haec Orientalis, media senis alijs vtrimque cingitur, ternis Aquilonaribus, ac totidem Meridianis, quarum quaelibet centenis per quadrum cubitis contine-
B tur. omnes vero praedictae septem areae, cum suis porticibus atrij nomine censentur, non atriorum, quoniam quae illas diuidunt porticus perviae sunt. quae causa fuit, propter quam atrium magnum diceretur. Nam cum historia Regum ea enumerasset, quae Salomon in domo sua, in domo saltus Libani, & domo Reginae construxisset, redit ad coeptam aedificij domus Domini narrationem, his verbis: *Et atrium maius rotundum trium ordinum de lapidibus sectis, & vnius ordinis de dolata cedro necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus.* Et hic quidem locus multis obuoluitur difficultatibus, e quibus eam tantummodo conabimur hoc loco explanare, quae lucem allatura sit explicata:
C nam reliquas oppotrune magis tractaturi sumus, cum de atriorum ordinibus agemus. Atque illud imprimis quòd rotundum dicitur hoc atrium, Lyranum, Hebraicae alioqui linguae peritum, mouit, vt cogitaret de atrio domus Reginae, cuius paulo ante meminerat, loquutum fuisse sacrum historicum. Cuius sententiam cum minime textui consentaneam videret Tostatus, & confutat, & reijcit, quamuis in atrij rotunditate, quam animo sibi ipse confingit explicanda, fere se excruciet: aut enim negat atrium domus Domini fuisse quadratum, aut id sacrae Scripturae testimonijs probari. Vtrumque vero perspectum esse poterit haec nostra legenti: quinimmo hoc
D ipso Ezechielis versu, quem explanamus id facile poterit confirmari, vt mox videbimus. Quod vero *rotundum* dicatur hoc atrium, cum vere perfecteque quadratum sit, vel, vt pressius loquar, septenis constans areis quadratis, phrasim oportet pensare Hebraicam, quae sic habet וחצר הגדולה סביב vechatser hagedolah sabib, quam sic vertit Regius codex: Et atrio maiori circum tres ordines &c. Septuaginta: Et atrij magni in circuitu tres ordines. Chaldaeus: & atrio maiori per circuitum tres ordines. Hos interpretes sequitur Vatablus: Atrium quoque magnum, inquit, circumquaque triplici ordine &c. atque in notationibus affirmat, hoc esse atrium, vel porti-
E cum, in qua populus orabat, quamque liber Paralipomenon vocat atrium magnum. Sed & Clarius: Atrium autem maius, inquit, constabat per circuitum triplici ordine politorum lapidum. Et sane quod ad atrij formam spectat, perspectum esse debet ab illa non fuisse diuersam, quam ostendunt nostrae Ichnographiae, quod vero rotundum hic dicatur, phrasim ipsam Hebraicam tenere voluit interpres, quam alibi in Latinam conuertit. In Exodo enim haec eadem habentur verba. ושמת את חצר סביב vesamtha & chatser sabib: & pones atrium circum, & dabis tegumentum portae atrij sic enim conuertuntur Hebraea, sic habent Septuaginta, sic legit Chaldaeus, quae

FORMA atrij exterioris.

3 Reg. 7. ℣. 12.

ATRIVM maius quod, & quare rotundum dicatur.

Lyra in lib. Reg.

Abulensis quaest. 5 in hunc locum.

ATRIVM exterius quadratum.

ATRIVM circumquaque tribus constans ordinibus lapidum.

Vatabl. ibid. nu. 22.

Isidor. Clar.

possent

possent Latine haud secus verti, pones atrium rotundum. Sed magis proprie elocutionem Vulgatus expressit, & sententiam aptius explicauit: *Circumdabisque atrium tentoriis*. Huius porro elocutionis ratio ex notione nominis סביב sabib, petenda est, quod nomen pro aduerbio plerumque sumitur: circuitum, circum circa, in circuitu, circumquaque significans. Sic in psalmo סבב sabib, *In circuitu impij ambulant*. Hispane dicimus al rededor, qua ratione aptissime diceremus, *& atrium maius* y el patio mayor *rotundum* todo al rededor, circumquaque *trium ordinum* &c. Haud dissimili elocutione vsus est Vitruuius bene de Latina lingua meritus: De Hypetro namque aedificij genere haec subdit: Reliqua omnia eadem habet quae dipteros, sed interiore parte columnas in altitudine duplices, remotas à parietibus ad circuitionem, vt porticus, peristiliorum. Hoc est, vt peristilia, quae quadrata sine dubio erant, possent circumambulari, hoc enim vocat circuitionem, porticuum similem.

Exo. 40. ℣. 8.

VOX, ROtundum, explicatur

Psal. 11. ℣. 9.

Vitru. lib. 3. cap. 1.

Sed & in hanc partem tantumdem propendetunt alij, vt nudis egenisque adhaerentes elementis probare contenderent de alio aliquo atrio sermonem hic fieri, non de Israelitico: quoniam ex vi vocis, ac sermonis Hebraici colligi putarunt, atrium hoc debuisse aliquid aliud, omni ex parte cingere, at atrium Israelis triplici tantum ex latere atrium circumdat Sacerdotum, vt dixi. Verum enimuero, cum atrij appellatione, non ipsa tantum intelligatur subdialis area, sed & porticus ipsae, quibus cingitur, quasque tribus columnatum ordinibus, triplicique contignatione distinctas fuisse tradit hic textus, vt iterum ostensuri sumus huiusmodi quidem porticus atrij Israelis totum atrium Sacerdotum circumdant, etiam ab Occidente, vt vides in vestigio aedificij vniuersi. Quod quamuis verum non esset, adhuc tamen vis vocis סבב sabib, nulla ratione conuincit, atrium hoc magnum debere omni ex parte atrium aliud interius cingere. aptissime enim textum hunc interpretari videbimur, illum non alia ratione exponentes, quam fecit ipse Vulgatus paulo inferius: *& ethecas*, inquit, סבב sabib, *in circuitu per tres partes*.

Ezec. 41. ℣. 16.

ATRIVM externus dicitur magnum.

2. Paral. 4. ℣. 9.

At de atrio Israelis sermonem hic fieri perspectum esse cuiuis debet, cuius proprium quasi epithetum, vox illa est, magnum, vel maius. Huius rei luculentum habes exemplum in libris Paralipomenon. *Fecit etiam*, de Salomone sermo est, *atrium Sacerdotum & basilicam grandem*. Septuaginta: Καὶ ἐποίησε τὴν αὐλὴν τῶν ἱερέων, καὶ τὴν αὐλὴν τὴν μεγάλην. & fecit atrium Sacerdotum, & atrium magnum. In Hebraeo, priori loco habetur vox חצר chatser, quam paulo ante interpretati sumus. posteriori vero vox עזרה gnazarah, quae opem ferre, auxiliari, adiuuare significat. Hinc factum est, vt atrium in quod confluebat Israel, opem auxiliumque a Deo in templo imploraturus hoc nomine censeretur. quasi auxiliatorium. quia nimirum adiutorium, auxiliumque & opem ibi reperiret populus, dum ad Deum conuersus ipsum oraret, & exoraret. Haud absimili notione nomen portae, quod paulo superius exposuimus ab איתן aiath, radice deductum posset exponi, vt exponit Rabbi Dauid, portam adiutorij, vel fortitudinis. quamuis & alias adducat expositiones. Quod sane nomen, non loco tantummodo, sed & tempori, quo primum hoc Dei Optimi Maximi auxilium experti sunt orantes

ATRIVM auxilij vel adiutorij, quo populus orans à Deo opem exspectat.

Supra ℣. 15.

Rabbi Dauid in lib. radicum.

A in templo, tribuebant deinceps Hebraei. Perfecto namque & absoluto templi opere *Conuenit*, inquit, *ad Regem Salomonem vniuersus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus*. dictus nimirum איתנים ethanim à praedicta radice איתן aiath fortitudinum, seu virium, ob dedicari templi celebritatem, qua fortes Israel tulerunt arcam in templum, & efficaces preces habitae, & multa facta sacrificia, vt huius potissimum memoria festi, eo nomine deinceps donaretur. Sic enim dictum mensem putat Rabbi Ioseph, propter dies festos, qui religione culti, in eum inciderant: vel quod panis ac vinum, & fruges, fructusque alij, quibus vita haec mortalis B alitur, & sustinetur producti, maturescunt, & colliguntur. Sed si totum historiae praedictae contextum attendas, haec omnis terrae vbertas, immo & omnia humanae vitae subsidia atque praesidia, à Deo largitore liberalissimo, oratione internuncia, quae hoc potissimum atrio ab Israelitis exercetur, impetranda sunt. Quapropter, *Domus orationis* dicitur. Cui quidem orationi perfectam adiunctam esse laetitiam, Deique acceptationem indicat celebris illa Dei promissio, apud Isaiam: *Adducam eos in montem sanctum meum, & laetificabo eos in domo orationis meae: holocausta eorum, & victimae eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus* C *orationis vocabitur cunctis populis*. Huius plane Diuini adiutorij exemplum quoddam ostentare voluit vana Graecorum superstitio, asylum constituens, eius iura non seruans. consimili fortasse agnominatione עזר ghazer, vel azar vertentes in azirum, mox in asylum. Fuit enim, Strabone, ac Cicerone testibus, Ephesi Dianae templum, id iuris habens, vt ad illud confugientes mancipio soluerentur. Sed & eousque progressa est gentium temeritas, vt asyla ipsis quoque feris constituta esse confabularentur. Nam & in Parthenio monte Panos delubrum fuisse memorant, ibique locum nomine Aulam, omnibus animalibus velut asylum, quem leones & lupi, dum feras inse- D ctantur, adire non auderent, sed repente subsisterent, ferasque relinquerent. sicut ferunt in Dianae Aetoliae luco, canes, dum feras insequuntur, vbi ad lucum confugerint, ab insectatione quiescere. Quae omnia Daemonis figmenta ad emulandam Dei opem, in templis habitam, excogitata fuisse non dubito. Dei enim auxilium probant exempla quamplurima, a beato Augustino allata. Sed & illa omnia, quae praestigiator ille superstitiose excogitauerat, re, & veritate completa esse, in nostris templis atque basilicis. probat recenti exemplo idem Augustinus: Quidquid igitur, inquit, vastationis, trucidationis, depraedationis, concremationis, afflictio- E nis in ista recentissima Romana clade commissum est, fecit hoc consuetudo bellorum: quod autem more nouo factum est, quod inusitata rerum facie immanitas barbara, tam mitis apparuit, vt amplissimae basilicae impleadae populo, cui parceretur, eligerentur, & decernerentur, vbi nemo feriretur, vnde nemo raperetur: quo liberandi multi à miserantibus hostibus ducerentur: vnde captiuandi nulli, nec à crudelibus hostibus abducerentur: hoc Christi nomini, hoc Christiano tempori tribuendum quisquis non videt, caecus est, quisquis videt, nec laudat, ingratus est: quisquis laudanti reluctatur, insanus est. Haec Sanctus Doctor, qui truculentissimas illas,

atque

3. Reg. 8. ℣. 2.

MENSIS ethanim quare sic dictus.

Rabbi Ioseph.

ORATIONIS fructus.

Matth. 21. ℣. 13.

LAETITIA orationis fructus

Isa. 56. ℣. 7.

ASYLI ANtiqua iura.

Strabo lib. 14. Cicer. 3. in Verr.

Aelianus lib. 11. de animal. c. 6. Greg. Giral. Synteg. 15. de dijs gent.

FERAE suum quoque habuerunt asylum, quo à feris tuerentur.

S. August. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 2. 3. 4. & 6. Ibid cap. 7.

TEMPLIS nostris debita religio.

A atque saeuissimas barbarorum mentes à Deo territas, refrenatas, temperatas fuisse confirmat.

Nec tantum haec, quae diximus, diuina praesidia templo ipsi assidua erant, sed & omnia asyli iura in templo illo Salomonis, & ante illud, in tabernaculo statuta fuisse probat sacrae Scripturae testimonium.

RELIGIO & ius asyli tabernaculo, & templo quae censeatur.

Nam cum homicidij diuersa genera exposuisset Dominus, voluntario decernens mortem, fortuito locum refugij, tandem subdit: *si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur*.

Exod. 21. ℣. 14.

Quasi dicat: hoc, quod maximum omnium refugium cum religione coniunctum debet haberi, non suffragetur insidiatori, ac doloso homicidae. B Quae lex in vno Ioabo valuisse videtur, qui, cum se esse reum mortis agnosceret, *fugit in tabernaculum Domini*, & apprehendit cornu altaris: Impunitatem, vt ait Iosephus, se inde quaesiturum existimans, propter Regis erga Deum pietatem.

3. Reg. 2. ℣. 28. Ioseph. 8. antiq. cap. 1.

Id postquam Salomon rescijt misit Banaiam, qui citaret eum ad tribunal causam dicturum: sed quoniam indignus fuit habitus, qui eiusmodi immunitate gauderet, ibi tandem peremptus est. Est & aliud huius rei exemplum in ipsis libris Regum, & in libro Paralipomenon: vbi impijssima Athalia templum ingressa Ioam puerum Regem proclamari cum videret, discissa veste, magno clamore C iubet interfici insidiatorem, & occupatorem imperij: *Egressus autem Ioiada Pontifex ad Centuriones, & principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa, & interficiatur foris gladio. Praecepitque Sacerdos, ne occideretur in templo Domini*.

4. Reg. 11. 2. Paral. 23. ℣. 14.

Nec enim fas esse ratus est, teste Iosepho, templum veneficae supplicio pollui.

Ioseph. 9. antiq. cap. 7.

Sed non est opinor cur coniecturis agamus communia exquirentes de templi asylo testimonia, cum suppetant propria. Philo enim cum Caij Caesaris morum inconstantiam, odiumque aduersus Iudaeos exposuisset, eum templi iura violanda distulisse narrat, illis verbis: Supererat, inquit, vnum sanctae ciuitatis templum cum iure asyli, id conabatur in suum proprium templum demutare, cum titulo, NOVI IOVIS D ILLVSTRIS CAII. Haec ille. Sunt vero tam multa, quae è templo in pios promanant beneficia, vt non modo adiutorium diceretur, sed & adiutorium magnum, quod magna, vt dixi, diuina, & humana vitae praesidia, atque subsidia praeberet.

TEMPLVM adiutorium dicitur.

ATRIVM basilica quare dicatur.

Hoc autem atrium, quod auxilij, siue praesidij Hebraeis dicitur, basilica vocatur à Sancto Hieronymo, Graeca voce Regiam significante, quod forte respexerit ad Graecam vocem αὐλὴ, qua & atrium significatur, vt dixi, & aula, regia, siue palatium. Haud dissimili fortasse annominatione nunc Itali curiam vocant corte: atrium vero cortile. Quam huius denominationis rationem attigisse videtur Lyranus.

ATRIVM magnum vel maius quod sit.

Huius autem atrij pene proprium nomen fuit, atrium magnum, atrium maius, tum quòd, vt alias dixi, atrij gentium nulla fit mentio, neque eius habetur ratio in sacris historijs, tum vero, quòd etiam si cum eo conferatur hoc atrium Israelis, cum latitudine amplius sit merito sic diceretur, quamuis à profano longitudine superaretur.

DE GAZOPHYLACIIS ATRIORVM IN vniuersum.

Cap. XXVI.

ET *ecce gazophylacia, & pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pauimenti*. Tria nobis his verbis indicat Propheta. Primum, gazophylacia fuisse in atrio exteriori templi illis verbis. *Et ecce gazophylacia*: Secundum, gazophylaciorum locum, *& pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum*: Tertium denique gazophylaciorum numerum extremis illis verbis: *triginta gazophylacia in circuitu pauimenti*. Et quod ad primum spectat, non est, opinor, cur alijs Scripturae locis confirmetur, quod disertis verbis hoc vno testatum habemus: quamuis huius atque aliorum collatio illud omnino confirmare posset, quod alias ostensum est, idem templum hic, atque in libris Regum, & Paralipomenon describi.

IDEM TEMplum hic, & in libris Regum describitur.

At quamuis idem ipsum saepius inculcare, quod proteruo alicui necessarium videretur, alijs foret certe molestum, locus tamen Paralipomenon insinuandus est, cum ea, quam supra attulimus eius loci interpretatione. Ibi enim de Dauide sermo est, descriptionem templi, & singularum eius partium rationes, mensuras, leges Salomoni filio suo perscribente.

Supra lib. 2. Isagog. c. 14. & 15.

Atque primum, vt dixi, de domo Domini, ciusque praecipuis partibus sermo est mox de atrijs, illis verbis: *Necnon & omnium quae cogitauerat atriorum* ולכל הלשכות vlecal halesacoth: *& exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros Sanctorum, diuisionumque Sacerdotalium, & Leuiticarum* &c.

1. Paral. 28. ℣. 11. 12. & 13.

D Eadem plane vox לשכות lesacoth, habetur in Paralipomenis, quae & in praesenti Ezechielis versu: exedraeque, siue gazophylacia, aut pastophoria, quae ibi scribunt Septuaginta, in circuitu atriorum fuisse dicuntur, sicut hic *gazophylacia in circuitu pauimenti*.

EXEDRARUM varia nomina & situs.

Hoc vero vnum Paralipomenon loco habetur expressum, quod ad gazophylaciorum attinet ministeria, & vsum, quod quia distincte magis & per partes alijs locis explicaturus erat Propheta noster, hoc loco non attigit.

Sed quod ad vocem pertinet לשכה liscah, vnde Hebraea deducitur, eam Rabbi Dauid putat, significare cubiculum. Exedram vertit Vulgatus, vt E vidimus in Paralipomenis, & alias; at vocis etymon, quod recentiorum quidam innuere videntur, dum putant exedram dici quasi extra aedem, longe petitum est. nam quamuis extra, hoc est in atrio exteriore exedrae constituerentur, de quibus nunc loquimur, non tamen inde vox deducitur, quae Graeca origine est à circumsessione deducta.

Rabbi Dauid in lib. rad.

LISCAH Hebraeum gazophylacij nomen.

GAZOPHYlacij nomenc.

Exedrarum vsus in Graecorum palaestris à Vitruuio describitur. Constituuntur autem in tribus porticibus, inquit, exedrae spatiosae, habentes sedes, in quibus Philosophi Rhetores, reliquique, qui studijs delectantur, sedentes disputare possint.

Vitruu. lib. 5. cap. 11.

Pollux exedram dici putat sessionem, vbi viri considere solent. Quamuis Cicero lo-

Iulius Pollux. lib. 1. c. 4.

Cic. 3. de Orat.

ro locum esse indicet, quo posito lectulo meridie A requiescant. Quod vero ad sessionem attinet, propterea fortasse Hebraei לשכת liscath, vocant

CONCIlium Zanedrim.

exedram zanedrim, quòd ibi circumsedentes nobiles illi duo & Septuaginta viri ius populo dicerent, ac de difficilioribus negotijs peragendis consultarent. Sed de huius concilij loco, & qua ratione inter gazophylacia meridiana constituendum sit, quae his, de quibus loquimur sunt similia, iterum agendum est.

Iam vt vidimus, haec eadem Hebraea vox pastophorium conuertitur à Septuaginta interpretibus. Vocis vero huius ita compositae fere ignoratur origo παςὰς pastos, porticum significat, vel cenaculum παςάς pastas, enim cenare B significat, thalamum nuptialem, & velum geniali lecto impendens, à πάςω pasto, quod est orno: & Plutarcho atrium, vbi fiebant conciones.

Plutarchus in Lycurgo.

PASTOPHOros Venus.

Quamuis vsu receptum fuisse videatur, vt quaelibet domus ad alium recipiendum apta παςὰς diceretur: hinc factum est, vt Venus Pastophoros dicatur, quasi thalamifera. Pastophori etiam ab Aegyptijs & Graecis Sacerdotes dicuntur,

Apule. lib. 11.

Greg. Gyral. Sintag. 17.

quo nomine Isidis Sacerdotes censuit Apuleius: vel sic dicti à veste, vel à velo. sicut enim ijdem Sacerdotes πυρφόροι dicebantur, hoc est igniferi, quòd ignem ante alios sacrificijs inferrent: sic & παςοφόροι pastophori, idest velum ferentes, dicebantur. cuius meminit Virgilius:

Virgilius.

Et capite ante aras phrygio velatus amictu.

Cuiusque exempla lapidibus expressa passim Romae videmus. Hinc etiam factum est, vt ipsa in templis cubilia Sacerdotibus constituta, pastophoria dicantur. Confirmat hoc Sancti Hieronymi sententia: qui, Pastophorium est, inquit, thalamus in quo habitat praepositus templi: quamuis ad explanationem loci Isaiae, quem tractat, potius pertinere videatur, quam ad vocis acceptionem, quae, vt dixi, thalamum significat, aut cubiculum in vniuersum.

S. Hieron. super Isa. 22. ℣. 15.

Eadem porro vox gazophylacium alias saepe, & hoc loco maxime conuertitur, quae Graeca vox ex Persica gaza componitur, qua quidquid possidemus significatur, pecunia, siue thesaurus, vt Curtius, & Mela scribunt, estque Latinis in vsu. & Graeca ἀπὸ τοῦ φυλάττειν, quod est custodio. sic Sanctus Gregorius Quia sermone Graeco phylattein seruare dicitur, & gaza, lingua Persica, diuitiae vocantur, gazophylacium locus appellari solet, in quo diuitiae seruantur. Duplexque gazophylacij genus licet in sacris litteris obseruare; alterum, quo pecuniae asseruabantur, alterum, quo res aliae maioris magnitudinis, aut molis, vel asseruabantur, vel asseruari potuissent. Prioris acceptionis exemplum liceat vnum aut alterum in medium proferre.

GAZOPHYlacium quid significet.

Q. Curtius lib. 3. circa finem.

P. Mella lib. 1. cap. 11.

Cic. 2. de Offic.

S. Greg homi. 38. in Ezech.

GAZOPHYlacium dicitur quicunque locus, quo diuitiae asseruantur.

4. Reg. 12. ℣. 9.

Et tulit Ioiada Pontifex gazophylacium vnum, E *aperuitque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo Sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quae deferebatur ad templum Domini.* Enim vero quando locus ipse id exigit, pauca quaedam de huius gazophylacij nomine loco & vsu dicere operaepretium duxi. Pro gazophylacio, in Hebraeo habetur ארון aron, voce ab ארן oren deducta, qua arborem quandam, siue materiam significari omnes conueniunt: quaenam ea sit, fere apud neminem constat. Sanctus Hieronymus, pinum, eam vocem conuertit: alij cedri genus esse arbitrantur: alij abietem:

S. Hier. Isa. 44. ℣. 14.

alijs ornus esse videtur, quòd Latina vox haud multum ab Hebraea distare putetur. Rabbi vero Dauid, vt huius rei difficultatem effugeret, genus fuisse arboris dixit ad opus bonum, & nihil praeterea. Propterea vox ארון aron, arcam significat, vel capsam ex ea materia primum confectam, sed quamlibet ex quauis materia deinde indicare consueuit. eius frequens vsus est in Exodo, atque alias cum de foederis arca fit mentio. Ex vsu vero, arcam gazophylacium vocauit hoc loco Sanctus Hieronymus, quòd in ea oblata pecunia esset asseruanda.

Rabbi Dauid in comment. & in lib. rad.

GAZOPHYlacium pro arca.

ARCAE Hebraeum nomen.

De loco porro huius arcae, vel gazophylacij, perspectum est in textu, in atrio positum fuisse interiore, *iuxta altare*, vtique holocaustorum, *ad dexteram ingredientium domum Domini*, hoc est in parte Aquilonari, inter vestibulum & altare. Ingredientes enim domum Domini, quae sanctuarium dicitur, ad Occidentem sitam, facie vtique Occidentem respiciunt ab Oriente auersi, dextra Aquilonem, sinistra Meridiem. & quidem, cum altare sit in media area atrij Sacerdotum, quicumque domum Domini ingredi voluerit, vltra altare progrediatur necesse est. Quo sane loco, quippe qui, vt à mortalium accessu longe remotus, ita in Dei Optimi Maximi oculis, & conspectu esset, bene seruatum iri sacram pecuniam arbitratus est Ioiada Pontifex, ne cuiC quam, praescriptis ea de re legibus neglectis, arcam illam aperire fas esset. Sed de huius gazophylacij situ adhuc ambigi posset, quia nulla ratione poterat populus, cui atrium interius ingredi non licebat, in huiusmodi gazophylacium, sua munera inferre. Id quod certum est, & huius loci testimonio certissimum. Ideo enim hoc institutum fuit gazophylacium, ne sacram & ad Saratecta templi instauranda oblatam à populo pecuniam impune in suos vsus templi ministrorum auaritia conuerteret, ideoque illis iniungitur, vt *Sacerdotes qui custodiebant ostia*, mitterent *omnem pecuniam, quae deferebatur ad templum Domini*, in praedictum gazoD phylacium, donec praesente scriba Regis, & Sacerdote, praedicta pecunia effunderetur, ac numeraretur. Verum quoniam deinde experientia fortasse compertum fuit, non satis prouisum fuisse sacrae pecuniae incolumitati, si per manus Sacerdotum ad gazophylacium deferretur, alia quoque gazophylacia in atrio exteriore constituta sunt, in quae ipsa populi offerentis manus pecuniam sacram immitteret. Atque huiusmodi gazophylacia referunt sacri Euangelistae, Lucas, Marcus, & Ioannes. De his quoque Iosephus templi enarrans incendia, rapinas, ac caedes; Quin etiam arculas, inquit, quae gazophylacia vocantur, incendunt, in quibus magna vis erat pecuniae, ac plurimum vestium, aliaque bona, & vt breuiter dicam, omnes Iudaeorum congestae diuitiae, quod opulentissimus quisque illuc totas domos exhauserat.

ARCAE, siue gazophylacij locus in templo.

QVOMODO populus munera offerret in gazophylacio atrij interioris.

4. Reg. 12. ℣. 14.

ALIA GAzophylacia in atrio exteriori

S. Lucas cap. 21. ℣. 14.

S. Marc. cap. 2. ℣. 14.

S. Ioan. cap. 8. ℣. 20.

Iosephus 6. belli, cap. 12.

Est autem longe diuersa ratio gazophylaciorum, quae hoc loco à Propheta recensentur. sunt enim ea, quibus similium initio capitis quadragesimi secundi meminit Propheta, cum absolutis mensuris domus Domini. *Eduxit me*, inquit, *in atrium exterius &c. & introduxit me in gazophylacium &c. Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris quinquaginta cubitorum. Et erat*, inquit, postquam longa oratione locum ac modum gazophylaciorum percensuerat, *subter*

GAZOPHYlacia Ezechielis, cubicula sunt, non arcae.

Ezech. 42. ℣. 1. 8. & 9.

ter gazophylacia haec introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriore. Ex quo mox facilis coniectura est gazophylacia haec suspensa fuisse, ac super prima contignatione saltem exstructa, sub quibus aditus aperiebatur, siue, in quae per scalas ascendebatur. Fuisse autem in ipsis porticibus templi, quae mox latae ostendendae sunt quinquaginta cubitos, probat allata quinquaginta cubitorum mensura: neque ea modo, sed & ipse contextus loci quem explanamus.

DE ATRIORVM ET PORTICVVM *pauimentis Cap XXVII.*

ET pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum. Hebraice: ורצפת עשוי לחצר סביב סביב vereispha ghasui lachatser sabib sabib. Et pauimentum factum atrio circum circa. vox רצפה ritspha, pauimentum significat ignitis carbonibus, vel lapidibus stratum. Ignitum carbonem significat ea vox apud Isaiam: *Et volauit,* inquit, *ad me vnus de Seraphim, & in manu eius* רצפה ritsphath, *calculus quem forcipe tulerat de altari.* Sed haec eadem vox apud Esther pauimentum lapide stratum significat, quod proprie Septuaginta λιθόστρωτος lithostrotos, vertunt: eadem plane notione. *Lectuli quoque aurei, & argentei,* quibus conuiuae epulaturi recumberent, super רצפה ritsphath, *pauimentum smaragdino, & pario stratum lapide dispositi erant.* Duplex haec vocis notio celeberrimum illum Canticorum locum, quo Salomonis ferculum describitur, varie interpretari coegit. *Media,* vel medium, siue interius eius, *charitate* רצוף ratsuph, *constrauit, propter filias Ierusalem* medium descensum, combustum, ardens amore. sic Chimchius. Septuaginta vero interpretes, secundam potius vocis notionem sequuntur. Intimum eius lapidibus constratum, charitate à filiabus Israel: quos sequitur Theodoretus, quamuis cum quinta editione medium eius legat. Sanctus etiam Ambrosius. Dorsum eius, inquit, gemmatum, stratum. Rabbi vero Selomo, quid hac perpetua allegoria respexerit Propheta, significare voluisse videtur: Ordinatum, inquit, in pauimento amoris arca, & propitiatorium, & Cherubim, & tabulae. Sed de hoc alias. Quod ad praesens attinet institutum, Rabbi Dauid: Notum est, inquit, quod sit pauimentum, iuxta illud, super pauimentum porphiretum, & byssinum variabant pauimentum lapidibus: ad relatum Estheris locum respexisse videtur Rabbinus hic, idem hac vna voce indicari arbitratus, quod ibi magis expressum est. Ea vero, quam tenuit Rabbinus sententia deceptus Pagninus, Vulgatae nostrae immerito aduersatur: בהט bahat, enim vox, quae apud Esther habetur, est, inquit, genus lapidis duri similis marmori: sunt, qui silicem esse putent, nonnulli crystallum: Hieronymus smaragdum, quod, inquit, non quadrat, ob eius maximam pretiositatem. Ego porphyritem lapidem arbitror significare, ex quo

IGNITIS lapidibus stratum pauimentum
Isa 6 ℣. 6.
Esther 1. ℣. 6.
LITHOstrotos quid significet.
Cant. 3 ℣. 10.
Rabbi Dauid Chimchi.
CHARITAte constare quid sit Theodoretus.
S. Ambr. 3. de Virginib.
Rabbi Selomo.
Rabbi Dauid in comment.
Sanctes Pagninus.

A pulchra fiunt pauimenta, vt est Romae in Agnetis sacello. Haec ille. Cuius plane ratio qua à Vulgata discedit, leuis est, ac nullius ponderis, cum, quod illa Septuaginta interpretum imitata est lectionem, qui sapientiores multo fuerunt Pagnino, & Rabbinis omnibus, quos ille sectatur, tum vero, quòd quae pretiosissimae Pagnini temporibus smaragdae fuerunt, his nostris, propter infinitam propemodum earum multitudinem, quae ex Indijs Orientalibus afferuntur, vltra quam credi potest viluerunt. Sed vtinam Iubam apud Plinium audisset, smaragdum asserentem, quem coson vocant, aedificijs in Arabia includi solitum. Sed & Theophrastus tradit, in Aegyptiorum
B commentarijs reperiri, Regi eorum a Rege Babylonio missum smaragdum munere, quattuor cubitorum longitudine, latitudine vero, in vna parte quattuor, in altera duorum. Se autem scribere esse in Tyro Herculis templo stantem pilam è smaragdo, nisi potius pseudo smaragdus sit. Quod si huiusmodi Scriptoribus smaragdi pretiositas non obstat, quominus tantae magnitudinis smaragdos referant, non est, opinor, cur eadem sacris Scriptoribus, aut interpretibus non permittat smaragdos pauimentis regiae, ad ostentationem exstructae potentiae atque iactantiae, smaragdos tribuere praesertim cum vox
C smaragdus non eximiam illam exigat pulchritudinem, aut splendorem, quem annulis inclusae gemmae prae se ferunt. plura enim licet enumerare smaragdi genera, alia minus, alia pretiosa magis. Inter quae haud immerito computare possent virides illos, praegrandesque lapides, gemmis haud impares, quorum non paucos Granata aduectos, in celeberrimo illo templo Sancti Laurentij in Scoriali admirabili artificio elaboratos posuit ter magnus ille, Dominus, Rex, ac Moecenas meus Philippus Secundus: quod lapidum genus serpentum nomine vulgus censet, serpentino, quod serpentum referat colores. Scio inter marmoris genera hoc censeri à Plinio. Pretiosissimi quidem generis Lacedaemonium viride, cun-
D ctisque hilarius. Sic & Augustum, ac deinde Tiberium in Aegypto, Augusti, & Tiberij primum principatu reperta. Differentiaque eorum est ab Ophite, cum sit illud serpentum maculis simile, vnde & nomen accepit, quod haec maculas diuerso modo colligunt. Haec tamen genera, quae Plinius retulit, & è quibus aliqua licuit videre fragmenta, vix videntur cum illo quod dixi colore, atque splendore posse conferri. Sed de voce בהט bahat, quid scribendum sit, non vacat vltra exquirere illud vtique è re nostra futurum esse existimaui, vt Rabbini sententia, quae Pagnino imposuit, nobis visu esse putetur. & ille quidem porphyretum vocasse putetur pauimentum, non pro-
E pter vocem בהט bahat. sed propter vocem רצפה ritsphath, quae vt initio dicebamus, & prunas, & pauimentum lapide stratum significat: quod si vtramque notionem coniungas, pauimentum lapide stratum significabit, lapide, inquam, prunas referente atque huiusmodi est lapis, quem vulgo Itali, Hispanique vocamus porfido, quo, vt durissimo, & expolitissimo, atque adeo pretiosissimo, stratas fuisse inferiores templi porticus, haud obscure ex hoc colligemus. Verum non porticus modo, sed & atria ipsa pretiosis lapidibus omnis generis fuisse strata, facile probari posset ex ipso Iosepho, nisi cuiusdam nouae sententiae inuentores sese nobis opponerent, constanter affirmantes

Iuba apud. Plin. lib. 37. cap. 5.
Theophrastus apud eundem.
PRODIGIOsi smaragdi.
SMARAGDI lapidis varia pretia & genera.
Plin. lib. 36. cap. 7.
AVGVstum, & Tiberium, marmor.
PORPHYretum pauimentum templi.

bina tantummodo atria à Salomone fuisse constructa, tertium omnium maximum & nobilissimum ab Herode quod atrium dicebatur gentium.

ATRIVM gentium à Salomone constructum.

4 Reg. 21. ℣. 5.

Id propterea illis venit in mentem, quod atrij gentium nullam videant mentionem in sacris literis fieri, sed bina tantum atria commemorari, maxime cum de Manasse dictum sit: *Et exstruxit altaria vniuersae militiae caeli in duobus atrijs templi Domini* ac si diceret, inquiunt, nihil reliquit, quod non pollueret. Quo quidem argumento, si alicuius ponderis esset, facile probare possent, neque atrium exterius fuisse in templo Salomonis, cum ductus Babylone Ierosolymam Propheta noster, vt idola videret, & abominationes domus Iuda, quibus, non templum modo, sed & terram repleuisse affirmat Dominus, *iuxta atrium interius*, primum sistitur, neque amplius ad exterius educitur. Sed mirari sane non desino, doctos ac prudentes viros huiusmodi emendicatis coniecturis duci, vt ea negent, quae alibi expressa sunt magis, & apud sacros scriptores, & apud ipsos prophanos, quorum testimonijs haec noua fulcire se putant commenta. Nam quod sacrae Scripturae atrium gentium sub hoc nomine non referant, longe alia ratione fit, quam non vacat referre, nec decet, cum paulo ante fusius sit à nobis confirmata. Quod vero Manasses, atque alij profanatores templi, idola sua ad interiora ducant, mirandum non est, si superba daemonis, à quo deducuntur, & quem colunt, mens attendatur, etenim, se magis honorari putabat, ac coli, cum in sacratioribus locis colebatur. accedit quod sacrae Scripturae id referunt, quod magis est abominandum, & atrox, neque propterea negant, minora quoque scelera ab eisdem peruersis hominibus fuisse commissa.

Ezec. 8.

Ibid ℣. 17. & 3.

SACRA scriptura atrium gentium sub hoc nomine quare non referat.

Supra cap. 14. huius.

Sed pudet me in re tam perspecta confirmanda immorari. Rogare vellem ego Scriptores hos: Quid sit, quod sacrae Scripturae Salomonem affirmant, aedificasse mello? fortasse dicent, esse id, quod Iosephus illis verbis enarrat: Cum autem Rex Salomon, qui etiam templum aedificauerat, muro eius partem ab Oriente cinxisset, vna porticus aggeri est imposita, & manebat ex alijs partibus nudum quo ad saeculis posterioribus aliquid aggeris accumulante populo coaequatus collis latior effectus est. Verum enimuero ex his Iosephi verbis aliud intelligunt, quod vix crederem in mentem cuiquam venire potuisse: videlicet neque atria, neque porticus à Salomone fuisse constructa. Ex his Iosephi verbis intelligimus, inquiunt, cur celliae in latere domus aedificatae sint paruae, & inaequales: nempe quia initio area illa vix templo ipsi sufficiebat vndique praeceps, atque decliuis. Deinde discimus partem tantum Orientalem fuisse cinctam muro alto, vt ita valles aggeribus complanarentur, & templum ex alijs partibus fuisse nudum idest, non cinctum atrijs. His aggeribus porticum impositam esse dicit, porticus nomine totam illam aream complectens, in qua erant atrium interius, & exterius: nam στοὰν siue porticum vocamus locum amplum & spatiosum ad ambulandum, tecto inclusum. Atque haec porticus omnino est, quae porticus Salomonis dicta est. Quae quidem omnia cum singulis fere verbis, singulis fere locis sacrae Scripturae, aut probatorum scriptorum se se opponant, eaque nos sparsim toto hoc opere pertractemus, longum operaeque plenum, minusque vtile fore iudicaui, ea hic referre: lectorem hortari satis esse duximus, vt ea suis quaeque locis ex-

Ioseph 6. belli cap. 6.

RESPONDETUR negantibus, atrium gentium à Salomone constructum.

A quirat. Atque illud in primis perpendant necesse est, quid sit, quod cum, mello aedificatum fuisse à Salomone, narrat sacer historicus, voraginem quoque ciuitatis Dauid completam fuisse tradit, quam non ad Orientem, sed ad Meridiem templi sitam fuisse probant sacrae Scripturae, atque ipsius Iosephi testimonia, nosque integro commentario. Sed qui templum porticibus atque atrijs nudum fuisse contendunt tempore Salomonis videant, quomodo intelligendum sit, quod paulo ante referebamus, Salomonem aedificasse *atrium maius rotundum*, seu circumquaque & illud quod infra explicandum est de tribus ordinibus lapidum politorum, & ordine lignorum B cedri, qui ordines omnes haud dissimiles fuerunt in porticu domus in atrio exteriore vel interiore. Sed quos a recta veritatis via vnus abduxit Iosephus, eosdem poterit fortasse idem in viam reuocare: quippe qui, cum de ipso Salomonis templo ageret: Circumdedit deinde templo, Salomon, septum quoddam trium cubitorum altitudine, quod nostra lingua γείσον vocamus, exclusurum profanam multitudinem, & solos Sacerdotes admissurum. Exclusit hoc plane septum scriptores non paucos, à plurium locorum sacrae Scripturae intelligentia, eos inquam, qui nihil praeterea in atrio interiore aedificatum fuisse putarunt. Ego vero vim illius argumenti percipere non potui: huius septi meminit C Iosephus, ergo nihil praeterea fuit in atrio: sed de his iterum. Videamus reliqua quae, ad porticus & atrium spectant Israelis, & gentium. Extra hoc septum erat fanum porticibus magnis ac latis cinctum, & portis altis patens: quarum singulae singulos ventos spectabant, & foribus auratis claudebantur, in hoc fanum cuilibet e populo mundo ac casto, & praescriptorum legis obseruanti accessus patebat Ecce quattuor ventos spectant quatuor portae porticuum atrij Israelis, quo ergo ducebat occidua, si templum ab Occidente porticibus nudum est, atque atrijs, vt illi contendunt?

Tom. 3. apparatus par. 1. lib. 2. cap 18.

NEGANT aliqui templum à Salomone porticibus fuisse cinctum

Supra cap. 25. huius.

3 Reg. 7. ℣. 12.

Iosephus.

8 antiq. c. 2.

SEPTVM, siue Gison atrij Sacerdotum

PORTICVS quaternae circa templum à Salomone extructae.

Sed ad atrium gentium veniamus, circa quod negandum non est, aliquam erroris ansam dedisse Iosephum. Dici autem non potest, ac vix D etiam oculis credi, quam mirandum fuerit illud exterius fanum: vallibus enim expletis tam profundis, vt ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo templum exstructum est, aequauit: atque hoc modo factum est, vt area fani cum solo templi aequaretur: hanc cinxit duplicibus porticibus, quas columnae e natiuo saxo sustentabant, & laquearia cedro expolita tegebant. Fores vero habebat totum hoc fanum, vtique exterius, siue gentilium, ex argento fabricatas. Ac ne quisquam putaret, aliquam ex praedictis porticibus, vel ab alio aliquo Rege, vel non simul à Salomone, sed post aliquot annos exstructam fuisse, subiungit: His tam magnis ac pulchris operibus, & donarijs septemo perfectis, non ad opulentiae modo, sed E & celeritatis ostentationem, quae enim aetatem integram hominis poscere videbantur, tam breui, si ad magnitudinem conferantur, tempore erant absoluta. Salomon Rex iussit &c. Sed quamuis nullum esset huiusmodi Iosephi testimonium, illud est summae auctoritatis, & certitudinis: *In anno vndecimo, mense Bul (ipse est mensis octauus) perfecta est domus in omni opere suo* hoc opus ad atrium & porticus gentium etiam spectare confirmat, quem modo laudauit Iosephus, *& in vniuersis vtensilibus suis: aedificauitque eam annis septem* Maneat igitur hoc semel firmum, atrium Israelis cum porticibus suis, quarum ornamenta atque mensuras nunc aggreditur Propheta explicandas: necnon atrium gentium cum

PORTICVS gentium ab eodem extructa circumdans omnia interiora atria.

3. Reg. 6. ℣. 38.

vniuer-

vniuersis porticibus suis, cuius vnam latitudinem metitur Angelus, vt videbimus, vno simul opere à Salomone fuisse exaedificata. Atqui ne has porticus atrij gentium alicui liceret vel maiores fingere, vel minores quàm olim fuerant à Salomone constructae, earum singulas partes definit Iosephus, quas cum sacrae Scripturae testimonijs ad vnguem respondere, infra ostendemus. A

Iosephus 6. belli cap. 6. Vniuersum tandem earum ambitum his verbis definit: Omnisque gyrus earum sex mensura stadiorum cum Antonia concludebatur. Ostendimus autem nos

MENSVRA omnium porticuum atrij gentium. *Supra lib. 1. Isagog huius partis cap 9. Infra Ezech. 45. ℣. 2.*

supra, stadium quadringentis cubitis exaequari: atque adeo singulas ex his quaternis porticibus stadium continentes ac semis, sexcentis cubitis exaequari: totidem autem eisdem ab Ezechiele tribui, infra ostensuri sumus suo loco.

ATRIVM gentium fuit lapidibus stratum.

Paumentum quoque atrij gentium cuiusmodi fuerit, enarrat idem Iosephus: Totum autem, inquit, sub dio spatium variabatur omnium quidem generum lapidibus stratum. Sed & ipse Iosephus hoc idem pauimentum referre videtur, cum Iulianum quendam Romanum militem sibi notum commemorat. Qui, inquit, vbi Romanos iam cedere, & male repugnare conspexit (propter Titum autem apud Antoniam stabat) subito prosilijt, iamque Iudaeos vincentes, solus ad interiorem vsque templi angulum persecutus est: &c. Verum & ipsum profecto fata persequebantur: Calceos namque habens creberrimis, atque acutis clauis, vt caeteri solent milites fixos, dum strato saxeis crustis solo curreret, labitur, magnoque cum armorum sono deiectus, in tergum fugientes reduxit. Hoc vero, quod C in atrio gentium primus Salomon maxime ad decorem domus conducens praestitit, ac deinde Herodes, quis neget in atrio ipso Israelis, multo pretiosiore opere ac materia factum fuisse? Sed quoniam prae porticuum pauimenti pulchritudine, ac magnificentia, vix digna videbantur atriorum pauimenta commemoratione, illorum tantummodo mentionem fecit: *Et pauimentum,* inquiens, *stratum lapide in atrio per circuitum.* quasi per Antonomasiam, huius potissimum memor. Sed cum varios ac pretiosissimos lapides in templo fuisse, indicat celebre Dauidis testimonium, omnem Ecclesiam in hunc modum allo- D

1. Paral. 29. ℣. 2. quentis: *Ego enim totis viribus meis praeparaui impensas domus Domini Dei mei, aurum &c. lapides onicinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor parium abundantissime.* Hebraea sic vertit Regius codex: lapides onychis, & impletionum, lapides fuci, & variegationis, & omnem lapidem pretiosum, & lapides marmoreos in multitudine. Septuaginta. Et lapides onychinos, & ad copiam lapides pretiosos, & varios, & omnem lapidem pretiosum, & lapides parios in multitudinem.

Sed quoniam hic locus propriam exigit tractationem, cum de templi materia agetur, hic satis erit indicare parietes templi candidissimo marmore, quod vocat Parium, exstructos fuisse, auro vndique distinctos: quapropter varij huiusmodi lapides, ac diuersorum colorum, in pauimenti ornamento fuerunt, cuius nunc meminit Propheta. E

MIRA pauimenti opera. *Nehemiae 3. ℣. 16.*

Huius vero pauimenti opus admirabile indicat Hebraea vox עשוי ghasui, verbi עשה ghasah, participium, quod legimus apud Nehemiam: vsque ad piscinam העשויה haghasuiah, factam. Septuaginta vsque ad piscinam, quae facta erat. Vulgatus vocis notionem aptissime reddidit, *quae grandi opere constructa erat.* Pauimentum hoc, ipsasque porticus retulit historia Regum: *Tulit,* inquit, *Rex Achaz caelatas bases, & lut erem,* vnumquemque, vel singulos luteres, *qui erat desuper. & mare deposuit de bobus aereis, qui sustentabant illud, & posuit super pauimentum stratum lapide.* hoc est in porticibus: nam pauimentum, hoc loco, per synecdochen pro vniuersa porticu sumitur, & apud nostrum Prophetam porticum significat, quae pauimento superstat: haud secus quàm supra de voce vestibuli dicebamus, quae pro cauedio sumitur, necnon pro porticu vel fornice, quae illi superstat. id disertis verbis significauere Septuaginta, voces potius, quam rationem interpretati: Et ecce pastophoria, inquiunt, καὶ περίστυλα τῆς αὐλῆς κύκλῳ, et peristyla atrij cyclo. & columnae atrij in circuitu. Sic Complutensis, & Regius codex. Sixtianus: & intercolumnia atrij. Peristylia vero à Vitruuio vocantur loca, siue atria columnis cincta. Peristyliorum, inquit, intercolumnia, ne minus trium, ne plus quattuor columnarum crassitudine inter se distent. Loquitur autem Vitruuius de columnis exstantibus, sed longe diuersa ratio est nostrorum peristyliorum, in quibus columnae postibus adhaerent, hi fornicibus connectuntur, vt vides in dissectu templi orthographia.

4. Reg. 16. ℣. 17.

PAVIMENTVM stratum lapide in historia Regum.

B

Vitruu. lib 6. cap 4.

PERISTYLIA quae dicantur.

Sed quae praesenti versu peristylia vocant Septuaginta, haec eadem sequenti vocant porticus, vt perspectum omnibus esse possit, quid pauimenti nomine accipiendum sit. Eiusmodi vero porticus pauimenti nomine censentur in Hebraeo, quod omnino sint peruiae, quarum vndique pauimentum possit, vel ex ipso atrio esse conspicuum, quo diuersam esse ostendat porticuum fabricam, ab alijs aedificijs, quae perpetuis muris concludi solent. Est igitur hic loci sensus: externus atrium ingressus, animaduerti illud porticibus vndique cinctum, tessellatis pauimentis affabre elaboratis, quibus exedrae imminebant, in singulis intercolumnijs singulae: nam quod de superioribus exedris loquatur, toto contextu constat, atque allato paulo superius exemplo, & sequentibus.

DE GAZOPHYLACIORVM NVMERO,
& porticuum latitudine.
Cap. XXVIII.

TRIGINTA *gazophylacia in circuitu pauimenti.* Hebraice שלשים לשכות אל הרצפה selosim lesacoth el haritspath, triginta cubicula in pauimento. Rabbi Dauid: אל el, inquit, est quasi על ghal, supra. sic Chaldaeus paraphrastes, triginta, inquit, gazophylacia super pauimentum. Septuaginta ἐν τοῖς περιστύλοις, In columnis legit Regius codex: in intercolumnijs Sixtianus. Quae omnes versiones quamuis diuersae videantur, eundem ac proprium cubiculorum situm indicant, supra pauimentum videlicet,

Rabbi Dauid in comment.

hoc est super prima contignatione constituenda esse cubicula. Ductus ad exterius atrium, inquit, Sanctus Hieronymus, statim intuitus est triginta thalamos, vel gazophylacia, siue, vt Symmachus interpretatus est, exedras, quae habitationi Leuitarum, atque Sacerdotum fuerunt praeparatae. Haec Sanctus Doctor. Sed & Theodoretus: Ait igitur, inquit, in interiore atrio se vidisse pastophoria, locaque columnis fulta triginta. Pastophoria vero Syrus exedras appellauit. & haec item Sacerdotibus dedicata fuerant, vt idem Propheta docet. Quòd vero Septuaginta interpretes, pro pauimento, peristylia, columnas, vel intercolumnia posuerunt, significare voluisse videntur, singula gazophylacia singulis statuta fuisse intercolumnijs, id quod probant eorumdem, apud Hieronymum, verba: Et ecce thalami, & intercolumnia atrij per circuitum triginta thalami per columnas, subaudi singulas, vel totidem, si columnas accipias pro postibus. Hic enim thalamorum numerus non casu positus esse credendus est, neque parum cum reliquis numeris conueniens: sed qui ex maxima cum reliquis consensione & proportione deducatur, vt caeteri qui à Propheta percensentur. Quod tunc esse poterit maxime perspectum, cum huius numeri ratio reddetur, quae tota ex atrij dimensa latitudine, ac longitudine petenda mox est, & ostendendum, posse quidem vel ea vna atrij postes definiri, & fornices, siue vestibula, aut si malis, peruia intercolumnia atriorum.

S. Hieron.
GAZOPHI-lacia haec sacerdotum habitationi data.
Theodoretus.
Infra ℣. 19.

Sed audienda nunc est Rabbinorum sententia, qua videre possimus, & quomodo ipsi, ex hac Ezechielis narratione colligant discrimen, inter secundum templum, & primum, & quam reddant rationem eorum, quae aliter in secundo templo constituta sunt. Ex eo autem, inquit Dauid, quod dixit pauimentum inferius, videtur in eo esse pauimentum inferius, & superius: inferius quidem erat super fundo, vel solo terrae, superius vero erat fabricatum super columnis tabulari. Fieri autem potest, vt propter illud aedificauerint in secundo templo tabulatum in atrio mulierum: dicitur enim in tractatu mensurarum, pars erat in principio, quam circumdederunt tabulato, quo mulieres ex superiore parte videbant, viri vero ex inferiore, ne forte simul commiscerentur. Rabbi vero Salomon: Pauimentum dico ego esse superiorem quemdam locum per gyrum, similem ei de quo legimus, pars erat in principio, quam circumdederunt tabulato, & super illo loco superiore erant gazophylacia. Horum simillima est Vatabli lectio: Porro me introduxit in atrium exterius, & ecce cellas & pauimentum factum in atrio circumquaque, erantque triginta cellae in pauimento: vel, vt habet in notationibus: super illud pauimentum exstructae. Sed de gazophylaciorum numero post recensitam porticuum longitudinem & latitudinem iterum agemus.

Rabbi Dauid in comment.
ORIGO atrij mulierum vnde sumpta.
Rabbi Salo.
Vatablus.

XVIII. *Et pauimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius.* Difficilis plane locus, propter diuersam Latini sermonis, ab Hebraica, phrasim, sed intellectu maxime necessarius, quippe qui omnium templi porticuum latitudinem definiat, vt, cum explanatus fuerit, ostendemus. Sermonem hic fieri de eodem pauimento, super quo erant triginta illa gazophylacia; & perspicuum est, & à Rabbi Dauid confirmatum. Pauimentum, inquit, super quo erant gazophylacia factum erat in transitu portarum

Rabbi Dauid in comment.

A hinc, & inde: significatio autem vocis, כתף cetheph, est latus transitus, Hebraice והרצפה אל כתף השערים לעמת ארך השערים veharitspha el cetheph hasegharim leghamath orec hasegharim. Et pauimentum ad humerum portarum è regione longitudinis portarum, pauimentum inferius. Chaldaeus: & pauimentum, legit, in latere portarum. Sed dictionis huius asperitatem aliqua ex parte emollire conati sunt Septuaginta interpretes, qui quamuis eadem vbique ratione Graece scribant, non eadem, sed diuersa ab interpretibus Latinis conuertuntur. Complutensis & Regius codex: Et porticus ab Austro portarum secundum longitudinem ianuarum columnae quae inferius. In

B Sixtiano: Et porticus ad dorsum ianuarum: secundum longitudinem ianuarum intercolumnium inferius. Apud Sanctum Hieronymum: Et porticus post ianuas in longitudinem ianuarum ante columnas inferius. Huius vero difficultatis causa partim ex vocis כתף cetheph, oritur notione, nam humerum proprie significat, & transfertur non raro ad significandum cuiuscumque rei latus. Sic Iosue terminos describens sortis Iudae: *Transitque*, inquit, אל כתף el cetheph, ad humerum, *iuxta latus montis Iarim*. Ita quidem in praesenti pauimentum, siue porticus ad latus portarum, siue à lateribus portae: est enim venustati Hebraici sermonis frequens huiusmodi

HVMERVS pro latere sumitur.
Iosue 15. ℣. 10.

C numerorum permutatio. Nisi malis, hanc mensuram initio de portis omnibus dici, ac si aperte dicat: commune est huic cum omnibus portis, vt laterales porticus latitudine pares sint portarum longitudini, id enim significat vox לעמת leghamath, secundum quam, coniunctionem, consequentiam, vicissitudinem significari putant, atque adeo locum Ecclesiastes, quo sic legimus: *Miserabilis prorsus infirmitas*, כלעמת calghamath, *quomodo venit, sic reuertetur*: sic exponunt. Et etiam hoc malum dolorosum, omni pacto, quo venit, sic ibit. Omnium vicissitudo, legunt alij, quod vt venit, ita abijt. Verum plerumque vox haec praeposita ל lamed, littera, legitur, & transit

Ecclesiastes 5. ℣. 15.
Io. Forsterus.

D in naturam aduerbij, significatque iuxta, erga, prope, ex aduerso, è regione, quod Latinus interpres bene vertit: *secundum*. Haud incongrue paraphrastem agens locum conuertit Vatablus: Et pauimentum quidem porrectum fuit ad humerum portarum, iuxta portarum, altitudinem posuit, pro latitudine nam quamuis vox ארך orech, vt supra dicebamus extensionem significet, atque adeo nonnumquam altitudinem denotet. hic tamen nihil ad portarum altitudinem pertinens dimensum est, sed ad longitudinem, quae paulo ante quinquaginta cubitis fuerat definita, vt constans omnium interpretum sententia confirmat. Sed & Sanctus Gregorius viam alijs, quas

Vatablus.
LONGITVDO portarum hic refertur, non altitudo.
Supra ℣. 11. huius capitis.

E insectatur interpretationibus sternens, proprium expressit loci sensum, quem litteralem vocant. Si portarum longitudinem, inquit, ad locum referimus, in quo portae fuerant constructae, secundum longitudinem portarum pauimentum erat inferius: quia quantum tenere locus portarum poterat, tantum tendebatur & pauimentum, quod erat inferius. Aptissime retulit sensum, & illorum potissimum verborum, & pauimentum *erat inferius*. hoc est infra exedras, thalamos, seu gazophylacia, quae paulo ante dixerat, super pauimento exstructa fuisse. Id quod sanctus Hieronymus, mysticos quoque sensus persecutus illis verbis confirmauit: Et pauimentum, inquit, stratum

S. Greg. hom. 18. super Ezech.
GAZOPHYlacia super pauimento.
S. Hieron. super Ezech.

erat

erat lapide, ne luto & terra & puluere peccatorum, habitantium polluerentur vestigia: sed vt super viuos incederent lapides, quibus aedificatur templum Dei. Siue intercolumnia erant ante thalamorum fores, quae (columnae) impositum desuper aedificium sustentarent. Istae sunt
Galat. 2. ℣. 9. columnae, de quibus & Paulus Apostolus scribit: Dexteras dederunt mihi & Barnabae, Petrus & Ioannes, qui videbantur columnae esse &c. Pauimentum ergo quod erat in fronte portarum de quo iam diximus, siue porticus post tergum portarum, quae habitatores thalamorum ab imbribus defendebant, erant inferius. Haec Sanctus Doctor.

PORTICUUM latitudo quinquaginta cubitorum fuit, longitudo quingentorum.

B Iam vero satis superque arbitratus sum videre posse lectorem, quid his verbis definiatur, nempe latitudinem porticuum, quae vtrimque procurrebant à lateribus portarum, fuisse quinquaginta cubitorum: quanta nimirum erat portarum longitudo. Harum vero porticuum longitudo multo maior fuisse censenda est, quippe quae totam compleat atrij Israelis latitudinem, aut longitudinem quingentorum cubitorum, vt infra ostendetur. Est autem obseruanda quàm maxima partium symmetria, & commodulatio, quae his verbis quamuis concisis, & obscuris, nobis innuitur.
RATIO VNIuersae areae. Cum enim sex portae huic omnino similes, similiterque dispositae à Propheta referantur, in
C media sex porticuum longitudine apertae, fit primum, eiusmodi sex porticus, Orientales duas, duasque Meridianas, totidemque Aquilonares latitudine, portarum longitudinem aequasse quinquaginta cubitorum. Cumque sequenti versu area Orientalis atrij exterioris quadrata fuisse ostendatur centum cubitorum, ac paris formae, & mensurae Aquilonaris, & Meridiana ostendatur deinceps fuisse, erunt quoque porticus illae quinquaginta cubitorum, in quibus praedictae porticus decussantur, paribus lateribus rectisque angulis quadratae. Idemque facili discursu probari poterit, de reliquis omnibus porticibus, in quibus binae, vel plures longiores porticus sese in-
D tersecant, in earum namque sectione quadratae porticus necessario fient quinquaginta cubitorum. Quae omnia iterum magis ac magis confirmabuntur: nunc enim satis praesenti instituto fecisse me arbitratus sum, quod breui insinuauerim vniuersae distributionis, & Ichnograpiae rationem, ac maiores quasdam, praecipuasque mensuras, ex quarum partitione minores reliquae conficiuntur.

Vnum aliud praeterea innuitur, dum porticus hae respondere dicuntur longitudini portarum, quod porticus in ternas ambulationes diuisae sint. diuisa namque ostensa est portae longitudo binis medijs postibus in terna vestibula,
PORTICVS in ternas ambulationes diuisae sunt. atque in tres thalamos inter vestibulorum ac po-
E stium stylobatas existentes. Postes praeterea porticuum vniuersi lati erant cubitos quattuor, crassi calamum vnum, quoniam huiusmodi dimensionibus, constant, bini thalamorum, & portarum postes. Excipiuntur vero ex hac postium dimensione postes angulares, qui & propter fir-
POSTES ANgulares quadrati aequales calamo. mitatem, & propter altorum responsum quadrati sunt, quorum singulae frontes sunt singulorum calamorum. His vero annumerandi sunt exteriores circa portam postes, qui, quòd interioribus thalamorum, & exterioribus porticuum postibus respondent, illis sunt pares triplici ex parte. in fronte vero duabus exornantur semicolumnis,

A quarum centra calamum inter se distant vt videre singula, atque perpendere poteris in Ichnographia vniuersali. Quae omnia ad latitudinem spectant porticuum, & formam: iam vero ad earundem longitudinem explicandam accedit vates.

QVADRATA AREA DEFINITVR;

porticuum longitudo, ac mira fabricae dispositio expenditur.

Cap. XXIX.

ET mensus est latitudinem à facie portae inferioris, vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem. XIX.
AREAE Orientalis exterioris atrij mensura. Apertissime Septuaginta interpretes, quid hoc loco dimensum ab Angelo sit, & qua ratione id describatur a Propheta breui & concisa oratione indicarunt, quamuis bona pars huius versus in Latino Sixtiano Codice desidererur, quae in Graeco item Sixtiano legitur, atque in omnibus alijs. Eo igitur Latino codice praetermisso, qui sedulam effugit librariorum operam, in reliquis sic legimus: Καὶ διεμέτρησε τὸ πλάτος τῆς αὐλῆς, ἀπὸ τοῦ αἰθρίου τῆς πύλης τῆς ἐξωτέρας ἐπὶ τὸ αἴθριον τῆς πύλης τῆς βλεπούσης ἔξω πήχεις ἔσωθεν ἑκατὸν τῆς βλεπούσης κατὰ ἀνατολάς. hoc est, Et mensus est latitudinem atrij.
D haec desiderantur in Latino Codice praedicto, reliqua habentur; ab eo loco qui erat sub diuo portae exterioris ad intus sub diuo portae respicientis extra, cubitos centum, respicientis ad Orientem. Sed perspicue magis apud sanctum Hieronymum conuersa haec sunt: Et mensus est latitudinem atrij ab eo loco, qui erat sub diuo portae exterioris vsque ad interius sub diuo portae interioris, quae respiciebat exteriora cubitos centum, & vergebat ad Orientem. Quibus sane verbis, erroris in primis conuincun- ERRANT Rabbini hac atrium mulierum referentes.
tur Rabbini, qui, quae de exteriore atrio dicuntur hoc capite, ad atrium reuocant mulierum, quae de interiore, ad atrium Israelis: cum duo tantum atria commemorentur, neque reliquum sit inter
E ea spatium alicuius atrij praeterea capax, atque in ipso atrio interiore mensae referuntur ad immolandum, & altare holocaustorum aeneum, quae in atrio Israelis collocari non possum. In tequis vero, quae ad Hebraicae litterae constructionem spectant collimasse videntur scopum. Exteriorem autem portam inferiorem dici confirmat Dauid, quod gradibus ascenderetur ab exte- *Rabbi Dauid in comment.*
riore atrio in atrium interius. & subdit: Mensurauit vero latitudinem, quae erat inter hanc por- EXTERIOR porta quare dicatur inferior.
tam, & portam atrij interioris centum cubitorum extra atrium interius. quasi dicat, mensura haec erat à parte exteriori non cum porta interiori: & ideo dicit, ad frontem atrij interioris,

R. Salomon in comment. quasi dicat, vsque ad frontem atrij. Rabbi Salomon; *Et mensus est*, inquit, *latitudinem*, idest spatium atrij mulierum: *a facie portae inferioris*: haec est porta superius explicata, *ad frontem atrij interioris*, idest, vsque ad atrium Israel. *Ad Orientem, & ad Aquilonem*, idest ad istas duas plagas spatium eius erat centum cubitorum.

Illud vero perspectum esse in primis debet, quod Septuaginta interpretes, & Rabbinus intellexerunt, Hebraica voce רחב rochab, hic proprie spatium significari, vel plateam, quamuis cuiuscumque rei latitudinem significare soleat longitudini oppositam, ab eadem enim radice paululum immutata deducitur vox רחוב rechob, quae
LATITVDO *pro platea, vel area sumitur.* plateam significat, à latitudine sic dictam. Qua enim alia ratione ad Orientem, & ad Aquilonem latitudinem posset metiri? Hanc vero plateam, hoc spatium, vel atrium Graecae αὐλὴν
Genes. 19. ℣. 2. & Esther 4. ℣. 6. & Ezech. 16. ℣. 24. diceres, quamuis duplicem vocem apposuerint Septuaginta τὸ πλάτος τῆς αὐλῆς, hoc est latitudinem atrij. Quem sensum si adhuc tenere velimus, latitudinem atrij ab Oriente in Occidentem computandam esse intelligemus: cum duplici alia area centenum cubitorum dilatetur idem atrium versus Austrum, & Aquilonem; versus Occidentem vero haec vna area atrium contingat interius, vt vides in contextu, & in Ichnographia.

Sed, *à facie portae inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus* legimus, vt sub mensuram veniat haec latitudo: vbique enim in Hebraeo habetur לפני liphne, quae vox à verbo פנה panah, deducitur, quod aspicere significat, vel
HEBRAEA *vox facies.* respici. Hinc dicitur פנים panim, vox forma pluralis numeri faciem significans, quod prospiciat, vel prospiciatur: transferturque ad significandum aspectum, vel partem anteriorem cuiuslibet rei, externam rerum speciem, habitum vel gestum: quam vocem Graeci nunc πρόσωπον, nunc σχῆμα vocant, de qua alias: nunc vero satis est eam notionem innuere, quae exteriorem aedificij prospectum indicat. Aptissime igitur Vulgatus faciem, vel frontem aedificij conuertit. Vox enim facies, vt dixi, vim vocis Hebraicae
Iosephus 6. Belli cap. 6. reddit: eundem vero dicendi morem tenuit Iosephi interpres, quippe qui Graecam vocem πρόσωπον prosopon, faciem conuertit. Exterior, inquit,
ASPECTVS *& frons aedificij.* facies; loquitur autem de Sanctuario, nihil quod animus aut oculi mirarentur non habebat: crustis enim aureis grauissimis vndique tecta, vltra primos ortus igneo splendore lucebat. Hanc autem faciem Vitruuius
Vitru. lib. 3. cap. 1. nunc prospectum vocat: Aedium, inquit, principia sunt, e quibus constat figurarum aspectus. nunc vero frontem: In quis erit, inquit, aedes, cum habebit in fronte
Ibid. & lib. 4. cap. 3. antas parietum, & alibi saepe. Rem ipsam, quae huiusmodi periphrasi significatur, complexi sunt Septuaginta interpretes ἀπὸ τοῦ αἰθρίου, a subdio portae exterioris, scribentes, vsque ad locum, qui erat sub diuo portae interioris. Quoniam area haec atrij, quam modo metitur, duplici porticu cingebatur, altera ab Oriente, in qua aperiebatur porta Orientalis atrij exterioris; altera Occidentali, in qua aperiebatur Orientalis etiam porta atrij interioris, & vtraque porticus cum vtraque porta propria contignatione ac tecto erat operta, area tantum interiacens erat sub diuo; itaque metitur ab ea parte portae inferioris, vel exterioris, quae subdiualem terminum huius areae contingit vsque ad portam atrij interioris, & eam eius partem exteriorem, quae extre-

A mam subdiualem portam eiusdem areae contingit, & reperit *centum cubitos* in ea dimensione, quae recta tendit ab Occidente *ad Orientem*, &
totidem reperit in ea quae tendit à Meridie *ad Aquilonem*. Id quod concisa Hebraici sermonis oratione paulo obscurius dixerat: *ad Orientem*, inquiens, *& ad Aquilonem*. Quae verba, **QVA RAtione à mensura sit area quadrata.** quadratam fuisse aream, demonstrant, paribus angulis, paribusque lateribus. breuiore sane oratione consimilem mensuram retulit bis infra; *Et mensus est à porta vsque ad portam* si addas, *Infra ℣. 23. & 27.* exclusiue, rem totam comprehendes, *centum cubitos*.

Ex his igitur atrij mensuris, porticuum longi-
B tudo colligitur ipsi areae par, centum fuisse cubitorum, dupla ratione latitudinis earum, quae paulo ante quinquaginta cubitorum fuisse ostensa est. Sed superest nunc quidem, vt ex hac singularum porticuum longitudine is gazophylaciorum, vel intercolumniorum numerus colligatur, quem supra enumerauerat Propheta: isque idem ostendatur cum praedictis mensuris, & calami longitudine ad amussim conuenire. Et sane res est difficilis valde, & quae Salomonem exigeret interpretem, ad quem cum Tyrius Rex quaestiones aenigmaticas misisset, rogassetque vt ea explicaret, & dubitationem sibi eximeret, ille callens huiusmodi rerum, ac prudentissimus
PORTIcuum singularum longitudo centum cubitorum propter spatia quadrata inter porticus.
C nihil inexplicatum relinquebat: sed omnia ratione peruincens, & perscrutatus eorum intellectum, omnia declarabat. vt Auctor est Iosephus. *Iosephus 8. antiq. cap. 2.*
Quis, quaeso, quadratam aream simili, ac pari membrorum dispositione apprime exornatam in paria diuidat intercolumnia numero triginta? Accedit huic insuper alia difficultatis non minor ratio, quod portae in media Orientali atque Occidentali porticu apertae, intercolumnia assignare cogunt numero imparia, quo vnum in medio portae detur: quod si intercolumnia sint paria, solidus postis manebit in medio, porta in medio aperiri non poterit. Et certe si hac ratione septem in singulis lateribus ponamus inter-
TRIGINTA gazophylacia, vel intercolumnia quomodo computentur.
D columnia, erunt circumquaque omnia duodetriginta. quod si octona aperiamus contra praedictam Prophetae legem, numerus omnium intercolumniorum atrij superabit tricenarium adhuc binario, quater enim octo duo complent & triginta. Sed si nouena aperias intercolumnia, omnium numerus erit sex & triginta. Neque **TRICENARIJ numeri inueniendi difficultas** vero affirmare licebit totidem extitisse intercolumnia, è quibus triginta tantum computantur ab Angelo, dimissis reliquis, in quibus verbi gratia portae aperiebantur, aut ea alijs deputabantur vsibus: id enim liberum est, cum nulla possit ratio assignari, cur haec, non illa enumerasset: ac-
E cedit quod, vt dixi, gazophylacia haec in superiore contignatione exstructa erant, quorum fenestrae ex atrio inferiore cernebantur, atque omnes pares & ex aequo computari poterant, nec vllum illorum, portarum ostijs, quae inferiora erant, impediri poterat. Qua in re ingenue fatendum est, nos diu multumque desudasse. non enim quemquam arbitrari fas est, haec omnia, quae simul, ordineque proponimus, simul ac semel inuenta, aut excogitata simul fuisse, sed sensim, per partes, easque nonnumquam minimas, & a sese longo temporum interuallo plerumque remotas. Atque inter alia quidem inuentu difficilia, hoc vnum fuisse difficillimum non negamus; cum enim nunc septena, nunc

octona,

octona, nunc nouena, nunc plura, nunc pauciora in singulis huius areae lateribus distribuissemus intercolumnia, numquam obtinere potuimus, vt tricenarius aliquis numeraretur, vel intercolumniorum, vel gazophylaciorum numerus, ita vt intercolumnia ipsa, & porticuum mensurae aliqua ex parte congruerent cum mensuris portae Orientalis, quae reliquarum est prima, modulus, norma: neque cum Angeli calamo consentiebant ad quem, vt ad propriam mensuram aedificium omne exigi oportere, certo certius agnoscebamus. Sed qua id ratione fieret, nondum assequi poteramus. Haerebamus igitur in salebra, & quo vehementius efferre pedem conabamur, eo mergebamur altius. erat enim cognitu facilimum, in quo deficeret, vel à recta ratione fabricae, vel à certis Prophetae mensuris, ea quam quotidie nouam excogitabamus, delineatio, quomodo ad rectam rationem reuocaretur, non difficile modo, sed fere impossibile, videbatur. donec, Deo bene disponente, incidit nobis consilium bonum, ac cogitare coepimus, non temere aut frustra calamum illum sex cubitorum & palmi ab Angelo gestari, & coniectura quadam haud ariolatrici expendebamus, num certam aliquam rationem ad vniuersam fabricam, atque ad singulas eius partes haberet is calamus. deducebat nos in hanc sententiam, quod muri totius aedificij ac thalami in vestibulis calamo dimensi essent: neque longè a vero aberat portae longitudinem in calamos posse diuidi octonos, latitudinem in quaternos: cumque tum haec quinque & viginti cubitorum mensura, tum illa quinquaginta, partes essent, quas aliquotas vocant, quingentorum, quo numero vniuersum Israelis aedificium comprehenditur ab Angelo, facile coniecimus, vniuersum atrium Israelis calamo nos posse partiri: immo pulcherrimam mox obseruare licuit partium ac numerorum rationem. Numerus enim vniuersae fabricae Israelis quingentorum, decupla ratione maior est quinquagenario latitudinis porticuum, & longitudinis portarum, quapropter aequam in calamos vtriusque partitionem, eandem necessario rationem habituram esse cognouimus: atque adeo, cum portae longitudinem in calamos octo diuisam fuisse statueremus, vniuersum atrium Israelis in calamos octoginta partiendum esse arbitrabamur. Quid plura commemorem, cum primum aream quandam quadratam quingentorum cubitorum disposuimus, eiusque singula latera in partes aequas partiti sumus octoginta, & per singulos diuisionum terminos rectas lineas occultas duximus: mox apparuit & qua ratione omnibus prophetae numeris posset fabrica respondere: atque in singulis, quae ab Angelo dimetiebantur, atrij areis tricena inueniri gazophylacia, totidem superstructa intercolumniis, vel atrij vestibulis. Id quomodo fiat, breui nunc accipe.

CALAMI vsus maximus.

CRATICVLae noua demonstratio & vsus

Singularum porticuum latitudini calamos tribuimus octonos, areis atriorum quadratis, sexdenos: totidemque adiacentium porticuum longitudini. Et quod ad porticuum latitudinem in suas partes distributam pertinet, non dubito, quin satis ea perspecta iam possit esse lectori. quoniam Prophetae verbis ducti, postium, siue murorum crassitudini singulos vtrimque tribuimus calamos, ex senis reliquis, binos singulis ambulationibus, quae duplici columnarum ordine ternae distribuuntur. Iam vero, si in hac eadem area Orientali maneamus, eiusque dexteram aut sinistram porticum expendamus, eam diuisam esse intelligemus in octona spatia, singula duorum calamorum, paria vtique spatijs latitudinis porticus. Nam sicut ibi seni calami inter extremos muros diuiduntur in tres ambulationes, vel tria spatia, singula duorum calamorum, ex centris computata columnarum, sic etiam sexdecim calami in octo partes tributi, singulis partibus binos tribuunt calamos. atque adeo fit, vt vestibula sint paria, & inter se, & cum vestibulis portarum, sintque numero octona, postes vero siue columnae, quae spatia distinguunt, septena.

QVA RAtione in suas partes distribuantur porticus.

Sed priusquam ad reliqua progrediamur, hic iam licet in huius distributionis mysterijs contemplandis tantisper immorari, vel propterea maxime, quod ad difficilis cuiusdam sacrae Scripturae loci intelligentiam, non parum conducere videatur. Et sacrae Scripturae locus duplex est, sibi mutuo mirabili quadam analogia respondens. loci autem habentur, alter in Salomonis prouerbijs, alter in Ecclesiastico, qui sapientia Iesu filij Sirach, dicitur à Graecis. Et quidem Salomon primum, illumque deinde imitatus filius Sirach, quadam vsus est velut prosopopoeia, Sapientiam vel loquentem inducens, vel de ea loquutus, quatenus in communi sumitur, & abstrahit à creata, & increata. non quod aliqua huic atque illi sapientiae communis ratio conueniat, sed tantum mentis, animique cogitatione, quae & ea quae à sese inuicem infinitis partibus, immo ipsa infinitate distant, quadam coniungit analogia, ac rerum similium proportione. ex quo fit vt eidem Sapientiae nunc tribuat, quae vere diuina sunt, nunc vero quae humana, nunc quae ad rerum omnium opificem, & creatorem pertinent Deum, nunc a ia, quae creatarum rerum sunt propria. Hanc ergo Sapientiam omnia gubernantem inducit Ecclesiasticus, ac dicentem; *Gyrum caeli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti. Et in omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcaui. Et in his omnibus*, vel, vt habent Graeca, cum his omnibus, *requiem quaesiui*. Quasi dicat, cumque horum, vel potius, cumque rerum omnium potirer, tamen requiem, quam in illis quodammodo non inuenire videbar. quaesiui mihi, & vt in alicuius hereditate morarer. hunc enim sensum innuunt Graeca. vel, &, idest vt, *in hereditate Domini morabor*, morarer. *Tunc praecepit & dixit mihi, creator omnium, & qui creauit me, requieuit* me, vel requiescere me fecit, *in tabernaculo meo*. Graece, tunc praecepit mihi creator omnium, & qui creauit me requiescere fecit tabernaculum meum: vel, requiescere me fecit in tabernaculo meo. Respexit vtique sapiens hic ad tabernaculum Moysis, in quo Diuinam sapientiam, populi illius ducem ac moderatricem habitasse certum est. Idque singulari Dei beneficio populo illi concessum fuisse praeterita, ac subsequentia indicant verba. Hoc vero tandem tabernaculum in monte Sion & domo primum Obededonis, ac tandem in Dauidis domo fixum fuisse nos docet historia Regum, ad quam respexisse videtur idem Sapiens: *Et sic*, inquiens, *in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui* &c, atque huius tandem occasione tabernaculi, quod è pre-

HAEC Distributio consensione sacrarum Scripturarum confirmatur.

QVAE Sapientia describatur in libris quos vocant sapientiales

Eccles 24. ℣. 8. 9. & 10.

SAPIENTIA quomodo requiescere dicatur in tabernaculo.

Ibid. ℣. 15.

è pretiosissima materia exstructum erat, pretiosissimisque vnguentis delibutum, cedro, cypresso se comparat, palmae, rosae, oliuae, platano, cinnamomo, balsamo, atque huiusmodi odoramentis, arboribus. Quae omnia Dauidis tempora respexisse, eius ac Salomonis subsequens indicat commemoratio: *Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum*. & quae sequuntur.

Ibid. ℣. 34.

Verum sapiens Salomon non de tabernaculo antiquo loquutus, sed de nouo templo à se aedificato: *Sapientia*, inquit, *aedificauit sibi domum*, suam, habet Chaldaica phrasis: *excidit columnas septem*. Regius codex: Substituit columnas septem. Chaldaeus: Et statuit in ea columnas septem. Quo quidem columnarum numero plures significantur columnae, phrasi sacrae Scripturae communi: in cantico Annae potissimum: *Et famelici saturati sunt, donec sterilis peperit* שבעה septem, id est, *plurimos*. tamen adhibitus hic septenarius columnarum numerus illum ipsum respicere videtur, quem paulo ante colligebamus, in pluribus huius fabricae porticibus obseruari. Atque adeo sensus erit: Sapientiam excidisse columnas septem, hoc est pro singulis templi porticibus septenas: sic enim eadem Hebraea vox accipitur in Genesi, dicente ad Noe Domino: *Ex omnibus animantibus mundis tolles* שבעה שבעה sibgha sibgha, septem septem, sic enim ad verbum conuertunt Septuaginta. hoc est, *septena & septena, masculum & foeminam*. Et iterum: *sed & de volatilibus caeli*, שבעה שבעה sibgha sibgha, septem septem, *septena & septena masculum & foeminam*. Confirmant quae diximus quae sequuntur verba de mactatis victimis, & inuitatis ad conuiuium. Nam si in memoriam reuocemus sublimiora illa: *gazophylacia Aquilonis & gazophylacia Austri, quae sunt ante aedificium separatum*. de quibus sic ad Prophetam nostrum loquitur ductor Angelus: *Haec sunt*, inquit, *gazophylacia sancta, in quibus vescuntur Sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta Sanctorum, ibi ponent Sancta sanctorum*, hoc est carnes sanctissimas partis Sacerdotalis: facile colligere possemus eorumdem gazophylaciorum memorem Sapientiam septenas, quibus fulciuntur praedicta gazophylacia, enumerasse columnas. Idem ipsum confirmari videtur lectione illa, quam huius loci retulit Cyprianus, cum Ambrosio, sanctissimosque Doctores sequutus Latinus Sixtiani Septuaginta interpretum codicis interpres. Sapientia enim, inquit, aedificauit sibi domum, & subdidit columnas septem. Quocirca subiungit sapiens: *Immolauit victimas suas*: ibi enim non aliae, quàm immolatae comedebantur carnes. vel, Mactauit victimas suas, eodem plane sensu, vt habent Hebraea. vel vt propius ad indicatum mysterium accedamus: Et immolauit victimam suam, vt habent Chaldaea. Vel vt legit Tertullianus: Sophia, inquit, iugulauit filios suos, sophia sapientia est; sapienter vtique iugulauit, dum in vitam, & rationaliter, dum in gloriam. & post pauca subdit: O bonam matrem, opto & ipse in filios eius redigi, vt ab ea occidar. Opto occidi, vt filius fiam. Quod si huiusmodi verba licuit Tertulliano de Martyribus interpretari, cur nobis non liceat mysteria scrutantibus de ipso Christo, qui est caput Martyrum, eadem exponere, qui filius Sapientiae, iuxta Hebraeam phrasim, proprie dici potest, hoc est sapientissimus: immo & ipsa

Prouerbi. 9. ℣. 1.

1. Reg. 2. ℣. 5.

SEPTENARIVS numerus postes porticuum templi.

Genes. 7. ℣. 2 & ℣. 3.

Ezechi. 42. ℣. 13.

S. Cyprianus epist. ad Caecil. de sacramento Dominici calicis, & lib. 2. aduer. Iud.

S. Ambr. lib. 1. de fide c. 7.

Prouerbi. 9. ℣. 2.

Tertul. aduersus Gnosticos, cap. 7.

FILII SApientiae immolantur vt filij fiant.

A Sapientia aeterni Patris est, qui mactatus in Cruce nobis est sanctissimus cibus, cuius pro nobis effusus sanguis, noster est potus, qui prae omnibus cibis ac potibus antiquae illius legis Sanctus sanctorum merito dicitur: ad huius vtique participationem mysterij vocantur ab ancillis, pedisequis, vel ministris Sapientiae, fideles omnes, cum excelsa praedicatione vocamur: ea demum lege, vt infantiae ignorationem & insipientiam abijciamus prius.

AD CONuiuium Christi vocamur.

Sed quod ad hoc potius ineffabile mysterium, sacrumque conuiuium, de quo praedicti Sancti Doctores cum alijs multis locum interpretantur, respexisse videatur Salomon, sub aenigmate atque B figuris, sacrificiorum, & hostiarum templi, potiusquam ad ipsas templi hostias, & conuiuia, perspectum esse poterit, si in eadem praedictorum gazophylaciorum maneamus historia, ad quae Sacerdotibus tantum patebat accessus, exclusa omni saeculari ac profana multitudine: nunc vero omnes, tam Sacerdotes, quam Laici, ad eandem vocantur arcem, intra eadem admittendi ciuitatis moenia. Quod perspicuum magis erit, si locum hunc cum parabola Euangelij conferamus, quae huius est quasi commentarius & explanatio: sed longius fortasse, quàm, pro loci opportunitate, par erat, per amoenissimos allusionum sacrae Scripturae campos diuagati fuC mus. At quis, quaeso, non erumpat vt praedicet, quacumque arrepta occasione admirabile Dei mysterium, singulare beneficium, non satis perspectum munus, cuius Deus Optimus, liberalissimus, munificentissimusque, nos, quamuis indignos, participes fecit, atque ministros. Insinuandus tamen hic fuit alius, sacri huius septenarij numeri, & templi ipsius mirabilis quidem ad Christum respectus. Bini sunt in porticibus singulis columnarum ordines, ordo septenis constat columnis: tres huiusmodi porticus Domum Dei, Sanctumque sanctorum complectuntur medium. Quid si huc fortasse respexit sanctissimus Euangelista Matthaeus, vniuersam Christi geneD rationem in tres partitus tessaradecades, quot columnis extrinsecus Dei domus cingebatur? Sed de his alias.

AD CONuiuium corporis & sanguinis Christi respexit Salomon.

Matth. 22. à ℣. 2. & Luc. 14. à ℣. 16.

Matth. 1. ℣. 17.

THESSARADECADES Christi genealogiae huc forte respexerunt.

Reliquum est, vt, quoniam in huius Orientalis areae meridiana porticu & Aquilonari octona gazophylacia computari diximus, in vtraque sexdena, quae ad tricenarium vsque numerum supersunt, quomodo in duabus alijs porticibus Orientali, & Occidentali, computentur ostendamus: nam quod tot ponere non possimus gazophylacia in his porticibus, quot in alijs, duplici, vtroque maximo impedimento praepedimur: primum quòd porta aperienda est in media porticu, quam vidimus ab Angelo certis mensuris E comprehendi: ex quo fit, vt postis medius statui non possit, quo quaterna vtrimque numerentur intercolumnia: secundum, quòd, etiam si postis in medio statueretur, & octona intercolumnia, omnia atrij intercolumnia duo essent & triginta, non triginta, vt enumerantur à Propheta. Sed enimuero hic ego agnosco eius, quod verum est naturam, & quasi emicans splendidissimum lumen. nam haec eadem, quae impedimenta videbantur, habuimus impeditae viae quasi certissimos indices. Manentibus enim eisdem radicibus lineis, similibusque exstructis à lateribus portae postibus, medius postis, qui ostium impedire poterat sublatus est è medio, sed non

NON POSsunt poni octo intercolumnia in porticibus, in quibus portae aperiuntur.

omnino

omnino sublatus, sed bifariam sectus, eiusque pars altera proximo posti ex altera parte addita est, pars altera alteri proximo posti ex altera parte: atque ita factum est, primum, vt porta altius surgens, vt dixi, duplici crassiori poste vtrimque fulciretur, duplici arctiori intercolumnio exornaretur. Factum est, deinde, vt hi postes ex aequo responderent postibus, qui intra portam accuratissime ab Angelo dimensi sunt, in quorum medio seni illi ianitorum thalami fuisse referuntur. Factum est tandem, vt in portarum porticibus septena relinquerentur intercolumnia, atque adeo in circuitu pauimenti triginta gazophylacia, totidem superstructa intercolumnijs, atque ipsis secundi ordinis intercolumnijs distincta. Nam extructa sunt bisseptena Orientalis, & Occidentalis porticus, & bis octona Meridianae, & Aquilonaris, quae simul collecta triginta complent. Quae quidem numeri huius comprobatio, reliqua, quae diximus, & quae dicturi sumus mirifice confirmans, in ea nos, quam cum meri oppositae tenebamus opinione maxime confirmauit, veram videlicet ac certam templi fabricam, Deo Auctore, consequutos iam fuisse; cum, praeter hanc, nulla posset ratio excogitari, cum qua praedictus numerus & alij multi eiusmodi inueniri, aut conuenire posset.

SEPTENA inter columnia parta in singulis porticibus Orientali, & Occidentali.

7
7
8
8
—
30

DE PORTA,

ET AREA AQVILONARI *atrij exterioris*.

Cap. XXX.

XX. PORTAM *quoque quae respiciebat viam Aquilonis atrij exterioris mensus est, tam in longitudine, quam in latitudine*. Absolutis ijs, quae ad Orientalem portam, eiusque aream pertinebant, eadem porta qua ingressus fuerat egressus, per atrium gentium deducitur ad sinistram templi partem, ad portam atrij exterioris respicientem Aquilonem. Id quod videntur innuere Septuaginta, qui sic habent: Et adduxit me ad Aquilonem: & ecce porta respiciens ad Aquilonem atrio exteriori, mensus est eam, longitudinem eius, & latitudinem. Quae verba ijs sunt similia, quae inferius habentur, cum ad alias portas deducitur Propheta. Hic vero propterea addita esse videntur, quod verba Hebraica aliter ordinantur quàm nostra, eademque ratione in Hebraeo, Latinoque codice leguntur, & à Chaldaeo lecta fuerunt, siquidem hi omnes superiorem versum sic legunt: centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem, indicantes, vt diximus, vtraque dimensione centum cubitos repertos fuisse: at Septuaginta centum cubitos ad Orientem legunt, & absoluta periodo, aliam incipiunt ibi: Et ad Aquilonem, subaudiuntque, deduxit me, & ecce porta &c. Sed quam re ipsa vera sit ea lectio, quam tradunt Septuaginta; tamen vb que hic versus incipit, sicut in Vulgata nostra. In Hebraeo: Et portae eius facies eius viam Aquilonis, subaud:, respicit, in atrio exteriori, mensus est longitudinem eius, & latitudinem eius. Chaldaeus: Et portam quae aperta erat ad viam Aquilonis ad atrium exterius mensus est longitudinem eius, & latitudinem. Perspectum autem esse cuiuis debet, portam hanc esse atrij exterioris, Israelitarum, apertam in medio muro Aquilonari quingentorum cubitorum: & cum latitudinem eius, & longitudinem dimensam fuisse dicit, quasi summatim retulit ea, quae mox per partes ac singillatim fuerat enarraturus. Sic enim Moysem primum sacrae paginae scriptorem fecisse cognoscimus: *In principio*, inquit, *creauit Deus caelum & terram*. vbi Sanctus Basilius: Ex duobus extremis vniuersi sane totius innuit ortum, caelo quidem primis ortus redditis partibus, terrae vero secundis. Quidquid autem istorum medium est, id vna cum ipsis omnino finibus exortum esse consentaneum est rationi. Quae plane magni Basilij sententia vel ex eo maxime confirmatur, quod factum die secunda firmamentum vocat Deus caelum, apparentem die tertia aridam vocat terram. Sic in praesenti loco, quam portae longitudinem ac latitudinem dimensam dicit, mox per partes enumerabit. Vel sensus est, dimensam fuisse longitudinem, & latitudinem singularum partium: nam post pauca verba, portae latitudinem, & longitudinem proprio metitur cubitorum numero. quasi dicat, longitudinem ac latitudinem dimensam fuisse, singulari numero, pro numero multitudinis accepto, vt solet alias fieri in sacris litteris.

EA INITIO final proponunt Scriptores, quae per partes deinde exposituri sunt.

Genes. 1. ℣. 1.

Basil in Examerom.

Et thalamos eius tres hinc, & tres inde: Hebraea vertit Pagninus: & postes eius. *& vestibulum eius*. vel, & vestibula eius, vt habent Graeca, & Chaldaea. vel, testudines eius, vt vertit Pagninus: vel, & palmas eius, vt habent Septuaginta: *secundum mensuram portae prioris*. Sanctus Hieronymus: Orientalem, inquit, portam significat, quae prior, non ordine, sed merito nuncupatur. Et quamuis verum omnino sit, Orientalem portam omnium fuisse dignissimam, vt initio dicebamus, cuius meritum, mysteria perquirens retulit Sanctus Doctor; tamen hoc loco priorem dici arbitramur eam, quòd prius dimensa, & explicata fuerit ab Angelo: id enim fere testatum habemus apud Septuaginta interpretes, qui: Et factum est, legunt, secundum mensuras portae, quae respicit Orientem, quinquaginta cubitorum longitudo eius, & latitudo eius vigintiquinque cubitorum. Hanc vnam longitudinis, & latitudinis mensuram ad similitudinem referunt Septuagintà interpretes, quae similis vtique est non modo pari cubitorum numero, sed & dimetiendi modo, à facie portae, ad faciem vestibuli portae, inclusis muris, longitudo; latitudo vero à recto thalami ad tectum eius, exclusis peribolis, & comprehensis hac mensura thalamorum postibus, vt diximus. Sed Vulgata lectio tum has, tum illas mensuras ad similitudinem prioris portae retulit, & subdit, *quinquaginta cubitorum longitudinem eius, & latitudinem viginti-quinque cubitorum*. Hanc autem mensuram longitudinis: & latitudinis in singulis portis repetendam fuisse, arbitratus est Propheta, reliquis silentio praetermissis, tum quòd hac vna reliquae omnes continerentur: ex quo fit, vt maxime animaduertendi sint huius visionis interpreti, aut lectori maiores numeri, illi praesertim, qui plures minores complectuntur: tum vero maxime re-

XXI.

Pagninus.

S. Hieron.

PRIOR PORTA dicitur Orientalis dignitate & ordine.

Dixi supra ℣. 18. me repetenda fuit, quòd haec vna vniuersum porticum Aquilonarem atrij exterioris metiretur, vt dixi, quae lata est cubitos quinquaginta, quanta est portae longitudo.

XXII. *Supra ℣. 16.*

FENESTRAE pro cancellis.

Fenestras autem eius. Hebraice וחלונו challonau, eadem est vox, quam supra interpretati sumus, quaque diximus thalamorum cancellos significari, foraminibus distinctos obliquis: quorum etiam formam ostendimus, ac simul quòd interiora portae vestibula postes ac thalamos simul concluderent: eademque hic referenda essent. tamen omnia in templi vniuersali Ichnographia, dissectique Orthographia licet obseruare. *Et vestibulum eius*, & testudines habet Pagninus, & merito: nam, vt dixi, testudines, fornices, arcus, quibus postes circumligantur significat vox אילמו elamau, quae hic legitur, quamque retinuerunt Septuaginta, voce tamen Graeco more parum per immutata αἰλαμμὼν aelammon, scribentes. eadem vox in postes quoque posset conuerti, quod alias dixi: vt sensus sit, non modo fornices vel testudines dimensas fuisse, atque prioribus pares repertas, verum etiam postes, quibus praedictae incumbunt fornices, pares fuisse postibus portae Orientalis. *Et sculpturae*, Hebraice ותמרו vethimrau, & palma eius: sicut etiam conuerterunt Septuaginta. & capitella eius, vt vertit Chaldaeus, nos dicere possumus: & capitella sculpta

PALMAE pro capitellis.

ad modum palmarum. *secundum mensuram portae, quae respiciebat ad Orientem*. Sicut porta respiciens ad Orientem, vertunt Septuaginta. mensuras indicat textus hic easdem fuisse, nec tantum, sed & formam, ornamenta, & reliqua fuisse vsquequaque priorum similia: quod indicare videntur Septuaginta, dum pro mensuris portae, portam scribunt.

SEPTEM gradus in singulis portis exterioribus.

Et septem graduum erat ascensus eius. Huius loci permoti testimonio Septuaginta interpretes, quem graduum numerum ante portam Aquilonarem hic legerunt, quemque paulo inferius legent de Meridiana, ad Orientalem transtulerunt vbi graduum fit mentio, eorum numerus subticetur. id tamen iure optimo factum fuisse à doctissimis illis viris, satis superque ostensum est supra: vbi plura de graduum numero & mensura disputata sunt. Sed illud vnum repetere non grauabor, quod alias quoque notasse me memini, vel hoc vno textus nostri testimonio, & Septuaginta interpretum exemplo firmari potuisse regulam illam maxime similitudinis, à qua numquam discedimus, quia nimirum vna aedificij pars semel dimensa, norma est atque mensura

SIMILITVdinis ratio certa.

omnium vniuersi templi similium partium, nisi forte alibi aliter notaretur in textu, quod rarissime fit.

Richardus par. 2 templi. Ezech. c. 9.

Richardus: Post haec quiddam hic additur, quod de superiore porta non legitur, quod tamen de illa etiam recte intelligitur, ad cuius mensuram ista describitur: *Et septem graduum*, inquit, *erat ascensus eius*. Sed & addendum videtur, quod de gradibus notant Rabbini.

Rabbi David in comment.

Dauid enim: Per septem gradus, inquit, ascendebatur ab atrio mulierum ad atrium Israel, & aedificauerunt illos super portam. In aedificio autem secundi templi, legimus in tractatu mensurarum: quindecim gradus ascendebant à medio eorum ad atrium Israel, contra quindecim psalmos graduum, qui sunt in Psalterio, super quibus Leuitae stabant canentes. Haec ille. Decipitur autem vehementer in atrio mulierum templo Salomonis tribuendo, vt testis est historia haec templi

QVINDECIM gradus in secundo templo pro septem prioris

A vniuersa, non modo illius, nulla ratione meminit, verum multo magis, quod nullum illi locum relinquat in area templi vniuersa. Quod vero ad canticum graduum pertinet, alterius est indaginis. Est etiam expendenda Septuaginta interpretum lectio. quae non eadem habetur in Regio, & Sixtiano codice, in illo enim habetur: & in septem gradibus ascendebatur, ἐπ᾽ αὐτὴν ad eam: & in Sixtiano ἐπ᾽ αὐτὸν ad eum, quasi sensus sit, his septem gradibus ascendi vestibulum, quod paulo ante vocauerant aelammon: illud illa lectione indicantes, quod sequentibus verbis magis explicatur, vt mox videbimus. hic vero non alius, sed idem sensus effici videtur, si per gradus septem ascendatur ad portam, siue ad vestibulum portae proximum.

B *Et vestibulum ante eam*. Phrasim continent haec verba, Hispano proprius, quam Latino sermone reddendam: diceremus enim: *su zaguan estaua de la puerta adelante*, hoc est vestibulum erat vltra ianuam, vel vltra gradus praedictos, vtrumque enim ex aequo referri potest ex voce illa לפניהם liphnehem, cum suo affixo, quem vocant, & quo pro nostro vtuntur pronomine, eorum. Quamuis negandum non sit, terminationem illam numero tribui multitudinis: atque adeo in Regio codice Hebraea sic conuertuntur: Et in gradibus septem ascendent in ea, & vestibula eius

C ad facies eorum. Chaldaeus: Et septem gradibus ascendebant per eam, & vestibula eius ante eos. Sic etiam interpretati sunt Rabbini locum, totidem fere verbis Ante gradus, inquiunt, erant vestibula eius: nam antequam ingrederetur quis ad vestibula, ascendebat per gradus. Septuaginta interpretes rem apte significarunt: Et aelammon, inquiunt, hoc est vestibulum erat, intrinsecus, hoc est intra portam. Hac autem tam expressa rei significatione vsos fuisse Septuaginta, facile credi potest, ne quis deciperetur, quòd paulo ante dixissent, gradibus illis septem ascendi in vestibulum, quasi non transcensa porta, ideo notant, vltra eam fuisse vestibulum, eadem huc referentes

Rabbi David, R. Salomon in comment.

D verba, quae de vestibulo portae Orientalis supra retulerat Propheta: idem esse indicantes horum atque illorum verborum sensum, quem nos late persecuti sumus. Superest tamen explicandum, qua ratione idem elicitatur sensus ex Hebraea, & Latina lectione, sicut paulo ante notaui. quod tunc facile perspici posse arbitratus sum, cum res attendatur potius quàm verba. Nam quod obscure magis denotant Hebraea, vestibulum asserentia fuisse ante gradus, id explicandum fuit magis, imo & explicatum fuit, dum dicitur ante; vel intra portam, quod idem est.

Supra ℣. 9.

XXIII.

Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem. Difficilis oratio propter Hebraicam phrasim, quam totidem ferè verbis retulit Chaldaeus: eam explicare conati sunt Septuaginta, qui sic habent in Regio codice, Et porta atrio interiori respiciens, vel, respiciens, vt habet Sixtianus, ad portam Aquilonis, sicut portae respicientis, quae respicit ad Orientem. Ista vero loci difficultas in extremis verbis sita est, non enim Latina verba, vt sonant, vllam videntur habere connexionem; sed, si Hebraicae coniunctionis ו ve, attendatur natura, mox apparebit aptissima: ea enim vna littera copulatiuam vim habet, quam reddit Latina coniunctio, &: sed & aliud praeterea significare solet, quod comparationem, vel similitudinem referat: cuius rei nec pauca, nec parui facienda

E

CONIVNctio, &, comparationem, Hebraeis significat.

cienda exempla nobis suppeditant sacrae littere- A rae, in Prouerbijs maxime, quae sententiarum plenissima cum sint, verborum sunt praeparca. *Caelum sursum, & terra deorsum, &*, idest sicut, *cor Regum inscrutabile*. Idest, sicut supremum caelum, & ima terra inscrutabilis est, sic & cor Regis. Sed quòd perturbata videatur collatio posterioris cum primo, nihil refert, cum reciproca sit ac mutua vbique similitudo. nisi forte malis quasi per augesim cum corde Regis inscrutabili conferri caelum & terram inscrutabilem, quasi haec sint illo scrutabiliora. Ibidemquoque sic habes, *Aqua frigida animae sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua*. Hoc est, haud secus quam aestuanti ac sitiendo gratissimus esse solet frigi- B dae potus, sic nuntius bonus diu, valdeque expectatus.

Prouerb. 25. ℣. 13.

COR REgum inscrutabile.

Ibid. ℣. 25.

Iob 5. ℣. 7.

HOMINI labor quasi a natura comparatus.

Est apud Iob celebre huius rei exemplum: *Homo nascitur ad laborem, &*, sicut, *auis ad volatum*. Vel, vt habent Hebraea, homo ad laborem natus est, &, sicut, filij prunae eleuabunt volatum. Et vtraque sane lectio in idem recidit, haud aliter putandum est, laborem homini a natura comparatum, quàm aui vt volet; scintilis, hae enim dicuntur filiae prunae, vt ascendant. ac si aperte dicat, hominem in laborem ita suo quasi pondere ferri, vt grauia deorsum, leuia sursum: quapropter numquàm non impedita illa descendunt, haec contra sursum attolluntur: atque adeo ho- C mini in hac vita degenti pensandum est, sibi esse laborem proprium, ac veluti naturae motum, quietem quasi violentam, aut praeter naturam. Sed & aliud liceat celebrius, quippe obscurum, magis eiusdem rei testimonium afferre, & Christi Domini verba referre, aduersus scandala prolata, quibus gehennam ignis quodammodo describere videtur, eiusque perpetuam combustionem. *Omnis enim*, inquit, *igne salietur, &*, idest, sicut, *omnis victima sale salietur*. Praeceptum Domini fuerat: *Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal foederis de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal*. Triplici praecepto, affirmatiuo, negatiuo, & vniuersali obstringit il- D los Deus, vt quidquid offerunt, saliant. Perstat igitur Dominus in eadem victimarum similitudine: haud secus quam victimae, quas alias occisionis vocauit, hoc est, mactatae, aut morti traditae saliuntur, sic qui proximis suis scandalo sunt, miserae atque infelici morti damnati salientur, at non eodem sale, quo illae, sed igne, non expurgante, sed vrente, non exsiccante, sed torquente. Haud dissimili allusione Hispani diceremus: Iran acecinados a los fuegos del infierno, quo, aeternum duraturum ignem illum cruciantem indicarent.

Marci. 9. ℣. 49.

Leuitic. 2. ℣. 13.

SAL OMnium sacrificiorum condimentum.

Hac eadem phrasi vsus est noster textus, cuius hic est contextus: *Et porta atrij interioris* erat *contra*, vel e regione, *portam*, portae, *Aquilonis &*, sicut ad, *Orientalem*. hoc est, sicut e regione portae Orientalis atrij exterioris erat porta alia, Orientalis atrij interioris: vel &, sicut ad *Orientalem*, subaudi dictum est. hoc est, non aliter hic intelligendum est, portas Aquilonares constitutas fuisse, quam de Orientalibus dictum est. Illud vero quod, praeter comparatiuam particulam, praepositionem adiungimus tamquam facilius intelligendo contextui necessariam non, temere, aut sine exemplo adhibemus, cum expressa sit in Hebraeo ל lamed, littera id importans.

Et mensus est à porta vsque ad portam centum A *cubitos*. Explicarunt id magis Septuaginta: Et mensus est atrium, inquiunt, à porta ad portam cubitis centum. Totum hunc versum disertis verbis exponit Sanctus Hieronymus. Nec solum, inquit, vna porta est Aquilonis, quae supra porta appellatur exterior, sed & altera interior, quae habet similitudinem portae Orientalis, vt manifestius dixere Septuaginta: Et porta atrij interioris respiciens portam Aquilonis: sicut erat porta, quae respiciebat ad Orientem. Mensusque est à porta exteriori Aquilonis, vsque ad portam eiusdem Aquilonis interiorem centum cubitos. His vero Sanctissimi Doctoris verbis nihil addendum esse arbitratus sum, praeterquam B quod hic subintelligenda esse videntur ea verba, aut eorum similia, quae de dimensa consimili Orientali area dicta sunt, cum eorundem simili interpretatione: ibi enim dimensos fuisse dicit areae *centum cubitos ad Orientem & ad Aquilonem*: hic vero totidem dimensos fuisse intelligendum est ad Aquilonem, & ad Orientem, hoc est & in longitudine, & in latitudine, quia nimirum haec Aquilonaris area, non secus quàm Orientalis quadrata erat. Id quod non coniectura modo similitudinis ducti affirmamus, quamuis ea firma sit, vt dixi, ac certa: sed ipso Prophetae testimonio, infra suo loco explicando, confirmandum est. id quidem, hoc loco ita perspectum est, C vt ne Lyranum quidem latuerit. Mensura autem, inquit, huius pauimenti ab Oriente in Occidentem tacetur, quia supponitur esse centum cubitorum, sicut est dimensio pauimenti Orientalis ab Aquilone in Austrum.

S. Hieron.

AREA Aquilonaris quadrata fuit.

Infra lib. 4. cap 46.

Nicolaus de Lyra.

DE PORTA

AVSTRALI ATRII *exterioris*.

D

Cap. XXXI.

ET *eduxit me ad viam Australem*. Hebraice: Et pergere me fecit viam Austri. Septuaginta interpretes: Et duxit me ad Austrum: ijdem apud Sanctum Hieronymum: Et eduxit me ad viam Australem, ad viam, Hebraice דרך derec, vox est quae viam significat ritam, vnde etiam deducitur vox. sed E habet propriam nonnumquam significationem, eam, inquam, quam habet Latina vox, versus. sic in Deuteronomio: *Pones benedictionem super monte Garizim, maledictionem super montem Hebal: qui sunt trans Iordanem post* דרך derec, *viam*, ingressus vel occubitus solis habent Hebraea, Sed phrasim interpretatus est Vulgatae interpres, *quae vergit*, inquiens, *ad solis occubitum* sic etiam in praesenti: *Eduxit me ad viam*: idem est ac si diceret & cum eduxisset me porta Aquilonari, deduxit me versus Australem: *Et ecce porta quae respiciebat ad Austrum*. vtique atrij exterioris: quod subintelligi voluit XXIV.

Deut. 11. ℣. 29. & 30.

ex bi-

ex binis praecedentibus portis: & id quidem paulo inferius poterit demonstrari, cum è regione huius portae aliam portam videbit in atrio interiore. *Et mensus est frontem eius*, Sanctus Hieronymus: Septuaginta, inquit, in eadem verba consentiunt, praeter thee, & elau, & elamot, & elam, pro quo in Hebraeo positum est אילם vlam. thee autem interpretatur limen, siue frons. Elau circa eum, siue sustentacula: elamoth propyla. siue vestibula. vlam πρόπυλον, idest ante fores. Haec sunt Sancti Hieronymi verba. Verum in alijs omnibus codicibus, praeter vnum Sancti Hieronymi, habentur haec verba: καὶ διεμέτρησεν αὐτόν, & mensus est eam: vniuersam primum portam dimensam fuisse testantur, deinde per partes, quas mox subdunt. Frontem eius אילו elau, hac voce vsus in priori porta, eam, frontem conuertit Vulgatus, quam duobus cubitis definiri vidimus, & ea confirmauimus, semicolumnas à postibus exstantes indicari. intactam eam vocem dimiserunt Septuaginta, vt paulo ante verbis Hieronymi ostensum est. Chaldaeus Frontes quoque legit, phrasim explicans Hebraeorum, qua singulari numero vtuntur, pro plurali, sicut & è contra. Hanc eandem sententiam tuetur Vatablus, qui parastades, primum legit, pro vestibulo, atque in notationibus, postes eius & testudines. *Et vestibulum eius*, אילמו elammau: hanc vocem haud secus quàm praecedentem intactam reliquere Septuaginta: quamuis aelammoth scribat Regius, cum Complutensi, & Sancti Hieronymi codicibus, aelamon Sixtianus. Eam vocem, testudines conuertit Pagninus, vt paulo ante dicebamus. quae omnia dimensa sunt *iuxta mensuras superiores*: vel istas, vt habent Graeca & Chaldaea: vel has, vt habent Hebraea, illas referentia, quas tunc denuo metiebatur Angelus in porta Meridiana vel has, vocant, quas paulo ante retulerat in Orientali porta, quod bene intellexit Vulgatus, eas vocans *superiores*. Notandum est, inquit Richardus, quòd dicitur secundum mensuras superiores. nam si eiusdem mensurae sunt omnes, quidquid in vna minus dicitur, ex alterius descriptionis adiectione suppleri videtur. Haec ille.

S. Hieron. — *Vatablus.* — *Paginus.* — SIMILITVdinis regulam confirmat Richardus — *Richardus par. 2. templ. Ezech c. 9.*

XXV. *Et fenestras eius & vestibula in circuitu sicut fenestras ceteras, quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine vigintiquinque cubitorum.* Notanda sunt maxime ea, huius, & sequentium capitum verba, quae praedicta repetunt: ex eorum enim collatione, similitudine, aut diuersitate, multa ad vtriusque loci intelligentiam colligi possunt necessaria. Hic vero multa indicantur, quae subobscure prius adumbrata erant. Primum, vestibula, atque fenestras vniuersam circumdedisse portam, quod vix, ac ne vix quidem intelligi potest, nisi fenestrarum nomine fenestratos, vt ita dicam, cancellos intelligas, quibus portam, vestibula, thalamos simul circumdari dicebamus. Id quod Hebraica lectione confirmari posse videtur, quae sic habet: Et fenestrae ei, subaudi, erant ולאילמו vleelamau, & vestibulis, vel, fornicibus eius fortasse melius quàm Regius codex, qui habet. & vestibula eius. vel Pagninus, qui legit: & testudines eius. Nobiscum aperte sentit Chaldaeus: Et fenestrae, inquiens, erant ei, & vestibulis eius per circuitum. & Vatablus. Eique fuerunt, inquit, fenestrae, & vestibulo eius circumquaque: vel, vt habet in notationibus, pro vestibulo, fornicibus eius. Quis vero, si fornices

CANCELLI vniuersa portae vestibula circumdant — *Vatablus.*

A has perpendat, quas vulgo dicimus *arcos*, vtrimque apertas, aut peruias, in eis agnoscat fenestras apertas, nisi de cancellis sermo sit, quibus ita clauduntur stylobatae, relictis in medio ianitorum thalamis? id quod ipse quoque textus indicare videtur, subiungens. *sicut fenestras ceteras*: vel, sicut fenestrae istae, vt habent Hebraea & Chaldaea, vel, sicut fenestrae aelam, vt habent Graeca priores, vestibuli portae Orientalis cancellos referentia, quos ibi notauimus, fenestrarum nomine censeri. Rabbini duplicem litteram ה he, huic voci adhibitam fuisse obseruantes, aliquid de fenestrarum forma innui putarunt: nam Rabbi Zanchuma: Ne hoc superfluum, inquit, significat obscuritatem, idest fenestras obscuras,
B laras forinsecus, & breues intrinsecus, quasi dicat, ipsius luminis non indigeo: omnes enim fenestrae factae vt lux ingrediatur, sunt strictae exterius, & dilatantur interius. Verum Rabbi Dauid כחלונות cechachalonoth, inquit, aliqui exponunt quasi כהה חלונות cehahchalonoth, obscuras fenestras. Est autem vox illa prior à radice deducta, quae rugare, contrahere significat, aut obscurari, id nimirum omne, quod in senectute oculis solet contingere: & quod à Moyse sustulit historia Deuteronomij: *Moyses*, inquit, *centum & viginti annorum erat quando mortuus est: non caligauit oculus eius*, vel rugas non contraxit, *nec dentes*
C *illius moti sunt*. Significat tamen etiam ea vox tenebrescere, aut obscurari, quod oculis frequenter tribuitur. Sic aduersus impium pastorem apud Zachariam Dominus. *Et oculus dexter eius*, inquit, כהה cahoh, *tenebrescens obscurabitur*. Id vero omne, quo animi, corporisque defectus indicantur, à bono pastore Christo, qui posuit animam suam pro ouibus suis, remouet Isaias. *Non* יכהה ychch, obscurabitur, *erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium*. idest, Nulla animi perturbatione à recti iudicij prolatione dimouebitur, vel obcaecabitur, quo minus quod rectum est videat, ex exsequatur. Iam vero si vocis huius notio, ad rem illam applicetur, quam supra
D obliquas, vel clausas vocauerat fenestras, cancellorum vtique foramina illa, quae supra expressimus, nullo alio aptiore exemplo à natura petito possent indicari, quàm oculis, ijsque corrugatis, senum simillimis, propter fascias, truncos coronas, atque alia ornamenta, quibus, vt dixi, vtrimque circumdantur eiusmodi foramina.

Hoc praeterea textu animaduertendum est, idem hic vestibulum dici, quod prius porta dicebatur cuius diuersae denominationis difficultatem agnouit quidem Richardus, quamuis soluere non potuerit. Notandum in hac vltima sententia, inquit, est, quomodo ad duo praemissa duo sunt subiuncta. *& fenestras eius, & vestibula eius*
E *in circuitu*: Ecce duo, sequuntur alia duo. *sicut fenestras caeteras, quinquaginta cubitorum longitudinem, & latitudinem vigintiquinque cubitorum.* Ad id quod prius praemittitur, *fenestras eius*, primo respondetur, *sicut fenestras ceteras*. ad illud, quod secundo praemittitur, *& vestibula eius*, secundo respondetur. *quinquaginta cubitorum longitudinem, & latitudinem vigintiquinque cubitorum*. Nullum tale vestibulum videtur descripsisse apud portam primam: nec, nisi vnum, apud secundam: ex huius tamen descriptione ostenditur, ibi, sicut & hic, plura fuisse. Haec est Richardi sententia, quae difficultatem quandam mouit, & soluit, vtrumque tamen praestitit, vt potuit.

Rabbi Zanchuma apud R. Salomon in comment. — *Rabbi Dauid in comment.* — *Deuter. 34. ℣. 7.* — *Zachar. 11. ℣. 17.* — CALIGANtes iudicis oculi dantur in poenam — *Isa. 42. ℣. 4.* — *Supra ℣. 9.* — CANCELlorum foramina oculorum similia. — *Richardus par. 2. templi Ezechiel. c. 9.*

potuit. Et primum, verum eſſe videtur ac certum, menſuram hanc quinquaginta cubitorum longitudinis, & latitudinis vigintiquinque ad veſtibulum referri. Nam quamuis Hebraea ex aequo de porta poſſint intelligi, & de veſtibulis, Chaldaea tamen ad veſtibula videntur pertinere. ſic enim

EADEM EST veſtibulorum & portae longitudo & latitudo

habent: Et feneſtrae erant ei, & veſtibulis eius per circuitum, ſicut feneſtrae iſtae quinquaginta cubitorum longitudinis, & latitudinis vigintiquinque cubitorum. Sic & Graeca: Et feneſtrae eius & aelamonoth, vel aelamon in circuitu, ſicut feneſtrae aelam, cubitorum quinquaginta longitudo eius, & cubitorum vigintiquinque latitudo eius. Hoc eſt, feneſtrae & veſtibula, quae erant in circuitu huius portae, erant ſicut feneſtrae aelam, ſeu veſtibuli, cuius longitudo erat cubitorum quinquaginta, quinque & viginti latitudo. Sed &

Vatablus.

Vatablus rem ipſam percepit, & expreſſit: Veſtibuli etiam, inquit, longitudo quinquaginta cubitorum, & latitudo vigintiquinque cubitorum. Sed cum hanc portam ſimilem omnino eſſe intelligamus ac parem priori, ſique portae tantummodo longitudo, ac latitudo his dimenſionibus finiatur, facile colligimus portam, hoc eſt illud ſpatium, quod totum portae nomine cenſebatur, veſtibulum dici: quippe cum porta, poſtibus, fornicibuſque vndique cincta, illud ſpatium in medio complectatur, quod Latini veſtibulum proprie dicerent, Graeci πρόθυρον, Hiſpani zaguan. quod quidem ſpatium, incluſis muris ac poſtibus, quibus concluditur, longum eſt cubitos quinquaginta, latum quinque & viginti. Atqui veſtibulorum nomine haec merito cenſentur, vt hoc demum adnotemus, quoniam longitudini portae, aut veſtibulorum portae, quae eadem eſt, ſi muri includantur, reſpondet ex aequo porticus latitudo, quae ex vtraque parte portae in longum

Diximus ſupra ℣. 18.

producitur, vt diximus. Atque his ſatis confirmata manet altera pars ſententiae Richardi: altera

RICHARDI ſententia partim confirmatur, partim confutatur.

vero, qua plura veſtibula, diuerſaſque dimenſiones confundit, perturbat, multiplicat, ſatis, ni fallor, ex ipſo, quem hactenus expoſuimus, Prophetae contextu confutatur.

XXVI.

Et in gradibus ſeptem aſcendebatur ad eam.

GRADVS ſeptem in porta Auſtrali

Rabbi Dauid עולותיו gholothau eſt, ſicut מעלותיו maghalothau, gradus eius. quaſi dicat: per ſeptem gradus aſcendebant quoque in porta Auſtrali, ab atrio mulierum ad atrium Iſrael. Si pro atrio mulierum, atrium ſcripſiſſet gentium, aut incircumciſorum, verum vtique ſcripſiſſet, niſi forte mulieres computet inter profanos, *& veſtibulum ante fores eius*. Et gradus ſeptem. habent Hebraea, gradus eius. & veſtibula, ſeu teſtudines eius ad facies eorum. Chaldaea: Et

GRADVS ante fores, quae in extimo claudebantur muro. *Vatablus.*

ſeptem gradus erant gradus eius, & veſtibula eius ante eos. Vatablus: Aſcenſus quoque illius graduum ſeptem, ante quos fuit ipſius veſtibulum. Hic vero nihil amplius addendum videtur, cum phraſis huius expoſitio, & verborum ſenſus paulo ante ſit appoſita, cum de porta Aquilonari eadem dicerentur, quae haud ſecus quam hic expoſuerunt Septuaginta: & aelammoth, ſiue aelammon, hoc eſt, veſtibulum intrinſecus, ſubaudi erat: explicandae rei cauſa, pro porta quam referri putauit. Hebraica lectione Hieronymus *fores* poſuit. nec immerito, cum fores exteriorum portarum in ipſo exteriore muro clauderentur, intra quas totum iacebat veſtibulum cum ſuis thalamis, & reliquis, quas dixi, partibus, atque ornamentis. & ideo

A ſubdit. *& caelatae palmae erant, vna hinc, & altera inde in fronte eius*. Ex Hebraeo ſic Regius codex: Et palmae ei. Pagninus explicationis gratia addit, erant, vna hinc, & vna inde in poſte eius. Ab his non diſcrepant Septuaginta in Sixtiano codice: Et palmae ei, vna hinc, & vna, id eſt, altera inde ſuper aelau. Hebraicam vocem retinuere Septuaginta אילו elau, quae poſtes, ſeu frontes ſignificat. Vnde Chaldaeus paraphraſtes rem ipſam expoſuiſſe videtur, ſic ſcribens: Et capitella ei erant, vnum hinc, & vnum inde ſuper poſtes eius. Rabbi Salomon: Super capite frontis erat, inquit, palma inſculpta.

R. Salomon in comment.

Enimuero nulla ſupereſſe poſſe videtur du-
B bitandi ratio, quin his verbis atque alijs, quae ſupra expoſuimus, ornamenta capitellorum deſcribantur, quae inſculptis palmis diſtinguebantur toto hoc aedificio. ſed quoniam de capitellis iterum agendum nobis eſt, eorumque forma preſſius exprimenda, tunc ea, quae nunc aſſumimus, confirmari facile poterunt. Illud omnino difficultate vacat, quod ſupra, pictura palmarum memoretur, hic palmae dicantur inſculptae. vtraque enim vox ab interprete Latino additur, vt palmarum imagines marmore expreſſas ibi haberi intelligeremus, non veras palmarum ſpatulas. Illud vero, quod vt litem compo-

Supra ℣. 16.

C neret adiecit Richardus, vt fuiſſe putentur caelatae, & colotibus ſuperductae, nihil eſt quod fidem aſtruat, cum in templo nihil non candidiſſimum marmor eſſet, aurum, argentum, aut cedrus, vt ſuis locis oſtendemus. Illud porro quod *vna hinc, & altera inde* fuiſſe dicitur, phraſim redolet Hebraeam, qua vſus eſt idem Propheta noſter, dicente Domino: *Filij populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtijs domorum, & dicunt* חד את אחד had eth ehad vnus cum vno, *vnus ad alterum, vir ad proximum ſuum loquentes*. Vbi diſtributiuum eſt, *vnus ad alterum*, hoc eſt, vnuſquiſque ad proximum ſuum. Sic & in libris Regum: *Erat autem*, inquit, *pondus auri, quod afferebatur Salomoni* בשנה אחד
D beſenah ehad in anno vno. eadem enim eſt vox, idem ſignificandi modus, quam, ſicut dixi, ad verbum conuerterunt Septuaginta interpretes. Vim tamen vocis, & dicendi modum expoſuit Vulgatae interpres, & Chaldaea paraphraſis, *per annos ſingulos*, vel annis ſingulis ſcribentes. Iuxta quem dicendi morem, *vna hinc, & altera inde*, idem ſignificabit quod ſingulis vtrimque. cum conſtet, plures ex vtraque parte portae frontes extitiſſe, & ſingulas eodem ornamenti genere inſculptas. quod bene expoſuit Vatablus: Habuit etiam, inquit, ſingulas palmas vtrimque in ſuis frontibus.

Richard. vbi ſupra.

IN TEMPLO nihil videri poterat praeter marmor, cedrum, aurum, argentum

Ezech. 33. ℣. 30.

VNVS AD alterum diſtributiue ſumitur

3. Reg. 10 ℣. 14.

Vatablus.

XXVII.

Et porta atrij interioris in via Auſtrali. Se-
E ptuaginta interpretes: Et porta è regione portae atrij interioris ad Auſtrum. Sed quamuis particula illa, è regione portae, in Hebraeo, Chaldaeo, aut Latino codice non legatur, ea tamen merito ſubiungitur à Graecis, tum quòd res ipſa id videatur exigere, tum vero maxime, quòd ipſe Hebraeus textus id videatur indicare, cuius verba ſic licet conuertere, & porta atrij interioris דרך derec, via Auſtri, hoc eſt verſus Auſtrum reſpiciens, iuxta ea, quae paulo ante de hac voce dicebamus. atqui ſi vtraque porta interioris exterioriſque atrij recta ſpectabat ad Auſtrum, vtique vna erat è regione alterius. Sed quamuis hae non ſatis firmae viderentur conie-

PORTAE INteriores quare intelligantur e regione alterius.

ctae, tamen interiorem portam recta aspexisse exteriorem, & è contra, vel ex eo constare potest, quòd à porta metitur vsque ad portam, quod nisi recta fieret, rationalis mensura non esset, cum maior posset fieri, aut minor. quippe quae ad angulos tenderetur obliquos, non vero rectos, vt decuit. *Et mensus est αὐλὴν*, atrium, addunt paraphrastice Septuaginta interpretes, & merito, haec enim tertia est area atrij Israelis, *a porta* atrij exterioris, *ad portam* atrij interioris, *centum cubitos*.

Vatablus.

Sed & Vatablus sic, paraphrastem agens, conuertit: Porta deinque atrio interiori ad Meridiem (è regione portae fuit) estque mensus in plaga Meridionali à porta ad (oppositam) portam centum cubitos. Hic etiam subintelligendum esse, ad Meridiem, & ad Orientem, iuxta ea, quae supra de atrio diximus Aquilonari, nulli dubium esse debet: nam & id quoque significare voluisse videntur Septuaginta interpretes addentes illa verba, *τὸ πλάτος πρὸς νότον* latitudinem ad Meridiem.

Supra ỹ. 94.

Sed & praeterquam quòd iuxta mensuras superiores, omnia in hac regione Meridiana dimensa esse paulo ante dixerat, hoc est, iuxta ea, quae in reliquis regionibus notata sunt, hoc ipsum infra magis perspectum esse poterit, cum porticus Meridianae longitudo centum cubitis definietur, quamuis sub portae nomine.

Infra cap 42. ỹ. 2. & 3.

DE NVMERO PORTARVM TEMPLI: ET *quod occidua Israelis porticus media porta caruerit.*

Cap XXXII.

HABEMVS hic quidem tres portas atrij Israelis, quas ordine mensus est Angelus, & Propheta descripsit, Orientalem, Aquilonarem, & Meridianam: sed quoniam ad atrij interioris tres similes portas progreditur ductus ab Angelo Propheta, hic tantisper figere pedem libuit, atque expendere, num alia supersit in hoc eodem atrio porta, quam Angelus metiatur, an vero quia nullam praeterea metitur, nulla quoque aperta fuisse credenda sit.

AN PONENda sit in atrio exteriore porta Occidentalis.

Qua in re quae certa explorataque sunt, proponenda sunt prius, deinde ea, quae probabili quadam coniectura ex certis colliguntur. Et de atrio inprimis Sacerdotum perspectum cuiuis esse poterit, vel breuiter expensa vniuersali Ichnographia, tres tantum portas habuisse, ab Oriente, Aquilone, & Meridie singulas: ab Occidente namque infimo quodam peribolo claudebatur hoc atrium, quòd ornamento esset posticus, & vsui, nec tamen speciosissimam templi faciem impedire posset: quod paulo inferius ipsis Prophetae verbis confirmabitur.

ATRIVM interius tres tantum portas habuit.

Quapropter in ea atrij interioris parte nulla debuit aperiri porta in muro, binos vel ternos cubitos alto. Quod vero ad Israelis atrium spectat, quamuis responsus, & similitudinis ratio tres tantum fuisse A suadeat in eo portas: atque insuper Angelum videamus minutissima quaeque huius atrij membra metientem, nihil de Occidentali porta mensum fuisse, nihil à Propheta nostro enarratum: rem tamen maxime dubiam facit; immo vero aliquibus in oppositum certam, quod de domo Domini legitur in libris Paralipomenon; *Per quatuor ventos erant ostiarij: idest, ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum.* 1 Paral. 9. ỹ. 24.

OSTIARII ad quatuor ventos.

Verumenimuero cum in atrio interiore tres tantum portae apertae fuerint, vt dixi, atque in singulis ostiarij constituerentur, quod earum thalami mox referendi conuincunt, id non obstat, quo minus per quatuor ventos ostiarios fuisse B diceremus, si in atrio exteriore, Israelisque ternae portae aperirentur à totidem ianitorum classibus custoditae: sic etiam cum in atrio gentium ad quatuor ventos portae apertae fuerint, quae ab ostiarijs obseruarentur, verum omnino erit, per quatuor ventos ianitores extitisse, quamuis Israelis atrium ternis tantummodo adiretur portis.

ATRIVM gentium a ianitoribus custodiebatur.

Et quidem atrium gentium, eiusque porticus, & portas custoditas fuisse compertum est apud Iosephum. Sciunt omnes, inquit, qui templi nostri opus videre, quale fuerit, quamque inuiolabili sanctimonia castum; quatuor enim porticus circum se habuit, aliam vtrque alijs interiorem, vt patet intuenti formam, & hanc ipsam sanC ctimoniae legem expendenti: & earum suam quaeque secundum legem custodiam. mox vero gentium porticum disertis verbis definit, subdens: In extimam porticum ingredi licuit omnibus etiam extraneis: tantum menstruatae feminae intrare vetabantur. Iosephi lib. 2. contra Apio.

Sed & illud quoque quod assumebamus, Occidentalem Israelis porticum portis caruisse, apud ipsum Iosephum testatum habemus. Is enim, cum multa de atrio, & porticu gentium sub exterioris fani appellatione dixisset, stantesque in eo columnas enumerasset, Græcis, Latinisque literis legem castimoniae praemonentes, in locum sanctum transire alienigenas non debere; sanctum enim, inquit, vocabatur alterum fanum, & quatuordecim gradibus ascendebatur a primo: quadratumque sursum erat, & proprio muro circumdatum &c. Iosephi 6. belli cap. 6.

D Post quatuordecim autem gradus spatium erat vsque ad murum trecentis cubitis planum. Hinc rursum alij quinque gradus, & scalae ad portas ducebant: vtrique atrij Israelis, à Septentrione quidem ac Meridie octo, quaternae vtrimque videlicet, duae vero ex Oriente, &c. Occidua vero pars nullam portam habebat, sed perpetuus ibi murus erat exstructus.

OCCIDVA porticus nullam portam habebat.

Id quod non modo propter antiqui templi imitationem fuisse factum à Zorobabele credendum est, verum etiam propter ipsius Sancti Sanctorum religionem & cultum: quod vicenis tantum cubitis ab introitu portae distaret, si porta Occidentalis in media porticu occidua aperiretur, vt in reliquis: hanc enim loci distantiam manifesto Pro-E phetae testimonio confirmaturi sumus inferius, eamque in ipsa Ichnographia licet obseruare.

Sed quid quaeso opus est coniecturis, externisue duci testimonijs, vbi suppetunt propria? Expendenda enim videtur inprimis ipsa ianitorum sors, qua Supphin, & Hosae Occidentalis templi pars custodienda tribuitur. *Cecidit ergo sors*, inquit, *Orientalis Selemiae. Porro Zachariae filio eius, viro prudentissimo, & erudito, sortito obtigit plaga Septentrionalis. Obededom vero, & filijs eius ad Austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium.* 1. Paral. 26. ỹ. 14. & 15.

Ex Hebraeo sic vertit Regius codex: Ipsi Hobededon ad Austrum, & filijs eius domus collectionum, vel conciliorum. Septuaginta in

Sixtiano

Sixtiano codice: ipsi Abdedom Austrum e regione domus Esephim, aut Asaphim, quae vox, collectionum, vel conciliorum significat. In secundo, Complutensis εἰς δεύτερον τοῖς προθύροις, in secundis vestibulis. Ego vero in secunda interpretor vestibulorum contignatione, quia nimirum ibi statuendum concilium seniorum duxi, vt videre est in secun-

Ibid. ℣.17.

da Ichnographia, & suo loco explicandum, cum de hoc agemus concilio. Constat igitur tum ex hoc loco, tum vero maxime ex eo, qui sequitur, numerum definiente ianitorum, non portas modo ianitoribus fuisse distributas custodiendas, sed & alia quaedam celebriora loca: quod hoc etiam

Hoc capite ℣.45 & 46. 1.Paral. 26. ℣.16.

Prophetae nostri capite constare poterit. Sed & locum Paralipomenon iterum resumamus: *Sephim, inquit, & Hosa ad Occidentem iuxta portam, quae ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam.* Singula pene Hebraica huius textus verba non singulas, sed multiplices obuoluere videntur difficultates: eas tantummodo hic explicandas suscipimus, quae lucem afferre huic difficili quaestioni possint, reliquas in opportuniora loca consulto reijcimus. Ac inprimis priora verba non parum nostram confirmant sententiam nam Hebraea, & Graeca in Complutensi sic habent: Ad Occidentem cum porta proiectionis Itaque occiduam partem templi vniuersam Suphimo & Hosae in custodiam creditam fuisse, indicant verba cum porta proiectionis, vel, vt habet Sixtianus C codex, post portam, vel contra portam proiectionis. Vocatur autem Hebraice haec porta שלכת falleceth: quam vocem vix interpretantur Hebraei, rem ne vix quidem. Deducunt tamen eam fere omnes à radice שלך falac, quae proijcere significat: quapropter deiectionis, vel proiectionis portam hanc vocant, sic dictam arbitrantes, quòd per eam proijcerentur sordes. Verum tunc huius portae nomen ac situm perspectum iri arbitrarer, cum aliud quoque portae templi nomen cognitum fuerit, cuius mentio est in libris Regum. Facta enim aduersus impijssimam Athaliam à Ioiada Sacerdote coniuratione, qua Ioas legitimus Regni heres rerum poteretur, vt cupiebat: sic ad Leuitas, D eorumque Centuriones, & milites locutus est:

4.Reg.11.℣.6.

Tertia pars vestrum introeat Sabbato, & obseruet excubias domus Regis. Tertia autem pars sit ad portam סור *Sur: & tertia pars sit ad portam, quae est post habitaculum scutariorum & custodietis excubias domus Messa. Duae vero partes è vobis, omnes egredientes Sabbato, custodiant excubias domus Domini circa Regem.* Est autem omnis haec expeditio attentius perpendenda, quam liber quoque Paralipomenon retulit: nam huius & illius loci collatio non parum lucis obscuro huic loco, immo & obscurissimo illi, quem inuestigamus, afferre poterit. Sunt certe quaedam vel in ipso limine perspicua: Portam, quae est post habitaculum E scutariorum, eam esse certum est, quae à domo Domini descendit in Regiam: nam hac eadem

PORTA scutariorum quae

Ibid. ℣.19.

Regum historia sic legimus: *Deduxeruntque Regem de domo Domini. & venerunt per viam portae scutariorum in palatium, & sedit super thronum Regum.* Hanc vero portam superiorem vocat liber Paralipomenon, quoniam à Regia in inferiore loco constituta per hanc portam in templum ascendebatur. quod vel ex ipsis sacrae Scripturae verbis constare poterit, sic enim habent: *Et fecerunt descendere Regem de domo Domini, & introire per medium portae superioris in domum Regis, & collocauerunt eum in solio regali.* Atqui porta

PORTA superior eadem. 2.Paral. 23. ℣.20.

A haec, quae ab atrio gentium, eiusque Meridiano latere descendebat in Regiam à Meridie constitutam, vt in imagine vrbis vides, necessario aperienda fuit in ipsis fundamentis templi, quae Mello appellari diximus. Neque aliam ob causam dicitur fundamenti. sic referente expeditionem historia Paralipomenon. *Tertia pars vestrum qui veniunt ad Sabbatum Sacerdotum & Leuitarum, & ianitorum erit in portis, tertia vero pars ad domum Regis: & tertia ad portam, quae appellatur fundamenti omne vero reliquum vulgus sit in atrijs domus Domini. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Leuitis.* Hanc autem eandem hi-

Vrbis imago in fine lib. primi, partis primae, tomi tertij Apparatus

EADEM porta fundamenti dicitur. Diximus ibidem lib. 2. c. 8.

B storiam retulit Iosephus, eius quasi interpretem agens: Itaque censeo, inquit Ioiada, tertiam vestrum partem custodiam eius, nimirum Regis, in templo agere: tertiam item omnia templi loca opportuna occupare: eam vero, quae superest, patentem portam, qua itur in regiam, seruare: reliqua vero multitudo in templo inermis sit: neque quemquam cum armis intrare sinite, qui non sit Sacerdos. Constans igitur horum omnium locorum de duplici custodia sententia est; tertia namque pars excubias custodire praecipitur: siue, vt habent Hebraea, Graeca, & Chaldaea, custodias circa Regem, ne quidquam insidiarum, aut impetus concitetur in eum, dum in Regem inungitur, & inauguratur: tertiae vero parti iniungitur vt portam C praedictam fundamenti, superiorem scutariorum, vel patentem, custodiat. Id quare factum sit, vt haec vna porta tanta sollicitudine ac diligentia custoditetur, cuilibet vel me tacente venire possit in mentem. Per eam namque Athalia, eiusque satellites, ac milites venire poterant in templum, quorum potissimum haec noua creatio regis intererat. Eratque maxime custodienda, quippe diu noctuque patens: nam vt initio dicebamus, atque in ipsa videri potest Ichnographia, extra atrium gentium via quaedam vniuersum, circumquaque, ambiebat templum, qua quidem via per dictam fundamenti portam transitus patebat à Septemtrionali vrbis parte dicta Bezeta, in Au-D stralem montem Sion, atque superiorem vrbem, vt vides in imagine vrbis. Quod vero ab Athaliae aduentu maxime timendum esset Ioiadae, atque alijs omnibus, qui partes tuebantur noui Regis, probauit euentus: eo enim audaciae & dementiae progressa est Athalia, vt Regem videns in solio maxima totius populi veneratione coli, scissis vestibus acclamauerit, *Coniuratio, coniuratio*, vt habet liber Regum, vel, *Insidiae, insidiae*, vt habetur in Paralipomenis, aut, vt retulit Iosephus: Magno clamore iubet interfici insidiatorem, & occupatorem imperij, quod vtique factum fuisset, nisi prouisum optime fuisset à Ioiada, qui domum Regis custodiri praecepit, & templum, ita vt, attestante Iosepho, ve-E nientem Athaliam in templum ipsam quidem Sacerdotes admiserint, sed armatos eam sequentes arcuerint Sacerdotes illi, qui Pontificis iussu templum cingebant & atria. Atque haec quidem de duplici custodia perspicua sunt. de tertia nunc examinandum est, ac videndum quidnam custodiendum detur reliquae tertiae parti. Nam liber Regum *Sit*, inquit, *ad portam Sur*. Paralipomenon *Sit*, ait, *in portis*: apud Iosephum omnia templi loca opportuna occupare praecipitur. Numquid igitur porta Sur, pro portis Sur, accipitur, singularis numerus pro plurali, vt alias solet sermo Hebraeus vsurpare? An extimae omnes templi portae Sur dicebantur, à radice סור sur,

Iosephus 9. antiq. c.7.

PORTA patens.

4.Reg.11.℣. 14.

2.Paral. 23. ℣. 13.

PORTA Sur quae dicatur.

quae recedere, declinare, diuertere significat, quod ab eis auerterentur immundi, quasi dicat recedentium portae? Et quidem Iosephus plures templo arceri solitos, illis indicat verbis:

Iosephus 6. belli cap. 6.

Gonorrhoeos, hoc est semine fluentes, itemque leprosos tota ciuitas arcebat, & feminas menstrua soluentibus clausa erat: praedictum autem limitem, ne puris quidem mulieribus transgredi permittebatur. Viri autem, qui non per omnia casti fuissent, ab interiore aula, & qui puri essent, a Sacerdotibus prohibebantur. Hunc vero repellendi morem, & auersorum miseram conditionem disertis verbis indicare voluisse videtur Hieremias

TEMPLI sanctitas, & maiestas

Propheta: templi namque admirans sanctitatem, & maiestatem exclamans ait: *Solium gloriae altitudinis à principio locus sanctificationis nostrae.*

Ierem. 17. ℣. 12. & 13.

Vel, vt habent Graeca. Solium gloriae exaltatum à principio sanctificatio nostra: vel si phrasim attendamus Hebraeam. Solium gloriosum celsissimumque est Sanctuarium nostrum, cui insidet diuina maiestas, opem & auxilium populo suo allatura, vindexque omnium inimicorum suorum. *Expectatio*, spes, *Israel*, populi tui, *Domine, omnes qui te derelinquunt*, abiectis legibus, & iustificationibus tuis, *confundentur*, hoc est cum magna confusione, & ignominia, à consortio & conspectu tuo abijcientur: cumque à te recedent, *recedentes a te in terra scribentur*. Non iam in libro vitae filiorum Israel, sed inter Babylonios & Assyrios, quorum mos erat, attestante Plinio, coctilibus lateribus res gestas suorum scribere. Quo fortasse respexit Christus Dominus, dum de Ecclesiam audire nolentibus dixit: *Sit tibi quasi ethnicus & publicanus*, hoc est, vt ait Augustinus, noli illum deputare in numero fratrum. Locum Ieremiae longa paraphrasi persecutus est Chaldaeus, quae diximus confirmante. Visio, inquit, fiet de eo à facie eius, cuius maiestas habitat in solio gloriae suae in caelis excelsis à principio, è regione domus Sanctuarij nostri. Expectatio Israel Domine. omnes qui derelinquunt cultum tuum, confundentur & impij qui transgrediuntur verbum tuum, futurum est vt cadant in gehennam, quia dereliquerunt cultum tuum, Domine, propter quem tu adducebas super eos gloriam sicut fontem aquarum, cuius aquae non deficiunt. Sic interpretatur Prophetae sequentia verba, *quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum*.

Plin. lib. 7. cap. 56.
Matth. 18. ℣. 17.
S. August. de verb. Domini ser. 16.

Pagninus.

PORTAM Sur aliqui putant esse Orientalem, sed falso

Supra cap. 23 huius.

Sed ad portam reuertamur. Hebraeorum doctores, Pagnino attestante, Orientalem portam Sur dici arbitrantur, eandemque septem nominibus censeri, sed omnia confundunt: nam portam Orientalem mediam dici, siue introitus, supra à nobis ostensum est. Sed & tria alia nomina, fundamenti, alta, noua, Meridianae portae congruere, qua à templo descendebatur in Regiam, ipsis allatis sacrae Scripturae testimonijs perspectum est: ex quo mox liquet, non eandem esse portam Sur, & fundamenti, cum tertia pars ad portam statuatur fundamenti, tertia vero alia ad portam Sur. Nisi forte praedicta ratione, exterior porta quae fundamenti dicitur, porta quoque Sur dicatur, sicut & Orientalis, & quaevis alia exterior porta: id quod confirmare videntur Septuaginta interpretes, pro porta Sur, portam viarum scribentes, quasi portas indicantes, quae ad publicas vrbis vias a templo ducerent. Chaldaeus vero portam Baronum hanc vocauit, forte quod שר Sur, legerit pro סור Sur, littera commutata in eam, quae similis est soni, & principem denotat.

PORTAE viarum exteriores sunt.

PORTA Baronum.

A His mirifice adstipulatur, quod porta Sur, & porta scrutariorum custodiri praecipitur. *Et custodietis*, inquit, *excubias domus Messa*. Quod quamuis viri proprium nomen ab aliquibus putetur, tamen si vox ad suam reuocetur originem נסח nasach, vertere, euertere, scopis mundare significantem, loca facile indicabit, per quae egeruntur sordes, ita vt ab aliquibus pro domo, aut loco scoparum accipiatur, ab alijs pro loco cinerum, qui templo egerebantur. locum autem cinerum ad vallem cadauerum iuxta Caluariae montem statuit Ieremias, vt suo loco ostendemus. *Ierem. 31. ℣. 40.* Verum, nullum certum locum ea voce indicari, sed omnia exteriora templi arbitratus fuisse videtur

B Chaldaeus, qui pro domo Messa, sollicite, scribit, & alij qui, à desertione, scripserunt. quasi dixisset Ioiada: cauebitis, ne quis propriam deserat stationem. Quae omnia ad portam שלכת saleceth, haud aliter reuocari possunt, quàm ad portam סור Sur, praeterquam quod peculiari quadam ratione exteriores Occidentales portae saleçet, idest electionis, vel proiectionis dicebantur, quoniam ad Occidentalem vallem cadauerum vna cum cineribus altaris egerendae sordes per eiusmodi portas compendiaria via educebantur. Hoc enim sensisse videntur Septuaginta interpretes, qui portam pastophorij pro porta electionis scripserunt.

PORTA electionis & Sur.

PORTA Pastophorijque.

Et quidem tametsi per vniuersum templum,

C tum in interioribus, tum etiam in exterioribus porticibus quamplurima exstructa fuissent pastophoria, ea tamen quae in exteriore ambitu Occidentali erant, hoc nomine censentur à Iosepho, dum quattuor describit turres à tyranno templum occupante exstructas: vnam ad Orientalem angulum, contra vallem Cedron, ad Septemtrionalem alteram, contra Bezetam, super Xystum tertiam. Huius iterum meminit Iosephus, qui cum ignem admotum à Iudaeis Occidentali porticui retulisset, vt Romani dolo comprehensi comburerentur: Exusta est, inquit, porticus Occidua ad turrim vsque Ioannis, quam ille belli tempore, quod cum Simone gerebat, supra postes, qui in Xystum ducerent, aedificauerat in angulo alio

Ioseph. 5 belli. cap. 9.
Ioseph. 7 belli. cap. 7.

D Meridiano, vt diximus, contra ciuitatem inferiorem cui imminebat. Quarta vero turris supra verticem pastophoriorum condita erat: vbi moris est, vnum de Sacerdotibus astantem post Meridiem, quod septimus quisque dies inciperet, tuba significare: rursusque vespere, quod desineret, nunc ferias populo, nunc vt opus faciat denunciantem. Occidentalem quoque exedram alibi commemorauit idem Iosephus sic scribens: Octauo autem die mensis Augusti, cum duae legiones aggeres perfecissent, ad exedram Occidentalem templi exterioris admoueri arietes iussit. Portam porro saleçet, vel proiectionis portam vocat Sanctus Hieronymus, *quae ducit ad viam ascensionis*, non quod idem significari putauerit voce saleceth, vt temere, ne dicam impie reprehendunt non-

Iosephus 5. belli cap. 9.
Ioseph. 7 belli. cap. 9.

E nulli, sed propter ea quae sequuntur in Hebraeo verba, quae sic ad verbum conuertit Regius codex: Ipsi suppim & Chosae ad Occidentem cum porta proiectionis in strata descensionis. Sed & post pauca numerus eorum recensetur, qui in singulis stationibus excubias agebant, senis Orienti assignatis, quaternisque tum Aquiloni, tum etiam Austro datis, binisque concilio. & haec verba subduntur: *In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem quattuor in via, binique per cellulas*. Septuaginta interpretes: Et ad Occidentem quatuor, & ad semitam duo excipientes. Hebraice לפרבר laparbbar, ad cellulam, ad Occidentem quatuor stratae, duo לפרבר laparbbar,

1. Paral. 26. ℣. 18.

DOMVS *Parbar quae dicatur Rabbi Dauid.*

parbar, cellulae, vel vt habet Pagninus, per singulas domos. Est autem vocis פרבר parbar; tam magna apud Hebraeos ignoratio, vt vix apud eos constet, vel quomodo scribenda sit. Et quidem Rabbi Dauid proprium esse putat nomen domus, quam instrumentorum fuisse existimat. Talmudici sentiunt fuisse quidem locum in templo, sed extra ipsum, prope Sanctum Sanctorum: quae quidem sententia maxime probabitur ei, qui vestigium templi perpenderit, & agnouerit Sanctum Sanctorum Occidentali porticui fuisse proximum, tum atrij Israelis, tum etiam atrij gentium: atque adeo quaecumque domus, vel locus quicumque, in media porticu gentium, etiam extra eam statutus consideretur, is quidem Sancto Sanctorum erit proximus. Ex quo mox liquet impietas Regum illorum, quorum iniquissima facta rescidit pius Rex Iosias: qui cum abstulisset eos, qui *adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunae: abstulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda Soli, in introitu templi Domini iuxta exedram Nathammelech eunuchi, qui erat in* פרורים *paruarim, Pharurim: currus autem Solis combussit igni*. Qua quidem Hebraea voce, quam intactam reliquit Beatus Hieronymus, Rabbi Dauid suburbana significari putat, & ad Nathammelech retulit, praefectum fuisse existimans in suburbanis vrbium atque villarum. Sed & Hebraei communiter hac voce suburbia significant. Et quidem si rectam interpretandi rationem sequamur, in quam nos deducit Vulgata nostra lectio, ipsos Solis equos, currus, & exedram in suburbanis constituenda esse facile intelligemus. Cui adstipulatur Chaldaeus ad cubiculum, inquiens Nathammelech eunuchi, quod erat in suburbanis: quorum Iosephus meminit, portas enumerans exterioris porticus atrij gentium. Occidentalis autem porticus, inquit, quatuor portas habebat: harum ab vna transitus erat in regiam, per vallem in medio intersectam: duae ferebant in suburbia, postrema in vrbem, gradibus multis vsque ad imam vallem dispositis, & inde alijs sursum per accliue tendentibus. Ecce hic simul Iosephus rationem reddidisse videtur, & cur haec porta siue via ascensionis dicatur, ad quam multis gradibus ab ima valle ascendebatur: ac suburbiorum quoque porta, quae ad suburbia duceret. Enimuero operae pretium fore existimaui, adhuc tantisper immorari in huius loci assignatione, quo equi Solis, eiusque currus ab iniquis Regibus dati fuerant. Cuius rei gratia, & qui fuerint hi Solis equi, qui currus, qui Nathan melech eunuchus, oportebit expendere.

4. Reg. 23. ℣. 5. & 11.

EQVI SOLIS *ab impijs Regibus vbi positi.*

Rabbi Dauid in lib. radicum.

Iosephus 15. antiq. c. 14.

SVBVRBIA *ad Occidentem templi.*

Ac primum, gentium ritus in colendis idolis cum ipsis idolis imbibisse Iudaeos, toties à sacris Scriptoribus testatum est, vt probatione non egeat. Sed & hanc vnam rationem assumpsit Abulensis contra Rabbi Salomonem asserentem, equos hos vera fuisse animalia, non ficta, quae currui iungebantur, & obuiam ducerent summo mane eos, qui primi exorienti Soli honorem, ac reuerentiam exhiberent: atque ob eam causam Rabbinum incusat externarum rerum ignarum, quòd nullus eiusmodi ritus apud gentes obseruatus legatur. Sed certe equos Soli à Cyro Rege mactatos fuisse, & currus ante Solis ortum ad pompam sacrificij prodijsse, auctor est Xenophon. Sed & Ouidius rationem reddere videtur, cur Soli, non boues, sed equi mactentur.

IMPIOS ritus cum deprauatis moribus à gentibus hauserunt Hebraei.

Tostatus q. 29. in hunc locum Regum.

Xenophon. Cyropaed. lib. 8.

Ouid. 1. Fast.

Placat equo Persis radijs Hyperiona cinctum
Ne detur celeri victima tarda deo.

A Et Strabo Euripidem retulit, sic ab eodem conuersum,

Quam, cum quadrigis tellurem superat suis,
Primum aurea flamma Sol almus percutit.
Eteam nigra vicina gens cute praedita
Aurorae vocat, ac Solis stabulum lucidi.

SOLI EQVI, *vt & boues mactabantur, & quae. Euripides in Phaetonte.*

Quo quidem loco, inquit, stabulum equis Aurorae & Solis idem adscribit: in sequentibus autem vicinum id facit aedibus Meropis. Quae sane omnia in eam nos sententiam inducunt, vt arbitremur, harum gentium peruersis moribus imbutos fuisse Iudaeos. Nam quod historia scholastica excogitauit huius rei fundamentum, parum videtur stabile: ait enim Iudaeos fecisse sibi idolum Solis quasi puerum imberbem, quia nullum patitur senium, sed quotidie renouatur. Fecerant & ei, inquit, equos & currum, putantes quòd in hunc modum Eliam transtulisset. Verum rationem currus ex ipsis gentibus fuisse petitam probat, quod Macrobius retulit: Nunc vero, inquit, eundem Iouem, Solemque esse, cum ex ipso sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulachrum enim aureum, specie imberbi instat: dextra eleuata cum flagro, in aurigae modum: laeua tenet fulmen, & spicas &c. Vehitur enim simulachrum dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Cyrcensium deorum simulachra. Et subeunt plerumque prouinciae proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri: feruntur que diuino spiritu, non suo arbitrio, sed quo deus propellit vehentes. Haec ille. Ex quibus omnibus licet conijcere, Reges illos impijssimos, qui Solis & Lunae simulachra in ipso templo posuerant, vt ex eadem historia liquet: equos quoque & currus Soli dicasse, quos statuerant ad Occidentem templi, prope ipsum templum in suburbijs, quorum curam Nathammelecho eunucho dederant: quod eunuchi nomen ita verterunt Septuaginta interpretes, ac si esset è multis compositum. in Sixtiano namque codice Natham Regis eunuchi, legimus. in Complutensi, Natham eunuchi Regis. id enim sonant

Comestor in histor. Scholastico.

B

Macrob. lib. 1. Satur. c. 23.

C

SOLIS AVreum simulachrum curru vehebatur, quo ipse ducentes impellebat.

D Hebraea verba. Quae Graeca lectio nonnullos in eam induxit sententiam, vt ipsum Solem Natham melech eunuchum dici putauerint, quòd is dona det, Rex sit, & imberbis, de domo: atque adeo, vel exedra Solis sublatos fuisse equos, combustos currus arbitrantur. Alijs vero magis placet eunuchi cuiusdam nomen proprium fuisse Nathan melech. Quod si commissi muneris sit nomen, donum Regis, vel donatum regno significabit, tanti enim ab illis fiebat Solis cultorem, & veluti aurigam esse. Sed vere stabularium eum licebit appellare, qui equis, ac stabulo praeerat. Nam vocem פרבר parbar, aut פרור paruar, aut פרכר parcar, vt alij scribunt compositam esse nonnullis placet à voce פר par, quae iuuencum significat, & כר car, pabulum, quasi dicant ad stabula iuuencorum. Atque haec de Occidentali custodia dicta sufficere videbantur, praesertim cum de ianitoribus templi dicendum sit iterum. Verumenimuero tam firmiter, ad contentionem vsque, suae sententiae adhaeserunt, portam in Occidentali porticu atrij Israelis exquirentes nonnulli, vt illis olim mos gerendus fuerit: sed duplici ratione praepediri animaduertimus, quo minus in media porticu portam, reliquis similem aperiremus. altera aedificij, non enim fas esse videbatur portam aperire in medio porticu, medio posti Occidentali Sancti Sanctorum aduersam, altera,

NATHAM melech eunuchus quis fuerit.

QVI REX putatur, stabularius est.

E

DVPLICI ratione coacti portam a media Occidentali porticu sustulimus.

quòd nefas esse videbatur ab atrio gentium recta introire in atrium interius Sacerdotum, quod vtique fieri cognoscat, qui reliquas portas perspexerit, quae cancellis vndique septa cum sint, non prius in porticus ingredi sinunt venientes, quàm ingrediantur in atrium. Quapropter bina ostia vtrimque aperuimus, quae ab ostiarijs custodirentur, quorum quaterni in via extra portas manerent, bini vero per singulas has portas: *custodia contra custodiam*, vna videlicet ex altera parte, altera ex altera. Atque haec de portis exterioribus templi in vniuersum nunc dicta sufficiant: de interioribus namque sequentibus capitibus agendum est.

DE PORTA

AVSTRALI ATRII *interioris*.

Cap. XXXIII.

XXVIII. *ET introduxit me in atrium interius ad portam Australem.* Hoc est ad portam Australem Atrij interioris, nimirum, per quam introitus patebat in atrium interius: absolutis namque exterioris atrij eiusque portarum mensuris, venit ad atrium interius, cuius omni ex parte perfectam cum exteriori similitudinem, nobis ob oculos contemplandam proponit. Est autem hoc atrium, quippe Dei solio prae alijs proximum, à profana multitudine maxime semotum: quae causa est, propter quam à reliquis, eius solum sublimetur, non pari, sed maiori graduum numero, ipsumque proprio muro circumdetur, quod proprijs vsibus & sacrationibus deputetur. *& mensus est portam*, Australem, iterum repetit Hebraeus codex, & Chaldaeus paraphrastes, quae respiciebat ad Austrum, & per quam ingrediebantur venientes ab Austro. In hanc enim portam, quippe quae omnium proxime abesset, ingressus est primum, non eundem ordinem seruans portas interiores metiendi, quem in exterioribus: ex illis enim primum recensuit Propheta Orientalem, deinde Aquilonarem, ac tandem Australem: ex interioribus primum Australem, deinde Orientalem, ac tandem Aquilonarem: quod, an mysterio vacet, expendant eruditiores. *Et mensus est portam, iuxta mensuras superiores.* Summa haec est eorum, quae mox per partes retulit. Mensus est enim, inquit, singula portae membra, & vniuersam totius, & partium longitudinem ac latitudinem, & comperit harum mensuras aequales esse praedictarum portarum mensuris. Ex quibus veram ac certam esse cognoscimus Richardi coniecturam affirmantis, nihil denuo in his portis interioribus dimensum esse, aut referri, quod non sit dimensum in alijs. aut, vt verius dicamus, quod non sit eiusdem mensurae in alijs quoque omnibus portis: quòd quare notandum fuerit, mox apparebit.

NON IDEM ordo in interioribus atque in exterioribus portis recensendis.

Richard. par. 2 explanat templi Ezec. cap. 10.

QVIDQVID in vna porta mensuratur, id alijs omnibus est commune

Thalamum eius, vnumquemque; elegantia enim sermonis Hebraici plerumque numerum singularem pro plurali substituit, vt notat Richardus: quod indicare voluit Chaldaeus, & thalamos eius scribens. *& frontem eius*, & frontes eius, *& vestibulum eius*, & vestibula eius, iuxta mensuras istas: *iisdem mensuris*, quibus in reliquis portis similia membra dimensa sunt. *& fenestras eius & vestibulum eius.* Latinus interpres ita haec verba superioribus connectit, vt subintelligendum videatur, mensus est, hoc est, mensus est fenestras eius. Hebraea vero, Graeca, & Chaldaea nouam videntur inchoare periodum. habent enim: & fenestrae ipsi. quam lectionem exposuit Chaldaeus: Et fenestrae, inquiens, ei erant, & vestibulis eius in circuitu. Non enim satis esse videbatur mensurarum meminisse, nisi etiam partes illas retulisset, quae ad vsum potius pertinere videbantur, quam ad portae integritatem, cuiusmodi fuerunt cancelli thalamorum, quos vt dixi, fenestrarum nomine retulit: de quibus ambigi merito posset, an fuerint in portis interioribus, quemadmodum in exterioribus fuisse toties dixerat. Et propterea subiungit: Et fenestrae, siue cancelli erant huic portae, atque vestibulis eius in circuitu. Quod quidem vestibulum, vel, quae vestibula portam circumdantia, cancellisque occlusa, *quinquaginta cubitos* habebant *longitudinis, & latitudinis vigintiquinque cubitos.* Hanc porro Hebraicam lectionem imitari voluisse videtur Latinae Vulgatae lectio, quae sic habet in Regio codice: Et fenestra eius, & vestibulorum in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis vigintiquinque cubitos. Sed eiusmodi lectio vix potest percipi, longiorique indigeret commentario: cui propterea merito praelata est ea lectio, quam retulimus ex Sixtiano codice. Hac autem duplici dimensione quinquaginta, & viginti quinque cubitorum, portae longitudo & latitudo definita initio fuit, nunc vero vestibulorum longitudo & latitudo: ex qua vtriusque loci collatione mox liquet, portam vestibulis circumdari, & totam contineri. Sed & illud quoque notandum est, eidem portae longitudini totius meridianae porticus interioris latitudinem exaequari: quo perspectum sit interiorum, atque exteriorum porticuum eandem esse latitudinem quinquaginta cubitorum.

XXIX. *SINGVLARIS numerus pro plurali.*

CANCELLI portam & postes cingunt, eadem portae longitudine ac latitudine.

Hanc porro interiorum portarum latitudinem, non casu, aut temere constitutam fuisse, sed mirabili quadam vsus ratione, vel ex eo maxime constare poterit, quod in his potissimum portis ministeria exercebantur Sacerdotum & Leuitarum, sic de eis loquente ad Ezechielem Domino: *Cumque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur, nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrij interioris, & intrinsecus.* Atque in Numerorum libro. *Haec est lex Leuitarum*, inquit, *a vigintiquinque annis & supra, ingredientur vt ministrent in tabernaculo foederis; cumque quinquagesimum aetatis annum compleuerint, seruire cessabunt.* Et haec quidem lex perpetuo asseruata fuit, neque de illa vlla est ratio dubitandi, quae totidem verbis in Hebraeo, Graeco, atque Chaldaeo codice legitur. Nam quod Sanctus Hieronymus in dubium reuocat, legendumne sit, vigintiquinque, iuxta Septuaginta interpretes, an vero triginta, iuxta Hebraeum, id ad alium locum spectat, &

LATITVDO portae ac longitudo quid denotet

Ezec. 44. ℣. 17.

Numer. 8. ℣. 24 & 25.

S. Hieron.

ad alia

Numer 4.

ad alia longe diuersa ministeria portandi tabernaculi, & eius instrumentorum. His igitur collatis, cum ipso aedificio ministros aptissime congruere videbimus. Inter postes quinque cubitorum versantur, quinis praediti perfectis ac puris sensibus, quorum quolibet deficiente, imperfecti haberentur, & impuri. Iidem porro ministri, annos nati quinque, minimum, & viginti, inter postes ministrare praecipiuntur totidem altos cubitos: quae omnia in latitudine portae quinque & viginti cubitorum praestanda erant, tot enim annos licet ac decet ministrare, vsque ad annum aetatis quinquagesimum, quo longitudinem portae praetergressi, a ministerio cessant. Sed de his alias, quae hic insinuanda fuerunt, vt videre possimus, quam maxime cum superioribus sequentia cohaereant. B

ALIQVO sensu deficientes ministri, impuri sunt.

XXX.

Et vestibulum per gyrum longitudine vigintiquinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum. Videte, inquit Richardus, quomodo in omni descriptione noui aliquid additur, quod in praecedentibus non dixerat. Vestibulum quinque cubitorum latitudinis superius nusquam descripserat. & tamen si apud hanc portam, ergo apud omnes alias erat, quia omnium vnam mensuram fuisse liquido costat. Sed vbi quaeso huius vestibulum, nisi inter thalamos, fuit? nam spatium quinque cubitorum inter thalamos Scriptura describit. Nec vnum tantummodo, sed inter tres thalamos, duo in latere vno, & duo in latere alio. C Quae sane Richardi sententia vera est, atque si pro spatio inter thalamos, postem scripsisset, fuisset verissima, quippe maxime textui conformis. Nam in Hebraeo sic legimus ואלמות סביב סביב veelammoth fabib fabib. quam vocem retinuerunt Septuaginta interpretes. Et elamoth per gyrum, scribentes. Chaldaeus. Et vestibula per circuitum. Voce quidem אלמות elamoth, fornices, seu arcus super maiores portas, vel in ipsis porticibus, sustinentes pondus superliminarium, significari tradunt Hebraei.

Richard. vbi supra.

VESTIBVlum quinque cubitorum in omnibus portis fuit.

Vatab. num. 65.

Quare Vatablus in notationibus, testudines vertit, pro vestibulis. D Porro testudines erant exstructae in circuitu parietis. Longitudo omnium earum simul vigintiquinque cubitorum. Quae omnia, ac fere singula verba ex Rabbinis desumpsisse videtur. Erant, inquit Rabbi Dauid, vestibula aedificata in circuitu parietis, vel in concauo muri, & omnia simul occupabant longitudinem muri vigintiquinque cubitorum: & cuiuslibet spatij latitudo erat quinque cubitorum. Verum cum Rabbini nec minima quidem ex parte huius aedificij fabricam assecuti fuerint, vocum tantummodo notiones ab eis mutuamur, & eas quae contextui magis esse videbuntur conformes; in reliquis caecos duces non sequimur, sed auersamur. E Illud tamen in memoriam reuocandum est pro huius loci intelligentia, quod supra dicebamus, voce אלם vlam, vel אלם elam. non modo fornices, testudines, aut arcus significari, verum etiam aliquando postes, quibus eiusmodi fornices innituntur: id quod ex eo videtur confici, quod vox haec affinis est radici איל aial, & voci איל el, qua postem significat. & ipso Beati Hieronymi testimonio, qui eam vocem transtulit, potest confirmari: Antiquae omnes Scripturae, inquit, verbo vlam, siue elem, plenae sunt, quod nihil aliud signat, nisi, ante, aut prius, vel vestibulum, siue superliminare, vel postes. Haec Sanctus Doctor. Sed & haec nostra sententia hoc ipso loco, quem explanamus, probari videtur, idem enim ipsum metitur hic Angelus, quod supra inter thalamos quinque cubitis mensus fuerat, vt ipsa aedificij ratione confirmatur. Siquidem aedificium quod à Richardo excogitatum fuit, stare nulla ratione posset: essent enim quamuis parietes non marmorei, sed ferrei, aut ex alia solidiori materia, fieri tamen non posset, vt paries vnius cubiti pondus sustineret porticuum, & frontium, quae sexaginta minimum assurgunt cubitos. Mitto hic dicere, quod neque respondere possent frontibus duorum cubitorum, atque alia id genus incommoda propemodum infinita. Sed illis omissis, quae in alienorum errorum confutatione versantur, quae vera sunt, ac certa quam breuissime proponamus. Postes illos qui intra portam fornices sustinent, seu vestibula hic retulit, quorum stylobaras diximus quinque cubitis fuisse latos: eos denique postes nunc dicit longos fuisse, hoc est, altos cubitos quinque & viginti: tanta enim est primae contignationis celsitudo, siue primi ordinis columnarum cum sua trabeatione altitudo. Hanc vero mensuram, hic primum expressam haberi certum est, quae prius sub illa sexaginta cubitorum vniuersali frontium altitudine comprehendebatur. Et Chaldaeus hoc loco columnas tantummodo, vt dixi, viginti cubitis mensus fuerat, quarum trabeationes altae debuerunt esse quinque cubitos, ex quarta altitudinis columnae parte, vt ipsis quoque sacrae Scripturae testimonijs infra confirmandum est. Nam quod aliqui falso putarunt eandem nunc dici vestibulorum longitudinem, quae paulo ante eorundem dicta erat latitudo, vix videtur credibile: vt eodem orationis contextu sine vlla verborum interpositione, sine vlla distinctionis nota, eadem mensura repetatur, mutato latitudinis nomine in longitudinem, quod quid pareret, si non confusionem pareret?

Rabbi Dauid in comment.

RABBINI vocum notiones nobis explicant, non aedificium quod ignorarunt.

S. Hier. tradit. Hebraic. in Genes. 28.

VESTIBVlum pro postibus vestibuli.

PRIMI ORdinis columnarum altitudo viginti cubitorum.

TRABEAtiones ex quarta parte fiunt altitudinis.

XXXI.

Et vestibulum eius ad atrium exterius. Sequitur illud, inquit Richardus, in quo interiores porticus differunt à superioribus, nam superiores respiciebant intrinsecus, & istae extrinsecus. Vestibulum portae interioris, inquit Rabbi Salomon, non erat à parte interiore sicut erat vestibulum portae exterioris, sed ad exteriorem partem eminebat. Quid verba haec denotent perspectum est, maxime si in memoriam reuocentur ea quae de vestibulo interiore supra diximus. Verum quid innuant, attentius perpendendum est. Cuius rei gratia scire oportet, atrium interius, seu Sacerdotum duplici quidem ratione ab exteriore Israelis diuersum fuisse, tum quod illius solum super huius solo octonis eleuaretur gradibus, tum etiam quod peribolo quodam proprio supra praedictam altitudinem soli erecto circumdaretur: ita vt ad illud aditus vndequaque intercluderetur, & inaccessum esset atrium, praeterquam per portas. quae omnia suis locis confirmanda sunt. Hoc vero, his assumptis, vestibulum portae interioris ad atrium exterius fuisse dicitur, vel respexisse, quoniam peribolus ille, quem diximus interiorem murum porticus interioris circumdare, atrio interiori aream tantummodo subdiualem relinquebat, & porticus omnes, tum atrij exterioris, tum interioris atrio exteriori. vt vides in Ichnographia vniuersali. Neque hoc tantum, sed & ipsum pauimentum interiorum porticuum aeque libratum est cum pauimento

Richard. vbi supra.

Rabbi Salom.

IN QVO differat interius atrium ab exteriori.

QVARE sublime fe[?] atrium interius, exterius vero totum humilius.

atrij exterioris, quo Sacerdotes in atrio interiori ministrantes à reliquo populo in atrio inferiori constituto quasi celsiores, dignis afficerentur honoribus, ac reuerentia. *Et palmas eius in fronte*. Chaldaeus: Et Capitella, inquit, super postes eius, palmas indicans capitellorum loco in postibus fuisse, quod, inquit Richardus, erat huic portae cum caeteris commune.

Richardus.

DE GRADIBVS TEMPLI, ET CANTICIS *graduum.*

Cap. XXXIV.

ET octo gradus erant, quibus ascendebatur per eam. Sed octo gradus erant, inquit Chaldaeus, gradus eius. Septuaginta in Complutensi, & Regio. Et in octo gradibus ascendebam ad eam: quasi de seipso loquatur Propheta, & affirmet, ad portam dimetiendam octo gradibus conscensis accessisse. In Sixtiano codice sic habentur haec verba: Et palmae aeleu, & octo gradus. quasi dicat, palmas fuisse in frontibus vestibuli, ad quod octo gradibus ascendebatur. In hoc iterum, inquit Richardus, interiores à superioribus differunt, quae solummodo septem habuerunt. Rabbi Dauid per octo gradus, inquit, ascendebatur ab atrio Israelis ad atrium sacerdotum. in aedificio autem templi secundi non erant nisi tres gradus.

Rabbi Dauid in comment.

GRADVS secundi templi cum gradibus primis conferuntur.

Sed quoniam in hanc incidimus numeri graduum primi ac secundi templi collationem, operae pretium fore existimaui, hic aliqua breui subiungere de numero graduum interiorum, atque exteriorum portarum. Atque in primis non semel memini me dixisse, ad portas atrij exterioris septem gradibus ascendi, idque Prophetae nostri perspicuis confirmasse testimonijs. Ibidem vero idem, qui modo, Rabbinus graduum secundi templi his verbis meminit. In aedificio autem secundi templi, legimus in tractatu mensurarum, quindecim gradus ascendebant à medio eorum ad atrium Israel, contra quindecim psalmos graduum, qui sunt in psalterio, super quibus Leuitae stabant canentes. Haec ille. Sed non eodem modo computatur à Iosepho, secundi templi, hoc est eius, quod Herodianum vocant, graduum numerus. Nam cum atrij gentium primum meminisset: Sanctum, inquit, vocabatur alterum fanum, & quattuordecim gradibus ascendebatur a primo &c. Post quattuordecim autem gradus spatium erat vsque ad murum trecentis cubitis planum. hinc rursum alij quinque gradus, & scalae ad portas ducebant &c. & post pauca subdit. Gradus autem quindecim a muro qui mulieres segregabat, ad maiorem portam ducebant: namque illis, qui ad alias portas dirigerent, quinque gradibus erant breuiores. Nec satis sibi constans videtur esse Iosephus, qui quindecim gradus, aliarum portarum gradibus, quinque fuisse breuiores affirmat: nam aliarum quidem

Ioseph 6. belli cap. 6.

A portarum gradus oportuisset computasse vicenos, cum tamen quinque & quattuordecim nouemdecim efficiant, non viginti. nisi, librariorum forte vitio, quattuordecim legimus, pro quindecim, quod magis fit verisimile. Sed longe diuersa ratio habenda est graduum prioris templi, in quo septeni ascendebantur in atrio exteriore, octoni in interiore, vt vidimus, computari a Propheta. qui quidem vterque numerus sua continet propria mysteria: atque ea pariter, quae exquiruntur in eo, qui ab vtroque componitur, quindenario numero.

Sed enimuero, cum certus sit hic graduum numerus, non certum esse videtur aliquibus, quin-

NVM PSALmi graduum ad templi pertineant gradus.

B decim graduum cantica, quae longissimum illum psalmum centesimum decimum octauum ordine consequuntur in psalterio, ad hos gradus pertinere. Inter quos primum locum obtinet Iansenius, qui totis viribus conatur hanc labefactare sententiam, negans huiusmodi graduum numerum Salomonis templo, quem neque ex sacris Scripturis putat colligi, neque ex Iosepho: fatetur tamen eos legi apud Ezechielem in suo, quod vocat, templo; sed hoc ad Salomonicum nihil putat pertinere. Confundit deinde Iosephi verba: ac tandem contra eos argumentatur, qui putant reditum è Babylone his psalmis posse contineri; cum nullus sit Babylone locus, qui Cedar

Iansen. in psalmos.

C vocetur, & multum incola fuisse dicatur psalmi scriptor in Cedar. Sed iusta trutina perpendat Lector, an harum momenta difficultatum ipsi praeponderent Sanctorum Patrum auctoritati, antiquorum Hebraeorum traditionibus fultae.

Esse autem in templo gradus quindecim, inquit Beatus Hilarius, historia nobis locuta est. Sed cum gradibus his ministrorum gradus indicari arbitretur, tandem ad eam accedit sententiam, vt Sacerdotem summum per hunc graduum numerum in Sancta Sanctorum intrare solitum arbitretur. Ipse tamen septenarij & octonarij numeri meminit, quod ad mysticos sensus aptari fa-

S. Hilar praefat. in cantic. graduum.

D cile posse existimaret. Eius haec sunt verba: Nam & in templo per hunc numerum graduum principes sacerdotum in Sanctorum Sancta conscendebant: vt quia neque hebdomas legis, sine Euangeliorum ogdoade, neque ogdoas Euangeliorum sine legis hebdomade virum posset praestare perfectum: quisquis illa perfecte credidisset, in his perfectis ac beatis Sanctis Sanctorum perfectum hunc virum, qui in quindecim graduum cantico est, hebdomadis, & ogdoadis numerum locaret.

Idem prologo in psalterium.

PRINCEPS Sacerdotum per quindecim gradus ascendebat in Sanctum Sanctorum.

Sanctus quoque Hieronymus optimus sacrarum Scripturarum interpres, ex ipso psalmorum contextu confirmare videtur, ad gradus atrio-

E rum templi hunc psalmorum numerum respexisse, quamuis mysticos potius, quàm alios consectari videatur sensus. Quindecim, inquit, graduum psalmi per quosdam profectus nos ad summam perducunt, vt in atrijs Domini possimus dicere: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini* in atrijs domus Dei eius. Et iterum: Quindecim, inquit, sunt carmina in psalterio, & quindecim gradus, per quos ad canendum Deo, & in atrijs eius consistendum iustus ascendit. Sed neque ab hac canticorum & graduum collatione Ezechielis templum alienum fuisse putauit idem Hieronymus. Nam septenarium numerum ad patres referens veteris testamenti,

S. Hieron super psal. 119.

Psal. 133. ℣. 1.

Comment. ad Paulam & Eustochium in epist. ad Galat.

ac

PSALMOrum numerum ad graduum numerum respexisse confirmant Doctores.

S. Hieron. in Micheae c. 5. ℣. 5.

ae legis, octonarium vero ad Apostolos, & Sanctos viros Euangelicos: Et in templo, inquit, Ezechielis, quod interpretatur Ecclesia, & caelestis Ierusalem, septem & octo gradibus ascenditur. Et in psalterio quindecim gradus sunt, quibus per hebdomadem, & ogdoadem ad canendas Deo laudes scandimus.

S. August. praefat. Psal. 150.

Sanctus quoque Augustinus rationem reddere videtur, propter quam hi graduum cantici totidem fuerunt: Septem porro, inquit, & octo, quindecim sunt, tot sunt & cantica, quae appellantur graduum, quoniam totidem fuerunt templi gradus. Atque iterum centesimum quinquagesimum omnium psalmorum numerum, qui fit ex quindenario in denarium ducto, cum numero graduum conferens: Qui numerus, inquit, fit septem & octo coniunctis, quorum primus insinuat propter sabbati obseruationem testamentum vetus, secundus testamentum nouum, propter Domini resurrectionem. Hinc sunt in templo quindecim gradus, hinc sunt in psalmis quindecim cantica graduum. Eucherius denique decimumquintum numerum ad quindecim gradus templi putat pertinere: quos, inquit, fecit Salomon, ad quorum numerum quindecim psalmi, qui inscribuntur, canticum graduum, compositi sunt.

Iterum psal. 89. ℣. 10.

Eucher. de spiritualibus for. c. 11.

QVINDEcim fuerunt gradus in templo Salomonis.

Iam vero tum ex his doctissimorum virorum testimonijs, tum ex illis, quibus initio confirmabamus, templum Salomonis ne minima quidem ex parte à templo, quod ab Ezechiele describitur, distare posse, cuiuis esse perspectum poterit, quindecim certe gradus in templo Salomonis fuisse, per quos ascendebant in atrium interius Sacerdotes sacra facturi: longe tamen aliam rationem esse eorum qui Sancta, vel Sancta Sanctorum ingrederentur, ex ijs quae infra dicenda sunt, constare poterit: siquidem praeter hos quindecim, decem alij conscendendi eis erant, qui ab atrio Sacerdotum in templi vestibulum vellent intrare. Quod si graduum numerus cum canticorum numero conuenit, atque hi graduum dicuntur, quid obstat, quo minus in gradibus hi psalmi canerentur? Est fortasse, inquies, latius multo patens vox Hebraea מעלות maghalot, aut Graeca ἀναβαθμῶν anabathmon, quae huiusmodi psalmis inscribitur. significat enim ascensiones, vel ascendentes gradus, quare a vocis ascensione, vel contentione, qua canebantur, sic dictos psalmos putat Rabbi Saadia. Alij, longius petita denominatione, carmen aliquod vulgo sic dictum confingunt, ad cuius normam hi canerentur: vel ab instrumento musico, maghaloth dicto, ad quod canerentur, sicut & alij quoque psalmi modos musicos, aut musica instrumenta, ad quae canerentur, habent inscripta. Optimam vero omnium rationem putat esse Genebrardus, & ipsorummet psalmorum argumentis accommodatissimam, quòd ab ascensionibus è captiuitatibus quas continere videntur, sic dicantur hi psalmi: nam tum ex situ Hierosolymae celsissimo, tum vero ex ipsa libertatis eleuatione merito dicentur cantici ascensionum. vel, vt habet Chaldaeus: Canticum, quod dictum est pro ascensionibus abyssi: quasi dicat ex abysso exilij, seruitutis, peccati, mortis, inferni &c. Verum ego quidem videre non possum, quid haec obstent, quo minus hi psalmi omnes vel a Dauide compositi sint, quod magis crediderim, vel, vt ait Origenes, à Salomone, qui primum decantarentur in solemni illa pompa, qua arca Dei è

ASCENSIOnum cantica, quod contentiori voce canerentur, dicta R. Saadia.

Genebrar. in Psal. 119.

Orig. lib. 3. periar. cap. 1.

A Sione translata est in templum.

Conueniteque, inquit historia regum, *ad Regem Salomonem vniuersus Israel in mense Ethanim in solemni die, ipse est mensis septimus. Veneruntque cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam Sacerdotes, & portauerunt arcam Domini, & tabernaculum foederis, & omnia vasa Sanctuarij, quae erant in tabernaculo & ferebant ea Sacerdotes & Leuitae. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel, quae conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oues & boues absque aestimatione & numero.* In qua quidem pompa necessarium fuit, deferentes arcam tamdiu stetisse, donec sacrificia peragerentur:

HI PSALMI a Dauide compositi, vt canerentur, dum ad templum deferretur arca. 3. Reg. 8. ℣. 2 & sequent.

B atque adeo dum ipsam domum Domini ingrederentur, ac singulos eius gradus conscenderent, psalmus vnus ex ijs decantari potuit, maxime cum historia Paralipomenon cantores enumeret, instrumenta musica, psalmos, & psalmorum auctorem: *Sacerdotes autem*, inquit, *stabant in officijs suis & Leuitae in*, idest, cum, *organis carminum*, Hebraice שיר sir, eadem est vox, quae hic canticum vertitur graduum, *Domini, quae fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum*, & dicendum: *Quoniam in aeternum misericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus suas. porro Sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque*

2 Paral. 7. ℣. 6.

C *Israel stabat*. Vniuersum pompae ordinem disertis verbis expressisse videtur Sacer historicus: praecedebant Sacerdotes tubis canentes, sequebantur Sacerdotes & Leuitae vocibus atque organis Dauidicos psalmos hymnosque psallentes, quos plerumque intercipiebat versus כי לעולם חסדו ci legholam hasdo: Quoniam in saeculum misericordia eius: & quidem cum canerent Leuitae, qui portabant arcam, Sacerdotes stabant, quibus stantibus, vniuersus consistebat populus. Quae omnia quantum inter se consentiant, nemo non videt.

PROCESsionis ordo, cum deferretur arca.

Fateor Remigium, qui hanc nostram tuetur sententiam, vna re nobis videri posse disiunctum, & fortasse diuersum, quod gradus, eorumque nu-

Remig. super Psal. 119.

D merum pro decantando in eis psalmorum numero exstructos fuisse putat, non autem psalmos in gradibus decantandos fuisse compositos. Sed ipsum praestat audire: Psalmi autem isti, inquit, qui dicuntur cantica graduum, & sunt quindecim, non ad imitationem illorum graduum, qui erant in templo Salomonis, facti sunt, cum Dauid longe ante filium praecesserit, hosque psalmos sicut & alios in laude Dei decantauerit. sed gradus illi per Salomonem ad imitationem earundem virtutum, quae in psalmorum istorum numero designantur, positi sunt. Haec Sanctus vir, quae nihil videntur inuoluere aduersus praedicta difficultatis, cum Dauid dedisse dicatur Salomoni

PSALMI compositi vt decantarentur in gradibus, non gradus ad numerum canticorum facti.

E non modo aurum, argentum & opes, ligna, lapides, atque alia omnia ad templi aedificationem necessaria, verum etiam descriptiones eius, &: *Diuisiones Sacerdotum, & Leuitarum in omne ministerium domus Domini*. Quid igitur obstat quo minus Dauid potuisset carmina componere à Leuitis, & Sacerdotibus canenda, quorum diuisiones ac sortis ministeria omnia iam ante diuino Prophetae spiritu plenus excogitauerat, descripserat, ac Salomoni filio opere complenda tradiderat? Nisi & vtrumque concilies, & verum esse fateans, psalmos ad gradus compositos fuisse, & gradus deinde pro constituto psalmorum numero exstructos. Praecedunt ordine quindecim

1 Paral. 28. ℣. 11. & 13. & 21.

hos

hos canticos graduum primum psalmus centesimus decimus septimus, quem non semel, sed diuersis modulis repetitum in illa solemni pompa fuisse, indicant verba libri Paralipomenon de illata in templum arca sic loquentia: *Igitur cunctis pariter, & tubis, & cymbalis, & organis, & diuersi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus; longe sonitus audiebatur, ita vt cum Dominum laudare coepissent, & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius, impleretur domus Dei nube.* Sequitur hunc psalmus ille longissimus centum septuaginta sex versibus constans, qui totus in laudibus diuinae legis, quam in arca tabulis gestabant expressam, versatur: ita vt nullus fere ex ijs versus laude aliqua legis careat. Hunc autem psalmum in via fuisse concentum probant, praeter Hebraeorum traditiones, & auctoritatem, ipsa priora psalmi verba: *Beati immaculati in via,* puri, mundi, ac sancti Sacerdotes *qui ambulant in lege Domini,* legem quam humeris gestant opere complentes, neque vnquam ab ea recedentes. Atrium gentium demum ingressi, iamiam ad domum Dei accessuri canunt versus extremae literae ת tau, *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine* &c. *Intret postulatio mea in conspectu tuo,* & quae sequuntur. Sed cum ad atrium Israel ventum est, gradus conscensuri canticum, quem graduum vocant, concinere coeperunt. Est quidem prima canticorum omnium historia, ereptum referre populum è dura seruitute: sed si in gradibus singulis templi, quod ingressi iam erant a deferentibus arcam aliquid decantaretur, quid magis proprium? quid in primo gradu aliud quàm primam libertatem è seruitute Aegyptiaca, & quibus alijs verbis, ab eis, quae eosdem dixisse memorat liber Exodi? *Post multum vero temporis,* inquit, *mortuus est Rex Aegypti, & ingemiscentibus filijs Israel propter opera, vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Dominum ab operibus: Et audiuit gemitum eorum* &c. Cantet ergo in primo nunc Israel: *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Ibique iniquas referat Pharaonis cogitationes, dicta & facta, quibus infantes occidere, viros opprimere, vniuersum denique populum in seruitutem redigere, ac perdere studuit: conqueratur, & dolosam Pharaonis linguam toties libertatem promittentem, perpetuamque eorum seruitutem meditantem, necnon diuturnum in tenebrosis, & obscuris Aegypti locis cum colore fuscis habitantis, quos Cedarenos vocat, pacis, quam vltro illis offerebant, hostes, inimicos, impugnatores.

2 Paral. 5. ℣. 13. — *Psal. 117. ℣. 1.* — *Psal. 118. ℣. 169. & 170.*

PRIMVS psalmus eductum ex Aegypto populum narrat.

Exodi 2. ℣. 23 & 24. — *Psal. 119. ℣. 1. qui est graduum primus.*

Cantet in secundo gradu idem Israeliticus populus spem suam, quam in Deo vno, viuo, ac vero, vnam, ac firmam posuerat, qui populi sui vigilantissimus fuit custos, eritque in aeuum. *Leuaui oculos meos in montes,* vel in montana promissae regionis, quam Deus olim patribus nostris propitius videbatur incolere: *vnde veniet auxilium mihi.* Memores prioris illius diuinae opis, & auxilij promissi, dicente ad Moysen Domino: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui praesunt operibus. Et sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam.*

SECVNDVS spem in Deo collocatam.

Psal. 120. ℣. 1. — *Exodi 3. ℣. 7. & 8.*

Cantet in tertio gradu: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* A referantque firmam fidem, certissimamque spem Patriarcharum illorum, qui iam sibi videbantur in media versari Hierosolyma, in medijsque consistere Hierosolymitani templi atrijs: cui pacem atque omnem felicitatem continuo deprecabantur. Sed quoniam domus Dei aedificandae Dauidi promissio facta est proxime, ideo Dauidi hic psalmus potissimum inscribitur.

Psal. 121. ℣. 1.

LAETVM nuntium promissae libertatis, ac patriae canunt in tertio.

At neque in his tantum immorandum fuisse, canent in quarto gradu, quae fuerunt imagines quaedam, ac rerum vmbrae, sed ad ipsum, qui veritas ipsa est & vmbrae corpus: *Ad te leuaui,* inquit, *oculos meos, qui habitas in caelis:* qui miseram nostram conditionem intueris: quia despi- B cimur, opprobrijs imperimur, & pene saturamur.

Psal. 122. ℣. 1.

In quinto cantet ipsius Dauidis ore, quantopere exarserit in studium perdendi populi Pharao: quamque tum maxime expertus fuerit populus astantis Dei auxilium: *Nisi quia Dominus erat in nobis,* nobiscum &c. *Cum exurgerent homines.* Chaldaeus, Homo, qui multis suorum militum copijs nos insectantibus, iamiam absorbuissent nos rubri maris fluctus. *Torrentem pertransiuit anima nostra.* Chaldaeus, Tunc, inquit, pertransisset super animam nostram Rex similis voragini aquarum elatarum. Sed Dei Optimi ac Maximi beneficio ab his omnibus periculis, & malis erepti sumus.

TRANSITUM maris rubri memorant in quinto.

Psal. 123. ℣. 1. & 2. — *Ibid. ℣. 5.*

C In sexto, haud secus quam montes ipsi, stabiles futuros esse praedicat eos omnes, qui firmam suam spem in vno Deo collocant: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion:* quam expertus Israel praedicare numquam desinet, dum pace ac vita illi frui licebit: id enim indicant extrema psalmi verba, *pax super Israel.*

MONTIVM firmitati confert eos, qui spem suam ponunt in Deo.

Psal. 124. ℣. 1. & 5.

Demum in summo Israelitici atrij gradu plenam atque perfectam Israelis praedicat libertatem, ac felicitatem, fructus vtique & manipulos segetis, qui ex satis, hoc est toleratis propter Deum laboribus ac lacrymis, semper colliguntur.

IN SVMMO gradu memorat vberes lacrymarum fructus.

Psal. 125.

Sed postquam vniuersus populus, subsequente arca, Israelis atrium ingressus est, perspectis tam D admirandis fabricis, tam breui absolutis, Sacerdotes arcam deferentes in primo portae interioris atrij gradu stare coeperunt, vnde Sacerdotum atrium, ipsumque templum, eiusque instrumenta plurima contemplari poterant, de quibus Iosephus: His tam magnificis ac pulchris operibus & donarijs septennio perfectis, non ad opulentiae modo, sed & celeritatis ostentationem, quae eum aetatem integram hominis poscere videbantur, tam breui, si ad magnitudinem conferantur, tempore erant absoluta. Cantent Leuitae velut Salomonis ore: *Nisi Dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui aedificant eam.* quasi dicat: non tantum, aut mihi arrogo, aut meae industriae & viribus tribuendum E censeo, vt à meipso haec peracta fuisse existimem, sed Deo Optimo ac liberalissimo largitori accepta esse referenda: id quod humana subsidia, paterna ope parata materia, Hirami societas atque largitio, necnon diuina praesidia donatae sapientiae, & descriptionis fabricae, & reliqua plene testantur, atque confirmant. Sed longum videatur lectori singula percensere, mihi certe maiori cum dispendio scribenti sunt valde iucunda. Sed alijs gerendus est mos, ac, reliquis canticis praetermissis, ad supremum veniendum est. Octo his gradibus atrij interioris ab arca Dei conscensis, atriumque iam ingressa, ad summum quodammodo foelicitatis cumulum

Ioseph. 8. antiq. cap. 9. — *Psal. 126. ℣. 1.*

venisse

venisse se profitentur, & in eiusmodi voces pro- A

Psal. 133. ℣. 1.

rumpunt. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini*. Reliquum iam est, vt Deum benedicere diu noctuque non cesseris: eisdem fere verbis hortari videtur Propheta Israelem, Sacerdotes potissimum, quibus Tobiam hortatus fuit Raphael, post plurima ac maxima collata & relata beneficia:

Tob. 12. ℣. 20.

Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia eius. qui statis in domo Domini, vt ministretis in atrijs domus Dei nostri. Benedicentes namque Dominum, eius copiosam ac largam benedictionem consequemini, qui caeli est auctor, ac terrae, iustos deducens per terrae varios casus ad caelestis patriae perpetuam felicitatem. Hanc vero aptissimam Prophetae exhortationem, quasi reliquarum omnium summam & extremam Ecclesia Catholica & Romana eodem ducta spiritu, quo olim scripta fuit, cum centum quinquaginta psalmos diu noctuque in diuinis officijs decantandos distribuisset, hunc vnum proposuit extremo loco quotidie decantandum in fine completorij, quo memores suos efficeret ministros, nouae legis, noui propitiatorij, noui & aeterni testamenti: veri manna, veri panis Christi IESV qui de caelo descendit, & apud suos manet, in catholicorum Ecclesijs, quem consimili pompa his potissimum diebus religiosissime colimus. B

QVARE EXtremum cantici extremum canat quotidie Ecclesia.

Iam vero cuiuis esse poterit in promptu, cur hi psalmi tunc primum in gradibus decantati, deinceps in gradibus decantarentur, vt tradunt, praeter eos, quos dixi, Rabbinos, omes Talmudici, memoriam videlicet recolentes illius beneficij. Dicuntur praeterea ascensionum è captiuitatibus, quoniam eas percensent ש״ר Magha-loth, siue ascensionum, quòd contentiori voce iussu Dauidis iussu canerentur, modulis ipsis enumeratis ordine maioribus, aut maioribus beneficijs concinentibus: siue etiam quod submissiori concentu primum, deinde in altiorem consonantiam attollerentur: id quod imitari videtur Romana Ecclesia (iuuat enim antiquitatem rituum eius nonnumquam referre) feria sexta maioris hebdomadae, presbytero Crucem populo ostendente, atque canente: ECCE LIGNVM CRVCIS &c. iterum ac tertio, Crucem, ac vocem pariter attollente, idem repetit Sabbato deinde sancto, canente Diacono ter, semper altiori voce, LVMEN CHRISTI, ac Sacerdote deinde post epistolam simili ratione, ALLELVIA. Hi quoque cantici instrumentis concinebantur altioribus, quae ascensionum propterea dicebantur. Ac tandem ascensionum vocantur hi psalmi, quoniam ab his temporalibus beneficijs ad diuina Christi mysteria, caelestiaque dona contemplanda nos erigunt. Atque haec de graduum numero dicta sufficiant, ac de porta Australi atrij interioris.

RELIQVAE in hanc vnam conspirant sententiam.

SACRORVM rituum antiqua exempla.

DE PORTA ORIENTALI ATRII interioris.

Cap. XXXV.

ET introduxit me in atrium interius per viam Orientalem. XXXII.
Non eundem ordinem sequitur in dimetiendis interioribus portis, quem tenuerat in exterioribus: ibi enim Orientalem portam propter eius dignitatem primum ingressus, ad dexteram deinde diuertit suam ad Aquilonem, ac tandem ad portam Meridianam per atrium ductus gentium, vt ordine metiretur singula, portam ingressus est ab exteriore parte ad interiorem. In portis vero interioribus, eam primum dimensus est, quae omnium proxima erat ei, quae vltimo loco fuerat definita in via Australi: at quoniam per atrium exterius ducebatur, vt eadem ratione posset interiores portas metiri ab exterioribus ad interiora, eam portam secundo loco metitur, quae illi primum occurrit, nempe Orientalem.

C *Et mensus est portam secundum mensuras superiores*. Hebraice, has. Graece & Chaldaice istas, eodem sensu. Indicant enim ea verba, omnes ac singulas mensuras ab Angelo in singulis portis fuisse definitas; à Propheta vero non repeti, satis esse arbitratus supradictas referre.

MENSVRAE similes.

Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius sicut supra. XXXIII.
Chaldaeus: Et thalamos eius, & frontes eius, & vestibula eius. Hebraice, fornices, siue testudines eius, secundum mensuras istas. Latinus interpres, quoniam non vsquequaque perspectum est, an Hebraica lectio thalamum, vel thalamos legat, *thalamum* scripsit, vnumquemque subintelligens. Chaldaeus vero, tum quod sensum reddidit potius, quàm verba, tum quod quae de vno thalamo dicuntur, de omnibus pariter intelligenda sint, thalamos legit &c. *Et fenestras eius, & vestibula eius in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum*. Hebraice: Et fenestrae ei, & vestibulis eius, vel testudinibus eius, circumcirca longitudinis quinquaginta cubitorum, & latitudinis quinque & viginti cubitorum. Septuaginta: Et fenestrae ipsi, & aelamoth in circuitu, cubiti quinquaginta longitudo, & latitudo eius cubitorum vigintiquinque. Chaldaeus phrasim Hebraeam expressit, ac loci sensum: Et fenestrae, inquit, erant ei, & vestibulis E eius in circuitu, quinquaginta cubitorum longitudinis, & latitudinis vigintiquinque cubitorum. Quae omnes versiones propterea libenter à me referuntur, quòd maxime consonent cum ijs, quae supra a me dicta sunt de thalamorum portae, eiusdemque fornicum cancellis, fenestrarum nomine indicatis à Propheta, quos portam vniuersam definire diximus: cuius longitudo ac latitudo reliquis portis est similis, ac simili ratione sua longitudine interioris porticus Orientalis latitudinem exaequat, quippe quae porticus reliquarum instar, lata est cubitos quinquaginta.

D

SINGVLAris numerus pro plurali.

Et vestibulum eius, idest atrij exterioris. Eandem periodum connectit cum superiore Latinus XXXIV.
à ver-

VESTIBVLum interius respicit exteriora.

à verbo illo pendentem, *& mensus est*. Hebraea tamen, Graeca, & Latina, quamuis eodem sensu, nouam aggrediuntur. Et vestibula eius, siue testudines, aut fornices atrio exteriori. Et vestibula eius, inquit Chaldaeus, spectabant ad atrium exterius. *Et palmae caelatae in fronte eius hinc & inde* hic subaudiendum videtur, erant, sicut in Hebraeo: Et palmae in poste eius, hinc & inde. *Et in octo gradibus ascensus eius*. Hebraice, & Chaldaice: Et octo gradus erant gradus eius. Septuaginta in Regio, & Complutensi: Et octo gradibus ascendebant ad id, aelamoth; hoc est vestibulum, intelligentes. in Sixtiano: Et octo gradus ei, subaudi, erant, eodem plane sensu.

PORTA Aquilonaris. *Richardus c. 10 secundae par. explanat. templi Ezech.*

Et introduxit me ad portam, quae respiciebat ad Aquilonem. Haec est, inquit Richardus, vltima portarum, *& mensus est*, subaudi, eam, *secundum mensuras superiores*. Si hic sit periodi terminus, subintelligendum videtur, eam, vt sensus sit, portam mensuris superioribus vniuersam fuisse definitam. at si periodus eadem sit cum sequentibus, sicut indicant Hebraea, Graeca, & Chaldaea, quae sequuntur dimensa fuisse intelliguntur *secundum mensuras superiores*, aut iuxta mensuras has.

XXXVI. *Thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius, & fenestras eius per circuitum longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti-quinque cubitorum*. Haud aliter exponit haec verba Chaldaeus, quàm superiora, quae non alia ratione intelligenda sunt ab ea, quam non semel tradidimus: Et fenestrae, inquit, erant ei per circuitum, longitudinis quinquaginta cubitorum. haec eadem est porticus latitudo; & latitudinis vigintiquinque cubitorum.

XXXVII. *Supra ℣. 34.* *Et vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius*. Explicat nunc Sanctus Hieronymus, quae paulo ante dixerat de porta Orientali. *Et vestibulum eius, idest atrij exterioris*. propterea enim portarum, quae atrij interioris dicuntur, vtpote ad illud ducentium, vestibula atrij exterioris esse memorantur, quòd ad exterius atrium respiciant.

PORTICVS omnes atrij interioris pares, ac porticibus atrij exterioris.

Id quare dicatur, breui nunc accipe. Porticus omnes interiores pares omnino sunt, ac similes exterioribus. harum namque dimensionem & formam ex prioris portae mensuris accuratissime ab Angelo exactis, & a Propheta relatis colligebamus. cumque similes omnino portae, similique modo dispositae in medijs interioribus porticibus constituantur, non vtique opinari licebit, vel minima quidem ex parte interiores porticus ab exterioribus fuisse diuersas, praesertim cum hae, atque illae secum inuicem concurrant in quadratis illis areis, super quibus, vt dixi, castella eriguntur singula, vt vides in Orthographia: quapropter ipsa ratione architecturae compellimur similes vtrisque dare mensuras, similia membra, nulla re dissimilia ornamenta.

SIMILIA membra non omnia eadem esse debent.

Haec vero non ita superstitiose accipienda sunt, vt, nulla habita vsus ratione, quae potissima esse debet in architectura, membra omnia similia desinant esse, vt fiant eadem. Huius rei gratia obseruandum est, exteriores porticus Israelis, quòd totum templum, eiusque atria cingant, & claudant, perpetuo, ac solido pariete fuisse claudendas. Huius muri firmitatem colligere poterimus

Ioseph 7 de bel. Iu. cap. 9.

ex eo, quod de pariete atrij gentium scribit Iosephus, qui praeter ornamenta, cetera omnia habuit huic paria, atque similia: Octauo autem die mensis

A Augusti, inquit, dum duae legiones aggeres perfecissent, ad exedram Occidentalem templi exterioris admoueri arietes iussit Titus, cum diebus ante sex, qui firmissimus erat aries, parietem sine intermissione pulsando, nihil omnino profecisset. Verum & huius, & ceterorum magnitudinem structura lapidum superabat. Septentrionalis autem portae alij fundamenta suffodiebant, multumque fatigati, exteriores tantum lapides euellere potuere: ab interioribus autem portae sustinebantur, atque diu mansere, donec instrumentorum & vectium conatibus desperatis, Romani scalas porticibus applicuere. Ipsius porro muri atrij Israelis mensuras, & vsum retulit Propheta noster: *Per quatuor*, inquiens, *ventos mensus est Angelus murum eius* *Ezech 42. ℣. 20.* *vndique per circuitum, longitudinem quingento-*
B *rum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum, diuidentem inter Sanctuarium, & vulgi locum*. quae verba exponentur à nobis, Deo dante, suo loco, vbi ratio plene reddetur huius muri.

ATRIVM exterius solido muro circumdatur, interioris murus postibus distinctus est.

Sed atrium quidem Sacerdotum nullo solido muro circumdatur: nam, vt vides in Ichnographia, vterque murus porticus interioris postibus distinctus est, vt visui saltem sit qualibet ex parte patens, quo populus in exteriore atrio manens, sacrificia perspicere posset, ac sacris omnibus ministerijs interesse. atque quidem interioris, atque exterioris porticus dissimilitudo nihil dissimule innoluit, aut dissonum, cum omnia ac singula huius aedificij membra summo sint artificio di-
C sposita. Nam ille exterioris porticus exterior murus ita est ab interiori sui parte ad normam, & perfectam similitudinem postium, semicolumnarum, testudinumque, & ceterorum ornamentorum exactus, vt quicumque intra porticum

DISSIMIlium partium mirabilis responsus.

exteriorem vtrumque murum prospexerit, praeter vnam lucis apertionem, quae nihil minus aptum inuoluit, nulla re vnum ab alio distare comperiet, quod & in ipsa Ichnographia obseruare poterit quicumque architectonicam facultatem vel à primo limine salutauerit. Neque vero hac etiam ex parte deerat aliqua similitudinis ratio: nam pro muro exteriori porticus Israelis, peribolus quidam porticum interiorem a parte inte-
D riore cingebat, cuius meminit Iosephus sic scribens: Circumdedit deinde templo septum quoddam trium cubitorum altitudine, quod nostra lingua Gisum vocamus, exclusurum profanam multitudinem, & solos Sacerdotes admissurum. *Iosephus 8. antiq. c. 2.* Ex quo fit, vt vtraque porticus, exterior, & interior cum suis portis, postibus, vestibulis, ac reliquis partibus ad atrium exterius pertineat. atque hoc est, quod significat Propheta noster, vestibulum interioris portae Orientalis respexisse affirmans ad atrium exterius: sicut supra dixe- *Supra ℣. 9.* rat, vestibulum Orientalis portae exterioris fuisse interius, hoc est, non ad atrium gentium pertinuisse, sed ad atrium Israelis, quod erat intra illum, vt vides in Ichnographia.

E *Et caelatura palmarum in fronte eius*. Et capitella erant super postes eius, hinc & inde, scribit Chaldaeus. *Et in octo gradibus ascensus eius*. Ecce hic iterum interioris portae gradus octo, qui septem illis exterioris portae annumerari, quindecim gradus complent ab atrio gentium ad atrium Sacerdotum conscendendi, de quibus supra late egimus.

DE GAZOPHYLACIIS, AD QVAE LAVABANTVR *holocausta.*

Cap. XXXVI.

XXXVIII. ET *per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum, ibi lauabant holocaustum.* Duo nobis hoc versu negotium facescunt, quorum alterum quamuis ex altero videatur pendere, vtrumque tamen seorsum non modicam inuoluit difficultatem. Primum est, quid his verbis Propheta significet; secundum qua ratione significet. & illud quidem facilius comprehenditur, hoc difficilius multo: tum propter phrasim sui idiomatis propriam; tum vero maxime propter interpretum dicendi modos longe diuersos sed fiet, Deo dante, vt omnes illae lucem huic loco afferre videantur. Admiscet inter fabricae mensuras & partes non raro Propheta, partium vsus. hic enim est, atque esse debet praecipuus in singulis constituendis partibus architecti finis. Is vero non parum confirmat, hanc Ezechielis fabricam ita ad Ecclesiae Catholicae mysteria indicanda proponi, vt semper eadem fabrica simul respiciat ad veram illam Salomonis fabricam: eiusque ritus, & caeremonias plurimis sacrae Scripturae locis expressas esse, & in hunc eundem finem relatas, vt Ecclesiae mysteria repraesentent. Igitur cum portam Aquilonarem atrij interioris expendisset, eiusque mensuras, ac partes singulas ad reliquarum normam exegisset, eius portae vsum retulit, ad quam lauabantur holocausta. idque vsu receptum iampridem fuerat, ab ipsa tabernaculi Mosaici constitutione: praeceperat namque Dominus, vt holocaustum immolaretur *ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem* atque vt eius *intestina, & pedes* lauarentur *aqua*. in hunc vsum lauandarum victimarum fecit Salomon quinque æneos lutheres subiectis caelatis basibus, ac quaternis rotis suspensos, quos posuit partim circa portam Aquilonarem, ac quinos illis ordine ex aduerso respondentes ad portam Australem: sic enim legimus in libris Regum: *Et constituit* Salomon, *decem bases, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram*. singulis autem basibus singuli impositi erant lutheres. Horum vero lutherum vsum indicat liber Paralipomenon, eos vocans conchas, & merito: *Fecit quinque*, inquit, *conchas decem & posuit quinque a dextris, & quinque à sinistris, vt lauarent in eis omnia, quae in holocaustum oblaturi erant*. Sed cum conchas, aut lutheres huiusmodi, earumque bases describere, atque efformare nostri muneris sit, cetera in proprium locum reijcientes, hic tantum de lutherum situ agendum est, quoniam in conchis, vt videmus, lauabantur holocausta, quae eadem ad ostia gazophylaciorum in frontibus portarum lauari solita fuisse tradit noster Propheta. Sed cum gazophylacia in superiore contignatione, atque in singulis intercolumnijs singula super fornicibus vestibulorum atrij extructa fuisse, supra ostensum sit, id modo, concisa quamuis oratione, restatum habemus in singulis interco-

INTERPRETES plerumque locis quos explicandos susceperunt, difficultatem adducunt.

Leuitici 1. ℣. 11. & 13.

AD AQVILONEM immolabatur holocaustum.

3 Reg. 7. ℣. 39.

2. Paral. 4. ℣. 6.

LVTHERES ijdem qui conchae.

A lumnijs atrij interioris, conchas singulas extitisse, in quibus holocausta lauabantur. Sed de modo, quo haec referuntur, differendum iam est.

IN SINGVLIS intercolumnijs atrij singuli lutheres erant in atrio interiori.

Huius rei gratia examinanda est inprimis vocis פתח pethach, notio, deducitur enim à radice פתח pathach, quae aperire significat, transferturque ad significandam oris apertionem. sic ad Prophetam nostrum Dominus: *Et tibi dabo* פתחון pithchon, apertionem, vel aperturam oris: rem expressit Vulgatus, *apertum os in medio eorum*, hoc est, vt aperto ore loquaris, palam, *& scient* à te edocti, *quia ego Dominus*. Sic Ephesios hortatur Paulus, vt orent pro omnibus sanctis: *& pro me*, inquit, *vt detur mihi sermo in apertione oris mei*

Ezech. 29. ℣. 21.

Ephes. 6. ℣. 19.

B *cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij*. Et ad Colossenses: *Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi*. & quae sequuntur. Ex dictis licet conijcere פתח pethach, apertionem, ostium, ianuam, fenestram significare, id nempe quod apertum est, vel luci excipiendae, vel qua ingrediantur, vel egrediantur homines. Atque si vim vocis penitus inspiciamus, facile nobis indicabit, quid hoc loco in nostro aedificio repraesentet. cuius interiores muri, vt paulo ante dicebam, postibus distincti sunt, qui fornicibus desuper clauduntur. Igitur spatium illud inane, quod in

Coloß. 4. ℣. 3.

C muro aperitur sub fornice inter postes, merito, ac propria vocis פתח pethach, notione indicabitur. Atque vt ad verba ipsa componenda propius accedamus, sic conuertit Regius codex: Et cubiculum, & ostium eius in postibus portarum. Chaldaeus: Et gazophylacium erat, & ostium eius in frontibus portarum. Numerum vero singularis ibi distributiue sumi, aptissime intellexit Vulgatus, *per singula gazophylacia*, inquiens, *ostium*, idest, ostia singula: *in frontibus*, hoc est inter frontes, vel semicolumnas *portarum*, quae postes portae, & vniuersi atrij exornabant. Septuaginta interpretes vocem פתחה pithehah, quam paulo superius exposuimus, θυρώματα thyromata conuertunt. eam Latinam reddit Complutensis,

SINGVLARE distributiue sumitur, pro plurali.

D & Regius Codex, fenestras, quamuis Sixtianus ianuas scribat, Graecam vocem potius quam Hebraicam respiciens: tamen vbique Vulgatae lectionem, & nostram interpretationem firmare videntur Septuaginta interpretes, qui: Et thalami eius, inquiunt, & fenestrae eius, vel & ianuae eius: semper aperta lumina vestibulorum respicientes, ad quae, vt dixi, lutheres illi sistebantur, atque ipsa quidem vestibula suis fornicibus fulciebant superiora gazophylacia, quae in singulis intercolumnijs erant, vt supra ostendi, cum tricenarium gazophylaciorum numerum supputaui. Richardus nonnulla, quae ad huius loci expositionem pertinebant, fere percepit: sed

E tamen omnia non potuit, tum quòd superiorum gazophylaciorum videatur oblitus, tum vero maxime, quòd integram totius fabricae compositionem assequi non potuerit. Eius haec sunt verba: Quod dicit gazophylacia, vel gazophylaciorum ostia in frontibus portarum esse, debemus de interioribus porticibus intelligere. nam quoniam ostia in frontibus gazophylaciorum erant & ad pauimenta, quae ante interiores porticus iacebant, omnia respiciebant, recte nunc dicitur quia ostia gazophylaciorum in frontibus portarum erant. Haec ille. qui feliciter pauimenti meminisset, si pariter in memoriam reuocasset, pauimentum quidem inferius constitutum à Propheta fuisse,

Richard par. 2. explanat. templi Ezech.

PAVIMENTum stratum lapide subter gazophylacia fuit, non ad latus eorum.

A hoc est subter gazophylacia, vt ibi notauimus, non ad latus, vel ante gazophylacia, vt ipse arbitratur. Ac ne vlla supersit eorum quae diximus, dubitandi ratio, vbi nos legimus: *ibi lauabunt holocaustum*, in Hebraeo habetur vox ידיחו iadichu, quae hic tantum, & in libro Paralipomenon semel legitur in Biblijs, eo loco, quem paulo ante retulimus.

2. Paralip. 4. ℣. 6.

Factiuram holocausti ידיחו iadichu, lauabant, vel impellent, vt alij conuertunt, in eis videlicet conchis aeneis à Salomone factis. Chaldaeus vocem hanc sic conuertit: Ibi praeparabant, inquit, holocaustum. sed quoniam vocis notio fere ignoratur, aptissime ex concharum vsu, de quibus est sermo, *lauabant* scripsit vtrobique Vulgatus.

Rabbi Dauid in comment.

Hunc porro versum haud inepte exponunt Rabbini. Dauid enim: Et gazophylacium eius, inquit, & porta eius in frontibus. Dicit autem quòd in parte Aquilonari vidit gazophylacium, quod erat apertum in frontibus portarum nam in parte Aquilonari, ad Aquilonem altaris erat mactatio sacrarum victimarum, & excoriatio earundem, & diuisio membrorum earum, sicut dicitur in Pentatheuco, ad Aquilonem altaris coram Domino, *ibi lauabunt holocaustum*: sicut scriptum est, & ventrem eius, & genua eius lauabit in aqua, & super mensis marmoreis lauabant illa.

Leuit. 1 ℣. 11.

QVAE LAuarentur in mensis.

R. Salomon in comment.

Rabbi vero Salomon: Et gazophylacium eius, inquit, & porta eius, idest, gazophylacij, erat ad frontes portae, idest ad latus portae. Sunt versus nonnulli appellantes latera portarum frontes. ibi lauabant holocaustum, quod fuerat mactatum in Aquilone: *lauabunt holocaustum*, idest, interiora. Haec Rabbini. & quidem apte frontes portarum tradunt dici eas, quae ad latera portarum sunt. Sunt enim in tribus lateribus atrij interioris ternae portae, frontibus vtrimque munitae, iuxta quas erant luteres, quorum dispositio in vestigio atrij interioris superius apposito videri potest.

Sed quamuis praedicta expositio mihi diu multumque placuerit, ac nihil omnino contineat, aut iacto textui vim inferens, aut aedificio minus consonum, & propterea iuxta eam, mensas oblationum in atrijs interiore atque exteriore constituerimus, tamen non est silentio praetermittenda interpretatio altera, quae planiorem multo, ac faciliorem loci sensum reddat, vt sermo sit de thalamis senis portarum, quae & ipsa gazophylacia dicantur, haud repugnantibus Hebraeis, Graecis, atque Latinis vocibus.

GAZOPHYlacia dicuntur, quae alias thalami vocantur.

Per singula igitur gazophylacia ostium erat in frontibus portarum hoc est, singulis ex ijs thalamis ostia aperiebantur inter frontes, quorum ostiorum initio meminerat, affirmans singula ostia singulis ex aduerso ostijs respondisse, atque ad ostia thalamorum huiusmodi intra portam holocaustorum interiora lauabantur, allata ex conchis aqua, manentibusque conchis in atrio interiori. Sed & lauabantur eiusmodi holocausta super mensis, quarum mox meminit.

DE SACRIFICIORVM MENSIS, EARVMque vsu.

Cap. XXXVII.

B ET *in vestibulo portae duae men-* XXXIX.
sae hinc, & duae mensae inde. Mensas describit singillatim, & earum situm, numerum, materiam, formam, mensuram, ornamenta, vsum, è quibus singula singulis, nonnulla duplicibus, multiplicibus plura obuoluuntur difficultatibus. Et primum mensarum situm describunt haec verba cum nonnullis alijs sequentibus. In vestibulo quidem portae duplici ratione possunt constitui, aut ad frontes exteriores vestibuli vtriusque interioris, atque exterioris, vt sunt in dicta Ichnographia atrij interioris dispositae. quo hic versus cum superiori versu, eiusque priori interpretatione coniungatur; & ad ostia, vel limina vestibuli constitutae fuisse censeantur huiusmodi mensae, quaternae videlicet in atrio interiore, ac totidem in exteriore.

C MENSAE quaternae in atrio interiore, ac totidem in exteriore.

R. Salomon in comment.

Quod sensisse videtur Rabbi Salomon: quippe qui obiectioni quoque respondet, quae cuilibet posset in mentem venire. Notat igitur inprimis de vestibulo portae Aquilonaris sermonem fieri. quod certum quidem est, atque exploratum, & mox subdit: Duae mensae, inquit, in Oriente, & duae in Occidente. Et quamuis essent abstractae ad medium atrij exterioris, sanctitas tamen earum erat, ac si essent interius. Haec ille. Placuit olim nobis haec sententia, dum templi delineamenta meditaremur, vel propterea maxime, quòd nimis angustum videretur portae vestibulum, hoc

D est, cauedium illud, siue spatium, quod supra decem cubitis definitum fuisse ostendimus: vt ibi animalia plurima, quae quotidie immolabantur, excoriarentur, in frusta conciderentur, & quae lauanda essent, abluerentur. Re tamen melius perpensa, hoc vno argumento cubiti, quo dimensum est hoc aedificium, longitudinem non modicam probari arbitramur, siquidem spatio tam paruo, quod denario constabat cubitorum numero, tam multa quotidie peragenda suscipiebantur. atque ipsum quidem huius interioris portae spatium, quod in exterioribus ingredientium suscipiebat multitudinem fere infinitam, hic totum sacris tantummodo peragendis destinaretur,

MAGNITVdo cubiti confirmatur.

E quod sacra operaturis fas erat ingredi, reliquis nefas. Atque hoc obiter notandum videtur, quod ex vsu lanienae desumptum argumentum hanc maxime confirmat sententiam, quod cum iuge fieret in templo sacrificium, id vix, ac ne vix quidem peragi potuisset sub dio, pluuia plerumque impediente ministros.

Accedit etiam, quod aptissime immolata conciderentur in frusta in media porta, quo populi immolantis multitudo, quorum intererat, adstare posset, atque oculis cernere, quam iusta ratione partium fierent distributiones. earum videlicet, quae Deo Optimo ac Maximo in altari aeneo essent concremandae; & earum,

IN MEDIA porta interanti immolatae carnes concidebantur in frusta.

A rum, quae Sacerdotibus, & earum denique, quae ipsis offerentibus obueniebant. Quocirca imaginari licet in ipso portae vestibulo, honorabilem quandam lanienam, cuius reliqua instrumenta mox referemus, nunc praecipua ac maxima lapideas videlicet mensas, explicare debemus. Et in primis ipsam oportet contemplari portae Ichnographiam, ac binas vtrimque frontes, vel semicolumnas inter postes medios thalamorum, ac binas, item quartas columnae partes in ipsis quaternis portae angulis, reliquis ordine frontibus respondentes: atque ad has octo quas numeraui frontes, totidem mensas licet considerare stylobatis columnarum appositas, de quibus loquitur Propheta: *Et in vestibulo portae*, in-B quiens, *duae mensae hinc*, ad binos verbi gratia Orientales stylobatas parastadum, quae sunt inter thalamos: *& duae mensae inde* ad consimiles binos alias stylobatas Occidentales.

OCTO MENsae ad totidem stylobatas intra portam aptabantur.

Mensae. Hebraice שלחנות sulchanoth, plurale est vocis שלחן sulchan, cuius vix licet etymon rimari: constans esse videtur Hebraeorum sententia, vocem deductà radice שלח salach, quae mittere significat, à qua deductum fuit natatoriae nomen שלח siloach, quod non modo retulit, sed & interpretatus est Sanctus Ioannes Euangelista, cum Christum Dominum dixisse tradidit, caeco luto inuncto ex sputo facto: *Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus*. quod ab C Euangelista factum esse affirmat Chrysostomus, vt eiusmodi interpretatione Christum à Patre missum indicaret, cuius virtute caecus illuminabatur, non aquarum vi, aut efficacitate. Sed quamuis à missione mensa Hebraeis dicatur, quare sic appelletur, non vsquequaque constat: nam qui missionem quasi emissionem interpretantur, & formam oblongiorem voce indicari putant, qua id ratione colligant, ostendant necesse est. à ciborum missione alij sic dictam putant. Consimili fortasse agnominatione mensam quasi missam vocarunt Latini, quod in mensa fercula mitterentur, vnde primam dicebant, ac secundam mensam: sed & fercula singula missus vocabant, D id quod Itali, Hispanique vocamus vn plato. Lampridius auctor est, Eliogabalum celebrasse tale conuiuium, vt apud amicos singulos singuli missus appararentur, & aliquando omnes missus sola carne phasianorum struxisse. Discus quoque mensa dicebatur Virgilio:

S. Ioan. Chrysost. hom. 56. Iom. 9. ℣. 7.

SILOE idem quod missus, a qua radice deducitur Hebraeis mensae nomen.

MENSA quasi missa.

Lamprid. apud Eud.

MISSVS ferculum significat, mensa discum.

Virg. 7. Aeneid.

Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fatalis crustri: patulis nec parcere quadris
Heus etiam mensas consumimus, inquit, Iulus.

Seruius. Varro.

Panitias mensas inquit Seruius epularum sustentaculum. Non me latet, mensam Varroni dici quasi mesa, quod inter duos poneretur: sed in his non multum immoror. scio hac voce Hebraea mensam significari, primum in qua dapes E apponerentur, cum enim iudicum, militum, Sacerdotum, Prophetarumque populi Dei ebrietatem detestaretur Isaias Propheta, eiusque damna praediceret: *Omnes*, inquit, *mensae repletae sunt vomitu, sordiumque*, vel sordidissimo vomitu, *ita vt non possit esse vltra locus*. à sordibus vacuus, quo vel recumbere, vel dapes apponere liceret. Sic etiam in Psalmo: *Filij tui*, inquit, *sicut nouellae oliuarum in circuitu mensae tuae*. stabunt ad lectulorum pedes, cum epulaturus recubueris ad mensam: hic enim erat antiquus mos, quem colligere licet ex Martiali, inurbanum conuiuam reprehendente:

Isa. 28. ℣. 8.

Psal. 127. ℣. 3.

Omnia cum retro pueris obsonia tradas:
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

Martialis lib. 5.

Vocem hanc Septuaginta interpretes τράπεζαν trapezan vocant, sic dictam Eusthatio, quasi τετράπεζαν, hoc est τετράπουν quatuor pedum. Verum mensas, de quibus hoc loco sermo est, neque ad cibum in eis sumendum paratas, nec pedibus innixas fuisse crediderim, sed è marmore solidas, cuiusmodi in laniemis plures videmus: mensas autem vocari eas arbitramur, quod haud secus quam in mensis vasa ad bibendum, & carnes ad edendum apponerentur; sic in his carnes, vasaque ad immolandum reponebantur, vt mox videbimus. Duas autem primam mensas vtrimque enumerat, quae in medijs postibus inter thalamos magis patebant: deinde binas alias, quae in angulis.

Eusthatius Iliade 2.

MENSAE quarum hic fit mentio, pedibus caruerunt.

Vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto. Rabbi Dauid: Sicut scriptum est, inquit, in Pentatheuco, in loco in quo mactabitur holocaustum, mactabitur & pro peccato. Sic etiam dicit alibi: In loco, in quo mactabunt holocaustum, mactabunt & pro peccato, id autem erat, ne publicarentur peccatores. Haec ille. Aliam huius praecepti causam tradit Cyrillus: Vide, inquit, quam multa misericordia, & benignitas Dei est, vt vbi holocaustum iugulatur, illud quod soli Deo offertur, ibi etiam hostia, quae pro peccato est, immolari iubeatur: vt scilicet intelligat, qui peccaunt, & poenitens conuersus ad Dominum, & contribulati spiritus hostiam iugulans, se in loco iam sancto stare, & sociari ijs, qui pertinent ad Deum. Quem locum versionis perplexitatem vitare cupientes ita censuimus ordinandum. Hic locus exigere videbatur, vt quo differant holocaustum, pro peccato, & pro delicto, ac de singulorum huiusmodi sacrificiorum ritu ageremus. At cum integrum exposcant haec commentarium, ea suo loco, tertia apparatus parte tractanda praetermittimus.

Leuitici 4. ℣. 29.

Ibid. ℣. 33.

HOLOCAVstum, & pro peccato quare in eodem loco immolentur.

B. Cyrill. lib. 5. in Leuit.

B. Cyrillus lux allata.

Id vnum huius loci videtur esse proprium, quod ad harum mensarum vsum spectat, cuius praecipua pars verbis illis continetur, *vt immoletur super eas*. Hebraice לשחט lishchot, ad mactandum, vox deducitur à verbo שחט schachat, habente litera ש sin, punctum in dextro cornu, quod verbum, iugulare, mactare, occidere significat: proprie autem de victimarum mactatione dicitur, quamuis largius nonnunquam vsurpetur ad cuiuslibet viuentis occisionem indicandam. Sed in propria radicis notione venanda desudant Hebraei. Quidam proprie putant significari ea voce, trahere, quod tracto, & reducto per victimae iugulum gladio caederetur. sicque aurum tractum dicitur, quòd facile trahatur, siue ducatur: licet alijs propria videatur esse verbi significatio, mactare, seu occidere; aurumque שחט sachut, dici eleganti Hebraica allusione, quòd facile diducatur, haud secus quàm iugulatum animal: quasi dicat aurum occisum. Aptissimum vtrumque, victimae, & auri ductilis, obedientiae symbolum, eius, inquam, quam à filijs suis exigit parens noster, ac celebris Patriarcha Beatus IGNATIVS. Sed institutam narrationem prosequamur. Putant alij, verbum hoc notione affine esse verbo שטח satach, atque adeo proprie, expandere, significare, indeque aurum שחט sachat dici, quasi expansile, ductile nos dicimus, quòd facile ducatur, indeque pecudem mactari dici, quòd expanderetur, priusquam mactaretur, quasi dicat

QVID SIgnificet immolare.

2. Paral. 9. ℣. 15.

Vide Marinum in arca Noe.

OBEDIENtiae symbolum.

expansam pecudem mactare, vt largius sanguis A effluat. Et quidem si ex gentium inani ac superstitioso ritu liceat exempla desumere, cum daemonis suasu, sacros fere omnes ritus in impietatem translatos fuisse compertum sit, omnia sacrificia, quae licuit Romae, licuit autem quamplurima lapidibus insculpta conspicere diuaricatis cruribus, & toto corpore expanso iugulantur: eorum exemplum vnum videre lector poterit, iuxta altaris aenei formam infra apponendam.

VICTIMAE cur expansae iugulentur.

Sed certe victimae compositio, non modo ad commodiorem sanguinis effusionem arbitramur pertinere, sed multo magis ad id quod oblationis proprium est indicandum, quae tota quasi coram Deo effunditur, quo interior offerentis animus, & B affectus externa victimae compositione indicetur. Hoc vero quod in omni victima obseruare licuit, indicare voluisse videtur Moyses in illa, quae priori Christi summam, perfectissimamque oblationem indicabat, Isaaci mactatione *Extenditque manum*, inquit, *& arripuit gladium* לשחט lischot, ad iugulandum, *vt immolaret filium suum*. Praeter typum, inquiunt nonnulli, etiam hoc verbo Moses praemonstrare voluit, quòd Christus vera victima expansus mactandus erat in Cruce, pro redemptione humani generis: cuius quidem pretiosissimo sanguine effuso, omnium hominum possent emundari delicta. Sed quamuis haec ita sint, vt vere sunt, victimae expansio super huiusmodi lapidibus, de quibus nunc est sermo, demisso collo, & erecto corpore, maxime conducere potest ad faciliorem, & copiosiorem sanguinis effusionem: quae omnia repraesentandis mysterijs refertissima sunt. Hoc igitur significant illa verba, *vt immoletur super eas holocaustum* &c. id quod proprie Hebraica quoque phrasi indicatur: nam quamuis אליהם elehem, legamus, quam vocem, ad eas, vertit Regius codex, tamen praepositio אל el, quae, ad, significat, frequenter valet idem quod על ghal, super, vt in libris Regum: *Regemque constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Gezrael* &c. & alibi saepe. quam phrasim Chaldaeus paraphrastes expressit hoc loco, vt immoletur super eas, scribens. & Septuaginta ἐν αὐτῇ, in ea, hoc est, in vnaquaque earum.

Genes. 22. ℣. 10.

VICTIMIS expansis Christus indicabatur in Cruce expansus & oblatus.

C

AD, PRO SVper vsurpant Hebraei. 2. Reg. 2. ℣. 9.

XL. *Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portae, quae pergit ad Aquilonem, duae mensae, & ad latus alterum ante vestibulum portae duae mensae*. Hebraice. Et ad humerum extra gradum ad ostium portae Aquilonis, duae mensae. Chaldaeus: Et ad latus exterius ascensus in introitu portae Aquilonis erant duae mensae: & ad latus alterum, quod erat ad vestibulum portae, erant duae mensae. Haud dissimili plane ratione conuertit hunc locum Vatablus: Ad humerum quoque, inquit, extra gradus ad ostium portae Septentrionalis duae fuerunt mensae, & ad humerum alterum vestibuli portae duae mensae. Quae omnes versiones perspicuum reddent loci sensum, si quae hactenus de phrasi Prophetae, & portae fabrica dicta sunt, in memoriam reuocentur. Nam introitum portae, vel ostium portae primum tetulit, quòd ab atrio exteriore venientibus primum occurrit, atque in eo conscensos fuisse gradus indicat vox illa *exterius*, Hebraice extra gradum, hoc est, vltra gradus, in ipso portae pauimento. quibus verbis portae pauimentum aeque libratum fuisse ostenditur cum solo atrij Sacerdotum: quamuis ipsa porta, quod ad fabricae dispositionem spectat, tota sit in media porticu ad atrium exterius spectante: quapropter & porta atrij interioris ad atrium exterius spectasse dicitur a Propheta, vt vidimus. sed nihil de immolatione sacrificiorum ad atrium pertinet exterius. Conscensis igitur gradibus, ingredientibus hoc primum ostium portae Aquilonaris, ad humerum vtrumque ostij duae mensae occurrunt: hoc est, in ipsis angulis interioribus portae ad Aquilonem pertinentibus. *Et ad latus alterum*, hoc est, & ex altera parte portae, in binis alijs angulis ad latus portae Meridianum pertinentibus: qui ex vtraque parte vestibuli portae interioris constituuntur. *duae mensae*. Seruat vtique Propheta hoc in loco morem, quem in priori porta Orientali describenda tenuit, exteriorem introitum portae appellans ostium portae, interiorem vero, vestibulum interius. Patet autem hunc esse verum loci sensum, ac proprium mensarum numerum, quem mox in vnam colligit summam sequentia verba subdens.

Vatablus.

PORTAE interioris pauimentum aeque libratum fuit cum solo atrij Sacerdotum.

Supra ℣. 31. 34. & 37.

B

MENSARVM
NVMERVS, DISPOSITIO, *mensurae*.
Cap. XXXVIII.

XLI. QVATVOR *mensae hinc, & quatuor mensae inde: per latera portae octo mensae erant, super quas immolabant*. Sed priusquam ad vlteriora progrediamur, hic tantisper insistendum est, & retrorsum respiciendum, quo variam Septuaginta interpretum lectionem cum hac nostra interpretatione conciliemus. qua in re audiendus inprimis est Sanctus Hieronymus, qui super quinto & trigesimo Prophetae nostri versu haec scribit: Multum in hoc testimonio Hebraica veritas a Septuaginta interpretum Editione discordat. hoc enim, quod diximus, *ibi lauabunt holocaustum*, & *in vestibulo portae duae mensae hinc*. & rursum, *vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato*. in Septuaginta non habetur, sed in plerisque codicibus de Theodotione additum est. Haec Sanctus Doctor. Ipsos vero Septuaginta interpretes audiamus ex Sixtiano Codice: Pastophoria eius, & ianuae eius, & aelamoe eius super portam secundam. Secundam vocant portam interiorem, ordine enim ingredientibus primum occurrit porta atrij exterioris: secundo autem loco porta atrij interioris. quapropter hoc quasi proprium interiori portae nomen dabatur, vt nos iterum ostendemus, cum locum illum explicaturi sumus, quo Olda Propheris habitasse dicitur in secunda *aquaeductus*: Graece ἔκχυσις, effluxio, profluuium, profluxio, deducta vox à verbo ἐκχύω ecryeo, effluo: canalium quidem meminisse videntur Septuaginta, per quos aqua illa effluebat, qua tum victimae, tum vero ipsum lanienae solum assidue lauabatur. Sanctus Hieronymus. Ad latus quoque exterius, inquit,

S. Hieron.

PORTA secunda eadem quae interior.

S. Hieron.

D E

inquit, iuxta Septuaginta, erat riuus fabrefactus, qui holocaustorum cineres, & carnium virulentias efferebat exterius. Nos vero, quid, aut quomodo holocaustorum cineres cum aquae ductu coniungat efferendos, videre non possumus. Sed de huiusmodi canalibus, & aquae effluentis è templo assidua copia nos iterum agemus. Nunc enim ea subiungenda sunt, quae in praedicti codicis notationibus habentur: sunt autem huiusmodi: in ceteris codicibus haec sequuntur: ibi lauabant holocaustosim: in vestibulo autem portae duae mensae hinc, & duae mensae inde. In alijs vero codicibus haec adduntur, vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato. Sed in quibusdam alijs voluminibus totus hic locus sic habet: Et thalamos eius, & cuiusque thalami erat ianua, & ostia eius in foribus portarum, ibi lauant holocaustosim: in vestibulo autem duae mensae hinc, & duae mensae inde, secundi aquaeductus, vt iugulent &c. Haec ibi. quae, quamuis obscura nimis esse videantur, tamen si cum ijs, quae diximus, conferantur, quasi digito ostendent, mensas easdem, eisdemque locis staturas fuisse, quibus à nobis paulo ante constituuntur.

AQVAEDVctus è templo effluens.

Versus porro quadragesimus sic habetur in eodem codice: Et ad dorsum riuuli holocaustorum, respicientis ad Aquilonem, duae mensae ad Orientem, ad dorsum secundae, & aelam portae duae mensae ad Orientem. Quid his verbis significetur, haud obscure colliges, si dorsum pro latere accipias: quod vero illa vox, ad Orientem bis habeatur hoc codice, semel tantum legitur in Complutensi, mirum non est, cum ad latus Orientale Aquilonaris portae in ipso vestibulo, per quod effluebat aquaeductus, duae mensae erant iuxta ostium, & in eodem latere Orientali portae Aquilonaris iuxta vestibulum interioris duae mensae, totidemque erant ex altero latere Occidentali eiusdem portae; hoc est enim quod subditur. quatuor hinc, & quatuor inde ad dorsum portae, super ipsas iugulant victimas.

XLII. *Quatuor autem mensae ad holocaustum, de lapidibus quadris exstructae.* Priusquam ad mensarum materiam, & mensuras explicandas accedamus, de earum numero quam breuissime disserendum est: non tam quod in dubium iterum reuocemus quae diximus de mensis octonis portae Aquilonaris, sed ne Doctorum varias sententias omnino praetermisisse, aut non vidisse videamur, quo aut arrogantiae nobis, aut negligentiae nota facile inureretur. Sanctus vtique Hieronymus quater quaternas, aut bis octonas colligit mensas, quo mysticum sexdecim Prophetarum numerum componat: huic vero sententiae adstipulari videtur Septuaginta interpretum lectio, quae habetur in vno Sixtiano codice. nam versum hunc, quem prae manibus habemus, sic exponunt: E regione octo mensarum victimarum etiam quatuor mensae holocaustomatum lapideae, dolatae. Verum ipse contextus hunc numerum in eadem porta non videtur admittere, nisi idem, quod de Aquilonari porta dictum est, pariter de Australi intelligatur: quam sententiam confirmare videtur Rabbi Dauid: nam vbi nos legimus: *Et ad latus exterius quod ascendit ad ostium portae, quae pergit ad Aquilonem, duae mensae,* ipse legit iuxta portam Australem, quam exposuimus: ac si aperte indiceret Rabbinus, versu quidem tricesimo nono de mensis agi portae Aquilonaris, quadragesimo de portae Australis mensis: sequentibus vero versiculis, de his atque illis simul collectis. Hanc tamen sententiam nec reijcimus, nec probamus; id tantummodo animaduertendum existimauimus, quòd cum priorem quam diximus, teneremus sententiam de statuendis in atrijs sub dio mensis, hanc quoque secuti sumus, eamque in ipsa notauimus Ichnographia atrij interioris, quod ad id nos cogere videbatur symmetriae ac decoris ratio, quae vim habere non poterit, si intra vestibulum portae, vt diximus, mensae constituantur, cum nulla ex parte simul videri possint interioris vestibuli portae Aquilonaris, & Meridianae ornamenta, siue instrumenta, atque adeo neque ratio dissimilitudinis deprehendi. quapropter mensas in porta Meridiana atrij interioris statuendas esse, haud secus censeo, prout vsus, & alia sacrae Scripturae testimonia exegerint: in quibus perquirendis haud immorabor. Richardus tribus interioribus portis octonas tribuit mensas. Sanctus Gregorius singulis senis enumeratis portis, mensas denegat Aquilonaribus, interiori, atque exteriori octonas tribuit mensas, vtrique quaternas, in quibus immolaretur. Sed cum infra ipsius Prophetae nostri testimonio probaturi simus, ne ipsas quidem victimarum carnes ad atrium exterius efferre licuisse, nedum victimas mactare, carnes lauare, interiora abluere in ipsa exteriori porta licuisset, ad cuius ostia gentibus ipsis incircumcisis accedere licebat, si minus introire. Haec omnia sic à Beato Gregorio constituta esse existimandum est, quo mysticos sensus, quos cupit aptare, fulciat, ac fere supra firmum literalis intelligentiae fundamentum exstruat. id quod ipsis ipsius grauissimi Doctoris verbis licebit confirmare. Quid sumus, inquit, de mysticis sensibus Ezechielis Prophetae locuturi, qui ipsa eius historiae verba vix capimus? quam postquam exquisierat, haec verba subdit: His itaque de exteriori narratione discussis, ad spiritalem intellectum sermo redeat: quia tanto iam nobis interioris esse, largiente Domino, facilior debet, quanto nos exterioris descriptionis ignorantia non angustat. Quae plane sanctissimi viri doctissima verba illis essent ob oculos semper ponenda, qui dum mysticos se sequi arbitrantur sacrae Scripturae sensus, propria sequuntur sui cerebri commenta, eo periculosiora, quo à vero loci sensu magis recedunt; eo incedent securiores, quo magis optimi ducis Gregorij, atque similium Doctorum vestigijs insistent, ac monita seruabunt. Haec autem obiter adnotasse contestor, quòd aliquibus fortasse videar plus nimio in exquirendo historiae sensu laborare: notum enim cuiuis esse debet, atque inprimis exploratum, hoc vno aditu licere, ac semper licuisse ad mysteria omnia, & reliquos sensus tuto transire, cum ab hoc deuies, mirum est, si non à reliquis quam longissime aberres. Sed de his alias.

QVID DE mensarum numero senserint Doctores. S. Hieron.

Rabbi Dauid in comment. ÿ. 40. Huius.

AN MENsae fuerint in Meridiana porta.

TERNIS singulis interioribus portis octonas mensas tribuit Richardus. Richard. par. 2 cap. 10 explanat templi Ezech.

S Greg ibid.

QVOMODO sint mystici sensus persequendi.

Iterum vero conferendam esse Septuaginta interpretum lectionem censui. Mensae quatuor hinc, & quatuor inde &c. habet Regius codex, & subdit: Et è regione octo mensae holocaustomatum lapideae, excisae &c. Longe aliter Sixtianus codex: Et è regione octo mensarum victimarum, etiam quatuor mensae holocaustomatum lapideae, dolatae. Hanc vero lectionem ex multis variorum interpretum lectionibus, ac notationibus conflatam esse, atque adeo valde confusam, ipso Sancti Hieronymi testimonio posset confirmari, praesertim cum octonarius computetur mensarum

sarum numerus, qui collectus est ex his binis ab vtroque latere portae numeratis, inter quas quaternae sunt holocaustorum, vt initio dixerat. & ipsa licuit videre exemplaria, aut eorum aliqua, è quibus hoc vnum Vaticanum fuit excerptum. atque in eis sic habetur: Καὶ τὰ ὁλοκαυτώματα κατέναντι τῶν ὀκτὼ τραπεζῶν τῶν θυμάτων. Καὶ τέσσαρες τράπεζαι τῶν ὁλοκαυτωμάτων &c. Hoc est, & holocaustomata, subaudi, erant, vel constituebantur, e regione octo mensarum victimarum. ibique absoluta periodo, adhibitoque puncto, nouam exorditur. Et quatuor mensae holocaustomatum &c. qui quidem sensus proprior est, vtpote Vulgatae nostrae, atque Hebraicae lectioni propinquior. Ea vero Latini codicis Sixtiani lectio, quae duodenas videtur astruere portas, octonas victimarum, quaternas holocaustorum, nemini, quod credam, probabitur. Sed & ipsa Latina interpretatio reprehensione non vacat, cum quòd periodos diuersas confuderit, tum vero quòd coniunctionem καὶ, secundae periodi caput, quam &, debuisset conuertere, vt fecerat Complutensis, conuertit etiam, id enim quamuis alibi licuisset, hic non modicam parit confusionem. Et haec de numero mensarum dicta sufficiant, iam de earum forma, atque materia.

DVODENAE mensae in porta nemini probantur.

De lapidibus quadris exstructae. Hebraice אבני גזית aboe gazith, lapidum dolationis, vel dolatorum, è singulis lapidibus singulae mensae factae erant. idque ex ipso dicendi modo colligitur, quem nemo non intellexit in Deuteronomio. *Et ostendit vobis*, inquit Moyses ad populum, *pactum suum, quod praecepit vt faceretis, & decem verba quae scripsit in duabus tabulis* אבנים abanim lapidum, *lapideis*. Et iterum: *Scripsit*, inquit, *ea in duabus tabulis* אבנים abanim, lapidum, *lapideis*. Horum lapidum formam significat vox altera גזית gazith, quam, quod ad quam radicem reuocanda sit plane non norunt, ad varias reuocant Interpretes. atque adeo non desunt alij arbitrantes propriam esse radicem, sed notionem vocis rogati, nescire fatentur. In hoc fere omnes conueniunt, peculiarem quendam modum dolandi lapides ea voce indicari, qui quamuis ea tempestate cum voce omnibus esset in promptu, nunc is modus dolandi lapides omnino excidit: quapropter, cum res ipsa ignoretur, vocem penitus ignorari necesse est. Quadratos lapides conuertit fere semper Vulgatus: at in libris Regum fusius aliquanto vim vocis expressit: *Omnia*, inquit, *lapidibus pretiosis* כמדות גזית cam ddoth gazith, secundum mensuras quadraturae, *qui ad normam quandam, atque mensuram tam intrinsecus quàm extrinsecus serrati erant*. Qua de re nos iterum fusius, Deo dante, agemus. Hoc interim certum, atque exploratum esse debet, lapides hos affabre elaboratos fuisse, ac perpolitos.

Deuter. 4. ℣. 13.

Deut 5 ℣. 22.

MENSAE lapidum, idest singulae ex singulis lapidibus.

3. Reg. 7. ℣. 9.

Mensuras praeterea huiusmodi mensarum mox subdit illis verbis: *Longitudine cubiti vnius & dimidij, & latitudine cubiti vnius & dimidij, & altitudine cubiti vnius.* Perspicuae sane sunt haec omnia verba, quae trinam definiunt vniuscuiusque mensae dimensionem. Sunt enim quadrata forma cubiti vnius & dimidij, altitudine vero vnius tantum cubiti. His porro dimensionibus, quae in Hebraeo, Chaldaico, & Latino codice eaedem habentur, nihil derogat, quod Septuaginta interpretes in Complutensi, Regio, ac Sixtiano codicibus: Πήχεος καὶ ἡμισεῶς τὸ πλάτος, καὶ πηχῶν δύο καὶ ἡμισεῶς τὸ μῆκος. cubiti & dimidij la-

VNIVSCVIVSQVE mensae mensura.

A litudo, & cubitorum duorum & dimidij longitudo. Eadem verba habentur in Sixtiano, praeterquam quòd πηχῶν δύο ἡμισεῶς, cubitorum duo dimidij, licet conuertere qua constructione non satis constat, nisi forte Graeca phrasis, quae sestertium dicit, hoc est semi tertium, vel dimidium tertij, pro duobus ac semis, ita duo dimidij dicat, vel dimidium secundi, pro vno ac dimidio.

Non me latet, in antiquiori quodam Graeco codice ita legi, vt, nulla facta latitudinis mentione, longitudini cubitum vnum tribuat ac dimidium, vt habent Latina. Sed nostro muneri satisfecisse arbitramur, cum, in quo differant codi-
B ces, insinuauerimus, simulque quibus maior sit habenda fides: de reliquis quid sentiendum sit, censeant alij. Caeco autem errore deceptum fuisse Varablum certum est, qui altitudini quoque cubitum tribuit & dimidium, omnibus repugnantibus omnium linguarum codicibus, vna cum ratione ipsa vsus, quae tantam non admittit altitudinem. Quod vero ad mensas attinet, earum meminisse putat Rabbi Dauid, quae ad holocaustum, non quòd à reliquis diuersae fuerint, sed quòd iuge erat sacrificium: quapropter non alius ex praedictis verbis elici videtur sensus, quam si diceret: *Quatuor autem mensae* ad sacrificia, vel pro sacrificijs mactandis, *de lapidi-*
C *bus quadris exstructae* &c. Cum igitur octonas mensas statuisset in porticu, quaternas vtrimque, quaternas primum metitur à latere vno, quod facile subintelligatur iuxta assiduum Prophetae morem, idem quoque de mensis lateris alterius sentiendum esse: quod eiusdem sint mensurae, atque vsus.

ALTITVDO cubiti & dimidij falso tribuitur mensae.

Rabbi Dauid in comment.

Super quas ponent vasa, in quibus immolatur holocaustum & victima. Hebraice: Ad eas, vel, super eas ponent vasa, quibus mactabunt, vel in quibus immolabunt holocaustum, vel ascensionem in eis, & sacrificium. Chaldaeus: Super quas ponebant vasa, in quibus immolabant holocaustum, & victimas sanctificatas. Rab-
D bi Dauid: In his quatuor mensis, inquit, ponebant vasa, quibus mactabant holocaustum, & sacrificium: haec autem sunt gladij, quibus mactatur, & lebetes, in quibus recipitur sanguis. Rabbi Salomon: Super illis ponent gladios, & lebetes in quibus recipiunt sanguinem, vt sunt parati mactantibus ibi sancta Sanctorum in Aquilone. Haec illi. Vatablus vero, Apte in eis reponebant, inquit, instrumenta, quibus mactabant holocaustum & victimam. Addit autem codex Septuaginta interpretum Complutensis, & Regius: Super ea ponent vasa, in quibus iugulabunt holocaustomata, illic & thymiamata. perspicuum autem cuiuis esse poterit, librario-
E rum vitio corruptam esse lectionem, quae pro voce θύματα, quae in omnibus alijs codicibus legitur, & victimas significat, legit θυμιάματα thymiamata, qua voce alias odoramenta significantur, quae nihil videntur habere cum his mensis commune.

Rabbi Dauid in comment.

Rabbi Salom. ibid.

MEN-

MENSARVM ORNAMENTA, ET *instrumenta; deque vncinis in laniena.*

Cap. XXXIX.

XLIII. *ET labia earum palmi vnius reflexa intrinsecus per circuitum.* Quid hoc versu metiatur Angelus, non vsquequaque constat quoniam propria Hebraicæ vocis שפתים sephathajm, quæ in Hebraeo habetur, notio ignoratur. ratio autem huius difficultatis potissima ex eo originem ducere videtur, quod ea vox à radice deducitur, quae seruilibus, quas vocant, literis constat. quare cum alias pro alijs vsurpant, longe diuersas incurrunt vocis notiones. Nam si ea vox deducatur à radice צפה sapah, cum puncto in dextro cornu, eleuare significat, & vox inde deducta, excelsum, eleuatum. Sic apud Isaiam Dominus: *Super montem* נשפה nispheh, excelsum, sublimem, eleuatum, *caliginosum leuate signum*. Reprehendit autem temere Pagninus Vulgatum, quòd pro excelso, *caliginosum* conuertit, sed caligine obductus fuit, qui non vidit phrasi Hebraeis, Graecisque vsitata, quod celsissimum est, obscurum dici, vt in expositione vocis Ophel aliàs diximus: quam vocem merito apposuit doctissimus Hieronymus, vt mysterium indicaret, quo Babylonem à montibus longe vndique dissitam, excelsum vocat montem, hoc est, quae suipsius caeca existimatione celsus habebatur; cum tamen campestris esset mons, vt vertunt Septuaginta. Quae omnia vna voce indicauit Chaldaeus, super ciuitatem, inquiens, habitantem confidenter. Et quidem iuxta hanc acceptionem, eminentias significabit, aut quod eminet, vel sursum, vel extra perpendiculum: qua ratione vocem exposuisse videtur Chaldaeus: Et vncini egrediebantur, inquit, vel eminebant, vnius palmi &c. Quod si vox שפתם sephatham, deducatur à radice שפה saphah, cum puncto in sinistro cornu literae ש sin, significabit labium, & per methonimiam, loquelam, sermonem, morem loquendi, & per translationem, oram, littus: quoniam sicut labia sunt oris quasi termini, circumferentia, margo, ita margo, aut ora rerum est quasi labium. Qua ratione affinis esse videtur vox haec voci שפת saphath, quae terminum significat: facile namque Hebraei literam ה he, mutant in ת thau, sicut è contrario haec in illam E transmutatur. Celebris est psalmi locus, vocis huius varias apud expositores indicans notiones: *Si dormiatis*, inquit, *inter medios*. שפתים sephathajm, *cleros, pennae columbae deargentatae, & posteriora dorsi eius in pallore auri*. κλῆρος sors dicitur, qua ratione agrorum termini Suidae dicuntur. quapropter Sanctus Hieronymus hunc locum psalmi sic conuertit: Si dormiatis inter terminos, vel, inter medias sortes. si versemini in medijs periculis, ita vt de vestra salute iam alea iaciatur. Rabbi Dauid שפתים sephathajm, inquit, sunt כירים cirim, idest chytropodes, loca aut vasa, in quibus ponuntur ollae, aut caldariae. hoc A est, si in loco humili, abiecto, sordidoque versemini, inter chytropodes, aut ollas eritis posthac quasi alae columbae candidi, argentei, ac velut aurum fulgentes, splendidique. Hunc vero psalmi locum impijssimus Caluinus acriter apud Lindanum reprehendit, quod ipsi videantur Septuaginta interpretes aenigmata inuoluere, vnde nullus se Oedipus expediat. id illis propterea accidisse arbitratur, quod inter medios cleros scripserint, vbi oporteret inter medias ollas scribere. Sed certe reprehensione, atque animaduersione dignissimus est, qui vana praesumptione deceptus animaduertere nequiuit vim Hebraicae vocis שפת saphath, quam magis proprie terminos, aut B agrorum sortes licuit conuertere, quam ollas. nam quamuis eandem vocem שפתים sephathajm, hoc etiam Ezechielis loco, quem exponimus, in vasa conuertat idem Rabbi Dauid, super quae reponuntur ollae: quid quaeso habent mensae marmoreae cum culinarum ollis, cacabis, aut tripodibus commune? Sed reliqua Rabbinorum testimonia persequamur. Idem Dauid: Ionathas autem, inquit, exponit sic: Et vncini exibant palmi vnius fixi in columnis domus lanienae intra vestibula circum circa עונקלין ghonekelin autem, sunt vncini ferrei fixi in columnis, & in parietibus, ad suspendendum in eis, & dicuntur עונקלין ghonekelin, & אונקלין onekelin, cum ע ghain, & cum C א aleph, est autem ea vox Chaldaica: In his autem vncinis, inquit, erant suspensa sacrificia, cum excoriabant ea. Sic etiam legitur in tractatu mensurarum: Domus laniorum erat in Aquilone altaris, & super illa (vel, ad illam, vel, in illa) erant octo columnae breues, & quadrata cedrina erant super illis, & vncini ferrei erant fixi in eis, & tres ordines erant in vnoquoque, in quibus suspendebant, & excoriabant super mensis marmoreis, quae erant inter columnas. Eandem plane sententiam tenuerat ante eum Rabbi Salomon: Vncini ferrei, inquit, erant fixi in columnis breuibus, quae erant in domo laniorum in Aquilone ad suspendendum, & excoriandum in D eis sacras hostias. &, id est, quod legitur in tractatu Paschali. Vncini ferrei erant fixi in columnis, & in parietibus, in quibus suspendebant & excoriabant: sic etiam exposuit Ionathas: Et vncini exibant palmi vnius. Haec illi.

Sed ad Vulgatam nostram redeamus, quam miris opperit machinamentis Pagninus, aduersam esse existimans orthographiae, quippe quae punctum in dextro cornu literae ש sin, vsurpauit pro sinistro, quaeque ad mensas retulerit labia, contra Hebraeorum regulas grammaticales, ac tandem, quòd literam ת thau, radicalem non acceperit, vt debuerat. Sed Pagnini audaciam mirari non desino, qui huiusmodi futilibus argumentis doctissimos viros, sapientissimosque magistros, ipse qui nedum eorum discipulus haberi mereatur, carpere praesumat, ac Vulgatam, quae summae auctoritatis est, reprehendere non vereatur. Quibus quidem omnibus argumentis, vel vna ratione paulo superius a nobis allata posset satissuperque responderi, cum vox שפה saphah, labium significans voci שפת saphath, terminum, aut circumstantiam significanti, notione ac voce sit quamsimillima. Quae sane ratio quamuis non satis firma videretur, firmissima tamen esse deberet auctoritas eorum, quos Sanctus retulit Hieronymus, sic scribens. Vbi nos diximus. *Et labia earum palmi vnius reflexa intrinsecus per circuitum*,

Margin notes:

Isa. 13. ℣. 2.

CALIGINOSUS pro celso saepe vsurpatur

In apparatu par. 1. lib. 2. cap. 7.

EXCELSVS mons ironice.

LABIVM & margo in quo consummant.

Psal. 67. ℣. 14.

CLEROS pro terminis, aut sortibus. *Suidas.*

Rabbi Dauid in comment. Psalmorum.

Lindan. de optimo genere interpretandi Script. lib 1. cap. 8. loco 9.

Rabbi Dauid in comment.

VNCINI IN laniena.

R. Salomon in comment.

VVLGATA defenditur. *Pagninus.*


S. Hieron lib. 12. in Ezec.

cuitum. Septuaginta transtulerunt: & γῖσος, vel A γίσσους palmi habentes dolatum intrinsecus per circuitum. Quod verbum, vtrum Hebraeum, an Graecum sit, scire non possumus, nisi hoc tantum, quod pro γίσω Symmachus, & Theodotio χεῖλος, idest labia: Aquilae prima editio ἐπιστάσεις, numero plurali: secunda, labia, transtulerunt: pro quo in Hebraeo habetur שפתים saphathaym. Haec Sanctus Doctor. Quod autem se ignorare ingenue fatetur verbum, id Iosephus Hebraeum esse testatur, & quid significet indicare videtur, qui cum Salomonis fabricam retulisset: *Circumdedit*, inquit, *deinde templo septum quoddam trium cubitorum altitudine, quod nostra lingua gisum vocamus, exclusurum profanam multitudinem, & solos Sacerdotes admissurum.* B Et quamuis Hebraeum esse verbum hoc firmo, Hebraei testimonio agnoscamus, quod eo septum indicetur, tamen illud plane ignoratur, vnde verbum hoc originem ducat, vel quare sic dicatur.

GISVS Hebraea vox quid significet. *Iosephus 8. antiq. c. 2.*

Quod vero ad Septuaginta interpretes spectat, exploratum cuiuis esse debet, eos in Sixtiano codice, atque alijs antiquioribus sic habere, vt à Hieronymo testatum habemus: & in Complutensi, & Regio, pro γίσος, legimus κυμάτιον cymation. Est autem frequens Vitruuio huius vocis vsus, quippe qua ornamenti quoddam genus significatur portarum antepagmentis impositum, quod sic dici videtur à κῦμα cyma, quae Graeca C vox vndam significat, quod eiusmodi ornamentum quodammodo referat. Atqui dum varias persequimur interpretum lectiones, rem ipsam adinuenisse putamus, quam nulla ratione melius, quàm apposita mensae figura, indicare nos posse arbitrati sumus.

CYMATIVM quid significet. *Vitruu. lib. 4. cap. 6.*



Fuerunt, vt supra notauimus, ex singulis constructae saxis affabre elaboratis, quarum superior pars cymatio quodam coronabatur, quod labium merito dicatur, *reflexa intrinsecus*, vel praeparata, vt alij conuertunt *per circuitum*: quia, vt vides, hoc labium mensam vndique cingit, ideoque & corona dicitur à Beato Hieronymo Quarum corona, inquit, desuper flexa intrinsecus per circuitum margines ambiebat, vt holocausta contineret intrinsecus, & non passim fluere permitteret. Haec Sanctus Doctor. qui non ad ornamentum modo, sed ad vsum desuper erectum fuisse labium arbitratur, ne effluerent vasa, aut carnes impositae. Sed quamuis tantae auctoritati aduersari minime audeamus; ac propterea liberum cuique relinquamus, sentire quod velit. tamen assidua lanienae consuetudo nos docet, eiusmodi erectum labium lauandis carnibus impedimento fore, ac minus vsui ad continenda vasa, quae è mensa ad libellam constituta non facile effluunt: praeterquam quod sanguis in eiusmodi mensis difficilius ablueretur: quae omnia ipsam ornamenti formam indicant, vt & latina verba, quae longitudinem mensae, ac latitudinem supra dimensam fuisse prae se ferunt, indeque ad interiora reflexam fuisse cymatij proiecturam. Porro huius cymatij, seu labij mensuram fuisse tradit Propheta, palmi vnius: atque cum duplicem mensuram longe diuersam eadem Latina voce censeri alias diximus: apud Hebraeos, aut Graecos nulla eiusmodi reperitur aequiuocatio, cum טפח tophah, & παλαιστὴν palaestin mensura sit quatuor digitorum, hoc est sexta pars cubiti, vt suo loco ostendimus. Ex dictis mox liquet, vnde desumpserit Vitruuius cymatij mensuras, quas obseruari praecipit in ostiorum & antepagmentorum rationibus construendis. *Cymatium, inquit, faciendum est antepagmenti parte sexta: proiectura autem, quanta est eius crassitudo.* Ex hoc item Vitruuij praecepto licet conijcere, cur vnam tantum cymatij dimensionem tradat Propheta, qui trinam mensae exposuit, eadem namque est huius crassitudo ac proiectura. Quod vero ad sculpturam attinet, & astragalum, non dubito quin ad huius quoque mensae ornamenta reuocandum sit, vt in eius figura ostendimus. Neque cuiquam a ratione alienum videatur, quod ornamenta a mensa ad Dorica antepagmenta transtulerit Vitruuius, quòd faciem mensae quamlibet perfecte ornatam fuisse videret, ita vt eius ornamenta venustatem portae, quam cingerent, afferre facile possent. Graecae autem vocis similitudine forte ductus Benedictus Arias: Et crematrae, inquit, palmi vnius praeparatae in domo. Sunt autem κρεμάθρα vasa, quae pendent à verbo κρεμάω, suspendo, sic dicta: nisi forte hac voce, clauos, vel vncinos significare voluit, quasi dicat suspensoria. Sed etsi scripsisset, crenae, fortasse melius; sunt enim eae γλυφίδες glyphides, quae, quas diximus cymatij incisuras, atque ornamenta, facile indicarent, crenatis folijs insculptis, cuiusmodi sunt achanti folia, à Graecis atque Romanis in ornamentis vsurpata. Sed & si quis huius mensae dimensiones ad communem aliquam notamque mensuram cupiat reuocare, quo certam eius percipiat magnitudinem, & quàm sit apta sacrificiorum ministerijs sit exempli gratia reuocanda ad palmum, quo hodie Romae vtimur. Ingrediatur igitur tabulam proportionum tertiam, atque in eius columnarum capite quaerat Hebraicum cubitum, atque in prima columna & maxima quaerat palmum Romanum, nostram mensuram, deinde per eandem lineam & columnam progrediendo, vbi sibi inuicem in tabula occurrunt, inueniet hunc nume- E rum 3 [illegible]. ac tantam esse agnoscet mensae altitudinem, nimirum palmorum trium, & plusquam dimidij. Nunc porro numerum si per vnum cum dimidio multiplicet iuxta regulas Arithmeticae, hunc alium numerum colliget 5 [illegible], ac tantumdem affirmabit, mensam fuisse longam ac latam, nimirum palmos quinque, cum fere tertia palmi parte: quam nemo non videat aptissimam fuisse ad iugulandum in mensa tum vitulos, tum pecudes, atque omnia sacrificia, necnon ad reponenda sacrificiorum instrumenta, cuiusmodi sunt cultri, quibus iugulabant, ac phialae, quibus sanguis excipiebatur, in crepidine altaris effundendus. Sed & alium quoque mensarum

Tom. 3. Appar. par. 2. lib. 3. cap. 16.

Vitru. lib. 4. cap. 6.

CVR VNAM tantum mensuram cymatij referat Vates.

Bened. Ar. Mont. in Bibl. Reg. 10. 7.

CYMATIA insculpta folijs

VSVS TABVLAE proportionum tertiae. *Tabula habetur tom. 3. Appar. par. 2. in fine.*

S. Hieron.

vsum

A vsum indicauit Propheta, subdens: *Super mensas autem carnes oblationis*. eadem plane lectio ex Hebraica, & Chaldaica colligitur, quae vtraque carnem oblationis collectiue legit, quasi dicat, omnem carnem, quae oblata erat, ponebant in his mensis, vt eam in frusta diuiderent, iuxta praeceptum Domini, de quo alias Vatablus. Et in mensis, inquit, caro immolatitia ponebatur: ac notat super illas mensas carnes oblationis dispositas fuisse, forte vt ordine distribuerentur. Sanctus Hieronymus: Vbi nos diximus, inquit, *super mensas autem carnes oblationis*, Septuaginta posuere de suo: & in mensis desuper tecta, vt operiantur a pluuia, & siccitate. Theodoretus quoque hanc retulit Septuaginta interpretum sententiam, breui exponens mensarum vsum. Ait item, inquit, loquitur autem de Propheta nostro, conspexisse se mensas ab vtraque parte portarum positas, in quibus positas victimas Sacerdotes iugulabant, & holocaustomata; & quae pro peccato, & ignorantia offerebantur, & prope fuisse dixit riuum quendam, sanguinem victimarum excipientem, & in quendam locum prorsus remotum deferentem. Habebant autem mensae, inquit, etiam tecta superne operientia, pluuiaeque, & Solis impetum propulsantia. Haec ille. Quo quidem testimonio confirmare videntur Septuaginta interpretes eam sententiam, quam initio proposuimus, quaque permoti, mensas in ipsis atrijs sub dio ex vtraque parte portae in descriptione notauimus. Et quamuis haec non sint Prophetae verba, si tamen vere sunt Septuaginta interpretum, & nullo librariorum vitio vel adiecta, vel corrupta, magnae profecto auctoritatis sunt, vtpote plurium oculatorum testium, omnique, vt aiunt, exceptione maiorum testimonio comprobata. quod si intra vestibulum ipsum constituantur mensae, operirentur quidem aureis fortasse, aut argenteis operculis, quo sacratiores haberentur, atque mundiores, dum in eis sacra non peragerentur: id vero ad pluuiae, aut Solis iniurias arcendas omnino esset impertinens, cum tecto, ac solidis muris tegerentur vndique. Sed & libuit hunc mensarum commentarium eisdem verbis claudere, quibus Beatus Hieronymus suum clausit. Ignosce, inquit, lector difficultati locorum: aut si melius quid inuenire potes, doce: libenter discimus quod nescimus.

Vatablus.

SVPER mensis oblata caro in frusta concidebatur.

S. Hieron.

B. Theodoret.

B

MENSAE an tectis operirentur, & cuius rei gratia.

C

D

S. Hieron.

Sed quamuis quae de labijs mensarum diximus firmiora sint, quam vt Rabbinorum testimonijs oppugnentur, non est, opinor, cur eorum quoque sententiae omnino sint reijciendae: nam quod ad vncinos spectat à Chaldaeo relatos, praeterquam quod sine illis vix, ac ne vix quidem tot victimae excoriari possent, fuisse illos quidem iam olim in Mosaico tabernaculo, probant plures loci in Exodo: *De mille autem septingentis & septuaginta quinque* siclis *fecit* ווים vauim, vncinos, *capita columnarum*. Vauim, inquit Rabbi Dauid, erant claui, qui prominebant in columnis, praeseferentes figuram literae ו vau, erantque in hoc facti, vt in ipsis excoriarentur pecudes. Et sane si argenti pondus expendatur, facile comperietur, aliquam minimam capitellorum partem his mille septingentis septuaginta quinque siclis factam fuisse columnarum, quarum bases centum talentis ibidem dicantur factae. Continet autem talentum siclos ter mille: atque adeo numerus ille siclorum non multum superat dimidium talenti: ex quo fit, vt argentum, si ex aequo distribuatur, capitelli vnius fere ducentis partibus superetur ab argento basis, quod vix videtur credibile. Dicamus ergo, ne eiusmodi inconueniens admittere cogamur, vncinos capitellorum, capitella dici à Sancto Hieronymo, figura vsitatissima totum pro parte vsurpante. Atque si huiusmodi vncini voce שפתים sephathaiym significentur, vt contendunt Rabbini, voce duali significabuntur aptissime, omnes enim dispositi fuisse videntur bini & bini vndecumque prominentes, vt vnam hostiam sustinerent. Quod vero ad trabes cedrinas spectat, & columnas breuiores, quas fingunt illi ad vncinos infigendos, & sustinenda pondera, puto illos loqui de templo Zorobabelis, aut Herodis, vt dixi: nam in Salomonis templo, de quo nunc est sermo, ligneis columnis non erat opus, cum singulae mensae ad singulos aptarentur frontium stylobatas, super quorum coronamentis aptissime figerentur claui, qui quodlibet pondus possent sustinere, atque in longa saecula perdurare. Et quod ad debitam, vsuique accommodatam vncinorum altitudinem spectat, eam praestaret pro pecudibus stylobatae altitudo, quae ostensa est esse cubitorum duorum cum dimidio: quod vero ad armenta, in ipsis columnis aut postibus facile figerentur claui.

VNCINI AD excoriandas victimas fuerunt in templo, sicut olim in tabernaculo.

E

Exo. 38. ℣. 28.

Rabbi Dauid.

BINI ET bini vncini dispositi, & quare.

C Illud porro quod Rabbi Dauid dixerat, voce שפתים sephatham, binas chytropodes significari, quamuis, quod ad culinarum vasa spectat, nihil habeat cum his mensis commune: tamen quod ad phialas excipiendo sanguini mensis appositas pertinet, ego non video, cur etiam ipsae pedibus non insisterent, vt minori sui parte terram contingerent quod si verum fuit, eae quoque Hebraeis כירים chirim, dicerentur à radice כיר chir, quae concham, aut כור chur, quae fossam significat, quòd vas sit profundum, & capax velut concha, aut fossa. aedem Graecis chytropodes χυτρόποδες, dicuntur, voce composita à χύτρας, & ποῦς, quae vox fere semper in ollae pedes conuertitur, vel in ollam quae pedes habeat. Verum si vocis χύτρας origo D pensetur, quae est a verbo χύω chyo, fundo, sic dictam ollam inuenies, quòd in eam liquores fundantur, & ex qua liquida transfundi possint. Quae sane vox aptissime significabit conchas, vel phialas illas, in quas iugulatae victimae sanguis infundebatur, qui collectus deinde in crepidine altaris effunderetur: quod si pedibus eiusmodi conchae insistebant, merito dicerentur chytropodes, ac binae singulis insisterent mensis: minores aliae, quibus pecudum sanguis exciperetur; aliae maiores, quo armentorum plurimus: earum formam, quam nostra coniectura, & Ariae Montani exemplo assequi potuimus, ipsis mensis apposuimus.

PHIALAE suos habebant pedes.

FORMA phialarum.

Benedictus Arias in imaginibus apparatus byblici.

E

DE

DE CANTORVM GAZOPHYLACIIS.

Cap. XL.

XLIIII. *Et extra portam interiorem gazophylacia Cantorum in atrio interiori.* Loci huius explanatio, quae difficultatibus, varijsque lectionibus, atque interpretum sententijs praepeditur, id exigit, vt initio proponamus quae deinceps probaturi sumus. Et quidem gazophylacia, exedras, vel cubicula in superiore contignatione fuisse super vestibulis atriorum suspensa, & supra ostendimus, & infra latius probaturi sumus. atque ex ijs quae triplici ex latere atrium interius cingunt, ea nunc refert Propheta noster, quae in Orientali porticu constructa, fenestras habent vestibulo, & portae domus Domini aduersas, per quas facile possent Cantores Dei sedem, cui canunt, recta prospicere, aut saltem in eam dirigere psalmorum, ac modulorum harmonicam consonantiam. Id praeterquam quod rationi videtur valde consentaneum, sacrae Scripturae exemplo confirmatum est. illa namque primum in templum arca. *tam Leuitae, quam Cantores &c. vestiti byssinis, cymbalis, & psalterys, & citharis concrepabant stantes ad Orientalem plagam altaris.* quem morem deinde perpetuo tenuisse credendum est. Haec igitur gazophylacia nunc primum conspecta fuisse narrantur à Propheta, qui nondum atrium interius ingressus fuerat. Id quod indicant illa verba, *& extra portam interiorem.* Quorum proprium sensum reddidere Septuaginta: Qui & introduxit me, inquiunt, in atrium interius. Ex quibus verbis vnum videtur perspicue colligi, nimirum quae hactenus dixerat, omnia ad portae pertinuisse interiora, intra cuius vestibulum constitutas fuisse dixerat sacrificiorum mensas. Hebraice sic habetur: ומחוצה לשער vemichuzah lasaghar. Et ab extra portam interiorem: est autem Hebraeis nomen חוץ chuts, cui nullum Latinum respondet, sed aut participijs, aut aduerbijs exprimitur, extra, foris. quando autem construitur cum particula מן min, aut admittit ה he, in fine, motum significat ad locum, quasi exterius dixerit: quod vtrumque signum habet hoc loco, & ab extra portam, vel, & portam egressus interiorem. subaudi, vidi, vel, animaduerti ibi fuisse *gazophylacia Cantorum: in atrio*, inquam, *interiori.* Rabbi Dauid: *Et extra portam interiorem*, inquit, *gazophylacia*, idest, porta interior atrij Israel erat extra ipsum (atrium) quasi dicat in spatio atrij interioris erant gazophylacia Leuitarum canentium: & sic exposuit Ionathas, gazophylacia Leuitarum. Rabbi Salomon: Extra spatium vestibuli portae ad medium spatij atrij interioris, sicut exponitur in fine versiculi. Rem ipsam, ac proprium gazophylaciorum locum indicasset Rabbinus hic, si spatium vocasset por[illegible]nam in media porticu, hoc est Orientali a[illegible]i interioris, vt dixi, fuerunt gazophylacia Cantorum. Huius porro loci intelligentia postulat, vt lector ob oculos habeat vestigium secundum vniuersale, atque in eo Orientalem porticum atrij interioris, in qua septena conspiciet gazophylacia superius à Propheta enumerata, è quibus quina media, quae ibidem notantur, Cantoribus tributa fuisse, praedictis Prophetae verbis memorantur, bina extrema sequentibus. Sed non modicam parit confusionem ipsa bibliorum interpunctio, quae superiora verba cum sequentibus intra eandem coniungit periodum, cum contra haec prior perfecta sit ibi. *Et extra portam interiorem gazophylacia Cantorum in atrio interiori.* quam Beatus Hieronymus testatur apud Septuaginta interpretes desiderari. Ea vero verba, quae paulo inferius alijs quasi per parenthesim habentur immixta, huc pertinere videntur. *Et facies eorum contra viam Australem.* vel vt habent Septuaginta, ferentia, aut tendentia ad Austrum. hoc est, gazophylacia Cantorum erant in porticu, quae tendit ab Aquilone (portam namque Aquilonarem egreditur Propheta) ad Austrum. Hac igitur duplici notatione praetermissa, reliqua perspicua sunt. *Quod* gazophylacium erat *in latere portae*, vel à latere portae, aut ad humerum portae, quod idem est, respicientis ad Aquilonem, hoc est Aquilonaris: *& facies eorum contra viam Australem.* hoc est, ex ijs gazophylacijs, quae tendunt in Austrum: sensus fuisset perspicuus, si ita dixisset: Et gazophylacium quod est in angulo duarum porticuum, Aquilonaris, & Orientalis: haec enim est, quae tendit ab Aquilone in Austrum. atque idem confirmant sequentia, *vna*, vel vnum, vel id quod est *ex latere portae Orientalis, quae*, quod *respiciebat ad viam Aquilonis ad Aquilonem.* His omnibus plane verbis gazophylacium illud describit porticus Orientalis, quod est in eius angulo Aquilonari. id quod sequentia quoque verba confirmant: sed dum vnum fuisse commemorat gazophylacium in latere portae Orientalis versus Aquilonem, & aliud quoque simile subintelligendum fuisse indicauit a latere Meridiano eiusdem portae. quod à Rabbi Dauid fuit quoque adnotatum, quis: sic, inquit, Aliud gazophylacium erat, cuius non fecit mentionem, quod respiceret ad viam Australem tantum, praeter gazophylacia Leuitarum, quae commemorat, id factum est, quia illa erant Leuitarum, haec vero Sacerdotum. Et Richardus de priori gazophylacio locutus, haec subdit: Debemus autem idem de vtroque latere Orientalis portae intelligere: similiter vero & de vno latere Australis portae. Sed solet Scriptura ex industria praeterire, quae scit per se facile intelligi posse. Haec ille. Atque huius quidem gazophylacij, quod nondum expresserat, prius vsum retulit, subdens.

GAZOPHYLACIA Cantorum in secunda contignatione.

CANTORES ab Oriente altaris.

2. Paral. 5. ℣. 12.

MENSAE intra vestibulum

Rabbi Dauid in comment.

R. Salomon in comment.

Supra ℣. 17. huius.

GAZOPHYLACIA Cantorum vbi, & quot fuerint.

S. Hieron.

BINA EXtrema describit Orientalis porticus gazophylacia.

Rabbi Dauid in comment.

Richardus C. 11. 2. par explan. templi Ezech.

DE TEMPLI CVSTODIA.

Cap. XLI.

XLV. ET dixit ad me: *Hoc est gazophylacium, quod respicit viam Meridianam, Sacerdotum erit, qui excubant in custodijs templi.* Illud vero, quod coniectura ducti nos affirmamus, restatum habemus apud Septuaginta interpretes, quorum in Sixtiano codice haec sunt verba superiori versiculo respondentia; Et introduxit me in atrium interius: & ecce duae exedrae in atrio interiori, vna ad dorsum, hoc est ad latus, id enim significat Hebraea vox כתף catheph, portae respicientis ad Aquilonem. Graeca phrasis Hebraeam imitata nihil praeterea significat, quam portam Aquilonarem, quae fert ad Austrum, hoc est, porta quae aperta in latere templi Aquilonari, ducit ad Austrum. & vna, hoc est, altera exedra ad dorsum portae, quae ad Austrum, hoc est, à latere portae Australis respicientis autem ad Aquilonem. Haec autem verba in Graecis codicibus confusa sunt, vt vix possint percipi quae ad verbum conuertit Complutensis, & Regius codex: Et ecce, inquit, duae exedrae in atrio interiori, vna ad Austrum portae, quae ad Austrum, respicientis ad Aquilonem. Sed apte sensum reddidit interpres, quem supra retulimus, Theodoretum ducem sequutus, qui sic habet: Deinde narrat (Propheta) duas se exedras conspexisse, alteram respicientem ad Meridiem, vtramque in interioribus aulis (atrijs) aedificatam, & quae ad Austrum respiceret, eam fuisse dixit Sacerdotibus attributam, sacrum Dei templum custodientibus: quae vero ad Aquilonem, ijs qui exterius altare custodirent: & tum hos, tum illos à Sadoch oriundos dixit: antiquitus enim Abiathar genus sacerdotio abdicauit auctor omnium rerum Deus, secundum latam contra Eliu principem Sacerdorum sententiam. Hactenus ex Theodoreto. qui breuissime trium versiculorum sententiam expressit. Sanctus Hieronymus denique: Vir ille, inquit, cuius calamus & funiculus erat in manu, introducto Propheta in atrium interius quòd respiciebat viam Meridianam, haec locutus est: Hoc est gazophylacium, siue exedra, & vt Theodotio posuit, thalamus, qui habitationi Sacerdotum separatus est, obseruantium in custodijs templi. Haec Sanctus Doctor.

BINAS EXEDRAS confirmant Septuaginta interpretes.

Theodor.

S. Hieron.

Sed vbi nos habemus, *qui excubant in custodijs templi*, Hebraice habetur שמרי משמרת הבית somre mismereth habbajith, custodientium custodiam domus. Radix est שמר samar, quae seruare, conseruare, obseruare, custodire significat. Hinc fit vox משמרת mismereth, obseruantia, custodia, statio: videtur enim à militum, aut excubiarum stationibus vox desumpta, quibus proprium vnusquisque munus obit, & locum tuetur. Hac enim voce vsus fuisse videtur Baruch Propheta, dum Dei Summi rerum omnium Conditoris maiestatem exemplis ostendit, & inquit: *Stellae autem dederunt lumen* iniuncto seruientes muneri, *in custodijs suis, & laetatae sunt*. hoc est, hilari ac prompta voluntate manent singulae statutis lo-

Baruch 3. ℣. 34.

A cis, ordinem ac mirabilem dispositionem militiae caelestis obseruantes, atque ducis nutui inseruientes, nam & *vocatae sunt, & dixerunt, Adsumus.* Atque hoc idem fuisse perhibetur munus ministrorum templi. Sed enimuero quod ad Meridianum situm spectat custodientium custodias domus, & eorum munus, id describitur in libro Numerorum, sic scribente Moyse: *Hae sunt familiae Caathitarum recensitae per nomina sua: omnes generis masculini ab vno mense & supra, octo millia sexcenti habebunt excubias Sanctuarij, & castrametabuntur ad Meridianam plagam.* Quibus postquam cunctam tabernaculi supellectilem demandatam fuisse testatur, principes as-B signat, ac postmodum: *Princeps autem*, inquit, *principum Leuitarum Eleazar filius Aaron Sacerdotis, erit super excubitores custodiae Sanctuarij.* Hanc autem Caathitarum familiam ad angulum Meridianum, & Orientalem pertinuisse perspectum est, & infra à nobis confirmandum, cum castrorum Israel ostendemus formam totius templi idaeam retulisse: aut, si malis, templum ostendemus castra Israelis retulisse, qua in distributione Moysi & Aaron angulus alter, Orientalis, & Aquilonaris ascribitur, dicente ibidem Domino: *Castrametabuntur ante tabernaculum foederis, idest, ad Orientalem plagam, Moyses & Aaron cum filijs suis, habentes custodiam San-*C *ctuarij in medio filiorum Israel. Quisquis alienus accesserit, morietur.* Hae sunt igitur excubiae domus, quae nunc custodiri dicuntur in gazophylacio Orientali Meridiano, vt si quis alienus accesserit, moriatur. Hanc autem Diuinam legem, quae maximam templi religionem praecipit, tanta voluit religione obseruari, vt deficiente regia potestate, cuius est proprium diuinas tueri leges, in ipsum Regem seuere animaduerterit Deus legis transgressorem. Notum est Azariae, siue Oziae Regis Iuda scelus: *Eleuatum est*, inquit liber Paralipomenon, *cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini adolere voluit incensum super al-*D *tare thymiamatis.* Sed & superbus Rex audire despexit Azariae Sacerdotis consilia salutaria, quinimmo minabatur ei, cupiens iniquum desiderium opere complere: at deficiente humana vi, quae impium mulctaret legis transgressorem, accessit diuina, quae non breui aut cito perituro censeret dignum interitu, sed diuturno, sed omnium acerbissimo ciuili ac naturali: lepra namque statim percussum eiecit templo, vrbe, regno: ac ignominiosam vitam turpissima morte finiendam decreuit, regiae sepulturae honore carituram. Ac ne in vno Rege punitum scelus, vltioque sequuta intra vnius regni fines contineretur, sed orbi vniuerso innotesceret, id subsequutis E prodigijs, perpetuoque duraturis portentis futuris saeculis, ac gentibus potuit esse perspectum. Cuius rei argumentum esse potest Iosephi historici testimonium, qui cum Regis eiusdem audaciam, & minas aduersus cobibentem Sacerdotem retulisset: Ecce ibi, inquit, terra vehementer concutitur, fissoque superne templo, radius solis os Regis ferit, quod è vestigio lepra contactum est. accessit huic & aliud prodigium, quod eodem terraemotu, ante vrbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, per quatuor stadia volutum, obiectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regijs.

MINISTRI templi stellis persimiles

Num. 3. ℣. 27. & 28.

Ibid. ℣. 32.

CASTRA Israelis templi fuerunt exemplum.

Ibid. ℣. 38.

QVANTA religione Deus voluerit custodiam templi obseruari.

2. Paral. 26. ℣. 16.

Ioseph 9. antiq. cap. 11.

DIVINA vltio, & prodigia violatores antiqui templi consequuta.

gijs. Sacerdotes vero postquam in facie Regis lepram animaduerterunt, inflictam ei plagam indicauerunt, & vt tamquam pollutus, & impuratus vrbe cederet, admonuerunt. At ille pudore calamitatis iam modestior, paruit. superbiae cum impietate coniunctae tam miserabili poena mulctatus: & cum aliquamdiu priuatus extra vrbem vixisset, filio Iothamo rempublicam administrante, moerore tandem confectus obijt, anno aetatis sexagesimo octauo, regni quinquagesimo secundo: sepultusque est in suis hortis, in monumento solitario. Hactenus ex Iosepho. Et haec sunt Dei vindicis argumenta aduersus eos, qui veteris illius templi religionem violarunt, quaenam sint aduersus eos, qui noui ac veri templi sacra profanant, expendent opportunius alij. nobis enim propheticae historiae fila retinenda sunt.

QVANTO maior vindicta saeuiet in eos, qui nouum, verumque templum violant.

DE CVSTODIA ALTARIS.

Cap. XLII.

XLVI.

R. Dauid.

PORRO *gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis.* Id est, inquit Rabbi Dauid, supradictum. Cuius, vt dixi versiculo quarto & quadragesimo, mentionem fecerat. *Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris.* In Hebraeo eadem verba habentur, quae de Australi cubiculo Sacerdotum custodientium custodiam altaris. Et Chaldaeus: Et gazophylacium, inquit, quod apertum est ad viam Aquilonarem, erit Sacerdotibus qui custodiunt custodiam altaris. Septuaginta quoque interpretes: Et exedra, inquiunt, respiciens ad Aquilonem, Sacerdotibus custodientibus custodiam altaris. Quae autem haec custodia fuerit, perspecta est in Leuitico, dicente Domino: *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subijciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Quibus verbis perspicuum quoque fit, cur Sanctus Hieronymus pro custodia, ministerium converterit, quippe quod eiusmodi custodia fuerit ministerij, solicitudinis, curae plenissima, circa ignem enim alendum versabatur qui viuentium instar, auidius velociusque aliquando quaedam absumit, alias similia tardius, prout materiae dispositio, crassus aer, ventus concitatior facit illum magis aut minus ardere. Neque hanc vnam ignis custodiam licet vocare ministerium, vel operam, sed hanc vnam prae alijs licet illis nominibus censere, quibus vniuersas antiquae legis caeremonias censet Tertullianus: Sacrificiorum quoque, inquit, onera, & operationum, & oblationum negotiosas scrupulositates. Sed ne omnia legis praecepta quasi emortua corpora euoluere videamur, vt de eorum vita hic obiter nonnihil dicamus, nos inuitat ignis, qui vitae symbolum est, ac perpetuo vi-

Leuit. 6. ℣. 12. & 13.

IGNIS perpetuus in altari.

IGNIS custodia solicitudinis & opere plenissima.

Tertull. lib. 2. aduers. Marc. cap. 18.

A uens proponitur. Et audiendus est inprimis Beatus Cyrillus, aut quisquis ille est, qui sexdecim libros scripsit in Leuiticum, qui hanc ignis perpetuam custodiant respexisse Christum Dominum putat, cum discipulos, ac vniuersum populum Christianum, quem regale sacerdotium non dubitat appellare Petrus, hortatur dicens: *Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris.* Semper ergo, inquit, ignis fidei, & lucerna scientiae accensa sit. Sed & quod dixit *lumbi vestri* Dominus in Euangelio, hoc quidem est, quod nunc legislator praecipit, vt campestri lineo praecingatur Sacerdos, & ita veteri cinere deposito innouet sacros ignes. Oportet
B enim etiam nos dicere: Ecce vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. Campestri enim lineo cingitur, vel, sicut alibi dicitur, femoralibus vtitur, qui luxuriam fluxae libidinis cingulo restrinxerit castitatis. Ante omnia enim Sacerdos, qui diuinis assistit altaribus, castitate debet accingi. Haec ille. Sed daemonis fastu atque inuidia illusae gentes, illi perpetuum ignis cultum impie dicarunt, vt auctor est Virgilius:

—vigilemque sacrauerat ignem
Excubias diuum aeternas—

Nota est Vestalium virginum apud Romanos superstitio, qua pari prorsus obseruantia ignem, pudicitiamque seruari magna totius vrbis con-
C census curabant. sed & ignem ipsum vitae pariter & castitatis symbolum, Vestam appellabant, Ouidio teste:

Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam.
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quae semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Verum haec de igne, & altaris custodia dicta sufficiant. Cur autem haec ad Aquilonem, custodia vero domus ad Meridiem statuatur, rationem reddit Beatus Hieronymus, hos, atque illos ad duplicem vitam, quam contemplatiuam & actiuam vocant, quodammodo reuocans custodiunt
D quippe Dei domum, qui ad Austrum, vbi lux plenissima est, degunt. Hi autem, qui excubant ad ministerium altaris, in quo offeruntur victimae pro peccato, in gazophylacio sunt, quod respicit viam Aquilonis, eos qui ab Aquilone veniunt, & offerunt victimas pro peccatis, suscipere, & saluare cupientes. Qui vtrique, inquit idem Hieronymus, pro officijs suis Domino seruientes, appellantur filij Sadoch, qui interpretatur iustus, siue iustificans: Omnipotens videlicet Deus: de quo scriptum est: *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit.* Haec Sanctus Hieronymus.

Isti sunt filij Sadoch, qui accedunt de filijs Leui ad Dominum, vt ministrent ei. Commune est,
E inquit Richardus, vtrisque Sacerdotibus quod sequitur, cum dicitur: *Isti sunt filij Sadoch.* Rabbi Dauid. Meminit, inquit, Sadoch, qui fuit summus Sacerdos in principio in templo Salomonis: sicut scriptum est, & fecerunt regnare secundo Salomonem filium Dauid in principem, & Sadoch in Sacerdotem, qui erat ex filijs Eleazar Sacerdotis, & Phineae eius filio, ac semini eius datum fuit foedus Sacerdotale. qui vero fuerunt ex filijs Ithamar, depositi fuerunt à dignitate Sacerdotali in maledictione Heli. Haec ille. qui ad locum respexisse videtur Paralipomenon, in quo, Dauide vita functo: *Vnxerunt*, inquit, *secundo Salomonem filium Dauid*, quem viuente, ac praeci-

B. Cyrillus lib. 4. in Leuit.

1. Pet. 2. ℣. 9.

Luc. 12. ℣. 35.

LVMBI praecincti, & lucernae ardentes.

PERPETVVM ignem quare daemoni dicarint delusae gentes.

Virgil. 4. Aeneid.

IGNIS vitae symbolum, & pudicitiae.

Ouid. in Fastis.

S. Hieron. hic.

VITA ACTIVA, & contemplatiua.

Psal. 10. ℣. 8.

Rabbi Dauid in comment.

1. Paral. 29. ℣. 39.

præcipiente patre vnxerant primum in Gihon. *Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in Pontificem.* Idem porro in historia Regum: *Et constituit,* inquit, *Rex Salomon, Banaiam filium Ioiadæ pro eo,* Ioab occiso in tabernaculo, *super exercitum, & Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.* Paulo enim superius dixerat: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini: vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Sed non hanc tantum causam assignat infra noster Propheta propter quam filijs Sadoc sacerdotio fungi concessum sit, quod alijs interdicitur: sed quoniam fidelium parentum fideles filij post idola non abierunt, quae coluerunt impij, parentum suorum scelera renouantes. Sed de ministris iterum. nunc enim quae fabricae sunt propria, ordine sunt persequenda.

VNA CVM Salomone Rege vnctus fuit Sadoc Sacerdos

3 Reg. 2. ℣. 35.

Ibid. ℣. 27.

Infra Cap. 44. ℣. 15.

FIDELIVM parentum fideles filij a Deo honorantur.

DE ATRIO INTERIORI.

Cap. XLIII.

XLVII. ET mensus est atrium, vtique interius, quod, interiorem portam egressus paulo ante ingressus fuerat. Locum hunc cum praecedentibus exponit aptissime Sanctus Gregorius, vt nihil praeterea addendum esse videatur: In parte autem superiore, inquit, tres portae descriptae sunt, idest, Orientis, Aquilonis, & Austri: moxque interioris atrij tres aliae narratae, idest, Austri, Orientis, & Aquilonis: ac deinde porta atrij interioris dicta est, in qua mensae de quadris lapidibus extructae memorantur. & porta quae respiciebat ad Aquilonem, in qua mensae essent ad sacrificium, non ad holocaustum &c. Sed his expletis rursum Propheta incipit interiorem portam, atque tres alias, idest, Aquilonis, Austri, & Orientis describere, & in earum atrio interiori, quod erat extra portam interiorem, esse gazophylacia, cantores, Sacerdotes, templum, altare, sacrificia perhibet. Haec Sanctus Doctor, qui sex tantum portas enumerans, tres exteriores, ac totidem interiores, cum plures videtur enumerare, easdem repetitas esse significat. Atrium igitur, quod iacet inter tres portas interiores, nunc metitur Angelus, longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum. Hebraice: Et mensus est atrium, longitudo, subaudi eius erat centum cubitorum quadratum. Sic & Chaldaeus: Septuaginta vero interpretes in Sixtiano codice: Et mensus est atrium, longitudinem cubitorum centum, & latitudinem cubitorum centum ad quatuor partes eius. hoc est, cuius quaterna latera paria erant cubitorum centum. Sanctus Hieronymus: Iste autem vir, inquit, qui introduxit Ezechielem in atrium interius, & vt ita loquar,

S. Gregor. homil. 12. in Ezech.

ATRII Interioris quadrata area

ATRIVM interius centum cubitorum.

S. Hieron.

A ad Sancta Sanctorum; mensus est ipsum atrium, in quo erant duae exedrae, siue gazophylacia custodum templi, siue altaris habitaculis delegata: & reperit longitudinis, & latitudinis per quadrum centenos cubitos: vt Sacerdotes Dei ministerio seruientes, qui per arctam, & angustam viam intrauerant, habeant deambulacra latissima, & in perfecto, consummatoque virtutum numero commorentur. Hactenus ex Hieronymo. Ex hac demum mensura, quae eadem constansque apud omnes scriptores habetur, liquido constare poterit, quàm apte in hoc aedificio mutuo respondeant prioribus posteriora; imis summa: area enim haec, quae, vt in vestigio apparet, tribus areis dimensis respondet atrij exB terioris, eisdem est aequalis, centum videlicet cubitorum, vt perspectum etiam sit porticuum latitudinem aequalem quoque esse, immo & eandem cum ea, quam initio mensus fuerat Angelus quinquaginta cubitorum. id quoque confirmatur eadem vbique enumerata portae longitudine quinquaginta cubitorum, cui porticus latitudo aequalis esse perhibetur. Sed & idipsum infra magis fiet perspicuum.

VNIVERSA area templi mensura respondens sibi mutuo.

Ex dictis igitur colligere possumus, quàm à vero aberrent ij, qui atrium interius, aut Sacerdotum in templo Salomonis ita confingunt, vt vix deceat vineae maceriam. Negant igitur tacite C interiori atrio porticus exedras, gazophylacia: quae omnia, vt vidimus, communi Doctorum sententia fuerunt in templo, quod vidit Ezechiel, at negant hoc ad illud pertinuisse Salomonicum. Numquid negabunt Paralipomenon historiam de templo Salomonis loquutam? id sane non possunt, si sacras admittunt Scripturas. At ibi datam fuisse descriptionem agnoscimus *omnium atriorum.* & quamuis huic descriptioni falso denegent atrium gentium, tamen negare non possunt atrium exterius & interius, sicut vere non negant. Sed legant quae sequuntur: *Et exedrarum per circuitum in thesauros Sanctorum* in atrio exteriori, *diuisionumque sacerdotalium,* D *& Leuitarum,* & cetera. quae nemo non videat eadem esse cum ijs, quae hic recensentur: *gazophylacia cantorum in atrio interiori:* & gazophylacium Sacerdotum excubantium in custodiam templi, & sacerdotum excubantium in ministerium altaris.

ATRIVM interius amplas porticibus constitum fuit, & gazophylacijs, non solo peribolo, vt quidam somniarunt.

1 Parol. 28. ℣. 12.

At suam sententiam putant firmari sacrae Scripturae testimonio de Salomone scribentis. *Et aedificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.* Quem locum ita interpretantur, vt ne ipsi quidem, qui id affirmant, quidquam ità à ratione alienum opere exequerentur, nedum id esse diuinum opus alijs persuadeant. Nam quis vmquam E faceret murum, aut maceriam tres cubitos altam, lapideam, sub dio, quam ligneis asseribus coronaret? numquid inter alia synagogae miracula hoc vnum computent, ligna Solis, ac pluuiae iniurijs exposita nec findi, neque torqueri, neque turpari? Confirmant hanc suam interpretationem Iosephi testimonio, de eodem Salomone asserentis, septo circumdedisse hoc atrium tres cubitos alto & gratissimam inde sumunt occasionem, tres ordines lapidum in ea altitudine meditandi, quin & inter sese contendunt, num excludendus ab eiusmodi altitudine sit lignorum ordo, an vero intra illam includendus.

3. Reg. 6. ℣. 36.

TRES ORdines lapidum, & ordo lignorum male ab aliquibus expositus.

Ioseph 8. antiq. cap. 2.

x Sed

Sed hos interpretes rogatos velim, vt priusquam de difficili quaestione illa in te tanti momenti statuant, legant sequenti capite similia verba: *Et atrium maius rotundum*, hoc est circumquaque, vt alias interpretati sumus, *trium ordinum de lapidibus sectis, & vnius ordinis de dolata cedro*. Quod si in dubium reuocare velint, ne nihil non dubitent, de quo atrio sit sermo, audiant sequentia, *& in atrio domus Domini interiore*: hoc non negabunt esse idem atrium Sacerdotum, de quo est sermo, & de quo iterum affirmauerat fuisse factum, *tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri*. Sed & legant sequentia: *Et in porticu domus*, vtique fecit similes ordines lapidum, atque lignorum. Sed cum porticum domus altam esse sciamus cubitos viginti supra centum, mox rogarem huiusmodi interpretes, num sit in his centenis vicenis cubitis includendus ordo ligneus, an inde excindendus? Sed horum vana figmenta tunc plane perspecta erunt, cum verum horum locorum sensum explanabimus. interim prudenti lectori perspectum inprimis esse debet, nihil habere commune Iosephi gisum cum tribus ordinibus lapidum sacrae Scripturae. Hi enim ordines indicant porticum, siue columnationes, vt infra explicabimus, illud vero septum Iosephi peribolum atrij interioris, quo diximus Sacerdotes à profana multitudine segregari. Huius autem peribo-li meminit idem Propheta noster paulo inferius illis verbis. *In latitudine periboli atrij*. qui quidem peribolus atrij dicitur, quòd totum interius atrium, de quo est ibi sermo, vndequaque cingeret, vt testatum etiam est apud Iosephum. Id vero quod sequitur, Iosephus non enarrauit: *Quod erat contra viam Orientalem in faciem aedificij separati*. Aedificium separatum, vt infra ostendemus, vocat hic Propheta ipsam domum Dei. itaque ante Orientalem faciem domus Dei peribolus hic, siue gison tendebatur à porticu Aquilonari ad Meridianam, eam quam nunc mensus est Angelus atrij longitudinem, vel latitudinem definiens, vt vides in vniuersali Ichnographia, & manifeste magis in peculiari vestigio atrij interioris. Hoc autem animaduertendum est attentius, quippe huius loci proprium: nam cum tres portae, totidemque porticus enumeratae sint à Propheta in atrio interiori, Meridiana, Orientalis, & Aquilonaris, ab Occidente quidem nulla erat porticus, quinimmo ipsum altare in medio atrio constitutum ipsam prospiciebat ianuam templi, vt mox videbimus: sed facies templi non tangebat centenos cubitos atrij interioris, sed inter hos atque illam platea quaedam vicenum cubitorum intercedebat, quam licet videre in Ichnographia, quamque infra probaturi sumus. necessarium ergo fuit, vt ab aliquo certo termino finiretur atrij longitudo, vel latitudo ab Angelo centenis cubitis dimensa, & hoc plane fit peribolo, vel giso paulo ante commemorato. Et de giso hoc tria essent exquirenda: Primum, quantum ambiat: secundum, qua forma sit: tertium, qua mensura. Et primum quidem infra suo loco exponendum est: quod vero ad secundum spectat, cum nihil hic proprium dicendum occurrat, certissimam illam saepius à nobis confirmatam similitudinis normam sequemur, simile omnino hoc peribolum esse existimantes ei, quo thalamos portarum

3. Reg. 7. ℣. 12. Alias cap. 25 huius libri.

3. Reg. 6. ℣. 36.

NIHIL HAbent commune ordines templi cum Iosephi giso.

Ezech. 42. ℣. 10.

DE GISO, siue peribolo tria examinanda sunt.

A supra definiri ostendimus, atque omnino aequale. Quod ad tertium attinet, meminisse lectorem oportet, constitutam fuisse a nobis periboli altitudinem eandem cum stylobatarum altitudine, quod & ratio ipsa symmetriae exigere videbatur. At stylobatae altitudinem ex graduum altitudine petendam esse monstrauimus, qui in portis erant ascendendi: atqui decem tantum gradus supersunt in porticu domus ascendendi, quorum singuli singulis quartis partibus cubiti sunt pares. sunt igitur stylobatae atrij interioris alti cubitos duos & semis, totidemque altus est peribolus hic, siue gisus, quem historicorum more tres cubitos altum appellauit Iosephus. Tan-

B dem ij qui Rabbinorum sui fallacibus testimonijs, omnia, quae de templo Salomonis referunt sacrae Literae, extenuare contendunt, quo Hebraeis faueant, Herodis templum, quod forte somniant, exaggerantibus: ij, inquam, audiant Chimchium Hebraeum sic scribentem. *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum*. Hoc non erat, inquit, in secundo templo: quoniam longitudo atrij Israel erat centum trigintaquinque super vndecim, id est, cubitorum. sic etiam erat atrium Sacerdotum. Haec ille. Quod si hanc aream mathematicorum more metiamur ductis centum triginta quinque cubitis in vndenos, con-

C stabit quaelibet area ex enumeratis secundi templi quadratis cubitis mille quadringentis octoginta quinque. at area atrij interioris ab Angelo dimensa, similibus quadratis cubitis constat denis millenis: totidem enim efficiunt centeni in se ducti, & hic quidem numerus illum fere septies continet. quod si cum atrio Israel conferatur, eius sub dio spatium fere septies septies continet eundem numerum, praeter porticus, quae duplo maius spatium occupant, quam ipsum spatium sub dio. Quae tam incredibilis magnitudinis differentia ipsas areas secundi templi, infinitis partibus superatas fuisse à prioribus facile suadet, ne vlla superesse videatur occasio illas cum

D his conferendi, ne dicam, has illis praeferendi. Sed de his aliàs.

PERIBOLI altitud. duorum cubitorum & semis.

Rabbi Dauid Chim. in comment.

PRIMI, AC secundi templi collatio.

135
11
135
135
1485

100
100
10000

DE SITV ALTARIS HOLOCAVSTORVM.

Cap. XLIV.

E

ET altare ante faciem templi. Rabbi Dauid: Dicit, inquit, quod mensus est quoque altare, quod erat ante faciem templi, & non facit mentionem ipsius mensurae, neque deinceps faciet. Duo proponit Rabbinus hic examinanda, quorum prius minus videtur probandum, secundum omnino falsum est. Connectit igitur inprimis hanc sententiam cum priori, ita vt tota periodus ex verbo illo pendeat:

Rabbi Dauid in comment.

deat: & mensus est. qua in re sequutus fuisse vi- A detur Chaldaeum paraphrastem sic scribentem: Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum quadratum: & altare quod erat ante domum. Sed quamuis haec vera essent, tamen falsum est, altaris mensuras non tradi, neque deinceps tradendas, cum bonam partem capitis quadragesimi tertij ponat Vates in altaris mensuris tradendis, ac ritu. Sed enimuero quod ad dimensum hoc loco altare attinet, non valde videtur verisimile, cum ipsa Hebraea phrasis repugnare videatur; quippe quae articulum את, notam accusatiui casus dimenso apponat atrio, & non altari.

NON HOC loco mensura traditur altaris.

S. Hieron.

B Accedit his Sancti Hieronymi auctoritas, qui qua ratione Hebraea intellexerit, & quo sensu interpretatus fuerit, indicat in commentarijs. Et in ipso atrio, inquiens, erat altare ante faciem templi: vt numquam Sanctorum ad Deum cesset oratio. Neque aliter sensit Sanctus Gregorius, qui simul indicat de quo altari sit sermo. Altare ergo, inquit, ante faciem templi est; cum multi in sanctae Ecclesiae conspectu sunt propositi: qui aeterni iudicij memores, semetipsos quotidie Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant &c. Vnde etiam in tabernaculo per legem duo altaria fieri iubentur: vnum videlicet exterius, aliud vero interius: vnum in atrio, aliud ante arcam: vnum quod aere coopertum est, aliud C quod auro vestitum. Atque in altari aereo cremantur carnes: in altari vero aureo incenduntur aromata. Haec Sanctus Doctor. Iosephus quoque historicus eadem confirmat, additis quibusdam ad huius loci intelligentiam non parum conducentibus, quae quoniam non omnia Latine conuersa leguntur, Graece quoque referre operaepretium fuerit. τὸ δὲ θυσιαστήριον τὸ χάλκεον ἔστησε πρὸ τοῦ ναοῦ ἄντικρυς τῆς θύρας, ὡς ἀνοιχθείσης, αὐτὸ κατὰ πρόσωπον εἶναι, καὶ βλέπεσθαι τὰς ἱερουργίας, καὶ τὴν τῶν θυσιῶν πολυτέλειαν. hoc est: Altare autem aeneum statuit ante templum contra ianuam, vt ea aperta, ipsum esset in conspectu, & sacra ministeria cernerentur, & sacrificio- D rum magnificentia. Quibus verbis illud certum est, quod cum praesenti textu Prophetae conuenit, altare videlicet aeneum in conspectu templi statutum à Salomone fuisse, ita vt nullum intercederet sublime aedificium. Quod vero è regione portae constituatur, ratio ipsa, quam reddit, manifeste indicat eum de porta templi, quae erat intra vestibulum, non loqui: è templo namque nullus spectare poterat sacrificia. nisi forte rerum diuinarum tam ignarus fuisse credatur Iosephus, vt Deum putarit nonnisi apertis foribus sacrificia conspexisse. Dicamus igitur quod res est, Iosephum de portis atrij interioris loquutum, ac Hebraeam phrasim in Graecum induxisse E sermonem, qua singularis numerus plerumque pro plurali vsurpatur, vel distributiue: ita vt sensus sit, altare constitutum fuisse è regione trium portarum atrij interioris, quia nimirum erat in medio atrio, ita vt aperta qualibet porta, Orientali, Meridiana, vel Aquilonari, ipsum altare conspiceretur à populo in tribus areis atrij exterioris existente. Et quoniam exteriores portae interioribus directe, & ex aequo respondent, fit vt seruis, quas diximus, apertis templi portis, ex ipso atrio gentium altare holocaustorum, sacrificia, ac Sacerdotum ministeria conspicerentur,

S. Greg. hom. 22. in Ezech.

Exo. 27. & 30

DVO ALTARIA quo modo dignoscantur

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

ALTARE templo conspicuum

ALTARE constitutum fuit in medio atrio interiore, e regione vniuscuiusque portae atrij.

vt in vniuersali Ichnographia videri possunt. Et haec de altaris situ dicta sufficiant. Nam quae ad altaris formam spectant, & mensuras, infra suo loco exponenda sunt.

DE TEMPLI VESTIBVLO.

Cap. XLV.

XLVIII.

ET introduxit me in vestibulum templi. Emenso atrio interiore, ordine procedunt Occidentem versus, & peribolo illo praetergresso, quo paulo ante dicebamus atrium interius finiri, totum illud spatium praetereunt, quod propriè orationi Sacerdotum, ac precibus videtur fuisse constitutum, Ioele Propheta testante: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Quod contra ad Dei aemulationem, ac zelum prouocandum conuerterant impijssimi viri illi, quorum meminit Propheta noster, qui omnia quae ad huius loci dispositionem spectant, in templo Salomonis describit illis verbis: *Et introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in ostio templi Domini, inter vestibulum & altare.* Sanctus Hieronymus: Quod nos vestibulum, inquit, iuxta Symmachum interpretati sumus, qui προπύλαιον posuit: pro eo quod Septuaginta, & Theodotio ipsum verbum Hebraicum transtulerunt, אולם vlam, Aquilae prima editio πρόσθιον. Secunda αἰλαμ templi interpretata est, quam nos porticum templi exprimere possumus, siue tectum atrium, quod inter templum & altare erat. His extremis verbis locum potius, de quo sermo est, expressit Sanctus Doctor, quàm vocis notionem, quam prioribus indicauerat. atque hoc idem fecisse videntur illi omnes Scholiastae, quos retulit Latinus interpres Septuaginta interpretum codice, quem edi mandauit felicis recordationis Sixtus Quintus Pontifex Maximus: in quo sic legimus: Et introduxit me in atrium domus Domini interius: & super vestibula templi Domini, inter aelam & altare. Scholiastes: illud ἀναμέσον τῶν αἰλαμ, vestibula, inquit, nimirum cancellos. Alius: aelam autem, quod vestibulum est, Syrus vocat κιγκλίδα, quam quidem multi dicunt cancellum. Atque hi quidem Scholiastae vim vocis Hebraicae אולם vlam, expressisse videntur, qua, vt diximus, non modo arcus, seu fornices indicantur, verum etiam postes, quibus eiusmodi fornices sustinentur: neque hoc tantum, verum etiam postes ipsi, quibus quamuis fornices non insistant, illi tamen muro aliquo, vel septo inuicem sunt colligati, quae

INTER vestibulum & altare locus Sacerdotum orationi datus

Ioel. 2. ℣. 17.

Ezech. 8. ℣. 16.

S. Hieron. super Ezech. 8.

PORTICVS templi quibus nominibus appelletur.

Scholiastes

Alius.

VOCIS vlam notio.

est prima vocis origo, vt diximus. Itaque locum A describunt, scholiastes aptissime, quo impijssimi illi quinque & viginti viri Deum quodammodo spernebant: in atrio domus Domini interiori, *in ostio templi Domini*. והנה פתח היכל vehinne pethah hecal, & ecce ostium templi Domini. nomen est proprium partis illius interioris templi, quae Sancta dicitur, de qua nos infra. quasi dicat, in eo loco, in quo conspicua erat porta templi, *inter vestibulum & altare*, in eo spatio quod sub dio relinquebatur medium inter templum & altare. honoris ergo prius nominatur templum, quamuis ingredientibus, vel ab exteriore parte spectantibus, prius altare, deinde templum obuium esset. Super vestibula templi Domini, vel super cancellis, quibus B quadrata area interioris atrij finiebatur: quorum quidem cancellorum formam significare videtur Hebraea vox ulam. Nam in atrio interiori quadrati stylobatae ordine disponebantur in eisdem plane locis, in quibus disponerentur, si porticus Occidentalis atrium interius clauderet, vel in locis, illis quos definiunt radices lineae, quas supra diximus vniuersam signare templi dispositionem: hos namque stylobatas vestibula vocant. Ex quo fit vt dicti stylobatae vniuersis alijs Orientalibus, Occidentalibus, Meridionalibus, atque Aquilonaribus respondeant positu, & altitudine: medium autem spatium inter stylobatas reticulatis cancellis altitudine paribus occludebatur, illorum simillimis, quorum formam paulo superius expressimus. In huiusmodi cancellis bina ex vtraque parte ostiola relinquuntur aperta, nullum in medio, ne Sacerdotes sacra operati in templo, & ad atrium redeuntes dorsa templo darent per mediam portam egressi.

PRIVS TEMplum, deinde nominatur altare, honoris ergo.

BINA ostiola in cancellis atrij interioris.

Quae hactenus diximus, omnia ad vniuersalem spectant Ichnographiam, quae quamuis iterum adeunda sit, hic tamen eam opus erit praetermittere, & vestigium primum Sanctuarij ob oculos ponere; quod propterea seorsum sub maxima cubitorum mensura factum est, quod facilius percipientur in eo minutissimae quaedam partium mensurae, quae hoc extremo capite & sequenti D traduntur à Propheta. Hic vero, quo explanationis filum prosequamur, notandum occurrit, quod vbi nos legimus *vestibulum templi*, in Hebraeo habetur אל אולם הבית el Vlam habajth, ad vestibulum, vel porticum domus. vsurpatur enim hic Latina vox, vestibulum, in propria Romanorum acceptione, qua partem illam ante domum relictam perutam significant, quamuis huius vestibuli intra atria relicti formam potius sint imitati Graeci, quàm Latini, vt supra ostendimus, assipulante Vitruuio. Hoc autem vestibulum ad domus maiestatem amplificandam fuisse exstructum, ipsa eius facies, & forma in descriptionibus conspecta indicabit, praeterquam quod hoc ipsum vestibulum mysterijs indicandis non vacabat alijs enim in extremam operis partem reiectis, hic solum referenda sunt Iosephi verba, quae de hoc vestibulo subiungit. Neque fores, inquit, habebat: caelum enim vndique conspicuum, iatoque patens significabat. confirmat hoc idem aulaeum Babylonium pro foribus templi appensum fuisse testatus, in quo non symbolis modo, verum expressis imaginibus rerum omnium species quaedam repraesentabatur. Velum enim, inquit idem Iosephus, Babylonium hyacintho, bysso, & croco, & purpura variatum, mirabili opere factum, neque contemplationis expers colorum permixtione, sed velut omnium rerum imaginem praeferens &c. eratque in eo perscripta omnis caeli ratio, praeter signa. Veli huius formam iterum describit, illud, inquam, quod primum à Moyse in tabernaculo oppansum fuit: Fuit, inquit, hoc linteum omnis generis floribus, quae terra fert, alijsque ornamentis picturatum, exceptis tantum animantium figuris. Et hoc quidem, Sanctum Sanctorum à Sancto separabat in tabernaculo. Fuit praeterea aliud huic simile, & par in ipso aditu vestibuli, quod ne Solis, pluuiae, ventorumque iniurijs laederetur, alio lineo velo coram expanso, diebus maxime parum serenis operiebatur, atque hoc quidem quod pretiosissimo velo, de quo alias, praestabat lineum velum protectionis commodum, vberius multo praestabat eidem prorensum vestibulum: vt plures alias vtilitates & commoda, quae templo praeberet vestibulum, silentio praetermittam, quippe quae lectori ipsi, vel me tacente esse poterunt in promptu.

VESTIBVlum templi in propria Latinae vocis acceptione vsurpatur

Supra ℣. 9. huius capitis. Vitruu. lib. 6. 6. cap 10.

VESTIBVlum caeli symbolum.

Ioseph 6 bell. cap. 6.

VELVM templi eiusque materia, ornamenta, & forma.

Ioseph. 3 antiq. cap. 5.

Sed vt ad vestibuli nomen redeamus, illud est ei cum voce domus hoc loco commune, quod cum plura fuisse in templo vestibula compertum sit, immo & multa aedificij membra, te & nomine longe, diuersa eadem Hebraica voce vlam, significentur, hic proprie, & veluti per antonomasiam vestibulum illud omnium maximum, ac longe celeberrimum indicetur, C quod ipsi templo simplici muro, ac ianuis intercedentibus adiacet. Hoc porro vestibulum porticus merito dicitur: nam in libris Regum, vbi in Hebraeo haec eadem vox habetur, nos legimus: *& porticus erat ante templum*. Sed & Iosephus tribus alijs porticibus hanc quartam annumerat: Sciunt omnes, inquit, qui templi nostri opus videre, quale fuerit, quamque inuiolabili sanctimonia castum. Quatuor enim porticus circum se habuit, & earum suam quaeque secundum legem custodiam. In extimam porticum ingredi licuit omnibus etiam externis, tantum menstruatae feminae intrare vetabantur. In secundam porticum intrabant Iudaei omnes, eorumque coniuges, si essent ab omni pollutione mundae. In tertiam mares Iudaei mundi atque D puri. In quartam Sacerdotes, vestitu sacerdotali induti. Sed de huiusmodi custodia ac legibus nos aliàs.

HOC proprie dicitur vestibulum templi.

3. Reg. 6. ℣. 3.

QVATERnae porticus templi, earumque custodiae.

Nunc vero cum huius templi quasi proprium nomen sit domus Domini, id quod multiplici ratione supra à nobis confirmatum est, quid causae est, quòd nunc domus absolute dicatur, idque non Hebraice modo, sed & Graece, & Chaldaice? Sane si quod primum, ac summum est in quolibet genere, quasi proprium sibi vendicat nomen commune: domus Dei, quae domos ceteras ita excellit, vt vix nomine domus videantur dignae si cum hac conferantur, merito sibi domus nomen quasi proprium vendicabit. Haec enim domus est, cuius est auctor Deus, quamE que sibi quasi proprium exstrui curauit domicilium. Ex hoc duplici capite ab vno immenso Deo procedentes, & in eundem quasi in mare redeuntia flumina, vt iterum fluant; domus huius dignitatem, maiestatem, pulchritudinem, excellentiam perpendere debemus. Nam si verum est, vt est verissimum, quod ait Salomon: *Ergone putandum est, quòd vere Deus habitet super terram? si enim caelum, & caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificaui?* Verum quoque est, quod ait Dauid Rex & Propheta: *Aedificauit, ipse qui incola futurus erat huius domus, sicut vnicornium san*

ctificium

Supra ℣. 5. huius.

DOMVS absolute quare dicatur templum.

3 Reg. 8. ℣. 27.

Psal. 77. ℣. 69.

dificium suum. vel, vt habent Hebraea, sicut A excelsa palatia, sicut arces superbas magnificentissima palatia: idem enim significant Latina, & *sicut vnicornium*: & Graeca, & Sanctus Hieronymus, sicut monocerotis, quod animal magnificas sibi & insignes mansiones exstruit, vt ait Genebrardus. Mihi vero satis esse videtur ad praesens institutum, si hoc animal concipiamus in celsissimis, atque inaccessis Indiae montibus degere solitum, vt auctor est Aelianus. hoc enim idem significare videntur Chaldaea, quae sic habent: Et aedificauit sicut cornu naricornis Sanctuarium suum. quasi dicant, sublime, excelsum, atque in celsissimi montis cacumine. Alij vero sic interpretantur: sicut excelsa, hoc B est quasi celsissima caelorum habitacula: fuit enim templum caelorum exemplar quoddam, vt infra videbimus. *Aedificauit igitur Sanctificium*, Sanctuarium *suum in terra*. Hebraea: Sicut terram fundauit illud in saeculum. Chaldaea: Sicut terra, quam fundauit in saecula saeculorum. Richardus eundem sensum elicit ex Latina lectione: *In terra*, inquit, idest, magna firmitate, *quam fundauit*, idest, stabiliuit *in saecula* mansuram. eundemque sensum videtur ad Ecclesiam accommodare Sanctus Remigius. Terram, inquit, istam fundauit in saecula, semper est mansura, licet alij discedant, & alij succedant. qua etiam ratione exponit locum Sanctus C Augustinus. Sed opus non est è pluribus locis dispersa colligere, quae in hoc vno simul collecta legere, aut intelligere facile poterimus, si conferamus simul, quod quanta est maiestas Dei Optimi hanc domum inhabitantis, tanta est eiusdem sapientia eandem architectantis, tanta est potentia fabricantis, tanta est benignitas eam constructam in suam accipientis. Ait enim Salomoni apparens nocte Dominus: *Audiui orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij*. Hinc deinde ortae sunt illae assiduae Domini voces, *Domus mea, domus orationis* &c. Sed obiter notanda sunt, quae Angelicus Doctor notauit. Non dicitur, inquit, domus Domi- D ni, quia ibi corporaliter inhabitet, sed quia locus est deputatus ad orandum Deum: sicut aliquis dominus habet locum deputatum, vbi petitiones recipiat, & exaudiat, sic templum est locus, vbi Dominus vota fidelium audit. Ecclesia nostra specialiter dicitur domus, quia ibi habitat corporaliter in Sacramento Christus Dominus. Haec Sanctus Doctor.

DOMVS HVIVS laudes. *S. Hieron.* *Genebrard.* *Aelian. hist. animal. lib. 16. c. 20.* *Richardus Pampolitanus in psalmos.* *S. Remig. in psalmos.* *S. August. in Psalmos.* A DEO AEdificata & inhabitata domus est omni laude dignissima. *2. Paral. 7. ℣. 12.* *Isa. 56. ℣. 7. & Matth. 21. ℣. 13.* *S. Tho. super Matth.* ECCLESIAE Christianorum proprie domus Dei dicuntur.

VESTIBVLI OSTIVM, POSTES, *longitudo, latitudo describitur & altitudo.*

Cap. XLVI.

ET mensus est vestibulum. Hebraice אֵילָם el vlam, quam vtramque vocem sic reliquerunt Septuaginta interpretes in Sixtiano codice, quamuis prior ex alijs codicibus excidisse videatur. quapropter ipsum vestibulum legunt, sed postem vestibuli licet conuertere, siue, vt Chaldaeus habet, frontem vestibuli. Rabbini vero locum interpretati sunt hoc modo: Et mensus est, inquit Dauid, frontem vestibuli, hoc est, frontes vestibuli, quae erant super portam eius hinc & inde. Rabbi Salomon vero אֵל el, inquit, quasi איל ail, frontem vestibuli, idest, grossitiem laterum portae, quae respicit ad Orientem, mensurauit ab Oriente ad Occidentem. Post haec vero verba in alijs commentarijs legisse se ait, latitudinem portae trium cubitorum pro grossitie frontis Aquilonaris, & Australis legi tamen affirmat in libro Misnaioth, murum vestibuli fuisse quinque cubitorum. qua in re dubius haeret, neque valens intelligere, qua ratione eaedem frontes quinis, ternisque cubitis dimetiantur: quare ad secundum templum reuocat alteram ex his mensuris. Verum quomodo haec intelligenda sint, mox erit perspicuum. Sanctus vero Hieronymus, notione proximas voces indicauit fuisse איל el, & אולם vlam, atque adeo postem vertit *vestibulum*. Metitur enim hoc loco Angelus crassitudinem muri anterioris vestibuli, quae ingredientibus erat perspecta in vtroque poste, & imminente fornice. Quae quidem partes aedificij merito à Beato Hieronymo vestibuli nomine censentur, cum eas omnes & singulas iuxta varias notiones indicet praedicta vox אולם vlam. illud autem proprie hoc loco significare posset vox, quod ad formam vestibuli spectat, fuisse quidem illud fornicatum, quam propriam esse vocis notionem supra ostendimus: eamque vestibulorum formam à Romanis obseruatam probat praeter plurima exempla, quae inter antiquitatis monumenta Romae asE seruata videntur, Virgilij testimonium praeclarum:

Moenia conspicio, atque aduerso fornice portas.

Qua in re superuacanea videri poterunt aliena exempla, cum suppetat proprium, idque manifestum. Extat nunc Venetijs nummus quidam argenteus perantiquus apud Clarissimum virum Federicum Contarenum procuratorem Sancti Marci, sicli iusto pondere, faciem huius vestibuli ex altera parte proferens Hebraicis antiquis literis inscriptus, in quo, tetrastili in medio fornix apparet, eandem plane formam praese ferens, quam in Orientali facie vestibuli Sanctuarij nos expresseramus multis an-

Rabbi Dauid in comment. *R. Salomon.* POSTES vestibuli dimensi. *S. Hieron.* FACIES VEstibuli fornicata *Supra ℣. 8.* *Virg. 6. Aeneid.* NVMMVS quidam argenteus faciem praesert vestibuli.

nis antea quàm huius nummi vel minima incidisset suspicio, nedum eius videndi spes aliqua affulsisset. Venetijs olim aliud huic simile numisma fuit apud Patriarcham Aquileiensem, quo è medio sublato, solum superest exemplar aereum, sed satis expressum. vtriusque nummi exemplar forsan expeteret hic Lector: sed quia multa ad rem nummariam spectantia his atque alijs denuo à me inuentis nummis confirmari posse arbitramur, omnia simul inproprium locum conferenda esse arbitrati sumus, in appendice capitis vigesimi septimi libri secundi secundae partis Apparatus, quam molimur.

POSTES VEstibuli pares sunt muro ambienti extrinsecus totam domum

Infra c. 41. ℣. 9. & 12.

Sed vt ad institutum reuertamur, metitur vtique Angelus postem vestibuli Meridianum, B *quinque cubitis hinc*, & postem Aquilonarem *quinque cubitis inde*. respondet enim hæc exterioris muri crassitudo crassitudini muri ambientis extrinsecus vniuersam domum, cuius latitudinem infra videbimus. Hinc vero ratio ipsa firmitatis, & aedificij postulat, vt excipiantur latiores ac firmiores vestigij pares, quibus altitudo anterioris turris innititur, cuius infra ratio reddenda est. *Et latitudinem portae*, subaudi, mensus est, *trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde*. Verba Hebraica ad verbum conuertit Sanctus Hieronymus, sicut fecerat & Chaldaeus. sensum vero reddunt Septuaginta interpretes: Et latitudinem, inquiunt, portae cubitorum quatuordecim. & latera portae aelam cubitorum trium hinc & inde. Et quamuis latitudinem vniuersae portae Hebraea non tradant, eam tamen quatuordecim fuisse cubitorum, manifeste colligitur ex ipso contextu: consulto vero latera portae intelligunt dicta fuisse portae latitudinem, nimirum quantum ipsa latera, humeri, aut postes distenduntur ab ostio vsque ad angulos interioris aedis, quod vnum dimensum fuisse, repetita ipsa dimensio planum facit. Accedit his mos & consuetudo ab Angelo deinceps obseruata in singulis portis Sanctuarij, in quibus post emensam murorum crassitudinem, spatia metitur, quibus domus ipsa ab ostio, siue à postibus portae ad angulos vsque interiores vtrimque laxatur: quam quidem dimensam retractionem, & latera vocat portae, & humeros, & latitudinem, vt infra videbimus. Lyranus: Hic, inquit, accipiatur porta pro postibus existentibus ex vtraque parte ostij, in quibus sunt quaedam caelaturae, & similiter in limine superiori, & quaelibet caelatura est trium cubitorum latitudinis per modum in margine figuratum. Architecturae ignarus Lyra ita rem expressit, vt potuit cogitatione fingere. Hac tamen mensura trium cubitorum non tantum caelaturæ definiuntur, sed multo magis ipsi portae humeri, vt dixi. Quod vero ad parem superliminaris mensuram spectat, E in eo deceptus est, quod cum portam audiuit, quadratum superliminare forte intellexit. nam si fornicis crassitudinem intellexisset, non dubito quin longe à vero aberrasset, si exteriorem partem ab ea mensura exclusisset. Quae omnia, ne longior sim quam par esset, tam in ipso vestigio, quam in Orientali facie Sanctuarij perspicienda praetermitto. Rabbi Salomon nostram sequitur & confirmat expositionem: Ego vero, inquit, non possum accommodare expositionem, nisi latitudini laterum portae trium cubitorum occludentium vacuum portæ hinc, & trium cubitorum inde. Rabbi vero Dauid sic exponit, vt osten-

S. Hieron.

Nicolaus de Lyra.

R. Salomon

Rabbi Dauid.

A dere conetur accipienda esse latera pro latitudine: sed si accipiatur latitudo portae, vt remaneant tres cubiti ex vtraque parte. eius haec sunt verba: Dicit quod latitudo portae vestibuli erat vt remaneret illi latus post portam, trium cubitorum ab Aquilone, & trium cubitorum ab Austro. Habetur ergo, latitudinem portae esse quatuordecim cubitorum: nam longitudo vestibuli erat viginti cubitorum, ex quibus tolle sex pro lateribus portae, tres hinc, & tres inde, remanet latitudo portae quatuordecim cubitorum. Et ad hoc melius explicandum subdit:

Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum. XLIX. Idest, longitudo eius erat iuxta latitudinem B templi. Hactenus ex Rabbino. *Et latitudinem vndecim cubitorum*. Huius loci aptam expositionem breuissime expressit Theodoretus. E regione vero templi, inquit, subaudi, altare, erat, & templi vestibulum, viginti cubitorum longitudinem, quatuordecim latitudinem. Mendum irrepsisse censeo, & vndecim scribendum, pro quatuordecim, portamque ipsius similiter quatuordecim latitudinem, & ab vtraque parte ipsius latera, vel postes vsque ad angulum ex tribus cubitis vtrumque. Ita enim viginti cubitorum mensura perficitur ianua quatuordecim excipiente, & ancotubus ex vtraque parte (hos enim epomidas vocauit) alios sex, ternos hinc, ternos illinc. Haec C ille. Sed ad maiorem loci explanationem animaduertendum est, iam vocem Latinam vestibuli in propria accipi significatione, ac dimensam esse porticum illam domus Domini, cuius etiam mensuras definierunt historici Sacri, atque alij. quapropter horum mensuras cum nostris conferre operaepretium duximus.

Theodoret. hic.

In libris Regum post enumeratam domus longitudinem, latitudinem, & altitudinem, subditur: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi, & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi*. Sanctuarium, quod, vt dixi, proprie domus dicitur, in duas praecipuas partes diuidebatur: vel, D si aliquanto largius accipiatur, in tres, quarum singulae proprijs nominibus censebantur. Interior sanctiorque ad Occidentem vocabatur דביר debir, hoc est oraculum, vel communiori voce Sanctum Sanctorum. Secunda pars Orientalior, media inter reliquas dicebatur היכל hecal, templum, vel Sanctum. Tertia tandem, & quae magis ad Orientem spectabat, cognominabatur אולם vlam, vestibulum, siue porticus, de qua nunc est sermo: ac propterea ex Hebraeo sic conuerti possunt verba Sacri historici: Et vestibulum super facies היכל הבית hecal habaijt, vel ante faciem templi domus, vel Sancti, viginti cubitorum longitudo eius, super facies latitudinis domus decem in cubito E latitudo eius super facies domus. In libris autem Paralipomenon eiusdem porticus longitudo describitur, latitudo subticetur, & superadditur celsitudo, sic enim legimus: *Porticum vero ante frontem, quae tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus cubitorum viginti. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat*. Hebraice: Et porticus quae super facies longitudinis, super facies latitudinis domus cubitorum viginti, & altitudo centum viginti. Loci sensus erit plane perspicuus, si res ipsa pensetur: erat enim domus vniuersa lata cubitos viginti, cuius longitudo ab Oriente in Occidentem tendebatur porticus autem sita erat ab Oriente domus, longa cubitos

3. Reg. 6. ℣. 3.

TRES PARtes templi.

2. Paralip. 3. ℣. 4.

bitos viginti, quanta erat latitudo domus. Sed non hoc tantum significare voluit Sacer historicus, sed & id quod ad fabricae rationem spectat, positu ex aequo respondisse longitudinem vestibuli latitudini domus, quia nimirum eisdem ductis lineis vtraque terminatur, vt vides in praedicta Ichnographia Sanctuarij, atque in alijs. Qui sane indicatus à Sacro historico responsus multa confirmat, quae tum in superioribus, tum vero in inferioribus nos docuit ratio fabricae, atque responsus; eademque latitudinem quoque vestibuli probat, de qua est maior difficultas. quippe quae decem cubitis definitur in libris Regum, in Paralipomenis subticetur, apud Ezechielem vndecim cubitorum esse perhibetur, consentiente Hebraeo, Chaldaicoque codice: quamuis Septuaginta interpretes in Complurensi, Regio, ac Sixtiano, duodecim scribant. In quodam Basiliensi Graeco, decem legimus, hunc autem corruptum esse crediderim, temerario fortasse librarij ausu, quod videret in reliquis mensuris cum Sacris historicis consentire Prophetam nostrum, hac vna mensura dissentire, atque ab eo Septuaginta interpretes. Verum triplex eiusmodi mensura vera est in eadem vestibuli latitudine non eadem ratione computata. Nam iuxta architectutae praecepta, ornatissimam fuisse hanc interiorem partem vestibuli probat, id quod post enumeratas eius mensuras, subiungit historia Paralipomenon: *Et deaurauit*, inquit, *eam auro mundissimo*. vel, vt habent Graeca, auro puro. Verum & in hoc quoque, aut illo eligendo ornamenti genere cum quamplurima videatur suppeditare architectura, Prophetam ducem sequimur, atque Angelum, quem ipse sectatur, cuius hortatu parastades quasdam in ipsis vestibuli angulis perfectissimum ornamenti genus apposuimus, quatuor simul latas cubitos, vt reliquis domus essent sicut altitudine, ita & latitudine pares. has porro in angulis complicauimus, ita vt earum altera pars duorum cubitorum murum alterum exornaret, altera ipsi par, alterum. Has vero parastades sicut ceteras circa domum, cubitum vnum extra muri perpendiculum proiecimus, obseruata iampridem a Romanis quartae latitudinis partis proportione, atque alia firmiori, quàm radices lineae initio à nobis ductae pro atriorum dimensionibus constituendis nobis demonstrant. His igitur in ipsa Ichnographia à lectore bene perpensis, facilis erit loci explanatio: nam murus exterior, vel postes vestibuli, quos quinque cubitis mensus fuerat Angelus, a muro templi binos distat calamos, distantia, quam illis praestant radices, quas dixi lineae. easque significare voluerunt Septuaginta interpretes, duodenos cubitos pro binis calamis historicorum more scribentes: proijciuntur E autem extra has lineas antae angulares binis cubitis, singulae, vt dixi, singulis. Superest igitur inter antas latitudo ab Oriente in Occidentem, cubitorum decem cum dimidio: hunc vero numerum, qui integro constat numero, & parte; cum partium raro soleant mentionem facere historiae, liberum fuit vel à minori nominare, vt fecit historicus, decem scribendo. vel à maiori, vt fecit Propheta, vndecim referendo, quoniam aeque distat ab vtroque. Ex hac vero mutua dissidentium locorum tam manifesta consensione, quam multa quoque alia argumentis ex ipsa ratione aedificij desumptis, licuit confirmare,

POSITV RESPONDET EX AEQUO LONGITUDO VESTIBULI LATITUDINI DOMUS.

VARIAE mensurae latitudinis vestibuli datae quomodo sint accipiendae

Ibid.

BINOS CAlamos distant postes vestibuli à muro templi.

A sed illis breuitatis studio consulto praetermissis. efficax videtur posse colligi argumentum, quo veritas nostrae delineationis confirmetur, cum tam variae eiusdem latitudinis dimensiones, decem, vndecim, & duodecim cubitorum vix possint alia ratione conuenire, neque huic inesse cum alijs, aedificio, nisi illius quod ab Ezechiele describitur, & ab historicis Sacris refertur, ipsissimam referret formam, easdem proiecturas, ac dimensiones omnes. Sed haec insinuanda à nobis semel sunt, pluribus locis diligentius à Lectore perpendenda. quae de latitudine vestibuli dicta sufficiant. Et de longitudine nihil aliud videtur addendum, quàm quòd ea sit inter angula-
B res parastades dimentienda: viginti enim cubitos ab inuicem distant ab Aquilonaribus Australes. De altitudine vero vestibuli manebit hic firmum, vniuersam centum viginti cubitis computari. eius partes, atque ornamenta infra suis locis sunt exponenda.

HOC EST aedificium ab Ezechiele, & Sacris historicis descriptum

VESTIBVLI altitudo centum viginti cubitorum fuit.

Sed priusquam ad vlteriora progrediamur, videndum est quàm breuissime, quid de huiusmodi vestibuli mensuris senserit Iosephus. Is de Salomonis templo agens sic scribit: Et vestibulum in aditu eius erat viginti cubitorum longitudinis, secundum mensuram latitudinis templi, latum cubitos decem, surgens in altum cubitos centum viginti. Quae omnia veluti repetita sunt sacrae
C Scripturae verba. At alibi nisi librariorum ignauia omnes numeri corrupti sint, Chimeram potius fingere dicas, quam verum, aut proprium architecturae corpus. Prima, inquit, eius porta septuaginta cubitos alta erat, & vigintiquinque lata, neque fores habebat &c. quis enim credet domum, quam paulo inferius latam fuisse dicit ipse Iosephus cubitos viginti, fores in porta habuisse latas cubitos quinque supra viginti, domum vero altam cubitos triginta, fores habuisse cubitorum septuaginta? Vero similia sunt quae Rabbi Dauid scripta reliquit: frontem enim vestibuli vtramque dimensam fuisse considerans quinque cubitis: In templo quoque secundo, in-
D quit, sic erat: legitur enim sic: Murus vestibuli erat quinque, & vestibulum vndecim, idest cubitorum, nisi quòd in vestibulo secundi templi non erant latera portae ad Aquilonem, & ad Austrum, nam latitudo portae erat viginti cubitorum. iuxta latitudinem vestibuli, longitudinem corrigo. Haec ad confusionem eorum dicta sint, qui Herodianum templum Salomonico praeferunt: qui enim ab ordinato aedificio instam sustulerit magnitudinum proportionem, vel maiora faciat, vel minora, semper proportionem corrumpit, & gloriam surripit, quae architecturae aedificio maxima est. Sed de his aliàs.

Ioseph 8. antiq cap 2.

Rabbi Dauid in comment.

SECVNDI templi vestibulum portae ornamentis caruit, & firmamentis

DE

DE TEMPLI GRADIBVS, EORVMQVE cum stylobatarum altitudine collatione.

Cap. XLVII.

S. Hieron. GRADVS vestibuli.

E*T octo gradibus ascendebatur ad eam.* Sanctus Hieronymus: Id est, ad portam interiorem. B scientibus Hebraeam linguam facit magnam difficultatem. Denique Symmachus, quem in hoc loco sequuti sumus, octo gradus posuit. Septuaginta, decem: Theodotio & Aquilae secunda editio, vndecim: prima autem nullum numerum posuit, sed absolute ait: Et gradibus in quibus ascendebatur ad eam: vt vel iuxta consuetudinem priorum portarum octo intelligamus gradus, sicut intellexit & Symmachus; vel certe quos habebat porta interior, quorum numerum Scriptura non dixit. Quam autem interiorem portam vocet hic Sanctus Hieronymus, vix possumus conijcere. C nam binae interioris templi portae, quarum alteram denis, senis alteram definit Vates, nullis gradibus ascendebantur, aedificij id dignitate poscente. accedit quòd nullam ibi graduum mentionem facit Scriptura: cum hoc loco contra, quamuis graduum numerum Hebraea non expresserint, referunt tamen aperte gradus ibi conscendendos fuisse ingredienti priorem portam vestibuli. Horum autem graduum vestigia vides in vestigio Sanctuarij, de quo paulo ante dicebamus, esse nunc quidem ob oculos habendum. Hebraea sic ad verbum retulit Regius codex: Et in gradibus quibus ascendent ad illud. Chaldaea. Et per gradus ascendebant ad illud. Septuaginta in Sixtiano codice: Et D super decem gradus ascendebant ad illud. Rabbi Salomon: In gradibus, inquit, erat via, per quam ascendebatur ad illud. sicut legitur: inter vestibulum & altare erant viginti duo cubiti, & duodecim gradus erant ibi: altitudo gradus erat dimidium cubiti. Rabbi vero Dauid. Vidi eum, Angelum inquam, mouentem se in gradibus, per quos ascendebatur ad illud. & non dicit, quot fuerint. De aedificio vero secundi templi legimus in tractatu mensurarum: Et duodecim gradus ibi erant: altitudo gradus erat dimidium cubiti. Iosephus Rabbinorum sententijs insistit: Ipsum vero templum, inquit, de Herodiano loquens, in medio positum, hoc est, fanum sacro- E sanctum duodecim gradibus ascendebatur. Lyranus numerum *octo*, negat esse de textu, cum in Hebraeo non habeatur, & putat probabiliter conijci posse fuisse quindecim, quot fuerunt, inquit, in templo Salomonis. Hae sunt variae Doctorum sententiae de graduum numero, mensura, diuersis temporibus, atque similibus. in quibus nonnulla obiter dicuntur, in quibus secundum templum à priore distabat, quae à nobis quoque obiter insinuanda sunt.

R. Salomon in comment.

Rabbi Dauid in comment.

Ioseph. 6. bel li. cap. 6.

Nicolaus de Lyra.

QVO DIffer. secundi temp. gradus à gradibus prioris.

Et primum, vt ab imis procedamus ad summa, nobis non licet, nec licuisse putamus Lyrano à Latino textu reijcere quidquid in Hebraeo A non habetur, id enim esset plus auctoritatis Hebraicae, quàm Latinae Vulgatae editioni tribuere, quod nostra tempestate pio viro indignum esse perspectum erit cuicumque, qui decretum Concilij Tridentini de Canonicis Scripturis vel semel legerit. quapropter quam affert de quindecim gradibus templi Salomonis, leuis est coniectura, cum illi in atriorum portis numerentur, in vestibulo vero à nullo alio, quod sciam, eiusmodi numerus computetur. Igitur iuxta Vulgatam editionem, graduum octonarium numerum ante vestibulum excitauimus in platea illa viginti cubitos lata, quae vniuersum circumquaque templum ambire memoratur infestius: quibus B quidem octonis gradibus ad portam ascenditur, vel ad ipsum vestibuli introitum. At quoniam reijcienda minime videbatur Septuaginta interpretum lectio, quae Beato Augustino magnae auctoritatis est, binos alios gradus excitauimus in ipso introitu vestibuli, in anteriorum parastadum cubitali proiectura, vt vides in vestigio Sanctuarij, ita vt omnes gradus ad vestibulum vsque ascendendi deni sint, quot videlicet numerantur à Septuaginta interpretibus, octoni vsque ad portam vestibuli, quot numerantur à Vulgatae editionis interprete. Ex quo fit, vt omnes gradus in templo Salomonis, à pauimento atrij gentium, ad pauimentum ipsius Sanctuarij compu- C tentur quinque & viginti, quacumque porta, vel parte ascendantur. fuerunt enim septeni in singulis portis atrij exterioris, octoni in portis atrij interioris, ac demum, vt dixi, deni in vestibulo templi. Atque his omnibus gradibus aequalem esse exteriorum stylobatarum altitudinem initio confirmabamus. Sunt autem stylobatae alti calamum vnum, hoc est, cubitos sex cum quarta cubiti parte, qui omnes cubiti si in quartas diuidantur partes, efficient simul quinque & viginti quartas cubiti partes, ac tantumdem altos fuisse singulos gradus certum erit ac firmum. atque hanc fuisse aptissimam altitudinem graduum, quam sacrae victimae facile conscenderent, ini- D tio quoque propositum fuit, & ostensum. Quod vero Rabbini referunt secundi templi gradus aeque altos, ac latos semicubitum, si perpendas, facile inuenias eos fundamentorum retractionibus aptiores esse, quàm humanis, nedum vitulinis pedibus conscendendis. Accedit huc etiam, quòd in secundo templo, nullum enim tertium in distinguendis gradibus apud Iosephum agnosco, qui auctor esse putatur Herodiani templi. In secundo, inquam, templo nullus certus fuit graduum numerus, aut ordo: in quibusdam enim portis quini, in alijs quindeni, atque hi saepius repetiti leguntur. Illud vero magis videtur esse à veritate alienum, quod tradit Iosephus: Sa- E ctum enim, inquit, vocabatur alterum fanum, loquitur autem de atrio Israelis, & quatuordecim gradibus ascendebatur a primo, nimirum ab atrio gentium, quadratumque sursum erat; & proprio muro circumdatum: cuius exterior celsitudo, quamuis quadraginta cubitis surgeret, tamen gradibus tegebatur, interior autem viginti cubitorum erat: quoniam in altiori loco per gradus aedificata non tota pars interior cernebatur, collie obiecta. Ecce nunc apud Iosephum quindecim cubiti gradibus scanduntur quatuordecim, ita vt singuli gradus, decima quarta parte cubiti cubito sint altiores: quod quis vnquam hominum credat? Haec autem ita esse facile agnosces, si interiorem altitudinem vigintiquinque cubitorum ab exteriore subtraxeris cubi-

Concil. Trid. Sess. 4.

S. Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 14. & alibi.

OMNES gradus templi quinque & viginti fuerunt ab atrio gentium vsque ad Sanctuarium conscendendi.

7
8
10
25

Ioseph. 6. belli. cap. 6.

MANIFEstus Iosephi error.

40
25
15

cubitorum quadraginta. Sed scio quid mihi obijciat Iosephi quisquam, procurator euadens, minores fortasse cubitos vsurpari à Iosepho ijs cubitis, quibus nos templum metimur. Verum is, quamuis hostis esse videatur Iosephi, non tutor, quippe qui quae ipse extollere conatur Herodis aedificia, ita extenuet vt fere collatione priorum ad nihilum redacta esse videantur, tamen pluribus allatis, atque afferendis exemplis infra confirmandum est, eodem cubitorum numero easdem eiusdem templi partes dimensas fuisse à Iosepho, quo à Sacris historicis. atque adeo si magnos esse sacrae Scripturae cubitos compertum est, vt vere iam fuit, eisdem Iosephum mentiri compertum erit. Sed demus quantumuis minima cubitorum mensura vti hoc loco Iosephum, illud tamen negare non possumus, quod certum esse, ac saepius corporis experimento cuiuis comprobatum iri facile poterit, cubitum, humanae staturae quartam partem esse: at quis quaeso quatuordecim simul gradus cubito altiores ascendere, aut descendere, sine maximo incommodo, & cadendi periculo possit?

In eo quoque maxime diuersum est secundum, à priori templo, si Rabbinis habenda est fides, quod duos & viginti cubitos inter vestibulum & altare constituunt, cum in templo Salomonis longe maior mensura distantiae reperiatur. Atrium enim interius, vt vidimus, quauis dimensione centenos patet cubitos, dimidium eius quinquaginta. altaris vero quadrata forma viginti cubitorum fuit; fuit autem in medio positum, vt dixi. Quare supersunt ab altari ad vsque peribolum Occidentalem atrij, cubiti quadraginta. inter peribolum porro, & vestibulum templi platea est viginti cubitos lata, vt infra ostendendum est ex quo fit, vt spatium omne inter vestibulum & altare relictum cubitorum fuerit sexaginta, fere triplo maior eo, quod assignatur à Rabbinis in secundo templo.

INTER vestibulum, & altare sexaginta cubiti computantur.

DE AEREIS TEMPLI COLVMNIS.

Cap. XLVIII.

ET columnae erant in frontibus, vna hinc, & altera inde. Hebraice ועמודים אל האילים veghamudim el haelim, & columnae ad postes. Vsus est autem hoc loco Propheta voce propria עמודים ghamudim, columnas has distinguens à reliquis, quas hactenus enumerauerat: vel potius columnas distinguens à postibus. Deducitur autem haec vox à radice עמד ghamad, quae stare significat, inde עמוד ghamud, quasi dicat, statua, quòd in altum stet erecta, siue quòd subsistat, fulciatque domum, cui substat. differtque à voce איל el, quae postem significat, aut columnam muro adpactam, vox ghamud stantem columnam, quae muro non adiacet significans: siue ea rotunda sit, siue quadrata, siue alia quacumque forma. Huius porro vocis notio lucem afferre videtur historiae Exodi, quae sic habet: *Dominus autem praecedebat eos ad ostendendam viam per diem* בעמוד beghamud, *in columna nubis, & per noctem* בעמוד beghamud, *in columna ignis.* Dicitur autem columna, eo quod staret, quamuis non subtilioris alicuius columnae formam gereret, sed nubis quammaximae, quippe quae interdiu vniuersum populum à Solis iniurijs protegeret in deserto, noctu vero à tenebrarum caligine. *Nubes illa*, inquit sapientia, *quae castra obumbrabat*: de qua aptissime Sanctus Isidorus: Nubes, inquit, ista praecedens, Christus est, idem etiam columna: quia rectus & firmus, & fulciens infirmitatem nostram, per noctem lucens, per diem non lucens &c. Ex dictis igitur colligimus, has columnas à muro exstantes conspectas fuisse à Propheta post emensam vestibuli longitudinem, ac latitudinem, hoc est, cum oculos atque iter dirigeret in templi portam mox dimetiendam. Has igitur duas columnas in frontibus, vel ad frontes fuisse appositas affirmat Propheta, nimirum è regione parastadum angularium, quae erant circa portam templi, vna in angulo Meridiano, altera in Aquilonari, vt vides in vestigio Sanctuarij. Quod plane testatur Rabbi Dauid: In frontibus, inquit, nimirum quas dixit esse vestibulo hinc, & inde, dicit duas columnas illic vidisse. Has autem columnas haud alia ratione positas fuisse affirmat Lyranus ab ea, qua binae aliae aereae columnae positae fuerant in porticu à Salomone primo templi conditore. Rabbi vero Salomon: Columnae in frontibus, inquit, idest loco Iachin, & Boghaz, quae erant in primo templo.

COLVMNA ad frontes quomodo fuerint.

Exodi 13. ℣. 21.

Sap. 19. ℣. 7.

S. Isidor.

COLVMNA nubis, & ignis quae.

COLVMnae Hebraica agnominatio.

Rabbi Dauid in comment.

Nicolaus de Lyra.

R. Salomon in comment.

Harum meminit historia Regum. *Et statuit*, inquit, *duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dextram; vocauit eam nomine Iachin similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz.* Et in libro Paralipomenon: *Ante fores etiam templi duas columnas* &c. & iterum. *Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, vnam a dextris, & alteram à sinistris: eam quae à dextris vocauit Iachin: & quae ad laeuam Booz.* Quae omnia sapientissimi architecti maximam curam indicant positam in vna Sanctuarij facie exornanda. Non enim satis esse duxit, politissimis affabreque elaboratis antepagmentis ostium & reliqua candidissimo marmore exornare, ac omnia aureis laminis superuestire: verum etiam aeneis auratis solidissimis, maximisque columnis appositis fabricam vniuersam non tam exornare, quam magnificare, & efficere quodammodo admirandam. Accedit huc etiam quòd propter suauissimam partium symmetriam non minus oculorum aciem demulcebant, quàm suauis vocum concentus aures solet perstringere. nam quod ad operis subtilitatem spectat, omnem superare videtur cogitandi, nedum dicendi, aut scribendi facultatem. Cuius rei argumentum esse poterunt perfectissima illa Ecclesiae ornamenta & firmamenta, quae huiusmodi columnis indicantur. Sanctus enim Hieronymus de eis sic scribit Octo, inquit, siue decem gradibus, qui perfectus est numerus, aut vndecim, de quo iam diximus, ascenditur ad portam Sanctorum: in cuius frontibus columnae erant, vna hinc, & altera inde. Non dixit, duae, ne in dualem incurreret numerum, sed vna & vna, qui perfectus est nume-

3. Reg. 7. ℣. 21.

2. Paralip. 3. ℣. 15.

Ibidem.

COLVMnae aereae templi.

S. Hieron.

numerus, & vnione sui imitatur Deum. Istae autem erant columnae duae, de quibus & in Apocalypsi dicitur: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur.* Et Petrus, ac Ioannes columnae appellantur Ecclesiae, per quos ingredimur ad Sancta Sanctorum, & quorum doctrina ad Christum noster introitus est. Haec Sanctus Doctor. Cuius sententiam venerabilis Beda, & Glossa, Eucherius, & Angelomus totidem plane verbis alter ab altero mutuatis persecuti sunt. Eae sunt columnae, inquiunt, de quibus Paulus ait: *Iacobus, & Ioannes, & Cephas, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabae societatis, vt nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Quibus verbis quasi exponere videtur mysterium columnarum materialium, & quid videlicet figurauerint, & quare duae sint factae. Apostolos namque, & Doctores Sanctos spirituales significant, fortes nimirum fide & opere, & contemplatione ad superna erectos. Duae sunt autem vt & Gentes, & circumcisionem praedicando in Ecclesiam introducant. Stabant in porticu ante fores templi, & ingressum illius suo decore, ac pulchritudine ex vtraque parte mirabiliter ornabant. Ostium autem templi Dominus est, quia nemo venit ad Patrem nisi per ipsum. Et sicut alibi dicit: *Ego sum ostium, Per me si quis introierit, saluabitur.* Quod videlicet ostium columnae ab vtroque latere coram positae circumstant, cum minister sermonis vtrique populo introitum regni caelestis ostendit; vt si à luce scientiae legalis quisque, seu ex rigore gentilitatis ad fidem Euangelij venerit, habeat paratos eos, qui sibi iter salutis & verbo demonstrant, & exemplo. Vel certe, quia de eis columnis in libro Paralipomenon ita scriptum est: *Ipsasque columnas posuit in vestibulo templi, vnam a dextris, & alteram à sinistris.* Ideo factae sunt duae columnae, atque ita dispositae, vt nobis & in prosperis, & in aduersis ingressum patriae caelestis ante oculos mentis habendum esse doceant. Haec illi. Verum cum de his columnis vberius Sacrae literae loquantur, idque non vno aut altero in loco, sed pluribus, ita vt earum ornamenta, partes, mensurae, reliquarum omnium partium velut norma esse videantur, ea non decuit in huius capitis calcem cogere, sed propria instituta disputatione tractare. & de columnis, atque de vniuersi templi columnationibus agendum est. At quoniam non pauca, quae de his dici posse viderentur, ex illis omnino pendent, quae sequenti Prophetae capite dicenda sunt, ideo post absolutam Prophetae libro quarto explanationem, dictam subijciemus quinto libro disputationem. Ex qua hic aliqua supponenda sunt ibidem demonstranda. Sunt quidem harum columnarum diametri singuli duorum cubitorum, quantae sunt frontium, vt vidimus, omnium portarum atriorum. Porro columnarum, circumferentia, singularum, senum cubitorum fuit, vtriusque duodenum: altitudo columnae cum basi & capitulo, cubitorum fuit viginti, quae eadem fuit frontium atriorum: coronamenta, hoc est, epistilia, zophori, coronices simul sumptae cubitorum quinque, quanta nimirum est primae trabeationis altitudo, atque adeo primae columnationis cum sua trabeatione altitudo quinque & viginti cubitorum fuit, citra stylobatam, hoc est, calamorum quatuor. Quae omnia suis locis inferius, Deo dante, confirmabuntur.

Margin notes: Apocalyp. 3. ℣. 12 — APOSTOLI columnae quare dicantur. — Beda de templo cap. 8. Eucherius, & Angelomus in libros Regum — Galat. 2. ℣. 9. — COLVMNAE quare duae. — Ioan. 14. ℣. 6. — Ioan. 10. ℣. 9. — 2. Paralip. 3. ℣. 17. — AENEARVM columnarum mensurae, reliquarum omnium norma sunt.

LIBRI TERTII SECVNDAE PARTIS

EXPLANATIONVM IN EZECHIELIS PROPHETAE

CAPVT QVADRAGESIMVM

FINIS.

EZECHIELIS PROPHETAE CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

ARGVMENTVM.

Templum Domini ingressus Propheta, eius partes, ornamenta, mensuras, instrumenta percenset.

EZECHIELIS PROPHETAE CAPVT XLI.

I. *ET introduxit me in templum.*

Et mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos latitudinis inde.

Latitudinem tabernaculi.

II. *Latitudo portae decem cubitorum erat.*

Et latera portae quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde.

Et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.

III. *Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portae duos cubitos.*

Et portam sex cubitorum; & latitudinem portae septem cubitorum.

IIII. *Et mensus est latitudinem eius viginti cubitorum, & latitudinem eius viginti cubitorum, & dixit ad me: Hoc est Sanctum Sanctorum.*

V. *Et mensus est parietem domus sex cubitorum.*

Et latitudinem lateris quatuor cubitorum.

VI. *Latera autem, latus ad latus bis triginta tria.*

PARAPHRASIS.

ET introduxit me in priorem partem templi, quae dicitur Basilica, aula, atque templi nomine plerumque censetur: quòd anterior, quòd firma, quòd Dei cultui destinata, quòd pulcherrima, quòd diuinis praesidijs insignis ob ibidem collata populo Dei beneficia.

Et mensus est vtrumque portae postem dextrum, atque sinistrum, & vniuscuiusque latitudinem ab Oriente in Occidentem sex cubitorum.

Quanta nimirum erat superliminaris latitudo, & parietis Sanctum à vestibulo diuidentis crassi-
C tudo.

Limen portae latum erat cubitos decem, quàm latum fuerat olim Mosaicum tabernaculum.

Et reliqua muri pars ab ostio vsque ad angulos interiores domus, quinque fuit cubitorum ex alterutra parte, aperiebatur quippe porta in media domo Sancti.

Et aulae sanctae longitudinem quadraginta cubitorum mensus est, & latitudinem viginti; quanta a Salomone obseruata fuit: dupla nimirum latitudinis longitudine, quae maxime ab antiquis probatur.

Et deducens me ad adyta, mensus est postem
D vtrumque portae, hoc est, crassitudinem muri concludentis oraculum, duorum cubitorum: vel parastades latus vtrumque portae exornantes.

Ostium quoque portae mensus est sex cubitos latum, & humeros, siue latera portae, hoc est, muri partes quae ab ostio extenduntur ad angulos interioris domus, septem cubitorum.

Et mensus est oraculi latitudinem viginti cubitorum, eiusque longitudinem viginti cubitorum, cuius altitudo quoque viginti cubitorum fuit: & dixit mihi: Hoc est Sanctum Sanctorum; quod Domus interior dicitur, & Adytus, quasi absque introitu, & Domus animae, in qua vna eius spes firma quiescit. Dicitur & Oraculum, siue
E responsum, aut loquutorium Dei. ac tandem Sanctum Sanctorum, hoc est, sanctissimus locus, semotus à communi & vulgari, quòd supremum caelum referat, vbi Christi Summi Sacerdotis oblatio fit.

Et mensus est crassitudinem parietis templi sex cubitis: huius vero parietis longitudinem, & altitudinem tunc definiet, cum similes domus mensuras percensebit.

Latera, anterides, siue antas, vel pilas mensus quoque est, & vniuscuiusque latitudinem comperit esse quatuor cubitorum.

Latera vero bina sibi inuicem respondentia à pariete domus proijciuntur pedes tres & triginta, hoc

ta,hoc

ta, hoc est, cubitos duos & viginti. Singula pro- A
ijciuntur cubitos vndenos.

Et retractiones quasdam fecit in ipsis lateribus domus, in quibus trabes & tabulata cubiculorum domum circumdantium ponerentur, ne opus esset ipsos templi parietes fodere, vt continere possent trabes, quas non decuit templi parietem contingere, nedum illi insistere.

Et aditus, vel ostium inferiorum cubiculorum patebat ad cochleam, qua ad media, & superiora cubicula ascendebatur: quae quidem cubicula vniuersam propemodum domum circumibant.

Et spatium fiebat maius sursum ascendendo ad cameras, atque adeo cubicula inter costas, si- B
ue parastades latiora erant quo superiora.

Ascendebatur enim ad superiora cubicula per media, & ad haec per inferiora.

Et vidi interiores costarum retractiones, quibus trabes, & tabulata fulciuntur, ipsaeque parastades muniuntur, erantque in vniuersum singulae retractiones altae calamum vnum sex cubitorum, & palmi omnes simul cubitos viginti.

Et lapideus paries, qui costas & cubicula claudebat extrinsecus, latus erat cubitos quinque.

Totidemque latus erat locus ille inter costas relictus, qui in cubicula deinde tributus secundum longitudinem fuit: qui quidem locus & pro C
aestuarijs fuit, & vt in eo sacra vasa asseruanda reponerentur.

Et platea quaedam viginti cubitos lata erat inter gazophylacia atriorum, & praedicta cubicula: quae quidem platea aeque vndique lata totam domum cingebat ab Oriente, Meridie, Occidente, & Aquilone.

Et praedictus locus qui derelictus dicebatur, & in varios vsus deputatus erat, potissimum ad orationem, animi requiem, & Dei munera suscipienda deputabatur, ad quem & ab Austro, & ab Aquilone patebat aditus, apertis ostijs a lateribus vestibuli, & in pariete Aquilonari, & in Australi exterioribus. Et a proprijs ostijs in ipsis costis, D
vel antis apertis, alia ab Austro, alia ab Aquilone aperiebatur, quarum facies ad Orientem respiciebant, in binis illis cubiculis, quae mutatoria saepius appellantur.

Et praedicti loci, siue cubiculorum latitudo fuit quinque cubitorum: tot enim distat ab interiori domus pariete exterior costarum.

Et huiusmodi orationis locus, qui a latere Meridiano, & Aquilonari templi extructus latus erat, hoc est extendebatur ab Oriente in Occidentem cubitos septuaginta.

Huius vero loci exterior paries, qui domum vndique cingebat, latus erat, vel crassus cubitos quinque, altus vero cubitos nonaginta.

Quam domum singillatim & per partes metitus fuerat, nunc in vnam summam colligit, eiusque longitudinem ab Oriente in Occidentem centenario, hoc est perfecto, cubitorum numero, definit. Nam ipsa domus longitudo, & orationis locus, & parietes, omnia simul sumpta longitudinem complent centum cubitorum.

Et platea quaedam, quae iacebat ante faciem domus, hoc est, eius celeberrimi atque eximij aedificij, quod separatum propterea dicitur, & Orientem respicit, longa erat cubitos centum: huius vero plateae latitudinem paulo superius viginti cubitis definierat.

Et erant eminentia, quae ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, vt continerent, & non attingerent parietem templi.

Et platea erat in rotundum, ascendens sur- VII.
sum per cochleam, & in coenaculum templi deferebat per gyrum.

Idcirco latius erat templum in superioribus.

Et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.

Et vidi in domo altitudinem per circui- VIII.
tum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio.

Et latitudinem per parietem lateris forin- IX.
secus quinque cubitorum.

Et erat interior domus in lateribus domus.

Et inter gazophylacia latitudinem viginti X.
cubitorum in circuitu domus vndique.

Et ostium lateris ad orationem: ostium v- XI.
num ad viam Aquilonis, & ostium vnum ad viam Australem.

Et latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu.

Et aedificium, quod erat separatum, ver- XII.
sumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum.

Paries autem aedificij quinque cubitorum latitudinis per circuitum: & longitudo eius nonaginta cubitorum. E

Et mensus est domus longitudinem centum XIII.
cubitorum: & quod separatum erat aedificium, & parietes eius longitudinis centum cubitorum.

Latitudo autem ante faciem domus & eius, XIIII.
quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum.

XV. *Et mensus est longitudinem aedificij contra faciem eius, quod erat separatum ad dorsum: ethecas ex vtraque parte centum cubitorum.*

A Et mensus est interioris atrij quadratam illam aream, quae domum Domini cingebat: vel potius postes, vestibula, & porticus, quae triplici ex latere Occidentali, Meridiano, & Aquilonari domui opponebantur. Mensus est itaque, inquit, longitudinem porticus Occiduae, quae respiciebat Occidentale posticum domus, necnon porticus Meridianas, & Aquilonares, quae erant ex vtraque parte domus, centum cubitis, erat enim areae huiusmodi aequa longitudini latitudo centum cubitorum.

Et templum interius, & vestibula atrij.

Atque adeo templum interius mensus est, & atrij vestibula.

XVI. *Limina, & fenestras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes.*

Atrij porticus, cedrinis contectae desuper
B laquearibus, quae laquearia limina dicuntur, inferius cancellis claudebantur in Romborum morem obliquis, non quadratis angulis perforatis: & atrij postes, siue ethecae triplici ex latere cingentes templum,

Contra vniuscuiusque limen.

Postibus domus respondebant ex aduerso non quidem temere, sed singuli singulis postibus, singula limina, vel tabulata singulis tabulatis.

Stratumque ligno per gyrum in circuitu.

Postes vero domus, vel parastades operiebantur tabulatis cubiculorum in circuitu trium laterum Meridiani, Occidentalis, & Aquilonaris.

Terra autem vsque ad fenestras.

Huiusmodi autem tabulata parastadas operiebant à terra vsque ad fenestras domus, hoc est, vsque ad altitudinem viginti quinque cubito-
C rum. Vel, & solidus paries erigebatur vsque ad fenestras domus, quae super altitudine quinque & viginti cubitorum aperiebantur in pariete Meridiano, & Aquilonari.

Et fenestrae clausae.

Fenestrae vero templi, quae super huiusmodi pariete aperiebantur, ab eodem ita abscondebantur, vt ex atriorum pauimento inferiori videri non possent.

Super ostia.

Et fenestrae clausae triplici operimento, cancellis, valuis, atque aulaeis, aperiebantur super altitudine ostij Orientalis domus: per parietes exterioris domus vsque ad parietem interioris; nam in interiori domo fenestrae non erant, atque in eadem altitudine procurrebant, tum in
D parte interiori domus Meridiana, & Aquilonari; tum in exteriori costarum & cubiculorum.

XVII. *Et vsque ad domum interiorem, & forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & forinsecus ad mensuram.*

Vel intrinsecus, idest, in interiori domo Sancti Sanctorum, & forinsecus in exteriori Sancti ad mensuram operiebantur omnia tabulis eiusdem mensurae: in quibus

XVIII. *Et fabrefacta Cherubim & palmae: & palma erat inter cherub & cherub, duasque facies habebat cherub.*

XIX. *Faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu.*

Insculpebantur imagines Cherubinorum, atque palmarum, ita ordine dispositorum, vt inter binos quosque Cherubinos palma vna statueretur, inter binas quasque palmas vnus Cherub. Cherubini autem vniuscuiusque dispositio ita erat, vt è quaternis, quibus constabat animalium formis humanam ad palmam conuerteret ex parte vna, leoninam ad palmam alteram ex parte alte-
E ra. Nam alis, quae tertia dicitur facies, vtramque palmam ex aequo tangebant, vitulinis pedibus, quae quarta dicitur facies neutram palmam, sed ipsum pauimentum contingebant. Atque hac eadem, quam dixi, dispositione expressa erat domus circumquaque vniuersa; ita vt in Sanctuario octoni computarentur Cherubini, in quaternis parietibus. & duodeni, si eisdem annumerentur quaterni, qui arcam circumstant. Ac duodeni item in exteriori domo, vt omnes Cherubini templi quatuor & viginti fuisse credantur.

XX. *De terra vsque ad superiora portae, Cherubim, & palmae caelatae erant in pariete templi.*

Quantum erigebatur Orientalis portae lumen, vel ostium, tantumdem à terra parietes templi & oraculi insculptis Cherubinis, ac palmis,

vt dixi, exornabantur. hoc est, in altitudine cu- A bitorum viginti.

Aulae vero sanctae, quae quadrata erat, non fornicata, postis vterque latus erat quarta parte latitudinis portae: vnusquisque octaua: latus enim erat cubitum cum quarta cubiti parte. Superliminare vero eiusdem mensurae, quod primi ordinis atriorum epistilijs aeque libratum erat, epistiliorum mensuram, & ornamenta definit.

Et Sancti Sanctorum, & Sancti facies, quippe quae ad eandem spectabant caeli regionem, & eodem aspectu videri poterant, erant omnino similes dispositione, ornamentis, incrustaturis: vna symmetria dispares, cum huius antepagmentum B vtrumque ex quarta, illius ex quinta latitudinis portae factum fuisse dicatur.

Altare vero, quod ex erectis quaternis quadratis tignis, alijsque in summo, & in imo connexis quasi ex ossibus contexuit Salomon, ac cedrinis tabulis vndique conuestiuit, aureisque demum laminis contexit, altum erat cubitos tres, longum aeque ac latum cubitos duos.

Ex dictis autem quatuor angularibus tigillis cornua erigebantur lignea, lignei namque erant altaris parietes, basis, anguli. Quae omnia auro purissimo vestiebantur, addita desuper aurea craticula pro foco.

Et dixit mihi qui me ducebat Angelus: Hoc C altare, quod in conspectu Dei semper manet, mensa dicitur, quippe cui sacer ignis, & suaue spirans suffitus imponitur. Vel sensus est absoluta altaris enarratione ad dextram altaris conuersus ductor meus dixit mihi: Haec est mensa panum propositionis, qui sic appellari solent, quòd coram Domino proponantur, non inde auferendi, donec eorum loco alij proponantur calidi.

Sancti & oraculi ostium vnumquodque binis claudebatur foribus.

In quarum singulis ex vtraque parte ostij singula ostiola aperiebantur in vtrisque bina, quae ostiola suis quoque foribus claudebantur: aper- D tis enim maioribus valuis minores quoque aperiebantur, atque vnà cum illis claudebantur, quamuis clausis maioribus facile minores aperirentur. bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum, ex alterutra singula.

Et in tympanis valuarum opere sculptoris eminebant figurae Cherubim & palmarum illis omnino similes, quas in parietibus templi expressas fuisse retulimus.

Et pulchrum quidem ornamenti genus Orientalis templi fronti praestabant capita trabium, quae in zophoris conspiciebantur exterioribus.

Et fenestrae cancellis occlusae, quibus lumen coenaculis templi inducebatur, super huiusmodi E zophoris conspiciebantur.

Et capitella sculpta ad modum palmarum erant in parastadis angularibus ex vtraque parte vestibuli: capitella, inquam, illis capitellis similia, paria, & aeque librata, quae domum vniuersam cingebant, & omnes eius vndique parietes.

Limen quadrangulum. XXI.

Et facies Sanctuarij, aspectus contra aspectum.

Altaris lignei trium cubitorum altitudo: & XXII.
longitudo eius duorum cubitorum.

Et anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei.

Et locutus est ad me: Haec est mensa coram Domino.

Et duo ostia erant in templo, & in San- XXIII.
ctuario.

Et in duobus ostijs ex vtraque parte bina XXIIII.
erant ostiola, quae in se inuicem plicabantur: bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum.

Et caelata erant in ipsis ostijs templi Che- XXV.
rubim, & sculpturae palmarum, sicut in parietibus quoque expressae erant.

Quam ob rem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.

Super quae fenestrae obliquae, & simi- XXVI.
litudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli secundum latera domus, latitudinemque parietum.

EXPLANATIO EIVSDEM CAPITIS QVADRAGESIMI PRIMI.

DE PARTIBVS, MENSVRIS, ORNAMENTIS, ALTARI, Candelabris, & mensis domus Domini:

NECNON DE GAZOPHYLACIIS SANCTORVM, ATRIORVMQVE CVLINIS, castellis, quadrata forma, peribolo & altari.

LIBER QVARTVS.

MIRABILI SAPIENTIA, ATQVE ORDINE interius templum describere aggreditur Propheta. Caput I.

ET *introduxit me in templum*. Admirabilis sane fuisse dignoscitur Angeli in dimetiendo templo prudentia: singularis Prophetae in eodem describendo sapientia: plane diuinum Spiritus Sancti in vtroque docendo ac dirigendo consilium. Nam cum omnia, quae de nobilissimo aedificio ostendenda Prophetae, fuerant, nobisque proponenda, non possent simul vel ab eo percipi, vel a nobis: ordine quodam procedendum fuit, vt ab extimis progrederemur ad intima, ab imis ad summa. Qua ratione factum B est, vt praecedenti capite ea persequeretur Propheta, quae ad porticus, portas, & atria spectarent: quae Sanctuarij extima sunt, & veluti additamenta quaedam: hoc vero capite ea tantum exponit, quae ad ipsum Sanctuarium, eiusque partes, mensuras, & ornamenta pertinet. Atque in ipsis atrijs, eorumque porticibus ea tantum proposuit, quae vestigiorum sunt propria, & fabricae velut principia quaedam & fundamenta, quibusdam tantummodo insinuatis mensuris ex ijs, quae ad erectos aedificij parietes, vel ad columnarum ordines spectant: nam de his quae aedificij veluti corpus sunt, sequentibus post primum & quadragesimum caput, capitibus agendum fuit. C Hoc vero capite, quod in medio eorum statuitur, quae de templo sunt, de Sanctuario simul persequitur, & quae ad vestigij prima fundamenta pertinent, & ea quae de erectis frontibus, para-

VESTIGIA aedificiorum.

A statis, atque alijs agenda videbantur. Quapropter in templum introducitur Hebraice ויבאני vaibieni, vox est à verbo deducta בוא bo, quod venire significat, aut introire. Huius verbi notionem indicat superba illa Philistaei ad Dauidem exprobratio, humilis & confidentiae plenissima Dauidis responsio. *Numquid canis sum*, inquit ille, *quod tu venis ad me cum baculo? Dixit autem Dauid ad Philistaeum: Tu venis ad me cum gladio &c. ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* At cum ab extimis venitur ad intima, hoc idem verbum significat ingredi vel cum ad eos acceditur, qui in interiori regiae parte habitare solent, cuiusmodi sunt Principes, Reges, ac Dynastae. B Prioris notionis exemplum est in Genesi, dicente ad Moysen Domino *Et ingrederis arcam tu, & filij tui &c.* Posterioris vero in Exodo, Domino item Moysi praecipiente: *Ingrederis tu, & seniores Israel ad Regem Aegypti.*

VERBVM veniendi quid significet.

1.Reg.17.℣.43.& 45.

Gen.6.℣.18.

Exo.3.℣.18.

Quae quidem Hebraicae phrasis obseruatio mirifice illustrat locum Exodi, quo, nondum extructo tabernaculo, quod ingrederetur Moyses, ingressus dicitur ad Dominum. Sic enim loquitur Sacer historicus de velamine ante faciem posito: *Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israel omnia quae sibi fuerant imperata.* Accedit etiam quod domum ingressi, domestica C peragimus negotia, eandem egressi, forensia. Quapropter Hebraicus sermo vsurpauit, vt ingrediendi praesens verbum verbo egrediendi coniungat, & ea significet quae domi, forisque aguntur: *Omnis autem*, inquit, *Israel, & Iu-*

INGREDI quomodo vsurpetur.

Exo.34.℣.34.

1.Reg.18.℣.16.

INGREDI & egredi. da diligebat Dauid. Ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos. hoc est, optimae praesidium afferebat in omnibus negotijs, domi forisque agendis. Sicut Psalmo: Psal. 120. ℣. 8. *Dominus custodiat*, inquit, *introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in saeculum*. hoc est, assiduo ac numquam defuturo tueatur praesidio, quidquid vbiuis locorum, aut gentium agendum susceperis. Quod optime intellexisse videtur Chaldaeus paraphrastes, prophetice potius quàm deprecatiue eadem enuntians, quasi ad Christum referens hanc, cum reliquis eius Psalmi benedictionibus: Deus enim, inquit, custodiet exitum tuum ad negotiationem: & introitum tuum ad studia legis, ex nunc, & vsque in aeternum. Haec ille. Huius amplissimae benedictionis participes esse voluit idem Christus eos omnes, qui eundem Christum viarum suarum ducem sequuti fuerint. Ioan. 10. ℣. 9. *Per me*, inquit, *si quis introierit, saluabitur*. salutem, inquam, inueniet, ac vitam *ingredietur: & egredietur, & pascua*, & pacem, animique quietem *inueniet*, quaelibet negotia peragendo. Quae quidem vniuersa vocis notio eo spectare videtur, vt nobis indicet Prophetam ab Angelo ad interius Sanctuarium ita adductum fuisse, vt singulas eius partes, interiores potissimum, attentius ac penitus contemplaretur, ab extimis incipiens postibus portae prioris, quam tunc primum ingrediebatur. Sed priusquam in hac re dimetientem Angelum ducem persequamur, tantisper hic pedem figendum esse existimo, & perpendendum quid templi communi nomine hic proprie indicetur.

QVID PROPRIE TEMPLI NOMINE *significet Scriptura sacra. Cap. II.*

HEBRAICA vox Hecal. IN *templum*. Hebraice אל ההכל el hahecal. Est autem ea vox sacris Scripturis frequens, omnibus Scriptoribus notissima: quamuis eius forma, origo, & notio ab omnibus pariter ignoretur. Rabbi Dauid eam esse arbitratur radicem primitiuam quatuor literarum: qua ratione ignorari necesse est, quare sic dicatur. Rabbi Dauid Pagninus. Alij radicem esse putant הכל hacal, & literam י iod, additam ad protrahendam & producendam syllabam. Verumenimuero huius verbi nullus esse videtur Hebraeis vsus: quo perspecto possemus vocis היכל hecal, habere notionem, nisi forte ad literarum metathesim, quam vocant, recurramus, est enim ea Hebraeo sermoni familiaris: atque adeo הכל hacal, idem significare putabimus, quod verbum הלך halach. cuius notio est eadem quae Latinis ambulandi, proficiscendi, aut progrediendi. Cuius vsus est Psal. 1. ℣. 1. in Psalmorum exordio: *Beatus vir qui non abijt*, A discessit, *in consilio impiorum*: hoc est, consilia sequutus impiorum. vel Beatus ille quidem reputandus est, qui nihil progressus fuit, aut qui nullos fecit progressus, in impijs consilijs. Inde nomen deducitur הלך halic, quod iter introitum significat, vel incessum, tum ipsum ingredientis introitum, tum etiam locum introitus. Et cum HECAL id est introitus. voce היכל hecal, aulam, palatium, regiam significari Doctores omnes constanter affirment merito fortasse, & olim in Mosaico tabernaculo, & in templo deinde Salomonico pars templi exterior, per quam intrabatur ad interiorem, sanctissimamque cellam, in qua Cherubinis insidebat diuina Maiestas, eo nomine censebantur.

B Quo forte respexit Psaltes in perdifficili illo Dauidis cantico. Psal. 67. ℣. 25. *Viderunt*, inquit, *ingressus tuos, Deus: ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto*. Ad priorem vocis, quam dixi, notionem reuocare videtur Chaldaeus paraphrastes loci sensum, qui sic habet: PSALMVS de templo. Viderunt domus Israel ambulantem Diuinitatem suam super mare, Deus: dixerunt, Ambulatio Dei nostri imperatiue toti orbi in sanctitate. Hunc quoque sensum fere sequuntur expositores, *Ingressus tuos*, te Deum ingredientem interpretantes: neque incongrue: quadrat enim optime expositio Remigij S. Remigius in Psal. *viderunt ingressus tuos, Deus*: id est, inquit, recognoscent ingressus tuos, qualiter per humanam naturam C mundo innotuisti. Sed neque ab hoc ipso sensu, neque à vero abhorret: quinimmo eum ipso Psalmi contextu conuenire videtur, vt pro הליך halic, intelligatur facta literarum transmutatio היכל hecal, vt sensus sit, *viderunt*, inquam, iam tandem oculi nostri optatissimum Sanctuarium tuum, *ingressus tuos Deus*. Aulam illam Sanctam, quam ingressus est Deus meus, & Rex meus, qui est in Sancto, vt maneret Diuinitatem suam palam faciens, ostentansque potentiam, & regnum suum in interiore, ac Sanctissima templi cella. Hunc autem ingressum Dei esse puto, illud quod alio nomine dicitur Sanctum. Quod cum primum ingrederetur Diuina Maiestas, arcae in- D sidens testamenti, *Praeuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum* &c. Eodem Psal. ℣. 26. ad pompam respicit, cuius supra meminimus. Supra lib. 5. cap 34. Ac tandem petit haec omnia collata beneficia rata fore, atque in aeuum permansura. *Manda Deus*, inquit, *virtuti tuae*, hoc est praecipe potestate tua infinita, cui cuncta subduntur, Eodem Psal. ℣. 32. & 33. *confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: hoc est, vt firma sint opera misericordiae tuae, qua tot, ac tanta in nos contulisti beneficia. *A templo tuo quod est in Ierusalem*: sic enim *tibi offerent reges munera*. fiet profecto vt tibi se subdant Reges ac Principes, qui vniuerso dominantur orbi.

E Chaldaeus quoque paraphrastes de templo arbitratur loqui hunc psalmum, quippe, qui sic ait: Praecipe Deus fortitudine tua, fortis esto Deus, habita in domo Sancta hac, quam fecisti nobis. A templo tuo accipies sacrificia, super Ierusalem Diuinitas tua quiescit, pinguia sua tibi offerent. Quae omnia secundum nuda aut egena elementa minime accipienda esse arbitratus sum, Ephes 4. ℣. 8. huius Psalmi ℣. 19. cum Pauli firmum habeamus testimonium, quo Psalmi huius partem ad Christum retulit. Sed Christi veritatem sub vmbra templi intelligendam PSALMVS vere de Christo sub vmbra templi. esse existimaui, ita vt היכל hecal, siue הליך halic, fuisse intelligatur vterus Virginis, quem ingressum Diuinum Verbum Sanctum illud Sanctorum,

rum, humanum corpus de Virgine inhabitandum assumpsit, quo viuit & regnat Deus in saecula saeculorum. Sed de his alias: satis enim me fecisse praesenti instituto arbitratus sum, si aliqua ratione insinuarem, quomodo vox היכל hecal, ad radicem הכל hacal possit pertinere.

HECAL qua ratione basilicam significet.

Alij porro vocem היכל hecal, a radice deducunt יכל iacol, quae idem valet quod posse, potentem esse, aut praeualere, atque adeo voce היכל hecal, putant significari basilicam, Dominicam, regiam, palatium, in quo Rex aut dominus praepotentem se ostendit: vel potius quod ad regiae maiestatis, atque potentiae ostentationem extructum sit. Huius exemplum videre est apud

Isa. 39. ℣. 7.

Isaiam, Ezechiam, Dei nomine sic alloquentem: *Et de filijs tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis*. Hanc autem prophetiam opere completam fuisse tradit Daniel, eadem vsus voce, quam interpretamur:

Daniel. 1. ℣. 3. & 4.

Et ait Rex, inquit, *Asphenez praeposito eunuchorum, vt introduceret de filijs Israel, & de semine regio & tyrannorum, pueros &c. qui possent stare in palatio Regis*. Atqui vt huiusmodi principum ministerio vtantur Reges in aulis, atque alijs locis ostentui datis, in interiora cubicula solos admittunt eos, qui reliquos dignitate, ac regia beneuolentia longe antecellunt. Sic & in templo Dominus in exteriorem aulam quoslibet admittebat Sacerdotes, idque quotidie, cum semel in annum, vnum admitteret Sacerdotem Summum in Sanctum Sanctorum. Quapropter tum in Mosaico tabernaculo, tum vero in Salomonico templo, exteriorem aulam היכל hecal, dici comperimus: quòd vtraque fuerit omnipotenti Deo velut aula, in qua, aedificij apparatu, auri copia, instrumentorum suppellectile, numero ac pretio, ministrorum dignitate ac sanctitate, maiestatis suae praesentiam, atque potentiam exhibuit, ac declarauit. Nam de tabernaculo sermo est in primo Samuelis libro, dum sic scribitur:

HECAL exteriorem aulam fere semper denotat.

1. Reg. 1. ℣. 9.

Et Heli Sacerdote sedente super sellam ante postes היכל hecal, *templi Domini*. Nam de Salomonis templo non sunt exempla proferenda, cum tot suppetant, vt vix liceat recensere.

Hanc porro vocem Septuaginta Interpretes vertunt, ναὸν naon. Quam vocem templum Latine reddunt Interpretes: eaque vsus fuisse videtur

Vitru. lib. 3. cap. 1.

Vitruuius dum in pronao scribit & postico, pronan vsus pro anteriori porticu templi: quasi dicat pro templo, vel à facie templi. Hac vsus fuisse videtur dicendi ratione Philo:

AVLA Sancta diceretur a Vitruuio pronaum.

Philo lib. 3. de vita Mosis.

Ceterum, inquit, in confinio quatuor & quinque tabularum, columnatum intellige, ad quas interius velum appendebatur, quod proprie dici potest templi vestibulum, velo exteriore interioreque inclusum, ex praedictis tria vasa fuerunt posita: medium altare odoramentorum &c. candelabrum Austrum versus &c. versus Septemtrionem autem mensa. Haec ille. Sed nos ad interpretationem Graecae vocis ναός reuertamur: cuius cum inter Graecae linguae Interpretes aethymologiam quaerimus, nullam prorsus licet inuenire: quae res in eam nos induxit animi coniecturam, vt arbitraremur vocem esse peregrinam ab Hebraea forte lingua mutuatam, vt alia quamplurima. Ea vero quòd prolatione similis esse videatur voci נעם nagham, ablata literae ע gnain, propria asperitate, templum sic dicetur à pulchritudine. Quo respexisse videtur Regius Psaltes, dum impiorum filias templis

TEMPLVM a pulchritudine dictum.

Psal. 144. ℣. 12.

confert: *Filiae eorum*, inquit, *compositae, circumornatae vt similitudo* היכל hecal, *templi* nihil

A enim esse debuit aut decuit aeque ornatum, pulchrum, amabile, ac Dei templum: cum contra luxus, aut, vt ait Sanctus Ioannes Euangelista, oculorum concupiscentia fecerit, vt omnia quae templi propria esse deberent ornamenta, domos exornent, filios aut filias peccatorum: templa plerumque vetustate iaceant, atque obliuione deformia. Sed alijs mores corrigendos relinquamus, nostri instituti est quae de illo antiquo templo memoriae tradita accepimus, breui narratione perstringere. Ad huius forte vocis notionem respexit iterum idem Psaltes, dum Dominum sic interpellat: *Vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus*

Psal. 26. ℣. 4.

B *diebus vitae meae. Vt videam* בנעם beonigham, pulchritudinem Domini, sicut legit Sanctus Hieronymus: vel delectationem Domini, vt exponit Sanctus Augustinus: vel *voluptatem Domini*, vt habent Vulgata. Nam codices qui voluntatem legunt, egent censore. *Et visitem templum eius*. hoc est, locum arcae, vt exponit Chimchius: quasi dicat, vt mihi liceat contemplari pulcherrimam templi aulam, quae Sancta dicitur, & diuinam sedem in oraculo. Quibus sane extremis à me relatis locis vox היכל hecal, non vsurpatur in propria notione, qua exteriorem ac maximam Sanctuarij aulam significat, sed vniuersali, qua totum templum comprehendit.

S. Hieron.

S. August.

TEMPLVM voluptas Domini

Rabbi Dauid Chimchi.

C Sic vero hac vsus est Ieremias, celebri illa Iudaici populi obiurgatione: *Nolite*, inquit, *confidere in verbis mendacij, dicentes*: היכל יהוה היכל יהוה היכל יהוה המה hecal adonai, hecal adonai, hecal adonai, hemmah, *templum Domini, templum Domini, templum Domini est*. Ionathan in Targhum: Ne confidatis, inquit, vobis in verbis Prophetarum mendacij, hoc est, mendacium dicendo, coram templo Domini vos seruitis, coram templo Domini vos sacrificatis, coram templo Domini vos adoratis: tribus vicibus in anno vos conspicimini coram eo. Vanam reprehendit Propheta fiduciam, exteriori tantum Diuino cultui innixam, cui deest interior mentis puritas, timor, veneratio. At Ioseph:

Ierem. 7. ℣. 4.

TEMPLI nomine etiam atria indicantur.

Rabbi Ioseph Chimchi.

D Ne confidatis, inquit, in verbis mendacij, quae dicitis. templum &c. non desolabit templum suum. Et dixit ter templum Domini, eo quòd erant ibi porticus, templum exterius, & oraculum: vocantur autem omnes partes templi היכל hecal, quoniam haec fuit templi maxima pars. Qua ratione exponendus est locus Amos Prophetae: *Et stridebunt cardines* היכל hecal, *templi in die illa*. vel, vlulauerunt cardines templi, vt habet Hieronymus: vel laquearia templi, vt habent Septuaginta, super occisum populum corruentia, vt exponit idem Sanctus Hieronymus. Velut alij ex Hebraeo interpretantur: Vlulabunt, hoc est, in vlulatum vertentur cantica tem-

Amos 8. ℣. 3.

S. Hieron. super Amos.

E pli. Qua ratione locum exponit Chaldaeus quasi a Propheta indicetur fore, vt qui olim canticis ac musicis instrumentis signa dabant laetitiae Deum laudantes, ijdem vlulent ac gemant, maxima oppressi calamitate: atqui cantores, vt vidimus, non in Sancto, sed in atrio canebant, quod hoc loco vocatur היכל hecal. Hac eadem voce vsus est Zacharias, venturum Christum praedicens, & nouum templum ab eo aedificandum: *Ecce vir oriens nomen eius: & subter eum orietur, & aedificabit* היכל hecal, *templum Domino. Et ipse extruet* היכל hecal, *templum Domino &c. Et qui procul sunt, venient, & aedificabunt* בהיכל behecal, *in templo Domini*. Quo loco ter dicitur

Zachar. 6. ℣. 12. & 13. & 15.

aedificandum esse templum Domini, quod Ecclesiam Christi significat, quae semel, & semper aedificatur: vt mirum habeat responsum haec prophetia cum allata Hieremiae obiurgatione. illi enim Hebraei falsa decipiebantur Hierosolymitani templi fiducia, quae certa, firma, & stabilis est eorum, qui Christi templi meruerunt esse participes.

TEMPLI Christi vera fiducia.

LATINIS

TEMPLVM VNDE DICATVR.

Cap. III.

HECAL vertitur templum

Varro lib. 6 de lingua Latina.

SED quae causa Beatum Hieronymum mouerit, vt fere semper vocem היכל hecal, templum vertat, haud difficile erit inuestigare, cum Varronem ab eo lectum fuisse non dubitemus, qui haec scripsit. Templum tribus modeis dicitur, ab natura, ab auspicio, à similitudine ab natura in caelo, ab auspicijs in terra, ab similitudine sub terra. Haec expositio superstitiosa omnino esse videtur, quamuis propositio certa, quippe quae ex sacris Scriptoribus videatur esse desumpta.

Psal. 10. ℣. 3.

CAELESTE, terrenumque templum à similitudine.

Genebrar. in Psal.

Nam caelestis ac terreni templi frequens est mentio: vtrumque templum pariter retulit Psaltes: *Dominus in Templo sancto suo: Dominus in caelo sedes eius*. hoc est, huic atque illi templo insidet, vt nos tueatur: quod ex templi notione mox afferenda, atque ex Psalmi contextu perspicuum est & ita à Genebrardo notatum. Quod vero ad similitudinem attinet templi, vana superstitione ad subterranea refertur, cum potius ad Ecclesiam, & corpus Christi referendum sit, vt alias ostendimus. Illud vero potissimum a Varrone expetendum est, quod ad vocis notionem facit percipiendam. A tuendo primo, inquit, templum dictum. quocirca caelum quo tuemur, dictum templum. Post multa vero Poetarum exempla, illud subdit Tueri duo significat, vnum ab aspectu, vt dixi vnde est illud, Tueor te senex, prob Iupiter! &, Quis pater, aut cognatus velit nos contra tueri? Alterum à curando, ac tutela. vt cum dicimus velle tueri villam (sic corrigo iuxta Lipsij coniectanea) à quo etiam quidam dicunt illum qui curat aedes sacras, aedituum, non aeditomum. Sed tamen hoc ipsum ab eadem profectum est origine, quod cui aedem curandam tradimus, dicimus, Tu domi videbis: vt Plautus, cum ait: Intus para, cura, vide quid opus sit. Sic dicta vestispicae, quae vestem spicerent, id est, viderent vestem, ac tuerentur. Haec porro Latina phrasis nostrae Hispaniae frequens est: dicimus enim, mirad por essa casa, por essa viña; hoc est, curam eorum gere, tuere illa. Sextus porro Pompeius Festus: Templum, inquit, significat & aedificium Deo sacratum, & tignum quod in aedificio transuersum ponitur. At Vitruuius templa supra canterios ponit. Sunt autem templa Philandro, assamenta quae transuersa supra canterios ponuntur. Ea vero sic dicta arbitrarer, quòd domum à caeli tuentur iniurijs, non secus ac templa propter Diuinum cultum tuentur mortales. Hinc fit vt Beatus Isidorus, qui templi nomen putat esse generale: Pro locis enim, inquit, quibuscumque magnis antiqui templa dicebant, & templa dicta, inquit, quasi tecta ampla. Templum igitur dicatur, quo, Dei tutela protegimur ab omnibus iniurijs: vel, quod Deus Omnipotens peculiari cura illud tuetur, vt domum suam. Dicitur autem, inquit Philo, in domo habitare non vt in loco; continet enim omnia, ipse a nulla re continetur: sed tamquam illius loci curam gerens praecipuam. Quisquis enim domum possidet, necesse habet vt ei prouideat. Proinde in quemcumque bonum illud Deo carum impluit, petat vt Omnipotens in ipso habitare dignetur: vt paruum hoc aedificium, mentem videlicet, in altum sublatum à terra, extremo caelo inserat. Haec ille. Sed de templo, ad quod adductus fuit Propheta, iam satis: eius mensuras persequamur.

Iust. Lips. coniecta. in Varron.

Plautus.

Sextus Pompeius.

Vitru lib. 4. cap 2 & 7.

Philan ibid.

S. Isidor lib. 15. Origin. cap 4.

QVOMODO templum Deus tueatur.

Philo lib. de Resipiscentia.

DE POSTIBVS

PORTAE AVLAE SANCTAE.

Cap. IIII.

Rabbi Dauid in comment.

ET *mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos latitudinis inde*. Hebraice. Et mensus est postes: addit Rabbi Dauid, portae templi, idque ad explicandam mensuram satis apte, de ea enim sermonem esse Prophetae, sequentia verba declarant.

S. Hieron.

Sanctus Hieronymus: Vir, inquit, cuius funiculus caementariorum, & mensurae calamus in manu erat, Ezechielem Prophetam introducit in templum, & mensus est frontem templi pro quo aelam Septuaginta, & aelim Theodotio, & in circuitu Symmachus transtulerunt & ex vtraque parte latitudo tabernaculi senum cubitorum erat.

FRONTES portae quae dicantur.

Quod si ea quae supra diximus de Hebraicis vocibus el, & vlam, in memoriam reuocentur, facile inueniemus non aliud varijs quantumuis expositionibus, sed hoc ipsum significare voluisse, quod tradit Vulgatus, *frontes* vsurpans pro postibus: postes autem proprie vox aelim significat, eosdem vlam, sed quadam intercedente vsus accommodatione. Id vero quod Symmachus scripsit, in circuitu, nihil aliud significare voluisse videtur, quàm quòd postes huiusmodi portam ex vtraque parte munierint. Quare Rabbi Salomon postes huiusmodi recte definit latitudinem grossitiei parietis templi, qui est inter templum & vestibulum. tanta enim esse perhibetur muri interioris domus crassitudo, quanta & omnium murorum templi, nempe calami vnius, vt infra iterum ostendemus.

R. Salomon in comment.

Hos autem postes portae, quos hic אילים elim, proprie vocat, si eundem morem tenuisset, quem initio praecedentis Capitis obseruauit, vocasset סף saph, vel ספים saphim. Nec dissimili annominatione

natione illud huius loci proprium est, quod subditur; *Latitudinem tabernaculi* רחב האהל rohab haohel. Vox autem אהל ohel, primitiua esse videtur, & significat extensionem, vel expansionem alicuius rei supra nos & proprie id omne significare videtur, quod superne expanditur, vt aulaeum, cortina, velamen desuper extensum vt protegat. Hinc fit vt vox fere semper vsurpetur ad significandum tentorium; aut tabernaculum, quod expansum inhabitantes protegit. Sic in Genesi, apparuit Deus Abrahamo *sedenti in ostio* האהל haohel *tabernaculi sui*. Vsurpatur autem eadem vox in Prouerbijs pro habitatione. *Domus*, inquit, *impiorum delebitur*. quantumuis fundata, munita, ac stabilis esse videatur. *Tabernacula iustorum*, etiamsi ventis exposita, & breui casura videantur, *germinabunt*, florebunt, aut vernabunt, idest, perpetuum seruabunt splendorem, ac virorem erumpentis germinis. Sic etiam vsurpatur vox in Psalmo. *In Sole posuit*, inquit, *tabernaculum suum*. Vel vt habent Hebraea: Soli posuit אהל ohel, tabernaculum in eis. Et Chaldaea: Soli posuit tabernaculum, illuminationem autem in illos. hoc est, Soli dedit proprium domicilium, & sedem in caelis, vt illuminaret eos.

TABERNACVLI nomen quid significet.
Genes. 18. ℣. 1.
Prouerb. 14. ℣. 11.
TABERNACVLA germinare quid sit.
Psal. 18. ℣. 6.

A B

Ex hac radice verbum deducitur אהל ahal, quod, tentoriauit, posset verti, si verbum liceret confingere: extendit, vel expandit tentorium. C Sic apud Isaiam Dominus de Babylone desolata, atque deserta, non iterum aedificanda ait: *Neque ponet*, tendet, aut explicabit, vt ibi tantisper commoretur, *ibi tentoria Arabs*. Quae omnia vocis notionem explicantia, in eam nos inducunt sententiam, vt arbitremur hoc loco vocem אהל ohel, seu *tabernaculi*, transferri ad significandum superliminare portae templi, quod cum planum fuisset, atque extensae cortinae persimile, obumbrabat ac protegebat, ianuam desuper, vt sensus sit postes singulos superliminare sustinentes, latitudine fuisse cubiti vnius, quanta nimirum erat desuper extenti superliminaris latitudo.

Isa. 13. ℣. 20.
TABERNACVLVM pro superliminari.

Rem ipsam persecuti sunt Rabbini Dauid & D Moyses, quamuis rei formam, ac explicandi modum consequi minime potuerint: ille enim sic locum hunc exponere tentauit: Et mensus est frontes portae templi, & erant factae ad modum semicirculi in superiori parte: latitudo autem cuiuscumque frontis erat sex cubitorum: *latitudinem tabernaculi*: id est, latitudinem semicirculi, quae erat sex cubitorum: semicirculum autem appellat tabernaculum. Ionathas autem exponit latitudinem tabernaculi. Haec ille. qui in eo primum peccasse videtur, quòd semicirculum scribit pro fornice: in eo vero rursus, quòd portam templi credidit fuisse fornicatam. Quod praeterquam ipsi Hebraicae E voci, quam exposuimus, repugnare videatur, repugnat maxime rationibus architecturae, atque exemplis, necnon ipsis quodammodo sacrae Scripturae testimonijs infra à nobis afferendis, cum de ornamentis portarum Sanctuarij agemus. Hanc forte sententiam tenuit Salomon, cum *latitudinem tabernaculi* exposuit, latitudinem vestibuli, quae est, inquit, in latitudine ipsius vestibuli, & in longitudine templi. Quae verba difficili plane ratione, & quae Oedipum potius, quàm interpretem exposcant, nihil aliud significare putanda sunt, quàm quòd latitudo postium & superliminaris recta ab Oriente A dimensa fuerit versus Occidentem: sic enim vestibuli latitudo extenditur, aut porticus templi, & ipsius templi longitudo.

Rabbi Dauid. R. Moses.
OSTIA templi, quadrata fuerunt, non fornicata.
R. Salomon.

DE OSTIORVM TEMPLI MENSVRIS, & nomine. Cap V.

LATITVDO *portae decem cubitorum erat*. Si Massoretarum punctuationem minime sequamur, haec verba cum praecedentibus coniungemus, haud aliter quàm Septuaginta Interpretes in Regio, & Complutensi codice fecerunt, Latitudo tabernaculi, inquiunt, & latitudo portae cubitorum decem, subaudi, erat. Quam lectionem haud renuent C Vulgata, si eisdem subintellecta praeponatur collationis vox, secundum, aut iuxta: iuxta *latitudinem tabernaculi*, Mosaici inquam, *latitudo portae decem cubitorum erat*. II.

OSTII templi latitudo tabernaculi latitudini confertur.

Haec autem portae, & Mosaici tabernaculi collatio forte alicui mysteriorum plena videatur, quae in eo forsan sita esse putanda est, quòd quanta illius latitudo fuit, tanta esse ostendatur ostij templi expansio, dupla latitudine: vt templi porta, quo Ecclesia Christi signatur, multo maior esse indicetur Synagoga, quae mobili atque exiguo repraesentabatur tabernaculo. Sed huiusmodi collatio alterius est indaginis, mihi multo magis placet communis lectio, & allata expositio, quae superliminare praecedenti versu D dimensum fuisse tradit; hoc portae latitudinem. Hebraice vero quid proprie metiatur Angelus, indicatur voce פתח pethah, quae, vt alias me dixisse memini, ostium, apertionem significat, aut limen portae, id quod inter postes manet inane. Cuius quidem liminis latitudo decem fuisse cubitorum traditur: ac tanta esse credenda est distantia postis, verbi gratia Meridiani ab Aquilonari. Illud vero silentio minime praetereundum est, quod cum hanc portam, & interiorem Sanctuarij saepius nominet, eis numquam nomen indidit שער fagha: cum contra factum fuisse videamus in reliquis atriorum portis. Cuius rei causam non aliam licet assignare ab ea, quam vtriusque vocis no- E tio supra explicata indicat: vox enim פתח pethah, ostium, vt dixi, quod in muro ingredientium commodis aperitur, ac lumini excipiendo, significat: שער faghar, vero ea omnia aedificia indicat, quae ad portae dignitatem, munitionem, ornamentum solent circa portam extrui. Ex quo fit vt cum portae atriorum ad pompam & munitionem templi fuissent extructae, vt vidimus, vrbis alicuius formam potius imitantes, quàm peculiaris aedificij, eae שער faghar, appellentur, quarum ostia cum dimetienda fuerunt פתח השער pethah hafaghar dicerentur: at in portis his Sanctuarij, quae ad vsum tantummodo aperiuntur, quaeque quamuis proprijs sint exornata membris, nulla

PORTAE templi quomodo à portis atriorum distinguantur.

habent

habent desuper ad portae pompam aedificia, A quinimmo ipsa ostia sub contignatione aperiuntur, ideo pethah dicuntur, non vero faghar.

Huius porto ostij latitudo dimensa est, altitudo non item: id quod non casu aut temere factum esse arbitratus sum, neque quod minus videretur necessaria ad aedificij rationem plene percipiendam: sed quòd facili coniectura ea ex dictis posset colligi fuisse cubitorum viginti, dupla proportione, quam in alijs portis supra ostendimus obseruatam fuisse. Neque sola ratione similitudinis id confirmabimus, quamuis firma sit & certa, vt saepius diximus, sed etiam ex aequá epistiliorum atrij libratione, quam infra persequemur. B

PORTAE altitudo.

Et latera portae quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde. Quae hic metitur Angelus latera Hebraice כתפות cithphoth, appellantur quam vocem supra dixi in humerum, aut latus conuerti. Septuaginta Interpretes ἐπωμίδες, quam vocem humeros conuertunt Interpretes, vel propter compositionem, super humeros. Eandem fere tenuit Graecus sermo vocum, ac rerum translationem, quam obseruauerat Hebraeus. Sicut enim pectus, aut ceruicem in medio constitutam humeri circumstant, ita portam in medio apertam humeri circumdant: vel potius partes illae parietis à lateribus portae relictí, humeri dicuntur, quòd haud secus quàm humeri pectus, illae C partes portam vtrimque muniant: has partes proprie Latinus vocat portae latera, quod ex vtroque portae latere relinquantur. Rem apte exposuit Rabbi Salomon. Latitudo templi, inquit, erat viginti cubitorum, & latitudo portae decem: remanent igitur latera eius hinc & inde quinque & quinque cubitorum: idem fere confirmat Rabbi Dauid.

LATERA portae quae dicantur.

R. Salomon in comment.

Rabbi Dauid in comment.

Haec autem latera portae interiora fuisse constat ex eo, quòd ibidem mensus est Sancti longitudinem ac latitudinem, vt mox videbimus. Atque hoc est, quod paulo superius notabamus obseruatum fuisse ab Angelo in portis dimetiendis, vt primum postis, vel muri crassitudinem metiretur, deinde latera portae, nimirum quantum extenderentur ex vtraque porta ostij postes, videlicet ab ipso ostio vsque ad angulos interiores domus. Hoc ipsum disertis verbis, quamuis mysteria persequutus, exposuit Sanctus Hieronymus: Dicit Apostolus, inquit, *Dilatamini & vos:* vt postquam per decem portae cubitos templum quis fuerit ingressus, ex vtraque parte portae ipsius latera, siue vt proprie in Hebraeo dicitur, humeri mensurentur, qui semper referuntur ad opera.

EVNDEM ordinem tenuit semper Angelus in dimetiendis portis.

S. Hieron. 2. Corinth. 6. ℣. 13.

DE AVLAE SANCTAE LONGITVDINE, ac latitudine. Cap. VI.

ET mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum. Cuius res longitudinem aut latitudinem dimetitur, Latina, & Graeca non exprimunt, neque Chaldaea, immo neque ipsa B Hebraea verba, cum templi vox aut היכל hecal, ad quam refertur pronomen eius, longe distet, nimirum in principio prioris versus. Quae causa fuit vt Beatus Hieronymus arbitrari videatur, portae longitudinem ac latitudinem dimensam fuisse. At cum vnius portae vna sit latitudo, qua ratione potuit denis cubitis mirio definiri, deinde vicenis? Quod si id non fieri potuit, teneamus id, quod ipse textus indicat, longitudinem aulae Sanctae, siue hecal, ac latitudinem dimensam fuisse. quod & Rabbi Dauidis testimonio confirmatur, qui dum latera portae fuisse exponit quinque cubitis ex vtraque parte. Ecce, inquit, quod C sunt viginti, haec enim erat templi latitudo: nam dixerat longitudinem eius esse quadraginta cubitorum, latitudinem vero viginti. Et quamuis singula membra ostij, latera, parastades, & huiusmodi minime metiantur: tamen sacri Historici, quod ad vniuersi Sanctuarij mensuras spectat, disertis verbis exponunt; quas operaepretium erit cum his nostris Prophetae, ordine suis locis conferre.

S. Hieron.

Rabbi Dauid.

In Libris igitur Regum sic legimus: *Domus autem, quam aedificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. Et porticus erat ante faciem templi.* D והאולם על פני היכל ve haulam ghal pene hecal. Notae sunt voces quas saepe exposuimus: vlam, quae vestibulum significat, & hecal, quae anteriorem partem templi: & quoniam latitudinem vestibuli deinde metitur, perspectum esse debet sexaginta illis cubitis Sanctuarium comprehendi, exclusa porticu. Cuius rei ne vlla superesset dubitandi ratio, ipsam domum in duas partes diuidit, quas hecal, nominat, & debir; è quibus cum interiorem oraculi viginti cubitis definisset, haec verba subiungit: *Porro quadraginta cubitorum erat ipsum* ההיכל hahecal, *templum pro foribus oraculi.* atque cum domum totam, oraculum Sanctum, & porticum eiusdem latitu- E dinis viginti cubitorum fuisse dixisset: quia nimirum Meridianus templi paries ab Aquilonari viginti cubitos aeque distat, vt vides in vestigio Sanctuarij, initio à nobis proposita, fit vt ipsa aula Sancta, siue ipsum היכל hecal, longum sit ab Oriente in Occidentem cubitos quadraginta, latum ab Austro in Aquilonem cubitos viginti, iuxta sacrae Historiae, & Prophetae nostri mensuras.

3. Reg. 6. ℣. 2. & 3.

CONFERuntur hae mensurae cum mensuris Salomonaci templi.

Ibid. ℣. 17.

Hanc autem duplam longitudinis ad latitudinem rationem maxime probat Vitruuius, in tricliniis atque alijs eiusmodi aedificijs. Quod vero ad altitudinem spectat, quoniam nihil de ea in praesentia insinuat Propheta, eius tractatum in

DVPLA proportio in triclinijs obseruata.

Vitruu. lib. 6. cap. 3.

tum in

tum in locum reijcimus magis opportunum. De modo praeterea dimetiendae longitudinis, an videlicet murum includat, qui Sanctum Sanctorum diuidit a Sancto, an vero a longitudine excludat: quoniam ex vniuersae domus mensuris pendet hoc dubium, de eo illis enumeratis agemus.

DE PORTA ORACVLI, POSTIBVS, & muro. Cap. VII.

III. Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portae duos cubitos. Hebraice ובא לפנימה vba liphnimah. Verbum בוא bo, & venire significat, & ingredi, vt supra notatu. Et à verbo פנה panah quod aspicere proprie significat, notione vero latissime patet, additis ante & retro literis, nomen componitur לפנימה liphnimah, quo fere semper aduerbialiter vtuntur Hebraei, intus, interius, significantes, quasi dicant ante, interiora enim quasi anteriora vocant; quòd introrsum ingredientibus interiora sint ante, exteriora maneant retro. Phrasim, ac verba Prophetae aptissime exprimeret Hispanus sermo: Passando a delante: mensus namque fuerat exteriorem aulam; vlterius vero ad interiora progressus, *mensus est in fronte portae &c.* Quae omnia aptissime expressit vulgatus. *Et introgressus*, inquiens, *intrinsecus*. Quo vero sit ingressus, ipsa voce videtur indicari, praeterquam quod ipso contextu sit perspectum, ad templi adyta, vel ad oraculum, aut Sanctum Sanctorum, quod proprie eo nomine videtur censeri in Leuitico. Reprehendit enim Moyses filios fratris sui Aaron, quòd vitulum, qui pro peccato oblatus fuerat, non comedissent: *Praesertim*, inquit, *cum de sanguine illius non sit illatum intra Sancta.* Hebraice: Ecce non est introductus sanguis eius in Sanctum, vel in Sanctuarium פנימה penimah, intrinsecus. Chaldaeus, In domum Sanctuarij intrinsecus. hoc est, in Sanctum Sanctorum. *Quorum enim animalium*, vt ait Paulus, *infertur sanguis pro peccato in Sancta* vtique Sanctorum, *per Pontificem*, summum, *horum corpora cremantur extra castra*. Loquitur enim Paulus, vt bene notat Lyranus de vitulo & hirco, qui immolabantur in die expiationis, qua vna summus Sacerdos ingrediebatur oraculum, per sanguinem, vt ait idem Paulus, hirci aut vituli, qui cremabantur extra castra, neque de eis quidquam edere licebat. de reliquis oblationibus pro peccato edere praecipiebatur.

Leuit. 10. ℣. 18.

INTERIOR porta Sanctuarij.

Hebr. 13. ℣. 11.

Leuit. 16 ℣. 27.

Sensus igitur loci est, vt Moyses Sacerdotes reprehendat, qui non comederant iuxta praeceptum Domini carnes hirci oblati pro peccato: ac ne se excusarent exemplo hirci, qui pro peccato offerebatur in die expiationis, illis indicat rationem ob quam de hoc edendum non erat, quia videlicet eius sanguis illatus fuerat in Sanctuarium interius: de illo vero edendum erat, vt portarent Sacerdotes *iniquitatem multitudinis*, & rogarent pro ea. Quae omnia figurae erant praesentis temporis, vt pijssime, ac sanctissime indicauit Apostolus Paulus. Sed his in proprium locum reiectis, quod nunc inquirimus, habemus expressum in libris Regum, referente Sacro historico, quòd *Oraculum in medio domus* פנימה *penimah. in interiori parte fecerat.* Huc forte respexit Psaltes celebri illo Christi, & Ecclesiae epithalamio, quo sub aenigmate & figura antiqui illius populi, eiusque dignitatis, & ornamentorum, huius plura atque maiora describit. Huius vultum supplices deprecaturos & Tyrios, & diuites plebis dixerat, vel פניך peneca, faciem tuam, vt habent Hebraea: vel faciem tuam in domo Sanctuarij, vt habent Chaldaea; quasi sensus sit, coram Sanctuario tuo adorabunt omnes populi, & tui, & alieni. Verumenimuero: *Omnis gloria eius, filiae regis* פנימה *penimah, ab intus*, intrinsecus, ab interiori Sanctuarij aula procedit, cui insidet Maiestas Diuina, *in fimbrijs aureis*, fascijs aureis vestita est: habent Hebraea לרקמות lirikemoth. *circumamicta varietatibus.* Ibi enim fasciae, vel potius aureae laminae crassiores totam cameram vestiunt, aulaeaque omnis generis pulchritudinum, operae, ac pretij portas contegunt Sanctuarij. Quae omnia quid aliud indicant, quam quòd gloriosissimum Ecclesiae est, id omne vna Christi praesentia contineri: inde opes, inde decor, inde gloria, & honor sempiternus.

Leuit. 16 ℣. 12. & seqq

CARNES oblationum quae edendae essent, quae vero minime.

Leuit. 10. ℣. 17.

3 Reg. 6. ℣. 19.

Psal 44. ℣. 13.

ECCLESIAE dignitas Sanctuario repraesentatur. *Ibid ℣. 14. & 15.*

Et hoc quidem quod satis iam confirmatum esse videtur, ad interiora videlicet oraculi ductum modo fuisse Prophetam, vel ipsis Rabbinis notum fuit, atque perspectum. Sic enim scribit David. *Et introgressus intrinsecus*: idest, inquit, in locum intimum ad templi adytum. & Salomon: Id est, inquit, ad parietem diuidentem inter templum & Sanctum Sanctorum Septuaginta interpretes, εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν: in atrium interius conuertunt, cum Beato Hieronymo Latini Interpretes, propriam vocis aulae notionem secuti. Verum cum nihil habeat commune cum atrio aula, vocem largius sumendam esse credendum est, vt regiam significet, eiusque penetrale intelligendum hoc loco esse suadent Latina, Hebraea, & Chaldaea.

Rabbi David in comment.

Mensus est in fronte portae duos cubitos. Hebraice איל הפתח el hapethah, postem ostij duobus cubitis. Sic & Chaldaeus. Symmachus apud Hieronymum περὶ τὸν θύραν, circa portam scribit, hoc est, ex vtraque parte portae duos cubitos dimensos fuisse ostendens. Theodotio, inquit idem Hieronymus, Hebraicum איל el Aquila ostium, nos frontem interpretati sumus, duo erant cubiti. Rabbi David: *Mensus est*, inquit, *in fronte portae duos cubitos*. quasi dicat duas frontes portae hinc & inde, quarum vnaquaeque erat latitudinis duorum cubitorum. At Rabbi Salomon: *Mensus est in fronte portae*, vel frontem portae: id est, grossities eius erat duorum cubitorum. Quam sententiam constanter tenuit Lyranus: Haec est, inquit, spissitudo parietis, siue frontis. paries enim iste non est multum altus, nec sustinet super se aliud pondus, quia solum diuidit inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum in inferiori mansione templi. & ideo non describitur tantae spissitudinis, sicut alij parietes templi. propter quod Doctores nostri videntur male dicere, quia dicunt eius spissitudinem sex cubitorum, sicut alij parietes claudentes templum. Haec ille. Non male, sed pessime dicunt Docto-

POSTES portae metitur.

Rabbi David.

R. Salomon.

Nicolaus de Lyra.

MVRVS claudens oraculum, duorum cubitorum.

Doctores, qui parietem sex cubitorum intra Sanctuarium collocant, contra textum, & omnem rationem aedificij, vt mox ostendam. Petrus vero Comestor, huius parietis vsum & altitudinem definit, dum quaestionem illam soluit, quam nos infra explicaturi sumus, de oraculi altitudine: Sicut enim, inquit, in tabernaculo columnae interpositae fuerunt, quibus appendebatur velum, sic interpositus est in templo paries cedrinus, non ascendens in altum nisi per viginti cubitos, decem cubitos, qui supererant vsque ad laquearia, intactos relinquens: vt fumus aromatum ascendens de altari per aperturam superiorem libere intraret in oraculum. Hoc autem somnium mihi redolet Rabbinorum: quasi vero Deo gratus non esset fumus aromatum, nisi summus ipse oraculum penetraret. Sed hoc quamuis necessarium a legislatore censeretur, non tamen quidquam tam rationi fabricae dissonum à summo architecto permitteretur, vt aulam Sanctam ingressi, mutila, & indecora viderent interioris aulae ornamenta suprema. Quae quidem incommoda, atque alia id genus quamplurima, quae prudenti Lectori in mentem venient, facile suadebunt ab hominum memoria omnino abolendum esse huiusmodi commentum. Addit praeterea his alia duo multo absurdiora Rabbi Salomon: hi enim cum velut caeci palpando incedant, casu non errant, at cum à vero discedunt, non semel sed saepius labuntur. Cum igitur huius muri crassitudinem duobus cubitis, vt dixi, mensus fuisset, haec verba subiungit: Hic autem cubitus non erat aequalis cubito intrinseci, & extrinseci loci: id qua ratione commentus sit, videre non potui. Quid enim? si cubitus non est aequalis priori, igitur aut minor erit aut maior; at cum vnius calami mentionem faciat Propheta, quem, vt dixi, quod cubitis ac palmis distinctus esset, calamum licuit appellare, numquid ei aliquis aliam attulit mensuram cubitiʼ an quod prior vniuerso templo dimetiendo non sufficeret: an vero, quia nulla parte prioris hic posterior priorem superabat, aut ab illo superabatur? quasi vero nullam rationem haberet cum priore. At ab omni videntur ratione alieni, qui haec fingunt, quae me pudet referre, nedum refellere.

Petr. Comest. histor. scholast. tertij Reg. cap. 10.

DECEM CVbiti aperte in pariete Sanctuarij, somnium redolent Rabbinicum.

R. Salomon.

EODEM semper cubito templum dimetitur Angelus.

DE MVRO ORACVLI, QVO LOCO *fuerit, quo nomine censeatur, & quibus sit ornamentis.*

Cap. VIII.

Rabbini.

Guido Fabricius in Dictionario Syro Chald. Apparatus Biblici.

ALIVD insuper huc accedit eiusdem commentum. טרקסין tarkesin, inquit, est locus qui erat in oraculo, de quo haesitabatur vtrum esset intra, vel extra oraculum. Guido Fabricius eandem vocem exponit, intrinsecus & extrinsecus spatium in adyto, de

A quo haesitabatur essetne intra, vel extra oraculum. Clarius vero recensito muro praedicto duorum cubitorum: Ceterum, inquit, duorum cubitorum aliud spatium interiacet inter templum & Sanctum Sanctorum, quod velut separat hoc ab illo; sed illud hic non mensuratur. At ego quid sibi velint Rabbini his locis, vix assequor coniectura: sed ne nihil dixisse videar, de eorum sententia quaedam subiungam. Inprimis certum est illos longe à vero aberrare, si sentiant locum aliquem à muro distinctum inter vtrumque tabernaculum, Sanctum videlicet, & Sanctum Sanctorum, intercessisse: falsum item est de aliqua templi parte dubitari potuisse, num ad

B Sanctum pertinuisset, an vero ad Sanctum Sanctorum. Nam cum vniuersi Sanctuarij longitudo in ipsis fundamentis fuisse dicatur cubitorum sexaginta, è quibus quadraginta Sancto dantur, viginti vero Sancto Sanctorum, nulla pars potest assignari, immo ne ipse quidem murus vtrumque diuidens, quae non ad alterutram ex dictis pertineat mensuram: id quod paulo inferius magis clare patebit. At vero si de ipso muro loquantur, cuius nunc meminit Propheta noster, is quidem dubitari ab aliquibus posset, vtrum ad viginti cubitos pertineret Sanctuarij interioris, an vero ad quadraginta exterioris. De hoc autem à nobis non ambigitur, cum ipsa aedificij ratio

C nos certiores reddat, eiusmodi murum inter quadraginta cubitos computandum esse aulae, vt post pauca ostendemus.

Isidorus Clarius in notas. Bibl.

NVLLVM spatium interiacet inter murum oraculi, & ipsum oraculum.

MVRVS diuidens Sanctuarium, ad quam eius partem pertineat.

Capite 10 sequenti.

At illud expendendum deinde occurrit, qua ratione tarkesin dicatur is murus. Est quidem in Arue radix Chaldaea טרק teraq, notione multiplex: ibidem verbo Hebraico סגר sagar, confertur, quod claudere significat & concludere. Eius elegans vsus est in Psalmo: *Adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.* Sanctus Hieronymus: Adipe suo concluserunt, scilicet corpus suum. Alij, adeps eorum clausus est in intestinis eorum. Rabbi Salomon: Adipe suo, & pinguedine sua clauserunt cor suum. Targhum,

D adeps eorum clausit os eorum. Rabbi Dauid: Adeps, idest, multitudo pinguedinis eorum, clausit os eorum. Rabbi Himmanuel: Adipem suum clauserunt intra corpus suum, & idcirco ore suo loquuti sunt superba: vel adipe suo clauserunt corpus suum: quia totum eorum corpus effectum est ex adipe; & propterea quasi faucibus interclusis paucissima, eaque elatione, ac superbia plenissima locuti sunt. Hac etiam voce templi, & aenearum templi basium ornamenta denominantur, quae clausuras vocat Sanctus Hieronymus. Aurum quoque dicitur סגור sagur, quod clausum vocant nonnulli: vt ex ijs omnibus argumentis liceat conijcere, murum illum

E qui oraculum claudebatur, merito ea voce appellari à radice deducta, quae claudere significat. Affirmant etiam Chaldaei, ab eadem radice vocem deduci טרקלין tarkelin, vel טרקלונא teraclona, quae idem significat, quod היכל hecal, propria exterioris Sanctuarij vox, vt paulo ante dicebamus. Quo facile confirmari posse videtur id, quod paulo inferius dicturi sumus in longitudine quadraginta cubitorum היכל hecal, erectum fuisse hunc murum.

MVRI NOmen.

Psal. 16. ℣. 10.

S. Hieron.

R. Salomon Chaldaeus

Rabbi Dauid

Rabbi Him. in commen.

3. Reg. 7. ℣. 28. & 29.

3. Reg. 6. ℣. 21.

Tandem ex praedicta Chaldaica radice nomen deducitur טרקיא tarkaia, lapidis pretiosi proprium: quem Septuaginta interpretes, eosque sequutus Beatus Hieronymus vocat ἀχάτης achatis. At

ex. At Chaldaeum nomen referre videtur lapidis nomen, qui Italice dicitur *turchino*, & ab eius colore, caeruleus color dicitur *turchino*: vel a colore lapis, quod Italis ipsis magis probatur. Gallis dicitur *turquoise*: Hispanis dicitur *turquesa*, quae vox omnes fere literas retulit prioris vocis טרקסין *tarkesin*. quod quidem nomen per Arabes ad nos transmissum fuisse, aliae multae similes voces confirmant. Quapropter sic dictum vel murum, vel partem eius aliquam licet conijcere, quòd eiusmodi gemmis, quae serenum referunt caelum, quamplurimis auro inclusis fuerit ornatus. Id quod verisimile esse confirmaturi sumus, cum de interioris templi ornamentis loquemur. Sed & muri pulchritudinem voce *tarkesin*, in vniuersum indicari probat locus Psalmi celeberrimus: *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in praeclaris*. cuius loci sensum supra exposuisse me memini: at illud est huius loci proprium, quod in textu Syriaco, quo vtuntur Maronitae טרקא *tarke* legitur, hoc est, in immaculatis, aut in bonis: ibidem Arabice אגבזא *aghara*, in consolationibus: Hebraice, in pulcherrimis: Chaldaea paraphrasis, in dulcedine, vel in dulcibus. Quae omnia bona, & ornamenta multis nominibus nondum satis expressa, Hebraeorum Reipublicae propterea contigisse credenda sunt, quod regioni illi vrbs vna, vrbi templum, templo oraculum, in quo Dei sedes erat, inesset: cui quidem oraculo merito ea bonorum nomina tribuantur, quorum alijs omnibus partibus causa est. Quae cum illi Reipublicae in figura contigisse dignoscantur, Ecclesiae Catholicae vera esse ac propria ornamenta putabuntur propter Christi praesentiam, quae bonorum omnium caput est, & summa. Sed ad institutum reuertamur, & Angelum prosequamur metientem: quoniam quae huius parietis propria sunt, iterum exponenda relinquimus.

TVRQVEsae pretiosus lapis.

ORNAMENta templi

Psal. 15. ℣. 4.

DEI TEMplum & cultus, omnis felicitatis origo.

DE OSTIO

SANCTVARII.

Cap. IX.

ET portam, vtique mensus est in praedicto muro apertam, *sex cubitorum*. Hebraice והפתח שש אמות *vehapethah ses amoth*, & ostium, vel limen, aut quod aperiebatur in muro, sex cubitis. Sed quoniam in hac mensura hallucinantur Rabbini, eam explicat subsequens septem cubitorum, vt mox ostendam, auditis primum eorum erroribus. Rabbi Salomon: *Et porta sex cubitorum*, ego, inquit, non possum hoc exponere, nisi de altitudine sua. Rabbi vero Dauid: Id est, inquit, grossities portae erat sex cubitorum, latitudo autem eius erat septem. Et hic quidem non dubito quin aliquam arripere potuerit dubitandi occasionem ex eo, quòd in Hebraeo sic habetur. ורחב הפתח שבע אמות *verochab hapethach feba amoth*, *& latitudinem ostij portae septem cubitorum*. Atque vtriusque hic potuit

R. Salomo.

Rabbi Dauid.

RABBINI hallucinantur

A esse discursus; portae latitudo septenis cubitis definitur; & mensura quidem sex cubitorum non explicatur, fueritne altitudinis, an vero crassitudinis, cum eiusdem latitudinis esse non potuerit ideo ille ad altitudinem retulit, hic ad crassitudinem. Sed ille vtique chimeram sibi finxit, nobilissima nobilissimi huius aedificij parte prorsus indignam. Quis enim, nisi à natiuitate caecus esset, portam fingeret, cuius latitudo altitudinem sexta huius parte superaret? hic vero qui portae crassitudini sex cubitos dedit, sibi ipsi contrarius est, immo & perspicuae veritati, quae muro, in quo porta aperiebatur, binos cubitos crassitudinis tribuit: at quae erit portae crassi- B tudo sex cubitorum in muro binos tantum cubitos crasso?

Quae omnis difficultas in vna vocis רחב *rochab*, notione sita esse videtur: significat enim verbum רחב *rachab*, à quo deducitur, dilatari, latum esse, vel fieri. Est elegans verbi vsus in Prouerbijs: *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei faciet*. Septuaginta: Donum hominis dilatat illum. Rabbi Abraham: Donum hominis, idest, munus quod dat homo, educet eum in latitudinem ab angustia sua. Rabbi Leui: Homo, inquit, qui pro suis negotijs opus habet, vt eat ante magnates, si de suis opibus illis dede- C rit, id dilatabit illi viam: & donum ipsum ducet illum ante magnates, vt illius faciant voluntatem. Quod si principum huius mundi fauor vix sine muneribus acquiritur, numquid sine muneribus habebitur Diuinus? eodem praecipiente Domino: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Munerum vero Deo Optimo ac Maximo oblatorum repensam gratiam simul indicare videntur Hebraea, quae sic conuertuntur: Et non videbuntur facies meae vanae. Sacrificia enim, oblationes, ac preces viam latam aperiunt ad Deum, & gratiam inuenire faciunt in conspectu, vel in oculis eius. Hac igitur ratione *rochab* latitudinem vtique indicabit, vel potius dilatationem: non quidem quae in ipsa porta sex cu- D bitorum est, sed eam, quae portam ingressis mox occurrit: quamque disertis verbis definierunt Septuaginta interpretes, qui quamuis apud Beatum Hieronymum à Vulgata in eo tantum discedant, quod latitudinem portae sex cubitorum hinc, & septem cubitorum inde scripsisse videantur: vbique tamen alias ἐπωμίδας *epomidas*, hoc est, humeros portae scribunt aptissime in Sixtiano. Καὶ διεμέτρησε τὸ αἰλ τοῦ θυρώματος πηχῶν δύο, καὶ τὸ θύρωμα πηχῶν ἕξ, καὶ τὰς ἐπωμίδας τοῦ θυρώματος πηχῶν ἑπτὰ ἔνθεν, καὶ πηχῶν ἑπτὰ ἔνθεν. hoc est, & mensus est ael, vel postem portae cubitorum duorum, & portam sex cubitorum, & humeros portae septem cubitorum hinc, & E septem cubitorum inde. Quam lectionem apposite exponit Theodoretus: Et vidi, inquit, alteram quoque portam, illam interiorem, cuius latitudo erat, cubiti sex, & ab vtraque parte ancones cubitorum septem: Sex igitur cubiti quatuordecim additi, viginti perficiunt. Haec ille. Verumptetiam satis ad rem interpretes vocem ἐπωμίδας humeros. ea enim praeterquam quod à Graecis pro humeris vsurpatur, respondet apud eosdem interpretes Hebraicae voci כתפות *cathphot*, quam *latera portae* vertit Latinus interpres. Neque vero latitudinem portae huiusmodi, latera, vel humeros appellare, vel nouum est, vel inconueniens, cum ipse Vulgatus Latinus inter-

Prouerb. 18. ℣. 16.

R. Abraham.

R. Leui.

Exo. 23. ℣. 15.

QVAE SIT latitudo portae septem cubitorum.

Theodoret. in Ezech.

Supra ℣. 2. huius cap.

interpres Hebraicam lectionem sequutus, sic vo- A cauerit eosdem in porta vestibuli, vt videbimus.

Videbimus cap. 65. huius libri.

Iam vero ex dictis, ni fallor, constat certam esse rationem computi à Theodoreto insinuatam: sex enim cubitis patet porta, vel ostium portae Sancti Sanctorum, quibus si addas bis septenos humerorum portae, hoc est, quanta est pars muri, quae interiacet inter ostium & angulum interiorem domus, omnes simul vicenos complent cubitos, quot cubitos longum est, ac latum interius oraculum, de quo mox sermo futurus est. Quod vero ad huius portae altitudinem spectat, & ornamenta, paulo inferius exponendum est.

DE MENSVRIS NOMINE, ET ORACVLI.

Cap. X.

IIII. ET *mensus est longitudinem eius viginti cubitorum, & latitudinem eius viginti cubitorum, ante faciem templi*. Praecipuam templi partem tandem ingressus est Propheta, cuius causa reliquae videntur extructae, quamque vnus Summus Pontifex vno anni die, ac semel tantum ingredi permittebatur: vt vel propter hoc vnum, quippe singulare beneficium, factam fuisse super se Dei manum dicat Propheta, quo ostenderet propalandam aliquando futuram fuisse Sanctorum viam, quam iam tandem propalatam esse filio hominis, eodemque Filio Dei Christo Iesu Sancta semel ingresso cognoscimus vt late confirmat Beatus Paulus Apostolus.

Ad Hebr. 9.

Sed haec propriam exigunt disputationem, quam alijs permiscere non decet. Quare quae huius loci propria sunt, de oraculi mensuris ac nomine, deque pariete illud claudente, ordine à nobis explicanda videntur. Atque inprimis cum certum, exploratumque sit quid metiatur Angelus, eodem dicente *Hoc est Sanctum Sanctorum*; qua id ratione dici possit, in dubium merito reuocatur: *Mensus est*, enim inquit ארכו arco, longitudinem eius. At nihil praecessisse videtur, ad quod referendum sit pronomen, eius: quapropter Septuaginta interpretes paraphrastice addidisse videntur: μῆκος τῶν πυλῶν, quam vocem, ostiorum, interpretatus est Sanctus Hieronymus, eumque sequuti alij omnes interpretes, qua lectione ad praedictum ostium cum suis humeris mensuram hanc referre videntur. Nam voce Graeca ianuam significari perspectum est in Actis Apostolorum: *Ecce*, inquit, *viri qui missi fuerant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad πυλῶνα ianuam*. Sed & latius vox patere dicitur ab eius interpretibus, & atrium significare apud Aristotelem, siue aulam: id quod communi figura, quae metonymia dicitur, potuit accidere, vt portae nomine ipsa domus intelligeretur, cuius est porta. At in Hebraeo, & Chaldaeo, vbi *longitudinem eius* legimus, nulla re nominata, pronomen eius referri posse videtur ad id, quod superiori versu dixerat: *Et ingressus intrinsecus*, hoc est, ad adyta, *mensus est longitudinem eius viginti cubitorum* &c.

NON MVrum, sed ipsum oraculum metitur Angelus

Actor. 10. ℣. 17.

Arist. 2. de mundo.

Hanc porro mensuram mendose legunt Septuaginta interpretes, quadraginta scribentes pro viginti: huius rei testis est Beatus Hieronymus. Quod autem sequitur: *& mensus est longitudinem eius*, siue vt Septuaginta transtulerunt, ostiorum *viginti cubitorum*: pro quo in plerisque codicibus Septuaginta interpretum, quadraginta continentur. quos imitati sunt Sixtiani: nos Regio & Complutensi libentius subscribimus, tum quia Vulgatae non est contrarius, tum B quia nullo testimonio firmari potest, vllam adyti longitudinem ad quadraginta cubitos ascendisse. Hanc porro eandem oraculi mensuram definit Historia Regum illis verbis: *Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis*. Sed de altitudine post pauca agendum est, nunc enim de domus longitudine, & latitudine tantum, Angelum ducem sequuti, tractaturi sumus. Haec eadem longitudinis & latitudinis mensura in Paralipomenis habetur, ac simul via nobis aperitur certissima, perfectam consectandi fabricae rationem: *Fecit quoque*, inquit, *domum Sancti Sanctorum, longitudinem iuxta latitudi-* C *nem domus cubitorum viginti: & latitudinem similiter viginti cubitorum* illud vero *iuxta latitudinem domus*: vel vt habent Septuaginta propius ad verba Hebraica, quam ad sensum accedentes: Longitudo eius in facie latitudinis domus, ad hoc vnum additum fuisse videtur à Sacro Historico, vt intelligeremus vtrumque parietem domus Meridianum, & Aquilonarem rectum fuisse, & aequidistantem: quia nimirum quamuis longitudo vestibuli, latitudo Sancti, & longitudo Sancti Sanctorum aequalis fuisse dicatur viginti cubitorum, dubitari forte ab aliquo posset, num aliqua ex parte aliqua ex his partibus à rectitudine discederet alterius. Quod quamuis D per se quidem manifestum esse videatur, notandum tamen fuit, vt eodem plane argumento difficiles alias quaestiones nullo negotio soluere possimus.

S. Hieron. in Ezech. 41.

CORRIgendi codices, qui legunt quadraginta pro viginti.

3. Reg. 6. ℣. 20.

2. Paral. 3. ℣. 8.

MVRI PAr[illegible] domum ambiunt, & recti

Occurrit igitur inprimis quaedam iam supra insinuata, nec leuis, nec facilis quaestio de longitudine vniuersae domus, propter interiacentem parietem, quo Sanctum Sanctorum occluditur: cuius crassitudo ambigitur, an sit longitudini domus sexaginta cubitorum superaddenda, an vero eidem computanda. Cui difficultati ex ipsa Scripturae sacrae commensuratione satisfaciendum est primum: deinde ex ipsa fabricae ratione, quam non parum lucis huic diuinae ar- E chitecturae allaturam esse speramus. Mensa est vtique domum vniuersam historia Regum illis verbis: *Domus autem, quam aedificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine*. Hanc autem domus vniuersae longitudinem mox diuidit in cubitos quadraginta Sancti, & cubitos viginti Sancti Sanctorum: ex quo mox liquet parietem illum, seu interstitium, quo à Sancto diuiditur oraculum, in illa includendum esse sexaginta cubitorum longitudine, aliàs enim duos & sexaginta cubitos longa esset domus, non sexaginta tantum. Accedit etiam, quod notatur in Paralipomenis,

QVAESTIO de pariete [illegible] oraculi.

3. Reg. 6. ℣. 2.

MVRVS ille sexaginta cubitis includitur.

2 Paral. 3. ℣.3.

A menis, mensuram illam sexaginta cubitorum in ipsis fundamentis fuisse computatam. *Et haec sunt*, inquit, *fundamenta, quae iecit Salomon, vt aedificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis viginti*. Atqui si ipsa fundamenta parietum Meridiani, & Aquilonaris longa sunt cubitos sexaginta, nulla ratione potest extructa desuper domus, interiacente muro in duas partes diuidi, quin praedicti muri crassitudo illis annumeretur sexaginta cubitis: ita vt vel quadraginta cubiti Sancti computentur vel viginti cubiti oraculi inclusa crassitudine muri, sed hoc minus fit verisimile, vt mox ostendam. Neque vero parum confirmat haec eadem, quòd murus hic diuidens oraculum, ex B asseribus confectus fuisse credatur, non marmoreus: quod adstipulante Scriptura, omnes fere Interpretes affirmarunt.

Isidor Clar. in scholijs.

QVO DIFferat secundum a primo templo.

Hac porro ratione accidere potuit id, quod Clarius ex Hebraeorum traditionibus, vt reliqua notauit, pariete nimirum templum Salomonis à Sancto Sanctorum distinctum fuisse, in secundo vero templo fuisse velum. Nihil enim immutatum fuisse videtur de pristina templi longitudine, quod etiam confirmauit Rabbi Dauid mox afferendus atque adeo velo interiecto manebat Sanctum Sanctorum iustae longitudinis, ac latitudinis cubitorum viginti. Sanctum quoque habuit eandem latitudinem, duplamque C longitudinem quadraginta cubitorum. Ex quo non maiorem fuisse domum colligendum est, vt quidam falso putarunt, sed magis imperfectam, cui nimirum deerat pretiosum illud, ac pulcherrimum interstitium. Neque aliter sentiendum esse videtur de Herodiano templo, quod aliqui meditantur, cum scisso hoc templi velo in morte Christi, propalata fuisse confirment Doctores sacri Sancta Sanctorum: quinimmo propterea scissum fuisse velum existimandum est, vt propalatis illis adytis, caelorum adyta patuisse cognoscerentur; id quod vix fieri posse existimetur, si abscisso velo murus adhuc maneret. Sed D & incredibilis fortasse videatur Hebraeorum caecitas, ac vana fiducia, futilibus innixa fundamentis, aut potius nullis. Et velis nolis, inquit

R. Salomon in comment.

Rabbi Salomon, domus haec futura est: nam in secundo templo nullus erat paries diuidens inter domum Sancti, & Sancti Sanctorum: sic legendum censeo. Sed ô vtinam Rabbinus hic cum suis asseclis velamen abstulisset à corde, & ab oculis suis: tunc enim videre facile potuisset domum hanc ab Ezechiele sub nomine, ac mensuris prioris praenotatam, domo alia, hoc est, Christi Ecclesia, re ipsa completam fuisse, opibus, gloria, & dignitate longe praestantiori. Domus enim illa vel a Zorobabele, vel à nescio quo alio E Herode confecta, infinitis partibus, priore fuit inferior, ne ab insipiente populo putaretur esse ea, quae his tam magnificis pollicitationibus Dei contineretur, atque illis futilibus rebus, quas mirifice extollunt, ne minima quidem ex parte posse compleri. Sed de his iterum, nunc enim reliqua persequenda sunt.

QVOD ORACVLVM

IN MEDIA AREA ATRII statutum fuerit.

Cap. XI.

Dubitant igitur, vt dixi, Rabbini de interiecto pariete, an sit oraculo adscribendus, an vero exteriori domui computandus. Id quod mirandum non est ab illis in dubium verti, qui nullo antiquorum testimonio certiores fiunt, quibusque nulla suppetunt ratiocinandi in ea re principia. Nobis vero, Deo duce, haec atque his similia quamplurima architecturae ratio demonstrat. Est igitur in memoriam reuocandum inprimis id, quod aliàs me insinuasse memini, aedificium domus vel Sanctuarij, de quo nunc est sermo, atriorum fabricae summa consensione respondere, quamuis hoc ab illis sit, partium, ac totius magnitudine, forma, positu longe semotum. Id quod praeter alias rationes haec vna satissuperque confirmare posse videtur; quòd propter Sanctuarium atria extructa sunt, sicut hoc totum propter oraculum, in quo est arca & sedes Dei. Hoc igitur oraculum in media area Occidentali atrij interioris statuendum fuit. Consulat lector oportet vestigium primum vniuersale, atque in eo minime obliuiscatur linearum, quas radices dicebamus, quibusque ostendimus vniuersam aream in quadrata spatia calami vnius diuidi. Atque cum tota areae longitudo in sexdecim calamos diuidatur, numero videlicet pares, vna ex praedictis lineis mediam atrij longitudinem diuidet, altera mediam latitudinem, quas duas lineas lector cognoscat necesse est, si hanc nostram ratiocinationem bene perceptam habere velit, ex qua omnes Sanctuarij mensurae pendent. Has quidem duas lineas oportet haud secus medium oraculum pertransire, quàm medium atrium: tum vt fenestrae Sanctuarij fenestris, & postes postibus atriorum respondeant, tum vero maxime, vt platea viginti cubitorum, quam metitur Angelus, aeque separet Sanctuarium à porticibus, vt ab Aquilone, & Meridie, ita ab Occidente: quod exigit Prophetae textus, vt infra ostendemus, atque vt in ipso vestigio facillime poterit à quouis examinari.

MAGNA partium atriorum, & templi symmetria.

RADICES lineae.

Ponamus igitur ab oculos primum eam lineam, quae per medias portas Orientales transiens atria, & domum vniuersam bifariam diuidit: & ab ea quidem ad Meridiem recedendo, alia linea occulta inuenietur, duos calamos à priori distans, & sic alia Aquilonaris, distabuntque ab inuicem hae duae lineae, vna Aquilonaris, altera Meridiana calamos quatuor, hoc est, cubitos quinque & viginti. Sed Sanctuarium latum est cubitos viginti, manent ergo quinque cubiti, bini cum dimidio ex vtraque parte, ita vt superficies interior parietis Meridiani domus distet ab illa radici linea Meridiana cubitos duos cum dimidio, ac totidem distabit superficies interior muri Aquilonaris à linea Aquilonari, quam dixi;

Neque alia ratione sentiendum est de alijs duabus lineis, Occidentali altera, altera Orientali, quarum quaelibet à media duos calamos distet, ab inuicem quaternos, hoc est, cubitos quinque & viginti. Qua ratione fiet, vt à linea Occidentali superficies intima muri Occidentalis, duos cubitos & dimidium discedat, & superficies interior muri diuidentis inter Sanctum & oraculum, distabit a linea Orientali cubitos duos cum dimidio: atque ita interior oraculi area definita erit, ac pariter in media area, quam dixi, Occidentalis atrij interioris erit constituta.

ORACVLVM viginti cubitorum in media area atrij constituitur.

Ex hac porro oraculi constitutione, quae iuxta praedicta, vestibuli longitudinem, ac Sancti latitudinem definit, rimari quoque licebit ipsius Sancti longitudinem, & muri medij crassitudinem. Accipiamus igitur lineam illam primum, quae à Meridie tendens ad Aquilonem, Sanctuarium bifariam diuidit, ac propterea aufert a longitudine interiori domus, quam dixi esse debere sexaginta cubitorum, cubitos decem, & reliqui erunt à praedicta linea vsque ad finem Sancti, cubiti quinquaginta. Atque eadem linea diximus atrij aream centum cubitorum bifariam diuidi: eadem ergo linea erit & atrij terminus, & Sancti. Ex quo primum colligimus murum illum, in quo ostium Sancti aperitur, quemque sex cubitis, vt vidimus, mensus fuerat Angelus, crassitudine ac situ muris atrij ex aequo respondere, illis, inquam, muris, qui areas Occidentalis atrij interioris ab Oriente cingunt, alteram quae ad Caurum spectat, alteram quae ad Africum, vt vides in vniuersali Ichnographia. Hoc igitur longitudinis Sancti termino ab Oriente constituto, in ipsa radici linea, cogit nos responsus fenestrarum ac postium, Occidentalem eiusdem Sancti terminum alterum in altera radici linea constituere, in ea videlicet, quae calamos sex distat ab Orientali termino, & duos calamos distat à linea, quae oraculum, & atrium bifariam secat: medium enim atrij octo calamis distinguitur, vt initio ostensum est. Et sex quidem calami, cubitos complent septem & triginta cum dimidio, manetque murus diuidens a Sancto oraculum, duorum cubitorum cum dimidio, qui prioribus additi, cubitos complent Sancti quadraginta, computata tamen muri crassitudine, vt vidimus.

ADMIRANda symmetria.

6 1/4
6
1 1/2
36
37 1/2
2 1/2
40

MVRVS IN longitudine Sancti comprehenditur.

Quae quidem architecturae ratio tam firma est, vt ea vna nos coegerit, coenaculum templi hac eadem muri crassitudine interiecta, in similes partes tribuere, in quas domus tribuitur inferior: alias enim fenestras omnes loco mouere oportuisset, ac omnem perturbare symmetriae rationem, quam alias insinuauimus, quamque in coenaculi Sanctuarij vestigio licebit intueri. Hinc item discent magnifici Herodiani templi praecones, quanam re a priori distauerit Herodianum hoc, cui deerat ratio & symmetria, aedificij maxima laus, & gloria praedicanda.

Sed vrgent nos quidam nimis in re hac religiosi, quorum mentis aciem forte effugit argumentorum vis, & architectandi ratio: quia murum oportuit duorum cubitorum constituere, cuius frontes totidem cubitis Angelus metitur, nec non ipsam domum exteriorem longam cubitos quadraginta, excluso ab eius longitudine muro Occidentali, haud secus quàm murus excluditur Orientalis, necnon à latitudine vterque murus Meridianus, & Aquilonaris. At quamuis haec duo argumenta duo proponant non vsque A quaque certa, vt mox ostendam: tamen etiamsi duos cubitos cum dimidio, duos dici affirmaremus, septem & triginta, quadraginta dici confirmaremus, adhuc tamen a nostra sententia staret Sanctus Augustinus, qui cum locum Genesis expenderet, quo sic ait Dominus: *Eruntque dies illius centum viginti annorum.* haec verba subiungit: Sed intelligendum est hoc Deum dixisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noe, idest, quadringentos octoginta vitae annos ageret, quos more suo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans: sexcentesimo quippe anno vitae Noe, secundo mense factum est diluuium, ac hic B centum viginti anni praedicti sunt futuri vitae hominum periturorum, quibus transactis diluuio delerentur. Haec est Sanctissimi, ac doctissimi viri sententia, cuius expositio mihi prae alijs multis probatur: neque absimilis esset ab Scripturae more, quem retulit haec nostra computatio. Sed neque hanc ipsam nobis hoc loco concedi multum laboramus: propterea enim ex vtroque latere portae oraculi duas antas posuimus, singulas duorum cubitorum, quas non in vestigio solum licet videre, sed & earum formam, & ornamenta, in sectione murorum aulae Sanctae, quae ostendit faciem Sancti Sanctorum: quas quidem antas definisse intelligatur Angelus, cum mensus C fuisse dicatur *in fronte portae duos cubitos*, vel frontem portae duobus cubitis, vt ibidem interpretati sumus, atque alias saepe vocem איל el, quam frontem conuertit Vulgatae Interpres.

S. August. lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 24.

Gen. 6. ℣. 3.

MINORVM numerorum nullam rationem habent Scriptores, dum referunt maiores.

Gen. 5. ℣. 31.

Supra cap. 7. huius libri.

Quod vero ad alteram obiectionis partem spectat, fatemur equidem muros pariter vel excludendos, vel includendos fuisse, nisi ratio ipsa aliunde petita alios cogeret excludere alio incluso: excludendos autem a praedictis mensuris muros omnes aedificij demonstrat Angeli mensura, vniuersam domum centum cubitis definientis, vt videbimus. At illum murum, siue interstitium duorum ac semis cubitorum in ipsa interioris domus longitudine includendum esse probat D allatus Paralipomenon locus, fundamenta sexaginta cubitis finiens: quibus dubio procul includendus est hic murus ex asseribus, vt putant, confectus, haud secus quàm asseres alij omnes, quibus muri, & pauimenta domus veluti incrustrabantur & sternebantur. Non est autem silentio praetermittendum similitudinis argumentum, oraculum enim & templum secum inuicem consensisse latius infra ostendendum est. Hoc igitur quod à Salomone factum esse affirmamus, idem olim à Moyse constitutum fuisse, sic ostendo. Triginta tabulas in quolibet tabernaculi latere construi praecipit Dominus, singulas sesquicubitum latas, vnde fit vt totum tabernaculi spatium E longum fecerit cubitos triginta, quos retulit Iosephus, & Philo: in qua deinde columnae quatuor constituuntur cubitum crassae, vt suo loco ostendemus, quae in ipsa triginta cubitorum longitudine computabantur, vt si oraculo decem cubitos plenos dederis ipsi היכל hecal, nouemdecim, non autem viginti relinquas: quae omnia duplicata ratione aucta in templum referenda sunt, vt suo loco ostendam, & pluribus adhuc exemplis demonstrabuntur.

MVRVS EX asseribus.

Exo. 26.

Ioseph 3. antiq. cap. 5. Philo lib. 3. de vita Mosis.

QVAM

QVAM CELSVM FVERIT ORACVLVM, ET *quo loco situm. Cap. XII.*

De oraculi demum altitudine breui dicendum est quod sentimus, multa enim apud multos legi, quorum alij in hanc, alij in illam partem discedunt, in vtramque alij, alij in neutram. ita enim toto caelo aberrant, vt à rectitudine videantur discedere. Nec desunt qui, vt probent Abulensem aliter sensisse

B quàm dixerit, illi nituntur fundamento, quòd asserit, oraculum fuisse quadratum. Quasi vero cuius areae longitudo, latitudo, & anguli aequales sunt, quadratum non sit, quamuis nullam habeat altitudinem, aut quantumuis maximam. Sed quid iuuat aliorum aut referre, aut refellere opiniones in his maxime, in quibus illis non licuit vnum veritatis corpus suis numeris absolutum aspicere, cuius alia membra ex aliorum collatione constarent? Illis igitur praetermissis in medium proferamus, quod architecturae ratio nos docuit, ipsis innixa sacrae Scripturae testimonijs.

C Oraculum omni ex parte conclusum atque munitum fuit, quippe sanctissimum, cuiusque interior pars sicut omnibus inaccessa, ita nullius oculis, neque minima quidem ex parte paruit: sed solis summi Sacerdotis, vt dixi, idque summa cum veneratione, ac satis temperate, ne cuiquam licere putaretur Dei Optimi ac Maximi scrutari maiestatem, vt suis locis ostendendum est. Verum item est, atque certissimum, quod in libris Regum Diuina firmauit auctoritas: *Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.* Id quod non in vno tantum oraculi muro verum est, sed in omnibus: vnus enim murus non constituit oraculum, sed omnes quatuor;

ORACVLVM vno Pontifice excepto, omnibus fuit inaccessum & inuisum.

3. Reg. 6. ℣. 20.

D praeterquam quòd valde alienum est ab hoc aedificio, vt quartus murus loci sanctissimi, atque dignissimi altera sui parte reliquis esset inferior. Neque vero propterea verum esse negamus, quod eadem domus, *quae habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine,* habuerit, *& triginta cubitos in altitudine:* nam super erectam illam murorum altitudinem viginti cubitorum fornix erigebatur cedrina, caelum vt poterat imitata, cuius celsitudo decem cubitos tollebatur, quanta erat semidiametri longitudo. Horum omnium formam licet nunc contemplari in scenographia, quam sic inscribimus: PROSPECTVS TESTVDINIS MVRORVM, ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM: cuiusque omnium ornamentorum, & partium ratio suis locis reddenda est.

3. Reg. 6. ℣. 2.

ORACVLI altitudo viginti, & triginta cubitorum.

E Nunc enim satis esse duxi, breui insinuare, quae ad oraculi spectant altitudinem, quam tunc etiam magis perspectam fore putamus, cum ea cum Sancta celsitudine conferetur. Verum silentio praetermittenda non fuit Theodoreti expositio, quae huius altitudinis confirmat mensuram, & eam, quae contraria esse videtur, Septuaginta interpretum lectionem retulit. Conspexisse, inquit, item affirmat se portas separantes à Sanctis Sancta Sanctorum, quarum latitudinem aequalem dixit templi mensurae, hoc est, cubitorum viginti; altitudinem vero cubitorum quadraginta. Cum vero quaesierim & apud Syrum, & apud Hebraeum mensuras, reperi altitudinem mensurae aequalem latitudini. Consentiunt enim vterque & Syrus, & Hebraeus, qui latitudinem, & altitudinem viginti cubitorum dixere. Haec ille. Quod si quadraginta cubitorum mensuram ad domus altitudinem cum Theodoreto referamus, neque alijs textibus erit contraria, neque ad aedificij mensuras componendas minus necessaria. Nam vt infra exponemus, domus altitudo à pauimento vsque ad epistilia, quadraginta cubitorum est, quanta videlicet est parastadum, quas vocat costas, celsitudo, dupla frontium atriorum.

ALTITVDO domus quadraginta cubitorum.

Theodoret.

B Longitudine tandem, ac latitudine oraculi explicata, illud explanandum est, quod subiungit Propheta: *ante faciem templi.* Hebraice, אל פני ההיכל el pene hahecal, ad facies, vel coram aula exteriori, secundum, vel post aulam exteriorem. Hispani hanc phrasim proferimus, dicimus enim: el templo adelante, hoc est, recta tendens Angelus ab aula ad oraculum. nisi forte idem hoc loco significat haec phrasis, quod similis in allato Paralipomenon testimonio: *Fecit quoque domum Sancti Sanctorum* ארכו על פני רחב הבית arco ghal pene rochab habait, longitudo eius super facies latitudinis domus, vertit Regius codex. Vatablus: Cuius longitudo erat, inquit, in facie latitudinis aedis. Pa-

2. Paral. 3. ℣. 8.

Vatablus.

C gninus aliquanto mitius. Longitudo eius secundum latitudinem domus. Melius Vulgatus: *longitudinem iuxta latitudinem domus.* Phrasis vero vtriusque loci, praeterquam quod hic locus longitudinem latitudini aequiparat ille domum domui, eadem esse videtur: nam vox על ghal, quae alias super, solet significare, plerumque idem significat, quod אל el, ad. *Cum esset Anna amaro animo orauit* על ghal, *ad Dominum.* Et in Psalmo: *Clamauerunt,* inquit, *nec erat qui saluos faceret* על יהוה ghal Adonai, *ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Qua quidem ratione, *ante faciem templi*, vel hecal, hoc vnum significabit, eiusdem plane mensurae ac situs fuisse interiorem, atque exteriorem

Sanctes Pagninus.

PRAEPOSITIO Hebraica ghal, & super significat, & ad.

1. Reg. 1. ℣. 10.

Psal. 17. ℣. 42.

D templi partem, vt supra ostensum est. Quamuis & veluti reciproca videatur esse haec phrasis eius, quae habetur in libris Regum: *Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.* Ex Hebraeo sic Regius codex: Et quadraginta in cubito erat domus ipsa, templum ad facies meas: הוא ההיכל לפני hu hahecal liphnai: vel, vt vertit Pagninus non tam religiose Hebraeis inhaerens Quadraginta cubitorum est domus ipsa templum exterius, quod est ante oraculum. Sic & Chaldaeus: Et quadraginta cubitorum erat domus: ipsa est templum, quod erat contra illud, nimirum oraculum. Septuaginta: Et quadraginta cubitorum erat ipsum templum ante faciem ora-

3. Reg. 6. ℣. 17.

Pagninus.

E culi. Cum igitur verum sit quòd cui ego asto, ipse quoque mihi astat; verum quoque est oraculum esse ante, vel coram hecal, cui hecal est ante vel coram, siue pro foribus, vt bene vertit Vulgatus. Nec me latet Beati Hieronymi expositio, quae, cum in reliquis perfecta est, tum hoc in loco verborum potius, quàm sensus rationem habendam duxit ad mysticos sensus persequendos. Et hoc, inquit, considerandum, quod ingressus intrinsecus per portam duorum in fronte cubitorum, & sex habentem cubitos, septemque in latitudine ex vtraque parte, & viginti cubitos in longitudine, totidemque in ipsis templi foribus, doceatur Propheta, quis sit ille locus,

S. Hieron.

vel quo appelletur vocabulo: Dixit enim, inquit, mihi: Hoc est Sanctum Sanctorum. Sin autem ante templum, siue vt Scriptura cognominat, ante faciem templi Sanctum Sanctorum est, quantam beatitudinem in templi adytis, & in interioribus eius existimare debemus? Quibus verbis ipsum adytum, & visibilis templi oraculum ante faciem, vel pro foribus interioris, inuisibilisque templi constitutum esse significat, quia à figura ad rem, ab vmbra ad corpus, ab imagine ad veritatem ipsam penetrare nos decet, ac quodammodo necessarium est: propterea enim tabernaculi oraculum cum hoc contulit, subdens: Sed & hoc notandum, inquit, quod in descriptione tabernaculi dicuntur Sancta Sanctorum plurali numero. hic autem Sanctum Sanctorum numero singulari, vt post Sancta veniamus ad Sanctum: quomodo post multa cantica peruenimus ad Canticum canticorum, quod omnium carminum carmen est, & quod canentes, sponsi copulamur amplexibus. Quibus verbis mysticos quamuis perscrutans sensus, rem ipsam, nomen, ac morem dicendi interpretatus est Sanctus Hieronymus. nam intimam cellam, penetrale templi, adytumque censeri non negat. Sed de oraculi nominibus sequenti capite agendum est.

ORACVLVM caelestis habitaculi symbolum.

DE TRIPLICI SANCTI SANCTORVM nomine. Cap. XIII.

TRIPLICI nomine, triplicique ratione inditο, partem templi interiorem censere videtur historia Regum. *Et fecit*, inquit, Rex Salomon *interiorem domum oraculi in Sanctum Sanctorum*. Vocat enim illam primum propter aedificij dispositionem, domum interiorem: deinde propter Diuina responsa populo ibidem data, oraculum; ac tandem propter vtramque rationem, addita veneratione, quae eidem loco debetur, appellat illam Sanctum Sanctorum. Et primum interiorem domum מבית mibajth: quae quidem vox quamuis diuersa longe videatur ab ea ipsius domus interioris, quam paulo superius exposuimus, tamen notione fere eadem est, atque pro aduerbio, intrinsecus, plerumque sumitur. vt in Exodo: מבית mibajth, *Intrinsecus, & extrinsecus teges eam*. Neque vero mihi multum laborandum esse existimaui, vt domum hanc intimam fuisse ostendam, ad quam nullus patebat aditus, nisi per atria in vestibulum templi quis ingrederetur, & per exteriorem aulam ad hanc intimam: quae propterea à Iosepho, atque alijs Scriptoribus ἄδυτον adyton dicitur, penetrale, vel inaccessus locus ab α, litera priuatiua, & δύω, ingredior, quasi sine ingressu. Huius quidem intimae domus veritatem à veteri illa, & casura Hierosolyma auferendam fuisse praedixerat Isaias, eleganti quadam virginis translatione, quam à mundo muliebri spoliandam esse praenuntiauerat: id quod extremum caput indicat illis verbis: *Et maerebunt, atque lugebunt portae eius, & desolata in terra sedebit*. Inter ornamenta vero, quibus spoliandam esse prophetat, hoc annumerat בתי נפש vbatte hanephes, & domus animae, conuertit Regius codex. Pagninus, pectoraria. Septuaginta & Chaldaeus, olfactoria. Quos imitatus Vulgatae interpres *olfactoriola* vertit. Quidam sic dictas putat domus animae quasdam capsulas, in quibus bene spirantia, & animam refocillantia continebantur. At Rabbi Dauid ornamenti genus esse putat, quod pectorale vocant. Et hoc ornamentum, inquit, suspendebant mulieres super candidum inter vbera. Candidum pro corde forte vsurpauit, ex vocis similitudine, qua Hebraice vtrumque significatur לבן laban. album, לבן liban, cor dicitur. Domos autem animae vocant eiusmodi ornamenta, hoc est, desiderij, quod essent desiderabilia. Verumenimvero si conijcere liceat ex nomine quid ipso ornamento significetur, non alia profecto animae domus, siue intima animae dicetur, si priorem respicias vocis notionem, ab ea, quam disertis verbis definit Beatus Paulus Apostolus, promissionem Dei aeterno Sacerdoti iuramento confirmatam fuisse affirmans: *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram animae tutam ac firmam habemus*. In medijs vitae huius exterioris fluctibus spes vna nos fulcit, haec tuetur, haec firmat. quoniam spes ipsa affigitur Christo, eiusque promissionibus. *Et incedentem vsque ad interiora velaminis*. Sic vocat Sanctum Sanctorum, quod intra velamen claudebatur, id quod ex ijs, quae mox addit, perspicuum fit. ibi enim sedes fuisse dignoscitur aeternum manens Omnipotentis Dei, in quem dirigitur spes nostra, quemque ipsum optat & sperat: *& vbi praecursor pro nobis introiuit Iesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in aeternum*. Haec est veluti propositi aenigmatis expositio, quae sit interior domus indicans, nempe conspectus Dei, cui Christus astat, interpellans pro nobis, spem nostram futurae felicitatis confirmans.

3 Reg. 6. ℣. 16. — Exo. 25. ℣. 11. — Isa 3. ℣. 26. — Ibid. ℣ 20. — DOMVS animae quae dicatur Rabbi Dauid in comment. Ibid. — Hebr 6 ℣. 18. 19. & 20. — SPES nostra in caelis firma

Est & aliud loci huius nomen דביר debir, à verbo דבר dabar, quod est loqui: differt autem hoc verbum ab אמר amar, dixit, quòd hoc semper audientem exigit, aut supponit, illud vero vim tantum loquendi quae est in homine, significat, aut in loquente, etiamsi non alteri loquatur. Quapropter Dei Verbum à Patre ante saecula genitum דבר debar, dicitur in Psalmo: בדבר bedebar: *Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Vocis huius expositionem habemus apud Sanctum Hieronymum: Aedificemur, inquit, in templum, & fiamus habitaculum Deo, condaturque in nobis arca testamenti, custos legis Domini, & Cherubim scientiae multitudo, & interiora pectoris nostri in nouum vocabulum transeant: dicanturque דביר debir, quod nos oraculum, siue responsum possumus appellare: & vt contentiosius verbum exprimamus è verbo λαλητήριον lalitirion, idest, locutorium dicere. Haec Sanctus Doctor. Sed & rationem inuenire propter quam haec interior domus, oraculum dicatur, haud difficile erit, cum Dominum ad Moysen haec verba loquentem audiamus, cum propitiatorium, arcam, & Cherubinos fieri praeciperet: *Inde praecipiam* ודברתי *vedibarti*, *& loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio Cherubim, qui erunt super arcam testimo-*

ORACVLVM dicitur Dei responsum. — Psal. 32. ℣. 6. — S. Hieron. Ephes. 2. in fine. — Exo. 25. ℣. 22.

nij, cuncta quae mandabo per te filijs Israel. Quae quidem fidelis Dei promissio opere completa fuisse refertur in Numeris: *Cumque ingrederetur*, inquit, *Moyses tabernaculum foederis, vt consuleret* לדבר ledabber, *ad oraculum, audiebat vocem* מדבר medabber, *loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim, vnde* וידבר vaiedabber, *& loquebatur ei*.

Numer. 7. ℣. 89.

Verumenimvero quamuis eiusmodi responsa Dei populo illi per Moysen in oraculo data, maximi beneficij loco habenda sunt, tamen amantius multo atque indulgentius nobiscum actum fuisse testatur Apostolus Paulus ad Hebraeos scribens: *Multifariam*, inquit, *multisque modis olim Deus λαλήσας, loquens patribus in Prophetis*, hoc est, per Prophetas: *nouissime diebus istis ἐλάλησεν locutus est nobis in Filio*, hoc est, per Filium suum vnigenitum, cuius dignitatem, maiestatem, ac gloriam sequentibus late describit. Sed & animaduertendum est eodem Graeco vti verbo Paulum, quo Hieronymus oraculi Hebraicum verbum exposuit.

Hebr. 1. ℣. 1.
LOCVTORIUM dicitur oraculum.

Discrimen autem maximum pristinae illius locutionis, atque huius nouae indicare videtur apud Isaiam, ipse qui nobiscum loquitur IESVS Christus Dominus noster: *Accedite ad me*, inquit, *& audite hoc*, quod ego ipse vos doceo proprius permittens, quinimmo & praecipiens vt ad me accedatis, *non à principio in abscondito locutus sum*, id est, à principio, ex quo ego loquuturus veni, *ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudaei conueniunt: & in occulto loquutus sum nihil*. non vt olim in intimis adytis & penetralibus, quo vnus Moyses audire poterat vocem loquentis: *& tamen ex tempore antequam fieret, ibi eram*. Ex tempore autem non vt impij exponunt Ariani, intelligendum est, sed vt erudite ac pie exponit Augustinus: Ex tempore, inquiens, quid est? numquid ex eo quod tempus esse coepit? non, non sic impij: sed ex tempore, id est, antequam fieret tempus. Quam Beati Augustini sententiam bene notauit Leo, ipsa Hebraica lectione posse confirmari: nam מעת megheth, à tempore: מ me, enim particula est comparatiua, quae significat priusquam, vel plusquam, & similia. Eius rei plura suppetunt exempla: verum quod huius loci magis videtur esse proprium, tempori adiuncta alias ante tempora significat: vt in Psalmo: *Reminiscere*, inquit, *miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quae à saeculo sunt*. Hebraice: מעולם megholam, à sempiterno sunt: Chaldaeus, quoniam ab aeterno sunt. Sed perspicua magis est phrasis haec in alio Psalmo: *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à saeculo & vsque in saeculum tu es Deus*. Disputat contra impios haereticos Sanctus Hieronymus hoc loco, quòd ante principium mundi animas creatas fuisse fingebant, quibus Deus ex tum fieret refugium. Male, inquit, distinguis haeresis, quare calumniam facis Spiritui Sancto? sic loquere quomodo Spiritus Sanctus locutus est. Sic ergo legendum est: *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem*. & huc vsque distinctio. Rursum aliud principium: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis: à saeculo & vsque in saeculum tu es Deus*. Tu es Deus antequam montes fierent, tu es Deus antequam formaretur terra & orbis: *à saeculo & vsque in saeculum tu es Deus*, tu es semper, tu es aeternus. Haec Sanctus Doctor. Qua quidem ratione *ex tempore*, vel à tempore, apte interpretabimur ante tempus, priusquam fieret, vel vt bene vertunt Septuaginta: Quando fiebant, ibi eram, idest, ipsi creando affui mundo. Cuiusmodi sunt illa eiusdem Diuinae Sapientiae verba. *Cum eo eram cuncta componens. Quando praeparabat caelos, aderam*. & quae sequuntur. Sequitur in Isaia: *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius*. Eusebius Caesariensis cum verba haec retulisset: Considera quaeso hic, inquit, quonam modo qui dixit, Ego sum primus, & ego sum in aeternum, qui & terram & caelum condidi, ita à Patre se missum esse fatetur à Domino Domino: sic enim Patrem consitetur bis Dominum appellare. Quibus sane verbis sic explicatis aptissime respondent eiusdem Prophetae sequentia: *Haec dicit Dominus Redemptor tuus Sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia &c.*

Isa. 48. ℣. 16.
ORACVLI manifestatio.
Ioan. 18. ℣. 20.
S. August. tr. 6. Oras.
Leo de Castro super Isaiam.
Psal. 24. ℣. 6.
Psal. 89. ℣. 1. & 2.
IMPIVM est existimare animas ante principium mundi creatas fuisse.
Prouer. 8. ℣. 30. & 27.
Euseb. lib. 5. demonst. c. 6.
CHRISTI manifesta doctrina.
Isa. 48. ℣. 17.

His vero recte connectemus, quae tertio denique loco exponenda suscepimus, vt propter sanctitatem in oraculo loquentis, locus ille Sanctum dicatur Sanctorum, hoc est, Sanctissimus, vel vt supra iuxta Beati Hieronymi sententiam exponebamus, qui sanctitate reliqua omnia loca longe, lateque superaret. Nam vt à Ribera nostro, atque alijs explicatum est, eiusmodi phrasi vti solent Hebraei ad rei excellentiam significandam: id quidem quod Latini superlatiuis praestant, de qua re nihil a nobis praeterea addendum est. Illud vero esse videretur huius loci proprium, vt quoniam longius patet Hebraeum nomen קדש Kodes, quàm vt aliqua Latina, aut Graeca voce possit exprimi, eius omnes notiones percenseremus, atque ostenderemus huic loco prae ceteris maxime conuenire: at quoniam id longum fortasse videretur, praesertim cum alibi aliqua huc spectantia tradiderimus, ab ijs supersedendum nobis esse duximus, ac breuiter percensitis vocibus, quibus haec vna aliqua ex parte exprimitur, ad reliqua properandum est, & Prophetae verba sunt explananda.

SANCTVM Sanctorum.
Ribera lib. 1. de templo c. 6.

Est quidem verbum קדש Kadas cum in rebus Diuinis vsurpatur, ab vsu profano semouere, & ad Dei cultum, aut vsum accommodare, seponere, emundare, lustrare, transferre, praeparare, certo solemnique ritu diuino seruitio emancipare. Quae omnia oraculo maxime conuenire indicat ipsa nominis impositio: nam & quasi per anthonomasiam locus hic dicitur קדש Kodes Sancta, vel sanctitas. Sic Beatus Paulus hac voce vsus est; cum summum Sacerdotem semel in Sanctum Sanctorum introire solitum fuisse retulisset: *Christus*, inquit, *assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum &c. introiuit semel in Sancta, aeterna redemptione inuenta*. Quid autem Sanctorum nomine intelligat Paulus, post pauca explicat: *Non enim*, inquit, *in manufacta Sancta introiuit Iesus exemplaria verorum: sed in ipsum caelum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Quis vero non intelligat supremum caelum, Deique sedem, atque conspectum oraculo referri? quod & nos fusius suo loco confirmaturi sumus. Sed & Regius Psaltes: *In noctibus*, inquit, *extollite manus vestras in Sancta*. Chaldaeus paraphrastes, ad quos sermo fit, explicat, qui sic habet: Qui statis super custodia domus Sanctuarij Dei. de his custodijs

SANCTVM, idest semotum.
Hebr. 9. ℣. 11. & 12.
Ibid. ℣. 24.
Psal. 133. ℣. 3.

nos supra locuti sumus, & laudatis in nocte &c. Aliqui ad sanctitatem leuandas esse manus affirmant. Simplicius: Orate Deum, inquit, versus Sanctuarium, & locum arcae. Quod si locum Psalmi cum praecedenti Pauli conferamus, facile intelligemus in quae Sancta leuare oporteat manus nostras, in nocte praesentis saeculi, vt exponit Hieronymus: vel vitae praesentis, quae cum futura collata, nox est, vt exponit Remigius.

S. Hieron. in Psal. 133. S. Remig. ibid.

Sed ne nihil de sanctitate loci dixisse videamur, eam vel vno eiusdem Sanctissimi Pauli Apostoli argumento, quo omnis haec ratiocinatio concludi, & contineri videatur, explicare conabimur. Nam propter loci huius sanctitatem, Sanctum maxime esse oportuit Sacerdotem, cui semel saepius sanctificato Sancta haec ingredi licuisset. Omnem vero illorum sanctitatem, vmbram fuisse verae ac perfectae, quae est in Christo, pluribus confirmat Apostolus: cuius dignitatem dum conatur exprimere, pariter indicasse videtur quid sanctitate significet, quis sit dicendus Sanctus, vel vt pressius loquamur, Sanctus Sanctorum. *Talis enim decebat*, inquit, *vt nobis esset Pontifex*. Non eramus digni, nec promerebamus, inquit Primasius, talem habere Pontificem: sed necesse erat nobis, vt talem haberemus Pontificem, qui esset *Sanctus*. Graece ὅσιος: Theophylactus, ὅσιος est, inquit, qui nihil eorum, quae facere debet, omittit, purus Latine redditur: quae ad perfectionem, & morum integritatem spectare videntur. *Innocens* ἄκακος, Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius, fine dolo, qui neminem deciperet. Cicero: Virtutis, inquit, contraria est vitiositas, sic enim malo, quàm malitiam appellare, quam Graeci κακίαν appellant: nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vitiositas omnium. *Impollutus* ἀμίαντος, qui nulla sorde polluitur, immaculatus alias vertitur: Latine, *segregatus à peccatoribus*, non solum à peccatis, *& excelsior caelis factus*, ab eorum consuetudine immunis. Sanctus vero Anselmus sic locum hunc exponit: *Sanctus*, idest, omni perfectione virtutum in seipso consummatus, & *innocens*, quantum ad proximum, nemini vnquam faciens quod noceret: & *impollutus*, idest, cuius sanctitas & munditia per alicuius peccati consensum, & delectationem non esset polluta: & *segregatus à peccatoribus*, id est, seorsum factus à grege peccatorum &c. vel *Sanctus* interius, *innocens* manibus, *impollutus* corpore, *segregatus à peccatoribus*, idest, ab omni peccato immunis, & à grege ceterorum Sacerdotum separatus, inter quos nullus sine peccato: & *factus excelsior caelis*, vt ibi ministret in superno altari &c. Vel, *excelsior caelis factus*, idest, super omnes caelestes creaturas deuectus, itavt eius magnitudo, vel sublimitas magnitudinem primorum sic transcendat Angelorum, vt inter ipsum & Angelos nulla possit fieri comparatio, secundum magnitudinem & excellentiam. Haec Sanctus Anselmus. Quae omnia si recte cum ijs, quae initio dicebamus sanctitatis nomine significari, conferantur, facile deprehendentur quandam veluti definitionem sanctitatis continere. In quibus quoniam nobis non licet diutius immorari, satis poterit esse perspectum quid indicare voluerit Angelus, cum Ezechielem Prophetam nostrum allocutus, dixit: *Hoc est Sanctum Sanctorum*. Illud porro argumentum in memoriam reuocandum esse monemus, quo supra ostendere conabamur templi illius imaginem Prophetae ostendi, quod olim fuerat a Salomone aedificatum, cuius pars intima hoc nomine censebatur. Hoc idem Beati Ioannis Chrysostomi luculentissimo testimonio confirmare non grauabimur: Neque enim alibi in terra, inquit, constructum erat tale templum, siue quod ad sumptum, siue quod ad pulchritudinem, aut aliud quidquam attinet. Deus enim qui imperauerat, iusserat illud cum multa magnificentia fieri, quia & illi corporalibus magis attrahebantur, & alliciebantur. Capitella quippe columnarum habebat aurea in parietibus, & licet vnicuique volenti in secundo libro Regum (forte tertio scribendum esset) & in Ezechiele hoc cognoscere, & quanta auri talenta expensa sunt in illo tempore. Haec Sanctus Doctor, qui idem templum censuit ab historia Regum, & ab Ezechiele describi.

SANCTVM oportet esse Sacerdotem Sancta ingressurum.

Hebr. 7. ℣. 26. Primas. in Epist. Pauli.

Theophylactus.

S. Ioan. Chrysost. Theophyl. Oecumenius. Cicero 4 Tuscul. & 3. de fin.

CHRISTI summi Sacerdotis sanctitas. S. Anselmus.

TEMPLVM Salomonis vidit Ezechiel. S. Ioan. Chrysost. hom. 17. in Epist. ad Hebr.

DE PARIETE

TEMPLI, EIVSQVE *nominibus, & dimensionibus. Cap. XIV.*

ET mensus est parietem domus sex cubitorum: & latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum domus. V. Parietem domus & latera, quae metitur hoc versu, seorsum examinanda sunt primum, deinde simul conferenda, vt ostendamus quantum ille his indigeat. Atque vt ea quae dicenda sunt, facilius percipiantur, Sanctuarij primum vestigium ob oculos ponendum est, quod, maxima cubitorum mensura factum cum sit, minores quasdam aedificij partes, de quibus modo agendum est, facilius percipiendas, oculis legentium obijciet. *Parietem* Hebraice קיר Kir, murus, paries: quam vocem alij primitiuam esse arbitrantur, alij ad radicem קרה Karah, reuocant, quae occurrere, obuiam fieri significat. cum vero de aedificio sermo est, aut de domo, significat contignare, hoc est, tigna ita disponere & coaptare, vt sibi inuicem occurrant; atque adeo parietem sic dictum arbitrantur, quòd obuius fiat, & occurrat ingredi volentibus, vel quod tignis sit compactus, vel quòd lapidibus haud secus quàm lignis connexus sit atque compactus. Et quidem propter priorem notionem conijcere possumus, Prophetam in describendis atriorum parietibus hac voce numquam vsum fuisse, hi enim, vt vidimus, in postes ac vestibula distincti vndique patent, praeter exteriorum perpetuum, qui proprie murus dici posset. Secundam porro notionem respexisse videtur Propheta item noster, dum altare aureum describit & וקירותיו עץ vekirothaiu gaets, & paries ligni, inquit. Vulgatus, *& parietes eius lignei*. Sed quanam ratione parietes contignationem videantur respicere, aut cur materiam potius respicere videatur vox Kir, quàm lapides, aut lateres, è qui-

PARIETIS Hebraicum nomen vnde desumptum.

Infra ℣. 22.

bus

bus frequentius fiunt parietes, non vsquequaque constat, nisi forte antiquissimos mores, atque aedificiorum principia respexit linguarum omnium antiquissima, cum è materia parietes fieri coeperunt. Cuius rei Vitruuius auctor est: Pri-

Vitru. lib. 2. cap. 1
PRIMA AEdificandi principia.

mum enim alij de fronde coeperunt, inquit, facere tecta, alij speluncas fodere &c. Cum essent autem homines imitabili docilique natura, quotidie inuentionibus gloriantes, alijs alij ostendebant aedificiorum effectus, & ita exercentes ingenia certationibus, in dies melioribus iudicijs efficiebantur: primumque furcis erectis, & virgultis interpositis luto parietes texuerunt &c. Haec autem ex ijs, quae supra dicta sunt, originibus instituta esse possumus sic animaduertere, quod ad hunc diem nationibus exteris, ex ijs rebus aedificia constituuntur. Nos vero exemplis à Vitruuio propositis ea possumus adiungere, quae apud rusticos passim videmus.

Sed de Hebraicae vocis origine liberum sit cuique, quod velit, sentire. Latinam vocem

S. Isidor lib. 15. Originum c. 8.

parietis inde dictam putat Isidorus, quòd semper duo sint pares, alioqui deformis est structura, & irregularis. Sed Hebraica voce vsa est mulier illa Sunamitis, quae honoris ergo magna vocatur in historia Regum; quaeque sedulo ministrare cupiens Elisaeo, *dixit ad virum suum:*

4 Reg. 4. ℣. 9. & 10.

Animaduerto quod vir Dei Sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei coenaculum קיר קטנה chir chetanah, muri, *paruum.* Non

COENACVLum muri quod dicatur.

autem desunt qui coenaculum muri dictum putent, quasi perpetuo muro cinctum, fornicatumque fuerit, vt & fenestris quoque caruerit: qui si tam arcte voces accipiant, negabunt cubiculo ianuam, atque subinde vsum. Vatablus sic dictum

Vatablus.

putat, quasi semotum, aut ab alijs aedificijs sepositum. Quod si conijcere quoque nobis liceat, coenaculum muri forte vocauit, quasi dicat à fundamentis erectum, non ex alijs aedificijs sumptum, neque asseribus tantum confectum, sed muris, ac solido aedificio. Eiusmodi quidem erat murus, de quo nunc est Prophetae sermo; quamuis asseribus quoque fuerit conuestitus, vt infra videbimus. Non est autem vox haec notione diuersa ab ea, quae vrbium muros significat, quod satis perspectum esse poterit in libro Iosue,

Iosue 2. ℣. 15.

vbi de Rahab meretrice exploratores dimittente sic scribitur: *Dimisit ergo eos per funem de fenestra; domus enim eius* בקיר bekir, in pariete muri, & in muro ipsa habitabat. melius Vulgatus sensum reddidit, *haerebat muro* vtique vrbis. Trans-

PRAECORdia quasi cordis parietes.

fertur autem haec eadem vox ad significandum praecordia, apud Hieremiam: *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Ventrem vocat pectoris

Ierem. 4. ℣. 19.

concauitatem, vt alias saepe solet vocare Scriptura וקירות לבי vekiroth libi, & parietes cordis mei: tumultuatur mihi cor meum, non tacebo: sic locum conuertit Vatablus. Paguinus vero prae-

Vatablus. Paguinus.

cordia interpretatur, quae sunt tamquam parietes cordis. Chaldaeus: Sustentatio cordis mei, inquit, rugit in me. Sunt autem, inquiunt alij, cordis parietes, qui circumdant illos duos cordis ventriculos. Et certe si interiora illa cordis parietum nomine censeantur, haud immerito pectus ipsum costis, neruis, cartilaginibus, ac pelle, mirabili extructum artificio, vel potius pectoris latera, parietes dicentur cordis, ipsum cor continentes, atque munientes: ita vt sensus verborum sit quasi explicans praecedentia, *ventrem meum doleo*, vel viscera mea dolore afficiuntur, & latera eius conturbantur: *Sensus cordis mei turbati sunt*: sensum respiciens vertit Vulgatus: haud aliter quam Septuaginta interpretes. Me premit anima mea, scribentes.

Sed & haud notione dissimilis huic est vox Graeca τοῖχος tichos, quam substituunt Septuaginta, quamuis origine diuersa sit: haec enim vox deducitur à τεύχω teucho, hoc est, facio, fabrico, struo, quasi dicas, extructus. Quae vox ab Euripide vsurpatur pro hominis latere, ab alijs pro

Euripid. lib. 1. Epigram.
Aristophanes in ranis.

lateribus nauis. Vnde originem duxit illud Aristophanis prouerbium, Ad foelicem inflectere parietem, desumptum, vt putat interpres, ab ijs qui naui vehuntur: qui si quando nauis alterum

AD FOELIcem inflectere parietem.

B latus fluctu deprimatur, protinus in alterum transcurrunt, quod altius distat ab vndis, ideoque foelix dicitur. Quadratque in eos, qui haud secus quàm muscae culinae, apes melli aduolant, fortunam potiorem in amicitia, non fidem sequuntur. Quae vtraque translatio, & muri nostri structuram, & vsum indicare videtur, vt mox videbimus.

Erasmus.

Huius porro parietis vnam mensuram tradit, cum triplex facile posset desiderari, longitudinis videlicet, altitudinis, & crassitudinis. At cum muri longitudo domus longitudini par sit, haud secus quam altitudo celsitudini, haec subintelligenda esse videntur, cum de domus ipsius C similibus dimensionibus agendum est, atque adeo haec vna mensura quae traditur, crassitudini danda est, *sex cubitorum.* Animaduertendum autem est, quod templi portam ingressus, postes ex vtraque parte totidem cubitis mensus est: vbi ostendimus non modo de muro Orientali domus sermonem fieri, verum etiam confirmauimus dictum murum crassitudine ac situ muris atriorum respondisse. At cum supra ostensum sit, muros praedictos calamum integrum latos fuisse, addidisseque senis cubitis quartam insuper partem cubiti, idem ipsum de hoc muro intelligendum esse crediderim, nisi obstet partium subductio, quam paulo inferius expendemus: qua D probante & confirmante firmum manere, quod dixi, atque extra controuersiam esse poterit.

MVRI crassitudo calami varia.

LATERA DOMVS
QVAE DICANTVR, ET DE *mirabili structura parietum.* Cap. XV.

E

ET *latitudinem lateris quatuor cubitorum.* Latera Hebraice צלעות tselaghoth, quae vox proprie significat costas animalis: eius vsus in Genesi reperitur, de dormiente Adamo sic scribente. *Tulit vnam* מצלעתיו mitsalghothau, *de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et aedificauit Dominus Deus* את הצלע eth hatselagh, *costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Et Baldad Suhites calamitates percenset iniusti, inter quas hanc enumerat: *Attenuetur fame robur eius.*

Gen. 2. ℣. 21. & 22.
Iob 18. ℣. 12.

eius: robur pro liberis accipiendum esse putant Hebraei, quòd ij robore sint geniti: *& inedia smuadat* לצלעו lesalgho. *costas illius*. Contritio, infortunium, euentus malus paratus erit lateri eius. Rabbi Abraham, & Rabbi Leui, lateri eius conuertit: alij vero, ex vtroque latere confringet eum. Quoniam costae sunt a lateribus animalis, ideo vox haec in vniuersum sumitur pro latere cuiuslibet rei. Sic in Exodo: *Facies*, inquit, *& vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas in vno* צלע eselagh *latere tabernaculi*. qua ratione Chaldaeus quoque vocem exposuit ibidem saepe. A forma praeterea, & vsu costarum desumitur metaphora, trabes in tectis vocans hoc nomine: sunt enim solidiores pectoris partes longiores, latae magis quàm crassae, cuiusmodi etiam sunt trabes, aut tigna, quibus tectum compingitur domus. *Et tabulatis cedrinis vestiuit*, inquit, *totam cameram*. Et tecta cedro מִמַּעַל על הצלעות mimaghal g'hal hasselaghoth, super trabes, quae super columnas. Rabbi Dauid trabes esse intelligendas confirmat hoc loco. Chaldaeus: Et obduxit, inquit, tabulis cedrinis supra tabulata, quae erant super columnas; tabulata scripsit pro trabibus. Septuaginta vero Interpretes alteram vocis, quam diximus, translationem sequuti: Et texit cedro domum, inquiunt, desuper in lateribus columnarum. Haud dissimili quoque analogia asseres, quibus interiores templi parietes vestiuntur, hoc eodem nomine appellantur in libris Regum. *Et aedificauit*, inquit, *parietes domus intrinsecus* בצלעות betsalghoth, in asseribus, *tabulatis cedrinis*. Neque vero alia ratione de Graeca voce πλευρα pleura, philosophandum est, quàm de Hebraica צלע eselagh, significat enim costam Aristoteli, costas hominis octonario numero definienti; Sophocli latus. vnde medicis πλευρῖτις dicitur lateris dolor & compunctio: sic etiam nauis costae dicuntur, & fluminis ripae.

R. Abrah.

COSTAE pro lateribus

Exo 26. ℣. 26.

CONTIGNATIONIS trabes costae dicuntur

3. Reg. 7. ℣. 3.

Rabbi Dauid in comment.

3. Reg 6. ℣. 15.

PLEVRA Graeca vox costas hominis, ac nauis significat, & fluminis ripas.

Arist. lib. 2. de par anim.

Sophocles.

Qui quidem omnes vocis vsus vim eius exprimunt, quid vero hoc loco significet, non ita. nisi quadam ducti similitudine, eiusmodi partes in aedificio assignemus, quae animalis costis, nauis item costis, aut contignationis trabibus similes esse deprehendantur: cuius rei gratia ab explanatione verborum Prophetae, ad ipsam structurae formam vestigijs & orthographijs expressam oculos conuertere oportet. Et quoniam vestibuli altitudo centum viginti cubitorum est, reliqua domus ad nonaginta cubitos surgit. Postulabat certe tanta domus celsitudo parietem in imo vastissimum, cuius augmentum fabricae Symmetria vetabat. Nam si crassiores muri constituerentur, quàm reliqui totius aedificij solida ossa turris manibus responderent atriorum spatijs inter postes relictis, quod vitiosum esset, atque ab hoc aedificio alienum. Itaque firmitas, & symmetria aedificij inuicem pugnare videbantur, vt alteri detrahendum esset, quantum alteri consuleretur. Summa autem Architecti sapientia in hac difficillima quaestione soluenda maxime eruuit, quae profecto maxime quoque expendenda est. Parietem ergo reliquis atriorum, vt vidimus, parem constituit, & quantum latitudini deerat, quae maximam molem atque celsissimam posset sustinere, tantum addidit firmitatis, appositis quibusdam ordine muris. nisi malis eas anterides appellare, voce, quae rem pressius indicare poterit, vt supra exposuimus. Hae igitur anterides è muro extant, ipsi

PARIETVM crassitudo celsitudini domus oportuna probatur.

A adhaerentes, singulaeque singulis atriorum postibus latitudine respondent, ac situ. Quod vero ad situm anteridum spectat, id poterit esse perspectum obseruanti in vestigio vniuersali lineas, quas saepe vocauimus radices, eisque postes atrij bifariam diuidi, atque has quas diximus antas, siue anterides secari comperiet. Id vero quod ad mensuram spectat, supponendum est praesenti versu earum latitudinem quatuor cubitis definiri, ac totidem atrij postes latos fuisse initio confirmabamus. Atque huiusmodi transuersis parietibus costarum nomen aptissime conuenire, nulli dubium esse poterit: quemadmodum enim nauis latera costis ligneis, aut animalis pectus osseis B costis continetur, ita plane domus haec tota his parietibus transuersis continetur, & veluti fulcris quibusdam sustinetur, ne trabium pondere pressi subtiliores parietes ab inuicem separentur, atque pandantur. Qua ratione factum est, vt paries senum cubitorum cum suis fulcris quaternum cubitorum, *vndique per circuitum domus*, extructus, atque dimensus fuisse dicatur. Neque vero vno pariete, etiamsi fulcris adpactis firmo contentus fuit solers architectus, sed & parietem alterum ab exteriore parte costarum extructo, parietem vnum vastissimum, maxime connexum erexit, atque inter vtrumque & fulcra, spatia quaedam reliquit, quae in exedras partitus est C ministrorum vsibus aptissimas. vbi admirabile splendet Architecti in vastissimis parietum constitutionibus eligendis artificium. Nam cum ad tantam arcis celsitudinem sustinendam pariete opus esset admodum crasso, paries autem (quod quotidiana nos docet experientia) duplici cortice construatur, cuius interiora tumultuario farciantur opere: ac belle satis actum erit cum eo, si aliquibus solidioribus partibus, aut lapidibus exterior crustra cum interiore connexa sit, & colligata: quae quidem vtraque cortex cum suis interiacentibus, & colligantibus parastadis ossium nomine censebitur ab architectis, media spatia veluti complementa sunt, & veluti caro, D quam repleuit Deus in latere Adami pro ablata costa. At Architectus noster, solis ossibus ijsque firmioribus adhibitis, reliqua complementa respuit: qua ratione factum est vt ossium soliditate retenta, ponderum sit sublata molestia, pariterque luminum, & ministrorum vsibus prouisum sit; operique non minus venustatis atque decoris, quàm firmitatis sit adiectum, quo facile spectaretur perpetuo sine vitio duraturum. Etenim latioribus structuris solidis praecauendum est maxime, ne dum concretus humor exhalare non possit, paries aut findatur, ac veluti quodam terraemotu agitatus concutiatur. Quapropter aestuarijs, aut spiramentis ordine dispositis, & ab E imis fundamentis vsque ad summos parietes erectis apte prouisum erit, vt si quid vaporis concreti, & sub tellure coacti moueatur, libere possit, ac sine fabricae ruina veluti per nares exhalare.

COSTAE dicuntur anterides

PARIETIS partes & fulcra.

MVRORVM complementa vitata quos ferant vsus.

Horum exempla passim Romae in antiquis aedificijs visuntur. Quorum vtilitates & commoda indicasse videtur architecturae princeps Vitruuius: de positionibus enim agens in humidis locis, haec subdit: Sin autem, inquit, aliquis parietes perpetuos habuerit humores, paululum ab eo recedatur, & struatur alter tenuis distans ab eo, quantum res patietur; & inter duos parietes canalis ducatur inferior, quam libramentum conclauis fuerit, habens nares ad locum patentem. Item cum in altitudinem perstructus fuerit, relinquantur spiramenta

Vitru. lib. 7. cap. 4.

ta :si

ra: si enim, non per nares humor, non in imo, & in summo habuerit exitus, non mirum in noua structura se dissipabit.

AESTVARIA in crassioribus muris relinquenda sunt. Quae sane eadem ratio locum habere censenda est in omnibus latioribus muris, atque eorum fundamentis, sub quibus terra perpetuo madet humore, qua crassiore, qua subtiliore, locorum, corporum, astrorum habitudine diuersa. Quae insinuasse sufficiet, expendere namque non vacat. Et quod ad nostri aedificij recensitas nunc partes spectat, earum singulae singulis Prophetae testimonijs confirmandae sunt. nunc vero earum dimensiones percensendae quàm breuissime sunt. Duplicem parietem in vtroque latere domus, & in postico commemorauimus, interiorem senis cubitis modo mensus est Prophetae ductor Angelus, exteriorem quinis metietur inferius, *Infra ꝟ. 9.* latera, anterides, siue antas quaternis, & medium inter vtrumque parietem spatium quinis.

Haec autem quae diximus, subtiliora videntur esse, quàm quae Rabbinorum aciem possent *RABBINOrum inscitia, & errores.* perstringere, eorum praesertim, quos ipsa aedificij compositio in rectum veritatis callem minime potuit deducere. Latus est, inquit Dauid, *Rabbi Dauid in comment.* thalamus, seu deambulatorium Ionathas autem exponit [illegible] meclutsatha, mediationem, & sic interpretatur ibi. Narratio autem aedificij laterum hic est similis illi, quae ibi fit, nisi quod deambulatorium inferius dixit hic esse quatuor cubitorum, ibi vero quinque: latera autem haec erant in parietibus domus extrinsecus, in Occidente scilicet, in Aquilone, & in Austro, & hoc est in circuitu. Haec ille. Rabbi vero Salomon: *R. Salomon.* Latitudinem lateris, idest, thalamus, inquit, qui erat illi posterior, habebat spatium quatuor cubitorum: in secundo autem templo erant sex. Ratio autem, vel occasio erroris Rabbinis fuit, quòd vox צלע tselagh, notionem minime renuat lateris: quapropter quidquid à lateribus domus fuisse cognoscunt, id omne lateris nomine censeri posse putarunt. At decipiuntur sane, eodem namque historiae Regum loco, quo thalamorum fit mentio, fit etiam costarum expressa commemoratio. *3. Reg. 6. ꝟ. 5.* Is autem sic habet: *Et aedificauit super parietem templi tabulata* יציע *iatsigha, per gyrum in parietibus domus, in circuitu templi & oraculi: & fecit* צלעות *tselaghoth, latera in circuitu.* Quoniam vero ipso textu exigente inferius tabulata explicanda, eorumque mensurae tradendae sunt, hoc loco satis erit insinuare voces יציע iatsigha, & צלע tselagh, forma dissimiles esse, notione vero longe diuersas, id quod perspectum lectori poterit esse, cum quae de illa dicturi sumus, cum ijs quae de hac diximus, plene contulerit. Sed quamuis ea quae dicta sunt, sufficere videantur ad laterum formam explicandam, atque mensuram: tamen contemnenda non est Lyrani sententia, quae quamuis Rabbinorum errore ducatur, ipsaque imperito sermone proferatur, confirmat tamen id quod necessario consequitur thalamorum, vel exedrarum constitutionem, quam concedere nos cogit textus. *Nicolaus de Lyra.* Is igitur cum aliquorum sententias merito confutasset, haec verba subiungit: *APPENDICIA Lyrani.* Propter quod dico cum Hebraeis, quòd ista latera sunt appendicia, lateribus templi exterius adhaerentia, propter quod latera nominantur: sicut tertio Regum sexto circa templum Salomonis fuerint appendicia secundum Hebraeos, prout plenius ibi dixi. Latera vero, de quibus hic loquitur, ponenda sunt in tribus lateribus huius templi, scilicet Occidentali, Aquilonari, & Australi: in Orientali vero non sunt ponenda, eo quòd ex illa parte est ingressus templi. Et cum laterum numerum mox à nobis explicandum, diuinando computasset: Modus autem ponendi, inquit, talis est: in templo namque isto describuntur inferius pilarij prominentes extra parietes ad ipsos fortificandum, sicut fit communiter in notabilibus, & arduis aedificijs. Igitur in parte Occidentali ipsius templi ponuntur tres pilarij, duo in eius extremitatibus, & vnus in medio eius: nam ex parte Occidentis non est aliquis ingressus, vel egressus, & dicti pilarij prominent extra parietem templi. *PORTAM Occidentalem Sanctuarij negat Lyranus.* Haec Lyranus. qui si quemadmodum aliqua quae certa sunt, cogitatione potuit assequi, omnia fuisset consequutus, maxima profecto dignus fuisset laude: sed absit à me, vt careat propria. Eius sane sententia vix percipi poterit, ac ne vix quidem, nisi prius vocem pilarij, quae vulgaris esse videtur potius quàm Latina, pressius explicemus. Lego non raro apud Vitruuium pilae nomen. *Vitru. lib. 6. cap. 11.* Eorumque parietis, inquit, pilae, columnae ad perpendiculum inferiorum medio collocentur. *PILAS quae dicantur.* Et iterum: Praeterea, inquit, inter limina secundum pilas, & antas, postes si supponentur, erunt non vitiosae. Pilas Graeci, vt Philander auctor est, στῦλας stilas vocant, sunt
C autem, qua voce vsus est Plinius, eae quadratae: *Plin. lib. 6. cap. 28.* nam rotundae κίονες dicuntur, & στῦλοι. A pila Cicero dixit oppilare, pro obfirmare & obcludere. *Cicero Philip. 2.* Inde medici ac vulgus vsurpant oppilationem, pro partium corporis obstructione firmata. *OPPILATIO vnde dicta.* A pila idem Vitruuius ipse pilatum vocat aedificium, quod est in pilas diuisum. Pilas Hispani vocamus pilares: Itali pilastri: Galli forte vocant piliers, vnde vocem composuit Lyra. Sed si eiusmodi latera Latina efferenda essent, anterides, siue erismae vocarentur. non enim alia ratione de his censendum esse arbitrarer, quàm qua de erismis, in substructionibus explicandis agebamus.

Illud igitur inprimis certum est, quod propo-
D nit Lyra, cubicula, siue exedras ab inuicem diuidi minime posse, nisi interiacentibus muris, quos quidem muros ipse pilarios, sacer textus, latera, Vitruuius vocaret anterides, vulgo Itali speroni, quos bene definit à pariete templi, verbi gratia Meridiano, prominentes, vel qui proijciuntur ad Meridiem. Atque de horum proiectura subsequens agit versus, vt ibi ostendemus. Est & illud quoque certum, quod ipse supponit, in medio Occidentali muro, vnum ex his pilarijs, quos vocat, statuendum esse: *PILA VNA in medio Occidentali pariete extructa fuit.* nam cum infra Sacer textus antas è regione pilarum atriorum constitutas fuisse testetur, & supra à nobis confirmatum sit, vnum postem in media porticu cuiuslibet atrij
E iure constituendum esse, exceptis porticibus, in quibus portae aperiuntur: fit vt medius postis Occiduae porticus, mediae antae, vel pilae Occiduae domus ex aduerso respondeat. quae res maxime confirmat ea, quae de porta ab Occidua porticu Israelis sublata, supra dicebamus: nullus enim aditus patebat ex ea parte in templum, qui Occiduae portae responderet. Denique quod ipse affirmat tres pilas in Occidentali muro templi à muro extasse, verum quidem est, si latitudinem ipsius domus tantum attendamus: vna enim in medio constituitur, singulae aliae è regione parietum, vna Meridiana, altera Aquilonaris. Verum si totus Occidentalis tractus consideretur, binae

binae aliae pilae addendae sunt è regione alterius parietis, qui costis ad extra fuisse perhibetur à Propheta, latus cubitos quinque. Quae omnia ipsaue atriorum symmetria perspecta, cuiuis esse poterunt in promptu.

DE LATERVM SIVE PILARVM FORMA, & vsu. Cap. XVI.

VI. LATERA *autem latus ad latus bis triginta tria*. Loci huius difficultatem si exaggerare vellem, vix sane possem quantum vero nobis attulerit laboris & solicitudinis, ac molestiae si explicare vellem, fidem fortasse legentium superarent. Quantum operae in eo explanando posuerim, cuperem sane indicare, vt & alijs vsui foret, & aperte agnoscerent nos nihil proferre ex ijs, quae aut C sua sponte occurrerint, aut aliud agentibus, & otiosis nobis in mentem venerint: sed quae diu desiderata, solicite quaesita, assiduo labore parta, nec multo minore explicata, ad nostrae huius lucubrationis integritatem aptissima videbantur, eaque maxime oportuna. Sed fastidioso lectori videbuntur superuacanea, cum aurum verbi gratia, propria perfectione probetur, nec attendatur quam duro saxo, quàm profundo specu eductum, quàm longo itinere aduectum. Sed non me latet auri, & nostrae huius explanationis longe diuersam esse rationem, cum illi nihil afferat perfectionis, qua comparetur, difficultas, huic vero maximam afferat firmitatem, D ac veluti certitudinem sedula opera in exquirendis alijs atque alijs rationibus, conferendis, confirmandis, confutandisque. ex quo fit, vt quae vltimo loco recipitur, à praecedentibus firmetur omnibus. Tamen ne molestus cuiquam sim, hoc vnum exponam, me nulli fortasse Prophetae testimonio explicando plus adhibuisse diligentiae, nullum saepius examinasse, nullum totis duobus & viginti annis iam exactis alium post hunc percepisse. In ea vero, quam nuper inueni, loci interpretatione ita animus conquiescit, vt facile affirmare ausim, nulla alia ratione exponi posse. Non enim satis esse vnquam arbitratus sum, quid senserint alij expositores, aut legisse, aut retulisse, neque animo statuisse quid magis videatur probandum: nam si idem ipsum cum reliquis omnibus sacrae Scripturae locis non conueniat, & cum omnibus consentiat aedificij partibus, atque mensuris, id tamquam manifeste falsum continuo reijciendum esse non dubito. Quapropter à referendis aliorum sententijs abstinendum nunc esse censuimus, at breui exponendum, qua ratione explicandus sit locus, mox enim facile aliarum expositionum incommoda cognoscentur.

LOCI HVius difficultas exponitur.

Ad rem igitur in Hebraeo haec verba sic habent: והצלעות צלע אל צלע שלש ושלשים פעמים vehatse-A laghoth tselagh el tselagh salos vselosim peghamim. Regius codex ea sic exponit: Et costae costa ad costam trium & triginta pedum. Et exponenda est inprimis phrasis illa, costa ad costam, quae ex notione praepositionis אל el, pendet, cuius frequens vsus est, vt conuertatur Latine ad, plerumque tamen valet, cum. sic Dauid cum solicitus expectaret belli euentum cum filio Absalom, audito quod Achimaas concitato cursu veniret, dixit *Vir bonus est* ואל vel, & ad bonum nuntium venit, pro, cum bono nuntio venit. melius Vulgatus. *Et nuntium portans bonum, venit*. Et apud Iosue: *Non fuit ciuitas*, inquit, *quae*, pacem faceret, vel pacificaretur; אל el, ad filios, vel cum B filijs Israel, *se traderet filijs Israel*. Ac tandem perspecta esse poterit huius vocis notio in Genesi, praecipiente Iacob filijs suis: *Sepelite me* אל el, ad patres *cum patribus meis in spelunca*. Qua quidem ratione si locum nostrum exponamus, & costae, legemus costa cum costa, hoc est, si binae singulae computentur, vna videlicet Australis, & alia Aquilonaris, erunt trium & triginta pedum. Ac sane mirandum videtur, quòd nullus Interpretum hac eadem phrasi non sit vsus, cum alij aliter atque aliter de costis senserint. Septuaginta interpretes, quos imitatus est Vulgatus noster: Et latera, inquiunt, latus ad latus. Chaldaeus: Tabulata autem tabulatum על ghal. Latinus interpres, super vertit: verum haud secus, quàm אל el, potest verti, ad tabulatum.

COSTA AD costam phrasis Hebraea.

HEBRAICA praepositio el, ad, vel, cum

2.Reg.18.℣.27.

Iosue 11.℣.19.

Genes.49.℣.29.

Trium & triginta pedum. Et de numero quidem in Hebraeo, Graeco, & Chaldaeo, nulla subesse posse videtur dubitandi ratio; quamuis quod verum fatear, late patens vocis פעמים peghamim, notio, vniuersae difficultati ansam praebuerit. significat autem vox פעם pagham, primaeua institutione, ictum, pulsum, impulsum, vt in libro Iudicum *Coepitque*, inquit, *Spiritus Domini esse cum illo* לפעמו lepaghamo: Incepit prophetia venire illi vice prima, conuertit Rabbi Dauid: qui & suos retulit doctores, vocem ad פעמון paghamon, tintinabulum significantem reuocantes. hoc est, coepit pulsare eum, & quasi tinnitum facere illi. Et spiritus prophetiae, inquiunt, pulsabat ante illum sicut tintinabulum. Huc forte respexit Paulus, qui prophetiae munus, quod est linguis loqui, illis verbis referens: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens*. quibus mutum quemdam sonum edere datum est, nihil praeterea significans aliud, quàm quod volet sonans. quod si desit sonantis mens, aut intentio, in vanum euadet aeris ictum & motum. Et apud Danielem conteri significat, percussum esse atque turbatum: dicente Rege: *Vidi somnium* ותפעם רוחי vattipagham ruhi, & contritus est spiritus meus, vertit Pagninus: *& mente confusus ignoro quid viderim*. Hinc vero fit vt eadem vox vicem significet, aut vices, qua ratione Itali vna volta dicunt, quasi vna botta, quasi manus percussionem per interualla diceres: quod facere solent, qui cantibus praesunt, quod vulgo dicitur far la battuta. Quare vox in singulari idem significat quod semel, quasi vna vice, in duali, bis, duabus vicibus, in plurali saepius, multis vicibus: cuius rei quam plurima supperunt exempla, vno aut altero contentus ero. Primum in Genesi, dicente ad Dominum Abrahamo: *Obsecro*, inquit, *ne irascaris Domine, si loquar adhuc* פעם pagham, *semel: Quod si inuenti fuerint ibi decem?*

VOCIS Pagham notio.

Iudic.13.℣.25.

Rabbi Dauid.

TINNITVM facere pro prophetare.

1.Corint.13 ℣.1.

Dan 2.℣.3.

Pagninus.

SEMEL, BIS, saepius.

Genes 18.℣.32.

Numeror. 20. ℣. 11. cem &c. Secundum est in Numeris: *Cumque eleuasset Moyses manum*, percussit petram virga sua פעמים paghamajm, duabus vicibus. *percutiens* A
Iosue 6. ℣. 4. *virga bis silicem*. Tertium in libro Iosue: *Septimo autem die Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in Iubileo, & praecedant arcam foederis*: & circumdent ciuitatem septem פעמים peghamim vicibus. *septiesque circuibitis ciuitatem*.
Genes. 33. ℣. 3. Sic etiam in Genesi, Iacob coram Esau fratre suo, *adorauit pronus in terram* שבע פעמים sebagh peghamim, septem vicibus, *septies*.

Significat praeterea haec vox pedes, quibus nimirum terram pulsamus. Sic gressus vocat in
Isa. 6. ℣. 26. Cantico Isaias: *Conculcabit*, inquit, excelsam atque sublimem factam Hierosolymam *pes, pedes pauperum* פעמי paghame, pedes, *gressus egenorum*. B
Cant. 7. ℣. 1. Huic haud dissimilis est phrasis illa Canticorum:
GRESSVS *pulchri.* *Quam pulchri sunt* פעמיך peghamaic, pedes tui, *gressus tui in calceamentis, filia principis*! Chaldaeus: Quàm pulchri pedes Israel, quando ascendunt, vt appareant coram Domino tribus vicibus in anno, cum calceamentis taxeis. Hispanice diceremus, que bien parecen los passos dados por buscar
Psal. 73. ℣. 3. a Dios. Atque in Psalmo: *Leua*, inquit, פעמיך peghameca, *manus tuas in superbias eorum in finem*. Hebraea & Chaldaea, gressus tuos solent expo-
Rabbi Dauid in lib. radic. & in comment. ni. Rabbi Dauid, pedes tuos: quamuis ab aliquibus, malleos tuos, conuerti referat. Ab alijs contritiones, terrores, percussiones solent intelligi, eodem fere sensu: cum enim pedes, aut gressus leuare dicitur, celerem cursum indicare videntur ad sumendam de malignis vindictam, cum manus percussuras iam esse significant; ex quo mox sequitur contritio, & percussio iam facta, ac perpetuo duratura. Sed & eleganti phrasi exposuit Dei nomine Isaias, superbiam Senna-
4. Reg. 19. ℣. 24. cherib Regis Assyriorum vane iactantis: *Bibi aquas alienas, & siccaui* בכף פעמי bacaph peghamai, in
BIBERE *aquas clausas.* vola vel planta pedum meorum. *vestigijs pedum meorum omnes aquas clausas*, fluuios, munitiones, vel munitos legunt Septuaginta Chaldaeus, fluminum profundorum. Quasi dicat militum numero, ac multitudine intima Regionum penetrasti, ac ipsa exhausi profunda flumina, vt sicco pede possent transiri. Ex dictis atque alijs exemplis, quae quamplurima possent afferri, facile potest colligi, quare vocem peghamim, pedem
Rabbi Dauid in comment. conuerterint Hebraei, pro mensura pedis illam vsurpantes, vt fecit Dauid, quamuis nisi libra-
Ostendimus tomo 3. Apparatus Part. 2. lib. 3. cap. 16. rijs adscribendum sit, toto caelo aberrauerit: Mensura eadem pedis, inquiens, erat duorum palmorum: nam vt aliàs ostendimus, pes quatuor constat palmis, non duobus.

LATERA, SIVE PILAE QVANTVM à pariete domus extent.

Cap. XVII.

Perspicuus plane sit nostri textus sensus, atque Prophetae nostri sententia in pilis dimetiendis ex ijs quae allata sunt. Latera, quae sibi inuicem bina respondent *latus ad latus bis*, hoc est, si bina sumantur longa sunt, vel potius à parietibus domus inuicem proijciuntur *triginta tria* pedes tres & triginta, id quomodo constet examinandum est primum: deinde alias loci huius explanationes cum reliquis aedificij partibus pugnare ostendendum est: ac tandem ratio reddenda est ob quam hoc potius pedum numero vsus sit Propheta, quàm alio quocumque cubitorum. Et primum quidem nulla
LATERVM *longitudo* ratione percipi à Lectore poterit, nisi in memoriam reuocet ea, quae paulo ante dicebamus de oraculi longitudine, latitudine ac situ, vbi pa-
C riter ostendimus quasdam lineas occultas à me- *Supra cap. 12. libri huius.*
dia, binos vtrimque calamos aequidistantes, à quibus interior muri superficies versus interiora retrahebatur cubitos duos & semis. Hae igitur lineae perspectae sint inprimis, quarum vna Meridiem respicit, altera Aquilonem: nam quod de his duabus dicetur, idem facile intelligetur de Occidentali, atque Orientali alijs. Et accipiamus Meridianam modo, quae quidem linea parastadem Occidentalem bifariam diuidet, is enim est primus harum linearum vsus. Accipiamus aliam huic magis Meridianam, quae duos calamos distet à prima, quaeque angularem parastadem bifariam quoque diuidat: atque cum para-
D stas vel costa lata esse dicatur cubitos quatuor, exterior parastadis terminus, atque omnium simul eiusdem lateris parastadum, qui à sua linea duos cubitos distat, distabit à prima cubitos quatuordecim cum dimidio. Iam vero considerandus est paries domus, cuius crassitudo sex cubitorum est, siue calami vnius: & quoniam, vt diximus, ex hac muri crassitudine linea haec abscindit versus Aquilonem cubitos duos cum dimidio, reliqui erunt ex eadem crassitudine muri versus Meridiem cubiti tres cum tribus quartis cubiti partibus: qui si à priori numero auferantur, vt vides in margine, reliqui erunt cubiti decem cum tribus quartis cubiti
E partibus, quos vndecim nominare licebit, iuxta consuetum Prophetae morem: nisi malis murum domus latum facere sex tantum cubitos, tunc enim à muro ad extremas parastades numerus erit cubitorum vndecim. Et cum omnia eisdem mensuris ex vtraque parte dimetiantur, totidem vtique cubitos à muro Aquilonari proijcientur Aquilonares parastades: quod si harum atque illarum proiecturam componas, simul dabit cubitos duos & viginti, qui si ad pedes reuocentur, addito eidem numero eiusdem dimidio, fient pedes tres & triginta, quos computat Propheta noster, veluti quoddam aenigma proponens.

SINGVLAE *parastades a muro extant cubitos vndecim*

$6\frac{1}{2}$
$3\frac{3}{4}$
$10\frac{3}{4}$

11
11
22
11
33

Quae quidem computandi ratio memoriae ma-

xime

ximе commendanda est, quippe ex qua omnis Sanctuarij commodulatio pendet. Atque illud inprimis, quod hic libuit adnotare, Occidentalis videlicet latitudo Sanctuarij, quae pendet ex compositione vicenarij, latitudinis interioris, & duplicis senarij crassitudinis vtriusque parietis, & duplicis vndenarij longitudinis, aut proiecturae parastadum ex vtraque parte qui omnes numeri simul sumpti quatuor & quinquaginta componunt. Qui quidem numerus per lineas radices facilius computabitur. Sunt enim quinque lineae binos calamos singulae ab inuicem distantes, atque adeo prima ab vltima calamos distat simul octo, qui cubitos complent quinquaginta; quibus si addas binos vtrimque cubitos ex singulis dimidijs parastadis angularibus, habebis eundem numerum, & maxima ex parte comprebendes, non casu, aut temere in calamos aream distribui, quae tot ac tam diuersas partes tam mirabili artificio componit, ac suis quasque locis collocat, iuxta Angeli mensuras, & Prophetae ductum. Neque vero alia ratione philosophandum est de secundi ordinis pilis, siue crismis, quae quamuis contrahantur in summo, in imo ad perpendiculum inferiorum procurrunt, vt vides, in orthographijs Meridianis & Occidentalis lateris, atque dissecti templi.

20
6
6
11
11
54

LONGITVdo parietis occidui quinque & quinquaginta cubitorum.

DE COSTARVM NVMERO.

Cap. XVIII.

HAec eadem symmetriae ratio, quae difficillimas quasque quaestiones soluit, aliorum interpretationes ab his dissidentes, ab ipsa quidem veritate & ratione dissidere conuincit, quod erat secundo loco tractandum. Duplicem itaque viam ingrediuntur Interpretes in hoc numero triginta trium, vel bis triginta trium componendo: aut enim cubicula totidem esse contendunt, aut cubiculorum tabulata, quod eodem recidit, aut ipsas costas, latera, siue pilas hoc numero censent finiendas: namque qui sedilia confingunt, nulli crediderim facere adhuc potuisse sua somnia verisimilia: cum nullus consessus fieret in interiori domo, quam soli Sacerdotes sacra peragentes, idque in ordine vicis suae, & singuli statuto tempore ingrediebantur, & non aliàs, vt infra magis confirmandum est.

Prioris sententiae dux & antesignanus videtur esse Ionathas Chaldaeus paraphrastes: Tabulata autem, inquit, tabulatum super tabulatum, triginta tria, vndena per ordinem, vel vndecim in ordine, vt retulit Rabbi Dauid, quasi dicat, inquiens, quòd latera erant triginta tria, ad tres ventos, vel partes, & sic sunt vndecim ad omnem partem ordinata, vnum apud aliud. Rabbi vero Salomon quina computat in singulis

R. Ionathas.
TRIGINTA tria tabulata computant Rabbini.
Rabbi Dauid.
R. Salomon.

A lateribus Meridiano, & Aquilonari, in Occidente singula. Verum cum, vt vidimus, & bene notauit Lyranus, postis in medio pariete Occidentali sit statuendus vnus, fit vt cubicula quacumque ratione computentur, futura sint semper numero paria, vndena nulla ratione. At idem Lyranus Latina verba vt sonant, accipiens, bis triginta tria quaerit, hoc est, sex & sexaginta, eaque tribus ordinibus, singulis vtique bina & vicena, quae hoc modo disponit: bina cubicula in Occidente, in singulis vero lateribus Aquilonari, & Meridiano dena. Sed si in latitudine domus bina constituit, in longitudine, quae tripla latitudinis est, vt vidimus, ter bina, hoc est, sena, B nec plura, nec pauciora licebit constituere, non dena. Nam qui alia cubicula alijs longiora, aut latiora confingunt, audiendi non sunt: quippe qui neque prima tetigisse videntur principia huius perfectissimae fabricae examinandae, cuius partium similitudinem, ac paritatem toties insinuauit Propheta noster.

Nicolaus de Lyra.
SEXAGINta sex cubicula.
CVBICVLA omnia paria.

Quod vero ad parastades enumerandas spectat, magis videtur textui consentaneum, quippe quae latera dici confirmatum est, & lata esse cubitos quatuor. Verum cum costae, latera, siue parastades non libere constituantur, sed in eisdem locis in quibus atriorum pilis respondere possint, vt propheta testatur, ita, vt per C earum media radices lineae pertranseant, examinandae quidem sunt potius ac videndae, num aliqua ratione possint hoc numero comprehendi: namque aliquam, vel aliquas addere, vel subtrahere manente eodem aedificio, impossibile omnino videtur. Et quidem inprimis numerum triginta trium excedant necesse est parastades; vt ex nostra computatione mox apparebit; ad huius numeri duplum confugiendum igitur est: & sex sunt ac sexaginta quaerendae. Et quaestio primum suboriri posset de quatuor angulis turris, qui quamuis parietis partes sint, suis capitellis haud secus, quam parastades exornantur. Verumtamen seorsum modo ponatur duo- D denarius angulorum numerus, vt demum videamus, num is numerus additus inueniendo numero, vel ab eodem sublatus numerum compleat quem quaerimus. Atque vt facilius omnes computentur parastades, ponantur ob oculos tres exteriores facies, siue orthographiae Sanctuarij, Orientalis, Occidentalis, & Meridiana, cui aequalis esse censenda est quarta Aquilonaris: & in Orientali tribus ordinibus duodecim, singulis quaternae videntur pilae. In latere Sanctuarij Meridiano, si tres ordines turris seorsum compuremus, senae sunt, atque ex aduerso eiusdem turris latere totidem, quae simul fiunt duodecim. Quod si reliquos duos ordines attendamus, E in inferiori sunt senae pilae, praetermissa quae ad angulum Occidentis apparet, ea namque aptius in latere Occidentali computabitur, quibus totidem superstant in secundo ordine: omnes duodecim; totidemque sunt in latere altero Aquilonari. Iam de Occidentali agendum est, & in inferiori ordine sunt sine dubio quinque pilae, quas superius in vestigio computabamus: in secundo ordine sunt tres in medio, Occidentale latus munientes, binae item in secundo ordine, quaternae demum in Occidentali latere turris, binae vtrimque: omnes simul sunt quatuordecim, quae omnes in vnam summam collectae duas & sexaginta efficiunt: his vero si angulorum

PILIS NVLlam addere, vel ab eis nullam licet subtrahere.

12
12
12
12
14
62
12
74

rum turris duodecim pilas addamus quatuor, & A septuaginta erunt, non autem tres & triginta, aut sex & sexaginta, vt exigere videtur textus. Praedictam vero pilarum distributionem in senas, quaternas, duodenas, senas duodenas nemo, credo, absque mysterio iudicabit, nisi forte is, qui sacras Literas, sacrosque Interpretes, neque a primo limine salutauerit: sed de his alibi opportunius agendum esse censuimus. At haec vna cogitatio quasi manu ducere videtur scribentem, vt quod tertio loco examinare polliciti sumus, breuit absoluamus. Illud vero est, quare Propheta non simpliciter hunc numerum protulerit, quem ex contextu colligebamus: breuissime dicens, laterum proiectura, vel longitudo vndecim cubitorum fuit.

PILARVM numerus mysteriorum plenus.

Huic vero quaestioni facile respondemus ex dictis, nullum quippe numerum à Propheta referri arbitrati sumus, quem non aliquo sublimiori mysterio explicando aptare voluerit: namque ex tot ac tam diuersarum partium relatis mensuris plures alij facile possent colligi, vt perspectum esse poterit eosdem componenti, & diuidenti. Sed eos tantum retulit, quos aptissimos fuisse putauit ad Christi mysteria repraesentanda, eiusque Ecclesiae sacrosanctae. Quare si quae de vndenario numero Sanctissimi tradunt Doctores, Augustinus, & Gregorius in memoriam reuocentur, facile dignoscetur quare is sit à Propheta praetermissus; nos vero quid sit quod illum alterum loco huius substituerit, tandem insinuabimus. Quare, inquit, peccatum per vndecim? subaudi, indicatur. Quia transgressio denarij est, vt eas ad vndenarium. In lege autem modus fixus est, transgressio autem peccatum est. Iam vbi transgrederis denarium, ad vndenarium venis. Adeo magnum mysterium figuratum est, quando iussum est tabernaculum fabricari. Multa ibi numerosa dicta sunt in magno sacramento. Inter cetera vela cilicina iussa sunt fieri, non decem, sed vndecim: quia per cilicium ostenditur confessio peccatorum. Quid autem amplius quaeris? Vis nosse omnia peccata contineri numero isto septuagesimo septimo? Septimum solet pro toto computari, quoniam septem diebus voluitur tempus, & finito septenario rursus ad caput reditur, vt eadem forma voluatur. Per huiusmodi formae reuolutiones saecula transeunt, à septenario tamen numero non recedunt. Omnia enim peccata dixit, quando septuagies septies dixit, quia illud vndecim ductum septies, fiunt septuagies septies. Omnia ergo dimitti peccata voluit, qui ea septuagesimo septimo numero praesignauit. Haec Sanctus Augustinus. Sanctus vero Gregorius locum Danielis de quarta bestia exponens: Vndecimum quippe, inquit, huius bestiae cornu esse scribitur: quia regni eius potentia iniquitate roboratur. Omne enim peccatum, vndenarium est: quia dum peruersa agit, praecepta Decalogi transit: & quia in cilicio plangitur, hinc est quòd in tabernaculo vela cilicina vndecim fiunt. Hinc per vndecimum Psalmum dicitur: *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus*. Hinc in vndenario numero remanere Apostolos Petrus metuens, Matthiam duodecimum sorte missa requisiuit: nisi enim signari culpam per vndenarium cerneret, impleri Apostolorum numerum tam festine duodenario num curaret. Quia ergo per vndenarium transgressio exprimitur, huius bestiae cornu vndecimo, ipse auctor transgressionis indicatur. Haec Sanctus Gregorius. Quae eadem cogitatio Prophetam nostrum facile mouere potuit, vt à domo Dei hunc numerum remoueret, qui culpae symbolum esse solet, qua nihil est à Deo magis alienum.

VNDENArius numerus peccati symbolum.

S. August. ser. 15. in Matth.

Exod. 36.

SEPTVAgies septies omnia peccata dimittenda significat.

S. Gregor. lib. 32. cap. 12. exposit. in Iob.

Dan. 7. ℣. 8.

Psal. 11. ℣. 1.

VNDENArius numerus à domo Dei quare eiectus.

Sed longe aliter se res habere videtur, cum in ipso templi introitu latitudinem vestibuli, quam denario posset cum Sacro historico computare, ipse idem Propheta noster vndenario computauerit. At non à praedicta significatione ne id quidem alienum est: templum enim imaginem quamdam corporis Christi referre, ipso Beatissimi Ioannis Euangelistae testimonio, immo & ipsius Christi Domini ab eo relati confirmatum est. B In Christo autem Iesu nihil est de transgressione, aut culpa peccati, ideo vndenarius non est: est tamen in eo caro peccatorum similis, ideo is numerus est, quem posses censere vndenarium, vt ibi exposuimus. Olim vero legis addictissimi Scriptores etiam sacri, ab vndenario numero abstinuerunt, atque denarij commemoratione contenti fuerunt. Quae omnia si licuisset ac singula pertractare, aptissimum nobis suppeditaret argumentum Paulus, verum eius verbis tantummodo relatis, ac breui insinuatis ijs, quae huius videri poterunt instituti propria, reliqua lectoris prudentiae, ac meditationi, breuitatis studio permittimus. *Nam quod impossibile*, inquit, *erat* C *legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Quae verba recte cum superioribus coniungit, & explicat noster Toletus: Legis, inquit, spiritu implendae impossibilitas ex eo procedebat, quia infirma erat, & imbecillis propter carnem peccato infectam ideo Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt eo damnato, & carne à peccato separata, lex mentis & spiritus impleri posset, remoto eo, propter quod infirmabatur. Hanc autem legis imbecillitatem, & Christi potentiam in liberanda à peccato carne, disertis verbis expo- D suit Chrysostomus. Videtur, inquit, legem calumniari: si vero quis diligenter attendat, vel maxime illam laudat, conuenisse eam cum Christo ostendens, & res easdem cum illo voluisse. Neque enim dixit, quod in lege malum erat, sed quod illa minime poterat: & rursus quatenus imbecillis erat, non quatenus male agebat, aut insidiabatur: neque imbecillitatem illi adscribit, sed carni, dicens quatenus imbecilla erat per carnem. Carnem hic rursus non substantiam ipsam & subiectum, sed carnaliorem sensum vocans: quibus verbis tum corpus, tum legem criminatione liberat. Et post aliqua de Christi ac legis similitudine, ac dissimilitudine E explicata, de victoria parta differens, haec subdit: Vide enim, inquit, quot noua atque inopinata extiterint: vnum quidem, quòd peccatum carnem non vicit: alterum quod victum est peccatum, & à carne victum: neque enim simile fuerit non vinci, & vincere, quod antea semper deijciebat: tertium quod non modo vicit, sed & puniuit. Nam minime peccando non victus est: moriendo autem vicit, & damnauit illud, terribilem illi carnem efficiens, quae prius despicabilis esset. &c. Vides quàm diuersae victoriae partae sint? quòd non victa sit caro à peccato, quòd ea peccatum vicerit, ac damnarit: quod non simpliciter damnarit, sed damnarit,

Ezec. 40. ℣. 49.

IN VESTIbulo templi quare vndenarius numerus.

Rom. 8. ℣. 3.

CHRISTI caro peccatum damnat. *Toletus ibid. in comment.*

S. Ioan. Chrysost. hom. 13. in Epist. ad Roman.

GLORIOSA Christi de peccato parta victoria.

narit, tanquam quod peccauisset. Prius enim illud coarguit iniuriam fecisse, sicque ipsum damnauit non simpliciter fortitudine ac potestate, sed iure ac ratione: hoc enim patefecit, dicens: *De peccato damnauit peccatum in carne*. ac si dixisset, quòd conuicit illud magno aliquo de peccato, ac tum demum illud damnauit. Haec & alia his similia Sanctus Doctor. Quae quam gloriosum fuerit Christo similitudinem carnis peccati sine peccato induisse, plane testantur, eaque ipso denario, atque vndenario vestibuli numero indicantur.

Sed tandem quod vndenario reiecto, & cubitorum mensura praetermissa, ad pedes, eosque tres & triginta reuocauerit Propheta mensuram, neque caret mysterio, neque minus quam reliqua, mirabile consilium indicat architecti. Ac primum huiusmodi pilae, aut costae aedificio firmitatem praestant, quam homini pedum proiecturae, quod supra retulisse me memini: pedibus igitur aptissime dimetiuntur. Neque ea tantummodo ratione, sed potissimum, vt ipsae pilae aedificij corpus fulcientes, ipsum Christi corpus annis tribus & triginta, quibus nobiscum in terris versatus est, indicent, vel ex parte completos, vt quorumdam opinio tenuit; vel satissuperque, vt aliorum. Neque vero hic idem numerus longe ab vndenario distat, cum illum ter contineat, quod adhuc mysterio non vacat: immo vero maximum illud redemptionis nostrae facile insinuat. Illud enim peccati symbolum, illa enim caro peccati, *pro similitudine absque peccato* assumpta, Diuinitati per Verbum copulata, ipsius templum effecta est, *in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*, vt ait Paulus. Est enim ternarius, Deitatis symbolum: siue etiam quia Christus carne, anima, & Verbo ipsam referebat Diuinam personarum Trinitatem. Sed haec alterius indaginis sunt, quae hic insinuata indicant, quam bene haec cum illis, atque illa cum his copulentur, consentiant, confirmentur.

ANNI aetatis Christi hoc numero indicati.

Hebr. 4. ℣. 15. Colossen. 2. ℣. 9.

DE CVBICVLIS,

QVAE DVOBVS PARIETIBVS *templi continebantur, & costis.*

Cap. XIX.

E*T erant eminentia, quae ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, vt continerent, & non attingerent parietem templi.* Structuram, ac formam cubiculorum, quae, vt diximus, inter vtrumque templi parietem, atque inter costas, siue parastades relinquebantur, his verbis exposuit Propheta noster, quae quamsimillima sunt eorum, quae in libris Regum de eisdem cubiculis referuntur: ea tamen quoniam vix percipi posse videntur, quin ipsa templi forma ob oculos habeatur, ideo Expositoribus varia commenta fingendi, atque

A in illis proponendis paruo cum fructu laborandi occasionem aliquam dedisse videntur. Sed nobis propterea nostra minime deserenda est methodus, qua primum verba expendimus, deinde contextum, ac demum cum omnibus numeris ac partibus consensum: quapropter speramus nos in rectam deducendos esse veritatis semitam. Verba igitur libri Regum cum his conferenda, sic habent: *Et aedificauit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu*. Et post enumeratas trium tabulatorum mensuras, quas paulo inferius expendemus, haec subdit: *Trabes autem posuit in domo per circuitum*

B *forinsecus, vt non haererent muris templi*. Et quaenam sint tabulata haec circa domum vniuersam extructa, videndum est inprimis. Hebraice יציע iatsiagh, à verbo יצע iatsagh, cuius propria notio est sternere, seu verius substernere. Inter verba יצע iatsagh, & פרש paras, hoc vnum interesse putat Rabbi Dauid, quod hoc, superius sternere significat; illud, inferius: huius exemplum est in Psalmo, vbi nos legimus: *Si descendero in infernum, ades*. Hebraice: Si strauero, lectum, videlicet meum, in inferno: vel vt Sanctus Hieronymus vertit: Si iacuero in inferno, ades tu. Et apud Isaiam. *Saccum & cinerem sternere* sibi, vt iaceat in ci-

C nere & cilicio, animo improbo & auaro. Hinc deducitur nomen יציע iatsiagh, stratum lectum significans, propter pannos, qui sternuntur vt iaceas, aut sedeas. Hac enim ratione & lectum, & stratum copulauit Regius vates: *Si ascendero*, inquit, *super in lectum* יציע *iatsiagh*, stratorum meorum, *strati mei*, idest, quod mihi regio sternitur apparatu. Quare vocem hanc hoc loco deambulatorium solent interpretari factum inter parietes domus, instar coenaculi, vel cubiculi, vt ibi se absconderent. Kimchius affirmat fuisse extra domum Sanctuarij, instar cubiculorum in circuitu parietum Sanctuarij. Verum vox ipsa sonat stratum; quod quia asseribus sternebatur, tabulatum solet verti à Vulgato.

D Ex quo mox erroris conuincuntur ij, qui cubicula haec putarunt pariete materiaceo ex asseribus arrectarijs compacto, & assamentis transuersarijs astricto, exterius clausa fuisse, ex forte coniectura ducti, quòd tabulata dicuntur. Sed praeterquam quod vocis notio ex aduerso stat, immo & ipse nostri Prophetae textus, duplicem enumerans marmoreum parietem, senum cubitorum alterum, alterum quinum, quorum nullum licet arbitrari materiaceum; ipsa adhuc fabricae structura, decor, ac firmitas nihil eiusmodi facere permittit. Cum ligneus paries quamuis ex cedro compactus longam aetatem ferre non possit, caeli patens iniurijs, quin, vt quod

E minimum est, dicam, deturpetur, findatur, pandatur: cedrina enim materia cariem non sentit, imbres sentit, ac suscipit, aestuque laxatur. Neque vero aliam ob causam Mosaicum tabernaculum, quod cedrinum fuit, triplici operculo, seu papilione à Deo iussum est contegi, quam ne caeli inclementia corrumperetur. Quae quidem vna ratio facile posset ab instituto dimouere Scriptores illos, qui vel gyson quoddam lignis opertum in atrio, vel turriculas in summo domus tecto, aliaque eiusmodi nugamenta confingunt, indigna quidem rusticis casis, nedum amplissima domo, pro humanis viribus ad Dei incolentis dignitatem extructa.

3. Reg. 6. ℣. 5.

Ibid ℣. 6.

TABVLATA quae dicantur.

Rabbi Dauid in lib. rad.

Psal. 138. ℣. 8.

S. Hieron.

Isa. 58. ℣. 5.

STERNERE & stratum.

Psal. 131. ℣. 3.

TABVLATA circa domum quae dicantur.

LIGNA caeli iniurijs exposita quamuis cedrina, mulcilamentis obnoxia sunt.

Illis

Illis vero praetermissis ad institutum reuertamur. Vocem מגרעת migragh, μέλαθρον melathron, vertunt Septuaginta: qua voce tradunt Interpretes proprie trabem significari in medio tecti, atque adeo ab Interprete Latino in Regio codice sic conuertuntur haec verba libri Regum: Et fecit super parietem domus trabes per gyrum in templo & oraculo. At in Sixtiano codice ipsa vox Graeca melathra relicta est, quamuis in notationibus sententia referatur Theodoreti affirmantis sic dictas fuisse domunculas aedificatas in circuitu templi. Et certe vox ipsa Scriptoribus prophanis profecto nonnumquam vsurpatur, plerumque pro domo, haud secus quam Latinis tectum, aut limen pro domo synecdochicos, solet B vsurpari.

MELATHRON quid sit.

Cubicula porro haec in parietibus domus fuisse dicuntur. Sed cum singula cubicula quaternis contineantur parietibus, quinam hi sint videndum est in ipso contextu: *Et aedificauit super parietem domus tabulata.* על ghal, *super*, ad, *parietem*, qui praecipuus in domo est, quemque senis cubitis mensus fuerat paulo ante Propheta noster. Quod vero subdit *in parietibus domus*. Hebraice habetur את eth, quae vox, in, significat, plerumque, non, raro etiam, cum: quare in Regio codice, cum parietibus domus legitur. Ac sensus est, ipsos parietes domus, alterum interiorem sex cubitorum, alterum exteriorem quinque cubi- C cula conclusisse: & hi quidem parietes duo duo latera cuiuscumque cubiculi cingebant: duo vero reliqua costis, seu parastatis quas vocant latera, concludebantur. *Et fecit*, inquit, צלעות tselaghoth, *latera in circuitu.* quae omnia facile possunt in ipsa domus Domini ichnographia perpendi. Parietes vero abscissos, interiora cubicula, necnon sectas cubiculorum contignationes proponit figura septima, quae inscribitur SECTIO MVRORVM TESTVDINIS ATQVE COENACVLI AVLAE SANCTAE.

CVBICVLA inter parietes & costas.

His igitur sic de cubiculorum muris, ac situ statutis, eorum tecta expendamus oportet, de quibus magis obscure loquitur sacra Scriptura: D vel vt verius dicam, difficilius percipiuntur ab interpretibus, quae loquitur de interioribus quibusdam retractionibus, ac de retractionum causa. *Et erant*, inquit, *eminentia*. Hebraice מבואות vbaoth, nomen est participiale à verbo בוא bo, quod venire significat: sed & non raro ingredi, introire. Sic in Psalmo, Principes portarum caeli iam inde ab origine mundi tot saeculorum multitudine clausarum alloquitur Propheta, vt triumphatorem Christum admittant: *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales* ויבוא vavbo, *& introibit Rex gloriae.* Et in Deuteronomio sibi ab irato Domino dictum fuisse testatur Moyses: *Nec tu* תבא thabo, *ingredieris illuc: sed Iosue* E *filius Nun minister tuus ipse* יבא iabo, *intrabit pro te.* Qua ratione ea voce hoc loco ingressum significare putant nonnulli, nimirum à perpendiculo parietis inferioris versus interiorem partem. Hispani diceremus: Hizo vnas entradas. Has porro easdem retractiones alio nomine retulit liber Regum: nam vbi nos legimus: *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non haererent muris templi.* Hebraice habetur מגרעות migraghoth, voce à verbo גרע garagh, deducta, quod deficere significat, minuere, subtrahere, detrahere, adimere: vox autem garagh, subtractiones significat, quibus aedificij paries

CVBICVLORUM tecta, seu tabulata.

Psal. 23. ℣. 9.

Deuter. 1. ℣. 37. & 38.

3 Reg. 6. ℣. 6.

RETRACTIONES in costis.

A introrsus retrahebatur, ita vt pars inferior magis promineret, superior introrsum retraheretur, quodam veluti gradu relicto, cui capita trabium, immo & tota tabulati contignatio imponeretur. Harum porro retractionum, & cubiculorum formam ad finem subsequentis capitis adiecimus, cuius singulas partes examinaturi sumus, sed primum quae de eisdem scripserint Rabbini, proferemus.

DE RETRACTIONIBVS COSTARVM, ET *tabulatis cubiculorum.*

Cap. X X.

CHIMCHIVS inprimis: Thalami erant, inquit, aedificati in circuitu extra parietem domus Sanctuarij. Et horum thalamorum quidam erant infimi, alij medij, alij supremi & alter erat super alterum. Inferior erat latitudinis quinque cubitorum: & è regione contignatio huius inferioris thalami ingrediebatur parietem templi cubito vno, & super ipsum cubiculum locabantur trabium capita inferioris thalami. Porro templi paries ascendebat à thalamo inferiori, & supra, diminuto vno cubito: nam densitas parietis templi minuebatur per cubitum vnum in inferioribus thalamis. Itaque thalami medij latitudo sex erat cubitorum, & supremus thalamus septem cubitorum erat in latitudine: eadem ratione & in ipsis diminutionibus capita ponebantur trabium, ne perforarent parietem ad ponendum trabes: & hoc est, quod dixit: Ne apprehenderent parietes domus. Haec sunt Rabbini verba, quibusdam è medio sublatis, quae confusionem, ac tenebras parere possent, non lucem. Idem vero iterum: Quae ingrederentur, inquit, per parietem domus in lateribus per circuitum, id est, ingrediebantur capita trabium, nimirum templi, sicut erat positum in eo ad latera: sicut dicitur in libro Regum, imminutiones posuit in domo per circuitum ab extra. Vt continerent, & non attingerent parietem templi. Id est, vt continerentur in loco reposito in pariete, non autem in ipso pariete: vt (ne fierent corrigo) fierent foramina in ipso pariete E templi, in quibus essent capita trabium contenta, sicut ibi dicitur: Vt non apprehendant in trabes templi: nam paries templi latus erat in parte inferiori, & ibat se restringendo ad partem exteriorem contra thalamos, vt essent capita trabium apprehensa in loco sibi reposito. At Rabbi Salomon, vel quòd non sit latinitate donatus vt debuit, vel quod ipse quoque aedificium non conceperit omnibus suis numeris absolutum, satis confuse primum loquitur, vt vix verba componi queant, nedum perfectum reddere sensum: deinde vero dum extrema huius versiculi verba exponeret, ad rem propius accessisse videtur. Et non attingerent parietem templi:

Rabbi Dauid Chimchi. in lib. radic.

RETRACTIONUM modus & mensura.

Idem in comment. Ezec.

R. Salomon in comment.

R. SALOMON castigatus, & explicatus.

templi: Id est, inquit, capita eorum ex parte muri templi ingrediebantur, & perforabant ingressum, quo paries templi eminebat intra thalamos, sicut dictum est in aedificio Salomonis; quoniam trabes posuit in domo per circuitum extra tabulatum inferius, & quinque cubitorum erat latitudo spatij sui: laquear vero suum (nolui Interpretis mutare verba, etiamsi eius, scribendum censerem pro, suum) erat sex quoniam paries templi strictior erat in superiori parte vno cubito, ac propterea spatium cubiculi medij erat sex cubitorum, tertij vero septem cubitorum latitudinis, quod erat laquear thalami medij. Nam murus templi erat strictior intra sese vno cubito in superiori parte, & isti quoque erant illis similes, & hoc est quod dicitur. Et non attingerent parietem templi, idest, non erant fodientes parietem templi, sicut reliqua capita trabium inferiorum (forte superiorum dicendum esset, nisi inferiores trabes vocet eas, de quibus inferius agere statuerat) quae fixae erant in muro excelso: nam fodiebant parietem, & figebant capita trabium in foraminibus.

RABBINI ostenduntur a vero sacrae Scripturae sensu discedere.

Has porro Rabbinorum sententias examinare primum oportet in his, quae a vero sacrae Scripturae sensu, proprijs ductae coniecturis deficiunt. Atque illud inprimis falsum est, quod ad parietem templi huiusmodi referunt retractiones trium cubitorum: id quod falsum esse, cùm ipsa aedificij ratione probatur, tum vero maxime ipso contextu Scripturae. Nam cum, vt supra ostendimus, antae à muro domus vndecim cubitis proijciantur, è quibus quinque singulis cubiculis dantur, ac totidem exteriori parieti, vt videbimus, vnus tantum superest reliquus cubitus ipsarum parastadum proiecturae necessario tribuendus: nullum ergo reliquum superest spatium, in quo cubiti illi retractionum assignentur: praesertim cum ipsae templi mensurae omnino probibeant templi antas, immo & templi latitudinem, aut longitudinem maiorem esse ea, quam nos supra assignauimus.

RETRACTIONES non sunt factae in pariete templi.

Quod vero ad alteram spectat confirmationem, ex textu ipsa verborum explanatio facile praestare poterit. Ea ex Hebraeo sic vertit Regius codex: Et venientes (siue proiectutae, vt diximus) in pariete, qui domui ad costas circumcirca. Chaldaeus vero paraphrastes. Defixa, inquit, parieti intra tabulata per circuitum, vt capita trabium requiescerent super illud quod eminebat, neque trabes penetrarent per parietes domus. Sensus igitur verborum iuxta praedicta hic colligitur: parietem quidem domus contingebant tabulata, siue cubiculorum recta, ita tamen vt non ipsi parieti incumberent, sed costis: erant enim antae, siue prothurides, vt in apposita vides figura, in summo quidem latae cubitos quatuor, quot cubitos latae erant exteriores earum facies: inferius vero descendendo, eaedem antae latae erant cubitos quinque, quia dimidius cubitus ex vtraque parte proijciebatur. Inferius vero rursum latae erant cubitos sex, & in imo cubitos septem: atque in huiusmodi retractionibus capita trabium, quae transtra dicuntur, figebantur, totumque tabulatum huiusmodi innitebatur retractionibus, non autem muris templi, qui, tum ob firmitatem, tum vero maxime ob religionem non fuerant perfodiendi trabibus inferioris aedificij, atque exterioris. Et hoc est, quod textus manifeste indicat, factas huiusmodi retractiones, siue eminentias in lateribus, siue in antis, quae parietem templi fulciebant, vt dixi: vt praedictae laterum retractiones continerent, siue sustinerent tabulata, tabulatorumque trabes, & non attingerent, id est, ne attingerent: aut ne perfoderentur a trabibus parietes templi.

TEXTVS explicatur.

SEPTVAGINTA interpretum expenditur lectio.

Aliter vero Septuaginta interpretes intellexisse videntur hanc, quam reddit textus, eminentium proiecturarum rationem: sic enim habent in Regio codice: Et spatium in pariete domus in lateribus in circuitu, vt essent inhaerentibus ad videndum, & omnino non attingerent parietes domus. At in Sixtiano: Et interuallum, inquiunt, in pariete domus in lateribus per circuitum, vt esset apprehendentibus ad videndum, vt omnino non attingerent parietes domus. Vtraque vero lectio pari obuoluitur difficultate. Eorum tamen sententiam ad mysticos sensus reuocare voluisse videtur Sanctus Hieronymus. Et erant, inquit, quaedam eminentia, quae egrederentur per parietem domus, per latera in circuitu, vt continerent, & non attingerent parietem templi, illud significat, quod Sancti viri in multitudine credentium erumpant per parietem templi: per omnia videlicet latera in circuitu, & contineant Ecclesiae fundamenta, & tamen non tangant parietem templi; tantum vidisse contenti, & de longe inenarrabilia adorasse mysteria.

S. Hieron.

Richardus de templo Ezec. cap. 16.

Haec Sanctus Doctor. Richardus hanc sententiam explicare voluit, nec vsquequaque potuit, quoniam quaedam supponit, quae textus non admittit. Fuit, non me latet, & ipsius Richardi, & aliorum sententia de tabulatis his, à vero non minus, quam à veri similitudine aliena. Arbitratur enim ea fuisse quaedam deambulatoria, trabibus a muro templi extantibus innixa: cumque hac ratione minime exponere posset de trabibus verba illa textus, vt non attingerent parietem templi, ea retulit ad tabulata, & ad homines, quibus videre licuit parietem templi, contingere non licuit. Trabes itaque, inquit, de parietibus prominebant, & latera supportabant: sed idcirco tabulata, quae super ipsas fundata erant, non vsquequaque vsque ad parietem pertingebant, vt videlicet visum admitterent; & intuentium obtutus ab imis vsque ad superiora libere percurreret, & totum sub vno aspectu comprehendens, de toto iudicare potuisset. Haec vero sententia cui placeat, cum trabes muro ipsi, cui eas negat Scriptura, tantum tribuat, neque visum parieti quinque cubitorum vllum permittat, ac tandem vix explicet qua ratione super tabulatis ambulantes, murum, quem videre oculis possunt, manibus contingere non possint? Tandem haec multiplex sententiarum varietas ex defectu descriptionum oborta, descriptiones maxime necessarias fuisse confirmat, ad vnum veluti corpus aedificij è multis, ac varijs partium descriptionibus componendum, siue etiam meditatione assequendum.

TRABES parieti domus negat textus, quas tribuit Richardus.

Sed vt ad institutum reuertamur, ea quae diximus, confirmare videtur Iosephus: Et cellae, inquit, suum quaeque tectum habebant non proximo contiguum. Nam cum trabes costarum insisterent retractionibus, inter quaelibet bina cellarum tecta, costa vtrique intercedebat, quod testatur Iosephus. Idemque affirmare videtur Lyranus: Vt continerent, inquit, id est, vt pilarij sustinerent appendicia media, & superiora per trabes eis impositas.


Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

Nicolaus de Lyra.

DE



PROSPECTVS CVBICVLORVM QVAE TEMPLI PARIETIBVS CONCLVDEBANTVR ET ANTIS



DE COCHLEIS TEMPLI LATERALIBVS,

quibus ad superiora cubicula ascendebatur: & de portis, quae ad illas ducebant.

Cap. XXI.

VII. *Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, & in coenaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus: & sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.* Sermonem hoc loco fieri à Propheta de cochleis templi, nulli dubium est, aliqua tamen permiscet interdum de triplici contignatione, de coenaculo templi, & de dilatatione superiorum contignationum: quae difficultatem pariunt non modicam, eam tamen partibus singulis expositis euitare conabimur. Et priora verba sic ad verbum conuertit ex Hebraeo Regius codex: Et dilatabatur, C & circuibat desuper desuper לצלעות lasselaghoth, appendices, quia circumdata domus desuper desuper circumcirca domui. Rabbi vero Dauid. Dilatabat se, inquit, & circuibat sursum sursum ad latera: id est, latera eo toto, quo sursum ascendebant, dilatabant se in loco illis reposito in pariete, sicut dicitur in libro Regum, tabulatum inferius quinque cubitorum erat latitudinis, medium vero sex cubitorum latitudinis. Quod autem dicitur, & circuibat, significat, quod per cochleam ascendebatur sursum ad latera, sicut dicitur in libro Regum: & per cochleam ascendebant ad medium coenaculum, & à medio in tertium. בלול bilul. autem, aut הלול hilul, D est aedificium ad similitudinem columnae vacuae factum, quasi per gradus in gyrum: & ascendens per illud ascendebat per viam circumitionis. Sic enim legitur in tractatu mensurarum, cochlea erat à cornu Orientali Aquilonari, ad cornu Aquilonare Occidentale, qua ascendebatur ad tectum thalamorum. Ascendens autem per cochleam habebat faciem ad Occidentem, & ibat super faciem totius Aquilonis, quousque perueniret ad Occidentem, vertebat faciem suam ad Austrum, pertransiens faciem totius Occidentis, donec perueniret ad Austrum: & deinde vertebat faciem suam ad Orientem, & ambulabat per Austrum, donec perueniret ad E portam coenaculi apertam versus Austrum. gyrum enim domus superiorem appellat הלול hilul, aut בלול bilul, & vocat מוסב mussab, gyrum, qui ascendebat sursum sursum vsque ad supremam partem, idcirco latius erat templum in superioribus: id est, quoniam adhaerebant in pariete domus, ideo latius erat templum in superioribus, id est, supremum laterum latius erat ceteris omnibus. Et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora per medium: iuxta expositionem Chaldaei paraphrastis. Et sic in cochlea, inquit, ascendebant ab inferiori ad superiorem per viam medij. Haec ille. qui & cochleam definisse vi-

Rabbi Dauid in comment.

RABBINORUM sententiae de cochleis.

A detur, & cubiculorum latitudinem, & quòd omnia cubicula peruia fuerint, quod aptissime exposuit, caeli enumerans regiones, ad quas conuertebatur, qui cubicula praedicta vellet percurrere: ea vero, perspecta nostra ichnographia cuilibet esse poterit in promptu. Neque abeo dissentit, qui huius expositionis viam illi aperuit Rabbi Salomon. sic enim habet: Et platea erat, vel, & dilatabat se. id est, latera ibant dilatando sese sursum, sicut expositum est. medium enim latius erat inferiori vno cubito, & sic superius latius erat medio vno cubito. ascendens sursum, vel circuibat sursum. idest, cochlea, quae est aedificium ex lapidibus ad similitudinem columnae, & per gradus ascendebatur in ea. Ascendens autem per illos gradus videtur sibi ire, & circumdare columnam lapideam, & hoc est, quod dictum est in aedificio Salomonis, & per cochleam ascendebant ad medium coenaculum: quod etiam a Chaldaico paraphraste explicatum est. Idcirco latius erat templum in superiori: idest, propterea quod diximus, quod dilatabant se in superioribus, ideo latitudo domus inter latera sursum maior erat, & latus superius erat latissimum omnium. Haec ille.

R. Salomon in comment.

Verum ipsam Hebraeam dictionem satius erit expendere *platea* Hebraice ורחבה verachaba, à verbo רחב rachab, vox deducitur, quòd dilatari signi- C ficat, latum esse, vel fieri inde vox רחב rochab, latitudinem significans deducitur, cuius vsus frequens nostro Prophetae ab initio fuit. Quam vocem, plateam vertit Vulgatus, voce à Graeca deducta, latitudinem proprie significante, atque adeo vrbis latiores vias, seu vicos. Ac sensus est: latitudo quidem cubiculorum maior in superioribus circuibat domum. Quem sensum Septuaginta quoque interpretes reddiderunt: Et latitudinem, inquiunt, superioris laterum secundum additamentum ex pariete ad superius in circuitu domus, vt dilatetur sursum & ex inferioribus, & ascenderent ad superiora, & ex medijs. Quae Septuaginta interpretum lectio perspicua est, D quamque non oportet additarum vocum difficultatibus obuoluere. Quid enim necesse est, inquit hoc loco Sanctus Hieronymus, dubia & non scripta disserere, cum in ea, quae Hebraeorum tenentur libris, debeamus incumbere? Et de retractionibus quidem costarum constare crediderim tam satis, vt nihil sit praeterea addendum, praeterquam quod ad maiorem superiorum cubiculorum latitudinem spectat: id enim exponendum est, cum primum perspectum fuerit, triplicem suspensam fuisse cubiculorum contignationem, quam nulla ratione deprehendere potuisset, nisi scalas conscendisset, de quibus verba primum fecisse comperimus.

DILATATIONIS, vel plateae nomen.

S. Hieron.

E *Ascendens sursum per cochleam, & in coenaculum templi deferebat per gyrum.* Et de cochlea quidem quamuis ascensus non semel, sed saepe referatur hoc loco, cochleae tamen nulla mentio fit in Hebraeo, eam autem huc retulisse videtur interpres ex historia Regum, sicut paulo ante vidimus fecisse Rabbinos. Ex quo facile conijcere poterit lector, quàm firma fuerit ac certa Vulgatae editionis Interpreti ea sententia, quam nos supra confirmabamus: quòd idem omnino aedificium & à Propheta nostro, & à sacris Historicis in libris Regum, & Paralipomenon referatur, cuius partes, quae hic obscurius indicantur, ex illis quae ibi manifestae sunt, licuit colligere:

TEMPLVM Ezechielis idem cum Salomonico.

Supra lib. 1. Isagogi. hu-ius par cap. 9 & 10.

gere: vt historia esse videatur hoc loco quasi prophetiae commentarius, quod contra non raro accidisse comperimus, vt posterior tempore prophetia fuisse videatur illius historiae explanatio.

3 Reg. 6. ℣.

Verba igitur libri Regum sic habent: *Ostium lateris medij in pariete erat domus dextrae: & per cochleam ascendebant in medium coenaculum, & à medio in tertium*. Hebraice: פתח הצלע התיכנה petach hatselagh hathiconah, apertionem, introitum significat vox prior, quam supra satis me explicasse memini, nec minus secundam vocem צלע eselagh, qua costam, latera, antendes significari diximus. Quapropter in ipsis quidem postibus, hoc est, in parietibus quae vtrumque parietem contingebant, ostia aperiebantur, non enim aliunde aditus patebat in haec interiora cubicula, quam per eiusmodi ostia fornicibus suffulta, quorum vestigia contemplari licet in vestigio primo Sanctuarij, erectam vero faciem, atque abscedentia latera in cubiculorum imagine, paulo ante apposita. Quapropter loci sensus hic esse poterit, ostium quod in latere aperiebatur medio, vel in medio lateris, id enim hic, & paulo etiam inferius significat vox תיכנה thicona, deducta, vt placet Hebraeis, à radice תוך tuc, vel תכה tacah, quae medium significat, quod interiacet, vel vt dixi, alicuius rei medium, quod est inter extrema. Sic in Exodo: *Fugientibusque Aegyptijs occurrerunt aquae & inuoluit eos Dominus* בתוך הים bethoc haiam, in medio mari, *in medijs fluctibus*. Frequentior tamen est vocis vsus, vt significet id quod interiacet quod neque à nostro textu alienum est, costas enim, siue parastades medias vt appellet, quod ipsae inter bina quaeque cubicula intersint, atque inter vtrumque templi parietem.

OSTIA cubiculorum vbi aperirentur.

VOX, medium, explicatur

Exo. 14. ℣. 27.

Quae sane ratio Interpretes fere omnes mouit, vt ipsa cubicula pro antis, aut postibus vsurparent, id quod haud esse videtur à ratione alienum, vt cubicula costis clausa costae dicantur: vnde & Propheta noster paulo inferius subdit. *Et erat interior domus inter latera domus*, interiorem domum, vel interiora cubicula vocat haec, quae D sunt inter latera domus: qua ratione hic quoque cubiculum interius, siue medium facile dicat hoc idem, non quod sit inter summum, & imum, de hoc enim infra loquitur: sed quod sit inter antas, & parietes templi. Id quod intellexisse videtur Chaldaeus paraphrastes. Porta, inquiens, appendicis inferioris aperta erat in latere domus dextro. Et pari ratione Septuaginta: Et ostium lateris inferioris ad humerum domus dextrum.

Infra ℣. 9.

CVBICVLA costis inclusa costae dicuntur.

Et bene legunt Interpretes hi, ad humerum, vel in latere dextro domus, quod Vulgatus *in parte domus dextrae* aptissime conuertit: & bene legit codex Sixti Quinti Pontificis Maximi iussu recognitus & editus, nam reliqui corrupti sunt, qui in pariete domus legunt, vnde ansam aliquam errandi sumpsisse videntur Scriptores illi, quos merito reprehendit Beda, quòd putauerint ostium templi fuisse ad Meridiem: Partem namque, inquit, domus dextrae latus templi Meridianum dicit. Et sane parietem, qui proprie templi dicitur, quemque sex cubitis paulo ante mensus est Propheta noster, perpetuum fuisse circa templum & oraculum, neque vllum ostium aliud habuisse praeter illud, quod initio dimensum est ab Oriente, perspectum esse inprimis debet. Ex quo mox colligimus, sermonem à Propheta hic fieri de ostio quodam minori, quo non ad ipsum templum ingressus patebat, sed ad cu- A bicula, de quibus nunc loquitur. Quod ostium in latere dextro fuisse testatur, sic enim vocat Meridianum latus, sedentem spectans maiestatem desuper Cherubinis ad Occidentem, cuius facies Orientem respiciat, dextrum latus Meridiem, sinistrum Aquilonem. Contra vero eueniet, si domum ingredientes aspicias, quorum facies Occidentem respiciat, sinistrum latus Meridiem, dextrum Aquilonem: qua ratione locum exposuit Chimchius supra relatus.

VVLGATA defenditur, & explicatur.

Beda.

LATVS dextrum, id est, Meridianum.

Ex qua vtraque expositione liquet, idem ostium à Meridie fuisse, & ab Aquilone. ad quae ostijs ingrediebantur, in muro quinque cubitorum apertis, de quibus infra loquetur Propheta B noster. Cur autem Meridiani potius ostij meminerit, quàm Aquilonaris, non aliam licet assignare rationem, quàm quòd mysterium fortasse voluit innuere, cuius meminit idem qui supra Venerabilis Beda. Qui locus, inquit, proprie ad corpus Domini respicit, quod de Virgine sumpsit: ostium enim lateris medij in parte erat domus dextrae, quia *Vnus militum lancea latus eius aperuit*. Dextrum autem latus à milite apertum Sancta credit Ecclesia. Aperuit autem, dixit Euangelista, quasi ostium medij lateris, per quod nobis iter ad caelestia panderetur. Eadem plane verba retulit Eucherius, & Angelomus. Atque C eiusmodi sententiam confirmare facile poterit, quod vtrumque ostium, & quod in pariete domus dextrae, & quod in latere Christi inter costas apertum fuerit, & per vtrumque mox scandendum fuisse, patebit. nam & de hoc subditur:

Infra ℣. 11.

Beda.

Ioannis. 19. ℣. 34.

LATVS Christi dextrum apertum.

Eucherius.

Angelomus in lib. Reg.

Et per cochleam ascendebant. Hebraice ובלולים vbelulim, & in cochleis, vel in gradibus, vt exponit Dauid. Vocis notionem, & scalae formam satis supra exposuere Rabbini, quibus fides adhibenda videtur vel propterea maxime, quòd vocis origo ignoretur. At constans omnium Interpretum sententia fuit, scalam ea voce significari, quam vulgo vocamus caracol, Itali lumaca, à similitudine limacis voce desumpta: quod quidem scalae genus nulla indiget, vt notat Chimchius, accliuitate, quia huius parietes recta ascendunt in putei modum, vel concaui cilindri: gradus vero in seipsos reflexi medium scalae circumdant. quare Ionathas vertit, per gyrum, aut, in circuitum, quòd ascendentes per gradus in gyrum tendant. Hanc porro scalam illis verbis expressam fuisse à Propheta putauit Hieronymus: quae sic vertix Regius codex. כי מוסב ci musab, quia circumdata domus: desuper circum circa domui: hoc est, quia circuitus quidam erat in domo, quo ascendentes circuibant semel ac saepius vt conscenderent *in coenaculum templi*; vel vt habet historia Regum, in medium coenaculum.

DE Cochleis.

Rabbi Dauid in lib. rad.

E Sed priusquam ab scalis discedamus, notandum esse videtur, vocem לולים lulim, in numero scribi multitudinis, quare Chaldaeus per cochleas vertit, duplicem indicans fuisse cochleam, à Meridie alteram, alteram ab Aquilone: id nobis vel nemine indicante suadere facile posset aedificij ratio, atque responsus. Has igitur scalas in vestigio Sanctuarij notauimus in ijs locis, in quibus aedificij vsibus maxime esse possent accommodatae, & ostijs proximae, & firmitati aedificij minime obesse possent, & obessent quidem si in exterioribus turris angulis aperirentur, cum in alijs murorum, aut aedificij partibus propter loci angustias si statuerentur, aut vsui obessent,

SCALAS plurali numero quare efferantur ab Hebraeis.

4

aut

A aut firmitati, aut & firmitati & vsui. Notat praeterea Rabbi Dauid, aliquos exposuisse, & per בארבה ericcoth, fenestras: ac si dicat, per viam fenestrarum ascendebant ab vno ad alterum. Apud Doctores enim Hebraeos לול lul, est fenestra. Quo loco animaduertendum lectori est huiusmodi scalis nullas fenestras aperiri potuisse, quae lumen è caelo perspicuum reciperent atque directum, quoniam scalis parastades vtrimque respondent, in quibus nulla ratione licuit fenestras aperire. sunt enim parastades, atque columnae quasi solida aedificij ossa, quae non sunt ostijs perterebranda, aut fenestris. Neque est, quod nobis obijciant Traianam, aut Antonianam Romae columnam, cum vtraque celsissima turris potius dicatur quam columna, quamuis in columnae speciem efformata sit: in quibus ne quid dissonum praese ferrent fenestrae, fissurae quaedam breuiores aperiuntur, scandentium lumini necessariae, sed ita paruae, ac nullis exterius ornamentis cinctae, vt ab ijs, qui propius accedunt, vix percipiantur, nisi attentius inter sculpturas quibus conuestiuntur, exquirantur: ab illis vero qui paulisper à columna recedunt, nec vix quidem perspiciantur. In his vero nostris scalis nihil à ratione alienum praestandum fuit, cum facile lumen recipiant à fenestris turris Meridianis, & Aquilonaribus, quarum magnitudinem, ac formam refert aspectus lateris Sanctuarij. Et cochlearum meminit quoque Iosephus: Porro, inquit, ascensum in superiorem templi partem commentus est Rex in crassitudine muri. Haec enim pars non habebat ab Oriente magnam ianuam per quam ab exteriori aliquo aedificio ingrederetur, vt inferior, sed a lateribus inerant parua ostiola. Horum formam vides in secundo vestigio Sanctuarij. Neque cuiquam videantur nostra schemata Iosepho esse contraria, quòd ianuae quandam formam videat ab Oriente aperiri & eiusdem in secunda contignatione vestigij, in Orientali facie Sanctuarij: ea enim non ianua dicenda est, quippe quae nemini pateat ingredienti, sed fenestra, quae lumini recipiendo patescat.

FENESTRAE cochlearum.

B

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

In coenaculum templi: enumeratis scalis, earum quoque terminum, hoc est, supremum locum in quem deferebant, referendum esse duxit Vulgatus, cuius verba si vt sonant, accipiantur, illud quidem probant, quod certum est, has quidem scalas saepius circumductas vsque ad coenaculum templi duxisse; quod nimirum super vniuersa Sanctuarij longitudine, & latitudine extructum fuerat, vt vides in secundo Sanctuarij vestigio: idemque coenaculum super prima templi contignatione attollebatur, vt vides in dissecti templi orthographia. Verum quòd nulla in origine, templi fiat mentio, satis aliquibus esse videtur, vt suprema inter costas cubicula coenaculum dicantur templi, quòd ea templum circumdent. Quod si lectori superuacanea minime videatur eiusdem rei in eadem oratione repetitio, id quoque per me licebit.

DE TRIBVS TABVLATIS, QVORVM *superius medio, medium imo latius erat.*

Cap. XXII.

IDCIRCO *latius erat templum in superioribus*. Hoc ex eo colligit, quod huius versus initio dixerat, *& platea erat*. vel vt vertit Clarius: Et dilatatio, & gyratio facta est sursum sursum ad cubicula: vel, sed spatium fiebat maius sensim ascendendo ad cameras, *idcirco latius erat templum*, idest, cubicula inter costas laterales templi. Hebraicae: Idcirco latitudo domus, subaudi costarum vt infra, superius, vel in superioribus. Hanc porro latitudinem, qua inferiora cubicula a superioribus distabant, testatam habemus in libro Regum. *Tabulatum*, inquit, *quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis*. Eorum porro longitudinem, ac latitudinem hic examinare iuxta lineas, quas radices duximus, operaepretium fore existimauimus: quare in memoriam reuocanda sunt ea, quae de lineis praedictis parietes templi secundum longitudinem diuidentibus adnotauimus. Et quoniam linea, verbi gratia, Meridiana è pariete Meridiano sex cubitorum abscindit ad Aquilonem duos cubitos cum dimidio, reliqui erunt, vt dixi, è muro versus Meridiem tres cubiti cum dimidio: atque vt medium cubiculum in medio linearum constituatur propter fenestras ac lumina, necessarium est, vt murus exterior quinque cubitorum abscindatur ab alia linea radice, eadem ratione nimirum, vt superficies Aquilonaris dicti muri distet à linea radice tres cubitos cum dimidio: at linea haec radicalis à priori distat cubitos duodecim cum dimidio, si ergo ab his subtrahas bis tres cum dimidio, hoc est, septem cubitos, reliqui erunt cubiculi longitudinis, sic enim appellatur à textu, cubiti quinque cum dimidio, quos more suo quinque cubitos vocabit Scriptura paulo inferius.

B

3. Reg. 6. ℣. 6.

TABVLATORUM mensura.

C

D

LONGITVDO cubiculi quae.

Infra ℣. 11.

Quod vero ad latitudinem spectat cubiculorum, cum trium cubiculorum terna sint tecta, vel tabulata, tres oportet esse muri retractiones dimidij cubiti singulas, non vero vnius cubiti, vt perperam, & contra rationem architecturae exposuerunt Rabbini. Nam si in muro altero retractiones ponamus, altero muro ad perpendiculum erecto, media cubicula superiora medijs inferioribus non responderent, atque adeo neque fenestrae fenestris, neque ostijs ostia, neque solida solidis, quod maxime vitiosum est: quapropter retractiones ex vtraque cubiculi parte fieri oportuit pares, ita vt vtraque cubitum vnum compleret, superiori cubiculo addendum. Quae omnia in allata licet obseruare figura, quippe quam iterum apponere non est opus.

E

In qua quidem licet obseruare, interiorem ac superiorem parastadis latitudinem exteriori latitudini respondere, quae quatuor fuit definita cu-

ta cubitis. Eadem porro paraſtas, aut anta, inferius ad ſummam deſcendendo retractionem, quinque habet cubitos craſſitudinis, addita ex vtraque parte dimidij cubiti latitudine, cui tabulatum imminet ſummum, ac tectum item cubiculorum, quod vides in ſectione quoque murorum Sanctuarij, & cubitus alter dimidius vtrinque accedit mediae retractioni, propterea paraſtas lata eſt cubitos ſex, & in imo ſeptem. Sed paraſtas vtraque lineis radicibus, quae duos calamos, hoc eſt cubitos duodecim cum dimidio ab inuicem diſtant, bifariam diuiditur, supererunt igitur inter imas retractiones cubiti quinque & ſemis latitudini cubiculi. Nam ſi, vt dixi, paraſtas in imo lata eſt cubitos ſeptem, erunt huius dimidium cubiti tres & ſemis: ſi ergo ex duodecim cum dimidio bis auferas tres & ſemis, hoc eſt, ſemel ſeptem, reliqui fient cubiti quinque & ſemis, quos hiſtoria Regum vocat cubitos quinque: *Tabulatum*, inquit, *quod ſubter erat, quinque cubitos habebat latitudinis*. Et haec eadem ſubductio, & computatio ſi in ſecunda retractione eodem modo fiat, è duodenis cubitis cum dimidio ſi auferas ſenos craſſitudinis paraſtadum, hoc eſt ternos vtrimque, reliqui fient cubiculo cubiti ſex & ſemis. Et hoc eſt, quod ait hiſtoricus ſacer: *Et medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis*. Quae vtique latitudo ſi inter parietes medij cubiculi dimetiatur, vt antea dixi de inferiori, ſublatis tandem ex duodenis cubitis cum dimidio quinis cubitis, binis cum dimidio ex vtraque parte, reliqui fient in ſummo cubiculo cubiti ſeptem cum dimidio, quos ſeptem vocat more ſuo Scriptura dum ait: *Et tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis*. Huic vero ſupremo tabulato tectum aliud imponendum fuit, vel propterea ſaltem, quòd in latere Meridiano templi facile poſſent pluuiae à ventis per ſpatium illud, quod inter paraſtades aperitur, immitti, & vitiare materiam, ac per eius rimulas cubicula ſtillicidijs inficere, quod veriſimile non eſt ab architecto non fuiſſe praeuiſum, atque prouiſum. Quapropter & tectum deſuper impoſuimus, cuius exteriorem formam in appoſita figura licet videre, interiorem in ſecti templi orthographia. Quod vero triplex gazophylaciorum ordo triplici tabulato tegeretur, ita eſt perſpicuum, vt probatione non videatur indigere: id tamen diſertis verbis teſtatum habemus in noſtro hoc textu: *Et ſic*, retulit quidem hanc conſecutionis notam ad id, quod de cochlea dixerat paulo ante, additis veluti per parentheſin illis alijs: *idcirco latius erat templum in ſuperioribus: & ſic de inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora in medium*. Vel vt habent Chaldaea. Et ſic per cochleam aſcendebant de inferioribus ad ſuperiora per viam mediam. Nec diſſimilis huic eſt hiſtoria Regum, quae ſic habet: *Et per cochleam aſcendebant in medium coenaculum, & à medio in tertium.*

3. Reg. 6. ℣. 6.

INFIMVM tabulatum quinque cubitorum.

MEDIVM tabulatum ſex cubitorum.

QVAE SINT praeuidenda architecto.

3. Reg. 6. ℣. 8.

DE RETRACTIONVM ET TABVLATORVM altitudine.

Cap. XXIII.

ET vidi in domo altitudinem, per circuitum fundata latera ad menſuram calami, ſex cubitorum ſpatio. VIII.

Expoſita iam ſatis cubiculorum forma, longitudine, latitudine, ac tectis, reliquum fuiſſe videbatur, vt de eorum altitudine loqueretur, quam hoc verſu definiri arbitramur, quamuis difficili plane phraſi. *Et vidi in domo* לבית labaijt, domui, vel domus, *altitudinem*. Sic locum hunc intellexiſſe videntur Rabbini, quaſi ſermo ſit de altitudine templi, quam contemplatus fuiſſet Propheta Angelo indicante, vel forte dimetiente, quamuis eiuſmodi altitudinem ſubticuerit Propheta. Haec enim fuit Salomonis, Dauidiſque ſententia, quos ſequuti fuerunt Iſidorus, atque Vatablus. Verum nihil magis à contextu alienum excogitari poſſe videbatur. Quid enim faciant antecedentia, & ſubſequentia cum domus altitudine, non eſt, opinor, qui videat, at neque qui videre poſſit: accedit menſurae ſilentium relatae partis, praeter Prophetae conſuetudinem. Multo ſane magis ad rem verba conuertit Vulgatae Interpres, atque ad proprium loci ſenſum percipiendum magis apta, *Altitudinem* quandam ſe vidiſſe ait in domo, hoc eſt, in interiori quodam ex illis cubiculis, ſiue quemdam cubiculorum ordinem ingreſſus, vidit *altitudinem*. Neque vero quiſquam arbitretur noſtrum eſſe commentum, cubicula haec domus nomine cenſere, cum non multo poſt, interiorem domum inter latera domus, ea vocet Propheta noſter, vt mox oſtendemus, quae meminiſſe oportet fuiſſe peruia, vt in veſtigio oſtenduntur, atque vt ſupra dictum eſt, & vt infra iterum confirmabitur: ſic enim ſit vt vno conſpecto cubiculo, plura quoque alia facile conſpicerentur, atque adeo *per circuitum* dixit: vt habent Hebraea סביב סביב ſabib ſabib, vndique vndique, vel circum circa: quaſi dicat, altitudinem hanc, vniuerſam domum circumdediſſe, quae & à cubiculis circumdabatur. Et quoniam vniuerſale nomen גבה gobah, quod *altitudinem* licuit conuertere, quid proprie altitudo haec ſignificet, non videatur exprimere, quae tamen ea ſit, ſequentia indicant verba מיסדות הצלעות muſdaoth hatſelaghot. Deducitur vox prior à radice יסד iaſad, quae fundare ſignificat: vt in Prouerbijs. *Dominus*, inquit, *ſapientia fundauit terram*. Quo loco admirabilem Dei ſapientiam commendat, quòd terram, quae rerum omnium veluti primum eſt fundamentum, cui plantae, viuentia, mare, ac reliqua denique inſiſtunt, ita fundauit, vt nulli alij innitatur fundamento: ſed, vt ait Pſaltes: *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Hebraice: Super ſuſtentacula eius. Chaldaeus: Qui poſuit, inquit, terram baſim, quae non mouebitur in ſaeculum ſaeculi. Verum ad notionem vocis יסד iaſad, reſpexiſſe videtur Sapiens, à qua vox סד ſad, dedu-

R. Salomon. Rabbi Dauid in comment. Iſid. Clarius, Vatablus.

VVLGATA à Rabbinorum commentis defenditur. Infra ℣. 9.

FVNDARE quid proprie ſignificet. Prouerb. 3. ℣. 19.

Pſal. 103. ℣. 5.

deducitur, consilium significans, quod initium A esse debet agendorum. vt enim fundamentum vniuersam aedificij molem sustinet, sic consilium prudens ac sapiens omnia negotia. Consilium itaque, vel sapientiam posuit Deus terrae fundamentum, *& stabiliuit caelos prudentia* caeli enim & terra in principio creata sunt, atque adeo duratura permanent, donec velit qui fundauit ea. Significat ergo nomen inde deductum, fundamentum, quod sustinet, aut fulcit: neque id tantummodo, verum etiam quòd fundamentum in imo constituatur, locum inferiorem ea voce significauit Moyses in Exodo. *Reliquum autem*, inquit, *sanguinem fundes* אל יסוד el iasod, ad fundamentum altaris vertit Chaldaeus, *iuxta basim eius*. Perspicuum autem est in altaris fossa effundendum sanguinem praecipi, de qua nos infra suo loco.

CONSILium agendorum fundamentum.

Exo. 29. ℣. 12.

Vtramque vero notionem vox hoc loco subire potest מיסדות massiroth quam notant aliqui pristinae formae restitutam fuisse à Massoretis, cum antiquum ו vau in י iod. degenerasse crederetur, de quo nostra nihil interest. Sunt autem fundamenta costarum, vel inferiores costarum partes retractiones illae, quarum supra meminimus, quae, vt in apposita vides figura, parastades fulciunt ac muniunt: quippe quae earum inferiorem partem veluti bases quaedam latiorem reddunt, atque adeo firmiorem.

Harum vero retractionum altitudinem calamo vno metitur. Quam Septuaginta distantiam laterum vocant, & merito, si latera pro tabulatis accipiant, vt fecit Chaldaeus, qui sic habet. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata tabulata mensura calami, sex cubitorum spatio. vel, fundamenta, siue fulcimenta tabulatorum fuerunt calami mensura. Hac vero calami mensura vniuersam retractionis celsitudinem definire videtur, in qua tabulati trabes apertis foraminibus imponebantur, ita vt hac calami mensura, & inferioris cubiculi altitudo comprehendatur, & tabulati crassitudo, ac sic de reliquis. Quod ita exponere nos cogit historia Regum, de his ipsis tabulatis sic scribens: *Et aedificauit tabulatum super omnem domum, quinque cubitis altitudinis*. Septuaginta interpretes: Et aedificauit, in Complutensi, tabulata, in Sixtiano, ligamenta. Theodoretus ἱμαντώσεις contignationes super omnem domum quinque cubitis altitudinis. Quae sane tabulatorum altitudo non quidem est accipienda pro crassitudine tabulati; sed pro ea celsitudine, qua quaelibet contignatio ab inferiori vel pauimento, vel contignatione suspenditur, nimirum quanta est interior cubiculi altitudo. Quod significare voluisse videtur Chaldaeus paraphrastes, qui sic vertit: Et aedificauit cameram vltra totam domum, quinque cubitorum erat altitudo eius. Hoc idem confirmari posse videtur Lyrani testimonio, qui sic scribit hoc loco: Fundata latera, inquit, idest, appendicia ad mensuram calami sex cubitorum: tantum enim distat tabulatum, quod est tectum inferiorum appenditiorum, à terra, & similiter tabulatum secundum, quod est tectum mediorum appendiciorum, & pauimentum superiorum tantum distat à primo tabulato, & similiter tectum superiorum à tabulato secundo. Hoc idem sensisse videtur Richardus, quamuis perperam acceperit cubiculorum latitudinem: Superius, inquit, latitudinem laterum descripserat in eo, quod dicebat: *Et latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum domus*: nunc autem eorum altitudinem describit in eo, quod hic adiungitur. *Et vidi in domo altitudinem, fundata latera ad mensuram calami, sex cubitorum spatio*. ℣. 5.

FVNDATA latera quae dicantur.

3. Reg. 6. ℣. 10.

TABVLAtum quinque cubitorum.

Nicolaus de Lyra super lib. Reg.

Richardus de templo Ezec. cap. 17.

Hunc autem locum Ezechielis, & illum, quem ex libro Regum retulimus, qui contrarij esse videntur, dum hic quinque dat cubitos tabulati altitudini, ille calamum, reconciliant voces illae, quae nunc magis quàm Ciceronis aetate, in ore fere omnium versantur, inclusiue, & exclusiue: vt sensus sit, quinque cubitos altitudinis exclusiue, calamum inclusiue alta fuisse singula cubicula cum suis tectis: tabulati vero crassitudinem B eam esse intelligemus, qua calamus quinque cubitos longitudine superat. Hanc vero tabulati crassitudinem, & vniuersam cubiculorum altitudinem expendemus, cum primum quid de tabulati altitudine senserint expositores aliqui, breui aperuerimus.

CRASSITVdo tabulati.

Et quidem inprimis Beda locum exponens libri Regum. Hic, inquit, supremum ipsius domus tectum, dicitur tabulatum illud, quod supremis trabibus suprapositum erat. Non habebat templum culmen in superioribus, sicut nec tabernaculum, sed erat aequale, quomodo in Palaestina, & Aegypto fiunt domus: tabularum autem quo operta est domus, idem quod laquearia signat. C Eucherius cum haec eadem verba paulo inferius refert, hunc locum aliter videtur exponere. Hoc enim, inquit, tabulatum in supremo domus tecto per circuitum, in extremo murorum via cancellorum erat erectum, ne quis ad superiora conscendens dum ad terminum tecti perueniret, incaute progrediendo dilaberetur ad ima. &c. Quibus tabulatis, seu muris, vel cancellis, cum ad tutelam viae ponuntur, vulgus turricularum nomen indidit. Haec placuit sententia Angelomo, Lyrano, Richardo, atque alijs. Qui omnes, quòd omni se lege putarent architecturae immunes, nullaque ratione teneri omnia simul loca conferre, ad id se facile contulerunt, quod à primo fuerat propositum. D Verum cum quae de tabulatis inter parietes domus, & costas constituris exposita sunt, necnon quae de eorum retractionibus, longitudine, latitudine, & altitudine dicuntur, omnia ad eiusdem formae tabulata referenda sint; id quod de cancellis, aut lorica dicitur, reijciendum esse non dubitamus, cum minime consonet textui. Accedit, quod cum aditus interioris atrij solis pateret Sacerdotibus atque Leuitis, idque ministerij tantum tempore, & causa, quidnam illis peragendam occurreret supra tectum templi? Sed demus hoc illis licuisse, numquid illis tectum perambulare liceret, quod ipsis auibus sublime volantibus interdicebatur? Desuper enim, inquit Iosephus, E verubus aureis acutissimis vndique horrebat, ne ab insedentibus auibus pollueretur. Nam quae de Christo Domino in pinnaculum templi deducto afferri potuissent, ac de Iacobo inde praeceps misso, neque omnino constant, an ad hanc pene infinitam domus celsitudinem pertineant, neque, si pertineant, quae ab impijssimo daemone, eiusque satellitibus peracta sunt, eadem omnibus licuisse credentur. Sed aliorum praetermissis sententijs, à quibus mihi abstinendum iampridem duxi, cum illarum nulla totum simul composuerit aedificij corpus, ad mensuram fundamentorum expendendam propius accedendum est.

Beda.

TECTA Palaestinae, & Aegypti plana.

Eucherius in lib. Regum.

Angelomus in lib. Reg.

Nic. de Lyra.

Richardus.

TECTVM templi auibus inhibebatur, nedum hominibus.

Iosephus 6. belli. cap 6.

DE CA-

DE CALAMO ITERVM, NECNON DE *altitudine singulorum cubiculorum, & omnium simul.*

Cap. XXIIII.

AD *mensuram calami, sex cubitorum spatio*. Hebraice מלו הקנה שש אמות אצילה melo hacaneh ses amoth assilah. Pleno calamo sex cubitorum axillae. Offert sese autem inprimis phrasis illa, qua calamum vocat plenum, qua quidam aliquid superadditum putant indicari iustae calami longitudini, quo calamus dicatur plenus: quasi vero qui iustus est, deficere possit à propria & iusta plenitudine. Nos vero idem omnino significari arbitramur calamo pleno atque iusto, calamo cui nihil desit ad statutam lege, vsuque receptam longitudinem. Id quod non leui quadam ducti coniectura affirmamus, sed manifesto sacrae Scripturae exemplo. Solicitus enim Abraham de sepulchro Sarae charissimae vxoris, sic loquebatur ad filios Heth: *Intercedite pro me apud Ephron filium Seor: vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui*: בכסף מלא becesaph male, in argento, pleno, *pecunia digna tradat eam mihi*, eadem plane vsus est voce: quam Oleaster exponens: Vocat, inquit, argentum plenum, monetam non attonsam, aut non diminutam in pondere. Et videtur antiquos non fuisse vsos moneta aurea: & omnia numismata tum temporis fuisse ponderata, quemadmodum nunc multis regnis fit. Tria sane astruit, vtinam pari firmitate. Primum plenum argentum dici, cui nihil ad iustum pondus monetae desit, id quod quamuis ex phrasi non plene probetur, concedi facile posset, quippe eidem phrasi consonum. quod vltimo loco colligit, magis est certum, pondere potius, quàm numero examinata olim fuisse numismata, saltem in prima nummi institutione, quod latius à nobis ostenditur suo loco. Illud tamen falsum est, quòd aureis nummis Hebraei non vterentur, nam quamuis magis in vsu fuerint argentei, quod satis est ad ostendendum cur argentei nomine, pretium in vniuersum significetur, vt nos aliàs ostendimus: non tamen propterea negandi sunt aurei sicli, quorum non raro fit mentio in sacris Literis. Sed his quaestionibus in propria loca reiectis, ad institutum reuertamur.

Gen 23. ℣. 8. & 9.

Oleaster.

ARGENtum plenum, & calamus plenus, id est iustus.

Tomo 3. Appara. par. 2. lib. 2. cap. 22.

Marinus: Date aliquid, inquit, in pecunia plena, hoc est, enumerata tota pretij iusti pecunia. Clarius Hebraea conuerti posse putat: Pro plena pecunia. Vatablus: Pecuniam plenam vocat, inquit, iustum ac sufficiens pretium: qui collimasse videtur scopum, atque cum ipso Vulgatae editionis Interprete vnà sensisse: idem enim Latinus sermo dignam vocat pecuniam, quod Hebraeus plenam, hoc est, cui nihil desit de argenti bonitate, pondere, charactere, quo non aequet iustam emendi agri aestimationem: vno verbo, iusto pretio diceremus. Atque adeo plenitudo calami, vel calamum plenum vocet Ezechiel iustum, quem aptissime reddit Vulgatus: *ad mensuram calami*: quod idem sit mensura, quod aequitatis norma.

Marc. Marinus in Arca Noe. Isid. Clarius in notation. Vatablus in notat.

Quae sane prima mensurae huius explanatio sententiam illam omnino reijcit, quae hoc calamo sex tantum cubitos contineri putat, ac nihil praeterea, cum iusta calami longitudo sex cubitorum & palmo definita sit ab eodem Propheta: quapropter iusta haec certe non erit mensura, cui palmus, aut quarta pars cubiti, vt ibidem exposuimus, desit, vt plenus dicatur calamus. Neque his obstat, cubitos sex hic pro calamo referri à Propheta, id enim aliàs quoque fecit, nihil propterea de calami subtrahens longitudine, sed historicorum morem sequutus, qui numerorum partes, praesertim minimas, subticent. Quae omnia quod a me exemplis, atque rationibus confirmata sunt, hic fuerunt insinuanda.

SEX CVBITI cum quarta palmi parte calamum complent.

Illud denique negotium facessit Hebraeis, quòd calamum hunc sex fuisse dicat cubitorum אצילה assilah, deducitur autem ea vox à radice אצל etsel, à qua fit verbum, quòd relinquere, aut reseruare significat: vt in Genesi ad patrem consternatus animo Esau: *Numquid non* אצלת atsalta, *reseruasti, aut, & mihi benedictionem?* Hinc fit nomen אצילה assilah, magnum significans, honorabilem, nobilem, quòd sit à communi plebe sepositus. Qua ratione exponunt locum Exodi, quo visum fuisse Dominum a Moyse & Aaron, & Septuaginta senioribus Israel refertur: *Nec super eos, qui* אצילי atsile, *procul recesserant de filijs Israel, misit manum suam*. Maiores filiorum Israel exponendum putat cum Dauide Pagninus. Consonat Septuaginta interpretum expositio, quae sic habet: Et electorum Israel non dissonuit neque vnus. Qua ratione Sanctum quoque Augustinum legisse ferunt, quamuis in notationibus Sixtani codicis posse Graeca reddi affirmetur: Nemo detrimentum accepit. Vtrumque simul exposuisse videtur Chaldaeus paraphrastes: Principibus autem, inquit, filiorum Israel nullum incommodum fuit. Quae quidem vocis notio facilem nobis loci sensum reddet, si cubitum sepositum, aut reseruatum intelligamus dici eum, qui iustus sit, ac lege iam olim statutus: qua ratione siclum Sanctuarij vocari ostendimus iustum, & amphoram Capitolinam, non aliam à communi, sed quam ne violare liceret, sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites. Quare vt plenum dixerat calamum, hoc est, iustum, sic etiam assilah, hoc est, reseruatum, aut sepositum vocat, cubitum, quo is dimensus est, hoc est, iustum. Sanctus vero Hieronymus Septuaginta interpretes imitatus, has omnes sustulit è medio dubitationes, *sex cubitorum* scribens *spatio*, primaeuam vocis notionem secutus; ac si diceret sepositum, vel relictum fuisse spatium sex cubitorum, aut calami altitudinis, vt vidimus. Nam quod Rabbi Dauid cum alijs astruunt, cubitum axillae hunc dici, quòd maior sit communi, haud secus quàm brachium alteram sui partem excedit, aliàs a nobis reiectum est. Non tamen propterea quisquam arbitretur nos affirmare cubitum, cuius ibi fit mentio, huius nostrae staturae cubito fuisse parem. Id enim praeterquam quod ab omni videatur veri specie alienum, contextui repugnat maxime. Quid enim? eadem est omnium hominum omnibus aetatibus statura, idem cubitus? Numquid prophetice meminit

Gen. 27. ℣. 36.

MAIORES natu sepositi dicuntur à plebe.

Exo. 24. ℣. 11.

Pagninus. Rabbi Dauid in comment. S. August. q. 102.

S. Hieron.

Tomo 3. par. 2. lib. 3. c. 15.

CVBITVS nostrae staturae ab Ezechiele non vsurpatur.

meminit nostrae staturae Ezechiel, maiores, vel minores aliorum temporum, aut gentium non curans? Sed quamuis nullum haec omnia, quae maximum inuoluunt, innoluerent inconueniens, quis crederet cubicula quamplurima in celeberrimo illo Salomonis aedificio quinque cubitos alta, hominibus incolenda, aut saltem perambulanda, quatuor minimum cubitis proceris? Quòd si quae diximus, nec contextui, nec rationi videntur consona, his ipsis aduersariorum argumentis firma magis persistet nostra de cubiti longitudine sententia.

QVAE CVbicula denotentur Angelus.

Iam vero his è medio sublatis impedimentis, reliquum est, vt exedrarum altitudinem cum reliquis aedificij partibus componamus. Est igitur inprimis in vestigio Sanctuarij animaduertendum Prophetam, cum de costis, tabulatis, & cubiculis loquitur templum circumdantibus, de illis loqui, quae templum & oraculum cingunt, non vero de illis, quae maiora videntur esse cubicula à lateribus longitudinis vestibuli. Haec enim duo cubicula propria sortiuntur nomina, proprios vsus, quae post pauca Rabbinorum auctoritate confirmanda sunt. Cubicula igitur, de quibus nunc loquitur Propheta, è regione muri Orientalis domus incipientia, in Meridie totum circumdant templi parietem, donec ad eundem redeant in Aquilone murum domus Orientalem. Et quoniam fenestris in exteriori pariete indigebant cubicula, exterior autem fenestrarum dispositio, vt vides in Sanctuarij orthographijs, exigebat, vt cubicula haec solo ipsius domus sublimiora essent, id ad celsitudinem basis parastatae factum est, vt vides in dissecti templi orthographia. Haec vero celsitudo gradibus fuit scandenda, quos è regione praedicti parietis Orientalis Sancti oportuerat constitui, eos tamen facile consideratione assequetur lector, quos solertiam astantium operis effugisse competiet. His igitur binis cubitis, tot enim erigitur basis, vt infra ostendemus, tres calami imponuntur retractionum, siue altitudinis tabulati, vniuscuiusque inclusa crassitudine tabulati, qui omnes numeri simul complent viginti cubitorum altitudinem, cum tribus cubiti quartis partibus: reliqui vero vsque ad vigintiquinque cubitos prioris ordinis atriorum, tecto supremo tribuuntur, cuius supra memini: haec vero omnia in sectione murorum videre licet, atque metiri.

$$\begin{array}{r} 2 \\ 6\frac{3}{4} \\ 6\frac{3}{4} \\ 6\frac{3}{4} \\ \hline 20\frac{1}{4} \\ 4\frac{3}{4} \\ \hline 25 \end{array}$$

ALTITVDO cubiculorum expenditur.

Atque perpendendum ibidem attentius est, qua ratione coronix, quae murum coronat, qui inter costas statuitur, aeque librata sit, & omnino par coronici praedicti primi ordinis atriorum, neque supra illam amplius ascendere dictum murum, ne lumen impediret fenestris Sanctuarij, quae super thalamorum tectis aperiebantur, vt mox videbimus. Haec autem quae de altitudine diximus tabulatorum, subodoratus fuisse videtur Lyranus, quamuis quod ad locorum Regis, & Ezechielis collationem spectat, minime sit assecutus, atque adeo calami altitudini tabulati addidit crassitudinem. namque quod ad coronamenti rationem spectat, illi venire in mentem nulla ratione potuerat, quod nobis plura probant sacrae Scripturae collata testimonia. Eius libet verba subiungere, quo facilius possit perpendi, quibus à nobis dissentiat, quibusque nobiscum consentire videatur: Sunt haec, inquit, tabulata sic disposita, quod primum distat a terra per sex cubitos, & secundum à primo per alios sex, & si-

Nic. de Lyra initio c. 41. Ezech.

A militer tertium à secundo: & sic patet, quod iuxta murum templi ascendunt per octodecim cubitos, non computata spissitudine tabulatorum, quae ponitur duorum cubitorum. Et sic appendicia ascendunt vsque ad vicesimum cubitum inclusiue parietum templi: & tanta est altitudo parietis claudentis appendicia exterius. Et quia inferior mansio templi vsque ad primum tabulatum, seu coenaculum, ponenda est triginta cubitorum, sicut in templo Salomonis, ideo desuper appendicia manet paries templi liber sine obstaculo per decem cubitos, ad recipiendum lumen per fenestras, ad sufficientem illuminationem inferioris mansionis templi: si vero mansio-

3. Reg. 6.

ALTITVDO domus triginta, vel quadraginta cubitorum Lyrano.

B nis huius ponatur altitudo quadraginta cubitorum, sicut dicunt aliqui, sic adhuc est conuenientior illuminatio. Haec ille. quae, vt dixi, & vt inferius ostendam magis, veritati consona sunt.

De his porro cellis audiendus est Iosephus, cuius codices nisi corrupti essent, haec eadem possent confirmare, quae confirmabunt Librariorum errore deprehenso. is igitur: *Circa latera vero inferioris templi, inquit, multa erant membra peruia, triplici tecto suspensa, & ad vtrumque latus ad ea introitus a porta patebat.* Haec & perspicua sunt, & ijs quae diximus, lucem afferunt: quae subdit obscuriora: *Superior autem pars eadem membra non habebat.* domos, vel cellas licet vtrobique vertere, quae membra

Ioseph. 6. belli cap. 6.

IOSEPHI sententia de cellis.

C vocauit Interpres, *qua minus erat*: erat enim, melius dixisset, *angustior, celsior autem quadraginta cubitis* ἐπὶ τεσσαράκοντα πήχεις ad quadraginta cubitos, quasi dicat pars superior, quae inferiori eminebat vsque ad altitudinem quadraginta cubitorum, angustior erat, quippe cum tota altitudo contignationis quadraginta cubitis à pauimento erigeretur, cuius mari inferior quidem pars cellis contegebatur: superior vero & cellis carebat, *neque ita erat, vt inferior ambitiosa*. Iterum vero has easdem cellas his verbis enumerat: *In circuitu deinde templi construxit Salomon triginta cellas*, ab Austro videlicet, & ab Aquilone. Sunt enim, vt in primo vestigio vides, primi ordinis cellae quatuordecim, qua-

D ternae Occiduae, quinae vero ex singulis lateribus, à Meridiano quinae, ab Aquilonari totidem. Sublatis igitur Occiduis, quas quare non computauerit, conijcere non potui, denae quidem cellae, triplici tecto interiacente, multiplicatae tricenas complent, denas quinas ex vtroque latere: supersunt autem duodenae Occiduae, quarum fenestras vides in Occidentali aspectu Sanctuarij. Aberrant igitur à vero maxime, qui triginta cellas singulis ordinibus computant, ternis nonagenas. Id enim Iosephus non dixit, quod Scripturae contextui, & domus longitudini videtur repugnare. *Quae inter se constipatae externe parietes templi fulciebant.* Si Graeca velimus ad ver-

CELLARVM numerus.

E bum conuertere, sic licet: Quae propter earum frequentiam, & multitudinem, totum templum extrinsecus circumdarent. Quorum verborum hic esse videtur sensus, ita dispositas fuisse cellas, vt nullam parietis templi inferioris partem relinquerent cellis vacuam. *Erantque earum aditus per alias in alias*, hoc ipsum supra dixerat, membra peruia cellas vocans. *Et patebant singulae in longum quinque cubitos, ac totidem in latum.* Sic lego cum Ruffino, & cum alio exemplari ad fidem Graecorum recognito, & Coloniae ante annos nouem edito: nam qui vel Graeci, vel Latini legunt vigintiquinque, mendosi sunt: tum quòd domus & atrij dimensionibus repugnat, tum vero maxime,

quod nostra haec lectio cum sacra Scriptura congruat, inferiorum cellarum similes referenti mensuras, vt vidimus, cum qua è diametro pugnat illa aliorum lectio.

Et viginti cubitis attollebatur. Omnium simul colligit celsitudinem. Nam, vt vidimus, vnaquaeque cum suo tabulato alta erat calamum, omnes simul calamos tres, hoc est, cubitos octodecim cum tribus quartis cubiti partibus, quos historico more licuit Iosepho vocare viginti, nisi de celsitudine super pauimento domus loquatur: nam superioris cubiculi tabulatum à solo erigitur cubitos viginti. *Super has alia series cellarum erat extructa.* Aliquid textui videtur deesse, vt cum de inferiori cellarum ordine interim aliqua fuisset locutus, praedicta subijceret verba. Nam, vt dixi, nonaginta cellarum numerus, qui ex hac lectione colligeretur, veritati omnino contrarius est. *Super quam rursum aliae, omnes inter se numero* καὶ τοῖς μέτροις, & mensuris, *& amplitudine pares.* Quod ad parem cellarum numerum in quolibet ordine spectat, certum est, neque vlla indiget explanatione: quod ad pares mensuras, distinguendum est, nam si de cubiculorum longitudine loquatur & celsitudine, omnium ordinum cubicula paria sunt: si vero de latitudine sit sermo, sunt certe imparia: nam, vt vidimus, tabulatum inferius quinque cubitorum habuit latitudinem, medium sex, tertium septem. *Ita vt coniunctae, inferius aedificium aequarent altitudine.* Illud, coniunctae, facilius intelligemus, si legamus omnes simul. Notat autem his verbis Iosephus quamuis obscuris, harum cellarum altitudinem inferiori atriorum aedificio parem fuisse, id quod nos quoque paulo ante notauimus. Ex quibus quidem verbis maxime confirmatur ea, quam retuli, coniectura, quod cum altitudinem metitur cubiculorum omnium, simul celsitudinem componit, non vnam, aut alteram seorsum diuidit. Atque haec de cubiculorum mensura, numero, positu. Superest nunc vt de eorum ornamentis, & vsu breui dicamus.

PAR CELlarum in singulis ordinibus mensura, in omnibus dispar.

DE CELLARVM
ORNAMENTIS, ET VSV.
Cap. XXV.

SANE quisquis ea, quae hactenus de cubiculis diximus, attentius perlegerit, atque alia his similia quamplurima apud Historicos sacros, eorumque Interpretes viderit, atque accuratissimam perspexerit cubiculorum enarrationem, non dubito quin maximo capiatur desiderio cognoscendi, in quos vsus destinatae fuerint huiusmodi cellae, quae tam illustri dignae sunt factae commentario. Accedit aureum cubiculorum ornamentum, quod ex verbis libri Paralipomenon colligitur, vbi de ornamentis Sancti Sanctorum cum ageretur, haec verba subiunguntur: *Coenacula quoque texit auro.* At in libro Regum, cum de his cellis sermo fieret: *Per cochleam*, inquit, *ascendebatur in medium coenaculum, & à medio in tertium.* Quo in loco de medij ac tertij ordinis cellis sermonem fieri supra notauimus, vt facile possit intelligi cubicula haec, quae ipsum templi parietem contingebant, auro fuisse contexta, quod opera tantum ab interioris domus ornatu distaret. Neque vero aureum ornamentum aliqua ex parte superare censendum est loci dignitatem, & sanctitatem: erat enim orationi potissimum destinatus, quod mox Prophetae roborabitur testimonio. Sed & illud quoque orantium posset excitare deuotionem, quòd sacra templi vasa aurea, & argentea, pondere, & magnitudine pene incredibilia, ornamentis, operis subtilitate, decore admiranda, numero propemodum infinita, his potissimum cellis asseruabantur. Id quod ex loco Paralipomenon, quem supra exposuimus, facile probari potest: ibi enim cùm Salomoni à Dauide datam templi descriptionem retulisset, atque inter alia, *cubiculorum in adytis* meminisset, hoc est, eorum de quibus nos agimus, tandem concludit ea omnia, subiungens: *In omnia opera domus Domini, & in vniuersa vasa ministerij templi Domini.* quasi dicat, ea omnia cubicula facta fuisse pro ministris, ministerijs, ac vasis templi Domini: & inter vasa templi argentea & aurea, pretiosissima certe fuisse credendum est in cubiculis his abscondita, quippe magis munitis, & Sanctis. Quod si haec ita sunt, quis non admiretur contemplans horum cubiculorum dispositionem, sunt enim omnia peruia patentibus in medijs parastadum parietibus ostijs, fornicibus superinductis: quae quidem ostia arctiora fuisse oportet, vt vides in Ichnographia, manentibus ex vtraque parte retractionibus, in quibus cedrinae capsae, aliae alijs superpositae affabre elaboratae, atque sculpturis varijs exornatae, auroque obductae potuerunt disponi, vbi suo quoque ordine vasa collocari ac disponi possent, pro singulorum magnitudine, materia, & ministerio: quae omnia auro, atque argento nitentia, simul oculis conspicienda eo consilio subijcerentur, vt facilius mens per partes singula considerando, inde ad Omnipotentis Dei Maiestatem contemplandam sese attolleret, quippe cum illius diuitias infinitas, huius affluentissimae tam immensi thesauri opes ne minima quidem ex parte referre, nedum cum illis exaequari valeant, cuius cum praestantia incredibilis haec vasorum multitudo collata tam exigua videri possit, quam si infinito numero minimus quidam numerus, vel ipsa vnitas conferatur. Quae omnia piorum contemplationi attentius examinanda relinquimus.

2. Paral. 3. ℣. 9.

3. Reg. 6. ℣. 8.

CELLAE auro fuerunt obductae.

ORATIOnis locus dignissimus.

Supra lib. 2. huius par. c. 13. & 15.

1 Paral 28. ℣. 11. & 13.

His vero quae diximus, sese opponit Doctorum illa sententia, quae cubicula haec foeminarum tribuit domicilijs. Et quidem si Beatissimae Virginis Deiparae dignitas spectetur, vix, ac ne vix quidem haec illi omnia dignum praebeant domicilium; at si templi illius leges ac iura expendantur, Meridiana luce clarius apparebit, foeminas omnes ab horum cubiculorum ingressu, quàm longissime arceri. Nam, vt vidimus, cubicula haec in ipsis templi parietibus constructa erant: templum autem & aram, teste Iosepho, cingebat è pulcherrimo saxo lorica gratissima, quae populum à Sacerdotibus segregabat. Et quidem inter hoc septum, & templum platea erat viginti cubitis lata, vniuersum cingens templum, vt mox patebit apud nostrum Prophetam. Sed & templi religionem,

OPPOSITAE refellantur sententiae.

Ioseph 6. bell. cap. 6.

nem,& ingredientium ordines disertis verbis persequitur iterum Iosephus, ac triplicem templi ambitum describens, in extimum licuisse significat omnibus ingredi, quibusdam exceptis maxime immundis. secundum alienigenis sub interminatione poenae capitis interdicebatur. Hoc, inquit, internus septem, tam Austrino, quam Septentrionali latere, patebat ternis ianuis aequidistantibus ab Oriente vero vna magna, per quam intrarent casti vna cum vxoribus. Interiora autem fani mulieribus nefas erat ingredi. Ac ne quisquam dubitare posset, quaenam haec interiora dicantur, haec subdit: Tertium vero spatium intimum solis Sacerdotibus accessibile à quo ipsum quoque Herodem abstinuisse testatur. Quid ergo, quo non licet foeminis ingredi, habitare licebit? sed quid in his refellendis immoror? ea tunc ipsa corruent, cum proprium foeminarum domicilium in porticibus superioribus templi assignauerimus.

TEMPLI religio, & leges
Ioseph. 15 antiq. cap. vlt.

DE LAPIDEO

CVBICVLORVM PARIETE.

Cap. XXVI.

IX. E*T latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum*. Hebraea sic vertit Regius codex, vt nulla subesse videatur amplius difficultas intelligendi verba Prophetae: Latitudo, inquit, parietis qui costae ad extra. Pagninus: Qui erat thalamo forinsecus, quinque cubitorum. Idemque fere Septuaginta interpretes: Et latitudinem parietis D lateris forinsecus cubitorum quinque. Et Chaldaeus paraphrastes: Et latitudo parietis tabulati forinsecus quinque cubitorum. In tractatu quoque mensurarum, vt auctor est Rabbi Salomon, sic etiam legitur de illo pariete, qui erat quinque cubitorum. & Rabbi Dauid, murum lateris forinsecus latum esse dicit quinque cubitis. Et Lyranus: Tantae enim, inquit, spissitudinis describitur paries claudens appendicia in parte exteriore: ex opposita vero parte clauduntur muro templi. Quae omnia Interpretum testimonia propterea libenter retuli, quòd non defuerant Interpretes alij, qui asseribus compactis cubicula haec extrinsecus clauserint. Sed quis, E quaeso, tantae crassitudinis asseres credat adhibitos, ad paruas huiusmodi cellas concludendas? Neque minus à vero aberrare deprehendentur cum Richardo alij, qui eundem arbitrantur hic, atque infra dimensum esse orationis locum. Quae sane sententia nemini probabitur, ipsa Hebraea verba vel semel legenti. Quid enim simile, non dico commune, habeat vox קיר Kir, quam hic leget, parietem significans, cum voce מונח munach, quam mox exponemus?

R. Salomon in comment.
Rabbi Dauid ibidem.
Nicolaus de Lyra.
PARIES LApideus non materiaceus
Richardus de templo Ezec. cap. 16.

Teneamus igitur, reiectis falsis opinionibus, quod verum est ac firmum, exteriorem domus lapideum parietem quinque fuisse cubitorum,

A cuius parietis crassitudinem mensus est Angelus in postibus ex vtraque parte portae vestibuli, quamuis parietes turris superextruendae crassiores fuerint, ac firmiores, quo possent turris altissimum sustinere fastigium, vt vides in vestigio primo Sanctuarij.

Et erat interior domus in lateribus domus. Hebraice: Et quod derelictum domus appendicium, vel costarum, quod intrinsecus. Difficilis est verborum compositio, ea tamen facile percipietur, cum primum notio vocis מונח munach, fuerit perspecta: ea enim hoc loco refertur, & infra pluribus, quae deducitur vel à verbo ינח ianach; vel à verbo נוח nuch, notione ac forma eiB dem persimili. Et verbum ינח ianach, significat, dereliquit, dimisit, deposuit, aut siuit in loco aliquo: & ferme est נח nach, vel נוח nuch, vel נחה nachah, requieuit, qui enim relinquit quippiam, requiescit, ne illi vllam impendat operam: id etiam quod relinquitur, requiescit in loco in quó relinquitur, proinde verbum hoc est requiescere, seu requiescere facere, quamuis prima notio sit, relinquere, vt dixi. Apud Zachariam celebre extat eius rei exemplum. impietatem enim, quam alatae mulieres in amphora plumbeo talento oppressam deferebant, Angelus ferri ait: *Vt aedificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur* והניחה *vehunnichah, & ponatur ibi super* C *basim suam*. Vocem autem anomalam esse putat Rabbi Kimchi, quasi positam, vel repositam ibi significet & quiescentem, quia initio cum exulauit, ibi posita fuerit inuita, postea vero ipsa sese illic posuit, & desedit illic, negligens redire Hierosolymam, etsi pateret aditus. Hinc fit vocem מונח munach, locum significare repositum, derelictum, vel sepositum. Quem exposuere Septuaginta interpretes. Et reliqua, inquiunt, in medio laterum domus. & Chaldaeus: Et locus, inquit, relictus in loco tabulatorum intrinsecus. Rabbi vero Salomon in varias distractus sententias, illam tandem tenere visus est, quae minus videtur aedificio conuenire, aut textui: D Et quod repositum erat, inquit, idest locus quidam remotus, qui erat repositus in angulis Aquilonaribus, & Australibus, qui erant apud Orientem & Occidentem: thalami enim non circumdabant domum vniuersam. In illo autem loco remoto erant portae thalamorum, quae erant in angulis Orientalibus, vt dicitur in textu. Et porta lateris interioris erat, vel ad locum repositum: portae enim non erant thalamis, nec ad latus atrij, nec ad latus templi, sed ijs, qui erant in angulo Orientali Aquilonari, & in Orientali Australi, erat porta in pariete, cuius latitudo aperta erat ad illum locum interiorem, vel repositum: & per illam portam ingrediebantur ad il- E lum, inde vero ad thalamum secundum, & à secundo ad tertium, & sic in circuitu per gyrum: sic enim legitur in tractatu mensurarum: Tres portae erant vnicuique, vna scilicet thalamo, qui erat a dextris, & vna thalamo, qui erat a sinistris, & vna thalamo, qui erat apud se ipsum. Ionathas etiam sic exponit. Et erat interior, id est, & locus derelictus. Multa inuoluit Rabbinus, quae quamuis vera sint, neque ad rem faciunt, neque percipi facile possunt, quippe quae nec ab eo qui scribebat, percipiebantur. Ea tamen breuiter percurrere, & paucis explicare è reduxerim. Putat igitur Rabbinus sermonem fieri de binis illis cubiculis, quae, vt antea dixi, à lateribus vesti-

MVNACH quid significet.
Zachar. 5. V. 11.
Rabbi Dauid Chimchi. in comment.
LOCVS RElictus inter costas
R. Salomon.
CVBICVLA duo à lateribus vestibuli, quae meratoria dicuntur.

vestibuli relinquebantur, & per quae aditus ad A tabulata, siue appendicia patebat: & de huiusmodi quidem cubiculis exponendum est libri mensurarum testimonium, sed non qua ratione à Rabbino exponitur, habet enim vtrumque cubiculum terna ostia, ad atrium vnum, cuius mox meminit Propheta noster, alterum ex aduerso huius ad vestibulum templi, & tertium, quo ad interiora cubicula patebat introitus: neque enim ad ea, alia poterant ingredi via, quàm per haec cubicula anteriora in angulis constituta Orientalibus Meridiano, & Aquilonari. Et quamuis vocis notioni minime repugnet, cubicula haec anteriora vocari munach, cum & ipsa relicta sint, & seposita, seu repositoria: repugnat tamen B contextui, vt ea intelligamus aut hoc loco, aut

Infra ℣. 11. infra dimensa, cum in circuitu domus circumcirca fuisse dicatur munach, vt ibi ostendemus. Rabbinus igitur minime satisfecit.

ALIAE Rabbinorum sententiae. Isid. Clarius. Varias item Rabbinorum sententias retulit Clarius, quarum pars aliqua videri posset ad rem. Videtur, inquit, Interpres voluisse id dicere, quod alius vertit. Et relictum interuallum domus cubiculorum, quod erat intrinsecus, vt sit sensus: Eandem mensuram habet relictum interuallum in muro interiore, quod capita trabium primi tabulati, vel cubiculi excipit. Et postquam nonnulla ad mysticos retulit sensus, haec subdit: Contendunt hoc loco quidam, quòd templo non C sint continuata cubicula, sed inter templum & cubicula spatium liberum intercesserit, in quod ianuae sint dispositae. Alij tamen communiter liberum hunc locum in angulis ponunt Meridiei, & Septentrionis Orientalibus, & inde aditum in proximum patuisse cubiculum, deinde ex eo in alterum, & sic deinceps: nam velut ex publico tantum extremum cubiculum adibatur, quòd aditus ad ea non pateret, neque à templo, neque ab atrio, quia vtrimque muri integri obiecti erant, sicut ex contextu prophetici sermonis videtur. Haec ille: qui sententiam retulisse videtur Rabbi Salomonis, qua nulla potuit excogitari magis à ratione aliena. quid enim spatium il- D lud quinque cubitorum sit inter domum & thalamos? quid tum sustineat thalamum, murusne alter? Sed dimissis imperitorum commentis, rem ipsam exponamus.

Coniungendus inprimis simul est integer versus: Latitudo parietis, qui costae ad extra, quinque cubitorum, & munach quod derelictum domus appendicium, seu costarum, quod interius, sub-

VERVS loci sensus. audi, eiusdem erat latitudinis. Disertis vtique verbis cubicula ipsa definit, eorumque latitudinem metitur, quare facta sint, & cui vsui inseruirent, voce ipsa indicans: vocat enim ea derelicta, vel dimissa, quòd, vt initio dicebamus, ipsam videntur occupare parietis crassitudinem, E prudenter tamen dimissa fuisse indicat aestuaria, & ad pondera subleuanda, & ne concretus in imis fundamentis vapor aliquis aestuarijs carens, terrae motus efficere, aut aedificia vitiare posset. Huius autem loci relicti latitudo tanta esse perhibetur, quanta exterioris muri latitudo, nempe quinque cubitorum, id quod infra iterum disertis verbis restatum habetur. Atque hunc quidem locum non minus inter latera domus, quàm

LOCVS sepositus dicitur & in quo aliquid reponebatur. inter eiusdem parietes fuisse compertum est. Illud praeterea hoc loco notandum est, quòd vox ipsa munach, & locum relictum significat, seu sepositum, & locum, quo aliquid reponitur, & asseruatur: vt in libris Regum: *In arca autem, inquit, non erat aliud nisi duae tabulae lapideae, quas* hinneccha, *posuerat asseruandas in ea Moyses*. *3. Reg. 8.* Atque in Numeris: *Colliget, inquit, vir mundus cineres vaccae, &* hunnacha, & ponet, vel *Num. 19.* reponet, *effundit eos extra castra in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis.* Qua quidem ratione munach, locum fuisse existimare licet, quo sacra vasa asseruanda reponerentur, vt dixi. Sed & parietis latitudinem, & cubiculorum nomen, quo censentur à Vulgatae Interprete, in ipso vestigio apposuimus, vt lucem afferat commentario ipsa vestigij consideratio.

DE PLATEA
VIGINTI CVBITORVM, *quae totam domum cingebat.*
Cap. XXVII.

ET *inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus vndique*. X. Parietis memor cum fuisset, qui thalamos claudebat exterius, meminisse etiam oportebat spatij, quod reliquum erat sub dio inter parietem hunc exteriorem domus, & vestibula, seu postes porticuum, quibus supetextructa erant gazophylacia, habitationi atque alijs ministerijs apta & accommodata. Ad rem Clarius. Gazophylacia, inquit, siue thalamos, *Isid. Clarius.* D vel cubicula, alius etiam cameras vocauit. Sic vbique intellige, cum legis gazophylacia. Hoc autem interuallum fuisse putant inter aediculas atrij exterioris, vsque ad cameras templo circumstantes. Est autem, inquit, in his rebus tanta obscuritas in Hebraeo, vt neque inter Hebraeos expositores conueniat. Haec ille: qui quamuis difficultatem, quae huic loco inesse credenda est, attigerit, eius tamen causam minime attigisse videtur, cum non hic sermonis Hebraei difficultas, quam sentio quàm sit eximia, sed architecturae defectus, ac descriptionum potissimum absentia, illas omnes pariat difficultates. Quam- *DESCRIPtionum commoda.* uis enim Latinus & Graecus sermo, non minus E quàm Hebraeus, dum spatium inter gazophylacia metitur pluribus eiusmodi spatijs, si inuenirentur, posset aptari: tamen qui praedictas omnes dimensas partes cum illis, quae infra proponuntur, in vnam colligit aedificij formam, mox intelligit hanc latitudinem non aliam esse ab ea, quàm dixi. Etenim qui ipsam domus latitudinem inter gazophylacia Aquilonis, & Austri domui adiacentia intelligi putant, inanem quodammodo mensuram sibi fingunt, praeterquam quòd parietum domus latitudinem aut non computari, aut non intercedere dicant necesse est, quod vtrumque aeque videtur improbandum, quippe ab omni ratione alienum.

Sed

Rabbi Dauid
R. Salomon.
Nic. de Lyra.

Sed his praetermissis, teneamus id quod ratio A docet, quodque aliorum testimonijs confirmatur. Nam & Rabbi Dauid hanc nostram sententiam Salomoni tribuit. Eam quoque confirmat Lyranus. quamuis nobis ab eo dissentiendum sit, quòd Meridianam tantum, & Aquilonarem latitudinem tesetri putauerit: eius haec sunt verba: Describitur distantia inter murum templi, & aedificium Aquilonare ex vna parte, & inter murum templi, & aedificium Australe ex altera, quae est viginti cubitorum hinc, & viginti cubitorum inde. Haec autem aedificia vocantur hic gazophylacia, sicut fusius explicatur capite sequenti, vbi praecipue agitur de istis duobus aedificijs, hic autem non agitur de eis, nisi ratione distantiae à templo. *In circuitu domus vndique.* Id est, ex duobus lateribus: sicut enim supra dictum est, circuitus non semper dicit totalem ambitum in descriptione huius aedificij, neque in communi modo loquendi. Hactenus ex Lyrano, qui ea, quae vera sunt, arcte notauit, dum gazophylacia Meridiana, & Aquilonaria, quorum capite sequenti potissimum mentio fit, hic commemorari dicit: illud quoque non est a vero longe alienum, circuitum non semper completum voce indicari: at decipitur sane in eo, quod hic putat plateam illam, quae inter templum, & eiusmodi Aquilonaria, & Australia gazophylacia interiacet, totam vndique non circumdedisse domum, quod ipse contextus plane probat, & ipsa aedificij ratio sane demonstrat.

PLATEA haec totam vndique domum cingit.

Nam quod ad textum spectat, inter gazophylacia se vidisse ait Propheta, aut dimensam fuisse ab Angelo latitudinem. Hebraice רחב rochab, quae vox & latitudinem significat, & paululum immutata, plateam sic dictam, quod lata sit, qua ratione latitudinem hanc intelligere possumus spatium quoddam, vel plateam quandam, quae & quòd lata sit, & potissimum quòd longior multo sit quàm lata, dicitur latitudo. Septuaginta interpretes: εὖρος euros, scribunt. Et in medio exedrarum latitudo cubitorum viginti in circumferentia domui in circuitu. Hanc igitur plateam, D vniuersam domum circumdedisse per quatuor quidem partes indicat Hebraeus textus סביב סביב לבית סביב סביב sabib labait sabib sabib, circuitu domus circumcirca. Quid enim oportuisset ter circuitum repetere, si omnem ambitum noluisset intelligi? Sed quòd intelligendus sit, vt dixi, indicat Chaldaeus, In circuitu, circum domum, per gyrum, scribens. Sed etiamsi dubium aliquod textus superesset, nullus tamen dubitationi locus examinaris mensuris relinqueretur: & de tribus quidem templi lateribus, Meridiano, Occidentali, & Aquilonari nulla subesse poterit dubitandi ratio, certum enim atque exploratum esse vtique debet, id de omnibus pariter intelli- E gendum esse, quod de vnoquoque probetur. nam, vt supra ostendi, medium Sancti Sanctorum in medio atrij praecise constituitur, atqui cum reliqua sint paria, parem oportet esse distantiam trium porticuum atrij, a tribus lateribus domus. hanc igitur oportet primum expendere. Mensuras quidem omnes facile nobis reddet, quam saepius retuli, craticulae ratio. Pars igitur Occidua domus, quae quinis fulcitur antis, quatuor & quinquaginta constabit cubitis, nam singulas antas, seu parastades medias partiuntur lineae, binos distantes calamos: quare à media extrema Aquilonari, ad mediam extre- A mam Australem, calami sunt octo, hoc est, cubiti quinquaginta, quibus si addas binos vtrimque è singulis medijs antis, erunt, vt dixi, quatuor & quinquaginta · adde his etiam singulos vtrimque cubitos, quibus basis constat, atque comperies domo quidem Sanctuarij ex media atrij area operiri cubitos sex & quinquaginta. Est autem area atrij, vt reliquae, cubitorum centum, ex quibus binos vtrimque occupant extantes semicolumnae, cum suis stylobatis, vt supra notauimus. Supersunt ergo cubiti quadraginta, viceni ex vtroque Sanctuarij latere, ac totidem ab Occidentali, quod ostendendum assumpsimus.

VNA cognita mensura reliquarum est norma

NVMERVS viginti cubitorum ex ostensis mensuris colligitur.

B Quod vero ad Orientalem spectat plateam, cuius infra mentionem faciet Propheta, ea ostendenda quoque est fuisse viginti cubitorum inter peribolum claudentem quadratam aream atrij Sacerdotum, & gradus, quibus ad vestibulum templi ascendebatur. Diximus autem supra, Orientalem parietem Sancti directe respondisse porticuum parietibus, siue postibus vestibulorum. Fuit autem porticus lata cubitis quinquaginta, inclusa muri crassitudine demus igitur muro calamum vnum, vestibulo binos, anteriori muro cubitos quinque, addantur & antarum proiecturae, & fient omnes calami quatuor, hoc est, cubiti quinque & viginti; quibus si addas quinque C alios cubitos, quos gradus oportuisset ab antis extare (quamuis plures extent in nostris descriptionibus, incuria eorum, qui operis praeerant) & fient omnes simul cubiti triginta, quos si abstuleris ex latitudine porticus quinquaginta cubitorum, reliqui erunt plateae atrij cubiti viginti · & hoc est, quod disertis verbis testatur Propheta, *latitudinem viginti cubitorum fuisse in circuitu domus vndique.*

PLATEA Orientalis, eiusque mensurae.

DE LOCO ORATIONIS, ET EIVS DVPLICI

ostio. Cap. XXVIII.

XL *ET ostium lateris ad orationem: ostium vnum ad viam Aquilonis, & ostium vnum ad viam Australem.* Eandem Hebraeam vocem מנח menach, quam interiorem domum conuerterat Vulgatus, bis hoc eodem versu, vertit *ad orationem*, quae lectio iterum nos cogit, quam supra exorsi sumus, vocis menach, notionem latius explicare. Et quoniam duplicem vocis originem esse potuisse diximus, alteram ibidem proposuimus, alteram in hunc locum reiecimus. Deducitur igitur vox iuxta Hebraeorum regulas ac praecepta, non minus à verbo נוח nuch, quam à verbo מנח manach est autem נוח nuch, quiescere, requiescere, vtrumque verbum notione ve forma affine ita faciunt, vt vix nomina ab eis deducta,

ORATIO aules dicitur.

ducta, cuius sint originis, dignoscantur. Nam

Rabbi Dauid in lib. radic.

à priori verbo vocem נחת nachat, deductam putat Chimchius, requiem, remissionem, refocillationem, & recreationem significantem. Sic apud

Iob 36. ℣. 16.

Iob: *Igitur saluabit te de ore angusto latissime, & non habentis fundamentum subter se:* נחת nachath, & requies, vel quies, aut refocillatio. *requies autem mensae tuae erit plena pinguedine*. Aliter Graeci: Abyssus effusio sub ea, & descendit. mensa tua plena pinguedine. Quae verba sic exponit

Olympiod. in Catena.

Olympiodorus: Vbi hinc excesserit hypocrita, abyssus ei, & quae abysso subiecta est, effusio reseruatur tenebrae inquam ipsae exteriores, tibi vero mensa dabitur adipis plena. Fortasse etiam hypocrita comparatur abysso, propter clandestina, aliaque consilia quae machinatur, & quia simulationis velo tegit insidias, vt naufragium faciant qui fidem illi faciunt. Hanc vero posteriorem loci interpretationem Vulgatae nostrae magis affinem crediderim. Nam iusti & hypocritae exitus impares confert locus, conuiuij & accubitus respiciens mores: & virum quidem iustum affirmat è lecto illo benigne eripiendum misero, & infelici, quòd cum ad requiem quaereretur & satietatem, miserae fuit decipulae operimentum, sub quo puteus abyssi latebat, in immensum descendens, ac fine vlla euadendi

SORS HYpocritae abyssus.

spe, quae est sors hypocritae iusta. At vero iustum ad mensam, lectumque placidissimum, omni quiete, suauitate plenum, euocandum esse affirmat opipari, iucundissimique conuiuij.

Sed ad verbi expositionem reuertamur, a quo vox מנוחה menuchah, deducitur, requiem significans, qua voce cum ad Deum refertur, templum

Isa. 66. ℣. 1.

significari compertum est. Sic apud Isaiam *Haec dicit Dominus. Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quae est ista domus, quam aedificabitis mihi? & quis est iste locus requietionis meae?* Id est, in quo requiescam? Hunc autem locum conferre licet cum alio eiusdem Prophetae, quo de Christo Domino sermo est, & haec eadem vox legitur. Vulgatus autem sic

Isa 11. ℣. 10. Forerius ibid.

conuertit. *Et erit sepulchrum eius gloriosum*. Forerius. Et erit, inquit, mansio eius gloria. Atque in expositione. Nemo, inquit, miretur, nam vox Hebraea proprie non solum quietem, sed etiam locum quietis, aut in quo sibi quisquam

TEMPLVM & Ecclesia dicitur Christi requies

acquiescit, significat: ego mansionem dixi, nam video vocem non semel significare non vnam aliquam domum, sed totas aedes, & quidem amplas, cuiusmodi sunt Regum palatia, vnde & pro ipsa Regia, & templo Dei saepe accipi videbis. Haec ille: quae non ad manufactam illam lapideam domum referenda esse mox affirmat, sed ad viuam Ecclesiam Christi, in qua Christus quasi in propria domo in aeternum manet, di-

Psal. 131. ℣. 14.

cente Domino: *Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo quoniam elegi eam.* Voce parum immutata נח noach, vel נוח nuach, dicitur in

2. Paralip. 6. ℣. 41.

libro Paralipomenon: *Surge Domine in requiem tuam*. Inde deductum fuisse putatur Noe Patriarchae nomen, quod ipsa Genesis historia à Lamech parente inditum & expositum es-

Genes. 5. ℣. 29.

se traditur: *Vocauitque nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.*

NOE NOmen vnde dicatur

Septuaginta interpretes: Ipse quiescere nos fa-

S. Hieron. in tradit. Hebr.

ceret. Sic enim legisse videtur Sanctus Hieronymus, cum multis alijs maximae auctoritatis Doctoribus, non modo Graecis, sed etiam Latinis.

A Vt sensus quidem verborum non alius esse videatur huius lectionis, atque illius, cum maxima sane, immo & vna laborantium consolatio esse videatur quies, qua requiescant à laboribus suis. Sedenimvero si laborum omnium nostrorum quies in hac plena laborum vita exquiratur, vna profecto reperietur mentis quies, quae vo-

ORATIO quies a laboribus

catur oratio cum iustitia coniuncta. Cuius magister ac Doctor Noe merito consolator dicatur, aut quies, vt tradit Ambrosius. Nam quamuis multis in rebus Noe aetatem suam, ac posteros

S Hieron. in trad. Hebr in Genes.

consolatus sit: vel quia, vt ait Hieronymus, omnia retro acta opera quieuerunt per diluuium, certe

S Ioan Chrys. hom. 21. in Genesim.

mala, diluuij causa, vt interpretatur Chrysosto-

B mus vel quod conseruauerit humani generis posteritatem, vt ait Hugo, vel quòd agriculturam

Hugo Sancti Vict. Annotat. in Genes

inuenerit, eiusque instrumenta praecipua, vt ha-

R. Salomon.

bet cum Hebraeis Salomon: aut, quòd propter eius sanctitatem, atque iustitiam, benedicenda esset terra minori cultu fructus allatura vel quòd ipse vinum cordis humani solamen inuenerit. vel quòd ipsi carnium esus esset concedendus: vel tandem quod mortem laborum omnium finem, & quasi quietem asciuerit. Quae omnia externa quidem sunt, nec tantae prophetiae magnitudinem explere posse videntur. Illa certe maiora, quae Ambrosius tradit, qui cum mores, gesta, al-

S. Ambros. lib de Noe. cap. 1.

titudinemque animi huius Patriarchae explana-

C re statuisset, haec subdit Etenim quem Dominus Deus ad renouandum semen hominum reseruauit, vt esset iustitiae seminarium, dignum est, vt nos quoque describamus eum ad imitationem omnium, & requiescamus in eo ab omni istius mundi solicitudine, quam quotidie diuersis exagitationibus sustinemus. Pudet filijs superuiuere. taedet, cum tot aduersa audiamus charissimorum, lucem hanc carpere ipsarum Ecclesiarum diuersos fluctus, tempestatesque vel praesentes subire, vel animo recipere, quis tam fortis, vt patienter ferat? Et ideo nobis quoque affectanda haec requies fuit, vt dum Noe Sanctum maiori intentione consideramus, reficiamur &

D nos, sicut omne genus in illo requieuit ab operibus suis, atque tristitia. Vnde & Noe dicitur, quod Latine dicitur iustus, vel requies. Et cum requiem promissam in diluuio adimpletam negasset, quippe quo interitus & miseriarum cumulus fuisset illatus, subdit: Verum si iusti viri mentem consideres: aduertes iustitiam solam esse, quae alijs potius nata est, quàm sibi, non quod vtile sibi est, quaerat, sed quod omnibus. Haec nos requiescere facit ab operibus iniquitatis, haec reuocat a tristitia. quia dum ea, quae iusta sunt, gerimus, nihil timemus purae conscientiae securitate. non dolemus graui dolore. Nihil enim est, quod maioris doloris sit, quàm culpae rea-

E tus. Requiescamus etiam ab omni cura terrenae conuersationis, quae corpus nostrum, atque animam frequentibus vexat doloribus, vitamque atterit.

Quod si Sanctus hic Doctor vnius viri contemplationem, quam putat cum imitatione esse coniungendam, quietem afferre posse arbitratus est, quid, quaeso, sentiendum esse existimaret de illo loco, qui cum ipsa Dei sede proxime coniun-

REQVIES in templo in quo Deus sedet.

ctus est, ab omni rerum humanarum perturbatione longissime semotus? In quem sane locum re-

Psal. 90. ℣. 1.

spexisse videtur Psaltes celebri illo Psalmo, quo omnis securitas, & quies quodammodo continetur: *Qui habitat*, inquit, *in adiutorio Altissimi*,

in pro-

in protectione Dei caeli commorabitur. Ex Hebraeo sic ad verbum potest conuerti: Sedet in abscondito Excelsi: nam & huiusmodi locum absconditum orationi inquirendum esse, docuit virtutum omnium Dominus Magister & parens Christus:

Matth. 6. ℣. 6.

Ora Patrem tuum, inquiens, *in abscondito* in vmbraculo שדי Sadai, sufficientissimi commorabitur.

Huius porro Psalmi explanationem, quam non parum huic argumento lucis allaturam existimaui, libens & prudens praetermitto, Lectorem hortatus, vt apud Expositores eam legat: eam tamen quam Rabbi Moses Aegyptius attulit, & quòd non omnibus suppetat, & quòd vtilis esse putetur, ac iucunda non minus quam ad praesens institutum accommodata, silentio

R. Moses lib. 3. Morehanebochim.

B

inuoluendam esse non duxi. Is igitur: *Aduerte*, inquit, *Psalmum, cuius principium est*, Qui habitat in adiutorio Altissimi, *quoniam in eo agitur de prouidentia, & de cura, & de adiutorio, atque protectione Dei in cunctis, quae eueniunt corpori, tum vniuersalia, tum particularia, quae inueniuntur in vno indiuiduo, & non in alio, in accidentibus etiam quae eueniunt à natura compositae substantiae, necnon in illis, quae perpetrant & commentantur homines praui moribus. Et propterea dixit: Ipse liberabit te de laqueo venantium, & a pernicie aduersa. Et iterum Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Et rursum: Non timebis a timore nocturno, nec à sagitta volante per*

C

diem, & à pernicie ambulante in tenebris. Loquitur insuper de custodia sua, ab his, quae eueniunt ab hominibus, & dicit, quòd quamuis transires per medium acriter pugnantium, ita quòd viri interfecti caderent à dextris, & à sinistris tuis: & ad laeuam quidem caderent mille, ad dexteram autem myriades; ad te nihilominus pernicies non appropinquaret, & subintulit: Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum *inspicies: & demum intulit, quod iam allatum est de gloria & honore, posuitque rationem & causam huius curae, & prouidentiae erga hominem hunc, & dixit, quoniam me vehementer dilexit, liberabo eum, & protegam eum, quoniam scit nomen meum. Nos vero*

D

iam monstrauimus in praecedentibus rationem scientiae nominis, comprehensionem esse Creatoris. Proprius sane loqueretur, si apprehensionem dixisset, vel ipse, vel eius interpres. *Dicimus itaque prouidentiam, & curam Diuinam ideo adhaerere & coniungi huic homini, quoniam sciuit Deum, atque dilexit eum. Differentia vero est inter* אוהב oheb *&* חושק chosec. *Nam quando amor multum intenditur, & oculi amantis, & cor, & cunctae cogitationes feruntur in rem quae amatur, adeo quòd nihil aliud cogitat praeter illam: hic talis vocatur* חושק chosec. *Philosophorum autem documentum est, quod passiones corporeae temporum iuuentutis impedimento sunt homini, ne assequatur bonos mo-*

PASSIONES iuuenum scientiam Diuinam impediunt, & amorem.

E

res; quanto ergo magis impedimento erunt ad assequendam hanc clarissimam cognitionem, quam assequitur homo perfectionibus intellectus, quae inducunt hominem, vt sit חושק chosec, *id est, diligens Creatorem? Vanum vero, & fatuum est opinari, quod speculationes illae limpidae homini inesse possint, dum feruent corporeae passiones: siquidem quantum remissae fuerint corporeae passiones, & extinctus ignis concupiscentiae, tantum vigebit intellectus, & lumen eius augebitur, & comprehensio illius clarissima erit, & lucida: adeo quod cum homo peruenerit ad aetatem maturam, & morti propinquus fuerit, intendetur operatio illius intensione*

A

maxima, & crescet delectatio & laetitia in apprehensione, siue in operatione illa, & intendetur amor rei apprehensae tantum, quod separabitur anima à corpore in hac delectatione. Huius rei exemplum adducit Moysen, quem mortuum fuisse dicit ex ore Domini, hoc est, osculo oris eius, quod intensissimi amoris signum postulat in Canticis sponsa. Et sane orationis quietem, & securitatem definisse videtur Rabbinus, si haec omnia, quae aetati tribuit, & sedatis passionibus, Altissimi adiutorio, & protectioni cum Regio Psalte tribuisset: vt merito locus, qui sepositus est, & veluti sub scapulis, aut brachijs Diuinae maiestatis, Sacerdotum quieti deputatus, locus

Deuter.

Cant. 1.

ORATIONIS quies & securitas.

B

orationis ab Interprete nostro dicatur, cuius inprimis munus esse videtur, & animi perturbationes sedare, & ad Deum illuminatae mentis oculos tollere, atque purificatae affectionis quasi propensionem ferre.

Neque vero alienum ab hac appellatione est, quod idem Hieronymus apud Hieremiam, Saraiam principem vocet Prophetam, qui princeps vocatur Hebraeis quietis. *Saraias autem erat princeps* מנוחה menuchah, requiei, *prophetiae*. Sunt qui dicunt, inquit Rabbi Dauid, quod erat amicus regis, quòd erat cum rege tempore quietis suae. Targhum vero exponit muneris, aut munerum, quasi fuerit princeps quo conferendis

Hier. 51. ℣. 59.

REQVIES prophetia dicitur.

Rabbi Dauid in comment.

C

muneribus vteretur rex Sedechias, vel quem muneribus cumulasset. Quae omnia non ad Sedechiam regem retulit Hieronymus, dum *prophetiae* principem illum vocauit, vel principem Prophetam, sed ad regum Regem ac Dominum, qui illum quiete donasset, atque alijs muneribus, quae sunt cum Dei consortio, ac prophetia coniuncta.

Sed postquam de loco orationis iam satis constat vbi fuerit, & quare sic dicatur, videndum superest de eius portis, atque mensura. In Hebraeo sic habetur: Et ostium appendicis, derelicto, vel vt habet Pagninus, thalami loco derelicto, ostium vnum ad viam Aquilonis: & ostium vnum, vel

PORTAE loci ad orationem.

D

alterum ad Meridiem. Chaldaeus: Et porta, inquit, tabulati ad locum relictum, ostium vnum apertum ad viam Aquilonarem, & ostium vnum apertum ad Austrum. Et huius loci quidem Expositores in varias abiere sententias. Nam Rabbi Salomon: Et ostium, inquit, lateris interioris ad locum repositum, id est, portae thalamorum exteriorum erant apertae ad locum interiorem, siue repositum, in cornu anguli, sicuti exposui. Haec vero sententia, vt dixi, vnum assumit, quod ab omni specie veritatis alienum est, locum fingens apertum inter domum & cubicula, cui nullum locum patere ostendet explanatio sequentium Prophetae verborum.

R. Salomon in comment.

E

Quod vero singulas singulis thalamis videatur aperire portas, ad relictum spatium, non est vt quisquam opinetur Septuaginta interpretum posse lectione fulciri: eorum enim verba sic habent: Et portae exedrarum ad reliquum, portae vnius ad Aquilonem, & ostium vnum ad Austrum. In Sixtiano codice: Portae vnius, quae ad Aquilonem. Quae ita accipienda est, vt prima vox portae collectiue sumatur pro duplici porta, quasi sensus sit, & portarum, quae ad reliquum patebant, siue ad exedras, altera erat in latere Australi, altera vero in Aquilonari. Sic enim Graeca cum Hebraeis, Latinis, & Chaldaeis consentient, quod satis sit verisimile, Interpre-

tes

tes cum origine maxime voluisse congruere.

Duplicem praeterea dicendi viam ingredi possemus in assignanda hac duplici porta: Altera, vt sermo sit de portis, quae ab atrio ingrediuntur in cubicula illa, quae sunt à lateribus vestibuli, è quibus deinde cubiculis mox pater aditus ad orationis locum. Qua ratione verba, ad Austrum, & Aquilonem, acciperentur vt sonant: quia nimirum earum altera non modo est in parte templi Aquilonari, sed & Aquilonem respicit, id quod de Australi pariter sentiendum est. Harum autem portarum vestigium videre est in vestigio Sanctuarij, faciem vero in aspectu lateris Sanctuarij. Non enim aut leuis, aut contemnenda visa est haec ratio, vt essent eiusmodi portae praetermittendae.

PORTAE ab atrio ingrediuntur in cubicula.

Verum firmiori ratione probari potest, Prophetam hoc loco non loqui de eiusmodi portis exterioribus, sed de interioribus alijs, quae in costis aperiebantur, per quae quidem ostia à mutatorijs illis cubiculis, quae dixi, ingrediebantur ad interiora cubicula, quae & locus dicebantur orationis, & derelictus Hebraice munach. Nam & haec sententia Hebraico textu maxime videtur confirmari, qui sic habet: ופתח הצלע למנח vpethach hatselagh lamunach, & ostium costae, vel lateris: quasi dicat, & ostium in ipsa protinde apertum, alterum erat ad viam, vel à latere Aquilonari domus, ostium alterum ad Meridiem, hoc est, à latere Meridiano: quamuis ostium vtrumque Orientem respiceret, vt in vestigio videre est, eiusque erectam formam in apposita figura horum cubiculorum. Hanc plane sententiam confirmat Clarius. Et ostium thalami, inquit, vt scilicet vtrimque ab angulo tam Meridiei, quàm Aquilonis patuerit extremo cubiculo ostium, quod hic appellat, ad viam Aquilonis, & ad viam Australem, iuxta tractum videlicet, ac plagam mundi, totiusque aedificij: nam neque ad templum, neque ad atrium ostia cubiculis data sunt, & huius sententiae fere veteres sunt. Et hactenus quidem satis clare Clarius rem ipsam est persecutus, in ijs vero quae subdit, neque ipse, neque Rabbini illi, à quibus id desumpsit, veritatem sunt assequuti: immo neque ab eis facile percipi potuisse crediderim, in quo ab ea declinarent. Ex quo, inquit, facile colligitur vnumquodque cubiculum tria vt minimum habuisse ostia, duo ad cubicula, hinc atque hinc adiecta proxime, & tertium sursum versus ad superius cubiculum per cochleam: nam ab infimo in medium, & à medio in supremum ascensus per cochleam patuit. Haec ille. Qua in re, quod ad bina cubiculi cuiusque ostia spectat, diserte magis ea exposuit, quicumque affirmauit ea fuisse peruia, non enim essent eiusmodi, nisi primum suum haberet ostium, quo ingredientes exciperet, atque alterum, quo eosdem in proximum dimitteret cubiculum. Haec vero ostia omnia in costis ipsis aperiebantur, quorum extrema singula hoc loco recensentur. Et haec forte ostia significare voluerunt Septuaginta interpretes, quos paulo superius aliter exposuimus.

OSTIA IN ipsis costis aperiebantur.

Isid. Clarius

OMNIA CVbicula ad orationem fuerunt peruia.

Illud vero falsum est, textuique videtur aduersum, quod de tertia porta in singulis cubiculis affirmat: nam eiusmodi portae in singulis cubiculis singulas exigerent cochleas, per quas ad superiora conscenderetur; quod & superuacaneum esset, & à Propheta alienum, qui vnam tantum retulisse videtur cochleam secundam ra-

A tio probat, quae plures omnino respuit: ad cochleam enim per vnum ostium ingressus patet in cubiculum illud exterius, in quo non ternas, sed quaternas licet obseruare portas, ad vestibulum, ad atrium, ad locum orationis, & ad cochleam. Ex quo fit, vt qui inferius ingrederetur cubiculum per portam, quam diximus, Aquilonarem, omnia simul peruaderet cubicula, donec egrederetur per simile ostium Meridianum. Quod si ad tabulatum secundum quis ascendere vellet, is ex omnibus egressus cubiculis orationis, in muratoria exedra ingrederetur cochleae portam, & sic conscenderet secundum tabulatum, & totum peruaderet, vt de inferiori diximus: B à quo iterum egrederetur, vt scalas quaereret, & supremum conscenderet tabulatum.

Denique, vt ad locum orationis reuertamur, Lyranus locum hunc fuisse putat secundum omnes Expositores, in quo orabant illi, qui templum ingredi non debebant. Ex quo bene colligit ostium non fuisse in pariete templi apertum, quod si fuisset, ingressuri locum orationis, prius templum ingredi debuissent, quod erat inconueniens. Sed & ipse Lyranus, nisi sano modo exponatur, id affirmat, quod est a lege templi, atque adeo a veritate alienum. Nam qua ratione ipse probat ostia loci non fuisse in templo, ne per C templum aditus pateret ad locum, eadem conuincitur, locum orationis nullis alijs patuisse, quam quibus interius atrium patuit: loci enim ad orationem ostia in atrio interiori aperiebantur. Quapropter eosdem ipsos, quibus templum certis temporibus patebat, alijs vero interdicebatur, esse eos intellige, de quibus expositores illi a Lyrano relati affirmant solitos fuisse orationis locum adire. Quod enim aliquibus è Sacerdotibus aliquando licebat, non semper licuisse, vel vno satis potest Philonis Hebraei locupletissimo testimonio confirmari. Is enim impietatem Caij cum Herodis temeritate conferens, illam hac longe maiorem, atrociorem que esse exaggerat, atque ad excitandas sediD tiones aptiorem: quippe cum: Tunc dicabantur, inquit, clypei nulla picti effigie, nunc colossea statua: tunc in priuatis procuratoris aedibus, nunc, vt fertur, ponetur in intimo Sanctuario, quod semel quotannis Pontifex introgreditur ieiunij tempore tantum odores incensurus, & ex more vota facturus, vt felix annus, & pax contingat omnibus hominibus. De cetero si quis, non dico plebeius Iudaeus, sed Sacerdos, vel à summo proximus, immo is ipse Pontifex si duobus anni diebus, aut eadem die ter, quaterue introierit, capite luet absque venia; tantam religionem adytorum voluit esse Legislator, vt haec sola inaccessa, intactaque seruarentur. Haec ille. E de quibus nobis singulatim dicendum est.

LYRANI sententia de loco orationis refellitur.

Philo de legat ad Caium.

SACERDOTES non semper, sed statutis temporibus templum ingrediebantur.

Et latitudo loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu. Hebraice: Latitudo מקום המנח mecom hammunach, loci derelicti, quinque cubitorum circumcirca. Sic & Chaldaeus paraphrastes. & Septuaginta interpretes sic habent: Et portae exedrarum ad reliquum portae vnius, quae ad Aquilonem: & ostium vnum ad Austrum: & latitudo luminis reliqui, cubitorum quinque latitudo in circuitu. Qui & ipsum orationis locum agnouisse videntur: nam in quodam codice post illa verba, Et portae exedrarum ad reliquum portae vnius, quae ad Aquilonem, haec habentur: εἰς προσευχὴν, ad orationem, cubitorum quinque in circu-

circuitu. Istud ὡς προσευχῶ agnoscit etiam Theodoretus, quamuis idem esse putet, atque ad Austrum. In eodem codice post illa verba: Et latitudo luminis reliqui, additur: ὁ τόπος τῆς προσευχῆς locus orationis: quamuis Sanctus Hieronymus quoties locum orationis hoc eodem versu retulit, toties affirmet in Septuaginta minime reperiri. Quòd vero luminis reliqui latitudinem metiuntur Septuaginta, in Complutensi habetur τῶ τόπω loci, quae vox Hebraicae respondet מקום mecom. Theodoretus lumen porticus putat esse, quod solet vocari, φωτικὸν hoc est, luminare. Haec ex notationibus Sixtiani codicis. Verum Theodoreti verba melius, quae sit eius sententia, indicabunt: is bina haec ostia binas alias exedras putat indicare. Et alias, inquit, duas exedras ab vtraque parte Dei templi conspexi, alteram ad Aquilonem respicientem, alteram autem ad Austrum, hoc enim vocauit orationem siquidem eas partes Ierusalem, quae magis vergunt ad Aquilonem, incolentibus (videtur loqui de Babylone, quam haec scribens incolebat Propheta noster) Iudaeis mos est cum precantur, Meridiem respicere secundum vrbis situm. Atque inter Dei templum, & eam, quae vocatur, exedra, quinque cubitis definiri &c. Verum hanc sententiam, quam cum Rabbinis tenuit quoque Lyranus, & quam videntur innuere Septuaginta, stare nulla ratione posse probant mensurae, quas supra suis locis confirmauimus. Nam parastades, costae, aut latera à pariete templi vndique proijciuntur vndenis cubitis; at paries exterior costarum occupat ex eis quinque, supersunt igitur tantum sex, è quibus vno cubito extant à pariete antae, neque alia ratione possent ornamento domus deseruire, quod ambitiosum vocat Iosephus: reliqui ergo fiunt inter vtrumque murum, quinque cubiti loco orationis, neque intercedere potuit inter hunc locum, & templum locus alius quinque cubitorum. Quare Septuaginta interpretes exponendi sunt, vt dixi: reliqui vel eadem ratione loquuti fuisse existimandi sunt, vel omnino reijciendi.

LOCI Latitudo, non luminis dimensa.

Theodor super Ezech.

DE LONGITVDINE LOCI AD ORATIONEM,

eiusque nominibus, & parietibus.

Cap. XXIX.

XII. E*T aedificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum.* Variae sunt circa hunc textum Expositorum sententiae, quas non minus difficile est cum ipsis templi mensuris conciliare, quàm ipsas inter se. Pendet autem propter voces quasdam, quarum vsus frequens reperitur ex huius loci explana-

A tione plurium intelligentia: quamobrem in ea explanando tantisper immorari operaepretium est. Rabbi Salomon inprimis audiendus, cuius prima sententia vt maxime videtur primo aspectu credibilis, ita maxime est, si bene intelligatur, Prophetae verbis contraria. Latitudo, inquit, totius aedificij ad latus Occidentale, latitudo, inquam, templi & grossities parietum Aquilonarium, & Australium cum thalamis Aquilonaribus, & Australibus, & grossities parietum eorum ad Aquilonem, & ad Austrum, erant longitudinis septuaginta cubitorum: & sic erant in aedificio secundi templi. Sic etiam legitur in tractatu mensurarum: Paries Occidentalis ab Aqui-

R. Salomon in comment.

VARIAE aliorum sententiae refelluntur.

B lone ad Austrum erat septuaginta cubitorum, & enumerat computum. Sed computus ille quem enumerat, falsus est, quippe qui computo sacrae Scripturae repugnat: nam area atrij, in qua est templum, lata centenis cubitis esse perhibetur, quod ipsa symmetriae ratio facile suaderet, quamuis id non expressisset textus, quod disertis verbis testatus est à quibus si septuaginta subtrabas latitudinis templi, reliqui erunt cubiti triginta, quindeni ex vtraque parte templi, cum contra Propheta vicenos det latitudinis, quae totum circumdat templum, vt supra ostensum est. Maneat igitur semel constitutum de latitudine domus textum non loqui, cum perspectum

C sit, latitudinem viginti cubitorum totam debere domum vndique circumplecti.

Pendet autem huius loci explanatio ex duplicis vocis notione, qua id quod Angelus dimetitur hoc loco, censetur in Hebraeo: nam vbi nos legimus, *Et aedificium, quod erat separatum*, Hebraice habetur והבנין אשר אל פני הגזרה vehabbinian aser el pene hagizrah. Et aedificium, quòd ad facies tabulati sepositi. vel, vt habet Pagninus, quod erat coram solario. Sed & idem Salomon has voces explanare conatur הגזרה hagizrah: Locus, inquit separatus. Ionathas exponit ביצורתא bitsurtha, locus munitus. Ego vero dico domum excelsam sic appellari: thalamos autem humiliores, qui erant

Pagninus in sua versione.

R. Salomon in comment.

D circa illam, appellari בנין binian, aedificium. Manaben autem exponit גזרה gizrah, gazophylacium. Haec est Rabbini expositio, qui si vt rerum, ita vocum cognitionem tenuisset, & seipsum, & alios labore, ac fallacijs liberasset: sed prius videndus est huius assecla Dauid. Possibile est, inquit, hoc dixisse de mensuris coenaculorum, quae erant supra templum, quorum mensus est latitudinem ad viam Occidentalem, septuaginta cubitorum. muri autem erant ex numero. Dicit autem, quòd latitudo cuiuscumque muri erat quinque cubitorum. & id est, quod dicitur, paries autem aedificij quinque cubitorum. Ad latus vero Orientale erat eorum latitudo centum cubi-

Rabbi Dauid in comment.

E torum, sicut dicitur. Appellat autem coenaculum גזרה gizrah, locum separatum, quia erat quasi segregatum à templo in parte superiore. Ionathas autem exponit בצורתא bitsurtha, id est, locum munitum, vel abscissum, vel excelsum, quod est significationis altitudinis, iuxta illud גדולות ובצורות gedoloth vbetsuroth, magnae, & munitae. Aut certe exponemus de domo ipsa, sicut exposuit Rabbi Salomon: & sic erit ordinatum iuxta illud, quod erat in secundo templo, sicut legimus in tractatu mensurarum. Dicit autem aedificium, quod erat separatum, quasi dicat, locus separatus, idest, templum, cum aedificio, quod erat ad Aquilonem, & ad Austrum, habebat latitudinem ad

viam

viam Occidentalem septuaginta cubitorum; ad Orientem autem centum cubitorum: nam superabat triginta cubitis, quibus vestibulum supereminebat templo, quindecim scilicet cubitis hinc, & quindecim inde, vbi erat domus commutationum: & sic legimus ibidem: Ab Aquilone ad Austrum erant septuaginta cubiti. Sed eorum computatio inepta est, atque indigna, quae in memoriam reuocetur: cum ab illis scribatur, qui nec aedificium norunt, neque aedificij rationem, ac symmetrias nosse potuerunt.

MVTATORIA gazophylacia quae.

Sed quod de mutatorijs gazophylacijs subiungit, silentio non est praetermittendum: Dicebatur, inquit, בית החליפות beth hachaliphoth, domus commutationum, vbi reponebantur gladij ipsius templi, quod erat angustum in partibus posterioribus suis, & latum in anterioribus, ad similitudinem leonis, sicut dicitur: Vae Ariel ciuitas, quam aedificauit Dauid. Et sicuti leo angustus est in posterioribus, & latus in anterioribus suis, sic etiam templum angustum erat in posterioribus, & latum in anterioribus: & hoc est id quod ibi legitur. Quod autem dicit vestibulum supra templum eminere quindecim cubitis hinc, & quindecim cubitis inde, non intelligitur ita vt spatium ipsius vestibuli sit latius templi spatio, sed quia domus commutationum coniuncta erat ipsi vestibulo hinc & inde. Haec ille. Lyranus

Nicolaus de Lyra.

lites componere velle videtur, voces, earumque notiones plane cognoscens, cum tamen quid eisdem significetur, haud probe intelligat. Expositores Latini, inquit, communiter exponunt de quodam aedificio, quod dicunt situatum inter Occidentalem partem templi, & locum vulgi. Hebraei vero non ponunt hoc aedificium, vt dictum est supra, & merito, vt videtur: nam in textu non dicitur pro quo deseruiat, cum tamen de alijs aedificijs hoc dicat.

Addendum praeterea videtur his Lyrani notionibus aduersus expositores illos, quod porticus quaedam centum cubitos longa, nullam habens mensuram, septuaginta cubitorum definitur in textu, vt videbimus, inter quam, & templum viginti illi cubiti latitudinis intercedunt: atque inter hanc porticum, & atrium gentium, nullum patet praeterea spatium, quo illud aedificium, quod fingunt, possit contineri, vt vides in vniuersali ichnographia. Sed & subiungit Lyra: Propter quod cum ipsis (Hebraeis) exponam textum de templo, & aliquibus sibi adiunctis. Et describitur hic latitudo templi cum suis appendicijs, & locus orationis in latere Occidentali, cum dicitur: *Et aedificium quod erat separatum*, secundum quod dicit Rabbi Salomon, per aedificium hic intelliguntur illa, quae sunt templo adiuncta, & per separatum ipsum templum: erat enim, inquit, aedificium valde nobile. ac subdit: Et potest etiam dici separatum propter eius eminentiam respectu aliorum aedificiorum: & ideo sic debet habere nostra translatio: *Et aedificium, quod erat separatum*. id est, adiunctum ipsi templo. Nomina enim Hebraea sunt indeclinabilia, sicut cornu, & gelu: propter quod in transferendo positus fuit nominatiuus casus pro datiuo, vel forte factum fuit hoc scriptoris vitio, qui secum inuicem pugnantia inuoluit, quippe quae cum ipsa pugnare videntur Vulgata editione. quid enim commune habet separatum aedificium, & coniunctum templo?

Sed mutuemur ab ipso, quod verum est: Aedificium, inquit, dicuntur illa, quae sunt templo adiuncta: Hebraice בנין binian. Significat autem haec vox, vt supra latius dixi, aedificium, quod varijs constat partibus inter se connexis, & colligatis, vt vbi de peribolo exteriori templi dicebamus. Et omnis certe exedrarum templo adiacentium structura, quae parietibus exterioribus clausa, medijs distinguitur parastadis, fornicibus apertis, merito hac voce denominetur. Et hoc vnum de priori voce satis habeo dixisse.

AEDIFICIUM, seu binian, quod dicatur.

Lib. 3. cap. 13.

Vox autem גזרה gizra, à verbo deducitur גזר gazar, quod est excidere, succidere, scindere, diuidere. Hoc verbo eleganter vsus est Habacuc: *Abscindetur*, inquit, *de ouili pecus*. vel vt alij vertunt, abscidit, vel abscindet sese de ouili pecus. Penuriam ingentem indicat ouile sine pecore, praesepia sine armentis. Non dissimili vsus est phrasi Isaias: *Quia abscissus est de terra viuentium.* hoc est, è medio sublatus est. Quam phrasim magis explanauit idem Isaias, vel apud Isaiam Ezechias: *Praecisa est*, inquit, *velut a texente vita mea. dum adhuc ordirer, succidit me.* Hinc vox deducitur גזרה gizra, abscissum, separatum, scissum significans: quae cum de aedificio dicitur, illud aedificium significabit, quod ab omni alio sepositum est, nec alteri coniunctum, aut aliqua sui parte connexum. Quare merito Scriptores in hanc vnam confluunt sententiam, vt putent templum ea voce indicari: à vocis vero notione alienum videtur, quod sic dicatur, quia ceteras aedificij partes dignitate antecellat, vt ait Clarius, ipsisque emineat. Quae quamuis vera sint, extra propositum videtur expositio, atque ex ipsa rei ignoratione orta vocum translatio, cum eas, vt sonant, in partibus aedificij notandis oporteat explicare: quamuis deinde metaphorae ac tropi splendorem historiae possint afferre. Pari quoque ratione, coenaculum vocare gizrah, vt fecit Chimchius, videtur impertinens. Quomodo enim separatum dicatur, aut abscissum ab inferiori aedificio cui innititur, quorum alterum si ab altero separetur, neutrum poterit aedificium complete, est enim inferior pars quasi fundamentum superioris, qua sublata non stabit superius: est superior quasi inferioris complementum, ac dignitas, illam si auferas, dignitatis multum, ac perfectionis inferiori detrahas. His adde quod renuit mensura, locum de coenaculo exponi: nam domus longa est cubitos sexaginta, vt vidimus, vestibulum latum decem, inter quod & domum intercedit paries cubitorum sex: non possunt ergo pauciores cubiti in longitudine coenaculi computari, quàm sex & septuaginta, quibus si addas ex vtraque parte parietis crassitudinem cubitorum quinque, vt ipse huius sententiae auctor contendit, erunt cubiti sex & octoginta, non septuaginta, vt habet textus.

Habacuc 3. ℣. 17.

ABSCINDI, hoc est, perire.

Isa. 53. ℣. 8.

Isa. 38. ℣. 12.

SEPARATUM quod dicatur.

Isid. Clarius.

COENACVLUM templi non potest hoc loco intelligi.

Sed & illud quoque quod Rabbini cum Iosepho affirmant, aedificium domus latum fuisse ab Oriente centenos cubitos, falsum esse deprehenditur. Nam cum area atrij lata sit cubitos centum, & porticibus ex vtraque parte cincta, vt sequenti capite patebit, si ipsa domus lata esset centenos cubitos, cum porticibus necessario coniungeretur, neque abscissum, aut separatum aedificium diceretur, sed constans, atque perpetuum.

DOMVS AB Oriente non est lata cubitos centum.

At quoniam constans videtur esse Doctorum sententia, templum leonis formam retulisse, idque maxime rationi videtur consentaneum, atque

TEMPLVM leonis formam habuit.

que ipsi Scripturae sacrae: ideo ne id quidem A nostro templo defuisse credendum est, cuius facies & porticus postico fuit latior, non quidem quinis denis vtrimque cubitis, vt tradunt Rabbini, neque humeris vicenorum vtrimque cubitorum, vt ait Iosephus; sed ijs tantum, quos turris fastigium fundamentorum crassitudini postulabat, quosque symmetriae ratio exigebat, vt videre licet in eius vestigio. Qua ratione factum est, vt mutatoriae exedrae non hunc, aut illum habeant incertum numerum, sed eum, quem omnibus alijs circa templum exedris tribuit Sacer textus, cubitorum quinque: at quoniam reliquis maiores esse oportuit huiusmodi cellas, eae in medio dilatantur binis vtrimque cubitis, vel circiter, quo & vsui sint aptae, & ornamentis nobilissimae, vt contemplanti vestigium esse poterit in promptu. Sed his praetermissis, quae vt aliorum sententijs satisfaceremus, obiter diximus, loci sensum paucis aperiamus.

MVTATORIA cubicula, & eorum mensurae.

Et aedificium, binian, exedras intellige, quae circa templum sunt. Has vocant Septuaginta, separans, vel, & quod separat, quia quodammodo intercedunt domum inter, & atrium *quod erat separatum*. Hebraice *Ad facies tabulati sepositi*, Septuaginta, Ante faciem reliqui, vel, ad faciem reliqui. Ante conseptum Latinus Chaldaei Interpres, conseptum autem vocat, quod Chaldaeus vocauit בצירתא bisiuta. Quodque Rabbini Salomon, & C Dauid palatium, arcem, munitionem exponunt, & de ipso aedificio templi intelligendum esse non dubitant: hoc autem septum vocauit Interpres ipso binian aedificio, quo pariter munitum est, vt patet. Sed & hoc aedificium, vel locum orationis intellige, quod est in facie templi, vel coram templo, à latere Meridiano, & Aquilonari, & tendit ad Occidentem. Sic enim interpretor cum Septuaginta interpretibus, qui quod *ad mare*, vel quasi ad mare scribunt: vel cum Chaldaeo, versus viam Occidentis, *latitudinis*, vel extensionis *septuaginta cubitorum*. Longitudinem metitur loci ad orationem, qui sexaginta cubitos occupat longitudinis templi, & senos muri D Occidentalis, & quinos exedrae item Occidentalis, vel si ad postem vsque parastadis metiaris, quaternos, qui omnes septuaginta complent.

VERVS loci sensus colligitur.

R. Salomon. Rabbi Dauid relati.

Theodoret. Hanc nostram sententiam confirmat Theodoretus: Et à pariete, inquit, Occidentis vsque ad ipsam exedram (sic vocat mutatoriam cellam) septuaginta cubitos interesse. Haec ille: qui cum omnibus alijs Expositoribus mare putat accipi pro Occidente, vt aliàs solet. Id quod disertis verbis testatus fuisse videtur Moyses: *Contra Occidentem vero*, inquit, *idest, ad eam partem tabernaculi, quae mare respicit, fecit sex tabulas &c.*

Exodi 36. ℣. 27.

Parietes autem huius *aedificij* הבנין habinian, *quinque cubitorum latitudinis per circuitum*. Haec E enim expositio quaedam videtur esse eius, quod supra dixerat: *Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum*. Id quod Septuaginta interpretes morem suum loquendi tenentes, indicant, qui sic habent in Sixtiano codice: Parietis separantis cubitorum quinque latitudo in circuitu. Sic Rabbi Salomon: Paries autem aedificij, inquit, idest, muri thalamorum. *Et longitudo eius nonaginta cubitorum*. Idem: Id est, inquit, longitudo aedificij thalamorum, & loci interioris erat nonaginta cubitorum ad Aquilonem, & ad Austrum, praeter domum commutationum, quae non connumerabantur cum ipso, A quia veniebat exterius ad Aquilonem, & ad Austrum &c. Longitudo autem illius aedificij (idest, domus commutationis) ab Oriente ad Occidentem erat decem cubitorum: remanent igitur nonaginta cubiti longitudinis, in latitudine septuaginta: domus enim tota erat longitudinis centum hinc & inde, sicut explicatur in textu ipso, & in tractatu mensurarum. Eandem sequitur dicendi rationem Chimchius: eandemque videntur innuere Septuaginta interpretes, qui longitudinem parietis fuisse indicant cubitorum nonaginta.

PARIES thalamorum latus quinque, altus nonaginta cubitos. Supra ℣. 9.

R. Salomon in comment.

Sed falsa esse inprimis ostendenda est Rabbinorum opinio, quod nullo negotio sequenti verB su perspiciet lector, qui longitudinem domus inclusis muris metiri cognouerit. Sed cum mutatoriae cellae denos tribuant cubitos, cui adiacet exterior paries quinque minimum cubitorum, qui reliqui erunt longitudini muri Aquilonaris, & Meridiani, cubiti fient quinque & octoginta, non nonaginta. Et haec quidem computatio ad hominem, quod aiant, fit: nam cum multo crassior constituatur murus Orientalis propter turris altitudinem, eo minor conuincetur esse numerus eo, quem collegi, quinque & octoginta cubitorum. Sed hanc mensuram ad altitudinem Occidentalem domus referendam esse confirmat ipsa symmetriae ratio, quam suo loco expendeC mus, praeterquam quod Occidentalis aspectus haec est longior mensura, quae merito longitudo dicetur. Et Septuaginta quidem interpretes de muto loquuti esse censebuntur, vt ex duplici constat codice: nam exterior, vt dixi, vsque ad fenestras erigebatur cubitos quinque & viginti.

ALTITVDO domus Occidentalis nonaginta cubitorum.

DE LONGITVDINE DOMVS CENTVM *cubitorum*.

Cap. X X X.

ET mensus est domus longitudinem centum cubitorum: & quod separatum erat aedificium, & parietes eius longitudinis centum cubitorum. XIII. Quam per partes dimensus fuerat domum, nunc in vnam summam colligit, eamque longam esse testatur ab Oriente in E Occidentem, cubitos, absoluto numero, centum. Quae plane sententia, quoniam ab omnibus pariter Expositoribus, nemine discrepante, recipitur, non est opinor, cur in ea explananda diutius immoremur. Rationem tamen hunc numerum colligendi non eandem omnes tenuerunt, quoniam non omnes superiores partium numeros eodem modo interpretati sunt. vel quod verius est, quia non omnes vnum integrum, atque perfectum aedificij corpus aut componere, aut mente concipere voluerunt, vel certe valuerunt. Rabbi Salomon: Sumat omnia, inquit, cum eminentia domus commutationum. Sic etiam legimus in tractatu mensurarum: Templum erat centum

R. Salomon.

tum

QVOMODO centenarius numerus colligatur.

tum supra centum in altitudine centum, ab Oriente ad Occidentem centum. Hanc vnam mensuram veram esse agnoscimus, in reliquis à vero discedit: nam Orientalem domus latitudinem, quam hic videtur referre, supra reiecimus, altitudinem centum, nisi de Herodiano templo loquatur, falsam esse conuincit Historia Paralipomenon. Sed & ipse colligit in vnum partes, quas non omnes supra apte mensus fuerat. Quare ne easdem, quas supra attulimus, rationes cogamur repetere, satius fore existimaui illum praetermittere, cum Salomone, qui longius à vero aberrat.

2. Paral. 3. ℣. 4.

Septuaginta interpretes: Et mensus est, inquiunt, longitudinem cubitorum centum. Sanctus Hieronymus: Verbum, contra, inquit, quod Septuaginta transtulerunt in principio testimonij, vbi scriptum est. Et mensus est contra domum: in Hebraeo non habetur: & idcirco obelo praenotandum est, vt sit tectius & verius: Et mensus est domum longitudine cubitorum centum. Quam Beati Hieronymi sententiam confirmare videtur ipse contextus, quem apte composuit Lyranus: *Et mensus est domus*, idest, templi, *longitudinem centum cubitorum*: & qualiter istud sit intelligendum, exponitur cum subditur: *Et quod separatum erat aedificium, &c.* pro, idest, *quod separatum erat aedificium &c.* idest, templum, quod dicitur separatum cum aedificio appendiciorum.

S. Hieron.

Nicolaus de Lyra.

CONIVNctio, &, interpretatiue sumitur non copulatiue.

Et sane quod commune sit sacro Eloquio coniunctionem, &, interpretatiue vsurpare pro idest, ex multiplici notione & vsu Hebraicae literae, ו vau, cui respondet, originem ducere aliàs meminime dixisse. Ex multis vero exemplis, quae id ipsum confirmare possent, pauca quaedam subiungam, quibus illud quoque obiter perspiciatur, quid nimirum sacrae Literae Dei benedictione contineri statuant. In Genesi: *Benedixit diei septimo, &c.* idest, *sanctificauit illum*, vel Sanctum habendum esse semper ostendit: *quia in ipso cessauerat ab omni opere suo*. Et iterum Isaac ad Iacob ait: *Deus autem omnipotens benedicat tibi, &c.* idest, *crescere te faciat, atque multiplicet*. Et in Psalmo: *Benedicat tibi Dominus ex Sion: &c.* idest, *videas bona Ierusalem omnibus diebus vitae tuae. Et videas filios filiorum tuorum &c.* Qua sane ratione apte intelligemus idem ipsum, quod domus nomine mensus fuerat centum cubitis: quoniam ea voce quae communis est, & plura significat, non satis perspecta esse poterat eiusmodi mensura, eam explicare magis volens, atque indicare quas partes domus eiusmodi mensura comprehenderet, subiungit: *Et*, hoc est, *quod separatum erat aedificium*. Hebraice והגזרה והבנין vehaguzrah vehabinian: & sepositum, & aedificium. Hanc porro sententiam confirmat Salomon: Finis, inquit, versiculi explicat suum principium, quasi dicat, omnia simul conficiunt centum cubitos. Haec ille. Vocem vero vtramque paulo ante exposuimus, & ostendimus priori templum indicari, posteriori vero aedificia illa templo adiacentia. *Et parietes eius*. hoc est, omnia simul compinata longitudinem complent cubitorum centum, ab Oriente in Occidentem, vel ab Occidente in Orientem: qua ratione numerum deducemus, praesente tamen vestigio Sanctuarij. Occidentalis paries cubitorum quinque, exedra totidem; murus templi calami vnius, hoc est, cubitorum sex & quartae partis: ipsum templum sexaginta cubitorum, paries templi Orientalis, ca-

Genes. 2. ℣. 3.

BENEDIcere & sanctificare.

Genes. 28. ℣. 3.

Psal. 127. ℣. 5. & 6.

CENTENArius cubitorum numerus colligitur.

A lami vnius, hoc est, cubitorum sex cum quarta parte: vestibulum cum suis antis duorum calamorum, hoc est, cubitorum duodecim ac semis: exterior murus vestibuli, cubitorum quinque. Qui omnes numeri in vnam summam collecti, centenos efficiunt cubitos, vt vides in margine. singuli autem eorum suis locis confirmati sunt, vt nulla possit in eis subesse dubitandi ratio.

5
5
6 ¼
60
6 ¼
12 ½
5
100

Maxime vero perpendenda est haec tam exacta numerorum sacri Textus confirmatio, in maximis praesertim numeris, quibus plures alij continentur. Hi enim veluti nauigationis portus sunt, aut cursus meta, quam qui tetigerit, certam viam tenuisse in reliquis certum est. Quae B vel vna ratio certiorem facere posset lectorem, vt dubitare non possit de vniuersa fabrica, ac singulis eius partibus. Huius vero rationis pondera, atque momenta nemo cognoscere posset magis, aut explicaret vberius, quàm qui cum infinitas propemodum alias ingressus fuisset vias, nulla tamen alia hoc vnum, doctissimorum virorum, quibus id fuerat ante commissum, iudicio, consequi potuit, neque sibiipsi satisfacere, nedum alijs persuadere.

MAIORES numeri collecti ex minimis hos confirmant.

Huc vero in iudicium vocare liceret Scriptores illos, qui nescio quod Herodis templum Salomonico praeferre volentes, nec tamen possunt, hoc fuisse affirmant longum cubitos septuaginta C addito vestibulo, illud, vtroque Iosepho teste, centum. At inquiet ille, hoc Ezechielis templum nihil habet cum Salomonico commune. Quod quamuis in alijs aedificij partibus non sit tam perspectum, hac vna, quae totum dici posset potius quàm pars, ita est conspicuum, vt ab ijs, qui sacras venerantur Literas, negari vix possit. Nam cum singulas fere aedificij partes historijs sacris non minus probauerimus, quàm Propheticis testimonijs, quae ex probatis ac certis numeris colligitur summa, tam certa est, quàm quae certissima, eamque qualibet alia licet confirmare. Esto, vt hoc illis concedamus, sit domus Domini à Salomone constructa longa cubitos septuaginta, cui D adiacent, quae historia Regum narrat: *Et aedificauit Salomon super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi* ecce parietes binos minimum Meridianos Occidentales, & Aquilonares, neque enim vnus paries tabulata posset continere, *& fecit latera in circuitu*. Distinguas necesse est à lateribus tabulata, quae deinde metiuntur, breuiora quinis cubitis: atque vestibulum non potuit non exterius pariete claudi, & domus altero quidem claudebatur, qui vestibulum distingueret à Sancto: ecce quaternos muros, & tabulatum addendum longitudini septuaginta cubitorum. Ac ne muros subtiliores contentiose con-E stituas, memineris viginti cubitos conscensuros supra centum. Quem computandi morem tenuit Richardus, parum deuians in aliquibus muris. Nam quadraginta, inquit, cubitos longitudinis inter parietes habuit ipsum templum, viginti vero Sanctum Sanctorum, vndecim autem latitudinis templi vestibulum: quatuor autem parietes viginti quatuor cubitos tenuere, & locus orationis cubitos quinque: haec omnia si in vnum redigis, centenarij summam habebis. Haec ille. qui senos cubitos etiam extimis muris contra textum attribuit, quoniam nec calami rationem nouit, nec vestibuli antas interiores. Quae omnia facile docebunt Herodem Salomonici templi,

FALSA collatio Herodiani templi refellitur.

Ioseph. lib. 15. antiq. c. 14. Gerion lib. 5. histor. c. 25.

3. Reg. 6. ℣. 5.

Richardus de templo Ezec. cap. 16.

templi, quod Ezechiel descripsit, longitudinem fuisse imitatum, aut certe eam, quam Zorobabel fuerat imitatus, exornasse, vt multo verisimilius esse aliàs ostendam.

DE PLATEA ORIENTALI, QVAE INTER *vestibulum templi iacebat, & atrium Sacerdotum; necnon de quadrata area atrij interioris, in cuius medio domus Domini erigebatur*

Cap. XXXI.

XIV. LATITVDO *autem ante faciem domus, & eius, quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum*. Hebraice: Et latitudo facierum domus, & tabulati sepositi ad Orientem, centum cubitorum. Septuaginta: Et latitudinem contra faciem templi, & reliqua contra, cubitorum centum. Chaldaeus: Et latitudo, quae erat ante domum, & conseptum ad Orientem, centum cubitorum erat. Hunc locum apte exposuit Lyranus, vt nihil praeterea exoptari posse videatur: Describitur, inquit, quaedam platea existens inter templum, & atrium interius. Ad cuius rei cognitionem sciendum est, quòd platea dicitur à nomine Graeco πλάτος platos, quod est latum, vel latitudo, propter quod latitudo ponitur pro platea aliquando, & è conuerso. & sic est in Hebraeo, & adhuc magis; nam dictio Hebraica, quae ponitur hic, est aequiuoca ad latitudinem, & plateam. & hic ponitur pro platea, & similiter latitudo, cum dicitur: *Latitudo autem ante faciem domus*. Et quae sit ista domus subditur: *Et eius &c. Et*, pro idest, *eius quod erat separatum*. per quod significatur templum, vt supra dictum est. *Contra Orientem*, idest, contra atrium interius, quod est in Orientali parte, respectu templi. *Centum cubitorum*, scilicet longitudinis secundum longitudinem atrij interioris intra parietes, quae supra dicitur centum cubitorum. Et haec longitudo plateae accipitur ab Aquilone in Austrum. Hactenus recte processit Lyranus, recta via incedens, deinde deflectit, & latitudinem plateae ab Oriente in Occidentem facit decem cubitorum, deceptus quidem specie futurorum, praeteritorum immemor, quibus disertis verbis platea haec vniuersam domum cinxisse dicitur, & cubitos lata fuisse viginti, vt ostendimus.

Nicolaus de Lyra.

PLATEA Orientalis.

Supra c. 40.

LATITVDO plateae viginti cubitorum *Supra* ℣. *20. huius.*

Totam viam aberrauit, inscius Salomon: Id-

A est, inquit, locus separatus, & thalamus, qui erat post illum, hoc est aedificium, & grossities murorum, omnia sunt centum cubitorum. Et hoc est illud, quod exposui superius, domum scilicet superare in parte anteriori triginta cubitis: nam vestibulum se dilatabat supra templum, & supra thalamos, quindecim cubitis ad Aquilonem, & quindecim cubitis ad Austrum; non quòd spatium vestibuli latius esset ipso templi spatio, sed quia domus commutationum coniuncta erat vestibulo ex vtraque parte.

R. Salomon in comment.

Quam plane sententiam respuit Vulgatae auctoritas, quae nobis maxima est. id enim quod metitus est, ante faciem domus est, non vero ipsa B domus: quod Septuaginta interpretes, & Chaldaeus paraphrastes confirmant, non repugnante Hebraico textu. Quibus accedit, quod supra diximus, plateam viginti cubitorum non posse totum vndique templum circumdare, cuius facies lata sit cubitos centum. Rabbi vero Dauid nobiscum sentire videtur, aut certe non dissentire: Iuxta nostram, inquit, expositionem rectum est: nam domus est ipsum templum, locus autem separatus est coenaculum. At vero iuxta expositionem Rabbi Salomon, templum ipsum est locus separatus: quod si verum est, cur igitur dixit, & domum, & locum separatum? Hoc autem clarum est. Sed vt video, in maximis cum Rabbino ver- C sabimur tenebris, nisi iuxta Lyrani explanationem, hoc sit eius, quod dictum fuerat, expositio.

Rabbi Dauid in comment.

Et mensus est longitudinem aedificij contra faciem eius, quod erat separatum ad dorsum: ethecas ex vtraque parte centum cubitorum. Metitur hoc loco Angelus atrium illud, quod templum circumdat, vel potius postes, atque vestibula, quibus atrium illud triplici ex parte cingitur. Quae sane aedificij ratio, quòd non perpetuo constet muro, sed ex diuersis quibusdam partibus conflетur, miro tamen artificio connexis, & colligatis, merito בנין binian dicitur. haec est enim, quam rimari potuimus, vocis notio. Aedificij porro mensuram difficili quadam phrasi inuoluit D Propheta, vt solerti indigeat interpretatione. Hebraice sic habetur: Et mensus est longitudinem aedificij ad facies tabulati sepositi, quod super posteriora eius: & angulos eius hinc & inde centum cubitis. Chaldaeus: Et mensus est longitudinem aedificij, quod erat ante conseptum ad posteriora eius, & angulos eius hinc & inde centum cubitis. Septuaginta interpretes: Et mensus est longitudinem separantis contra faciem reliquorum, quae erant post tergum domus illius, & aliqua quae hinc, & quae inde, cubitorum centum longitudinem. Consequenter loquuntur expositores hi, qui quam semel sequuti sunt Hebraicarum vocum interpretatio- E nem, semper tenuerunt. Septuaginta interpretes, qui vocem בנין binian, separantem vertunt, hic quoque separantis longitudinem astruunt. At Vulgatus, & Chaldaeus, qui aedificium conuertunt, aedificium hic quoque dimensum esse testantur: eosdem nos imitati cum fuerimus, id solum addentes, quod ad rationem aedificij spectat, vt paulo ante dicebamus, asserimus Occidentales atrij pilas hoc loco fuisse dimensas, quas vocat בנין binian, haud secus quàm paulo ante cubicula, & parastades ea voce indicauerat, & initio stilobatas, & cancellos periboli exterioris. Vocem praeterea גזרה gzrah, Septuaginta, reliqua: Chaldæus, conse-

XV.

DIFFICILIS phrasis explicanda

OCCIDENTALES pilae dictae

 ptum.

prium: Vulgatus, *suspensum*: Interpres Regij codicis, *tabulatis sepositis*: nos templum ipsum exponimus, quod hic quoque indicari arbitramur, ac septum esse censemus, mensum hic esse porticulum aedificium dorso domus obiectum, hoc est, Occidentale, quod longum erat cubitos centum, omnium porticuum instar. Ex quo mox liquet quàm vero aberrauerit Richardus, qui quasdam fingit atrij dimensiones centum quadraginta cubitorum, quibus adiungit deinde propter montis acclinitatem denos alios cubitos. quasi vero atria templi decliuia fuerint, rusticorum casulis, quàm templi sacris ministerijs aptiora. Sed quod ad huiusmodi maiorum propter aedificiorum acclinitatem computationem spectat, eam ex rerum ignoratione originem ducere, alibi à nobis demonstratum est.

Richar. de temp. Ezech. cap 15.

AREAE atriorum ad libellam & regulam factae, accliues minime fuerunt.

Tomo 3. par. 2. lib. 1. c. 5.

Vox vero [illegible], quam intactam reliquit Vulgatus ethecam, hic primum occurrit, eam temere conarentur exponere, quam doctissimus Hieronymus non voluit explicare, aut certe quam noluit exponere: quid tamen de ea sentiant Hebraei, breui libuit indicare. Eam quater apud nostrum Prophetam reperiri tradit Marinus, nec praeterea in sacris Literis legi, quidque proprie significet, ignorari affirmat, nec certo statui posse de eius origine, quam ducere eum multis putat à verbo [illegible], quod est, rumpere, disrumpere, abrumpere, euellere, diuellere, abstrahere, soluere, eradicare. Qua ratione exponenda videntur verba illa Baldad Suhitis de impio loquentis: *Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius*. vel spes eius, vel fiducia, vt habent Graeca. Sic etiam in libro Iudicum: *Sed & filij Beniamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduersarios longe persequuti sunt*. Potest esse, inquit Rabbi Dauid ex hac radice [illegible], quod est angulus: qua etiam ratione Targhum vocem exponit, alijs vero cubiculum significat, aut exedram, quae seorsum quasi à reliquo aedificio auulsa esset. Beatus vero Hieronymus, qui Hebraeam vocem aliquando retinuit, semel tamen paulo inferius *porticus* eam vertens, exposuit. Et sane nihil hic aptius significare videtur, id addens, quod ad indicandam porticus formam spectat, postibus murorum, quos angulos vocant Hebraei, fultam fuisse, postibus, inquam, quorum adpactae semicolumnae à muri extant perpendiculo, quasi auulsae, vt quibusdam placuit. Nobis vero auulsae porticus dicentur ethecae, quòd à domus Domini aedificio vndique auellantur; & qua ratione templum [illegible] dicitur, hoc est, separatum, eadem porticus dicentur ethecae, quia separatae sunt, & auulsae. Quae sane vocis expositio perspicuum reddit loci sensum. Mensus est, inquit, longitudinem porticus dorsum prospicientis domus: & porticus ex vtraque parte, Meridiana, & Aquilonari domus, singulas centum cubitorum. Hoc est enim quod mox resumet, *ethecas*, inquiens, *in circuitu per tres partes*, hoc est, ternas atriorum porticus, quae templum circumdabant.

M. Marinus in arca Noe.

AVULSI quid sit.

Iob 18. ℣. 14.

Iudic. 20. ℣. 31.

Rabbi Dauid in lib. radic.

Ezech. 42. ℣. 5.

AVVLSAE porticus quae dicantur.

Mox versu sequenti.

Neque vero cuiquam vel noua videatur expositio haec, vel nostra, quae Dauidis viri alioqui eruditi, & maximae, apud suos, auctoritatis, olim fuit. Eo modo, inquit ille, quo mensus fuerat longitudinem templi, & longitudinem loci separati, sic mensus est longitudinem aedificij, quod erat ante faciem loci separati ad Orientem,

Rabbi Dauid in comment.

A & id, quod post illum erat ad Occidentem. In hoc vero à nobis, vel potius à veritate dissentit, quòd aedificium ad Orientem mensum esse putauit, cum contra platea quaedam aedificijs omnino vacans dimensa sit. ab Occidente vero porticus, vt & ipse quoque bene notat, haec subdens: Ethecas, vel thalamos eius, idest, ad Aquilonem, & ad Austrum thalamos, & gazophylacia, quae erant in ipso, quorum longitudo erat centum cubitorum. [illegible] *attichaha*, est nomen collectiuum, siue genericum, comprehendens thalamos, & gazophylacia, quorum vnumquodque appellatur [illegible]. Ionathas autem exponit, angulos. Haec ille. Porro Lyranus: Ex-
B positores Latini dicunt, inquit, quòd ethecae sunt antesolaria. Sed haec significatio non habetur ex aliqua deriuatione Graeca, vel Latina, propter quod videtur simpliciter ficta, & maxime quia dictio Hebraica hic posita significat pilarios, qui inseruntur parietibus magnorum aedificiorum, ad ipsa fulcienda & sustentanda, sicut dicit Rabbi Salomon in glossa super locum istum, cui, quantum ad hoc, videtur esse credendum, cum fuerit Hebraicè peritissimus. Et hactenus quidem ipsi quoque Lyrano fides adhibenda videtur, in sequentibus nulla ratione, cum textu, & mensurae repugnent, de templi pilis
C sermonem fieri.

NVLLVM Orientale aedificium ante faciem domus fuit, sed tantum platea.

Nicolaus de Lyra.

Expendenda autem est mensura haec, quippe quae ad mensuras atriorum, siue vniuersalis vestigij plene percipiendas, maxime videtur necessaria. Definitur enim hic area quaedam templi Occidentalis, aeque longa ac lata cubitos centum, quam hactenus dimensus non fuerat Angelus. Quae sane area cum aequalis sit alijs, & simili ratione posita atque aliae, quae fuerant à principio dimensae, facile ostendit & vniuersam templi aream fuisse quadratam, & porticus aeque procurrisse totum templi pauimentum in areas quadratas, nouem tribuentes, vt vides in ichnographia. Hinc & patet deceptos fuisse eos,
D quos in suo biblico Apparatu imitatus est Arias Montanus, qui quòd templum audirent latius fuisse à parte anteriori, atrium quoque hoc templi ita constituerunt, vt nullum haberet angulum rectum, nulla in eo recta inueniretur fabricae ratio, cum contra hic quadruplex eius latus centum cubitis dimetiatur, platea nimirum Orientalis, aedificium Occidentale ethecae, vel porticus ex vtraque parte, Meridionali, vt dixi, & Aquilonari. Quae mensura iterum infra recensetur à Propheta.

EXPENdenda mensura ethecarum.

VNIVERsalis ichnographiae ratio.

Et templum interius, & vestibula atrij. Quidam haec verba ad superiora ita referunt, vt sit quaedam veluti superiorum repetitio: quasi diceret, atque adeo templum interius, atque atrij
E vestibula mensus est. Rabbi vero Dauid: Abstrahitur, inquit, sensus eius vsque ad mensuras finis tertij versiculi. Quasi dicat, licet comprehenderit mensuras longitudinis domus, & latitudinis eius, templi scilicet interioris, quod est Sanctum Sanctorum, sic etiam vestibula templi, & omnia denique, quae hic enumerat: singulis tamen erant mensurae notae per semetipsas. Salomon autem hanc sententiam, eiusque cum reliquis connexionem magis expressit. Finis, inquit, huius versiculi non cohaeret cum suo principio, sed coniungi debet versiculo sequenti: & haec erit ipsius expositio: Et templum, & quod interius est, idest, domus

Rabbi Dauid in comment.

R. Salomon in comment.

Sancti

cti Sanctorum; & sic vestibula atrij, quae superius fuerunt explicata, & vestibula in circuitu, his omnibus erant limina, & fenestrae obliquae, & thalami in circuitu tribus singulis: idest, & loco separato, qui est templum ipsum, & vestibulis, & domui Sancti Sanctorum, tribus quibusque erant liminaria, & postes portarum suarum. & tribus singulis erant fenestrae obliquae, & singulis tribus erant thalami אתיקים anchim, haec autem ignoro quid sint. Ego tamen existimo esse quasi columnas quadratas eminentes in muro ad munitionem, quae vulgari sermone dicuntur pilastras.

Quamuis autem haec sententia non multo labore textui aptari posset, priori tamen magis adhaeremus, quippe quam non modo Hebraeus textus indicare videtur, finem versiculi atque periodi illis verbis complexus, sed quod eam etiam sequitur Vulgata nostra. Quamquam non negauerim sequentia omnia ad prima illa versiculi verba referenda esse, *Et mensus est*; quam tenuisse videntur Septuaginta interpretes. Illud praeterea haud alienum ab hac explanatione videtur, quod והיכל vehahecal. templum, videlicet exterius intelligatur, הפנימי hapenimi interius, hoc est, interior templi pars, vt cum Rabbinis sentit Lyranus. Quod si quis coniunctionis defectum animaduertens, templum interius contendat legendum, is interiorem vniuersi templi partem dimensum fuisse Angelum agnoscat; & neque à vero discedet, neque à superiori Lyrani sententia. Nam & היכל hecal, proprium exterioris partis nomen, vniuerso templo tribuitur, vt aliàs dixi.

VVLGATAE magis insistendum est, quàm Rabbinis in ipsa quoque partium orationis distinctione.

Nicolaus de Lyra.

DE TRIPLICI PORTICV, OCCIDENTALI, *Meridiana, & Aquilonari circa templum.*

Cap. XXXII.

XVI. LIMINA, *& fenestras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes. Limina* Hebraice ספים siphim, quam vocem supra pluribus exposuimus, & ostendimus non modo limen significare superius, aut inferius, sed & postes ex vtraque parte ostij: neque in ostijs tantum limina dimensa sunt ab Angelo, verum etiam in ipsis atriorum vestibulis, vt ibi ostendimus. hac enim voce postes fornicem ex vtraque parte sustinentes, significantur. Quapropter cum sermo incidisset de dimensis porticibus atriorum templi aduersis, dum modo liminum meminit, siue postium, quos dicit ab Angelo dimensos fuisse, qua mensura dimensi fuerint plane indicat, eadem videlicet, qua reliqui postes cum suis omnibus partibus, symmetrijs, & ornamentis. Hac autem voce postem semper mensus est, qua parietis respondet crassitudini, eumque modo indicari conijcimus latum fuisse calamum vnum, hoc est, cubitos sex cum quarta cubiti parte.

Supra lib. 3. huius part. cap. 16.

Ibid. cap. 18.

POSTES harum porticuum reliquis pares.

Et fenestras obliquas. De obliquis fenestris, earumque forma, & vsu satis supra, ni fallor, actum est, vt nihil praeterea addendum videatur: illud quoque ibidem ostendimus, hac dicendi ratione cancellos significari, quibus thalami portarum claudebantur, quorum quoque formam apposita figura expressimus. Quae sane rationes allatae in eam nos sententiam inducunt, vt arbitremur fenestras obliquas eodem modo hic dici cancellos, quibus hoc atrium interius vndique cingebatur inter postium stylobatas. In hanc enim sententiam adducor duplici coniectura: nam inter limina, & ethecas, quae vtraque ad porticus atrij pertinere ostenduntur, nihil ad domum, quid opus esset domus fenestras commemorare? Accedit huc altera, quòd mox fenestras templi enumerat, subdens: *Terra autem vsque ad fenestras, & fenestrae clausae super ostia.* Neque quemquam mouere debet, quod Beatus Hieronymus cum alijs Interpretibus ad fenestras templi vtraque referant, cum iuxta ipsius Hieronymi sententiam, cancelli hic describantur, quibus & peribolus templi constabat, & templi fenestrae claudebantur, ne auibus caeli in templi adyta per fenestras pateret aditus. Hic autem apte meminit cancellorum, seu loricae, quam illis verbis describit Iosephus: Circumdedit, inquit, deinde templo Salomon septum quoddam trium cubitorum altitudine, quod nostra lingua gisum vocamus, exclusurum profanam multitudinem, & solos Sacerdotes admissurum. Atque iterum de Herodiano templo loquens: Templum autem, inquit, aramque cingebat ex pulcherrimo saxo lorica gratissima, vsque ad cubitum surgens, quae populum a Sacerdotibus segregabat. Et primum, minorem huius altitudinem adscribere possunt, Herodianae, scilicet, magnificentiae illius commendatores. Esse autem debet perspectus loricae huius ambitus, templum enim cinxisse dicitur; quippe claudens aream, de qua nunc sermo est, & in cuius medio templum erigebatur. Cingebat quoque aram, hoc est, atrium interius, vel Sacerdotum, in cuius medio ara, hoc est, aeneum altare erigebatur. Et de hac quidem periboli parte, quae atrium cingebat interius, Orientalem intelligo eius aream, supra disseruimus: nunc vero alteram partem retulit Propheta, quae templum cingit, & aream Occidentalem claudit, quae interioris atrij dicetur, quippe populo clausa, solis patens Sacerdotibus, vt diximus ex Iosepho. Huius autem periboli formam indicauit Propheta, quem obliquis fenestris perterebratum fuisse significauit, à quo non dissentit Iosephus loricam vocans eum, quòd instar hamatae loricae obliquis illis fenestris distingueretur.

Supra lib. 3. huius part. cap. 24.

OBLIQVAE fenestrae pro cancellis.

S. Hieron.

LORICA templi *Ioseph. 8. antiq. cap. 2.*

Ioseph 6. bel li cap. 6.

Et ethecas in circuitu per tres partes. Septuaginta: Et aelam exterius strata ligno, & fenestrae in modum retis factae, illuminationes in circuitu tribus ad prospiciendum. Sanctus vero Hieronymus aliter legit: Et aelam exterius strata ligno, & fenestrae in modum retis factae tres ad lucendum, vt prospiceretur per eas. Ipse vero sic locum explicat: Fenestrae quoque erant factae in modum retis instar cancellorum. vt non speculari

S. Hieron.

FENESTRAE templi cancellis clausae, non speculari lapide, aut vitro.

lapide, vel vitro, sed lignis interrasilibus, & vermiculatis clauderentur, pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habet, quae in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram videlicet, & sinistram, & post tergum, idest, ad Meridiem, & ad Aquilonem, & ad Occidentem: Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, & cuncta interiora templi ianuarum lumine complebantur; ita vt per singulas fenestras, & cancellorum foramina intro quis posset aspicere. Haec Sanctus Doctor. qui templi describens fenestras, ethecarum fuit immemor, & maxima quidem ex parte Septuaginta interpretes sequutus fuisse videtur, qui fenestras triplici ex latere apertas fuisse testantur.

Nos vero, qui de fenestris templi in sequentibus sermonem fieri arbitramur, à proposita sententia recedere non cogimur: & ethecas postes atrij esse arbitramur, & Septuaginta nós fulciunt, qui vocem aelam, qua atriorum vestibula saepe significarunt, pro Hebraica עתיקים atticim, substituunt haud dissimili sensu: & postes, & vestibula atrij, & porticus cedrinis contecta laquearibus, quae strata ligno vocant Septuaginta, & cancellis, hoc est, obliquis fenestris inferius claudebantur, in circuitu templi hoc est, à tribus templi lateribus: ab Oriente namque nullo celso aedificio cingebatur. Fenestras vero huiusmodi & ad lucem admittendam, & ad prospiciendum per eas, factas fuisse indicant Septuaginta: hi enim potissimi fines sunt, propter quos cancelli non perpetui, sed perforati solent fieri, quo & lumen excipiant, & aerem, & visum non possint impedire. Sed de ethecis loquitur cum Hebraica veritate Vulgata nostra, fuisse eas affirmans per tres partes, quod intuenti descriptionem nostram mox apparet: non vero loquitur de cancellis, aut fenestris, quae quamuis tres partes templi cingunt, cingunt etiam & quartam. Nam, vt vidimus, & infra certius videbimus, peribolus quidam ante faciem domus discurrens atrium claudebat interius, & plateam distinguebat, qua templum ab Oriente cingebatur. Porro ethecas thalamos esse arbitratur Chimchius, quare: Ad tres, inquit, ventos erant thalami, ad Occidentem scilicet, ad Aquilonem, & Austrum, vt supra expositum est. Sed si de thalamis loquatur templo adiacentibus, vix videri potest, quomodo sequentia possint stare, quae contra limen, vel limina, & tabulata fuisse haec cubicula, siue ethecas confirmant: loquitur autem deinceps de ijs, quae ad templum pertinent, vt infra ostendemus.

FENESTRAE luminis, & prospectui seruientes.

Rabbi David in comment.

Contra vniuscuiusque limen. נגד neged, nomen est vicem gerens praepositionis, coram, significantis ante, è regione, contra: sic in Exodo, peruenit populus vsque ad desertum Sinai: *Ibique Israel fixit tentoria* נגד neged, *è regione montis.* Elegans vocis vsus reperitur in Prouerbijs: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium* לנגד lenegued, *contra Dominum*, vel coram, aut in conspectu Domini. Quasi dicat, non solum non praeualebit aduersus Dominum sapientia, astus, consilium humanum, Angelicum, aut quodlibet aliud quod fingi possit, verum nec stare poterit: ipsum per se euanescet, & in nihilum redigetur coram eo: immo &, quod maius est, eadem ipsa aduersariorum sapientia nutui Diuino inseruit,

Exo. 19 ℣. 2.

CONTRA vel ex aduerso.

Prouerb. 21 ℣. 30.

QVAE ADuersus Dominum molitur consilia, non praeualent, quinimo illi seruiunt.

ac voluntati. vt videre est in fratrum consilijs contra Ioseph, & in Aman prudentia contra Mardochaeum, & in daemonis astutia contra Iobum, & multo his amplius, in inferorum sapientia, prudentia, consilijs contra Christum. Ex quibus liquido constare potest, ethecas, quae contra templi postes statuuntur, siue postes significent, siue exedras, siue quiduis aliud, non esse templo adiacentes, sed ab eo dissitas ex aduerso trium templi laterum, vt dixi: namque quod ad templum ipsum pertineant quae sequuntur, dubitari vix poterit, si singula percipiantur.

Stratumque ligno per gyrum in circuitu. Hebraica sic habent: נגד הסף שחיף עץ neged hasap sechiph ghets, contra limen opertum ligno. Saph, vt dixi, & limina significat, & postes, vt propterea David tabulatum cedrinum exponat, & subdat: Ionathas autem exponit contra limen, idest, contra liminaria portae in medio spatij grossitiei muri erat tegumentum ligneum. Sed quid dicat, neque ipse intellexit qui scripsit, neque ab aliquo percipi poterit. Melius certe David Ionathas, inquit, exponit contra postem, qui coopertus erat tabulis cedrinis: נסר neser, autem significat tabulam, sicut dicitur in Misnaioth: cooperiebant tabulis. In Regio vero codice idem Ionathas sic conuertitur: Ex aduerso liminis, quod opertum erat tabulis cedrinis in circuitu: Septuaginta vero interpretes, quae limina sint haec, quaeue lignea operimenta, videntur indicare, qui sic habent: Et domus, & ea, quae proxima strata ligno per circuitum. domum expresse indicantes, & adiacentes domui postes, quos terna operiebant tabulata, siue cubiculorum tecta vox enim שחיף sechiph, quae non alibi legitur in Biblijs, ab omnibus exponitur, opertum. Rabbinis id verbum significat auellere, decorticare: vnde putat Chimchius vocem desumptam esse, quasi dicat lignum decorticatum, & compositum, seu aptatum, seu limen ligno stratum. Apte Vulgatus, *stratumque ligno* conuertit, idem ipsum indicans, quod res est. ethecas, siue postes atriorum postibus domus ex aduerso respondisse, non quidem temere, sed singulos singulis, positu & latitudine pares, vt dixi. id enim significat additum verbum illud, *vniuscuiusque limen. limen* pro poste, vocem ad verbum conuertit. Hi vero postes domus operiebantur quidem tabulatis, quae retractionibus supradictis sustinebantur, idque *per gyrum in circuitu* trium laterum templi, in quibus cubicula suis quaeque tabulatis distinguebantur, atque ligneis tectis operiebantur, vt in latere Sanctuarij vides, atque in postico. Neque vero hac tam exacta partium enumeratione, & symmetria contentus fuit Propheta noster, nisi pariter altitudinem quoque tabulatorum indicaret, subdens:

R. Salomon in comment.

Rabbi David in comment.

TECTA CVbiculorum strata ligno dicuntur.

Rabbi David

Terra autem vsque ad fenestras, & fenestrae clausae super ostia. In his vero non eodem modo periodos diuidunt Hebraea, Graeca, & Latina. Hebraea primum simillima sunt Latinae lectioni. in illis: Et terra vsque ad fenestras. Sic etiam exponit Rabbi David: Idest, inquit, à terra vsque ad fenestras. Chaldaeus haec eadem exposuisse videtur. Idque, inquiens, à solo vsque ad fenestras. Quod & fecisse videntur Septuaginta interpretes, qui in Complutensi, & Regio codice sic legunt: Strata

Rabbi David in comment.

ligno

ligno per circuitum, & à pauimento vsque ad fenestras. Alio plane sensu legisse, & exposuisse videtur Graeca verba Hieronymus, eumque imitatus Sixtianus codex, qui sic habet: Et domus; & ea quae proxima erant strata ligno per circuitum, & pauimentum, & de pauimento vsque ad fenestras. Ipse vero sic exponit: Et non solum exteriora erant strata ligno, sed tanta erat lignorum copia per circuitum, vt & pauimentum, & de pauimento vsque ad fenestras, lignis omnia iungerentur. Eandem porro interpretandi rationem tenuit Theodoretus. Medium autem Dei templum, inquit, tabulis totum contectum, neque parietes tantum, sed etiam pauimentum, & tectum. Haec autem Septuaginta interpretum sententia cum Hieronymi, & Theodoreti interpretatione & vera est, & certa; quippe quae inferius confirmatur à Propheta, & in sacris Historijs habetur expressa: sed an in hunc locum conueniat, non vsquequaque exploratum est. nam sensus verborum ad exteriora videtur respicere, cum statim de interioribus fusius loquatur Propheta. Est igitur loci sensus, quem indicant verba: Postes, siue antae domui adiacentes tabulatis operiuntur à terra vsque ad fenestras domus: quae verba omnem tabulatorum simul indicant altitudinem. Quod si Vulgatae nostrae lectionem sequamur Hebraicae adhaerentem, *terra autem*, idest, solidus paries erigitur *vsque ad fenestras*, idest, vsque ad coronam quinque & viginti cubitis altam, quae exteriori templi parieti terminus erat, aeque librata, & similis omnino coronis primi ordinis atriorum; super qua quidem corona, non amplius surgente, vt dixi, exteriori pariete, lumina aperiebantur domus. Quod indicant etiam sequentia, & in templi orthographijs perspectum cuiuis esse poterit, praesertim in dissecti templi vniuersali. Nam quod hinc colligit Richardus, domum ipsam terra sepultam fuisse vsque ad fenestras, mirum est quod cuiquam venire potuisset in mentem: quare vt textui contrarium, & rationi reijciendum est.

S. Hieron. — *Theodoret.* — FENESTRAE domus à terra eleuantur. — *Richardus de templo Ezec. cap. 17.*

DE FENESTRIS TEMPLI.

Cap. XXXIII.

FENESTRAE templi.

ET *fenestrae clausae*. Hic est finis praesentis versiculi in Hebraeo, Chaldaeo, & Sixtiano codice Septuaginta interpretum. Fenestrae autem obturatae erant, inquit Chaldaeus. Septuaginta: Et fenestrae aperiebantur tripliciter, vt prospiceretur per eas. Fenestras templi alijs atque alijs vocibus describunt sacrae Historiae: quam illis adiungunt frequentius vocem, supra exposuimus,

A אטמים atumim, foeminea forma scripsit paulo ante Propheta: אטמות atumeth, vtraque vero vox clausas fuisse fenestras indicat, non omnino, vt Chimchius notat: quia si clauderentur, fenestrae non essent, sed quibusdam cancellis, qui aditum intercluderent, luci paterent, ac visui: hic vero dicuntur מכסות mecusoth, participio verbi כסה casah, quod regere, operire, cooperire significat, quod forma, & notione quàm simillimum est verbo סכך sacac, quamuis hoc ad plura se extendat: verbi כסה casah, plura suppetunt exempla in Prouerbijs, quae & vim vocis exprimunt, & calliditatis versutias. מכסה mecasseh, operiens, vel operit: *Abscondunt odium labia men-*

Supra lib. 3. huius partis cap. 24.

B *dacia*. Mendax & impius sui compos plerumque est, vt celare possit conceptum odium: *qui autem profert contumeliam, insipiens est*. hoc est, stultissimus, quippe qui iuste celare non possit, quod impie iniquus celat. Et iterum. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est*, fidelis spiritu מכסה mecasseh, *celat amici commissum*, verbum, vel rem, habent Hebraea. Hispanice diceremus: Quien anda con doblezes no guarda secreto, el fiel amigo lo guarda muy bien. Atque iterum de celando secreto: *Qui celat delictum*, vtique alienum, vel proprium aduersus proximum admissum, *quaerit*, fouet, *amicitias*, & sibi conciliat amicos, & aliorum amicitiae fauet. At

Prouerb. 10. ℣. 18. — SATIVS EST celare, quàm proferre contumeliam. — *Prouer. 11. ℣. 13.* — *Prouerb. 17. ℣. 9.*

C contra: *Qui abscondit*, excusando, defendendo, non confitendo *scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Quae omnia, tegere, clanculum ponere, vel abscondere significant. Quare vox mecusoth, fenestras indicare posset fuisse absconditas tectis exedrarum, ita vt è solo atrij vix, ac ne vix quidem perspici potuissent, quod in dissecti templi orthographia facile cognoscet lector.

Ibid. cap. 28. ℣. 13.

Est autem alia vocis notio, quae contegere significat, & quasi pannis obuoluere. Sic de Dauide sene: *Cumque operiretur*, inquit, *vestibus, non calefiebat*. Sic & Propheta noster tam-

3. Reg. 1. ℣. 1.

D quam meretricem populum suum alloquitur: *Et sumpsisti vestimenta tua versicoloria, & operuisti*, illas imagines, siue idola, vel, operuisti te illis. Hinc fit מכסה mecasseh, operimentum: in Exodo: *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, & super hoc aliud operimentum de ianthinis pellibus*.

Ezech. 16. ℣. 18. — *Exo. 26. ℣. 14.*

Est autem huic verbo simillimum, vt dixi, verbum סכך sacac, quo vsus est bis Hieremias, dum in suis alphabetis venit ad literam ס samech: *Operuisti*, inquit, *in furore, & percussisti nos* &c. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*. Chaldaeus: Obumbrasti nos in ira, & percussisti. Possemus & nos vertere: obuoluisti nos quasi tegu-

Threnor. 3. ℣. 43. & 44. — OPERIT Dominus aures suas ne audiat iniquorum orationes.

E mentis ira, vel oculos nostros ira contexisti, haud aliter quàm plectendi solent, ne percutientis manum videant, & *percussisti nos*. Operuisti caelos nubibus gloriae tuae, vt non transiret ad te oratio nostra, ac si ea perueniente ad tribunal irati Dei non posset non veniam, & pacem obtinere. Protectionem significat idem verbum in psalmo: *Obumbrasti super caput meum in die belli*. Hebraice: Obumbrasti caput meum in die armorum. Rabbi Abraham. Operuisti caput meum galea salutis, ne me sagittae laederent. Ex hoc verbo fit מסך masac, operimentum significans, vel aulaeum. Sic in Exodo *Facies & tentorium in introitu tabernaculi*, velum, vel aulaeum pictu-

VIS ORAtionis maxima. — *Psal. 139. ℣. 8.* — *R. Abraham.* — *Exod. 26. ℣. 36.*

ratum, cuiusmodi vulgo dicitur Italis, *panno di razza*, Hispanis *pano de corte*, qua voce altàs saepe tabernaculi, & atrij aulaea significauit Hebraeus textus. Ex quo mox licet conijcere fenestras מכסה *mecusah*, dici potuisse, quod haud secus, quàm portae Sanctuarij eiusdem fenestrae aulaeis contegerentur. Quo etiam respexisse videntur Septuaginta, fenestras tripliciter aperiri, affirmantes, vt prospiceretur per eas, quia fortasse triplici claudebantur operimento, ne aspectui paterent templi interiora, hoc est, cancellis, valuis, & velis. Quod si cui haec nostra displiceat coniectura, eam abijciat, per me licet. tunc enim idem voce מכסות *mecusoth*, significari intelliget, quod voce אטמות *atumoth*, hoc est, cancellis occlusas ligneis, vt tradit Beatus Hieronymus, cuiusmodi fieri solent ad prospiciendum clanculum. Nostri eiusmodi cancellos vocare solent *gelosias*, quas obliquis etiam foraminibus aperiunt, quo pulchriores appareant, & magis occlusae.

TRIPLEX fenestrarum operimentum.

Sed cum Septuaginta interpretes lego, scribentes. Et fenestrae aperiebantur tripliciter, vt prospiceretur per eas in eam facile adducor sententiam, vt putem eos de thalamorum fuisse locutos fenestris, quae triplici ordine aperiebantur, vt per eas lumen in cubicula induceretur, & prospicere possent exteriora, qui in eis essent, vt vides in dissectu templi orthographia. Has vero fenestras non nimis altas, & aureis cancellis fuisse occlusas probat historia Iosephi huiusmodi: *Militum quidam, inquit, a contubernali suo sublatus, & ex ardente materia raptum ignem in fenestram inserit auream, vnde ad membra circum templum aedificata de Septentrionali regione aditus erat.*

Ioseph. 7. del li. cap. 10.

CANCELLI *aurei.*

Sed & cancellorum ornamenta innuit Beatus Hieronymus: Lignis, inquit, interrasilibus & vermiculatis. & post pauca subdit: Quae fenestrae iuxta Septuaginta, aperiebantur tripliciter, vt apertis eis, triplex in templo Dei intelligentia monstraretur, iuxta illud quod alibi dicitur: Tu autem describe ea tripliciter. Prospicitur autem per eas non solum interius, sed exterius: vt quae interiora sunt, inuisibilia, quae exteriora, visibilia cognoscamus, vt aliud mentem, aliud carnem, aliud spiritualem intelligentiam, aliud simplicem monstret historiam. Verum quoniam haud dissimilia esse arbitramur fenestrarum, & interiorum templi parietum ornamenta, exigere videbatur hic locus, vt de forma interiorum templi ornamentorum breui dissereremus, inducente nos ad hoc ipsum Beato Hieronymo, qui superiora huius versiculi verba exponens, sic scribit; Et non solum exteriora erant strata ligno, sed tanta erat lignorum copia per circuitum, vt & pauimentum, & de pauimento vsque ad fenestras lignis omnia iungerentur. Sed & Rabbi Salomon haud aliter sensisse videtur. *Terra autem vsque ad fenestras*, inquit, Idest, in fundo ipsius parietis erat factus murus ex tabulis cedrinis contra sese, qui sursum ascendebat vsque ad fenestras, & fenestrae etiam ipsae erant illo coopertae. Nam fenestrae quoque erant obliquae, siue clausae interius, iuxta id quod dicitur: Et fenestrae obliquae, vel clausae erant in templo, idque totum intrinsecum erat: super illo enim extendebant tegumentum aureum: nam domus vniuersa erat cooperta auro, & non poterant extendere aurum super lapidibus. Verum haec omnia, quippe ex Sacris historijs desumpta, à nobis suis locis fusius tractanda sunt.

S. Hieron.

Prouerb. 22. ℣. 21.

ORNAMENTA *cancellorum quae fuerint.*

R. Salomon in comment.

Super ostia. Haec verba, vt dixi, ad sequentem versum pertinere confirmat Hebraea, Graeca, & Chaldaea lectio; sed haud dissimili sensu Latina cum superioribus coniungit: ex quo liquet conijcere orationem non esse absolutam, atque perfectam, sed cum sequentibus coniungendam, vt sensus sit, fenestras super ostij altitudine apertas fuisse in domo exteriori, omnes quidem eadem mensura, & in eadem altitudine. Sed expendamus ea verba cum sequentibus.

Et vsque ad domum interiorem, & forinsecus XVII.
per omnem parietem in circuitu, intrinsecus, & forinsecus ad mensuram. Ex Hebraeo sic vertit Regius codex: Super desuper ostium, & vsque ad domum interiorem, & forinsecus, & in omni pariete circumcirca in interiori, & exteriori mensurae. Chaldaeus sensum loci reddit: Vsque supra portam, & à domo interiori, & forinsecus, & super omnes parietes per circuitum intus, & foris iuxta mensuram. Septuaginta interpretes in Sixtiano codice: *Et, vsque prope interiorem*, domum, addunt aliqua exemplaria, *& vsque ad exteriorem, & per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & extrinsecus.* in aliquibus codicibus additur, mensurae: sed in ijs, quos secutus fuit Sixtianus, sensus adhuc pendet, & sequitur: *Caelata Cherubim* &c. Rabbinos, quibus templi fabricam concipere datum non fuit, in horum verborum expositione allucinatos esse crediderim. Salomon enim, *Super ostia*, inquit, vel vsque supra ostium, idest, in altitudine: *Et vsque ad domum interiorem.* idest, tota domus est Sanctum Sanctorum totum: *& forinsecus*, idest, ad latus templi. *in circuitu*, idest, per omnes parietes eius. *intrinsecus & forinsecus*, idest, in domo Sancti Sanctorum, & in templo. *ad mensuram*, idest, erat cooperta magnis tabulis factis iuxta mensuram. Chimchius vero: *Super ostia*, inquit, vel vsque supra ostium: idest, id quod erat supra portam. *& vsque ad domum interiorem, & forinsecus.* quasi dicat, & extra illam: *Per omnem parietem in circuitu intrinsecus*: idest, in domo interiori, quae est adytus templi, & in domo exteriori, quod est ipsum templum, *ad mensuram*, idest, cuiuscumque harum rerum per se vidit proprias mensuras, notas, quarum omnium non facit mentionem in particulari, sed plerasque enumerat. Hanc certe sententiam, quòd laborem subleuet, & solicitudinem exponendi singula, plures amplexantur: sed animum veri cupidum sedare non potest quippe cum scire desideret quare eiusmodi partium meminerit, non omnium, aut aliarum, ideo oportuit attentius peruestigare, qua ratione haec cum superioribus cohaereant. Atque adeo sermonem adhuc fieri à Propheta existimauimus de fenestris, quarum, quippe praecipuarum aedificij partium rationem reddendam esse duxit exactam. non enim aliter decorem, & commoda domui praestant fenestrae, quam viuenti oculi. Vnde & insertas fenestras vocauit Virgilius:

RABBINI *allucinantur.*

R. Salomon in comment.

Rabbi Dauid in comment.

FENESTRAE *domus insferuntur.*

Virgil. 3. Aeneid.

> *Plena per insertas fundebat Luna fenestras.*

hoc est, aedibus insertae, & veluti interpositae: quamuis lucis radios domibus insertos dixerit Lucretius:

Lucret. lib. 2.

> *Contemplator item cum Solis lumina, cumque*
> *Insertim fundunt radios per opaca domorum.*

Sensus igitur Prophetae hic erit, vt quoniam fenestrarum meminerat, dum à terra vsque ad fenestras tabulatis opertas fuisse dixit parastades: fenestrae, inquam, quae erigebantur super altitudine

tudine ostij Orientalis domus, per parietes domus exterioris, vsque ad murum interioris. Quae quidem fenestrae in eadem altitudinis mensura aperiebantur a parte interiori domus, & ab exteriori murorum. Atque hic quidem sensus Chaldaica, Graeca, & Hebraica confirmatur lectione, à quo non dissentit Latina.

QVOD SANCTVM SANCTORVM FENESTRIS caruerit.

Cap. XXXIV.

DVM locum hunc, & singula Prophetae verba explanare conamur, ecce quasi repente incidimus in quaestionem illam de fenestris Sancti Sanctorum, quàm vt difficilem, C vel potius insolubilem olim doctus quidam vir nobis proponebat; vel, vt rectius dicam, his nostris explanationibus opponebat: cuius quidem argumentorum pondera non alijs verbis melius expendere lector poterit, quam obijcientis proprijs: Oraculum, inquit, non habet fenestras contra Scripturam: nam tertio Regum sexto dicitur: *Fecitque in templo fenestras obliquas.* Quod autem nomine templi Hebraice בית beth domus, intelligat historicus aulam, & oraculum, patet ex versibus praecedentibus: *Domus autem, quam aedificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos longitudinis &c.* En aulam, & oraculum significat nomi- D ne בית beth domus, quod repetitur citato versu, in quo tribuuntur domui fenestrae: idem licet ex sequentibus contueri: nam Hebraica scienti luce clarius est vtrique mansioni fenestras concedendas esse, & non aulae exteriori tantum: nam aulam solam significat voce היכל heeal historicus, totum templum voce בית beth. Haec ille: qui firmum vtique arietem instruxisset, si quod solicite probat, à nobis concessum assumpsisset, & illud probasset, quod negamus. Quis enim neget domus nomine, totum templum plerumque intelligi? nec Sanctuarium modo, sed & atria ipsa, quod ipsi fuerat probandum: id esset quòd nobis obsisteret, nimirum quod ita nomen domus vtram- E que templi partem comprehendat, quod numquam alterutram significet. Sed id quomodo confirmet, quod sacrae Scripturae aduersatur? Nam & liber Paralipomenon: *Fecit quoque* בית beth *domum Sancti Sanctorum longitudinem iuxta latitudinem* בית beth *domus cubitorum viginti.* Longitudo eius super facies latitudinis domus habent Hebraea, & Graeca: vbi certe vides vtramque seorsum templi partem domus nomine censeri. Et in libris Regum: *Et porticus*, inquit, *erat ante templum, viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis* הבית habajt, domus *templi, & habebat decem cubitos latitudinis* על פני

DOMVS nomine templum & oraculum plerumque indicatur, non semper.
3. Reg. 6. ℣. 2.

2. Paral. 3. ℣. 8.

DOMVS nomine exterior aula indicatur.
3. Reg. 6. ℣. 3.

A הבית gal pene habajt, ad facies templi, *ante faciem templi.* Sed hoc ipsum absque vlla dubitatione certum cuiuis videri poterit legenti locum Regum: *Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.* Hebraice הבית הוא היכל habajt hu heeal, domus ipsa templum, subaudi, erat. Quocirca eidem domui factas fuisse fenestras obliquas intelliget, ante cuius faciem Occidentalem erat oraculum, vt Propheta noster affirmat: ad faciem vero Orientalem erat vestibulum. Sed certe mirandum est, virum alioqui doctum, & Hebraicae linguae peritum, ex domus nomine argumenta desumere, cuius notio tam late patet, vt multiplici alieni sermonis phrasi B vix exprimatur. At quamuis huius argumenti vi minime cogamur rem ipsam firmis atque intimis fundamentis statuere, id tamen lectoris vtilitati, ac studio negandum non fuit, quod facile potuit praestari. Qua in re primum auctoritate, & ratione confirmandum est Sanctum Sanctorum fenestris caruisse, quibus non indiguit: ac tandem videndum, an idipsum huius loci, quem exponimus, auctoritate firmetur; tunc enim is maxime perspectus esse poterit.

3. Reg. 6. ℣. 17.

Supra ℣. 4.

Certe si quae de tabulatorum, siue exedrarum circa templum altitudine, firmis rationibus, & testimonijs sacrae Scripturae, & aliorum confirmata sunt, attentius expendantur, nullus su- C peresse videtur fenestris in oraculo locus. Nam praedicta tabulata minimum tres calamos ascendunt, propter thalamorum fundamenta a Propheta nostro tradita, hoc est, cubitos octodecim cum tribus quartis cubiti partibus, at oraculum altum est cubitos viginti: quis ergo credet vnius cubiti altitudinem fenestris nobilissimae templi partis relictam fuisse? Quod si fenestris eguisset pars illa, quid, quaeso, architectum coegisset cubicula illa circa oraculum extruere? vt habet disertis verbis historia Regum: *Aedificauit*, enim, inquit, *super parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus, per circuitum templi & oraculi.* Sed quid, quaeso, fenestris opus esset ora- D culo? An vt videri possent ex superioribus atriorum coenaculis, quae ibi latere oportebat? An vt viderent intrantes, arcam, Cherubinos, & Dei thronum? an vero vt exteriori puluere conspergerentur interiora, quae nulli licebat abstergere? At inquies, quamuis sacra facturus semel in anno ingrederetur summus Sacerdos, tamen aliàs ipse, siue minoris dignitatis Sacerdotes alij oraculum ingrederentur, vt emundarent, & abstergerent omnia. Audiant, quaeso, qui haec, atque huiusmodi alia sibi fingunt, quo omnia difficultatibus repleant, audiant, inquam, vel potius legant supplicem libellum Herodis ad Caium: Nunc colossea statua ponetur, inquit, in intimo Sanctuario, E quod semel quotannis Pontifex introgreditur ieiunij tempore tantum odores incensurus, & ex more vota facturus, vt felix annus, & pax contingat omnibus hominibus. De cetero si quis, non dico plebeius Iudaeus, sed Sacerdos vel a Summo proximus, immo is ipse Pontifex, si duobus anni diebus, aut eadem die ter quaterue introierit, capite luet absque venia: tantam religionem adytorum voluit esse Legislator, vt haec sola inaccessa, intactaque seruarentur.

PROPHETAE mensurae fenestris oraculi locum non relinquunt.

3. Reg. 6. ℣. 4.

ORACVLVM fenestris non eguit.

Philo de legatione ad Caium.

Sed quid opus est alienis duci coniecturis, vbi suppetunt propria, & doctissimi viri auctoritate confirmata testimonia? Is est Abulensis Episcopus, qui locum illum Exodi euoluens, quo locuturum se pollicetur Dominus ad Moysen supra propitiatorium, ac de medio Cherubim, id

Abulensis quaest. 22. in Exo. 25.

astruit,

astruit, quod verum esse, ac omnibus compertum debet, Moysen vocem audisse loquentis: Necesse, inquit, erat dandum, quòd intra Sancta Sanctorum erat quidam Angelus, qui densato corpore aereo loquebatur: & quia illud corpus propter suam densitatem esset visibile sicut corpora nubium, voluit Deus vt lateret, ne tantus honor, & Dei secretum a mortalibus videretur. Et huius rei gratia affirmat alas extensas fuisse ab aureis Cherubinis, obumbrantes propitiatorium, ne videretur corpus illud: ac tandem de fumo in thuribulo inferendo a summo Sacerdote agit, quod omnino impediret, ne quidquam videret. Quod si eiusmodi fumus à Moyse non afferebatur, id propterea factum esse existimat, quod forte Moysi licebat Angelum illum videre.

IN SANCTA Sanctorum Angelus astabat, assumpto visibili corpore.

Ibid q. 29.

Quaestionem deinde mouet, an candelabrum fuerit in oraculo lucens, idque negat: tum ne opus foret contra praeceptum Domini ad concinnandas lucernas ingredi, tum vel maxime ne videretur ipse Angelus. Tandem iterum de Moyse loquens, ac confirmans illum in vera visione, & locutione accepisse praecepta, haec subdit. Pro hoc autem considerandum est, quod, sicut dictum fuit, super propitiatorium inter duos Cherubim erat vnus Angelus, qui inter alas Cherubim in corpore de aëre assumpto, & ibi veras voces formabat, in quibus respondebatur Moysi cum intraret in Sancta Sanctorum, & Sacerdoti magno, cum illuc intraret semel in anno. Iste tamen Angelus non videbatur in corpore illo assumpto, quia ad hunc occultandum expandebant Cherubim alas suas: & propter hoc etiam non erat aliquod candelabrum, nec fenestra in Sancto Sanctorum, ne Angelus latens videri posset. Et cum Sacerdos intrabat illuc, ponebat thymiama super prunas, vt fumo crasso inde exhalante impleretur tota domus, & non posset Sacerdos magnus videre id, quod latebat inter alas Cherubim. Haec ille. In quibus multa assumit, quae breui examinanda sunt, vt sententiae veritas, ac certitudo monstretur.

Leuit. 1. q. 4.

NVLLA FEnestra in oraculo.

Et vocem quidem auditam fuisse non raro confirmat Chrysostomus: Rursum, inquit, si quando cognoscendum erat aliquid è propitiatorio, vox quaepiam è medio Cherubim prodibat praedicens futura. Haec Sanctus Doctor. Verum quod ad praesens institutum sufficere videtur, illud est, quod testatum habemus in sacris Literis, vbi primum locuturum se Dominus pollicetur Moysi de propitiatorio: *Inde*, inquit, *praecipiam, & loquar ad te supra propitiatorium de medio duorum Cherubim.* Locutum autem fuisse tradit Numerorum Liber. *Cumque ingrederetur*, inquit, *Moyses tabernaculum foederis, vt consuleret Dominum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei.* Ex quo ortam fuisse crediderim phrasim illam, qua Deum sedere super Cherubim testantur Scriptores sacri. Verum an ex nudo propitiatorio vox prodierit, & audita sit, an etiam praeter vocem corpus quoddam propitiatorio insederit, quod vocem redderet, curiosius quaeri putat noster Thyraeus, sed non male: cum certum sit, vel auditam tantum de nudo propitiatorio vocem, vel praeter vocem visum corpus, quod vocem ediderit. Nubem vero ibidem apparuisse certum est, cum in Leuitico legamus dixisse Dominum: *In nube apparebo super oraculum.* At cum non magis

S. Ioan. Chrys. orat. 3. contra Iudaeos.

Exod. 25. ℣. 22.

Numer. 7. ℣. 89.

VOX AVdiebatur è propitiatorio.

Psal. 79. ℣. 7.

Psal. 98. ℣. 1.

Isa. 37. ℣. 16.

Pet. Thyraeus lib. 2. de Diuinis vel test. apparit. c. 9. nu. 10.

Leuit. 16. ℣. 2.

aptum videatur fuisse nebulae corpus ad edendam humanam vocem, quàm ipsum propitiatorium, aut aer propitiatorium circumdans, nubem ad maiestatis gloriam & indicandam praesentem, & ab humanis oculis contegendam, aptissimum fuisse instrumentum censebimus. Nam quod sententia Tostati vel certa sit, vel falsa, affirmare non audemus: hoc certe indicabimus, primam Prophetae nostri visionem iuxta Patris Hieronymi Pradi interpretationem illi fauere quamplurimum, sicut haec illa maxime confirmatur. Nam si pluribus confirmat idem Pradus quatuor Cherubinis rotis curru prunario arca propitiatorio similem fuisse visionem illam throno Dei, quod erat in oraculo, certe erit eadem simillima, si duo haec pariter conferantur: *super similitudinem throni*, similitudinem quasi aspectum hominis vidisse se affirmat Ezechiel, atque idem aspectus Moysi fuisse videtur ostensus, alijs interdictus, cum Sanctuarium Sanctuarij ingrederetur?

VISIO EZEchielis prima throno Dei in oraculo simillima.

Pradus tom. 1. Comment. de prima visione Sect. 4. & sequent.

Ezech. 1. ℣. 26.

Sed quidquid sit de corpore visibili propitiatorio insidente, hoc certum & exploratum cuilibet esse debet, id omne, quod propitiatorio inerat, occultum esse debuisse, & omnibus inuisum, ipsi etiam Sacerdoti summo, cui singulari beneficio semel in anno erat accessum, alijs vero omnibus semper altàs interdictum. Nam de eius ingressu in Sancta Sanctorum praeter alios ritus, & caeremonias, hic etiam a Deo indicitur: *His*, enim inquit, *rite celebratis offeret vitulum* &c. *Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in Sancta: vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur.* Ecce ignis afferendus praecipitur, & non paruus, sed qui thuribulum impleat, ne deficiente in via, aut extincto igne, fumus desit operiendo oraculo necessarius: & thymiama, quod & ipsum in magna quantitate, & combustioni quàm aptissimum afferebatur: nam vbi nos legimus, *& hauriens manu*, Chaldaeus sic legit: Et plenum pugillum suum thymiamatis aromatum minutorum. Septuaginta: Et implebit, inquiunt, manus suas thymiamate compositionis subtilis. Ratio autem huius legis, & fumi perspecta est in textu, nimirum vt operiat fumi nebula oraculum, hoc est, sedem Dei, vnde redduntur oracula, & non moriatur Sacerdos, si deficiente nebula oraculum aspexerit. Sed quid, quaeso, fumus operiret oraculum, si multiplici fenestrarum lumine illustraretur?

QVIDQVID erat super propitiatorio, occultum esse oportebat.

Exo. 16. ℣. 11. 12. & 13.

FVMI VSVS in ingressu oraculi.

At contra quaeres: Quid fumo erat opus, si nullum aliud lumen illustrabat oraculum? Sed à certioribus procedamus ad reliqua. Hoc vnum certum est in tabernaculo Moysis nullas fuisse fenestras, non solum in oraculo, sed neque in anteriori domo Sancti: ex perpetuis enim asseribus constabat, & multiplici operiebatur tegumento, & introitus appensis velis claudebatur, vt nihil fere externi luminis admitteret, superni tabernaculi instar, quod Solis lumine non eget: nam & *lucerna eius est Agnus.* At lumine indiguit exterior domus Sancti, in qua candelabri septenae lucernae mane, & vespere quotidie concinnabantur, interior vero domus, quae lumine externo non indigebat, nulla aut lucerna illustrabatur, aut fenestra. Atque de natus quidem tabernaculi introitu loquitur Dominus, cum fumum afferri praecipit: cuius quidem rei rationem, quam

IN TABERnaculo Moysis nullae fuerunt fenestrae.

Apoc. 21. ℣. 23.

quam excogitauerit lector, eandem nos illi de templi oraculo reddemus, quod ad prioris similitudinem omnino factum fuisse confirmamus: hoc vnum addentes, quod quae ibi lumine indiguerunt, hic copiosiori illustrabantur, substitutis pro candelabro vno denis candelabris, pro septenis lucernis, denis septenis, additis praeterea senis lucidissimis fenestris, ternis vtrimque, quo magis ac magis caelesti, ac terrestri lumine ea templi pars illustraretur. Interior vero, quae propter reuerentiam, ac loci sanctitatem tenebris contegenda erat, densioribus quodammodo contegebatur, pluribus ac maioribus exteroo lumini appositis impedimentis. Nam cum tabernaculi adyta oppanso columnis velo contegerentur, templi adyta maiori vtique, & crassiori contegebantur, & muro duobus ac semis cubitis crasso, ex arrectarijs asseribus compacto, cuius quod apertum erat ingredienti ostium seris concludebatur, ne quidquam luminis penetrare posset. Sed enimuero fere impossibile esse videbatur, vt ingrediente Pontifice, ac propterea ostij velum & valuas aperiente, reflexum lumen impediretur, vt pars aliqua lucis interiora non illuminaret, atque adeo aliquid videre posset, haud secus quam irradiante quamtumuis citissimo fulguris lumine aliqua cursim conspiciuntur: huic igitur incommodo prouidere voluisse videtur Dominus fumi nebula, in ipso introitu thymiamate exusto procuranda. Nam & duplici scelere commaculatos exustos fuisse confirmat Oleaster Sacerdotes illos, qui & ignem alienum Domino consecrarunt, & ei incensum posuerunt, priusquam ad conspectum Domini venirent.

Oleaster Leuit. 10 & 16.
NADAB ET Abiud duplex scelus.

Sed ne quis putet nos aliquid fictitium excogitasse, audiat hoc esse Origenis doctissimi viri auctoritate, & antiquitate confirmatum. In hanc aedem, inquit de Sancto Sanctorum locutus, semel in anno primus quicumque erat Pontifex, oblatis prius hostijs propitiationis, de quibus supra exposuimus, ingrediebatur, habens vtramque manum repletam, vnam batillo carbonum, & aliam compositionis incenso: vt cum fuisset ingressus, statim supposito incenso carbonibus, fumus ascenderet, totamque aedem repleret, vt aspectum Sanctorum, quem ingressus Pontificis reuelauerat, nubes velaret incensi. Haec ille. Quae à nobis quoque dicta sufficient ad veritatem propositae sententiae confirmandam. Illud tamen praestandum superest, quod secundo loco ostensuros nos esse pollicebamur, nimirum hoc loco Ezechielis plane colligi, nullas fuisse in interiori Sanctuario fenestras.

Origenes super Leuit. 16.

PROPHETA noster negat oraculo fenestras.

Huius vero rei ratio tota pendere videtur ex notione vocis עד ghad, quae initio huius versiculi proponitur in Hebraeo, & aptissime conuertitur à Latino Interprete, *vsque ad*. Cuius quidem vocis origo quamuis non certa sit, alijs aliter atque adeo alijs aliter sentientibus, sed fere ignoratur quae sit eius notio, quam inquirere parum, iam fere nihil ad praesens institutum facere posse arbitramur: satisfaciet omnino, quod sacrae Scripturae exemplis ostendemus, eiusmodi particulae vsus, quam certum est & ad tempus referri solere, & ad locum. Et quidem cum ad tempus refertur, & temporis indicare solet terminum, & saepe non terminum, sed continuationem. Prioris vsus exempla videre licet in sacris Literis frequenter. In Threnis: *Oculus meus*, inquit, *afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies* עד ghad,

PARTICVla vsque ad, tempus significat nondum expletum.
Thren 3 ℣. 49 & 50.

A vsquedum, *donec respiceret, & videret Dominus de caelis*. Et apud Prophetam nostrum: *Et vocatum est*, inquit, *nomen eius excelsum* עד ghad, *vsque ad hanc diem*. & iterum. *Vos polluimini in omnibus idolis vestris* עד ghad, *vsque hodie*. Non quòd haec, inquit Hieronymus, seniores in captiuitate facerent, sed quòd illi, qui Hierosolymis morabantur, & quibus captiuitas imminebat, haec omnia facere non cessarent. Et in libro Iosue: *Habitauitque Iebusaeus*, inquit, *cum filijs Iuda in Ierusalem* עד ghad, *vsque in praesentem diem*. & iterum: *Habitauitque Cananaeus in medio Ephraim* עד ghad, *vsque in diem hanc tributarius*. Quibus omnibus locis terminum, aut continuatio-

Ezech. 20. ℣. 29 & 31.
S Hieron. super Ezech.
Iosue 15. ℣. 63.
Iosue 16. ℣. 10.

B nem temporis, vt alij volunt, ita significat ea vox, vt ex vi illius non prosequatur vlterius. Quod cum obseruassent perperam praui homines, Iouinianus, Heluidius, Ebion, atque id genus pestes, perpetuam Beatissimae Virginis Mariae virginitatem in dubium impie reuocare sunt ausi, ignoratione ducti veri sensus verborum Sancti Matthaei: is enim Iosephum referens ab Angelo edoctum fuisse, & hanc ipsam integritatem Virginis, & incarnati Verbi ineffabile mysterium, accepisse narrat coniugem suam, ac subdit: *Et non cognoscebat eam*, nulli dubium est in Hebraeo adhibitam hic fuisse particulam עד ghad, de qua disserimus, siquidem ab Interprete conuersum

BEATISSIma Virgo Maria semper fuit virgo.
Matth. 1. ℣. 25.

C est, *donec peperit filium suum primogenitum*. Quem locum Hilarius ita interpretatur, vt cognoscere pro vxore habere significet, non quòd ei coniuncta fuerit, sed quod cum prius sponsa esset, deinceps haberetur vt vxor, quae enixa fuerat, quamuis non de viro. Epiphanius cognouisse inquit non corpore, sed animo: quippe de eius sanctitate, & dignitate ab Angelo admonitus.

Hilarius.
Epiphanius contra Ebionem.

Verum etiamsi eiusmodi interpretationes à Sanctis viris proponantur ad Beatissimae Virginis dignitatem, & Diuini Verbi foecunditatem declarandam, tamen cognoscere, quod Iosepho denegatur, Hebraica phrasi honeste matrimonij vsus indicatur, vt bene probat noster Maldona-

COGNOscere Hebraeis matrimonij vsum honeste significat.
Ioan Maldonatus.

D tus. Quapropter ex notione, & vsu particulae עד ghad, huius difficultatis solutio pendet, vt bene ante alios notarunt Sanctissimi pariter, ac doctissimi viri, Hieronymus, & Chrysostomus. Plura etiam exempla suppetunt, in quibus particula haec non terminum, sed continuationem significat, & quandam veluti perpetuitatem rei, quae proponitur, aut negatur. Vt in Genesi, Iacobo pollicetur Dominus, & semini eius omnium Gentium benedictionem, custodiam, & reditum, ac subdit: *Nec dimittam* עד ghad, vsquequo, *nisi compleuero vniuersa quae dixi*. hoc est, numquam te dimittam, & complebo, quae dixi. Et in libris Regum: *Et non vidit*, inquit, *Samuel vltra Saul* עד ghad,

S Hieron.
S. Ioan. Chrys.
Genes. 28. ℣. 15.
1 Reg. 15. ℣. 35.

E *vsque ad diem mortis suae*, idest, numquam. Et iterum *Igitur Michol filiae Saul non est natus filius*, עד ghad, *vsque ad diem mortis suae*. idest, numquam. Longior sim quam par sit, si vniuersa veteris, ac noui Testamenti exempla referre velim: haec autem attulisse sufficiat, vt in duorum veritate testium stet hoc verbum, & nihil aliud, *donec*, significare intelligamus, quàm, numquam: ac genuinus loci sensus sit: & numquam cognouit eam, & tamen peperit filium suum, quem de Spiritu Sancto conceperat. Quae quamuis vera sint, vt sunt certe verissima, tamen particula haec, cum ad locum refertur, semper finem, aut terminum significat, nec quidquam praeterea. Cuius rei

2 Reg. 6. ℣. 23.

VSQVE AD cum ad locum refertur, terminum significat, vltra quem nihil praeterea sit.

rei nec pauciora, nec minus certa suppetunt exempla quàmplurima.

Primum sit ex Abdia, vbi certiores facit stultos Idumaeos violati iuris, & pacis, quo ab ami- *Abdiae ṽ. 7.* cis suis in hostium manus tradentur: עַד ghad. *Vsque ad terminum*, inquit, *emiserunt te: omnes viri foederis tui, illuserunt tibi* &c. Sic enim licet legere cum Hebraeo, atque Chaldaeo. quibus verbis proditorum mores, ac studia videtur propalare, qui cum vt foedere coniuncti, & domestici sint cum hostes prope terminos regionis adesse cognoscunt, eos, qui sibi fidunt, vsque ad terminos astute deducunt, vt in manus hostium incauti perueniant: hac enim de causa prudentiam ipsi Edon defuisse, in fine versiculi testatur. Sit & B *Nehem. 3. ṽ. 1.* aliud exemplum ex Nehemia, qui surrexisse tradit Eliasibum Sacerdotem magnum, & aedificasse portam gregis עַד veghad, *Et vsque ad turrim* *ṽ. 8.* *centum cubitorum*, inquit, *sanctificauit eam, vsque ad turrim Hananeel*. Et iterum: *Dimiserunt Ierusalem vsque ad murum plateae latioris*. Aedificatores vero hos murum plateae latioris, siue *Tomo 3. Apparatus, par. 2. lib. 3. cap. 21.* murum latissimum certum est non aedificasse, vt alias adnotauimus. Tandem ille maxime perspicuus erit locus, qui terminos Tribuum designat *Iosue 15. ṽ. 5.* apud Iosue: de Iuda enim sic scribit: *Ab Oriente verò erit initium mare salsissimum* עַד ghad, *vsque ad extrema Iordanis*. Et iterum: *Gaza cum vicis,* *Ibid ṽ. 47.* *& villulis suis* עַד ghad, *vsque ad torrentem Aegypti*. C Quibus omnibus locis terminum designari certum est, vltra quem non procedat funiculus, pars, aut sors qua ratione si Ezechielis verba interpretemur, hic erit sensus: *Et fenestrae clausae*, cancellis occlusae super desuper ostium per to- *EXTRA DOmum interiorem fenestrae.* tam exteriorem domum extendebantur, *& vsque ad domum interiorem* exclusiue. Ac ne vlla superesse posset dubitandi ratio, subiungit verbum illud, & forinsecus. Hebraice וְעַד הַבַּיִת הַפְּנִימִי וְלַחוּץ veghad habajit hapenimi velahuts vsque supra portam. conuertit Chaldaeus: Et à domo interiori, & forinsecus. Septuaginta in Sixtiano codice. Et vsque prope interiorem, & vsque ad exteriorem: D & per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & extrinsecus. In aliquibus vero Codicibus additur μέτρα, mensurae, qua ratione magis cum Vulgata consentiunt. Quod vero subiungit: *Per omnem parietem in circuitu intrinsecus, & forinsecus ad mensuram*. sic intelliges, *super omnem parietem* Meridianum, & Aquilonarem: nam de Occidentali certum est non habuisse fenestras, per quas aliqua pars domus interioris posset videri: eae enim cum domo exteriori confunderent interiorem, quam ita oportuit esse sepositam, vt cum exterior Sacerdotibus in ordine vicis suae pateret, tamen quo tempore interior aperienda erat, vt ingrederetur summus Sacerdos, ex- *Leuit. 16. ṽ. 17.* terior omnibus omnino hominibus interdiceba- E tur, praecipiente Domino *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso coetu Israel, donec egrediatur*.

De pariete autem Orientali idem plane crediderim, caruisse nimirum fenestris: tum quòd vestibulo obumbrarentur, tum vero maxime, quod nullam viderentur habere posse cum reliquis vestibuli partibus symmetriam. *In circuitu ex vtraque parte*, sicut paulo superius dixerat, *in circuitu per tres partes*. ad mensuram eandem sitae erant fenestrae, atque apertae *intrinsecus, & extrinsecus*. Hactenus enim de fenestris domus A sermonem fieri arbitrati sumus; at illud insuper innui, quod animaduertendum esse quam maxime architectis putarem, interiora domus, quamuis magnitudine, forma, ornamentis essent ab ex- *SYMMEtria templi maxima.* terioribus longe diuersa, tamen eisdem ita consonabant, vt corona atriorum templi totam vndique cingeret domum exteriorem intrinsecus, & extrinsecus. quo non modo summa habita fuisse in aedificio architectando symmetriae ratio ostenderetur, sed etiam significationis, & mysterij, quo nimirum indicaretur, atria, porticus, & postes, quae, vt aliàs ostendam, Israeliticum populum indicabant, corona donari minime potuisse, nisi ea à domo Dei originem duceret. B Sed de his aliàs.

Illud tandem silentio praetermittendum non est, quod quamuis fenestras in interiori Sanctuario fuisse negemus, eas tamen in vestigio Sanctuarij vbique fieri permisimus, tum vt ostenderemus nulla nos cogi aedificij necessitate eas auferendi, quas sola sustulit loci sanctitas, atque religio: tum vero maxime, vt perspectum esse posset quomodo eae fieri possent, vt cum reliquis omnibus superioribus lateralibus, & aduersis numero responderent, & ordine.

DE INTERIORIS
TEMPLI ORNAMENTIS, & Cherubinis.
Cap. XXXV.

ET fabrefacta Cherubim & pal- XVIII.
mae: & palma inter cherub &
cherub, duasque facies habebat
cherub.
Faciem hominis iuxta pal- XIX.
mam ex hac parte, & faciem
leonis iuxta palmam ex alia
parte, expressam per omnem domum in circuitu.
De terra vsque ad superiora portae, Cherubim, XX.
& palmae caelatae erant in pariete templi.

Totus in explicando interiori ornatu templi versatur Propheta, id quod triplici proposito versu quamuis compendio, aptissime tamen expressisse videtur. Ornamenta vero templi triplici ra- *ORNAMENtorum multiplex consideratio.* tione possent expendi: aut enim materia dignoscitur aurea, lignea, lapidea, circa quam fulgor, nitidusque color auri, gemmarumque posset explicari vel ornamentorum modus exquiritur, fue- E rintne pictoris arte coloribus expressa, an vero sculptoria industria caelata, an aurificis malleo deducta, an fusorio igne decocta: si figuris denique, floribus, aut huius generis formis exornabatur domus, quaenam eae fuerint formae, tum quod ad hominum, vel viuentium generis alterius imagines pertinet, tum quod ad flores, frutices, fructus, & poma. Et primum quidem non est huius loci pertractare; tum quòd maiorem exposcit indaginem, quàm quae textus explanationi interserenda videatur: tum vero maxime, quòd tractationi eiusmodi nullam nobis ansam praebet Propheta, immo & sine ea facile vniuersa, quae à Propheta proponuntur, exponi possunt.

Secundo

Secundo loco quod ad artem spectat, quae interiora domus exornatur, certum, exploratumque videri debet, aureas laminas, quibus omnia ornamenta obducebantur, ductiles fuisse: qua in re aurificum ingenium, & industria maxime commendatur, atque in includendis varijs lapillis, & gemmis, quibus interiora domus haud secus splendore complebantur, quàm micantibus stellis serenum nocte caelum. Sed de his etiam nihil est nobis agendum modo, quae alterius loci magis videntur propria.

CAELATA Cherubim, & palmae.

Quae huius sunt, vno verbo exponuntur a Propheta nostro dum Cherubim, & palmas caelatas fuisse super omnem domum affirmavit. Et quamuis vox עשׂוּי ghasui, quae habetur in Hebraeo, latius multo notione pateat, ea tamen, qua Auctor libri Regum hoc idem significans vsus est, ita est propria, vt nihil praeterea eo loco significare posse videatur. וְקָלַע vecalagh. *Et sculpsit Cherubim, & palmas, & caelaturas valde eminentes*

3. Reg 6. ℣. 35.

Sed & caelaturas has non quidem lapidibus fuisse insculptas, sed asseribus parietibus adpactis, tradunt sacrae Historiae: *Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas, & iuncturas fabrefactas, & caelaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.*

Ibid. ℣. 18.

Cedrinis porro tabulis omnia connexa legimus hoc loco, alibi tamen pauimentum abiegnis tabulis fuisse contectum.

Ibid. ℣. 15. & ℣. 23.

Et cherubinos oraculi de lignis oliuarum fuisse factos nouimus: quapropter ad ornamenti genera, quae explicanda suscepimus, pertinere videbatur, vt de materia hac nonnihil diceremus, vt & percipi posset eum pauimenti parietum, & Cherubinorum eadem fuerint ornamenta, quorum non eadem videtur esse materia.

DE MATERIA cedri.

Sed quoniam de vniuersi templi materia simul agendum esse arbitrati sumus, quae hic exoptare potuisset lector, ibi fusius explicata comperiet.

Reliquum igitur iam est, vt de forma ornamentorum agamus, quae duplex est, altera quae ad Cherubinos pertinet, eorumque formam, & positum, siue dispositionem. altera quae ad reliqua ornamenta, de quibus in vniuersum sequenti Prophetae capite tractare decreuimus.

Et primum si quae collega noster, & laborum antesignanus Pater Hieronymus Prado erudite docuit de prima visione Ezechielis, vt sunt textui maxime consona, ac propterea veritati ita firma manerent, operae nobis, & solicitudinis non parum abstulissent, lectoremque facile permitterent his breuiter percursis ad reliqua properare. At ea sunt hominum, aetatis potissimum huius nostrae, ingenia, vt quae ipsi non norunt, ab alijs minime cognosci posse persuasum semper habeant: ac ne rei alicuius ignaros se fuisse conuincantur, aliorum scripta iniurijs lacessunt, & probris, quae ratione non possunt, vt cuperent, atque argumentis. Neque vero cuiquam videar coniecturis quibusdam duci, vt ab incepto explanationis cursu desistens, in obtrectatores inuehar. Licuit, nostra indulgentia, cuidam, (quem ne vindictam de eo sumere velle videar, nec nominare, neque quis fuerit, insinuare liber) praedictam Pradi visionem legere; qui, nescio quo spiritu ductus, haec inter alia ad me scripta dedit. Sed parcam: vt lectoris patientiae consulam: compendio dicam, quae ille fusius, quàm par esset.

Exuuias quidem leoninas in Cherubinis ve-
A hementer carpit, & illo altero argumento aduersus omnia insurgit: Nouum est inuentum, Patribus aduersum. At cum conscientiae, vt coniicio, dum haec scriberet, stimulis pungeretur, dignam, scilicet sapiente protulit confirmationem, qua sibi potius, quam alijs satisfaceret: Non habuit, inquit, Pradus aliud fundamentum, neque antiquum quem sequeretur Scriptorem, quem si habuisset, protulisset. Haec ille.

OBIECTIO aduersus Cherubinos primae visionis.

Cui quid dicam aliud de fundamento hoc suo, non video, quàm quod frustra quaereret aliud, cui firmum suppeteret locorum sacrae Scripturae admirabilis consensus, cui nihil repugnet. Hoc vero firmum sane videatur, cuicumque potuerit esse per-
B spectum, quàmplurimos enim latet, perspicaces tantum oculos attingit, & eos, qui sacrarum Scripturarum illuminationibus contemplandis sunt assueti. Quod ad antiquum Scriptorem attinet, obijcientem rogarem: An sint omnia simul afferenda? at numquam absoluentur libri. Ergo quid quid non protulit, non habuit? quod si superuixisset, nihil illi afferendum reliquum fuisset. Sed Scriptores multa consulto praetermittunt, alia alibi opportune dicenda relinquunt, alia fortasse non praeuiderunt: neque enim omnia possumus omnes. Demus ergo libere obijcienti, quod non credimus, nullum aliud reliquum fuisse Prado vel fundamentum, vel antiquum Scri-
C ptorem, quem sequeretur. Numquid propterea nouum est, quod retulit? numquid antiquorum nullus eadem asseruit? Legisse oporteret Scriptores omnes eiuscemodi affirmantem, ni falsitatis, aut leuitatis argui vereretur. Sed demus inprimis obijcienti, antiquos Scriptores, nec nos quidem, qui eandem Pradi sententiam sectati cogimur, habuisse: numquid non satis videatur firma esse sententia, quam illustre Prophetae testimonium, quod modo interpretamur, disertis verbis confirmat? Sed ordine procedamus, quaeso, & confusam illam perturbati animi conuiciorum congeriem dispositis machinis subuertamus.

Huius certe quaestionis thesis in eo sita esse
D videtur, quod Pradus proposuit illis verbis: Species huius visionis eadem est omnino cum facie folij Dei, quod erat in oraculo templi. Quia nimirum quatuor Cherubim obumbrantes arcam, quibus insedisse dicitur Deus, ijdem sunt, quos vidisse se affirmat Propheta noster: *Et gloria Dei Israel*, inquit, *erat super ea: ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Cobar.*

Pradus comment. de prima visione Sect. 4.

Ezech. 10. ℣. 19 & 20.

EADEM VIdit prima visione Ezechiel, quae in Sancto Sanctorum occultabantur.

Nam si huic vni fundamento insistamus, multa simul conferre poterimus sacrae Scripturae testimonia, quae lucem afferent clarissimam huic sacrae visioni, cuius dignitas, atque maiestas vulgi conspectum auertit, & adhuc tenebras, atque latibulum amare videtur. Atque illud inprimis perspicuum fieri videtur, Cherubinos templi
E omnes simili fuisse praeditos forma, tum eos, quos statuaria finxit ars circa arcam, tum illos, quos eadem sculpsit in tabulis parietum templi, quos hac vna tantum re ab illis distare putamus: quod si hi non adpacti sed integri fuissent, vulgo vocaremus illos statuas, hos de basso relieuo. Sed quoniam quàmplurimi ex Sanctis Doctoribus afferendis non modo Cherubinos templi cum Ezechielis Cherubinis conferunt; sed vtrosque cum Isaiae Seraphinis: hanc simul Pradi sententiam antiquissima Sanctorum auctoritate firmabimus. Et possem quidem eos ordine referre, ita vt antiquissimum quemque praeferrem: verumtamen

OMNES Cherubini templi eadem fuere forma.

Pradus vbi supra Sect. v.

super-

superuacaneam duxi eiusmodi diligentiam, & non satis aptam ad res singulas ordine confirmandas.

SANCTISSIMI, DOCTISSIMIQVE, & antiquissimi viri Cherubinos templi cum Ezechielis Cherubinis, & cum Isaiae Seraphinis conferunt.

Cap. XXXVI.

Clemens Alexandr. 5. Stromat.

AVDIENDVS est inprimis Clemens Alexandrinus, qui non modo animalia huiusmodi in templo fuisse formata sensisse videtur, verum ea quodammodo Aegyptios fuisse mutuatos affirmat. Et ideo, inquit, Aegyptij quoque in sacris ponunt sphingas, quippe quòd de Deo oratio sit aenigmatica, & obscura: forte autem quod Deum opporteat amare, & timere: amare quidem vt Sanctis benignum & propitium, timere autem, vt qui sit impijs iustus inexorabiliter. Ferae enim simul, & hominis imaginem sphinx significat. Longum autem fuerit omnia persequi prophetica, & legalia, ea afferendo quae dicta sunt per aenigmata: fere enim vniuersa hoc modo loquitur diuina Scriptura. Et quamuis expresse non dicat Clemens, huiusmodi aenigmaticas figuras è templo fuisse petitas, id tamen dixisse videtur historia Machabaeorum. *Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulachrorum suorum.* Quod propter Sanctuarij Cherubinos, quorum formam descripserat Moyses, dictum fuisse arbitratus est Lyra. In qua sententia fuisse videtur Sanctus Thomas, aut quicunque ille sit, qui in libros Machabaeorum nunc primum prodijt: In quibus, inquit, scrutabantur, idest, secundum quorum tenorem gentes arguebant Iudaeos idololatras, quia Cherubim super altare stabant. Illa autem verba, super altare, argumento esse possent, aut librum totum, aut ea supposititia esse, & ab eo, qui vix legerat sacras Scripturas, in quibus plane cognouisset nihil fuisse cum Cherubinis altari commune, nisi librarij forte sit vitium, qui pro arca altare substituit. At pro ipsa sententia, quam confirmamus, stare videntur Hieronymus, & Clemens à Serario relati: nam qui similitudinem simulachrorum ad politiam referunt, quomodo haec inter se conueniant, nondum ostenderunt.

AEGYPTIORUM sphinges, Cherubinorum simiae.

1. Machab. 3. ℣. 48.

Nicolaus de Lyra.

S. Thom. in Machab.

S. Hieron. Clemens Alexand. apud P. Serarium super Machabaeis.

Sed quid de ipsa re, quam inquirimus, senserit Beatus Thomas, videamus oportet. Is enim cum Cherubinos arcae retulisset, quos & ad concordiam sublimium indicandam, ac ne colerentur ab Hebraeis idololatriae deditis, binos fuisse oportere dixisset, quid tum ipsi, tum arca cui astabant, significarent, indicare aggressus cum fuisset; haec verba subiungit: Vel per haec tria (quae erant in arca) significabantur tria Deo attributa, scilicet sapientia in tabulis, potentia in virga, bonitas in manna, tum propter dulcedinem, tum quia ex Dei misericordia est populo suo datum, & ideo in memoriam Diuinae misericordiae conseruabatur. Et haec tria etiam figurata sunt in visione Isaiae: vidit enim Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & Seraphim assistentes, & domum impleri à gloria Dei; vnde & Seraphim dicebant: *Plena est omnis terra gloria eius.* Et hic similitudines Seraphim non ponebantur ad cultum, quod prohibebatur primo legis praecepto, sed ad signum ministerij, vt dictum est. Haec Sanctus Doctor, qui cum figuras Seraphim non alibi positas fuisse legisset, quàm circa arcam, easdem & Seraphim, & Cherubim dicendas sensisse videtur. Id quod disertis verbis testatus est idem, quem initio proponebamus, Clemens Alexandrinus. Is enim dum sanctam disciplinam, atque sapientiam, quam ex sacris Literis, tamquam è limpidissimo fonte haustam, aenigmatis atque figmentis contectam a Gentibus fuisse ostendere pergeret, haec subdit: Quae autem de Sancta arca narrantur, significant mundum, qui percipitur intelligentia, qui est occultus, & vulgo occlusus. Porro autem aureae quoque illae imagines, vtraque sex habens alas, aut duas vrsas, vt quidam volunt, significant; aut quod magis quadrat, duo hemisphaeria. Vult autem nomen Cherubim significare multam cognitionem: sed habent ambo duodecim alas, & per circulum Zodiacum, & tempus, quod in ipso fertur, significant mundum sensibilem. Post pauca vero de arca disputans: Ceterum significat, inquit, quietem, quae est cum spiritibus glorificantibus, quos significant Cherubim. Numquam enim qui ne sculptile quidem fabricari suasit, simulachrum ipse Sanctorum effinxisset imaginem. Neque est omnino compositum, & sensile aliquod in caelo animal, quod ita se habeat. Est autem facies quidem symbolum animae praeditae ratione. alae autem sunt ministeria, & operationes sublimes dexterarum simul, & sinistrarum potestatum. Quibus plane verbis maxime animaduertendum est, Cherubinos arcae vocari à Clemente animalia composita, facies, & alas habentia senas quae quidem Cherubinorum signa non ab alio, quam a Propheta nostro simul percensentur.

S. Tho. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6.

SAPIENTIA, potentia, bonitas ijs, quae arca claudebat, significabantur.

Isaiae 6. ℣. 3.

CHERVBINI arcae Seraphini dicuntur.

Clemens Alexand. 5. Stromat.

SENAS HABENT alas Cherubim arcae.

Maximae sane auctoritatis videri debet Sanctus Cyrillus in ea liturgia, quam nuper ex Aegyptiaca lingua in Latinam conuertit Victorius Hacurensis Maronita, quamque vulgari curat clarissimus vir, nostrique amantissimus Marcus Velserus, Augustanae Reipublicae Duumuir: in qua Sacerdos his verbis Dei Filium orat: Tu es Deus super omnes principes, super omnes Reges, super omnes virtutes, & dominationes, super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Tibi assistunt millia millium, & dena millia denum millium Angelorum, & Sanctorum Archangelorum tibi ministrant. Tu es, quem circumdant animalia duo, venerabilia valde, senis alis praedita, plena oculis, & Seraphim atque Cherubim, quae duabus alis tegunt facies suas propter Diuinitatem, & se-

S. Cyrill. in Liturgia.

ANIMALIA sex alarum.

dem

dem Patris tui, quae percipi non potest: duabus tegunt pedes suos, & duabus volant. Haec in quae vsque in hodiernum diem in Missis Aegyptiorum quotidie leguntur. In quibus non alia licet videre animalia bina praeter illa arcae ab Isaia relata, quibus & Seraphinorum, & Cherubinorum nomina tribuuntur, atque alia ab vtroque Propheta simul relata. In Missa porro Sancti Basilij eiusdem codicis sic habetur: Tu es, cui assistunt Cherubim plena oculis, & Seraphim sex alarum, laudantes perpetuo, ac dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.

Cyrill. Hierosol. Catech. 9.

Concinit huic Cyrillus alter Hierosolymitanus, antiquus & ipse Doctor, quippe qui ante mille fere trecentos annos vixerit, & Ezechielis visionem cum Isaiae visione videtur conferre, & causam indicare propter quam nondum haec plene percipiantur, nimirum vt Deum incomprehensibilem esse omnia ostendant: Dicunt, inquit, tres pueri in camino ignis laudantes Deum: Benedictus es Deus, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim. Dic mihi, quaeso, quae sit natura Chetubim, & tunc sedentem super illum perspicito. Et quamuis Ezechiel Propheta enarrationem illorum fecit, quantum fieri potuit, dicens: quatuor facies vni, vnum quidem hominis, alterum leonis, tertium aquilae, quartum vituli. & quod sex alae vni, & quod oculi ipsis vndique, & quod vnicuique rota quadripartita subiecta. Tamen hac etiam declaratione per Prophetam facta, nequaquam nos legentes comprehendere possumus. Quod si thronum enarratum comprehendere non possumus, sedentem super illum inuisibilem, & inenarrabilem Deum quomodo intellectu capiemus? Hactenus ex Cyrillo. qui haud aliter quàm ab Isaia Seraphinis, ab Ezechiele senas alas Cherubinis tributas fuisse arbitratur: id quod non alia ratione intelligendum esse videtur, nisi & brachia Cherubinorum eorundem quaternis alis adnumerentur, vt late persequitus est Pradus. Idemque sensisse videtur Tertullianus, easdem figuras vocans Cherubinos, aut Seraphinos.

EZECHIElis Cherubim sex alas habent.

Tertull. lib. 2. contra Marcionem, cap. 22.

DE CHERVBINORVM QVADRVPLICI FORMA.
Cap. XXXVII.

MOREM antiquis antiquum fuisse, Cherubinos Ezechielis, à Seraphinis Isaiae minime distinguere, sensit Arnoldus: arbitrabantur enim vtrumque non Chori, aut Hierarchiae nomen esse, sed muneris: vt confirmauit Pradus. Atque ita inquit, & apud Ezechielem faciem, & pedes Dei, quasi prima & nouissima Cherubim contegunt, media tantum videnda exponunt. Ezechielis visioni dat ea, quae de Isaiae visione scripta sunt. A quo non dissentit Philastrius, Brixiensis Episcopus: Est quoque haeresis, inquit, quae cum legit in Isaia Propheta, quòd Cherubim, & Seraphim, animalia duo sex pennis praedita, duabus faciem Dei, duabus pedes tegebant, & duabus clamabant, voce sublimi Deum collaudantes, nimium conturbantur &c. Cherubim autem, & Seraphim quadriformia, idest, leonis, vituli, hominis, & aquilae, diuersa sunt Sanctorum pariter, virtutumque certamina fortiora. Celeberrimum quidem antiquissimi, doctissimi, maximaeque auctoritatis viri testimonium: qui cum haereticorum ignorationem, siue proteruiam contudisset, qui pedes Domini, & caput audientes, sinistre de Deo sentire voluerunt, veritatem, quam ipse perspexerat, de tota visione retulit, & confirmauit. Qui non aliter de Cherubinis, quam de Seraphinis philosophandum esse ratus, animalia vocat ea senis alis praedita, & quadriformia: qui sane loquendi modus quatuor capita illis tribuere nulla ratione permittit, quadricipitia vocaret ea, non quadriformia.

Arnold. Tract. de binis vltimis verbis Domini in Cruce.

Philastr. lib. de Haeresi. Haeres. 101.

ANIMALIA quadriformia, non quadricipitia.

Sophronius Orat. 6. de excellentia Angelorum.

Quo nomine Cherubinos censere voluit Sophronius oratione illa, qua singulos caelestium Spirituum Choros deuotissime affatur: Quos, inquit, Cherubim oculis plena, & quadriformia, quae internis viribus formae vestrae cognatis, appositaque proportione respondentibus, vi ratiocinante nimirum, & irascente; fortitudine rursus, & caelesti celsitudine, ample, magnificeque exculta, omnique sapientia plena estis, quare etiam cognitionis fontes, & scaturigines appellamini, Diuini Verbi cognitionem expollite: itaque contra veterem serpentem incendite, & è terra in sublime potenter euehite. Quod sane eximium Diuinorum Spirituum encomium tot, ac tantis esse videtur mysterijs plenum, vt eo magis à prudenti Lectore videatur expendendum, quo minus prae angustia temporis nobis licet, quae circa illud occurrunt exponenda, proferre: breuissime quamuis nonnulla insinuare operaepretium fore existimauerim. Animalium formas ita expressit, vt eas virtutes, quae è singulis animalibus in caelestes transtulit Spiritus, ijs potissimum eorum partibus indicari intelligamus, quibus Cherubinos constituit Ezechiel. Quippe cum totus Cherubim spiritus sit, totus intellectu praeditus, totus debuit hominis forma repraesentari, qui intellectus, & rationis est particeps. quam Philastrius vim appellat ratiocinantem, irascentem vero leoninam faciem. atque in his vel ipse Hieronymo, vel ipsi Hieronymus suffragatur mirifice, de humana enim, & leonina facie textum, quem explicamus, accipiendum esse existimans, eiusque rei causas indicans: Quorum primum, inquit, ad rationem pertinet, sequens ad furorem, qui significantius Graece θυμὸς thymos, appellatur. Furorem autem dicimus non eum, qui perturbationi, & vitio proximus est, sed qui mentis consolidat mollitiem, & fortiorem facit animum dimicantis. Iam vero conijcere licet, quod cum cor hominis, & eius, quae significatur, irae, vel furoris, & eius, quae significatur, virtutis, sit sedes: quam aliam magis apte humanae formae partem vestire poterunt leoninae iubae, quàm ipsum vndique cor, pectus, terga, latera? Sed indicat Psaltes, sedem esse cor irae: quippe cum peccatorem impium, ac petulantem ferre vix posset, timore autem Dei quasi quodam chamo, aut fiscella os suum conclusisset, vt ne effutiret, quidem quae iuste posset in sui defensionem, & impij accusationem proferre, hoc quidem contrariorum motu quasi quadam antiperistasi agitatum: *Concaluit cor meum*, inquit, *intra me, & in meditatione mea*: quo magis perpendo, & iniuriae acerbitatem, & iniquitatem proferentis, quàmque sit ab omni ratione, & merito sic insontem vexare, *exardescit*

QVATVOR animalium symbola.

S. Hieron. super Ezec. 41.

LEONIS FACIES firmamentum significat, ac fortem.

COR IRAE sedes. Psal. 38. ℣. 4.

ignis irae, furoris, ac zeli. Quo permotus quoque Ieremias, expertus sermonem Domini sibi fuisse *in opprobrium, & in derisum*, clamabat dicens: *Factus est in corde meo quasi ignis exaestuans, claususque in ossibus meis. & defeci, ferre non sustinens.*

Ierem. 20. ℣. 8. & 9.

CONSTANTIA in corde constituitur.

Prouerb. 15 ℣. 7. & 8.

Quod vero ad constantiam pertinet, quae animi mollitiem consolidat, in corde quoque sita esse videtur, iuxta illud Sapientis Prouerbium. *Domus iusti*, vel vt habent Hebraea: Domui iusti *plurima fortitudo* inest, non corruet, firma, stabilis erit, ac perpetuo duratura: quid autem domus nomine intelligat, exponit altera sententiae pars, *& in fructibus*, hoc est, in operibus, *impij conturbatio*. Explanat amplius sententiam hanc subsequens: *Labia sapientum disseminabunt scientiam*, haec est domus, quam iusti manus a fundamentis erigit veritati coaeua, quae nullis subiacet perturbationum motibus; *cor stultorum dissimile*. hoc est, inconstans est mutabilitate varium, vt ait Gregorius. Non me latet superiorem sententiam ad familiae, opibus firmam stabilitatem referri; cum contra fructus, siue prouentus impij conturbentur, & pereant: quo etiam scientiae stabilitatem referre facile poteris, & ignorationis nutantiam. Iusti autem constantiam etiam in aduersis, quae maxima est, disertis verbis prosequitur Psaltes. *Paratum*, inquit, *cor eius sperare in Domino*, firmum, constans potest dici iuxta Hebraea, Genebrardo teste. *confirmatum* suffultum à Deo *est cor eius. non commouebitur* vmquam, *donec*, idest, & tamen *despiciat*, despiciet, *inimicos suos*, sub pedibus suis iacentes. Quae omnes caelestium spirituum virtutes, quo aptiori symbolo exprimi possent, quàm pectore, ac dorso leoninis iubis tecto?

S. Greg. par. 3 pastor. c. 19.

Psal. 111. ℣. 8.

Genebrar. in Psalm.

Sed quid opus est per diuersa loca quaerere ea, quae sapientissime, vt cetera, Diuinus ille Dionysius simul in hanc vnam sententiam collegit: Pectora in Angelicis imaginibus virtutem, inquit, insuperabilem, seruandique vim, vt est à subiecti cordis viuifica distributione, significant: dorsa vero vim indicant, vitales omnes virtutes continentem. Quibus verbis si ea subiungas, quae ipse de leone subiungit, nostram banc de leoninis iubis sententiam maxime confirmari cognosces: Leonis, inquit, faciem signare putamus vim illam in Angelis principalem, ac robustam, & indomabilem, per quam occultissimo illi ineloquibili Diuinitatis arcano, pro viribus similes nituntur euadere operti spiritualibus vestigijs, & expedita illa, atque ineffabili celeritate itineris ad Diuini fulgoris secreta tendentis. Sed quae de boue subiungit, aptissime explicant ea, quae ex Sophronio explananda suscepimus, qui fortitudinem boui tribuit. Dionysius vero: Bouis autem imaginem, inquit, fortitudinis, ac robustatis praeferre speciem, & qua spiritales sulcos suscipiendis caelestibus, foecundisque imbribus scindunt. Fortitudinem autem boui tribuit ante hos omnes Sapiens: *Vbi non sunt boues*, inquit, *praesepe*, vel vt alij legunt, horreum, penuarium, *vacuum est*: *vbi autem plurimae segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis*. Hanc autem fortitudinem statuimus, vel vt verius dicam, in pedibus statuit Propheta noster. Nam pedes, vt ait Dionysius, mobilitatem, celeritatem, atque cursum insinuant sempiterni motus ad Diuina tendentis. Quod si celeritatem cum fortitudine componas, bouis vtique significabis, aut boum pedes, quorum celeritatem commendat Aelianus In bubulo, inquit, pecore, quod incitato cursu valet, Indi curam ponunt, & simul

S. Dionys. Areopag. de Caelesti Hierar. cap. 15.

LEONINAE iubae in pectore, & dorso quid significent.

Prouerb. 14. ℣. 4.

BOVI FORtitudo tribuitur.

Aelian. hist. lib. 15. c. 24.

BOVIS VElocitas.

A de eorum velocitate Rex, & permulti principes decertant: neque turpe ducunt pro huiuscemodi animalium genere auro, argentoue sponsionem facere. Currendi meta bobus haec constituitur, vt inter se nexi, ac iugati triginta stadia currant, aequales, & pares boues equis currunt, neque velocitate boues ab equis internoscas.

Demum caelesti celsitudini aquilam contulit Sophronius, quam multo accuratius, & vberius exposuit Dionysius. Porro, inquit, effigiem aquilae Regiam dignitatem, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, atque ad captandum necessarium reparandis viribus cibum, agilitatem, atque vigilantiam, & cursum, & facilitatem summam: ac praeterea vim illam

AQVILA celerem volatum, ac vim speculandi diuinum fulgorem indicat.

B singularem speculandi, atque intuendi libere, directe, in nullam partem inclinando aciem luminum, in radium illum vberrimum, lucidissimum Deitatis, quem ex se instar Solis emittit. Quae omnia ab aquilae forma desumpta symbola, qua ratione magis apta in his figuris repraesentarentur, quam si praeter extensas desuper veluti ad volandum alas, alis quoque aquilarum vndique contegerentur nuda corpora aquilarum, vndique luminibus conspicua à quibus merito petit Sophronius, vt & à terra nos potenter euehant, quasi aquila prouocans ad volandum pullos suos, & vt Diui-

C ni verbi cognitionem expolliant. Nam quod cherubim nomen, multitudinem scientiae interpretantur Sancti Patres, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Dionysius, Clemens, & Origenes, ac Philo, haud immerito Sophronius cognitionis fontes, & scaturigines interpretatus est: quippe cum eorum scientia in inferiores spiritus, velut irradiantes stellae lumen in terras effundunt, quod à Sole acceperunt. Illud demum Sophronio cum reliquis fere omnibus, quos retuli, & referam, commune est, vt & incendendi vis, quae Seraphinorum est propria, Cherubinis tribuatur.

S. August. q. 105. in Exodum.

S Hieron. Epist. ad Paulin.

S. Dionysius Caelestis c. 7.

Clemens Alex. 5. Stromat.

Origenes homil. 10. in Numer.

Ab hac porro interpretandi ratione non longe abest, totus, quàm qui maxime pietati deditus Sanctus Bernardus, qui praelatos Ecclesiae basi-

D bus templi comparat, quippe quibus imminet cura suppositorum. In quibus insculpta esse debere affirmat Cherubim, plenos enim oportet eos esse caelesti scientia, his quoque insunt leones, & boues. Itaque, inquit, in basibus, neque leones sine bobus, neque boues sine leonibus exprimuntur. quia Prælati Ecclesiae aliquando rigide, aliquando cum dulcedine, aliquando cum asperitate, aliquando verbis, aliquando flagellis debent subiectos suos corrigere. Quae omnes Sanctorum sententiae in hanc vnam confluunt, vt Cherubinorum, ac Seraphinorum nomina, necnon animalium variae formae varias indicent caelestium Spirituum virtutes, dignitates, operationes.

Philo lib. 3. de vita Moysis, & lib. de Cherubim.

S. Bernardus in modo bene viuendi ad sororem, Ser. 28.

PRAELATI Ecclesiae cuiusmodi debent esse.

E Hanc vero Seraphinorum, & Cherubinorum mutuam collationem laudat Ioannes, aureum eloquentiae flumen, cognomento Chrysostomus, qui cum idem argumentum prosequeretur, quod paulo ante ex Cyrillo insinuabamus, Deum ipsis supremis virtutibus incomprehensibilem esse confirmat, & visionem Isaiae in hanc adducit sententiam. Cum enim Seraphim, inquit, alis productis sese obuelant, nulla prorsus alia ratio est, quam lux, quam inaccessibilem Deum habitare praeclare Paulus retulit. Nec Seraphim solum re ipsa lucem esse inaccessibilem praedicant, sed etiam Cherubim, qui his superiores virtutes ordinantur. De ordine vero supercælestium Spirituum non est nostri muneris in praesenti disputare: verba referimus

S. Ioan. Chrys. homil. 3. de incomprehensibilitate Dei.

CHERVBINorum, & Seraphinorum mutua collatio.

rimus Chrysostomi, quibus post pauca subiungit: Audi igitur alium quoque Prophetam de his, modo quidem diuerso, cogitatione eadem narrantem: Factum est verbum Domini ad Ezechielem &c. & post multa de visione sapienter dicta: Attamen, inquit, virtutes ipsae suis etiam pennis se operiunt, quippe quae facie detecta nequeant contueri, quamquam sapientissimae, & purissimae. Vnde id constat ex ipsa nominum ratione. Nomina vero, & vniuersam fere visionem non longe inde exponit: Quo igitur modo, inquiens, pennae superiorem naturae conditionem interpretantur; solium requiem in his ipsis Dei designat: oculi perspicacem Dei intelligentiam, propinquitas solij, & hymnus assiduus insomnium, B & vigilantiam docent: sic etiam ipsa nomina partim sapientiam, partim puritatem, sinceritatemque declarant. Enimuero Cherubim nuncupatio plenam, accumulatamque scientiam exprimit: Seraphim vero à candente, flagranteque ore nomen inuenerunt.

IESV CHRISTI

DOMINI NOSTRI GLORIAM, *& Cherubini Ezechielis, & Seraphini Isaiae indicabant.*

Cap. XXXVIII.

SED quoniam in arcae Cherubini ad ornatum & pompam constituebantur, sicut in visione Ezechielis ad indicandam maiestatem sedentis in throno, & Seraphini Isaiae gloriam in omnes effusam voce, signis, & motu testari videntur: fit vt hae ipsae Angelicae virtutes, D & signa quae gestant, ad aliud dirigantur excellentius, atque perfectius demonstrandum, nempe IESV Christi Domini, ac reparatoris nostri gloriam, bonitatem, maiestatem, perpessiones: vt late persequutus est Pradus, non vt proprium, aut nouum sui cerebri commentum, sed vt dignissimum argumentum, in quo perscrutando Sanctissimi, ac doctissimi viri iam inde à principio nascentis Ecclesiae, suam operam, ac studium meritissime collocarunt.

S. Anastas. Synaita lib. 1. Examero Ephesi. 1.

Nam magnus ille Anastasius Synaita, Patriarcha Antiochenus & Martyr, explicans sententiam Beati Pauli Apostoli, qua omnia tradit in caput redacta esse, & instaurara in Christo. Quod E si etiam vis, inquit, nosse eum habere sex alas, audi eum, qui ipsi dicit: In tegmine alarum tuarum proteges me. extendens alas suas eos suscepit. Quemadmodum autem lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, merito omnia aspiciens vocatus est πολυόφθαλμος, id est, multos habens oculos &c. Quoniam autem interpretatur Cherubim, multitudo cognitionis, Deus autem est Dominus cognitionis: ipse enim cognoscit omnia antequam fiant, & nemo cognoscit Patrem nisi Filius. Merito vocatur etiam Cherubim, qui ipsa condidit Cherubim, sicut rursus Seraphim, quod interpretatur ignis A ardens, & comburens. Vides Anastasium Cherubinis sex alas, oculorum multitudinem, & scientiae tribuere multitudinem. quae omnia in Christo reperiuntur altiora, cum vi illuminandi, & exurendi Seraphinorum propria.

Psal. 35. ℣. 8

CHRISTVS Cherubim dicitur, ac Seraphim.

Anastas. Nicaenus q. 65.

Propius accessit ad visionis explanationem Anastasius alter Nicaenus Antistes, qui Cherubini facies Christo Domino tribuit: Ex quibus est, inquit, manifestum, quod Verbum Opifex omnium, qui sedet super Cherubim, & continet omnia, hominibus manifestum dedit nobis quadriforme Euangelium, sed quod vno spiritu continetur, sicut dicit Dauid petens eius aduentum: Qui sedes super Cherubim, manifestare. Cherubim enim habent quatuor facies, & eorum facies sunt imagines operationis Filij Dei. Audiant, quaeso, Anastasium, qui quatuor facies mente percipere non possunt, quomodo vnum atque idem animal componant, quod facilius quatuor capitibus componunt, vt non vno spiritu videantur contineri, sed multiplici: quippe multiplici capite multiplex sensus indicatur, ac multiplex animae sedes. Anima enim viuentis in capite, vt in propria sede, suas exercet functiones, ac propria munia. Id quod disertis verbis Plato testatum reliquit: Est autem caput, inquit, membrorum corporis diuinissimum, reliquorumque membrorum princeps: cui totum corpus connexum C Dij subesse, & parere iusserunt. Et cum inconueniens fore statuissent, si caput terra veheretur, cuius inaequalitate facile laederetur. Quod sane malum, inquit, vt vitaretur, hunc habitum corporis ad faciliorem progressum Dij pro vehiculo capiti subiecerunt. Sed quàm haec multiceps hydra à sacrae Scripturae contextu sit aliena, iterum ostendendum est: & tunc ad eadem, quae proposita fuerant, confirmanda progrediendum erit.

CHERVBINI facies Christo Domino tribuuntur.

PLVRA CAPITA significandis mysterijs non sunt apta.

Plato in Timaeo.

Atque illud non est silentio praetermittendum, quod Beatus Irenaeus haec eadem Anastasij verba retulit, multa subiungens, quibus confirmet quatuot Cherubinorum facies, quatuor indicare dispositiones Filij Dei, sic enim appellat quas Anastasius vocauerat operationes, ad rem quam persequebatur, magis aptas. Quae omnia Irenaei verba quoniam relata sunt, & explicata à Prado, eò lectorem remittimus. Et Sanctus Ambrosius audiendus est, qui vehiculum, rotas, & animalia ab Ezechiele visa fuisse confirmat, atque eadem in Apocalypsi à Ioanne. Qui cum Salomonem interpretaretur affirmantem se inter alia scire non posse vestigium aquilae volantis, aquilamque ibidem Christum Dominum accipiendum esse testaretur: Haec est aquila, inquit, quam Ezechiel Propheta in illam quadriformem sedem, & Cherubim vidisse se retulit inter animalia, quae mysticum vehiculum rotis iuncta portabant. Vnum enim animal simile vituli, aliud leonis, tertium hominis, & quartum aquilae. Sicut in Apocalypsi Ioannes se vidisse conscripsit: Primum, inquit, animal simile vituli, secundum leonis, tertium hominis, quartum aquilae. Sed de hac animalium aequalitate alter locus ad tractandum necessarius est. Haec Sanctus Ambrosius. quae dicta sufficient in eam partem, quae ad confirmandam eam sententiam facit, qua facies Cherubim dicebamus aliquid in Christo repraesentare id enim ab ipso Prado satis explicatum est, quem laudaui, adductis pro se Sanctorum Patrum quamplurimis testimonijs.

Pradus in comment. primae visionis par. 2. Sect. 11.

S. Ambr. lib. de Salomone cap. 2.

VISIO EZEchielis cum Apocalypsis visione confertur.

Prouerb. 30.

S. Irenaeus lib. 3. cap. 11.

CHERVBINI, ET SERAPHINI iterum conferuntur. Cap XXXIX.

ILLVD vero adhuc amplius confirmari poterit, quod ad collationem visionis Ezechielis, & Isaiae spectat. Iustinus quidem Martyr quaestionem certemouit sua tempestate fortasse vulgarem huiusmodi: Quandoquidem Isaias, & Ezechiel animantium multos habentium oculos visionem viderunt, num vtrique vnum quippiam est reuelatum, an alteri alterum ostensum? quid vero etiam visio indicant. Et quamuis respondens quaestioni Iustinus longe aliud Ezechielis visione significari constituat, quàm quod tenet communis Sanctorum Patrum sententia, immo & quam quod exigere videatur contextus, in eo tamen nostrae videtur fauere sententiae, quod visa fuisse tradit ab Isaia animalia, ab Ezechiele vero quadriformia animantia, similitudinem obtinentia hominis, & leonis, vituli, & aquilae: Similitudines, inquit, non capita. Quid autem similitudinis voce intellexerit ipse declarat, animalibus arbitratus Nabuchodonosorem significari. Memorat autem, inquit, de Nabuchodonosore Daniel quoque Propheta, creuisse vngues eius sicut vngues aquilae, & capillos eius vt iubas leonis, eumque ad instar vituli herbam esse depastum. Concinit his Cyrillus, de eodem Nabuchodonosore sic scribens: Leoninos habebat vngues, raptor enim Sanctorum fuerat: crines quoque leonum habebat, leo enim rapax erat, & rugiens: foenum tamquam bos comedebat, pecus enim fuit &c.

Iustinus Martyr q. 44.

ANIMALIA Nabuchodonosorem significant.

Cyrill. Hierosol. Catech. 2.

Ecce leonis iubas, quas denuo inuentas à Prado proclamabat objiciens, multis saeculis antequam fuisset Pradus, scripserat Irenaeus, scripserat & Cyrillus. Sedenimuero superuacaneum fore censerem apud varios Doctores seorsum quaerere, quod apud multorum Doctorum optimum diuinum Dionysium testatissimum habetur, ac satis confirmatum: Deinde, inquit, ipsorum quoque Seraphim Diuinas profecto virtutes ex ea visione sacratissima Propheta discebat incendium, sacro illorum significante cognomine, de quo paulo post dicturi sumus &c. Porro illa sex alarum sacratissima fictio, absolutissimam summamque in Deum intentionem, in primis, ac medijs, & vltimis intelligentijs signat. At quando multos quoque illorum pedes, & complures facies cernens Theologus inclytus, vtque alis & pedum, & vultuum arceretur aspectu, alaeque mediae perpetuo ferrentur motu, ad intelligibilem eorum, quae cernebat, scientiam ducebatur. Aperiebatur nempe illi per haec altissimorum spirituum vis multa peragrans, multaque prospiciens: sacraque illorum & plena horroris veneratio, ac religio, qua vltra humanum modum, celsiorum, profundiorumque mysteriorum insolentem, & temerariam, neque omnino promouentem indaginem exhorrescunt.

S. Dionys. Areopag. de Caelest. cap. 13.

Est autem sublimis valde, & admirabilis Sanctissimus hic vir, cuius singula verba attentius essent perpendenda: sed quoniam in his diutius immorari non vacat, ea tantummodo breui perstringemus, quae maxime ad praesens institutum facere videbuntur. Atque sex alarum motum communem vtique facit supremis, medijs, atque vltimis intelligentijs, vel tres enumerans Hierarchias, vel tres supremos choros, vt bene alter Dionysius notauit. Ex quo confirmatur quoque id, quod ex eiusdem Areopagitae sententia proposuerat Pradus, Cherubini, aut Seraphini nomen in his visionibus non nomen Chori esse, sed muneris, aut significationis. Multiplices praeterea facies his tribuit, quas non Isaias, sed Ezechiel, non Seraphinis, sed Cherubinis assignauerat: ex quo certe videre licet Dionysium nullum in re visa ab vtroque Propheta reperisse discrimen, cum quae de altera illarum dixit Ezechiel alteri tribuit, quam vidit Isaias.

SEX ALAS omnibus caelestibus spiritibus tribuit S. Dionysius.

Diony. Chartus. hic.

Illud denique notandum est, quod multos pedes, aut facies, visos fuisse a Propheta significat: tum propter vehementem alarum motum, quo intentissime ad Deum ferebantur, tum prae vehementi luminis splendore, quo perstringebantur videntium oculi, & veluti conniuebant, & veloci palpebrarum motu, plura se videre arbitrabantur Prophetae, cum non plura viderent: id quod in pedum multitudine verum esse vtique potest, cum plures quamtumuis pedes, omnes tamen erant similes, eiusdemque formae. At in vultibus si plures dissimiles vidisset, dissimiles eos fuisse oporteret: non enim poterat oculorum conniuentia visum tantopere perturbare, vt pro humano capite bouinum videret, aut leoninum. Et certe multiplices facies visas fuisse à Prophetis sentit Dionysius, cum vnam tantum humanam faciem habuisse Cherubinos senserit alibi, quam multiplicem fingeret visus perturbatio: nam quòd Cherubinorum facies easdem, quas exposuit Pradus, Dionysius multis retro saeculis agnouerit, literarumque monumentis consignauerit, paulo infra ostendemus.

PLVRES Cherubinorum pedes quomodo accipiendi.

QVOD EZECHIEL VIDERIT CHERVBINOS templi, & imaginem solij Dei, quod erat in Sancto Sanctorum. Cap. XL.

SED ad illud tandem veniamus, quod huius disputationis esse videtur velut fundamentum: statuamusque ab Ezechiele eosdem Cherubinos visos fuisse, eamdemque solij Dei formam, quae in Sanctis Sanctorum a prima templi aedificatione, vsque ad Babylonicam transmigrationem, maxima totius Israelitici populi veneratione asseruabatur. A qua quidem sententia, quamuis denuo inuenta videatur objicienti, non videtur dissentire antiquus idem, ac doctissimus Augustinus, qui non alia ratione Cherubinos arcae vocaret animalia, nisi quòd ea sic dicta, & visa fuerint ab Ezechiele: Porro, inquit, si creatura rationalis in multitudine scientiae,

S. August. q. 105. in Exodum.

quoniam

CHERVBINI arcae animalia dicuntur.

quoniam hanc interpretationem habent Cherubim, duobus ipsis animalibus significatur: ideo duo sunt, vt societatem charitatis commendent: ideo pennis suis propitiatorium obumbrant, quia Deo, non sibi tribuunt pennas suas, idest, Deum honorant virtutibus, quibus praestant. Et vultus eorum non sunt nisi in propitiatorium: quia quicumque (cuicumque legendum censerem) profectui ad multitudinem scientiae spes non erit, nisi in Dei misericordia. Memoriae autem commendanda est haec Sancti Augustini sententia, qui negat vultus habuisse alibi quàm versus propitiatorium, ne quis aliter quàm par est, Moysis testimonium interpretetur, quo affirmat arcae Cherubinos in propitiatorium conuertisse vultus, de quo post pauca. Sed quod ad animalium nomen spectat, arcae Cherubinis inditum confirmari videtur Bedae testimonio, qui cum duos Cherubinos duo testamenta interpretaretur, in quorum medio apparet, & loquitur Christus: Quo sensu etiam, inquit, illud potest accipi, quod Habacuc ait: In medio duorum animalium innotesces.

VVLTVS non alibi, quàm ad propitiatorium habuerunt Cherubim. Beda lib. de Tabernaculo cap. 5.

Habacuc 3. ℣. 2. apud Septuaginta.

Verumenimuero nullam adhuc scriptam rationem legere, vel coram audire, vel apud memet ipsum excogitare potui, quae nos cogat à Iosepho, & Philone discedere adsuos scribentibus de rebus suis, quae omnibus esse potuerunt in promptu, atque notissimae. Non me latet ipsos arcae Cherubinos videre vni summo Sacerdoti licuisse vno die, quo introire licebat ei in Sancta Sanctorum, ceterorum nemini. Et in Babylonica captiuitate Mosis Cherubinos cum arca abscondit Hieremias, quos deinceps nemini videre licuit, nec licebit vsque ad consummationem saeculi: tunc enim primum manifestabatur arca, vt infra ostendemus. Reliquos porro templi Cherubinos demolitus est Nabuchodonosor, vt auctor est Cyrillus. Nonne audisti, inquit, quòd Cherubim contriuit? non illa dico Cherubim spiritalia, absit ne quis cogitet, sed ea, quae fuerant sculpta. Haec ille. Sed quamuis haec ita sint, tamen cum in multis templi exterioris partibus expressi fuerint Cherubim, facile potuerunt non Sacerdotibus modo, verum & toti populo esse notissimi: quorum quidem memoria perpetuo asseruaretur, vt vix Hebraeorum quisquam auderet de huiusmodi sacratissimis rebus quidquam sinistre opinari, nedum in medium proferre. Verum quàm sit & antiquitate nobilis, & testimonio celebris haec diuersarum formarum compositio, vel ex vno Areopagita Dionysio artentius perlecto poterit agnosci. Is enim Deum benignissimum mirifice laudat, quòd caelestes illas spiritales distinctiones carnalibus figuris expressas, & formarum compositionibus varias tradiderit. Quo quid posset exoptari manifestius? formas enim ita componimus, vt ex multis, ac varijs vna fieret, ad sublimia caelestium spirituum munera exprimenda conueniens. Ac ne bruta ipsa, vt in seipsis sunt, in hanc signorum classem relata esse videantur, sed secundum eorum partes aliquas ad repraesentandum magis idoneas, vt diximus, signa ficta ea vocat idem Dionysius: Terrenis, inquit, imaginibus caelestes spiritus pinxit, carnalique velamine, dum in sacris Literis de illis loquitur, aeternas mentes texit, vt nos ex visibilibus ad intelligibilia, & ex fictione signorum ad simplices caelestium ordinum proueheat summitates. Neque his tantum locis hac vtitur dicendi ratione Sanctissimus pariter, atque doctissimus vir, sed & alias saepe. Nam cum Poeticis figmentis vti solitam Scripturam sacram in spiritibus forma carentibus describendis affirmasset, quo captui, & infirmitati nostrae consulere videretur, argumenta proponit eorum, quibus haec dissimilia signa minime probantur, cuperentque similiora: atque interea haec etiam subiungit: Et fortasse non desit, qui arbitretur caelestia, leonum, & equorum agminibus plena, vt pro laude mugitus resonent, & auium gregibus, & animantibus reliquis, & materijs quibuslibet vilibus, & ceteris in hunc modum· quaeque vel absurde, vel corrupte, vel passiue describunt, dissimiles per omnia in sacro Eloquio similitudines, quibus ista signantur. Haec Sanctus Dionysius: qui quòd similium rerum similitudines super caelestia exprimere non possint: Aliquando item, inquit, ab eisdem laudatur Scripturis honestissime, ac pene diuine, dum in eius laude dissimilibus vtuntur signis. Illud tamen ab omnium hominum mentibus remouere conatus est doctissimus vir, ac prudentissimus, quod maximum inducere posset inconueniens, si quisquam arbitraretur, vel bestiarum formis refertas fuisse caelestium mansionum sedes, vel pro laude mugitus ibidem resonare.

CHERVBIM templi demolitus est Nabuchodonosor. Cyril. Hierosoly. Catec. 2.

S Dionys. Areop. de Caelest. cap. 2.

COMPOSITIO formarum.

S Dionys. ibid.

POETICIS figmentis in uisibiles spiritus pingunt sacrae Literae.

Ibid. cap. 2.

PRO LAVde mugitus absoni videntur Dionysio.

[1] Ex qua quidem sententia maxime confirmari videtur illud Pradi argumentum, quod acerbe nimis, atque immodeste reprehendit obijciens. Si enim absonum nimis est pro laude mugitus in caelis audiri, non quidem consonum videri potuisset, si Diuinae maiestati in terris apparenti leonum mugitus pro laude reddantur. Quae tamen monstra à Propheta visa, & audita fuisse suadere quodammodo studens, loquentem asinam Balaamo in medium adducit, atque ex asinae loquela confirmari putat, vitulina capita, leonina, siue aquilina humanas protulisse voces. Sed quis, quaeso, ita sit ignarus, vt neget asinos, & quaeuis alia iumenta, ac bruta ita Diuinae subijci potestati, ac voluntati, vt humanas proferant voces, idque aptius multo, quàm cum homines ferinos solent imitari mugitus, ac mores? Sed illud est homini sapienti statuendum, humanas voces brutis nulla ratione tribuendas, quas sacer Textus illis nulla ratione tribuit, immo & quas Doctorum nullus illis, quod sciam, tribuerit. Sed animalia fortasse Apocalypsis in medium adducet, de quibus Ioannes: *Et animal primum*, inquit, *simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilae volanti &c & requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens*. Cuius obiectionis responsum liber in subsequens caput reijcere.

Apoc. 4. ℣. 7. & 8.

CHERVBINI QVOS VIDIT SANCTVS IOannes in Apocalypsi haud dissimiles sunt Cherubinis Ezechielis, aut templi. Cap. XLI.

Viegas Apocal. 4. Sect. 12.

SED non alios Cherubinos Ioannis à Cherubinis Ezechielis B probat constans Doctorum sententia, quos retulit noster Viegas, ex quorum numero aliquos referre non grauabor, eos maxime, qui hanc omnem interpretandi rationem confirmare videbuntur: atque inprimis Abulensem, qui cum rationem reddere statuisset, propter quam duos alios Cherubinos circa arcam posuerit Salomon, praeter eos quos posuerat Moyses, haec subdit: Alia ratio fuit ad perfectam expressionem gloriae Diuinae: nam quando Ezechiel vidit gloriam Domini, vidit quatuor animalia in circuitu throni, & quodlibet illorum habebat sex alas. Ad perfectam ergo imitationem debuerunt hic esse quatuor Cherubim: nam illa quatuor animalia erant Cherubim. Sic etiam Beato Ioanni ostensa est semel gloria Domini, & in circuitu throni Dei vidit quatuor animalia, & viginti quatuor seniores: & illa quatuor animalia erant Cherubim, quia erant talia, qualia illa, quae vidit Ezechiel.

Abulensis 2. Paral. 3. q. 25.
Ezech. 1.
Ezech. 10.

C

ARCAE, Ezechielis, & Ioannis Cherubini quatuor, ac totidem Euangelistae.

Et quidem hoc loco eosdem Cherubinos Ioanni, Ezechieli, & Isaiae apparuisse significat, eosdemque in templo figuratos: quod confirmauit Pradus. Iterum vero Ioannis, & Ezechielis Cherubinos contulit, rationem reddens propter quam Euangelistae quatuor numerentur, atque Euangelia totidem: Tertia causa, inquit, fuit propter D similitudinem ad quatuor animalia, scilicet hominem, leonem, & aquilam, & bouem, quae vidit Ezechiel, & idem vidit Beatus Ioannes. Haec ille.

Abulensis q. 1. in Matth. praefat.
Ezec. 1. & 10. Apoc. 4. & 5.
S. Hier. Epist. ad Fabiolam.

Sanctus vero Hieronymus eandem plane formam Cherubinis tribuit, tum ijs, qui ab Ezechiele visi sunt, tum vero ijs, qui à Ioanne in Apocalypsi. Nam cum Dei Optimi prouidentia omnia regi, ac gubernari confirmasset, idque expresso in fronte & corona Sacerdotis, Dei nomine repraesentari statuisset: Id ipsum, inquit, ego puto sub alijs nominibus, & in Cherubim, & quatuor animalibus figuratum, quae ita sibi permixta sunt, & haerent, vt in vno inueniantur & cetera. E Post multa vero de Sacerdotalibus indumentis pie pariter, atque erudite discussa, ad quatuor lapidum ordines in rationali mirifice dispositos exponendos accedit: Quos, inquit, quatuor puto esse virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, Iustitiam, & Temperantiam, quae sibi haerent inuicem, & dum mutuo miscentur, duodenarium efficiunt numerum.

VIRTVTVM Cardinalium mutua mixtio.

Hanc autem virtutum compositionem, quantum conijcere licuit Beati viri mentem, margini adiecimus: illud vnum admonentes, quod non idem sit Prudentiae actus, cui admisceatur Fortitudo, atque Fortitudinis, cui admixta sit Pru-

A dentia: atque adeo duodenarius efficitur numerus ex quaternario virtutum numero inuicem permixto. Sed & subiungit idem, quem laudauimus, Hieronymus. Vel quatuor animalia, quae in Apocalypsi describuntur plena oculis, & Domini luce radiantia, mundum illuminant, in vno quatuor, & in quatuor singula. Quae quidem compositio vix concipi aliter potest, quam à nobis explicatur, cum in vna humana forma reliquorum animalium insint symbola: at si quadriceps fingatur animal monstruosum, in nullo erunt singula, quippe in monstro. Atque idem plane censeri posse existimamus, si Ianum alterum fingamus quadrifrontem, quem fabulabatur antiquitas.

Prudentia cum Fortitudine.
Prudentia cum Iustitia.
Prudentia cum Temperantia.
Fortitudo cum Prudentia.
Fortitudo cum Iustitia.
Fortitudo cum Temperantia.
Iustitia cum Prudentia.
Iustitia cum Fortitudine.
Iustitia cum Temperantia.
Temperantia cum Prudentia.
Temperantia cum Fortitudine.
Temperantia cum Iustitia.

B Et certe quod ad institutam pertinet disputationem, iuxta Beati Hieronymi sententiam, non sunt animalia Apocalypsis singula seorsum concipienda, sed eorum similia, quae vidit Ezechiel. Quod iterum idem Hieronymus confirmat, dum quaternarium Euangelistarum numerum laudat: Haec igitur, inquit, quatuor Euangelia multo ante praedicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio contexitur, & in medio sicut similitudo quatuor animalium, & vultus eorum facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies aquilae: quas quidem facies cum singulis tribuisset Euangelistis, Cetera quae sequuntur, inquit, in eumdem sensum proficiunt. C Crura eorum recta, & pennati pedes, & quocumque ibat Spiritus, ibant, & non reuertebantur: & dorsa eorum plena oculis, & scintillae, ac lampades in medio discurrentes, & rota in rota, & in singulis quatuor facies. Vnde & Apocalypsis Ioannis post expositionem viginti quatuor seniorum &c. introduxit fulgura, & tonitrua, & septem spiritus discurrentes, & mare vitreum, & quatuor animalia plena oculis, dicens animal primum simile leoni, & secundum simile vitulo, & tertium simile homini, & quartum simile aquilae volanti. Et iterum. Plenius que, inquit, in Apocalypsi Ioannis horum animantium, species, ac nomina referuntur ad quatuor Euangelia. Ac tandem D cum plures animalium Ezechielis attulisset expositiones: Ista sunt, inquit, iuxta Apocalypsim, vt ante iam diximus, quatuor animalia plena oculis ante & retro: quorum vnum animal simile leoni, & secundum simile vitulo, & tertium habens faciem quasi hominis, & quartum simile aquilae volanti. Ibique dicuntur in modum Seraphim senas habere alas, duabus faciem, & duabus pedes operientia, duabus autem volantia, & neque in die, neque in nocte cessantia, ac dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.

ANIMALIA Apocalypsis in vno quatuor, & in quatuor singula.

S. Hier. praefat. in Matt.

S. Hieron. super Ezech. 1.

Beatus quoque Patherius Sanctissimi Gregorij Notarius, qui ante annos mille, & eo amplius, loca Scripturae sacrae ab eodem Gregorio exE plicata collegit, atque ordine digessit, dum locum Apocalypsis exponeret: Ezechiel Propheta, inquit, dum animalium specie quatuor Euangelistas se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bouis, & aquilae faciem apparuisse testatur. Cui nimirum propheticae sententiae ipse Ioannes quoque in hac reuelatione sua non dissonat, dicens: Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, quartum animal simile aquilae volanti. Haec quatuor animalia, singula ad vnumquemque Euangelistam recte conueniunt.

S. Patherius lib. 3. super Apocal. c. 15.

VNICVIque Euangelistae seu Cherubino, quatuor facies conueniunt.

O visor visionum Dei, inquit Rupertus Eze-

chie-

Rupert lib. 1 in Ezec. c. 3.

chielem allocutus, sicut ipse post multa dicturus es, vnum est animal, quomodo quatuor numeras? Ait: Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, & quatuor facies vni, & quatuor pennae vni. Ac si dicat: Vnius quidem erat similitudo hominis, Iesu Christi Filij Dei: Similitudo, inquam, & nondum res: nondum enim natura erat filius hominis, sed huic vni quatuor facies, & huic vni quatuor pennae, quas vtique facies, & pennas visionem Dei spectanti nescire non licet &c. Ex quo quidem Ruperti testimonio firmum licet argumentum sumere ad confirmandum Cherubinorum facies, quas nos pinximus: quorum singuli humana sunt forma, insigniaque gerunt animalium, vt vnius hominis, qui Deus est, nobis formam repraesentent, in quo ceterorum formae nouum aliquod mysterium repraesentent. Quare subdit idem, quem laudaui, Rupertus: Cum credimus IESVM Christum Filium Dei vnicum, de Spiritu Sancto conceptum, & ex Maria Virgine natum, faciem vtique veri intuemur hominis, non in phantasmate, sed in veritate carnis, absque peccato concepti, & nati. Cum autem itidem passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, & sepultum, ad infernum descendisse credentes confitemur, procul dubio faciem vituli contemplamur &c. Cum nihilominus credimus, & confitemur, quia tertia die resurrexit à mortuis, nimirum cum tremula fide, & fidei tremore faciem sumpsimus leonis fortissimi &c. Ad summum quando credimus, & confitemur, quia ascendit in caelum, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus est iudicare viuos, & mortuos. ista est nobis facies aquilae, quam nubes suscepit ab oculis humanis. Deinde vero quasi eandem esse supponens hanc Ezechielis, & illam Ioannis in Apocalypsi visionem, quaerit: Cur in Apocalypsi istorum quatuor animalium non idem ordo sit? & in haec verba respondet: Primo dicimus, quia nihil contrarium resonat in eo, quod dicit primum, secundum, & tertium animal. Nam hic Propheta huiusmodi nomini nihil apposuit, sed hoc tantum: Similitudo, inquit, vultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris &c. Vterque ordo ratus, neque alter alteri contrarius est, diuerso tamen respectu. &c.

Ibid. cap. 5.

Ibid. cap. 6.

NON EOdem ordine Ioannes, & Ezechiel animalia recensent.

Sed & illud quaeritur, quomodo hic dicat quatuor facies vni, & quatuor pennae vni, ille autem, & quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas. Ad quod breuiter dicendum, quia singulae facies singulas, & eodem sensu singulas habent alas: quia videlicet in singulis Sacramentis Christi Filij Dei, vna eademque excellentia, vnus volatus, vnus spiritus, vna Diuinitas est, vnum Verbum, per quod in sex diebus omnia facta sunt. Igitur vt superius quaerendum proposuimus, inuenisse nos arbitramur, quia & animal vnum, & quatuor animalia sunt, idest, vnus Christus, & quatuor principalia Christi Sacramenta sunt, quorum facies nulli licet ignorare Christianorum, licet comprehendere non possit volatum. Hactenus ex Ruperto verba desumpta sunt.

Richardus in Apocal. lib. 2. cap. 1. Capite 7.

Sed non est omittendus Richardus, qui hoc ipsum rationibus confirmare nititur, atque argumentis. Is enim cum Ioannis visionem persequeretur: Notandum est, inquit, quod Ezechiel Propheta, qui quatuor Euangelistas per haec eadem animalia descripsit, primum faciem hominis, quae figurat Incarnationem, posuit, quia adhuc longe futura erant, quae vidit: Ioannes vero, qui post ipsam Sacramentorum completionem eos figuraliter contemplatus est, similitudinem leonis, per quam Resurrectio significatur, primum conspexisse perhibetur, ad maiorem videlicet Christianae fidei iam exhibitae consummationem: quia totum fidei nostrae, & spei fundamentum maxime virtuti Resurrectionis innititur. *Et secundum animal simile vitulo.* Ezechiel post faciem hominis posuit faciem leonis, propter quod vtrasque à dextris vidit. Quae idcirco à dextris esse visae sunt, quia Incarnatio, & Resurrectio electos laetificauerunt. Deinde faciem vituli, siue bouis ponit, quam etiam à sinistris describit quae facies apte à sinistris fuit, quia Passio Christi, quae per eam figuratur, Discipulos contristauit. Sed Beatus Ioannes hunc ordinem minime seruauit, quia de hac laetitia, siue tristitia hoc in loco minime insinuauit. Haec Richardus de Sancto Victore.

Sed ne nimis in referendis aliorum sententijs, quamuis grauissimis, atque certissimis diuagari videamur, quid causae fuerit, cur aliter de Cherubinis Ioannes Sanctissimus Euangelista, Apostolus, & summus Theologus sensisse videatur, quam Ezechiel Propheta noster, paucis ostendamus. Re quidem diuersi non sunt, quod doctissimorum virorum testimonio satis confirmatum est, & singulas conferenti visionis vtriusque partes esse poterit in promptu: at phrasi, & dicendi modo videntur esse diuersi, quam qui non satis perpenderunt, propter diuersam rationem dicendi, diuersas animalium formas, significare vtrumque voluisse arbitrari sunt: quos à veritatis recto tramite longe aberrasse compertum erit, cum eadem ratione de eisdem Cherubinis vtrumque fuisse locutum ostenderimus. Ostendenda autem inprimis est dicendi forma, quae vtriusque videtur esse diuersa, vt eadem omnino esse mox ostendatur. Sanctus Ioannes sic scribit: *Et in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilae volanti.* Ezechiel vero Propheta noster sic habet: *Et in medio eius similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis in eis: quatuor facies vni, & quatuor pennae vni &c.* Et post pauca subdit. *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis a sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilae desuper ipsorum quatuor.* Discrimen autem nulli non esse videri poterit in promptu, cum Ioannes singulis animalibus singulas facies tribuere videatur, Ezechiel contra singulis quaternas. At nullus quidem sanae mentis arbitrari poterit, Prophetam nostrum sibipsi fuisse contrarium, qui iterum haec eadem animalia describens, iterum à se visa sic probat: *Quatuor autem facies habebat vnum: facies vna, facies Cherub, & facies secunda, facies hominis & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilae.* Chaldaeus vero paraphrastes sic interpretatur Facies vnius facies cherub, & facies secundi facies hominis, & tertij facies leonis, & quarti facies aquilae. Quae quidem interpretatio ab ipsa Hebraica lectione non longe videtur esse diuersa, quippe quam aliqua ex parte imitatus est Beatus Hieronymus, dum legit: *Et in tertio*

Apocal. 4. ℣. 6. & 7.

IOANNIS, & Ezechielis verba mutuo conferuntur.

Ezechiel 1. ℣. 9. & 10.

Ezech. 10. ℣. 14.

facies

facies leonis, & in quarto facies aquilae. Quam sequutus est in Regio codice Pagninus (*Pagninus.*): Facies vnius, inquit, facies cherub, & facies secundae facies hominis, & tertiae facies leonis, & quartae facies aquilae. Qui sane dicendi modus haudquaquam ab illo Ioannis videtur esse diuersus: quare haud aliter illum, quàm hunc aut interpretari licebit, aut accipere. Hunc vero nulla re ab illo priori Ezechielis esse diuersum probat duplex quoddam argumentum, ex vtraque parte firmissimum. Primum quod his verbis praemiserat Propheta. *Quatuor autem facies habebat vnum.* quae in eundem sensum ab omnibus Interpretibus accipiuntur. Chaldaeus: Et erant cuique facies quaternae. Septuaginta interpretes in Regio codice, & Complutensi. Et quatuor facies habebat vnumquodque animalium. Pagninus ex Hebraeo Et quatuor facies vnicuique. Vatablus: Erantque singulis quaternae facies. Et certe ipsa Hebraea phrasis nullum alium sensum admittere posse videtur.

Altera vero argumenti pars ex subsequentibus eiusdem Prophetae verbis desumenda est:
ỹ. 15. ait enim: *Et eleuata sunt Cherubim, ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Cobar.* Et ite-
ỹ. 20. rum: *Ipsum est animal*, inquit, *quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Cobar: & intellexi, quia Cherubim esset.* Quae plane verba nihil omnino permittunt de his Cherubinis, aut animalibus sentire diuersum ab illis, quae priori visione ostensa fuere Prophetae, quaeque ipse longa expressit oratione. Quod si apud eundem Prophetam eadem animalia describuntur, cum quaternae facies singulis tribuuntur, atque cum singulis singulae: quid obstet quo minus apud Ioannem Prophetam & Euangelistam eadem animalia referantur, quamuis singulis singulae videantur annumerari facies? Negandum tamen non est, diuersa hac vtriusque Prophetae dicendi ratione aliquid innui, quod legentium mentes ad aliquid noui percipiendum inducat, à communi dicendi, & intelligendi ratione diuersum. (*ALIQVID nouum indicat nouus dicendi modus.*) Vt propterea Vatablus in notationibus, quae ex Rabbinorum commentarijs desumptae videntur, sic scribat: (*Vatabl. num. 27.*) Haec autem repetit, vt intelligatur esse eadem visio, quae & capite primo, in quo pro facies cherub, ponitur facies bouis quia cherub habebat aliquam cum vultu bouis similitudinem. Omnes autem erant vultus humani, sed habentes aliquid aut aquilae, aut bouis. Haec ille: qui quamuis verum loci sensum, quem persecutus est Pradus, non sit assecutus, tamen in eo veritati fuit valde proximus, quod omnibus his Cherubinis humanam faciem tribuit, quam si libeat explicare, vocabimus formam, cum tota corporis dispositione, ac vultu hominem referrent: in qua quidem humana specie aliquid aquilae, hoc est, alae conspicerentur, aliquid leonis, nimirum iubae, & aliquid denique bouis, nimirum bifidi pedes, atque rotundi conspicerentur. Quae sane compositio tunc magis perspecta erit ac nota, cum eiusdem formae fuisse templi Cherubinos perspectum erit. Clarius porro alios quoque sequutus & ipse Rabbinos, somnia quaedam illorum more initio proponit (*Isid. Clarius litera G.*) Hic nominat, inquit, faciem cherub, quae alibi facies bouis dicitur, inde bouem cherub aliqui putant. Sed hoc receptius, quod cherub effigies sit facie infantili: facies autem hominis à cherub hoc distare putatur, quòd illa sit tenerior, haec viridior, quemadmodum viri ab infantibus specie discriminantur. Quidam dicunt quadrigam à longe conspectam, visam esse habere animal bouilla facie, quae tamen propius visa ostendebat puerilem effigiem. Egregia sane collatio, ac mira similitudo bouis, & pueri, quarum altera pro altera posset substitui. His tamen tamquam nulla veritatis specie cohonestatis reiectis, ad eam, quam ipse Clarius tenuisse sententiam videtur, veniamus. Similitudinem, inquit, hominis habent omnia, quòd ille sit fundamentum gloriae Dei. Quatuor facies insunt omnibus &c.

QVOD GLORIA DEI CHERVBINIS STIPATA,

quae olim vno templo continebatur, nunc totum repleat terrarum orbem.

Cap. XLII.

HAEC autem Cherubinorum dispositio, ac humana forma, tam est apud Prophetam nostrum perspicua, & à grauissimis Doctoribus explicata, vt mirari Doctores, ac sanioris iudicij viri merito possint, quid causae sit cur tamdiu in re manifesta, & optime a Prado explicata immoremur. sed veniam ab illis petimus, & illam certe dabunt, cum nouerint ignorationis telis ita oppeti huiusmodi sententiam, vt vix videatur admittenda, nisi semel ac saepius firmissimis muniatur rationibus, & omnium aduersantium machinae funditus ruant. Et quidem in hanc vnam huius loci partem omnes diriguntur incursus, qua contendimus monstra illa verborum de medio submouere, quae imperitum vulgus intulit, quae legerat, ac non plene perceperat, prima specie delusum. Pedes rectos ad quatuor partes moueri, coram facie sua ambulare, iuxta vocis sonum ita interpretantur, vt quatuor facies vni capiti affigant ad quatuor mundi partes: vt quoties animal ad quamlibet partem moueatur, conuersione non indigeat, sed faciem quamdam habeat ex ea parte, coram qua, & cuius oculorum ductu moueatur. (*MONSTRA de medio tollenda.*)

Verum hi, qui egena sequuntur elementa, ipsis quidem elementis, hoc est, literarum sono facile retinecentur. Quid, quaeso, causae est cur Propheta noster dixerit: *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis a sinistris ipsorum quatuor: & facies aquilae desuper ipsorum quatuor.* (*Ezech. 1. ỹ. 10.*) His quidem Prophetae verbis compulsi nonnulli, quaterna capita animalibus confingunt contra Prophetam, qui facies quaternas habuisse denotat, non capita. sed si capita disponant plura, longiora colla illis componant oportet quam par est, si cupiant bina a dextris, vnum à sinistris,

sinistris, quartum desuper disponere: qua ratione iam non coram facie sua ambulabit animal, cum in anteriorem, vel cum in posteriorem partem mouebitur, cum duplices facies sibi vendicauerit dextra, vt aliquam ex dictis partibus sine facie manere necesse sit, coram qua ambularet. Sed quem, quaeso, non moueat, quod in his tam friuolis argumentationibus, atque responsionibus audiendis, vel proponendis diutius immoremur? At Theodoreti testimonio, atque sensu suam putant firmari sententiam: verum, non multo post meridiana luce clarius me ostensurum esse profiteor, non magis huiusmodi Scriptores in percipienda Theodoreti sententia profecisse, quàm in Prophetae mente cognoscenda, cum nobiscum sentire Theodoretum perspectum sit, aut, vt verius dicam, nos cum Theodoreto, Hieronymo, atque alijs opinari.

Theodoret super Ezech. 1.

Sed prius ab hac vultuum, siue facierum dispositione oportet vt nos quàm breuissime expediamus, quod facillime, certissimaque via, methodoque fieri speramus, si illud compertum sit, quod firmissimis rationibus confirmauit Pradus, nosque multis Sanctorum virorum grauissimis testimonijs, Cherubinos ab Ezechiele visos eosdem fuisse cum ijs, qui in templo, & à Moyse, & a Salomone constructi fuerant: sic enim fiet, vt motu careant animalia, nec vllum maneat huiusmodi detrectatoribus effugium, cum, quo semel conuersas habuerint effecti Cherubini facies, eò semper respicere necessarium sit. Et quamuis eadem Pradi sententia multorum ex alijs Doctorum testimonijs confirmata sit satis superque, adhuc tamen eam amplius confirmare non grauabimur: quippe cui huius, quae aliquibus noua videtur opinio, & antiquissima est, tota incumbit moles, haud secus quam fundamento domus. Eucherius quidem, & Angelomus totidem plane verbis de Cherubinis templi sic scribunt: Cherubim, sicut Propheta Ezechiel aperte declarat, Angelicae dignitatis vocabulum est, numeroque singulari cherub dicitur, plurali Cherubim. Vnde aperte in figuris Cherubim, qui erant in oraculo facti, Angelica ministeria, quae Conditori suo in caelis semper assistunt, possunt intelligi. Id quod pluribus locis confirmat Sanctus Dionysius Areopagita; sed tum maxime cum huiusmodi formis, atque figuris caelestes illas distinctiones sacrae Literae tradant, honestissime formatas. qua de re cum agere statuisset, haec verba subiungit: Ne nos quoque vulgi errore seducti, passim existimemus caelestes, ac Diuina specie praeditos spiritus, multis pedibus, multisque esse faciebus, & siue ad boum stoliditatem, siue ad feritatem leonum esse formatos; seu ad aquilarum recuruis rostris effigiem, seu ad pilosam auium plumescentiam fictos: seu rotas quasdam igneas, & materiales sedes ad accubitum summae Diuinitati necessarias supra caelum imaginari stolide incipiamus, & cetera id genus, quae nobis euidenti, & expressa varietate signorum, sacratissime ficta traduntur. Quod si huiusmodi figuris Angelicae distinctiones exprimuntur, cum eaedem in templo cernantur expressae, haud dubium quin eisdem symbolis, atque imaginibus. Sed certe illud vnum argumentum, quod proposuit in hanc sententiam Pradus, maxime videtur expendendum, quo ostendit arcam testamenti Dei gloriam toties appellari in sacro Eloquio, vt sub hoc nomine ea sit intelligenda, quoties aliter sentire non cogimur.

Pradus comment. de prima visione par. 2. Sect. 4. & 5.

CHERVBINOS templi vidit Ezechiel

Eucherius & Angelomus in 3. Reg.

S. Dionys. Areop. de Caelesti. cap. 2.

GLORIA Domini dicitur arca

A Haec autem nostri Prophetae sententia locum quidem in quo exponendo laborant Doctores, planum faciet, si ei eiusdem, quem modo laudaui, Dionysij adiungatur expositio: locus autem Ezechielis sic habet: *Et assumpsit me spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnae: Benedicta gloria Domini de loco suo, & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnae*. Hunc vero locum mirifice exposuit saepe laudatus Dionysius, qui dum eminentissimas intelligentiae laudes nobis innotescere confirmat, haec verba subiungit: Namque (vt humano more dixerim) alij ex alijs spiritibus B aquarum voces imitantur, dum exclamant: Benedicta gloria Domini de loco suo: alij laudatissimam illam, & horroris, reuerentiaeque, ac sanctioris intelligentiae plenam clamantes emittunt vocem: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria illius. Haec Diuini Theologi verba sunt. quae si cum ipsis Ezechielis Prophetae conferantur, facile intelligemus, multiplices audiras à Propheta fuisse voces commotionis magnae, alarum, rotarum, qui cum tam vehementi sonitu quasi turbatus, quisnam hic sonitus esset, scire desideraret, audisse quidem caelestes illas virtutes dicentes: *Benedicta gloria Domini de loco suo*. Quae verba C non alium aptiorem videntur sensum admittere, quàm si roganti Prophetae, aut secum tacite cogitanti, quaenam haec esset magna commotio, cuius tam vehementem audiret sonitum, respondisse intelligantur: *Benedicta gloria Domini*, quae mouetur *de loco suo*. Et cum alarum sonitus, atque rotarum cum animalium nominibus, alijs eiusdem Prophetae locis, quibus de prima differit visione, sit communis; haec gloriae Dei commotio huius tantum loci propria non est, cum aliàs saepe eiusdem meminerit, quam retulit templum egressam in limine domus stetisse, iam in atrio, iterum in monte Oliuarum. Huius autem magnae commotionis, qua de templo egressa est gloria Domini, D iterum meminit illis verbis: *Et vidi visionem secundum speciem, quam videram, quando venit vt disperderet ciuitatem*. Itaque hanc Domini commotionem affirmat tunc accidisse, quando venit vt disperderet ciuitatem. Cui haud dissimile quid accidit, referente Iosepho, quando funditus iterum euersa fuit à Tito ciuitas: Festo autem die, inquit, quem Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes interiorem templum, more suo, ad Diuinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quemdamque strepitum senserunt: postea vero subitam vocem audiere, quae diceret: Migremus hinc. Neque ab his diuersa sunt comminantis, ac prophetantis Domini, ac parentis Prophetarum: *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus vestra de*E*serta*. hoc est, templum vestrum sine praesentia Dei, ac sine arca gloriae Dei.

Ezech. 3. ℣. 12. & 13.

S. Dionys. de Caelesti. c. 7.

ROGANTI Prophetae Angeli respondent.

Ezech. 10. & 11.

Ezech. 43. ℣. 3.

Ioseph. 7. belli. cap. 12.

Matth. 23. ℣ 38.

Lucae 13. ℣. 35.

Sed ad Dionysium reuertamur, qui hanc, quam modo retuli, visionem cum illa, quam ante proposui, contulisse videtur; siquidem in illa nulla fit mentio vocis aquarum, in hac vero maxime: *Et duxit me*, inquit, *ad portam, quae respiciebat ad viam Orientalem. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem & vox erat ei quasi vox aquarum multarum*. Vocem autem, quam gloriae Dei tribuit Propheta, astantibus Cherubinis tribuit Dionysius, quasi arbitratus gloriam Dei dici eos, qui ad glorificandum Deum throno gloriae Diuinae astabant. Quod vero ad

Ezech. 43. ℣. 1 & 2.

secun-

A secundam vocem Cherubinorum spectat, ad illam respexisse videtur Dionysius, quam retulit in Apocalypsi Ioannes, de huiusmodi Cherubinis sic loquens: *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*. Neque his absimiles sunt Seraphinorum apud Isaiam voces, ex quibus partem aliquam sumpserat Dionysius: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius*. Pro voce צבאות tsebaoth, quam Latinam reddit Hieronymus *exercituum*: haud dissimili notione Sanctus Ioannes vocem substituit, *omnipotens*: vni enim omnipotenti Deo astant Angelorum, caelestiumque virtutum exer- B citus omnes. Quod autem Isaias dixit: *Plena est omnis terra gloria eius*, velut ex Hebraeo vertunt nonnulli, Plenitudo terrae gloria eius: ac si aperte diceret, qui olim gloriam suam quasi intra priuatos parietes, in vno Hierosolymitano templo continuerat, vni insidens propitiatorio, nunc per Filium suum in mundum missum per totum terrarum orbem illam manifestabit, & maxime glorificabitur plenitudine terrae, hoc est, cum haud aliter, quàm caelum olim, ac semper, terram iam gloria sua compleuerit. Hoc autem quod Diuino afflatus Spiritu praedixerat Isaias, quasi opere completum cernens prophetice Ioannes, *Qui erat, qui est, & qui venturus est* scripsit: veluti contestans huius esse gloriam, quam olim Deo tribuerunt antiqui, nunc etiam tribuunt Sancti, & qui futuri sunt, tribuent, veluti gloria plenam terram ad cunctas referens temporum differentias.

Apoc. 4. ℣. 8.

Isa. 6. ℣. 3.

PLENA OMNIS terra gloria Domini, quomodo intelligendum.

Verum alicui fortasse videbimur aliunde petere velle ea, quae proprijs locis conspicua sunt. Perspecta enim inprimis esse poterit illorum Cherubinorum forma, qui in templo fuerant sculpti. Ac de Cherubinis arcae apte Beda, cum Eucherio, & Angelomo, qui eadem fere verba referunt huiusmodi. Moyses dum tabernaculum faceret, fecit & duos Cherubim aureos, quos posuit in propitiatorio, quod erat super arcam. Salomon au- D tem addidit alios duos maiores, quos in templo poneret, sub quorum alis arcam in medio poneret cum propitiatorio, & Cherubim prioribus: sicque factum est, vt in tabernaculo quidem essent Cherubim duo, in templo autem quatuor. Ad vnam vero, eamdemque significationem vtrique pertinent. Sed repetitum est opus auguste factum per Salomonem, vt typice doceretur, quia multiplicata per Incarnationem Dominicam Ecclesia, latius, gentibus esset sublimitas caeli ciuium pandenda. Haec illi: qui omnes affirmant vnum fuisse opus Cherubinorum, eiusdem plane vt significationis, ita & formae.

Beda de templo cap. 13. Angelomus & Eucherius in 3. Reg.

QVATVOR Cherubini in templo quare sint facti.

CHERVBINI TEMPLI, ET TABERNACVLI

eiusdem formae, & quadruplici facie fuerunt.

Cap. XLIII.

QVAMVIS, vt saepius adnotauimus, & quàmplurimis exemplis ostendimus, similitudinis ratio plurimum valeat in hoc aedificio templi, atque in singulis eius partibus: id tamen quod ad Cherubinos pertinet à Salomone constructos, non coniecturae praetermissum est, sed expresse definitum in historia Regum: *Decem quoque cubitorum erat*, inquit, *cherub secundus, in mensura pari: & opus vnum erat in duobus Cherubim*. Neque quidquam praeter mensuram, ac materiam licebit opinari diuer- C sum hos inter, atque illos Moysis: nam propterea datum fuisse legimus a Dauide Salomoni aurum purissimum. *Vt ex ipso fieret similitudo quadrigae Cherubim extendentium alas, & velantium arcam foederis Domini*. Et quadriga quidem non dissimilibus debuit constare Cherubinis. Hanc porro Cherubinorum similitudinem significare voluisse videtur Iosephus, qui de Moyse, & arca loquens: Operculo autem eius, inquit, impositae erant effigies duae, quas Hebraei Cherubes appellant: ea sunt animantia volucria noua specie, nec vnquam cuiquam hominum visa; quae Moyses in Dei solio vidisse se memorat figurata. Cumque tam mirabili exemplo factae fuisse legantur Cherubicae imagines, vt mutari à Salo- D mone non debuissent, quod vtique facere non auderet absque Dei monitu: tamen priorum similitudinem seruatam fuisse & in secundis Cherubinis, disertis verbis testari voluisse videtur Iosephus, de Salomonis fabricis scribens: Post haec in adyto, inquit, viginti cubitos quaqua versum patente dedicauit duos Cherubinos ex auro solido &c. hae Cherubicae effigies quarum specie fuerint, nemo vel conijcere potest, vel eloqui. Quod de illis dixerat, nec vnquam cuiquam hominum visa, hic de his affirmat, nemo vel conijcere potest, vel eloqui. Interim animantia ea vocat propter formam leonis, ac bouis; volucria propter quaternas singulorum alas: in humana specie fuisse manifeste indicat ipsum no- E men cherub, iuxta Rabbinorum interpretationem, Hoc idem Lyranus confirmat: Forma autem, inquit, arcae testamenti, & duorum Cherubim quos fecit Moyses, descripta fuit in Exodo: & ex hoc intelligi potest forma duorum Cherubim, quos fecit Salomon, quia eiusdem formae fuerunt, sed maiores. Quae omnia satis videntur firmis rationibus confirmata, atque testimonijs: eo potissimum, cui fidem habendam censet Theodoretus, qui, de Hin mensura Hebraeorum. Continet autem, inquit, vt ait Iosephus, duas choas Atticas: cui credendum est in eiusmodi rebus, vt probe cognoscenti gentis illius mensuras.

3. Reg. 6. ℣. 25.

EIVSDEM formae fuerunt Salomonis, & Moysis Cherubini.

1. Paral. 28. ℣. 18.

Ioseph. 3. antiq. c. 6.

Ioseph 8. antiq. cap. 2.

Nicolaus de Lyra super 3. Reg. 6.

FIDES IOsepho habenda, Theodoreto teste.

Theodoret. q. 64 in Exod.

Verum haec eadem alijs quoque argumentis ex sa-

ex sacris Literis, atque earum Interpretibus petitis magis, ac magis confirmare non grauabimur, vel propterea maxime, quòd hae ad loci, quem interpretamur, explanationem maxime conducant. Cherubinos non modo circa arcam, ac Dei sedem fuisse constitutos legimus, verum etiam ipsis parietibus templi adpactos, atque in portis, postibus, instrumentis templi formatos. *Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs caelaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas.* & iterum: *Et duo ostia*, inquit, *de lignis oliuarum: & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species.* Cherubinorum formam, quam hoc loco subtexuit Sacer Historicus, inferius exposuit cum de basibus aeneis loqueretur: *Et inter coronulas*, inquit, *& plectas, leones, & boues, & Cherubim.* Hanc autem, quae difficilis esse videtur phrasis, facilem esse cognoscemus, si literae vnius ו vau, vsum, & notionem Hebraeis communem exponamus: ea enim nostrae coniunctioni, &, plerumque respondet. Sed quoniam illa interpretatiue quoque solet vsurpari, fit vt nostra coniunctio, &, interpretatiue vsurpetur: cuius rei quoniam aliàs meminisse me recolo, vnum tantum, aut alterum exemplum subiungam. *Sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.* Offeram, inquam, Deo quasi sacrificium laudis: hoc est, nomen Domini inuocabo. Ac si aperte testetur laudabile Deo sacrificium esse Sancti nominis ipsius inuocationem. Cui haud dissimilis est illa altera Psalmi sententia: *Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in Domino.* Sacrificate iustum sacrificium, hoc est, sperate in Domino. His verbis indicans spem in Domino collocatam esse, hoc est Deo debitum, ac necessario reddendum sacrificium. Qua ratione loci huius sensum facile eruemus: *Leones* enim, inquit, *& boues* sculptos fuisse, &, hoc est, *Cherubim*: quòd enim humana forma, ac facie minime caruerint, non multo post idem sacer Historicus significauit: *Sculpsit quoque*, inquiens, *in tabulatis illis, quae erant ex aere, & in angulis Cherubim, & leones, & palmas quasi in similitudinem hominis stantis, vt non caelata, sed apposita per circuitum viderentur.* Quae verba ex Hebraeo sic conuertit Regius codex: Et aperuit super tabulas manuum eius, & super clausuras eius Cherubim, leones, & palmas secundum nuditatem viri, & copulationum circumquaque. Ceteris autem huius loci partibus in propria loca reiectis, quod ad praesens institutum facere maxime videtur, illud est, quod ad formam spectat Cherubinorum. Id autem duplici voce significare voluisse videtur: כמער איש cemaghar is. Priorem quidam propriam esse radicem putant cum Rabbi Ionatha, eaque significari & speluncam, & nuditatem, tamquam nuditatem viri, quam Pagninus apte exponit, quasi virum nudum. Alij quidem ad radicem reuocant ערה ghara, vel עור ghur, quae vtraque nudare significat. Ex quibus omnibus idem prorsus sensus elicitur, quem, quod a Rabbinorum inhonestis expositionibus abstinuerit Hieronymus, aptissime reddit, *In similitudinem hominis stantis.* Ex harum porro expositionum collatione multa possunt colligi, quae & locum illustrent, & falsas de re difficili sententias refellant.

PLVRIBVS templi locis Cherubim formati fuerunt.
3.Reg. 6. ℣. 29.
℣.32.
3.Reg 7. ℣. 29.
CONIVNctio, &, interpretatiue.
Psal. 115. ℣. 17.
Psal. 4. ℣. 6.
SPEM IN Deo ponere est iustum illi reddere sacrificium.
3.Reg. 7. ℣. 36.
HVMANA forma fuerunt Cherubini templi.
R. Ionathas.
Pagninus.

Primum ex notione secundae vocis איש is, illud statuendum censeo, Cherubinos neque puerili, neque foeminea forma fingendos esse. Vox enim haec primaria, ac propria significatione idem Hebraeis emphatice significat, quod Latinis vir à virtute. Quare quibusdam non displicet illorum sententia, qui à verbo יש is, deductam esse vocem putant, quod substantiuo Latinorum verbo respondet. quoniam essentia, siue existentia prior sit ipsa sua viragine, quique aetate, auctoritate, dignitate, gloria, praestantia, & existimatione non tantum foeminino generi, verum etiam vel iuuenibus, vel plebeis praestat, & ad res peragendas idoneus est. Quae omnia quasi vocis huius notionem explicaturus persequitur Beatus Dionysius, rationem reddens ob quam sacrae Literae virili forma caelestes substantias fingant: Humana quoque, inquit, illas forma describunt, quòd mente vigeant homines, videndique vires habeant ad superna tendentes, sublimique ore, & erecto sint statu, & per naturam ad imperandum, & regendum idonei. Cumque sensu, ac viribus, brutorum animalium comparatione, minimum valeant, praestante tamen virtute animi, ac rationabilis scientiae dominio, & quod anima naturaliter libera seruire, vincique non possit, omnia superant. Et post pauca subdit: Pubescentem vero, ac iuuenilem aetatem, vitalis virtutis constantiam sempiterne vigentem. Haec Diuinus ille Theologus.

CHERVBINI non foeminea, non puerili forma fuerunt, sed virili.
Ioannes Forsterus.
VIRI NOmen quomodo vsurpetur.
S. Dionys. Areop. de Caelest. cap. 15.

Ego vero nihil omnino ab hac sacri Historici dicendi ratione diuersum scripsisse putarem, Prophetam nostrum, cum de simili Cherubinorum forma scripsit: *Similitudo hominis in eis.* & iterum: *Pedes eorum, pedes recti.* id enim vno verbo dixit Historicus, *In similitudinem hominis stantis.* Atque vtramque complexus est dicendi rationem Auctor libri Paralipomenon, cum de Cherubinis templi loqueretur. *Ipsi autem*, inquit, *stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versae ad exteriorem domum.* Et certe hanc fuisse ipsissimam nostri Prophetae mentem confirmat Theodoretus, quem vnum ducem sectari profitentur, qui aduersum nos tragoedias excitant, vt propterea illis firma videri debeat eruditissimi viri sententia. Is enim verba Prophetae sic interpretatur: Formam igitur eorum, quae conspexit, rectam esse ait, & homini similem, & vnumquodque quadruplici facie, & quatuor alis praeditum: sed de multiplici facie iterum. Nunc enim alteram humanae similitudinis partem, quam dictio significauit Hebraea, persequamur oportet.

VARIA LOcorum sacrae Scripturae collatio.
Ezech 40. ℣. 5. & 7.
2. Paral. 3. ℣. 13.
Theodor. in Ezech. c. 40.

Nudam humanam speciem, hoc est, omni carentem vestimentorum ornatu fuisse indicant Hebraei. Quibus subscribere videtur Sanctus Dionysius Areopagita sic scribens: Quod autem nudi, aut discalceati describuntur, hoc signat, quòd liberi, & ab omni soluti & expediti, atque exterioris omnis adiectionis, labe sint puri, & ad Diuinae simplicitatis similitudinem pro viribus tendant. Haec Sanctus Doctor. Cumque nullibi aliàs, quod meminerim, nudi, ac discalceati describantur caelestes Spiritus, praeterquam in illis locis, in quibus alis dicuntur obtegisse corpora sua; superest vt de eisdem loquutum fuisse Dionysium intelligamus. Accedit quòd alati semper finguntur Sancti Angeli, cuius rationem paulo ante reddiderat laudatus Dionysius: Sed enim, inquit, alarum leuitas id in Sanctis Angelis indicat, quod terreni corporis sarcina liberi, toti absque vlla admistione, vel pondere ad celsa ferantur. Sed ad institutum reuersi notare nos decet, alis contegi Cherubinos honestatis ergo.

NVDOS fuisse Cherubinos, non vestibus contectos.
S. Dionys. Areop. de Caelest. cap. 15.
Ibidem.

Nam

Foret. Isa. 6.

B. Dionys.
S. Hieron.
Theodor.

A Nam Hebraea phrasis, quam exposuit apud Isaiam Forerius, per pedes, inferiorem totam corporis partem accipit, vt saepe in Scripturis obseruandum est. id quod adductis exemplis confirmauit Pradus. Atque hac eadem ratione exponendus est Dionysius, illumque sequuti, Hieronymus, Theodoretus, & si qui sunt alij, qui pennatos fuisse dicunt Cherubinorum pedes: nam si quales Poetae fingunt, aut Mercurij, aut Pegasi pedes intelligas, non quaternas, aut senas computarent in singulis alas, vt eas computat Sacer Textus, sed plures, quod est inconueniens, Sanctissimis, doctissimisque viris non adscribendum. Sed & Chaldaeus paraphrastes: Duabus, inquit, velabat vnusquisque faciem suam, vt non videret: & duabus velabat pedes suos, vt non videretur, & duabus ministrabat: In velata facie, inquit, quemmodo retuli, Forsterus Chaldaei explicaturus sententiam. In velata, inquam, facie reuerentiam tantae Maiestatis cogita, coniunctam tamen summo videndi, atque cognoscendi desiderio, quam volitatio illa supra Dominum designabat: reuerentia vero verecundiam quoque cognatam habet, quam in velatis pedibus intellige. Volitant ergo Beati Spiritus, & videre desiderant, neque aliud agunt, & in hoc toti sunt: quia tamen sibi opus esse vident, vt facies suas operiant ne opprimantur à gloria, corpus quoque suum operiunt ne videantur & ipsi. quonam enim pacto nudi apparerent coram eo, cuius splendores ipsi sustinere non possent? aut quid in se ipsis dignum admiratione, atque inspectione intelligent, qui Maiestatem illam intuentur?

ALATI pedes quare dicantur.

Forsterus. B

CAELESTIum Spirituum reuerentia. C

Quae quidem argumenta omnia pari ratione conuincunt, nudas has Cherubinorum imagines basibus lutherum appositas alis opertas fuisse, quibus addenda videtur ratio, quam honestatis, atque modestiae habuit summus Legislator Deus, dum ministraturis Sacerdotibus praecepit foeminalibus vti, & gradus in altari fieri prohibuit.

IMAGINVM honestas.

Est autem haec basibus lutherum propria ratio, D ne dum ad eas, carnes sacrificiorum purificaturi accederent Sacerdotes, ipsi mente polluerentur inhonestis perspectis, atque pudendis imaginum formis. Quod vtinam & nunc quoque in sanctioribus Christianorum Ecclesijs tanto studio, ac diligentia obseruaretur. Sed non est, opinor, cur in re manifesta diutius immoremur, cum alatos fuisse Cherubinos ipsum Cherubinorum nomen indicet, quod caelestium Spirituum est proprium, qui fere numquam non alati finguntur.

S. Greg. apud P. Patherium super 3. Reg. c. 5.

Leonis praeterea, & bouis facies expressit Sacer Textus, optime à Sanctissimo Gregorio explicatus. Sed quid est, inquit, quod in basibus nec leones sine bobus, nec boues sine leonibus fiunt? Quid enim aliud designant bases in tem- E plo, nisi Sacerdotes in Ecclesia? qui dum solicitudines regiminis tolerant, quasi more basium superimpositum onus portant. In basibus igitur Cherubim exprimuntur, quia decet nimirum, vt Sacerdotum pectora plenitudine scientiae sint referta. Per leones autem terror seueritatis, per boues vero patientia mansuetudinis figuratur. Itaque in basibus nec leones sine bobus, nec boues sine leonibus exprimuntur: quia semper in Sacerdotali pectore cum terrore seueritatis custodiri debet virtus mansuetudinis, vt iram mansuetudo condiat, & tandem mansuetudinem, ne fortasse dissoluta sit, zelus districtionis accendat.

SEVERITAS cum mansuetudine in Sacerdote requiritur.

A Quibus sane verbis eos, qui ad mores pertinent, vtiles sensus in ipsis firmissimis literae radicibus firmat, ac dum aliud quid agere videtur, id ipsum quod sacrae Scripturae Interpretem agere decet, primum agit, dum in vnam, eandemque Cherubinorum formam coaluisse significat leonum, ac boum species: quod nos infra cum de basibus agemus, ex ipsa Hebraea phrasi confirmare conabimur.

OMNES CHERVBINI TEMPLI QVATVOR *habuerunt facies.*

Cap. XLIV.

HANC tandem Cherubinorum formam, quam in basibus lutherum quadruplici facie expressam fuisse satis videtur esse confirmatum; quis non vi- C deat eandem esse cum illa, quam liber Paralipomenon in parietibus quoque templi caelatam fuisse confirmat? ait enim: *Et caelauit Cherubim in parietibus.* Id quod disertis verbis testatur historia Regum, illud subiungens, quod ad ornamentum omne percipiendum facere videbatur maxime: erant enim palmae sculptae cum Cherubinis. Adde his etiam, quod Cherubinorum quoque dispositionem, & formam significare voluisse videtur ipso contextu, & narrationis serie. Nam cum duos illos Cherubinos oraculi alis sese inuicem contingentes, atque aduersos praeterea parietes quasi ob D oculos posuisset: *Texit quoque*, inquit, *Cherubim auro. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs caelaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.* & iterum *Et sculpsit*, inquit, *Cherubim, & palmas, & caelaturas valde eminentes.* Quasi dicat, eiusdem mensurae, dispositionis, ac formae, qua facti fuerant bini illi Cherubini, quorum paulo ante meminerat. Hoc autem, quod haud leuis suadere poterat coniectura, testatum esse voluit Propheta noster dum ait: *Et fabrefacta Cherubim, & palmae & palma inter cherub & cherub, duasque facies habebat cherub. Faciem hominis iuxta palmam ex* E *hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu.* Neque quemquam mouere debet, quod hic binae facies referantur, alibi quaternae referuntur enim hic illae, quarum altera positu palmam respicit, altera à palma altera prospicitur, cum ex binis reliquis animantium formis altera vtramque palmam ex aequo prospiciat, altera neutram: vt mox ostendam, cum vniuersam Cherubinorum dispositionem, quam proposita imagine retuli, nunc ipso contextu probante confirmabo. Sed prius vnam, aut alteram ex ijs rationibus, quas antiqui Scriptores sancte, pieque excogitarunt, proponere libuit, & ex-

2. Paral. 3. ℣. 7.

IN PARIEtibus templi sculpti Cherubim.

3. Reg. 6. ℣. 28. & 29.

Ibid. ℣. 35.

Ezech. 41. ℣. 18. & 19.

& explicare, ne cuiquam nobis aduersi esse videantur Scriptores illi.

S. Hierony. lib. 12. Comment. in Ezech. 41.

BINAE tantum facies quare referantur.

Atque inprimis Sanctissimus audiendus est Hieronymus. Quod Cherub, inquit, nequaquam vt in principio huius Prophetae legimus, quatuor habebat facies, hominis scilicet, & leonis, & vituli, & aquilae, sed tantum duas, hoc est, hominis, & leonis, quorum primum ad rationem pertinet, seqnens ad furorem, qui significantius Graece θυμὸς appellatur. Furorem autem dicimus non eum, qui perturbationi, & vitio proximus est, sed qui mentis consolidat molliciem, & fortiorem facit animum dimicantis: in principio enim subiacemus concupiscentiae, quae refertur ad vitulum propter terrena opera, & alia sunt carnalia, alia spiritualia, quorum extremum aquilae deputatur. Cum autem intrauerimus Sancta Sanctorum, & interiora templi possederimus, nequaquam alia re indigemus, nisi ratione, atque fortitudine: quorum alterum ad sensum atque prudentiam, alterum refertur ad animi perseuerantiam. Haec Sanctus Doctor. qui cum rationem ex mystico sensu petitam proponat, illi satisfactum esse putamus, si rationem reddidisse opinemur, propter quam binas tantum hoc loco facies commemoret Propheta, qui initio quaternas commemorauerat. Ex qua vix liceat colligere binas tantum facies habuisse Cherubinos, quos nullus vnquam non alatos imaginabitur.

Propius ad hanc ipsam, quam exposui, rationem confirmandam accessit Rupertus, mysticos quoque sensus & ipse persecutus: is enim sculptas in fenestris, vel ad fenestras Cherubinorum imagines, ad Apostolorum Christi exprimendam praedicationem retulit: Ibi, inquit, Cherubim, & palmae, idest, quam in scriptis eorum quotidie scrutamur, multitudo scientiae, & quas in gestis eorum veneramur, non incruentae martyrij victoriae. Ibi facies hominis iuxta palmam ex hac parte, & facies leonis iuxta palmam ex alia parte: tota enim eorum doctrina haec duo nobis cathegorizat, quia qui primo aduentu suo venit nobis vt homo mansuetus, in multitudinem misericordiae, secundo aduentu venturus est tamquam leo terribilis, in magna iudicij fortitudine. Expressit optime relatis verbis Rupertus vtriusque enumeratae faciei rationem aequam. Sed quis, quaeso, cordatus credat Sacerdotij dignitatem cum Diuinitatis potentia coniunctam, vitulo, & aquila indicatam, vel ab Apostolis non commemoratam, vel à Christi humanitate, & iudiciaria potestate seiunctam? Quare sicut impium est alterum ab altero, ne cogitatione quidem, in Christo separare, ita pium est, menti, verbisque Prophetae maxime consentaneum, ne in ipsis quidem Cherubinis, quibus, vt dixi, duplex Christi natura cum duplici dignitate coniuncta significatur, quaternas facies ab inuicem seiungere. Sed vbique coniunctas, & maxime coniunctas fuisse opinari, praesertim cum imaginibus ipsum detur Cherubinorum nomen, quo animal illud volatile humana specie, vitulinis, atque leoninis spolijs ornatum, quod supra pluribus confirmatum est, indicetur.

Rupertus lib. in Ezech. cap. 26.

CHERVBIM & palmae Apostolorum scripta, & gesta.

Sed vt ad loci explanationem his praeiactis fundamentis propius accedamus, his, quae exposuimus, Prophetae verbis vniuersum Sancti Sanctorum apparatum explicari arbitramur, quem propria scenographia exprimendum curauimus, & inter templi ideas octauo loco supra posuimus: cuius hic est titulus: PROSPECTVS TESTVDINIS MVRORVM ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM, ATQVE ARCAE TESTAMENTI CVM CHERVBINIS. Quam imaginem bene perspectam, atque ob oculos lectori habendam esse monemus, dum haec legerit, si sine magno labore quae dicturi sumus, omnia ac singula percipere velit. In cuius ima parte pauimentum subiacet, quadratam oraculi aream referens, atque in eius medio arca testamenti cum Mosaicis Cherubinis sita est: hanc ex vtroque latere Aquilonari, & Australi cingunt duo alij Cherubini, quos denos cubitos altos, & tantundem expandentes alas è solida, perpetuaque materia, auroque illitos fieri curauit Salomon, atque ita disponi, vt dextri ala dextra Aquilonarem parietem tangeret, sinistra vero eiusdem Cherubini ala dextram alam in media contingeret domo eius Cherubini, qui à sinistra parte arcae constituebatur: huius porro ala sinistra Meridianum tangeret parietem, dextra, vt dixi, proximi sinistram. Id quod in libris Regum, & Paralipomenon disertis verbis testatum habetur. Circumstant porro hoc pauimentum quaterni circumquaque parietes, quorum singuli aeque alti sunt ac lati, vicenos cubitos, atque adeo ipsi pauimento omnino pares. Sed quoniam quaterni parietes cum pauimento, ac tecto vix, ac ne vix quidem vna possunt visione simul percipi, atque adeo ne vna quidem imagine depingi, Orientalem parietem sustulimus: cuius ratio quoque reddenda nobis est, quae facile ex ijs, quae de alijs parietibus dicenda sunt, perspecta esse lectori poterit. In quatuor igitur angulis huius sanctissimae domus quatuor erexit ab imo veluti nascentes palmas, & vsque ad summos parietes euexit: in tribus etiam, quos vides in imagine, parietibus medias quoque posuit angularibus similes palmarum plantas, in Orientali vero pariete, quem porta diuidit inferior, per quam ad Sanctuarium patet aditus, palmam quoque posuisse credendum est, non quidem ad imum pauimentum pertinentem, sed ad summam oraculi portam: & inde vsque ad summam celsitudinem parietum. Ex quo mox liquet octonis praedictis palmis in totidem aequas partes parietes Sanctuarij partiri, denos singulas latas cubitos, si ipsarum quoque palmarum crassitudinem comprehendas, vicenos omnes altas, quanta fuit, vt dixi, parietum, ac domus recta celsitudo. Iam in his quidem alternis parietum partibus figuras licuit Cherubinorum affingere, forma quidem, dispositione, ac magnitudine duobus illis Salomonicis, quos dixi, Cherubinis omnino similes, ac pares. Quod satis aperte colligit ex textu Cardinalis Vgo, qui dum illa huius textus verba exponit: *Expressam per omnem domum in circuitu*: *Per omnem domum*, inquit, idest, per omnem partem domus, scilicet Orientalem, Occidentalem, Aquilonarem, & Australem. Quod autem & in medijs parietibus, & in angulis domus constituendae sint palmae, & inter eas Cherubim, idem confirmat laudatus Vgo: *Palma erat*, inquit, *inter Cherub & Cherub*, similiter intelligendum est, quòd vnum Cherub erat inter duas palmas.

Scenographia habetur ante lib. 3. huius partis.

SCENOGRAPHIA iterum explicatur.

PARIETES Sanctuarij palmis intersectis in binas singuli partes diuiduntur.

Vgo Cardinalis super Ezech.

PALMA quoque erat inter duos Cherubinos

S. Hieronymus.

Id quod non coniectura tantum, sed ipso contextu confirmari putat doctissimus Hieronymus: Quae palmae erant, inquit, inter Cherub & Cherub, vt vnum Cherub duarum palmarum lateribus vallaretur. Haec Sanctus Doctor. Neque enim aliter possunt stare Prophetae verba, quibus confirmat vniuscuiusque Cherubini faciem hominis, palmam respexisse ex hac parte, eiusdem vero faciem leonis, palmam respexisse ex alia parte, nisi in medio duarum palmarum quilibet constituatur Cherubinus, vt apparet in imagine.

In vniuscuiusque praeterea parietis medio palma vna statuitur, & circa illam Cherubini duo, quod disertis plane verbis testatum est à Propheta: *Et palma inter Cherub & Cherub*. ac si aperte diceret, in quolibet pariete Sanctuarij duo erant insculpti Cherubini, & in eorum medio, atque adeo in medio pariete palma vna erigebatur: nam Cherubini aeque distant a medio, quod in Occidentalibus cuilibet esse poterit perspectum. Nam ex aduerso respondent binis illis Salomonicis, quos aeque distare à muris, & à medio Sanctuario demonstrat par omnium interiacens alarum mensura quinque cubitorum, quod in ipsa idea licet contueri. Ex quo mox licet conijcere, eiusdem plane magnitudinis hos, atque illos fuisse, tum argumento similitudinis, & symmetriae, quod firmum in hoc aedificio esse saepius ostendimus: tum vero maxime propter parem loci distantiam; diuiso namque bifariam pariete viginti cubitorum, duplex eius medietas denum cubitorum, binis fuit complenda Cherubinorum figuris. Quae sane ratio conuincit eiusdem quoque formae hos, atque illos Cherubinos fuisse, quadruplici nimirum facie praeditos.

BINI SINguli Cherubini aeque distant a medijs parietibus, & ab angulis.

Faciem autem appello, quam Pradus exposuit, quamque innuunt Hebraea, quae sic habent: ושנים פנים לכרוב ופני אדם אל התימרה vsenaijm panim lacerub vpene adam el hathimrah. Duaeque facies Cherub, & facies hominis ad palmam hinc, & facies catuli ad palmam inde.

Pradus Comment. de prima visi. part. 1. Sect. 2.

Et certe vniuersa fere, quae de Cherubinis suboriri posset difficultas, ex vocis פנים panim notione videtur pendere quae cum multiplex sit apud Hebraeos, si ad vnam Latinae vocis, facies, vel vultus contrahatur, inexplicabiles pariet quaestiones, innumerisque sacrae Scripturae locis propriam auferet lucem, atque intelligentiam: vox enim à verbo aspiciendi deducitur, vt propterea id omne significet, quod aspectui patet, vel proprie vt in facie domus, vel terrae; vel metaphorice, vt in facie Reipublicae. Qua ratione exponi solet illud Psalmi: *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui*, vncti à te Messiae, hoc est, floridam regni eius faciem. Et in Prouerbijs: *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* hoc est, haud secus quàm ferrum acuitur ferro, hoc est, ex hebete fit acutum; sic hominis externi mores, vitae conuersatio, & studia, quae facie significantur, hominis consuetudine, amicitia, & consilijs immutantur. Id quod phrasis significanter diceret Hispana, Parece otro despues que trata con aquel amigo. hoc est, iam sibipsi similis non est, ex quo amici consuetudine in alterum mutatus est. Sic mulier Tecuitis ad Dauidem, in Hebraeo, & Chaldaeo, Vt verterem faciem verbi: *Vt verterem figuram sermonis huius.*

VOCIS FAcies multiplex notio.

Psal. 131. ℣. 10.

Prouerb. 27. ℣. 18.

FACIES Christi quae dicatur.

2. Reg. 14. ℣. 20.

Significat praeterea vox haec id etiam, quod Graecis πρόσωπον, non solum faciem, seu aspectum, verum etiam personam, hoc est, vniuersum habitum & dispositionem personae. Sic in Leuitico: *Honora personam senis*, hoc est, senem. & iterum: *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Aliqui conuertunt: Non eleues personam exhausti, neque honorifices personam magnifici. *Sed iuste iudica proximo tuo*. hoc est, iuste iudica, nulla habita ratione status, conditionis, aut fortunae eorum, pro quibus, aut aduersum quos ius dicendum est. Quibus omnibus locis haec vox habetur, quam exponimus, vt constare facile possit non ad vultus tantum referendam esse Cherubinorum, cum possit, & debeat ad totam corporis compositionem, & ad habitum referri.

Leuiti. 19. ℣. 32. & 35. Forsterus.

ACCEPTIO personarum inhibetur.

CHERVBINORVM TEMPLI FORMA, *dispositio, numerus.*

Cap. XLV.

SVNT quidem omnes Cherubini templi virili forma, quaternis praediti aquilinis alis, quorum dorsa leoninis vestiuntur iubis, pedes vitulinis calceantur vngulis. Quorum humani vultus, & capita non monstruosis multiplicantur, vel deturpantur bestiarum aspectibus, sed omni sunt decore, ac pulchritudine insignes. Et hoc est quod primum insinuat Vates. *Facies*, inquit, *hominis iuxta palmam ex hac parte*. Septuaginta interpretes in Regio codice: Facies hominis ad palmam hinc, & faciem hominis ad palmam inde. In Sixtiano: Faciem hominis ad palmam hinc & hinc, & facies leonis ad palmam inde & inde. Quae vtraque lectio Vulgatae sensum explicat, ac si aperte dicat, humani vtriusque Cherubini vultus mediam palmam respiciunt leonina eorundem dorsa angulares prospectant palmas; alis vero, quas vocari diximus aquilinas facies, vterque Cherubinus vtramque palmam contingit, quae illi proxima est: plantis vero pedum, quas bouis faciem appellauit, pauimentum potius inferius, quàm laterales palmas prospectant, vt propterea binas tantummodo facies, hominis, inquam, atque leonis, commemorauerit, quòd eae ad dispositionem Cherubinorum explicandam, vt vidimus, conducerent, quam potissimum hoc loco explicare decreue-

FACIES hominis omni decore, ac pulchritudine insignis.

QVARE duas tantum commemoret Propheta facies

creuerat, alias duas silentio praetermiserit, quas A late initio suae prophetiae discusserat.

Id autem quod dixi leonina facie potius contectum, fuisse Cherubinum, quàm praeditum, indicari videtur ipsa notione vocis, qua hoc loco vsus est Propheta, pro communi nomine אריה arieh, quo leonem significant Hebraei, & quo vsus est Propheta noster, cum leoninam faciem alias significauit. Hoc autem loco voce כפיר cephir, vsus est, qua leunculum, seu catulum leonis significare solent. Deducitur tamen ea vox à verbo כפר caphar, quod tegere significat, operire, abscondere, oblinire, occludere. Ex quo quidem verbo vox deducitur כפרת chephora, qua propitiatorium appellant Litterae sacrae, B sic dictum quòd tegumentum, tectorium, operculum esset, quo arca operiebatur. Hoc autem propitiatorium ita erat cum Cherubinis connexum atque compactum, vt plerumque ipsi Chebim nomine chephora indicarentur, sicut è contra nomine Cherubinorum ipsum propitiatorium, quòd alibi ostendemus oportunius. Illud vero, quod huius loci proprium esse videtur, est quòd nomen כפיר chephir ex hac radice deductum, leunculum significat, aut catulum non valde paruum; sed eum, qui quamuis viribus polleat, & iusta membrorum, ac corporis magnitudine, quòd nondum praedae sit assuetus, adhuc antra quaerat, & latibula. Hanc vocis notionem respe- C xisse videtur Psaltes: *Susceperunt me*, inquit, *sicut leo paratus ad praedam*, praedae assuetus, & inhians. *& sicut catulus leonis habitans in abditis*: qui fame cogitur praedam inquirere, & quo auidius, eo ferocius illam insequitur. Verum si vim originis attendamus, sic dictum leonem fortasse licebit opinari, quòd excrescentibus iubis contectus sit armos, & terga. quare faciem chephir, vel aspectum operimenti leonini indicare nobis poterit praesens phrasis, cum terga Cherubinorum ad alterutram angularem palmam conuersa iubis contegerentur, haud secus quàm leonina. Quae, quod ad formam Cherubinorum explicandam pertinent, iam satis esse videbuntur: nisi & alicui D fortasse satis superque videantur.

LEONIS vel catuli vox ab operiendo dicta.

Psal. 16. ℣. 14.

Silentio tamen praetermittenda non est Chaldaea paraphrasis, quae etiamsi in hunc eundem sensum consentire videatur, tamen nescio quid praeterea innuit, quod lucem aliquam afferre posse videatur, & huic, & alijs locis, qui deinceps sunt explicandi: id quod vix praestare posse videatur, nisi & ipsa paraphrasis prius, illustretur, quae sic habet: Et sculpsit Cherubim, & capitella, & capitellum inter Cherub & Cherub, & duas facies habebat Cherub. Facies hominis erat facta ex vna parte capitelli, & facies leonis facta ex altera parte capitelli: sculptae super totam domum per circuitum. Quae quidem paraphrasis duo nobis innuit: Alterum palmas E dici posse huius aedificij parastades, siue pilas adpactas, vel semicolumnas, quarum capitella ad modum palmarum insculpta erant. atque adeo Cherubinos ita dispositos fuisse, vt singuli inter duas parastades constituerentur, & singulae parastades inter duos Cherubinos. Alterum & huius paraphrasis proprium est, quod & ipsa Chaldaica lectio magis videtur indicare praeter Cherubinos inter capitella, vel parastades, insculptos, in ipsis quoque capitellis faciem hominis insculptam ex altera capitelli parte fuisse, ex altera vero faciem leonis, quod qua ratione factum fuisse arbitremur, infra indicabimus, apposita imagine capitelli cuiusdam, quod mirae antiquitatis, & suae eruditionis monumentum asseruat in suo titulo illustrissimus, doctissimusque Cardinalis Baronius.

PARASTADES palmae dicuntur propter capitella, palmis exornata.

Quod vero ad alteram partem spectat sententiae Chaldaei in Sancto Sanctorum, cuius hic potissimum fit mentio, nihil me mouet, cum ipsa Sanctuarij altitudo minime permittat parastades, quibus epistilium imponendum esset, zophorus, & corona debitae, proportioni altitudinis. At in Sancto, in quo duorum cubitorum parastades pro foribus Sanctuarij ab Angelo dimetiuntur, cuiusque altitudo triginta cubitorum non admittit, sed exigit coronae ornamentum, parastades pro palmis apponimus, reliquis totius aedificij positu respondentes: quas videlicet radices lineae, quarum saepe meminimus, locis proprijs constituunt, vt in vestigio domus vides. Hinc fit vt Aquilonaris murus cum Meridiano in tres aequas partes diuidatur, quarum partium summum fenestrae, imum Cherubim reliquis Sanctuarij magnitudine pares, forma ac positu similes occupent. Orientalem vero parietem, & Occidentalem, etiamsi vtrumque portis impeditum, licuit quoque binis vtrimque exornare Cherubinis, qui quamuis alas expandere, vt cereri, minime possent, eisdem tamen vel sursum eleuatis, vel circa pectora demissis, venustatem ac dignitatem domui afferrent non mediocrem. Ex quo mox liquet, duodenum colligere Cherubinorum numerum, tum eorum, qui in Sancto pro foribus oraculi parietibus erant adpacti, tum vero maxime eorum, qui in ipso Sanctuario, & parietibus erant affixi, & in media aula circa arcam, Deique sedem, illius maiestatem astabant veneraturi. Quem quidem fere caelestem, visibilemque apparatum inuisibilis gloriae Dei aptissimum symbolum respexit fortasse Ioannes Euangelista sanctissimus, cum circa sedem Dei viginti quatuor Seniores, sic dictos quod ab exordio temporum, ex quo sub aliqua sensibili forma Dei inuisibilis sedes hominibus ostensa fuit, Diuinae astarent maiestati: & animalia quatuor, quorum exuuijs seniores hi condecorarentur, contemplatus pariter admirabatur, quorumque formam, in prima huius apparatus facie nos deformari curauimus.

FORMA Sancti construitur.

DVODENARIUS Cherubinorum numerus.

VIGINTI quatuor Seniores Apocalypsis totidem Cherubinos templi respiciebant.

Sed quae diximus de Cherubinorum, atque palmarum dispositione, ipsa contextus explicatione confirmanda sunt. Et in primis Rabbi Salomon audiendus est, qui hos versus paraphrastice exponit, nec inepte. Illud vero quod paulo ante exposuimus: *Intrinsecus, & forinsecus ad mensuram*. Sic explicat: *Intrinsecus* in domo Sancti Sanctorum, & *forinsecus* in templo, id est, in Sancto, *ad mensuram* erat cooperta magnis tabulis ad mensuram. *Et fabrefacta Cherubim, & palmae* idest, lignum illud cedrinum erat insculptum imagine Cherubim, & palmarum. *Duasque facies habebat Cherub*, vna erat facies leonis, & altera erat facies hominis: haec vertebatur ad illam, illa vero ad aliam partes, vel illa vertebatur hinc, & illa inde. Et quando erat palma inter Cherub & Cherub, erat facies leonis illi ex hac, & facies hominis ex alia parte, sicut dicitur in textu. *Expressam per omnem domum*. idest, per omnem domum Sancti Sanctorum. *In pariete templi*, vel & parietis templi. idest, sic etiam erat in pariete templi. Haec ille, cum quo maxime conuenit Rabbi

CHERVBIM expressi in parietibus templi & oraculi.

Dauid.

R. David. Dauid. *Et vsque ad domum*, inquit, *interiorem, & forinsecus*. quasi dicat, & extra illam. Quae vtraque interpretatio si ad superius numeratas fenestras referatur, minus esse videtur propter allatas rationes apta: si vero cum sequentibus coniungatur, & sermo esse intelligatur de Cherubinis templi, & palmis, satis videtur esse conueniens, vt dixi. *Per omnem parietem in circuitu intrinsecus*: idest, in domo interiore, quae est aditus templi, & in domo exteriori, quod est ipsum הֵיכָל hahecal, templum. *Ad mensuram*. Idest, cuiuscumque harum rerum seorsum vidit proprias mensuras notas, quarum omnium non facit mentionem in particulari, sed pleraque enumerat. *Et fabrefacta Cherubim, & palmae*. Idest, paries erat insculptus Cherubim, & palmis, sicut erat in templo Salomonis. תמרים timorim, palmae: iam dixi eas esse palmarum figuras. *Duasque facies habebat cherub* sicuti subiungit, faciem hominis, & faciem leonis. *Faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte*. Idest, cherub versus erat ad duo latera: facies hominis erat ex ista parte, & facies leonis ex alia parte: ad palmam vero, quae erat inter cherub & cherub, vertebatur facies hominis illius cherub, qui erat ex altero latere. Si ad varias locorum dispositiones respexisset Rabbinus hic, varias quoque agnouisset Cherubinorum ad palmas conuersiones: nam cum omnes Cherubini sedentem super propitiatorio prospiciant, aliter disponendi fuissent ij, qui in Sanctuario, & aliter ij, qui in Sancto, vel domo exteriore, de quorum Australibus, atque Meridianis Cherubinis intelligenda esse, quae Rabbinus dixit, manifestum est, qui in anteriorem partem prospicientes, humanas facies omnes vertant ad palmas anteriores: leonina porro terga ad exteriores, atque adeo leoninae facies anteriorum conuertantur ad humanas facies posteriorum, vt cuilibet vestigium domus intuenti poterit esse perspectum, si circa eam ordine dispositos consideret Cherubinos.

OMNES Cherubini sedentem super propitiatorio respiciunt.

De terra vsque ad superiora portae Cherubim & palmae caelatae erant. Idest, figurae istae, inquit, erant in parietibus à terra vsque ad superiora. Quod vero dicit: *vsque ad superiora portae*, hoc est in Orientali pariete, in quo erat porta; in porta enim non erant sculpturae, in postibus, & in liminari, dicit autem quòd erant supra portam. Totus ex aduerso pugnare videtur cum textu Rabbinus, hic enim interiorem templi partem, quippe terrae, vel inferiori pauimento coniunctam, Cherubinis ornatam fuisse demonstrat, eius celsitudinem quoque definit vsque ad superiora portae: vel vt habent Hebraea פתח hapetach, quam vocem supra ostendimus significare aperturam, seu lumen portae. Et sensus est, quantum lumen portae erigitur, tantumdem in muris templi, & oraculi ascendit sculptura Cherubinorum, & palmarum. Sermonem autem fieri arbitramur de prima, praecipuaque porta, qua introitus patebat in templum; quam latam fuisse ostendimus cubitos decem, altam viginti: ac tanta dicitur esse parietum altitudo, Cherubinis ornata, & palmis. Septuaginta vero Interpretes: A pauimento legunt vsque ad laquare, vel vsque ad laquearia, vt apud Sanctum Hieronymum, quod idem est. & illud indicare voluisse videntur Septuaginta interpre-

QVANTVM Orientalis porta exigebatur, tantum sculptis Cherubinis ac palmis exornabatur.

A tes, quod verum est ac certum, tantum à terra suspendi laquearia adyti, quantum erigitur Orientalis porta aulae, nimirum cubitos viginti: quae tota parietum celsitudo sculptis Cherubinis, ac palmis exornabatur. Atque vt de parietibus adyti sermonem hactenus factum fuisse intelligeretur, subiungit, *In pariete templi*. Hebraice וקיר ההיכל vecfur hahecal, & in pariete Sancti: cuius proprium nomen esse hecal, supra ostendimus, quod templum conuerti solet a Sancto Hieronymo.

ALTITVDO parietum adyti quanta, & Orientalis portae.

R. David. Rabbi vero Dauid & hanc eandem agnouit sententiam, & nescius rationem attulit, qua id iure fecisse crederetur: *In pariete templi*, inquit, B vel paries templi, idest, sic etiam erant parieti templi. Ego vero valde miror, cur hoc dixerit: iam enim superius dixerat figuras fuisse expressas per omnem domum in circuitu: idque propterea forte factum est, quia quando dicit domum, intelligit tantum de Sancto Sanctorum, deinde vero dicit *in pariete templi*. Sed quando dicit per omnem domum, intelligit totam vniuersaliter, atque adeo non fuit opus repetere in particulari. Vel me tacente animaduertet Lector, an sentiendum sit cum impio Rabbino, qui ipsum Prophetam quodammodo insimulare videtur, quasi superuacanea vsum repetitione, ne oculos aperiat luci, quam ipse quoque C potuisset aspicere.

RABBINI minime audiendi.

Sed de Cherubinis haec sint satis. agendum hoc loco superesse videbatur, quod ad reliqua spectat ornamenta domus: nam cum palmarum plantae, tum Cherubinorum imagines, vniuersam parietum superficiem minime contegebant, reliqua aliquo alio ornamenti genere operiebatur. Id quod examinandum videbatur, atque adeo superficies ab hoc loco minime alienum, & scitu iucundum: tamen ad mensuras prius examinandas nos vocat contextus; easque primum prosequemur, cum praesertim infra locus opportunior sese offeret, vbi de ornamentis omnibus apte differendum erit.

D

DE PORTARVM ANTEPAGMENTIS,

& de epistilijs templi.

E

Cap. XLVI.

LIMEN *quadrangulum*. His verbis mensura nobis traditur ornamentorum portae, & epistiliorum vniuersi aedificij, quamuis dicendi modus difficilis esse videatur, vt vix vnus Interpres alteri subscribat. Rabbi Salomon: Ego audiui, inquit, in aedificio Salomonis limen quadrangulum esse, qua postes erant ex vtroque XXI

R. Salomon.

latere,

fatere, capitellum autem erat infra limen superius. Ego vero dico, quòd postes ipsi erant quadrati. Tria innuit Rabbinus hic, quae vel non plene percepit, vel explicare nesciuit. Primum est, aliquid his verbis innui, quod in Salomonis templo fuerit: id quod ita certum esse debet atque exploratum, vt vix quidquam lucis huic loco obscuro afferri posse videatur, nisi cum alio coniungatur ex historia Regum, quem mox exponemus. Alterum quod proponit Rabbinus, spectat ad dispositionem capitellorum, parastadum, & columnarum templi, & huius liminis; cuius nunc meminit Propheta. Quae duo ita sunt inuicem connexa, vt vix certa ratio, & mensura trabium templi haberi possit, vel epistiliorum, nisi hoc loco limen cum capitellis positu conferatur, & sibi mutuo respondere probetur, quod qua ratione fiat, post pauca ostendam. Tandem quod de quadrangula liminis forma tradit Propheta, ad mensuram liminis pertinere statim indicabo.

QVOD HIC locus obscure proponit, explicat historia Regum.

Sed & Rabbi Dauid audiendus est, qui & ipse aliquam dabit occasionem loci huius difficillimi facilius percipiendi: *Limen*, inquit, *quadrangulum*, vel templi limen quadrangulum. Id est, limen portae templi quadratum erat, ad differentiam eorum, qui faciunt limina rotunda. Ionathas autem exponit templum, cuius limina erant quadrata. Dicit autem מזוזת mezuzeth, limen generice, cum de ambobus liminibus loquatur. Is autem, quem retulit, Chaldaeus paraphrastes sic in Regio codice refertur: Templi autem limina quadrata.

Rabbi Dauid in comment.

PORTA templi quadrata, non fornicata.

Verum vtrumque portae limen, seu postem Hebraica voce, eiusque vsu significari indicant loci sacrae Scripturae non contemnendi. In Exodo: *Sument*, inquit, *de sanguine eius agni, ac ponent super vtrumque postem* על שתי המזוזת ghal sethe hamezuzoth, super duobus postibus, *& in superliminaribus*. & iterum: *Et aspergite ex eo superliminare* ואל שתי המזוזת vehal sethe hamezuzoth, *& vtrumque postem*. De vtroque autem sermo est in Prouerbijs, quamuis vox quae vtrumque indicat, minime addatur: *Beatus homo*, inquit Sapientia, *qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostÿ mei*. Cui loco si lucis aliquid afferamus, & huic quem exponimus, non modicam afferri speramus. Illum autem ex Hebraeo sic vertit Regius codex: Beatitudines hominis audientis mihi. quasi dicat, foelicem illum ac vere Beatum, cuius auribus contigit sonitum excipere vocis meae. Sed foeliciores multo qui ita audiunt, vt intelligant, & ita intelligunt, vt opere compleant. Cui consonat vera Sapientia Christus: *Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestrae, quia audiunt*. Locutus autem fuerat de illis Pharisaeis, qui audientes non intelligebant. *Et qui vigilat*. לשקד liskod, vigilando super fores meas. Est autem verbum שקד sakad, notione maxime patens: denotat enim vigilare, perdurare, persistere, intentum esse ad rem aliquam, aduigilare, vigilanter attendere, alacritatem & propensum animum ad aliquid denotat. Vt in Psalmo: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra* שקד sacad, vigilauit custos, *vigilat* omni solicitudine, & animi conatu custodiae incumbit, *qui custodit eam*. Ex duplici vigiliae tempore, quod hac voce indicatur, duplex quoque solicitudo eodem verbo indicatur. Vigilia enim fit aut noctis initio, cum quis diurno labo-

Exo. 12. ℣. 7. & 22.

Prouer. 8. ℣. 34.

QVI SINT foelices existimandi.

Matth. 8. ℣. 16.

Psal. 126. ℣. 1.

VIGILIA duplex.

A re non contentus, opus suum in longam noctem protrahit, qua ratione perseuerantem animi conatum indicat hoc verbum. In qua quidem acceptione vsurpari videtur à Christo cum saepe hortatur discipulos suos vt vigilent: *Vigilate quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*. Est autem aliud vigiliae tempus matutinum, quando summo mane quis surgit, & quasi praeoccupat diem, ac tempus laborandi. Ex notione deducitur vox שקד faked, amygdalum significans arborem, quae prima floret: vocum eleganti vsus est allusione apud Hieremiam Dominus: *Quid tu vides Ieremia? Virgam* שקד sached, *vigilantem*, amygdalinam, si liceret formare

B verbum, manicantem diceret, mane surgentem, vel euigilantem: *ego video*. *Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbum meum, vt faciam illud*. Quo loco omnes verbi notiones respexisse videtur Dominus, vt vigilare significet, intentum esse, solicitum, & sine vlla protracta mora completurum opere, quod ore semel enuntiauerit. Nunc, vt ad institutam reuertamur Prouerbij explanationem, sumpta videtur vti Sapientia metaphora ab illo, qui ope, auxilio, consilioue alicuius se maxime indigere arbitratus, summo mane eius adit aedes, ad quas perseuerat expectans, donec aperiantur

C tempore oportuno: & hoc est, quod significatur priori illa orationis parte: *Qui vigilat ad fores meas quotidie*, quod ad solicitudinem spectat. Sed & perseuerantem adhibendam curam, nullaque difficultate, molestia, aut iniuria ab incepto sapientiae studio dimonendum esse eius asseclam indicant sequentia verba: *Et obseruat* alijs ingredientibus, egredientibus alijs, nec se vocantibus, *ad postes*, nunc ad dextrum, nunc vero ad sinistrum *ostÿ mei*. quam postium obseruationem non dissimili vsus dicendi ratione significauit Ecclesiasticus: *Si videris*, inquit, *sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus*. Sed ad vocis notionem reuertamur, qua, ni fallor, satis clare demonstratum

D est, postem portae significari, vel alterutrum, vel vtrumque. Hoc autem loco vtrumque significari praeter Rabbini, quam attulimus, auctoritatem, confirmat linguae vsus, & ipsa phrasis indefinita, quae raro alterum, plerumque vtrumque, ea voce sic sumpta solet significare.

Praeter id autem, quod diximus, duo alia nobis innuit sermo Hebraeus, quae non ita sunt perspicua sermone Latino: primum est, de cuius portae postibus loquatur hic textus ההיכל מזוזת רבעה hahecal mezuzath rebugha, templi, vel aulae Sanctae postis, subaudi, vterque: sic enim Chaldaeus vertit: Templi autem limina quadrata. Huius autem loci quasi commentarium fecisse vide-

E tur historia Regum, quae sic habet. וכן עשה לפתח ההיכל מזוזת עצי שמן מאת רבעית vechan ghasah lephetha hahecal mezuzoth ghatse semen meet rebighit: & sic fecit ostio templi postes lignis oleagineis ex quarta. Chaldaeus: Et sic fecit portae templi superliminaria è lignis oleae quadrilatera. Qui locus praeter illud vnum quod addit, nimirum postium portae ornamenta fuisse lignea, non ob aliam certe causam, quàm vt crustrae aureae clauis possent ligno affigi: ea omnia amplectitur, quae ab Ezechiele indicantur, & exponit illud vltimum verbum, quod *quadrangulum* vertit Vulgatus. Et sensus est, postem vtrumque portae latum fuisse quarta parte latitudinis portae

Matth. 24. ℣. 42.

Ierem. 1. ℣. 11. & 12.

VIRGAM vigilantem.

QVA RAtione Sapientia inuestiganda sit.

Ecclesiasti. 6. ℣. 36.

POSTES portae aulae sanctae sic dimetiuntur.

3. Reg. 6. ℣. 33.

MENSVRA antepagmentorum.

vnumquodque octaua, quae cum lata sit cubitos decem, postis vterque latus erit cubitos duos cum dimidio, altet vero cubitum vnum cum quarta parte cubiti. Et haec ad mensuram antepagmentorum pertinent.

Non est autem praetermittenda Vulgatae editionis lectio, quae & ipsa totius ostij, hoc est, luminis portae formam definit fuisse quadrangularem, hoc est, rectis angulis. Nec dissimili vsus est dicendi ratione eadem historia Regum, cum domus saltus Libani mensuras persequeretur, & formam. Nam vbi nos legimus: *Et super columnas quadrangulata ligna in cunctis aequalia.* Hebraea sic leguntur: וכל הפתחים והמזוזות רבעים vecal hapethachim veha mezuzoth rebughim: Et omnia ostia, & postes quadrati. Id quòd omnibus vbique saeculis ab Architectis obseruatum est: vt merito Philander sic scribat: Ostia antiqui nusquam nisi quadrangula fecere, sicuti nec fenestras. Posteri vero arcuatis etiam vsi sunt, postquam pessum iuit architectonice: & neglectis probatissimorum operum exemplis, Germanorum arbitratu coeptum est aedificari. Portas vrbium fuisse arcuatas, quae extant veterum monumenta fuerint argumento: priuatarum aedium arcuatum ostium, aut etiam Sacratum ianuam numquam reperias. Haec ille: quibus nihil addendum censeo aliud, quam quòd ratio ipsa id suadet, quod vsu ab omnibus receptum fuit. Nam cum valuae, quibus ostium occluditur, quadrangulae fiant, non arcuatae, id omne, quod intra quadrangulum arcu occupatur, lumini in domum inducendo, ac pulchritudini subtrahitur: neque id multum ad firmitatem conducit, quo se tuentur ignari, cum parietis maxima interior pars valuis conformis quadrangula tantam possit addere firmitatem exteriori superliminari, vt illa immota, integraque manente, hanc moueri, aut findi fere sit impossibile, nisi alter fieri contingat ob pessimam parietis coagmentationem. Postium enim, & superliminarium templi firmitatem innuit admiratione plenissima illa eorum commotio, cuius meminit Isaias celeberrima illa Dei Optimi Maximi visione, atque Seraphinorum: quibus contenta voce clamantibus, ac Deum laudantibus: *Et commota sunt*, inquit, *superliminaria cardinum à voce clamantis.* vel: Et mouebantur postes superliminarium, vt alij vertunt. vel: Et eleuatum est superliminare à voce, qua clamauerunt, vt habent Septuaginta. Addit autem Chaldaeus superliminaria cardinum templi, vt certum sit, cuius portae fiat mentio, cum voce vtatur hecal, qua aula Sancta, vt diximus, proprie censebatur.

3. Reg. 7. ℣. 5.

PORTA templi, & domus saltus Libani quadratis, hoc est, rectis angulis.

Philander Notationib. Vitruuij lib. 4. cap. 6.

SVPERLIMINARIA domus Dei immensae magnitudinis, ac firmitatis

Isa. 6. ℣. 4.

Illud autem quod in visione tunc contigit, re & veritate contigisse videtur, ad vocem Domini Angelorum in Cruce spirantis. Nam vbi nos legimus apud Matthaeum: *Et velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.* Sanctus Hieronymus: In Euangelio autem, inquit, quod Hebraicis literis scriptum est, legimus non velum templi scissum, sed superliminare templi mirae magnitudinis corruisse. Iosephus praeterea non supremum limen tantum vno perpetuo lapide fuisse extructum, sed & imum tradit. Nam inter prodigia, quae vrbis euersionem praecesserunt, huius portae meminit vltro apertae, illis verbis: Orientalis autem porta interioris templi cum esset aerea, atque grauissima, & sub vesperam vix a viginti viris clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, vno A perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere. Quo loco quamuis quod ad viginti homines portam claudentes, fide dignus minime videatur, in reliquis tamen dignus videtur maxime namque non summum limen, atque imum tantum, verum dextrum etiam, atque sinistrum ex singulis perpetuis lapidibus facta fuisse probat: reliquorum huius aedificij lapidum magnitudo pene incredibilis, atque totius aedificij dignitas, quae nulla ratione pateretur integra non esse, sed ex pluribus saxis composita ea, quae integra apparere oportuit. Quod vel vno exemplo satis confirmari videtur. Videmus enim hic Romae in templo, quod vana Agrippae superstitio B magnifice extructum, Pantheon nominauit, tanto studio, ac diligentia lapidum portae commissuras occultasse, vt ab aliquibus opinatum sit, vniuersum portae ornamentum, quod vulgo ab Italis dicitur, il telaro, ex vno perpetuo lapide constructum fuisse, in cuius medio ipsum ostij limen apertum fuerit. Quod quamuis factu impossibile non sit, atque adeo vni Salomonis templo videatur tribuendum: tamen operaepretium fuisse minime videtur, vt quo binas vtrimque, easque breuiores lapidum commissuras occluderent, tam longum, latumque subtiliorem lapidem adhiberent, qui difficillime moueretur, facillime frangeretur.

Matt. 27. ℣. 51.

S. Hieron. ad Hedibiam. q. 8.

Ioseph. 7. bell. lib. cap. 12.

POSTES EX vno perpetuo lapide singuli.

C Sed quoniam in portam Romani templi incidimus, quae tota similis esse videtur Hierosolymitani templi portae, de qua loquimur, huius aliquot proportiones libuit percensere. Est quidem ea altitudine latitudinis dupla, antepagmenta singula latitudinis parte octaua, vtraque ex quarta; cuiusmodi sunt haec nostra. Ego vero accuratius fortasse quàm alij, qui hanc portam dimensi sunt, atque de ea scripserunt, comperi antepagmenta haec singula lata fuisse palmos tres & semis. octauam autem latitudinis portae partem continere debuisse palmos tres, & vncias quinque: sed forte Architectus illam minimam partem contempsit, quòd in tanta celsi- D tudine portae, quae palmos erigitur quatuor & quinquaginta, cum duabus insuper tertijs partibus palmi, membra crassiora facienda esse iudicauerit: quod & in ipso antepagmenti cimatio obseruatum fuisse comperimus. Scio longe aliam à Vitruuio assignari & portae proportionem, & antepagmentorum: sed hanc esse omnium pulcherrimam, & perfectissimam indicat sacri Textus Diuina auctoritas, & quotidianus sermo. Est etiam alia portae Sanctuarij proportio, quam mox explicabimus.

PORTA templi Pantheon Romae.

Illud tamen silentio praetermittendum non est, quod ad totius aedificij symmetriam spectat, hac vna mensura antepagmentorum templi, om- E nium primi ordinis epistiliorum mensuram definiri in atrijs templi. Nam cum portae huius altitudo, vt diximus, viginti cubitorum sit, quanta est altitudo columnarum primi ordinis atriorum: necessarium vtique fuit portae superliminare epistylijs praedictarum columnarum aeque libratum fuisse. Atque cum similibus omnino partibus, & ornamentis antepagmenta & epistylia distinguantur, haec, atque illa aequalia fuisse necessarium est, vt fusius persequemur, cum totius aedificij membra simul dimetiemur.

EPISTILIORVM primi ordinis mensura eadem quae antepagmentorum.

Et facies Sanctuarij aspectus contra aspectum. Hebraice habetur. Aspectus sicut aspectus. hoc est, Sanctuarij facies, & aulae ad eandem spe-

PORTA Sancti Sanctorum par exterioris similis

ctabant

ctabant regionem, eadem plane dispositione, eisdem ornamentis; quippe quae simul, & vnico intuitu videri possent: atque adeo rationi maxime consentaneum visum fuit architecto, vt omnino essent similes. Non alia quidem ratione locum interpretatus est Rabbi Dauid: Facies Sanctuarij, inquit, aspectus quasi aspectus. Idest, portae Sancti Sanctorum, quae est facies Sanctuarij, aspectus quem vidi in liminaribus suis, erat similis illi aspectui, quem vidi in limine templi. Haec ille.

Rabbi Dauid in comment.

Porro liminarium, vt eiusdem verbo vtar, iusta ratio in eadem historia Regum praemonstrata est; quae quod ad rationem spectat, & symmetriam, non omnino eadem videtur esse cum praedicta, sed longe diuersa; de qua sic legimus: *Et in ingressu oraculi*, non absque praepositione *in*, vt habent mendosi codices, *fecit ostiola de lignis oliuarum, postesque angulorum quinque*. Hebraice: האיל מזוזות חמשית haajl mezuzoth chamisith. Quam lectionem duplici ratione exposuit Vatablus, haud dubium quin ex Rabbinorum sententia: Superliminare, inquit, & postes, omnia illa fecit pentagona, idest, quinque laterum: vel, omnia illa fecit ex quinta parte, vel, latitudo eorum omnium erat aequalis quintae parti valuarum. Et certe hanc expositionem amat vox חמשית chamisith, vt in Leuitico perspicuum est: *Ipsumque quod intulit damni restituet* ואת חמישתו veeth chamsitho, *& quintam partem eius ponet supra*. Quae cum perspecta alijs quoque locis esse cuiuis possint, nobis in illis confirmandis immorandum non esse censuimus. Itaque cum portae huius latitudo senis cubitis sit definita, vtraque antepagmento cubitus vnus cum quinta cubiti parte obueniet, hoc est, sex quintae partes cubiti, vnicuique tres quintae. Neque vero ex quarta haec antepagmenta fecit, vt exteriora, quòd ea fieri oportere iudicauerit graciliora, quippe quae subtiliori cingerentur ornamentorum genere. Et quamuis Hebraicam lectionem sequamur, quod ad mensuras spectat definiendas, abijciendam Vulgatam lectionem minime arbitramur, quippe quae ipsa antepagmentorum ornamenta videatur indicare, quinque angulorum numero recensita. Nam epistilium, cui simile est antepagmentum, triplici fascia, vel corsa exornatur, & cymatio, vt in figura capitelli infra apponenda videbimus; sed & cymatium regula constat, & symma; quae quidem symma cum varijs soleat sculpturis exornari, nullo propterea constare videtur angulo: ex quo fit, vt tres anguli corsarum binis supremae regulae adnumerati, angulos compleant quinque, quos enumerauit Vulgata lectio.

3. Reg. 6. ℣. 31.

Vatablus in annotation.

POSTES EX quinta latitudinis parte.

Leuit. 5. ℣. 16.

Probauit certe nobis Hebraea lectio portae huius proportionem, Latina, ornamenta: nec praetermittenda est Chaldaea, quae eiusdem dignitatem indicat, & pulchritudinem. sic enim habet: Et facies domus propitiatorij, & aspectus eius sicut aspectus gloriae. Quam lectionem Rabbi Salomon percensuit, & explicare conatus est: Ionathas, inquit, exponit. Aspectus eius quasi aspectus gloriae eius. Idest, quasi aspectus solij, seu throni, quem vidi in visione currus iuxta fluuium Cobar. idest, lumen claritatis vidi in domo Sancti Sanctorum. Transeuntem gloriam, ac per modum visionis indicari putat Rabbinus. Sed ego non video, cur, si gloriae fiat mentio, non ad illam permanentem pulchritudinem, & eximiam speciem referenda sit, de qua nos infra sumus, Deo bene iuuante, fusius tractaturi.

PORTAE Sanctuarij dignitas

R. Salomon.

DE ALTARIS NOMINIBVS IN VNIVERSUM, & quòd ea altari incensi maxime conueniant.

Cap. XLVII.

ALTARIS *lignei trium cubitorum altitudo: & longitudo eius duorum cubitorum*. Quae in templo Propheta vidit instrumenta enumerat, non quidem omnia, sed quae ad Diuini cultus instaurationem praedicendam maxime viderentur pertinere. Inter quae primum certe locum obtinet altare, in quo, vt mox ostendam, omnia sacrificiorum, & oblationum ministeria perficiebantur. Sed quoniam duplex altare, & à Domino fieri praeceptum est in tabernaculo, & eodem praecipiente extructum est in templo à Salomone, vtriusque meminit Propheta noster pro loci, quem metitur Angelus, opportunitate, atque pro vniuscuiusque maiori, vel minori dignitate. Sunt enim altaria haec materia, ornamentis, forma, vsu, magnitudine, positu à sese inuicem longe diuersa. Haec vero omnia, cum ordine, ac per partes a Propheta nostro exactissime pertractentur, hoc loco primum de altari incensi aureo, vt de sanctiori, & nobiliori disputationem instituit. Capite deinde tertio & quadragesimo de altari aeneo, quod in medio atriorum templi sub dio erat constitutum, erit fusius disputaturus: & nos ipsi, qui non modo in explanando Propheta laboramus; verum eundem tractationum nostrarum ducem sequimur, altaris nomen, quod ab eo primum proponitur, principio illustrandum suscipimus. XXII.

DVPLEX altare.

Hebraice המזבח hamizbecha, deducta voce à verbo זבח zabach, quod mactare, immolare, sacrificare significat: inde nomen מזבח mizbecha, altare significans, quòd in eo sacrificetur: haud dissimili plane agnominatione, qua Graecis θυσιαστήριον dicitur, quasi locus sacrificij, quod θυσία sacrificium, hostiam, caeremoniam, vel rem sacram significet. Longe diuersa est Latinae vocis notio nam, vt Auctor est Pompeius Festus: Altaria sunt, inquit, in quibus ignis adoletur. Altaria ab altitudine dicta sunt, quòd antiqui dijs superis in aedificijs à terra exaltatis sacra faciebant. dijs terrestribus in terra, dijs infernalibus in effossa terra. Quam sententiam laudat Beatus Isidorus, qui Altare autem, inquit, ab altitudine constat esse nominatum, quasi alta ara. Sed & aram ipse quoque Isidorus interpretatur: Aram, inquit, quidam vocatam dixerunt, quòd incensae ibi victimae ardeant. Alij aras dicunt à precationibus, idest, quas Graeci ἀράς vocant. Sed & Varro:

ALTARE A sacrificio dictum, quasi sacrificij locus.

Sex. Pompei. Festus.

S. Isid. lib. 15. Origin. c. 4.

ARA VNDE dicta.

Varro de lingua Latina.

ro: Ara, inquit, quod areae in vrbe purae sint: à quo potest etiam ara deum esse, quòd pura; nisi potius ab ardore, ad quem vt sit, fit ara. Idem quoque Varro iterum aras primum ansas dictas putauit, quòd esset necessarium a sacrificantibus teneri. Quam sententiam sequutus Macrobius Vergilij auctoritate comprobauit. Quae omnes Latini sermonis notiones optime altari huic ligneo conueniunt: quippe quòd non modo in altiori templi solo sit positum, verum etiam altitudine ipsam quoque humani corporis altitudinem superaret, vt mox ostendam. Fuit item dum sacra peragebantur in eo semper ardens, ipsumque ad preces fundendas pene institutum, cuius rei vel vnum satis esse videtur exemplum. Cum enim late persequeretur Legislator ritus omnes, ac caeremonias solemnis illius diei, quo summus Pontifex Sancta Sanctorum ingrediebatur: *Nullus hominum*, inquit, *sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingredietur &c. donec egrediatur Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se*. Haec ad preces spectant, quas Graeci ἀρὰς vocant: sequentia ad id quod Scriptores dixerant de tenenda ara. *Et sumptum sanguinem vituli, atque hirci fundat super cornua eius per gyrum*. Quod magis videtur expressum in Exodo, vbi huius altaris, & expiationis fit mentio illis verbis: *Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum in sanguine &c.*

Varro lib. 5. diuinarum.
Macrob. 3. Satur. cap. 2.
ALTARE oraculi ad orandum fere institutum.
Leuiti. 16. ℣. 17. & 18.
Exod. 30. ℣. 10.

Neque mirum videri debet, aut nouum, vt impios Ethnicorum ritus è sacris furto sublatos ab inuidentissimo Diuinae gloriae daemone ostendamus, cum id illi antiquum fuerit, & dementatis hominibus fere semper in vsu. Quod vero ad Hebraicam, & Graecam altaris notionem spectat, dubium non est, quin ad altare holocaustorum proprie spectare videatur: huic vero quadam desumpta similitudine, & fere ex vsu, cum praeceptum sit à Domino: *Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina.* Quae priorem notionem altaris respiciunt nisi ad hoc forte etiam altare pertinere arbitrentur sacrificia, quae in exteriori aeneo peragebantur, vt fere tunc consummarentur sacrificia omnia, cum quae in altari aeneo, fere inchoabantur ad altare ligneum perficienda referebantur. Qua ratione optime explicatur Sanctissimus Apostolus Paulus, dum de hoc altari, eiusque vsu loquens sic scribit: *Et in priori quidem tabernaculo semper*, idest quotidie, *introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes*. In ligneo namque sanctissimae Crucis altari omnia consummata sunt sacrificia, atque ex eo mutuati sunt, vt Deo grata esse potuerint. Quod sane mysterium quoniam referre noluerunt, immo quodammodo soluere conati sunt Nadab & Abiu superbi sacerdotes, igne exusti, admissi criminis poenas luerunt, atque in exemplum futurae posteritatis, à sacris Scriptoribus saepe proponuntur.

IN ALTARI oraculi sacrificia consumebantur.
Hebrae. 9. ℣. 7.
CRVCIS symbolum ligneum altare fuit.
Leuiti. 10. ℣. 1. & Numeror. 3. ℣. 4. Alibi. Exod. 40. ℣. 5.

Quod vero ligneum vocetur hoc altare, cum alibi vocetur aureum, ad materiam indicandam spectat, ex qua totum altare componebatur, vt paucis verbis interiectis, ab ipso Propheta nostro indicatum est. Putarunt autem nonnulli propterea ligneum dici, quod in altero holocaustorum altari nihil erat omnino ligneum, atque adeo vt ab illo maxime secerneretur, hoc ligneum dictum est. At enimuero aureae laminae, quibus totum conuestiebatur altare, ad ornamenta quodam-

LIGNEVM altare quare dicitur, quod alias aureum dicitur.

A modo pertinere videbantur, ligna vero ad totam altaris structuram. Est tamen sublime quoddam mysterium, in quod contuendum erigere videtur Propheta legentium animos: Crucem enim adorans Sancta mater Ecclesia his verbis eam salutat: Salue crux pretiosa: è Ligni materia, sed pretio omnem longe superans auri aestimationem: quae in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tamquam margaritis ornata. Sed de his alias. Interim Beatus Hieronymus audiendus est, qui hanc eandem ligni materiam ad Sanctorum opera referens, quaestionem mouet, cuius solutio quamuis difficilis esse minime videatur, non parum lucis huic afferet disputationi. In quo, inquit, altari Scri-
B pturae sanctae mysteria humanus sermo non potest explicare, quomodo altare, in quo ignis succendendus erat, mensa videlicet thymiamatis, nihil ab igne patiatur, sed, vt ita dicam, igne purior fiat? Sicut enim Sanctorum opera, de quibus scribit Apostolus: *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*: non pereunt, sed per ignem puriora monstrantur: ita & altaris ligna, quae de lignis paradisi sunt, non cremantur igne vicino, sed puriora redduntur. Nec mirum hoc de Sanctuario, & interioribus templi, & altari thymiamatis credere, cum etiam ἀσβέστον, quod genus est ligni, vel lini habens similitudinem quanto plus arserit, tanto mundius inuenatur. Hactenus ex Hie-
C ronymo. Qui quamuis modeste satis suam excuset interpretationem, sapienter satis his quoque, quae ad alios sensus pertinere videantur, ea immiscet, quae verum ac certum indicant, ipsius litterae, quem vocant, sensum.

S. Hieronymus hic.
1 Cor. 3. ℣. 13.
LIGNA quomodo ab igne non patiantur.

Atque inprimis illud cuiuis esse debet in promptu, nisi à Sanctissimi Hieronymi mente discedere velit & interpretatione, sermonem hic fieri à Propheta de altari thymiamatis, quod vere fuit in templo, vtique Salomonis, cum altare Mosaicum minoribus constaret mensuris, vt videbimus. Nam si de visione aliqua imaginaria locutum fuisse Prophetam nostrum arbitraretur, frustra in exquirenda ignis, & ligni concordia laboraret,
D cum haud secus quam Moysis rubus ardere posset, & non comburi. Sed eadem haec quaestio est, quae de consimili altari fieri posset, de quo praecepit Dominus Moysi: *Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis setim*. Illud vero quod indicare videtur Sanctus Hieronymus, propterea haec ligna non vri, quòd essent è paradiso, sicut infitiari non audeo propter tanti viri auctoritatem, sic etiam cuperem vt ab eodem ostenderetur, quando, vel quomodo eiusmodi ligna è paradiso sint educta, & an igneo cherubo permittente, vel contra? Sed si ignis naturam, & quotidianum eius vsum attentius expendamus, rationem inueniemus, propter quam nihil fuerit
E ligneum in altari aeneo: ibi enim propter vim maximam, & copiam ignis continui, nullis interiectis cuiuslibet metalli laminis, lignum ab igne tutum manere non posset: at in altari ligneo, in quo bis in die ignis accendebatur, prunis ab aeneo altari desumptis, & thymiama tantum adolebatur, satis fuisse videbatur, si craticula ipsa, cui imponebatur ignis, aurea fuisset, reliqua omnia etsi lignea, crassioribus auri laminis ex vtraque parte ita obducta, vt nullus igni ad ligna pateret accessus. Cuius quidem rei infinita quotidie ob oculos suppetunt exempla, ex argenteis foculis in domibus principum petita, ex aeneis in domibus passim ciuium, qui argentei, vel aerei dicuntur,

DE ALTARI thymiamatis à Salomone facto hic sermo est.
Exod. 30. ℣. 1.
LIGNA altaris è paradiso educta.

tur, quamuis lignei sint, neque ab igne laedantur, quo tota fere hyeme pleni sunt: quoniam argenteis laminis, aut aereis obducuntur. si vas illud vnum excipias, quo ignis imponitur, quod pro foculi reliqua materia totum argenteum est, aut aereum.

DE ALTARIS INCENSI A SALOMONE *constructi mensuris.*

Cap. XLVIII.

QVOD ad altaris mensuras attinet, iam persequimur id, quod nullo negotio operae praestaretur, nisi qui omnia quaestionibus replent, quaestione proposita nobis essent impedimento in dubium reuocantes, an Salomon nouum extruxerit altare incensi? Nam certe si hoc statutum fuisset, vt certe debuerat, nulli dubium esse potuisset, hoc idem altare ab Ezechiele, sicut & cetera templi ornamenta, instrumenta, & partes, nouis his dimensionibus praefiniri. Et quamuis nulla subesse videatur dubitandi ratio, cum nihil praeter vnam arcam à Salomone non fuerit denuo factum, tamen impedimento nobis sunt & oneri, qui in rebus luce meridiana clarioribus confirmandis, atque in vanis cogitationibus confutandis cursum explanationis nostrae detinere non cessant. Dixi perspicuum esse, ac certum, altare aureum à Salomone constructum fuisse; idque non coniectura ductus, aut humana, quamuis maxima auctoritate fretus, sed Diuina. Quis enim verba legat libri Regum, & neget quod ibi testatum habemus? *Fecitque Salomon*, inquit, *omnia vasa in domo Domini: altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream, & candelabra aurea &c.* Est autem Hebraicum verbum עשה ghasah, à quo vox עשי vaghas & fecit, deducitur significans facere, & eiusmodi effectionem significans, qua aliquid reuera existit permanens. Sed quamuis verbi huius notio latius pateat, quàm Latinum facere, tamen ipse orationis contextus eadem plane ratione, & altare, & mensam, & candelabra effecta esse demonstrat: & cum nemo dubitare possit de effectis denuo candelabris, & mensa, sic non est quod dubitet de extructo altari. Neque vero huic testimonio contrarium est, aut ab eo diuersum, quod alibi legimus: *Sed & altare vestiuit cedro*, Salomon. Huiusmodi enim phrasis structuram ipsius altaris plane indicat, cuius interiora, quibus ignis continebatur, & calidi cineres, ex auro solido erant: sed prae magnitudine eorum fulcris indiguerunt cedrinis, & hoc est quod modo, significat, altare tradens cedro fuisse vestitum. Et exteriorem porro cedri faciem rursus vestiuit auro. nam cum nihil fuisse in templo, hoc est, in Sancto, affirmasset, quod non auro tegeretur, ne quisquam haec verba ad aedificium referens, ab eis seiungeret templi instrumenta, subiungit: *Sed & totum altare oraculi texit*, conuestiuit, operuit, *auro*. Id vero quod aliqui excogitauerunt de Mosaico altari a Salomone cedro vestito, ac maius effecto, & auro magnificentius, ac pulchrius ornato, minime asseruissent, si attentius expendissent altaris vsum, quod inane oportuit esse, vt in medio eius decidentes à superiori craticula cineres asseruarentur, & animaduertissent inanem, atque impeditam altaris in medio altaris conclusionem quam cui suadere posset religio, aut antiquitatis obseruatio in aurea mensa, & candelabro, in aeneo altari, & mari obseruare oportuisset: quod nullus vnquam excogitaret, immo tamquam impossibile figmentum cordatus quisque reijceret. Et certe si altaris reliquas partes includere nouo altari potuisset, certe prioris vectes minime potuisset. quapropter permittant, quaeso, in eodem loco asseruari antiquum illud altare ligneum, quo eius vectes, immo & quo aeneum altare, & mare, & tabulae, & reliqua antiqui illius tabernaculi asseruabantur.

Altaris porro formam mensurae difiniunt, quas, etiamsi minime haberemus, facili coniectura deducere possemus ex proportione perpetuo asseruata inter templi partes, & membra, quae fere omnia dupla ratione excedunt similes tabernaculi partes. Sed hoc ipsum, quod ratio suaderet, ac symmetria, ipse contextus testatum reliquit, vt coniecturis minime sit opus, vbi perspicua extant testimonia: ea vt simul conferamus, in medium afferre, & breui oratione explanare cogemur.

De priori altari sic ad Moysen Dominus: *Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis setim.* Hebraice ועשית מזבח מקטר קטרת veghasitha mizbeach miktar ketoreth. Et facies altare suffimento suffitus. Septuaginta interpretes in Regio codice: Altare thymiamatis. in Sixtiano: Altare incensi scribunt. Chaldaeus paraphrastes: Et facies altare ad adolendum super illo incensum. Vtraque vox מקטר miktar, & קטרת ketoreth, ex eodem verbo קטר Katar deducitur, quod suffitum facere. subfumigare, adolere, odores incendere significat vt propterea מקטר miktar, suffitorum liceat interpretari, altare nimirum, quo suffitus incendebantur, vel adolebantur: קטרת Ketoreth vero pro thymiamate plerumque vsurpatur, quod sit veluti vnguentum quoddam ad adolendum compositum, vt in ipso Exodi capite legenti poterit esse perspectum. Atque idem hoc altare quod in Exodo describitur, relatum est ab Ezechiele, vt confirmat Sanctus Hieronymus, quem paulo ante laudaui. Sed & Rabbi Dauid, qui tamen nihil videatur habere certi, quod tradat, hoc altare contulit cum Mosaico. Hoc altare, inquit, non erat simile altari à Moyse fabrefacto, neque altari, quod fecit Salomon, neque altari, quod fecerunt filij captiuitatis: nam iterum facit mentionem altaris alterius mensurae. Fieri autem potest altare hoc esse altare intimum, quod Moyses fecit ex auro. Haec ille: qui quamuis huius, atque alterius mensuras ignorasse pene fateatur, illud tamen non negat quod certum esse videtur, hoc altare aurei illius similitudinem gessisse, quod a Moyse constructum fuit.

Neque huic sententiae contrarium esse existimandum est, quod diuersa videatur esse materia altaris Mosaici, & Salomonici: illud enim ex lignis setim factum fuit, hoc vero vestitur cedro. Nam, vt alias ostendemus, ligna setim, & cedri,

colore

ALTARE aureum a Salomone extructum.

3. Reg. 7. ℣. 48. & 49.

3. Reg. 6. ℣. 20.

ALTARE ex cedro, conuestitur auro

Ibid. ℣. 22.

ALTARIS forma.

Exod. 30. ℣. 1.

ALIVD Altaris nomen.

Rabbi Dauid in comment.

ALTARIS Mosaici, & Salomonici eadem materia.

colere tantum, ac nomine diuersa sint, re autem ipsissima. Quamuis haud multum laborarem, si quis vellet cum Abulensi sentire, quippe qui aliud esse altare Salomonicum putat, aliud Mosaicum: id enim ipsum nos sentimus, numero, quod vocant, diuersa esse altaria arbitrantes, proportione vero ac similitudine omnino eadem, etiamsi magnitudine, atque mensuris longe diuersa. de illo namque sic scribitur: *Habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine*. Ex Hebraeo sic vertit Regius codex. Cubitus longitudo eius, & cubitus latitudo eius quadratum erit; & cubiti duo statura eius. Propheta vero noster ad Salomonicum respiciens: *Altaris*, inquit, *lignei trium cubitorum altitudo: & longitudo eius duorum cubitorum*. Vbi subintelligendum censet doctissimus Hieronymus, quod addiderunt Septuaginta interpretes, vt in omnibus eorum codicibus legitur: Altaris lignei cubitorum trium altitudo eius, & cubitorum duorum longitudo, & latitudo eius duorum cubitorum. & merito, cum discedere minime debuerit à quadrata prioris forma. Proportio autem fuit laterum dupla, arearum quadrupla, corporum sextupla. Quod sic ostendo. latitudo huius dupla latitudinis illius est, & longitudo pariter, quippe haec duorum cubitorum est, illa vnius. quod si areas consideres multiplicatis lateribus, bis duo quatuor efficiunt, semel vnum vnum: atque haec area sub quadrupla illius est. quod si corpora conferas, area per altitudinem, vel profunditatem multiplicata, ter quatuor efficiunt duodecim: bis vnum efficiunt duo, quae altitudo sub sextupla illius est. Quae omnia mysteria multa inuoluunt, quae non est huius loci explicare.

Abulens lib. 3. Reg. cap. 6. q. 16.

Exod. 30. ℣. 2.

ALTARIS Mosaici mensurae.

Superest autem conferenda huius altitudo trium cubitorum, quae sesquialtera est illius altitudinis duorum cubitorum: quod quare factum sit, haud difficile erit assignare, si quis cubiti longitudinem cum humanae staturae altitudine conferat. Nam & illud obiter notandum est, quod ex demonstratis alibi perspectum esse poterit, cubitis sacris sacratissimum altare dimensum fuisse: id enim de exteriori altari praenotatum à Propheta nostro paulo inferius fuit, quod potiori ratione in hoc obseruatum fuisse credendum est. Mirari enim non desino eruditos alioqui, & prudentes viros intrepide affirmantes, sermonem hic fieri de cubitis vsualibus, eorum enim verbis vtar, aut communibus: à quibus exquirendus saltem esset sui capitis sensus, cum quos vocent vsuales cubitos, vix ipsi sentire, nedum nobis eorum certam rationem praescribere valeant. Sed his praetermissis ad rem ipsam accedamus, & cum nec nos certam aliquam illius aetatis staturae mensuram indicare possimus, dicamus id in vniuersum, quod vsus, & ratio suadet. Certe si mensura aliqua, aut quilibet locus tres cubitos altus modo statuatur, vix vsui foret, nisi admouerentur scalae: ego quidem erecta manu eiusmodi altitudinem, quam in muro assignaui, nulla ratione contingo. Sed vt alias ostendimus, Salomonis tempore proceriore fuerunt homines statura, ita vt conijcere liceat, tanta altitudine extructum fuisse hoc altare, quanta posset vsui illis esse sacerdotibus, non maiori, ne illis fuisset inutilis, nec minori, vt loci sanctitatem, ac dignitatem augeret, suspiciendus à sacerdote locus. Nam & supplices ad aras orare non modo sacris edocti ritibus consueuere, verum etiam prophanis, atque impijs: horum enim testis est Maro, Iarbam regem eleganti carmine describens:

ALTARIS huius altitudo quare non sit illius dupla.

Infra Ezech. 43. ℣. 23.

Cubiti mensuram tradimus tom. 3. par. 2. lib. 3. cap. 17.

CVBITOS communes qui fingunt, ad quare faciant, ostendatur.

SVPPLICES ad aras orant.

Isque amens animi, & rumore accensus amaro
Dicitur ante aras media inter numina Diuum,
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

Virgil. 4. Aeneid.

Et iterum Aeneam à matre derelictum referens:


Haec memorans, inquit, *cinerem, & sopitos suscitat ignes.*
Pergameumque larem, & canae penetralia vestae.
Farre pio, & plena supplex veneratur acerra.

5. Aeneid.

Sed ad institutum reuersi, si duplam adhuc altitudinem in hoc altari exquiramus, eam facile inueniemus cornuum computata alitudine vnius cubiti, vt in figura apparet.

Sed ne diutius suspensum tenere videamur lectorem,
de altari loquentes, cuius perspecta forma non est,
eam hic apponere libuit, quanta maxima diligentia elaboratam: cuius partes, mensuras, & ornamenta expendat attentius lector, tantisper sustinens, donec reliqua ostendamus
quibus ducti rationibus aut
coniecturis effecerimus.

ALTA-



ALTARE INCENSI AVREVM AD CVIVS DEXTERAM
ZACHARIAE THYMIAMA ADOLENTI ANGELVS APPARVIT

DE AL

DE ALTARIS

ANGVLIS, MATERIA, & structura.

Cap. XLIX.

DE FORMA altaris.

ET *anguli eius.* Latinus quidem sermo orationem hanc cum sequentibus ita coniungit, vt omnia ad ligneam referantur materiam: Hebraicus vero formam quoque respicere videtur altaris, qui sic habet: ומקצעותיו לו vmich tsoghothau lo: & anguli eius ei. Phrasim concinne redderet Hispanus sermo: Y tenia sus angulos. Quid autem haec angulorum vox significet, aliter à Septuaginta interpretibus videtur indicari, quàm vocis notione: sed certe tum haec, tum illorum lectio bene perpensa, lucem textui afferre posse videtur. C καὶ κέρατα εἶχεν, & cornua habebat, quae eadem verba in omnibus leguntur, & respexisse videntur locum Exodi, quem vnà cum hoc de altari interpretari aggressi sumus, & sic habet:
Exod. 30. ℣. 3.
ממנו קרנתיו mimenu karnothau: Ex ipso cornua eius. Chaldaeus cum Septuaginta. Ex ipso erunt cornua eius. *Cornua ex ipso procedent.* Est autem קרן Keren, Latinae, Graecae, Hispanicae, atque Italicae vocibus affinis, ita vt ab hac vna reliquae originem ducere videantur.

CORNV, Latina, Graeca, Italica, & Hispanica vox ab Hebraea deducta.

CORNV pro luce.

Est quidem radiorum lucis, vel ignaae flammae tanta cum cornu similitudo, vt ex voce קרן Keren, verbum deducatur קרן Karan, quod si ad verbum referatur, cornua producere significat, sicut idem verbum in alia coniugatione op- D time translatum est à Vulgato in Psalmo: *Et placebit Deo* sacrificium oblati Christi, de quo est sermo, *super vitulum*, plusquam sacrificium, in quo offerebant olim vitulum *nouellum, cornua producentem, & vngulas.* Qua etiam ratione Sanctus Hieronymus locum Exodi conuertit: *Et ignorabat*, Moyses, *quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.* Hebraice: & Mosch non cognouit quòd קרן Karan, promicuisset cutis facierum suarum. Et vidit Aaron, & omnes filij Israel Mosch, & ecce קרן Karan, promicabat, splendebat cutis facierum eius &c. Se- E ptuaginta. Et Moyses non sciebat quòd glorificatus fuerat aspectus cutis faciei suae, cum loqueretur ipse ei. Et vidit Aaron &c. quòd glorificatus fuerat aspectus cutis faciei eius. Chaldaeus. Moyses autem nesciebat quòd multiplicatus esset splendor gloriae vultus sui, cum loqueretur cum eo. Viditque Aaron &c. Moysen, & ecce multiplicatus erat splendor gloriae vultus eius. Sensum sublata allegoria, quam tenuit Vulgatus, respexit Beatissimus Apostolus Paulus, legi praeferens Euangelium: *Quod si ministratio mortis*, inquit, *literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intende-*

Psal. 68. ℣. 32.

Exod. 34. ℣. 29. & 30.

GLORIA vultus pro splendore.

2 Corinth 3. ℣. 7. & 8.

A *re filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Sed & vna Hebraea dictio eleganti vtitur, ac multiplici vocis translatione, à similitudine desumpta animalium, quae fortissima cornua in summo gestant capite, non minus ornamento, quàm praesidio seruientia, & auxilio: vt propterea robur, potentia, fiducia, fastus, superbia, cornu significetur plerumque in sacris Literis, cuius rei exempla proponere, quae passim suppetunt, nunc non vacat. Illud certe praeclarum est huius rei argumentum, quod propter potentiam, quae in Regibus maxime elucet, cornu Regiam potesta- B tem, & dignitatem significat. Id multis sacrarum Scripturarum exemplis constat, sed illis potissimum Danielis, quibus bestiarum cornibus futuros Reges significari testatum est. Huc etiam respexit Dominus in Psalmo: *Illuc producam*, inquit, *cornu Dauid.* Chaldaeus vocem expressit, Vbi germinare faciam, inquit, Regnum gloriae domui Dauidis. Sed et Sanctus Zacharias Propheta, & Prophetarum maximi parens: *Et erexit*, inquit, *cornu salutis*, hoc est, Saluatoris regnum, *in domo Dauid pueri sui.* Sed cornu ipsum Regium insigne fuisse in bello potissimum indicare videtur Virgilius.

Danielis 8.

CORNV pro Regia potestate vsurpatur.

Psalmo 131. ℣. 17.

Lucae. 1. ℣. 69.

Virg. 12. Aeneid.

Ensemque, clypeumque, & rubrae cornua cristae.


CORNV Regium insigne.

Non me latet, quòd eruditi viri, haec cornua ad cincinnos, aut comas referunt, quo certe non referent verba Plutarchi: Agnitus, inquit, fuit ab eximia crista, & à cornibus hircinis. Haec ille. Sed quamuis cornu insigne Regium esset, non tamen galeae defuit sua corona. Quippe cum idem Plutarchus sic scribat: Pyrrhus praesentem tempestatem, & fluctum contemplatus, coronam, qua erat insignis galea sua, detractam tradit vni ex amicis. Qua in re mirari non desino eruditum nostrae aetatis virum, qui τὴν στεφάνην, apicem, conuertit. sed coronae, & hircini cornu, & cristae licet testem afferre omni, quod aiunt, exceptione maiorem, qui possit haec omnia simul ob oculos nobis proponere. Is est aereus quidam nummus antiquitate insignis, caput adolescentis robusti, ac saeui ex altera facie gestantis, ex altera verò in media roboris corona galeam, cum inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, hoc est, Regis Tryphonis Imperatoris. Ipsius numismatis formam hic apponi mandauimus.

Plutarch. in Pyrrho.

CORONA super galea.

GALEA Tryphonis.



Galea vero apicem desuper habet lilium, cingitur vero fascia seu corona, cuius extrema à posteriori parte pendent, quasi infulae. Nam quod fascia pro corona olim Reges vterentur, confirmatum est satis a Prado. In anteriori parte galeae cornu erigitur, hircino simile, quod posteriori forma galli cristam referre videtur, zelantissimi inter aues insigne, quod & ornamenti, & tutaminis simul

P.H Pradus tomo 1. super Ezech. 23. cap.

nullesse potuit; atque adeo fortasse & rubrica coloratum, vt cuius dixi auis insignia referret, quo respicere potuisset Virgilius. Nos verò haec insignia omnia ab antiquis, aetateque vetustioribus desumpta fuisse coniicimus: atque adeo eiusmodi galeam Dauidi vrbis amplificatori imposuimus, qualem in prima facie apparatus effinximus.

Quae omnia illud certe confirmare videntur, quod cuius esse debet in promptu, nobile quoddam ornamenti genus altaris tum aurei, tum aeterni indicari, cum cornuum fit mentio. Id quod tum maxime erit perspectum, cum altari hoc ligneo, vel aureo, Christum Dominum referri ostenderimus, cuius Regia maiestas, atque potentia huiusmodi ornamentis indicatur. Eorum certe formam magis expressam cuperent alij, nos eam reddimus in imagine, quam scriptorum probauit auctoritas. Nam Caietanus, quem laudauit Lippomanus, verbis huius textus indicari arbitratus est, cornua haec minime fuisse additiua, sed ex tigillis quatuor angularibus officio pedum fungentibus, surgentia cornua quatuor in obelisci modum affabre elaborata. Id quod non modo imitari sumus, verum etiam hoc nostro Ezechielis textu confirmari posse arbitramur. Vox enim מקצע michzongh, sicut alibi exposuimus, angulum quidem significat, non eum qui prostat, is enim פאה peah, dicitur, sed eum qui fit in recessu. Hispanice proprijs vocibus vtrumque distinguimus, hunc enim vocamus rincon, illum vero canton, vel esquina. Ex quo fit vt e recessibus surrexisse cornua indicentur; si omnia simul conferantur, quae hactenus congessimus, atque adeò tota altaris structura fere indicatur. asseribus enim vndique cingebatur, in quorum recessibus tigna erigebantur quadrata, quibus affixi asseres continerentur, & a rectis angulis minime deflecterent. Et huc forte respexit Sacer Historicus, cum vestitum fuisse dixit à Salomone altare cedro, propter tabulas cedrinas, vel ex lignis setim, quae tigna illa quatuor veluti conuestiebant, inductis desuper aureis laminis. Et tigna illa, quae instar ossium animalis, altari erant, inferne pedes, & fulcra altari praestabant, desuper cornua, quae aureis quoque condecorabantur crustris, & caelaturis. Hanc porro altaris structuram haud aliter concipiendam esse quàm diximus, confirmat Richardus. Hoc erat, inquit, altare incensi. Nam illud de quo superius breuiter tetigit, & de quo in sequentibus latius agit, erat altare holocausti. sequentibus autem verbis videtur exprimere non tantummodo modum quantitatis, sed etiam facturam operis. Ait itaque: Trium cubitorum altitudo, & longitudo eius duorum cubitorum. Haec ad quantitatem. Id quod ipsa Vulgata lectione magis adhuc confirmari videtur.

Caietanus in Exod. Lippomanus Catena in Exod.

In Apparatu part. 1. lib 3 cap 18.

CORNVA obelisci sunt ex intimis altaris angulis assurgentes

Richard par. 2 de templo Ezech. cap. 17.

Et anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei. Hoc loco maxime hallucinatus est Rabbi Dauid, cuius inscitiam non alia ratione melius Lectori manifestam fore putaui, quam eiusdem propositis verbis. Rabbi Salomon, inquit, exponit, quod quando textus dicit, *longitudo eius*, loquitur de corpore ipsius mensae; quando verò dicit, *parietes eius*, loquitur de setis eius. Quae expositio nusquam inuenitur: nam longitudo, & latitudo non sunt substantia alicuius rei, vt de illa dicatur esse lignum, vel argentum, vel aurum. Mihi vero placeret si esset sensus, quod dictio illa, *& longitudo eius*, esset coniuncta superioribus; nam dixerat, & anguli eius, illi, subdit deinde, & longitudo eius, idest, cum longitudine eius. sicut exposuimus, hoc est, anguli eius commensurantur cum mensura longitudinis eius. Ecce autem quod non facit mentionem de latitudine huius altaris, vel mensae, quam vidit. Hactenus ille. Cuius argumenta non vacat expendere. illud certe non video, quomodo colligat ex textu angulos, vel cornua, adnumerandos esse altitudini. quod si verum esset, fieri posset ara cubica aeque longa, lata, & alta cubitos binos, cui superadderetur coronae, & cornuum altitudo cubiti vnius. Quae quidem longitudo vniuersa trium cubitorum lignea esset iuxta sensum, quem innuit nostra Vulgata. Neque absurda videri debet dicendi ratio, quae longitudinis significat quantitatem ligneae materiae inhaesisse.

RABBINI ignoratio.

R. Dauid. in comment.

His tamen praetermissis, ille plane mihi videtur proprius loci sensus, quem Septuaginta interpretes reddiderunt. Et basis eius, inquiunt, & parietes eius lignei. Quae sane expositio ab Hebraeo textu aliena non est, qui vocem posuit ארכו arco, quae vox extensionem significat, & fere semper pro longitudine vsurpatur, quamuis nonnunquam extensionem denotet, aut superficiem, quae longitudine constat, ac latitudine. Sic apud Iob, Sophar Dei Optimi Maximi immensam, atque incomprehensibilem magnitudinem illis verbis conatus est describere. *Longior terra mensura eius, & latior mari.* Quasi dicat, terra & mari longior, latiorque. Qua ratione Vatablus Rabbinos vt alias imitatus, sic interpretatur hunc locum: Et anguli eius erant illi, & latitudo eius idest, habebat angulos, & anguli ei comparabantur in longitudine, altitudinem omittit. vbi vides vocem ארכו arco, in latitudinem ab eo conuersam esse. Ex quo liquet conijcere altare hoc basim in imo ligneis asseribus conclusam habuisse, aureis obductam laminis, in quam calidi cineres è superiore craticula caderent, ibique detinerentur, donec per fenestram, quam in medio latere Orientali depinximus, educti, atque in locum sacrum deducti asseruarentur. Et merito basis, vnà cum parietibus erectis fit mentio, quoniam horum, & illius eadem erat materia ligni, eadem structura, magnitudine tamen, atque ornamentis forte erant à basi parietes diuersi. nam de suprema superficie altaris, vel tecto mox agendum est. Ex dictis vero nunc liquet, quam perperam testimonio Iosephi abutantur illi, qui basim nullam huic altari subesse contendunt: quoniam idem Iosephus de altari holocaustorum sic scribit: Cratem pro foculo superpositam habens; excipiebat enim terra quidquid ignitum superne decidebat, quod basis nulla subesset. Neque vero tam similis fuit vtriusque altaris vsus, vt quidquid de vno dictum fuerit, de altero quoque dictum fuisse intelligatur: sed contra id de vnoquoque potissimum testatum fuisse credendum est, quod eius esset proprium, neque commune cum altero. id quod & ab eodem Iosepho obseruatum fuisse mox ostendemus. Interim reliqua prosequamur, quae de hoc altari dicuntur.

EXTENSIO pro longitudine vsurpatur.

Iob 11. ℣. 9.

Vatablus in Notation. Ezechiel. num. 31.

Iosephus 3. Antiq. C 7.

ALTARIS vtriusque discrimen.

Et certe expendendum inprimis videtur, quòd parietes, basis, anguli, siue cornua, lignea dicantur esse, tecti nulla fiat hic mentio, cum de lignea materia sermo est: contra vero cum de aurea, & haec referantur, & praeterea tectum, seu craticula. Nam in Exodo sic legimus locutum fuisse ad Moysen Dominum: *Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quam parietes per circuitum, & cornua.* Quae omnia totidem fere verbis opere com-

Exod. 30. ℣. 3.

TECTVM siue craticula altaris.

Exod. 37. ℣. 26. Caietanus.

re completa fuisse narrantur ibidem: *Vestiuitque illud*, inquit, *auro purissimo cum craticula, ac parietibus, & cornibus*. Caietanus hunc locum explanans: Quod autem, inquit, nos craticulam habemus, ex Septuaginta sumptum est, qui τὴν ἐσχάραν habent, id est, craticulam. At Hebraicum habet גג gaggo, quod tectum eius, solarium eius, superficies eius, reddi potest. Sic habet & Chaldaica. Locum autem significat superiorem, vbi adoletur incensum, vbi focus est, cui superimponitur thymiama. Et altari quidem holocaustorum necessaria fuit craticula propter caesa animalia in eo comburenda, huic autem minime. Tectum enim erat altare huiusmodi superius intra coronam, quo à Sacerdote mane, & vesperi thuribulum ponebatur, sumptis carbonibus de ara holocausti sub dio extra tabernaculum in atrio, imposito thymiamate odorifero, tunc quando vel mane lucernas componeret in candelabro, vel vesperi aptaret, vt tota nocte lucerent. Haec ille: qui quamuis quod ad ritus, & vsum altaris reliquum a vero minime videatur aberrare, in eo

DECEPTVS Caietanus, qui craticulam huic altari negat.

tamen videtur maxime, quod ab hoc altari omnem videtur auferre altaris vsum, quippe cum eidem nullum arbitretur ignem imponi, in quo thymiama adoleatur, sed esse veluti basim quandam, vel mensam, cui thuribulum imponebatur cum igne, atque odoramentis. quod cum sacra videtur Historia pugnare, & cum praecepto Domini dicentis: *Facies quoque altare ad adolendum*,

Exod. 30. ℣. 1.

vtique in altari, non in superposito thuribulo, *thymiama*. Quae quamuis non essent, vt vere sunt, certa, & Scriptorum eius aetatis testimonio comprobata, opposita nobis semper haberi debent suspecta, quippe quae cum nostra Vulgata ex opposito pugnant, cuius rei vel vnum satis esse videtur argumentum, quod verborum Caietani sumpta occasione & exemplo, eisdemque fere repetitis, pro homine indignam protulit Eugubinus sententiam: Quare, inquit, amouenda craticula est, & tectum eius loco ponendum. Haec ille. Quasi vero receptam olim ab Ecclesia Vulgatam lectionem leui quadam horum Scriptorum coniectura liceat immutare. Sed numquid tectum quis prohibet in craticulae modum fuisse factum?

Augustin. Steuchus Eugubin. in Exod.

EVGVBINI licentia arguitur.

At eadem voce vsus est Hebraicus textus, cuius propriam tenuit notionem Vulgatus, dum: *Mensus est*, inquit, *portam a tecto thalami vsque ad tectum eius* &c. Quae tecta in modum retis perforata fuisse, ex ipso contextu nos supra probauimus. Ponamus ergo tectum altaris propter Hebraicam lectionem, & illud quidem in craticulae modum factum fuisse, propter Septuaginta interpretum auctoritatem, & linguae vtriusque peritiam, ac propter ipsius altaris formam magis ipsis perspectam, quam aut Caietano, aut Eugubino potuerit esse, & dicamus ab omni correctione immunem seruandam inprimis esse Vulgatam lectionem. Accedit huc etiam Iosephi testis oculati testimonium: hic cum aurei candelabri meminisset. Inter hoc autem, inquit, & mensam (vt dixi) sita erat arula suffumigatoria. θυμιατήριον, & ipsa e ligno imputribili, sed solida lamina circumquaque contecta, cubitali in quadrum latitudine, altitudine vero dupla: ὑπὲρ δὲ ἐσχάρα χρυσῆ ὑπερέχουσα, ἔχουσα κατὰ γωνίαν ἑκάστην στέφανον, καὶ τοῦτον δὲ ἐν κύκλῳ περιθέοντα χρύσεον. Inerat autem craticula aurea supra superstans, habens in vnoquoque angulo coronam, & hanc circumquaque auream. Latinus loci Interpres, multis praetermissis: Super qua stabat, inquit, foculus, corona aurea circumquaque cinctus.

Ezech. 40. ℣. 13. de quo nos lib. 3. huius part. cap. 20.

Supra ibid. cap. 24.

VVLGATAE defensio.

Iosephus. 3. Antiq. cap. 7.

A

Sed duo praetermittenda non fuerunt, quae lucem allatura videantur: primum, quod cratem superstantem dixit quasi altari impositam, cui fortasse consonat Scriptorum sententia mox à me referenda, de crate, catenis è cornibus suspensa: alterum est, quod per angulos singulos coronam adiecit, nec abs re, cum elegantiae, ac decoris non parum cornibus addant, quas circumfinximus coronas. sed & altare corona cingitur in textu, quem post pauca expendam. Lyranus certe leui quadam coniectura Doctores, quos retulit, reiecit. Dicunt enim, inquit, Expositores nostri communiter, quod in angulis altaris superioribus erant quaedam ligna prominentia, ad modum cornuum recurua, in quibus pendebat craticula aurea in modum retis facta, in qua ponebantur carbones viui, in quibus succendebatur thymiama. Hebraei autem dicunt quod erant quasi quidam pomelli in angulis solummodo ad decorem nec erat ibi aliqua craticula, sed in patella de altari holocaustorum apportabantur carbones viui, vbi supponebatur thymiama, & cremabatur super eodem instrumento super altari posito. Et hoc, inquit, videtur rationabilius, quia si esset ibi talis craticula, vt alij dicunt, per eius foramina caderent cineres, scintillae, & huiusmodi super altare aureum, & sic oporteret illud emundari à cineribus, de quibus nulla fit mentio in Scriptura. Haec ille. Quae sane Lyrani sententia textui videtur esse contraria, quippe quae negat ignem in altari poni solitum, atque adeo altare ipsum minime incendi, sed thuribulum, aut patellam illi superimpositam, cum contra praeceptum à Domino sit. *Et adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragrans, mane*. Quod si super illud incendi putat, cum super imposito thuribulo incenditur, legat sequentia: *Quando componet lucernas, incendet illud* vtique altare, non vas, quod incenderat in medio atrio interiore, quando assumpsit ignem. Ex quo fit vt abstergendum necessario fuerit à cinere altare, quamuis id Scriptura non dicat, quae si omnia dixisset, nullum vtique humanae disputationi, & opinionibus locum reliquisset, quarum omnia plenissima sunt.

B

Nicol. de Lyra in Exod.

CRATICVLA aurea altari superposita.

C

Exod. 30. ℣. 7.

D

INVALIDUM argumentum, si ea negentur quae non dixit Scriptura.

Faciesque ei coronam aureolam per gyrum. Hebraeis corona est aurea. Septuaginta: Et facies ei vertibilem coronam auream in circuitu. Quod epitheton, vertibilis corona, alias saepe reperiunt. Sed Chaldaeus: Faciesque ei, inquit, circulum aureum per gyrum. Lyranus: Coronam, inquit, id est, labium in circuitu, aliquantulum supereminens tecto altaris, sicut supra dictum est de arca testamenti, & mensa propositionis. Haec ille. Vocem autem זר zer, quae habetur in Hebraeo, a verbo זרה zarah, deducunt Hebraei, non à זור zur, vt quidam opinantur, illa enim & circuire significat, & circumdare, quamuis etiam pro dispergere, seu ventilare, contraria significatione vsurpetur id quod non minus voci זור zur, contingit, vt ostendunt quam plurima in dictionarijs exempla. Nos vero coronam hanc ita effinximus, vt & foculum, & altare simul coronet, & vertibilem eam fecimus, siue in seipsam conuersam, atque ea ratione qua illam arbitrati sumus, omnibus, quae de ea afferuntur, testimonijs posse aliqua ratione satisfacere. In quam sane sententiam nos deduxerunt antiquae obseruationis exempla non pauca, quae ex ipsa huius aedificij imitatione desumpta esse & arbitramur, & plurimis addu-

Exod. 30. ℣. 4.

DE CORONA altaris.

Nicolaus de Lyra.

E

ctis exemplis confirmabimus, & deinceps magis ac magis confirmaturi sumus. Qua etiam ratione animalia illa quatuor, è quibus Cherubinorum facies desumuntur, effinximus, vt infra explicabimus, cum de aliorum instrumentorum ornamentis agemus.

QVOD ALTARE INCENSI MENSA *vocetur, & quare.*

Cap. L.

ET locutus est ad me: *Haec est mensa coram Domino.* Duplici via ingressi videntur huius loci Expositores. alij enim ad huc de altari locutum fuisse Prophetam arbitrantur, cum illud mensae nomine appellat, hique maxima ex parte Doctores sunt Latini, qui ipso Vulgatae contextu videntur permoti, haud immerito. Contra vero Hebraei cum Chaldaeo arbitrantur, Prophetam absoluta altaris descriptione, ad mensam, super qua panes coram Domino proponebantur, conuertisse sermonem. Quam vtramque sententiam, quoniam suis quaeque nititur fundamentis, breui percensere constitui, atque illam inprimis, quae ad perficiendam de altari disputationem facere videatur. Huius autem auctor esse videtur idem, qui textus Interpres, Sanctissimus Hieronymus. Vir ergo ille, inquit, qui Prophetam in abdita templi introduxerat, & inter cetera ostenderat ei altare ligneum, quod & angulos, & cornua iuxta Septuaginta, & parietes habebat ligneos, dixit ei: Hoc altare quod respicis, ipsa est mensa coram Domino. Et certe si ea in memoriam reuocentur, quae de lapideis mensis ad sacrificiorum vsum pertinentibus Propheta dixerat, & nos adnotauimus, haud difficile erit rationem inuenire, propter quam altare incensi mensae nomine censeatur. Nam si mensa dicitur ab immissis dapibus, ibique mensae dicuntur lapides, quibus sacrificiorum instrumenta, & carnes imponebantur, quare non etiam mensa dicatur altare, in quo ignis, & odoramenta coram Domino proponebantur? Tunc vero maxime ac merito mensa diceretur altare, cum sublata desuper ignis vmbra, atque thymiamatis, verum eidem altare sufficiendum erat, quod mensa potius dicendum erat, qua pascimur, & potamur; & altare, quo iuge, & infinitae virtutis, ac meriti sacrificium Deo viuo & vero in Ecclesia Catholica proponitur. Quod sane mysterium quamuis ab omni humana ratione longe sepositum sit, ac sola fide, quae per IESVM datur, Ecclesiae reuelatum sit, omnibusque illis absconditum, qui extra illam sunt, aliquo tamen huius Diuinae lucis splendore Hebraeorum oculos olim tactos fuisse videtur, cum nondum tenebrae eos comprehenderant. Cuius rei testis est Rabbi Salomon Ionathas, inquit, exponit, mensae, quae erat e re-

S. Hierony.

Supra lib. 3. huius partis cap. 37. & sequentibus.

MENSAE nomen cum altari conuenit.

MENSA dicitur altare nostrum, quo super caelesti pane pascimur, & viuifico potamur sanguine.

R. Salomon in comment.

A gione altaris: Possumus dicere mensam propterea appellari altare, quia scilicet hoc tempore propitiatur quasi altare. Sic audiui. Haec ille. Quod sane testimonium iusto Dei iudicio, & in Hebraeorum omnium confusionem, & in nouatorum nostri temporis iustam damnationem extare permissum est. Idem vero ab impio Dauide allatum, & quod erat eius ingenium, aliò relatum est. Altare, inquit, appellat mensam. Ionathas autem exponit, ex aduerso altaris erat mensa lignea, denotans de mensa ipsa fuisse locutum, meminit vero altaris, quia erat è regione altaris. In concionibus autem Rabbinorum habetur sic: Cur incipit (idest, Propheta) in altari, & desinit B in mensa? Rabbi Iohannan, & Rabbi Elihezer ambo dixerunt, eo tempore, quo templum adhuc extabat, altare propitiabat, nunc vero mensa ipsius hominis propitiat. Haec ille. Qui minime respexit ad locum Psalmi, de populo Christiano sic loquentis: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Hebraice: Pones coram me mensam ex aduerso molestatorum meorum. Hoc est, instruis mihi mensam delicijs omnibus affluentem in conspectu, atque in oculis aduersatiorum meorum, qui mihi insidias moliebantur, & necem. Liberaliter, laute, suauiter, sumptuose, atque secure me reficis, omnibusque bonis in hac mensa. Sacrae Euchari- C stiae teples, confirmas, atque tutaris, ipsis vel contradicentibus, vel reluctantibus Hebraeis, quibus, quod olim à Propheta Regio imprecatum fuerat, iam diu accidit, facta iam *mensa eorum*, hoc est, mensa, cuius imaginem, symbola, & veluti promissae pignora habuerant, *coram ipsis* videntibus, nec agnoscentibus, *in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.*

R. Dauid in comment.

Psal. 22. ℣. 5.

SECVRITAS iusti in medio persequentium.

Psal 68. ℣. 23.

Sed certe non est quòd per diuersa Scripturae loca vagantes, eorum, quae indicauimus, exempla quaeramus, cum vno eodemque Malachiae Prophetae testimonio, & mensa altaris nomine, & altare mensae censeatur nomine, atque huius rei causa manifeste indicetur, vt vel ea ratione D nostrum altare agnoscatur, quo & Deo quotidie immaculatum Agnum immolamus Christum, & in quo velut in lautissima mensa, carne eiusdem Agni pascimur, & sanguine potamur sub specie ac forma panis, & vini. Loquitur enim inprimis Deus ad Sacerdotes Leuitici ordinis. *Offertis super altare meum*, hoc est, super mensam propositionis, vt exponit Hieronymus, *panem pollutum.* Iterum vero altare ipsum mensam vocat: *Dicitis*, inquit: *Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur contemptibile est cum igne, qui illud deuorat.* Nullus enim ignis vsus erat in mensa, vt propterea à Hieronymo, Cyrillo, & Simplicio, contemptibile dici putetur al- E tare cum eiusdem oblationibus, quòd egenum esset altare, nec auro, vt olim, diues, & victimae, atque oblationes, prae animalium penuria, contemptibiles. Sed an de antiquo altari hic sermo sit, an de nostro à Iudaeis contemptui habito, non est nostri muneris expendere. illud tamen est maxime, quod ad permutata altaris, & mensae nomina spectat, eiusque permutationis causas indicandas. quod disertis verbis testatum a Domino per Prophetam est, atque ne vlla superesse posset in eiusdem expositione dubitatio, à Sacrosancta Tridentina Synodo ita explicatum est, vt nulli liceat fidelium ab ea nec latum quidem vnguem discedere. Cuius verba referre minime graabor,

DE SACRA Eucharistia sermo Prophetae perspicuus.

Malachi. 1. ℣. 7.

S. Hierony. ibid.

Malachi. 1. ℣. 12.

Cyrillus.

Simplicius.

Concil. Trident Sess. 22 cap. 1.

nabor, quae cum de vero ac singulari Sacrosanctae Ecclesiae sacrificio loqueretur: Et haec quidem, inquit, illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit: quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthijs scribens, cum dicit: Non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sunt, mensae Domini participes fieri, per mensam altare vtrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias sacrificiorum naturae, & legis tempore similitudines figurabatur, vtpote quae bona omnia per illa significata, vel vt illorum omnium consummatio, & perfectio complectatur. Haec ibi. Sed diutius fortasse quàm par esse alicui videatur, in suauissima huius sacratissimae mensae, & Diuini altaris recordatione immoramur. iam ad reliqua prosequamur, quae ad vetus illud spectant altare.

Malachi. 1. ℣. 11.
1. Corinth. 10. & 21.
ALTARE mensa dicitur

AVREVM ALTARE

CORAM DOMINO DICITVR *esse: vbi de altaris loco in tabernaculo, & in templo.*

Cap. LI.

Haec *est*, inquit, *mensa coram Domino*. Et de mensae nomine altari indito iam satis, reliquum est vt, quare coram Domino dicatur esse, breui examinemus. His verbis altaris locus, tum quem habuit in tabernaculo, tum quem habuit in templo, Hebraice לִפְנֵי יְהוָה liphne adonai, ad facies Dei. Quo eodem nomine aliàs saepe altare censetur, & locus eius. Non me latet ab aliquibus in dubium reuocari, an altare hoc in interiori cella Sancti Sanctorum esset, an vero in exteriori. Et quamuis certum, exploratumque esse videatur in historijs sacris, altare fuisse in anteriori aula, quae dicitur Sancta: tamen propter eorum auctoritatem, qui oppositum sentire videntur, res est attentius atque accuratius examinanda. In Exodo sic legimus. *Mense primo*, inquit Dominus, *prima die mensis eriges tabernaculum testimonij, & pones in eo arcam, dimittesque ante illam velum*: vbi perspectum est intra velum mansisse arcam, reliqua quae deinde referuntur, extra velum. *& illata mensa, pones super eam quae rite praecepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis, & altare aureum in quo adoletur incensum* לִפְנֵי liphne, *coram arca testimonij*. En pari ratione & candelabrum, & altare coram arca statuitur: at nemo vnquam arbitratus est, candelabrum in interiori cella Sancti Sanctorum fuisse, non ergo existimandum est altare. Hoc vero maxime confirmant sequentia eiusdem capitis verba: *Cumque intulisset* Moyses *arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, vt expleret Domini iussionem. Posuit & mensam in tabernaculo testimonij ad plagam Septentrionalem extra velum, ordinatis coram propositionis panibus, sicut praeceperat Dominus Moysi. Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonij è regione mensae in parte Australi, locatis per ordinem lucernis, iuxta praeceptum Domini. Posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum*. Hebraice: לִפְנֵי liphne, ad facies veli. Septuaginta in Sixtiano codice, E regione velaminis. Chaldaeus, Coram velo. Huius autem loci interpretem se exhibet Iosephus historicus, qui cum arcam intra adytum reconditam fuisse narrasset: In fano autem, inquit, mensam collocauit, quam cum accurate verbis haud secus, quàm cum coloribus depinxisset: Haec, inquit, solebat deponi in fano versus Septentriones, non longe ab adyto. Interiectisque nonnullis de panibus Deo propositis, haec verba subiungit: Ex aduerso mensae propius Meridianum parietem, situm erat candelabrum ex auro fusile &c. Inter hoc & mensam, vt dixi, sita erat arula suffumigatorij. Idem autem quod relatis Exodi verbis recensetur, prius a Domino iniunctum fuerat, cum de ipsius altaris fabrica loqueretur, *Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonij coram propitiatorio*. Quae verba perpendit optime Caietanus: Locus, inquit, huius altaris describitur à duobus: Primum, quòd sit in loco ante velum existens ante thecam, hoc est, diuidens inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Erat ergo locandum altare hoc non in loco, qui dicitur Sanctum Sanctorum, sed in loco, qui dicitur Sanctum, ad faciem veli: sic enim dicitur in Hebraeo: Et dabis ipsum faciebus veli. Et quia facies veli extendebatur per totam latitudinem tabernaculi, ideo secundo describitur certus situs coram velo, videlicet è regione propitiatorij. Ex quibus clare patet, quod altare hoc erat coram velo directe ad propitiatorium, ac per hoc erat in medio latitudinis tabernaculi. Ita quod Sacerdos incendens super illud thymiama, ibidemque orans, faciem suam habebat directe ad propitiatorium, intercedente tamen velo. Haec ille. Quibus nihil praeterea addendum videtur, praeterquam quòd ex eo, quod coram propitiatorio, cui insidet Dominus, deponitur hoc altare, & coram propitiatorio dicitur esse, & altare quod est coram Domino. Quod & Ezechielis, quem interpretamur, & Leuitici alio celebri testimonio maxime fit perspicuum: hoc autem priusquam in medium proferamus, quamdam oportet referre sententiam, quae nobiscum ex aduerso pugnat. Cuius auctor, si eius auctor est is, cui inscribitur, tantae auctoritatis est, vt illum silentio veneremur, quod eius verba aliter quàm sonant, interpretari nesciamus.

Exod. 40. ℣. 2. 3. 4. & 5.
ALTARE extra velum interius in tabernaculo fuit.
Exod. 40. ℣. 19. & sequent.
Iosephus 3. Antiq. cap. 7.
Exod. 30. ℣. 6.
Caietanus.
ALTARE in media aulae sanctae latitudine.

Ante arcam, hoc est, inter arcam, & velum positum erat, inquit, altare incensi: quae occasio fuit vt pariter arbitraretur summum Sacerdotem singulis diebus bis introisse in Sanctum Sanctorum, ad inferendum incensum super hoc altari; semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare. Cuius sententiae fundamentum illud vnum esse videtur, quod legimus in Exodo. *Et adolebit*, inquit, *incensum super eo Aaron, suaue fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras*. Sed certe

Exod. 30. ℣. 7. & 8.

ministerium hoc, quod in futuras generationes decernitur, sicut neque ad vnam Aaronis personam contrahendum est; ita neque ad vnam Aaronis dignitatem, quinimmo sub vno Aaronis nomine reliquos Sacerdotes intelligendos esse probat historia Nadab, & Abiu. Namque quod summo Sacerdoti minime liceret toties adyta penetrare, confirmat Hebraeus Philo, lege à Moyse lata statutum fuisse. Is enim semel tantum in anno ingredi licuisse summo Sacerdoti, testatus cum fuisset, haec subiungit verba. De cetero, inquit, si quis, non dico plebeius Iudaeus, sed Sacerdos vel à summo proximus, immo is ipse Pontifex si duobus anni diebus, aut eadem die ter, quaterue introierit, capite luet absque venia. Tantam religionem adytorum voluit esse Legislator, vt haec sola inaccessa, intactaque seruarentur. Hactenus ex Philone.

Philo de Legat. ad Caium.

Sed quoniam firmum magis, ac celebre testimonium nobis suppetit, illud in medium afferre non grauabimur. Sanctus enim Paulus Apostolus tabernaculi leges, ac caeremonias ad Christi referens mysteria, *Habuit quidem*, inquit, *prius* vtique testamentum, vt bene probat ex Chrysostomi, Theophylacti, & Oecumenij sententia noster Ribera, *iustificationes culturae*, mandata, leges ad Dei cultum pertinentes: sic enim licet, vt alias saepe in sacris Literis, *iustificationes* pro legibus vsurpare, praeceptis, aut caeremonijs. Non tamen a sensu abhorret, neque a communi Hebraeorum phrasi, vt cultus iusti intelligantur: habuit enim cultum a Deo iniunctum, iustum illum quidem, habuit caeremonias, quas licuit iustificationes vocare, quòd iustae essent, & verae iustitiae symbola. *Et Sanctum saeculare*, Graecis mundanum. cumque mox tabernaculum in duas partes tribuat, aut in duplex tabernaculum, primum vocat Sanctum, eiusque enumerat instrumenta, secundum vocat Sanctum Sanctorum, illis omnibus accuratius recensitis, quae in eo erant.

SVMMO Sacerdoti non quotidie licebat adyta penetrare.
Ribera in Epist. ad Hebraeos.
S. Ioannes Chrysost.
Theophylactus
Oecumenius.

De priori tabernaculo existimandum est illud vocari ab Apostolo saeculare, aut mundanum. Quod confirmat Syriaca interpretatio, quae sic habet: In primo autem erant praecepta ministerij, & aedes sancta mundana. Quo nomine primum tabernaculum ab Hebraeis omnibus appellari consueuisse, & eius nominis duplicem rationem tradit Iosephus sic scribens: Nam & tabernaculum, inquit, longitudine triginta cubitorum trifariam partitus, & duabus partibus Sacerdotibus permissis, quasi prophano loco ἄβατον βέβηλον, τινὰ καὶ κοινὸν τόπον, quasi prophanum quendam, & communem locum, terram & mare significat. haec enim ab omnibus promiscue calcantur, tertiam vero partem soli Deo assignauit, eo quod caelum hominibus sit inaccessibile. Eandem fere partium similitudinem prosequitur idem Sanctissimus Apostolus Paulus: *His enim*, inquit, *ita compositis*, ita paratis, & ordine dispositis. Syriace: Quae quidem ita ordinata erant, vt in tabernaculum exterius semper introirent Sacerdotes, ac peragerent ministerium suum: in tabernaculum vero interius semel in anno tantum introibat summus Pontifex cum sanguine. &c. *in priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine*. Et certe si mens Pauli attentius perpendatur, eiusque verba cum illis conferantur, quae de huius altaris ministerijs dicuntur in Exodo, plane comperietur duplex ministerium Aa-

PRIVS Tabernaculum saeculare, aut mundanum dicitur.
Iosephus 3. antiq. cap. 8.
Hebr. 9. ℣. 6. & 7.

A roni in generationes suas constitui, hoc est, filijs, ac posteris suis: alterum quotidianum, cum lucernarum compositione matutina, & vespertina coniunctum, quod quia quotidie peragendum erat, nec vllo vnquam die, nullaque occasione intermittendum, sempiternum dicitur in Exodo. Cui verbo apte respondet, quod Paulus ait, *Semper introibant Sacerdotes*. Alterum vero ministerium annuum est, & vnius diei: & quidem illud ministerium Paulus Sacerdotibus tribuit, hoc vni summo Sacerdoti. nam vbi nos legimus, solus Pontifex, Graece habetur: μόνος ὁ Ἀρχιερεύς, solus, vel vnus ille princeps, vel primus Sacerdos. Mirari tamen non desino, quod B aliquibus Expositoribus in mentem venire potuerit, Sacerdotem summum, semel effuso sanguine introisse, aliàs saepe non effuso, cum eius rei praeceptum negatiuum habuerit in Leuitico: *Loquere*, inquit Dominus ad Moysen, *Loquere*, inquam, *ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum) nisi haec ante fecerit. vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum* &c. *Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium* &c. Inter ea autem quae fieri iubentur, illud praecipuum C est, quod ad vituli oblationem spectat, & sanguinis aspersionem, quo omnia fere aspergenda erant, atque mundanda. non ergo lege permissum ei erat ingredi sine sanguine, atque adeo neque ingredi bis in anno, aut praeterquam in die expiationis. Sed quamuis hoc ita certum non esset, & in ipsa lege decretum, vis omnis argumenti Pauli pene eluditur, si asseratur Pontifici saepius introire Sanctuarium licuisse. Parabolae enim veritatem enarrans: *Christus*, inquit, *assistens Pontifex* &c. *sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta*. Hoc autem quod adhuc sub aenigmate dictum videbatur, apertissima oratione explanat subdens: *Non enim in* D *manu facta Sancta* IESVS *introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum caelum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt saepe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione saeculorum* &c. Certe stultus sim, si in confirmanda re certissima, atque apertissima diutius immorer: vix enim excogitari possent verba, quae magis illi sententiae aduersarentur, nisi quae illam aperte negarent. Nam si Paulus alienum esse arbitratus est a morte Christi exemplari repraesentata, annuum Pontificis ingressum, quanto E magis alienum esse putaret quotidianum?

MINISTERium sempiternum quare dicatur.
SVMMVS Sacerdos nunquam sine sanguine Sanctuarium introibat.
Leuitic. 16. ℣. 2.
Ibid. ℣. 3. 14. 18. &c.
Hebrae. 9. ℣. 11. & 12.
PARABOlae veritas à Paulo explicata.
Ibid. ℣. 24. 25. & 26.

Sed vnam, eandemque Christi mortem (quae vna non hominibus modo omnibus, qui sunt, erunt, aut fuerunt, saluti esse posset, sed & omnibus qui possent esse) eiusque, quam Theologi vocant sufficientiam, ac caelestem Christi ingressum quotannis repraesentari oportuit, ne ab hominum, quorum maxime intererat, memoria excideret, quotidie iterari nec decuit, neque lege permissum est, sed sub capitis interminatione prohibitum: ne minus sufficiens videretur vel vna repraesentatio, vel mors Christi exemplari repraesentata.

Sed ne quidquam assumpsisse videamur, quod

non

non satis superque confirmatum sit, breui, obsecro, ostendamus ministerium illud oblati incensi quotidiani, quod cum compositione lucernarum coniunxit Dominus, non ad Aaronem tantum, sed & ad omnes Sacerdotes pertinuisse. Id quod testatum est in Exodo, dicente ad Moysen Domino: *Praecipe filijs Israel vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, pilaque contusum, vt ardeat lucerna semper.* Singularis numerus pro numero multitudinis vsurpatur, quod aliàs saepe vsurpant sacrae Scripturae, idque testatum est à Chaldaeo paraphraste: Oleum &c. inquit, vt luceat, vt incendantur lucernae semper &c. ordinabit eas Aaron à vespere vsque ad mane. *In tabernaculo testimonij extra velum, quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam*, earum vnamquamque *Aaron, & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino.* Sed neque hoc confirmare iam decet, quod testatum est in lege. Illud vero quod initio proponebamus, certe colligi videtur ex ijs, quae probata sunt. Nam si nulli hominum, Sacerdotum nulli, neque ipsi summo licebat quotidie ingredi Sanctum Sanctorum, suffitusque quotidie bis in hoc altari incendendus erat, qui fieri posset vt altari intra adytum constituto incensum, vel thymiama imponeretur ab ijs, quibus adytum penetrare non licebat? Sed neque hoc ipsum, quod sola huiusmodi ratione satis videbatur esse firmum, testimonio vacat sacrae Scripturae. Nam dum de illa ipsa expiationis die loqueretur, qua vna summus Pontifex Sanctum ingrediebatur Sanctorum: *Nullus*, inquit, *hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur &c. donec egrediatur. Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se &c.* Ecce egredienti Sanctuarium Aaroni altare occurrit, quod coram Domino esse dicitur. Alterum vero altare, quod in medio atrio erat coram tabernaculo olim, atque in templo coram vestibulo, vel, vt dixit Propheta noster, *Altare ante faciem templi*, fuisse dicitur, vt de eo intelligi vix possit locus Leuitici.

Exod. 27. ℣. 20. & 21.

MINORIbus etiam Sacerdotibus incensum quotidie offerre licebat.

B

ALTARE extra Sanctum Sanctorum constitutum.

C

Leuitic. 16. ℣. 17. & 18.

Ezechi. 40. ℣. 47.

D

Ex qua altaris denominatione fit manifestum, quod satis confirmatum est à Tostato, quamuis ab alijs in dubium reuocetur, Nadab & Abiu ad hoc altare incensum obtulisse tabernaculum ingressos: sic enim legimus: *Arreptisque Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum &c. Egressusque ignis à Domino:* Hebraice, & Chaldaice, à facie Domini, *deuorauit eos, & mortui sunt. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in ijs, qui appropinquant mihi.* Ex quo liquet colligere, & hos Sacerdotes Domino appropinquasse Sanctum ingressos, & a facie Domini, hoc est, ab altari incensi ignem egressum, qui deuorauit eos. Quasi vero ignis ille è caelo primum ad altare holocaustorum delapsus, & ad altare incensi antea delatus, consortium respuerit alieni ignis, quem cum offerentibus illum absorbuit.

Abulensis super Leuitic.

Leuitic. 10. ℣. 1. 2. & 3.

E

CAELESTIS ignis, terrestris non admittit consortium.

Hanc porro sententiam, Rabbinorum confirmat sententia illorum, qui praeter illam caussam, quae in textu indicatur huius necis, atque Diuinae vltionis, aliam arbitrantur fuisse, quòd sibi non cauissent à nimio vini potu, templum ingressuri. quam ex eo non inepte, vt alias, colligunt, quod post enarratam horum Sacerdotum necem, Dominus Aaroni huiusmodi praeceptum dedisse narratur: *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini.* Quasi dicat, alieno periculo cautiores euadite: quod Hispane dicimus: Escarmentad en cabeza agena. Nostrae sententiae contrarium putant esse nonnulli Iosephum sic scribentem: Ex eo accidit Aaroni quaedam calamitas, paterno animo grauis &c. Ex quatuor filijs, quos dixi, seniores duo Nadabus & Abius, cum in aram intulissent victimas. Graece θυμιάματα, quae vox sacrificium leue significat, vel suffitum, quod genus quoddam sacrificij est: nam si quod Latina vox sonat, sensit Iosephus, cum à sacra dissentit Scriptura, quòd à nostra discedat sententia, curandum minime videtur.

Ibid. ℣. 9.

Iosephus 3. antiq. cap. 9.

QVOD BEATVS PAVLVS NVMQVAM *arbitratus sit altare incensi fuisse in adyto templi.*

Cap. LII.

MVLTO autem magis nobiscum pugnare videntur, qui Beatum Paulum huius altaris meminisse arbitrantur, & quod illud vocauerit thuribulum, atque in Sancto Sanctorum cum arca illud constituerit. Apostoli haec sunt verba: *Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti* &c. Et certe quod ad thuribuli nomen altari inditum spectat, haud difficile persuasu erit Graeca legentibus, vbi θυμιατήριον legitur, qua voce vsus est Iosephus, cum de altari loqueretur. Et quidem si altare hoc, eiusque vsus attentius perpendatur, nihil aliud esse cognoscetur, quàm magnum quoddam thuribulum. Siquidem in eo nihil aliud offerebatur, quàm odoramenta quaedam igni superposita. Quare Syriaca paraphrasis pro thuribulo, domum aromatum scripsit. Neque huic notioni contraria est, sed similis Hebraea vox, quae legitur in Leuitico, & in thuribulum transfertur: מחתה machthah, quam receptaculum ignis, cinerum, aut odoramentorum interpretantur Rabbini, à verbo deductam חתה chathah, quod fere eiusdem esse tradunt significationis cum לקח lakah, vtrumque enim capere significat, suscipere, ac si receptaculum dixisses.

Hebrae. 9. ℣. 3. & 4.

Iosephus de bello 6. cap. 6. Et 3. antiq. cap. 7.

ALTARE thuribulum facile vocaretur.

Leuitic. 10. ℣. 1.

Quae quamuis vera sint, vt certe sunt: tamen mihi numquam non displicuit sententia illa, quae Paulum putat de hoc altari locutum, cum thuribulum dixit a secundo contineri tabernaculo. Nam etiamsi hoc altare, oraculi merito dicatur, quippe illi proximum, atque ab oraculo haberi merito diceretur, quod totum oraculo esset dedicatum: tamen illud stare minime posse arbitrarer, quod haec sententia supponit, eiusdem plane orationis verbum habendi aliter de arca intelligendum esse, quam habuit intra se, altero modo de altari, quod manebat extra: *Aureum*, inquit, *habens thuribulum, & arcam testamenti*.

ALTARE oraculi quare dicatur.

S. Anselmus. S. Thomas super Epistola ad Hebraeos.

Teneamus igitur id quod Beatus Anselmus, Beatus Thomas, atque alij Expositores affirmarunt, alium fuisse thuribulum Sancti Sanctorum ab eo, quod erat in Sancto: hoc enim altare potius dicendum est, forma & magnitudine ab illo longe diuersum. Neque quemquam mouere debet, quod Paulus inter enumerata templi instrumenta, altaris aurei non meminerit, cum id mysterio non vacet, neque exemplo. Cum enim Christum futurorum bonorum pontificem in caeleste Sanctum Sanctorum introduxisset inde numquam egressurum, ibidem meminit thuribuli, quo incensum offert Christus interpellans semper pro nobis, exterioris non meminit altaris, cuius oblatio cruentum Christi sacrificium consummatum in hac vita repraesentat sed ad exempla veniamus. Quis non miretur Prophetam nostrum, qui tam accurate templi partes, ornamenta, instrumenta omnia videtur enumerare, arcae testamenti, atque candelabri pene fuisse oblitum? Illud vero magis videri potest mirum, quod cum Paulus hoc loco de arca sic scribat: *In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quae fronduerat, & tabulae testamenti*. Historia tamen Regum aliter haec eadem enumerare videatur: *In arca autem*, inquit, *non erat aliud, nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb*. Nouerat sane sacer Historicus in arca fuisse & vrnam auream cibo illo caelesti plenam, & virgam, quae Sacerdotium Aaronicum miraculo confirmauerat; sed has omittit quasi minus ad institutum suum pertinentes: siue quod earum causa non fuit arca confecta, cum fuerit facta ad asseruandas legis tabulas. Quae fuit Sancti Thomae sententia. Sensus igitur loci est, ac si aperte diceret, Vnum, vt cetera, quae minoris momenti sunt, praetermittam, Vnum, inquam, quid magnum, omnique aestimatione praeferendum thesaurum arca claudebat tabulas legis lapideas illas: sed hoc quantum, quantum est vt eius gratia solium suum Deus in illa constituat, illique insideat, ac tantam faciat suae maiestatis significationem? Qua velut parenthesi, Dei Optimi Maximi in populum suum commendat benignitatem, atque hunc retrahit ab omni idololatriae occasione. Ac si aperte dixisset: Ne putetis aliquod visibile numen in arca delitescere, quod tanta gloria videatis illam coruscantem, tam magnifica Regia obseruatam, tanta ministrorum, atque opum gloria circumfusam, nihil in ea praeclarius est lapideis quibusdam tabulis: sed Deus nostri ductus amore, inuisibilis quamuis, & incomprehensibilis, propitiatorium & arcam sedem suam delegit, & gloriae thronum. Ex quibus liquido constare videtur, Scriptores sacros ea tantum referre, quae ad praesens facere putant institutum, reliqua

QVARE S. Paulus altaris incensi non meminerit.

Hebrae. 9. ℣. 4.

3. Reg. 8. ℣. 9.

QVARE Historia Regum virgam Aaron non enumerauerit inter ea, quae erant in arca.

S. Tho. lect. 1. in epist. ad Hebraeos.

A subticere plerumque consueuisse.

Thuribulum itaque oraculi illud esse arbitrantur nonnulli, quod singulis annis in oraculum inferebat Aaron. Sed illud certe vix capere possunt, quod cum, vt ex eodem Domini praecepto constat, sine thuribulo ingredi oraculum minime licuisset; siquidem fumi nebula opertura erat oraculum, ne moreretur ingrediens: qui fieri poterat, vt in ipso oraculo maneret thuribulum, quod prius educendum esset, quam inducendum? Sed ego harum difficultatum auctores monitos vellem, vt prius quae certa sunt, statuant, mox suis difficultatibus satisfacere qua ratione poterunt, conentur: quod si minime potuerint, doctiores

THVRIBVLum quod desi, per planis introducebatur in oraculum, an maneret in oraculo.

B consulant. Iam enim, vt diximus, certum est in oraculo fuisse thuribulum, quod non modo ab instituto primum tabernaculo obseruatum fuit, verum etiam toto tempore, quo templum Hierosolymis mansit. Nam vt auctor est Rabbi Iacob apud Genebrardum, arcae loco post reditum e captiuitate, lapidem tres digitos erexerunt Hebraei, cui thuribulum imposuerunt. Certum etiam est, thuribulum in idem oraculum inferri à summo Pontifice solitum per singulos annos: dicamus ergo quod nullum videtur admittere inconueniens: Pontificem aureum quoddam thuribulum ex illis, quorum infinitus propemodum numerus asseruabatur in sacris thesauris, in oraculum deferre

R. Iacob ex Talmud par. 1 pag 106. Genebrar. anno mundi 3640.

RITVS DIEI expiationis.

C re solitum, prunis ex altari desumptis plenum, cuius formam aliqua ratione videre Lector poterit numismate octauo expressam in nostro Apparatu, & hoc thuribulum thymiamate imposito humi depositum fuisse, dum assumpto altero thuribulo ibidem inuento, & sanguinis phiala, digito aspergeret, atque mundaret Sanctuarium, tabernaculum, atque altare: quibus extra oraculum absolutis thuribulum ibi relictum ab eo fuisse, vsque ad sequentis anni similem diem, qua allato altero thuribulo, illud prius foras educeretur, non idem, propter ea, quae mox asseremus. Huius autem nostrae coniecturae argumentum suppeditat nobis Dominicum in Leuitico praece-

Tom. 3. Appar. part. 2. lib. 2 cap. 21.

D ptum: *Postquam emundauerit*, inquit, *Sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuentem*. Quasi dicat, Cum primum haec absoluerit, nulla interposita mora offerat hircum: quod sine dubio extra tabernaculum erat faciendum, vt ex ijs, quae ibidem praecipiuntur, fit conspicuum. Quae omnia non casu, aut temere fuisse facta censuimus, sed quoniam maxime videbatur condecens, tum vt ignis & incensum semel in oraculum inuectum, ibidem omnino consumeretur, quod breui tempore non poterat fieri: tum vero maxime vt ibi maneret thuribulum, Diuini cultus monumentum; non alia ratione quam ea, propter quam thus panibus propositionis imponi mandatur: *Vt sit panis in monimentum oblationis Domini*. Atque haec de oraculi thuribulo dicta sufficiant.

Leuitic. 16. ℣. 20.

E

Leuitic. 24. ℣. 7.

QVOD

QVOD SEMPER INCENSI ALTARE FVERIT *in Sancto, ad cuius dexteram apparuit Angelus Zachariae Sacerdoti non summo.*

Cap. LIII.

ILLVD tamen videndum superest, an haec eadem, quae de situ altaris dicta sunt, pari ratione in templo constituta fuerint, qua in tabernaculo, de quo hactenus locuti sumus. Et fuisse quidem omnia similia suadet partium omnium symmetria, & responsus: sed multo magis ipse Prophetae nostri contextus, qui cum faciem Sanctuarij similem fuisse dixisset aspectui, siue faciei templi, mox altaris lignei meminit, quippe ante faciem Sanctuarij constituti: quod magis aperte testatur dum subdit: *Haec est mensa coram Domino.* Sed hoc quoque disertis verbis à Iosepho testatum fuit semel, cum de Salomonis fabricis loqueretur: Candelabrorum item fecit, inquit, decem millia, illud millia delendum fortasse videatur, vt cum sacra Scriptura concordet, etiamsi bene conuersum sit ab Interprete, nam idem habetur in Graeco codice, secundum praeceptum Moysis: ex quibus vnum in templo dedicauit, vt interdiu luceret secundum legem: & mensam vnam impositos panes habentem, sitam ad Septentrionale templi latus ex aduerso candelabri, id enim ad Australe templi latus collocauit, medium autem inter vtrumque locum obtinebat altare illud aureum. Haec omnia continebat anterior illa templi pars, quadraginta cubitos longa, & velo disparata ab adyto, illo enim arca erat inferenda. Hactenus ex Iosepho. Qui iterum quibusdam interiectis, haec subdit: Candelabrum autem, & mensam, & altare aureum statuerunt in templo ante adytum eisdem locis, in quibus in tabernaculo prius sita fuerant. Ac tandem templi fabricam ab Herode instauratam referens, longitudinem sexaginta cubitorum, qua domus constabat, in duas partes diuisam esse testatur: Et prima quidem pars, inquit, ad quadraginta cubitos aulaea, secta, haec tria mirabilia, & praedicanda opera cunctis hominibus habebat, candelabrum, & mensam, & thuribulum. Graece θυμιατήριον, quam vocem altare incensi licet conuertere.

Iosephus 8. antiq. cap. 2.

ALTARIS incensi locus in templo.

Ibidem.

Iosephus 6. belli cap. 6.

Philo lib. 3. de vita Mosis.

Accedit Philonis auctoritas, & non contemnendum testimonium, qui cum tabernaculum descripsisset longum cubitos triginta, latum decem, velo è quatuor columnis, quas tabulas vocat, appenso in duas partes tributum, atque altero velo ab Oriente clausum, è quinque tabulis, seu columnis pendente, sacra vasa extructa fuisse narrat, arcam, candelabrum, mensam, & duo altaria, alterum suffitus, alterum victimarum: Arca vero, inquit, in adyto posita erat intra vela. quam cum accurate descripsisset, & Cherubinos, haec subdit: Ceterum in confinio quatuor, & quinque tabularum, columnarum substituo, & confinium medium inter has, atque illas spatium interpretor. quod proprie dici potuit templi vestibulum, velo interiore, exterioreque inclusum ... vasa foris posita, medium altare odoramentorum, per quod significatur debita pro terrenis, aquaticisque rebus gratiarum actio: nam haec elementa mediam mundi regionem obtinent. At candelabrum Austrum versus &c. versus Septentriones autem mensa. Haec ille. Quae omnia cum ita secum inuicem conueniant, vt haec illis videantur confirmari, sicut contra his illa: de altaris loco nihil praeterea dicendum censui.

Denique huic extremae disputationi quasi coronidem illud imponet, quod refertur in Euangelio de hoc eodem altari. ingresso enim Zacharia templum Domini: *Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Cuius certe loci cognitio ex ijs, quae de hoc altari dicta sunt, maxime videtur pendere. Nam cum Zachariae ministerium, Angeli conspectus, atque colloquia, & reliqua omnia, quae peracta recensentur, circa altare incensi facta sint, perspectum cuiuis esse debet, ac notum, omnia in priori tabernaculo peracta fuisse. quod certe mysterio non vacat. Nam sicut prius tabernaculum secundi erat quasi vestibulum, & via: ita Ioannes praecursor fuit Christi, qui super Cherubim sedet, ac manifestat se *coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.* hoc est, in Sancto Sanctorum, cuius posteriorem partem Occidentalem hae tres Tribus custodiebant. ac si vulgo diceremus, *que estauan en la reta guarda.* Huius, inquam, IESV Christi Dei, atque hominis praecursor, viamque praeparans fuit Ioannes. Merito igitur de Ioanne annuntiaturus Zachariae Angelus in priori apparet tabernaculo, vt locus, tempus, ministeria, personae, omnia ad praenuntiandum Christi Domini aduentum referri videantur. Quo etiam spectare videtur, vt non summi Sacerdotis sit filius Ioannes, sed eius, qui summo ministrare solebat. Nam quemadmodum Leuiticum Sacerdotium figura fuit, & exemplar Sacerdotij Christi, ac propterea illud finem habuit, hoc in aeternum permansit: ita in Ioanne Christi Sacerdotium extollente, nihil debuit esse summi, vt in hoc etiam testari videretur Christi esse summum Sacerdotium, & hoc vnum summum, quippe aeternum, & cui nullum conferri, nedum praeferri posse videatur. Quod nos alibi ex sententia Beati Pauli Apostoli ostendimus.

Luca 1. ℣. 11.

VISIO ZAchariae in priori tabernaculo facta fuit.

Psal. 79. ℣. 3.

LOCVS, tempus, ministeria, personae, Christi aduentum praenuntiabant.

Tom. 3. Ap par. par. 1 lib. 1 cap 12.

Sed quamuis haec ita sint, tamen Doctorum sententia, qui quodam pio ducti animi affectu erga Sanctissimum Ioannem, Zachariam arbitrati sunt fuisse summum Sacerdotem, nihil cum ijs pugnat, quae de altari à nobis statuta sunt. Nam quamuis altare fuerit in priori tabernaculo, summi Sacerdotis duplex fuit munus, alterum cum reliquis minoribus Sacerdotibus commune, quod ad incensum in altari ponendum spectat, & ad aptandas lucernas: alterum fuit ipsius summi Sacerdotij proprium, & vna tantum expiationis die exercendum, quod ad ingressum spectat secundi tabernaculi, quod dicitur Sanctum Sanctorum. Quare cum de quotidiano ministerio agat Euangelista, illud quidem & a summo Sacerdote potuit exerceri, nonsecus atque à minori. Haec autem propterea diximus, quòd etiam ex hoc capite falsa putatur esse sententia, quam multi ex antiquis Expositoribus tenuerunt, altare incensi in oraculo constituentes. At Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, Beda, Strabus, Theophylactus, Comestor, atque alij, qui Zachariam principem Sacerdotum fuisse arbitrati sunt, eo referendi videntur, vt princeps Sacerdotum

S. Ambrosius. S. August. tract. 49 in Ioannem. Beda Strabus Theophylactus super Lucam Historia Scholastica.

ZACHA-rias princeps Sacerdotum vnus e multis.

dotum fuisse credatur vnus ex ijs, qui multi simul numerabantur: nam summum Sacerdotem fuisse cum Euangelica historia videtur pugnare. Nam quod Sacerdos quidam fuisse dicatur, Graece ἱερεύς τις qua voce eum significari putant, qui alius à magno sit. Dicitur esse *de vice Abia*, Graece ἐξ ἐφημερίας, quam vocem putarunt quidam euidentiorem esse, quippe quae certos dies esse praescriptos indicaret, quibus Sacerdotes hi ministrarent, aut illi. Hanc autem vicem illam esse censent quamplurimi, quam excogitauerat Dauid, & sortitus fuerat inter Sacerdotes minores, quos cum in partes tribuisset quatuor & viginti, sorti commisit: quae earum primo quae quo deinceps loco ministratura esset, inter quas octaua sors Abiae contigit, vt in libro Paralipomenon testatum est, & à Iosepho relatum. Et huius sententiae duces sequimur Bedam, Theopylactum, atque alios. Confirmatur hoc idem ex eo quod subiungit Euangelista: *Factum est autem cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum, secundum consuetudinem Sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret.* Quae omnia & singula fere verba ita minorum Sacerdotum officia denotant, vt fere nulla ratione possint conuenire summo. In ordine vicis summus non ministrat cum sit vnus, ordo vero numerum denotat. Illud vero, *ante Deum*, primum denotat tabernaculum, vt bene notauit noster Maldonatus. Nam cum in secundo sedes Dei fuisse crederetur, primum, quod illi adstabat, coram Domino esse dicebatur. At summus Sacerdos tunc sacris operabatur in Sancto, cum regrederetur à Sancto Sanctorum: id quod si Zachariae accidisset, aut ab Euangelista silentio non fuisset praetermissum, aut certe aliqua illi ratio assignanda esset, propter quam non in oraculo, sic dicto quod ibidem redderentur oracula, sed extra illud tam celebre de Christi aduentu, & eius praecursore redderetur oraculum.

DE VICE Abia.

1. Paralip. 24. ℣. 3. & 10.
Iosephus 7. antiq. cap. 11.
Beda, & Theophylactus hic.
Eucherius q. 1. in Lucam.
Lucae 1. ℣. 8. & 9.

ORDO vnus non est, supponit enim numerum Maldonatus in Lucam.

Sed quia longum esset, & à nostro instituto alienum, singula expendere verba, illud vltimum *Sorte exijt*, nobis satis pro omnibus erit. Nam cum quo sortiatur summus, si est tantum vnus? Non me latet huic argumento, quod magnam vim habere videbatur, eos qui contra sentiunt respondere conatos fuisse quàm plurimis excogitatis figmentis, Sacris non minus, quàm prophanis historijs aduersis. Negant Sacerdotium vni, socium Sacerdotij Abiam fingunt, qui a tempore Dauidis fuerat. Sacerdotibus sorte ministeria summi distribui solita confingunt, quod nullus esset, qui summi fungeretur officio, & alia id genus sexcenta monstra, quae enucleata veritate conuulsa esse agnoscet lector apud nostrum Maldonatum. Sed certe si fides aliqua Iosepho illius aetatis historico habenda est, nulla his certe debetur, neque locus supererit Zachariae Sacerdotio summo. Is enim Matthiam, summum Sacerdotem in somnio pollutum narrat, die expiationis munere suo fungi minime potuisse. Huic porro Matthiae Herodes morti proximus, quòd seditionis reum illum esse existimauit, ademit Sacerdotium, eique successorem dedit fratrem vxoris suae Ioazarum. Sub huius porro Ioazari Sacerdotio natus est Christus Dominus. nam idem Iosephus narrat descriptionem illam orbis factam à Praeside Syriae Quirino: sic vocat Latinus Iosephi Interpres eum, quem Sanctus Lucas Euangelista vocat Cyrinum, sed Graece

QVIS FVErit summus Sacerdos tempore Zachariae.
Iosephus 17. antiq. cap. 8.

A Κυρήνιος Cyrinos appellatur: qua ratione Latinum Iosephi Interpretem castigandum esse censemus. Descriptionem porro Ioazari opera peractam fuisse testatur. Eius haec sunt verba: Quin & ipse Cyrinus in Iudaeam venit iam attributam prouinciae Syriae, vt percenseret facultates eius regionis ciuium, & Archelai facultates venderet. Illi vero tametsi primum aegre ferrent mentionem descriptionis, non sunt tamen reluctati pertinacius, parendo auctoritati Pontificis Ioazari, qui Boethi fuit filius: atque ita illius suasu sine controuersia census peractus est. Haec ille. Huius autem Ioazari pontificatum tamdiu durasse constat ex eodem Iosepho, donec census absolueretur, sic enim scribit: Cyrinus autem venditis, & confiscatis Archelai facultatibus, peractoque B censu &c. cum mota esset contra Ioazarum Pontificem plebis seditio, priuauit eum hac dignitate, & Ananum Seth filium substituit. Cum igitur huius census descriptio occasio fuerit Natiuitatis Christi in Bethlehem, quam biennio praecesserat Ioannis annuntiatio, nullus superesse videtur locus, quo Zacharias summum gesserit Pontificatum. Quod si alij quidam Pontifices ab Archelao in Ioazari locum suffecti sunt, illi Ioazarus, & Iesus appellati sunt, nullus eorum Zacharias. Et certe si in laudis partem aliquam Ioanni Baptistae cederet summus parentis eius Pontificatus, illam ei cuperem cumulatissime, cui me totum, omniaque mea studia commendata esse desidero, & dolerem maC xime, quòd tot suppetant rationes oppositum suadentes: at cum, vt dixi, in maiorem Christi gloriam vergat si eo abdicetur, id illi gratissimum fore existimo, qui Christum semper optauit crescere, se autem minui. Atque haec de altari, eiusque loco dicta sufficiant.

Ioseph. 18. antiq. cap. 1.
IOAZARVS summus Pontifex cum Christus nasceretur.
Ibid. cap 3.

D
DE MENSA PANVM PROPOSITIONIS,

quae eisdem mensuris semper fuit, quo propius perpetuam noui, & Testamenti mensam repraesentaret.

E
Cap. LIV.

PERACTA de altari disputatione, ad eadem Prophetae verba redire compellor, quippe quae aliter ab alijs Interpretibus exponuntur. Et inprimis Theodoretus: Et ab eo, inquit, qui haec mihi ostendebat, edoctus fui, hanc esse mensam coram Domino. Et scire oportet mensam, quae panes propositionis exciperet, altare eum appellasse, cum magnus Moyses mensam ipsam duntaxat nominarit.

Theodoretus.

MENSAM altare dici putauit Theodoretus.

narit. Quae ſane Theodoreti ſententia, quod ad voces ſpectat, & ad veram menſam indicandam, quae illa veteri ſignificatur, rationi ſatis eſſe videtur conſentanea. Nam praeter illa, quae ſupra diximus de permutatis altaris, & menſae nominibus, menſa haec noſtra, in qua ſuperſubſtantiali, caeleſtique pane ſatiamur, caeleſtique potu ſaginamur, eadem altare eſt, quo cruentum illud Chriſti in Cruce oblatum ſacrificium, quotidie non modo repraeſentatur, ſed & offertur incruentum, quamuis non ſine ſanguinis eiuſdem ſalutari oblatione. Id quod illa quoque antiqua menſa iam inde a principio repraeſentatum fuit, in qua non panes modo Deo proponebantur, & offerebantur, verum vnà incenſum, vt infra videbimus, quo vera huius Diuini ſacramenti oblatio Deo iugiter facienda indicaretur, vt modo iam fit. Quo reſpexiſſe videtur Sancta mater Eccleſia, huius myſterij commemoratione laeta canens: Sacerdotes Sancti incenſum & panes offerunt Deo. Quae meminiſſe viſa eſt Domini Dei ſui, Moyſi olim de Sacerdotibus ita loquentis: *Incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo Sancti erunt.* Et quamuis in Hebraeo ignis fiat mentio, vt igniti incenſi in altari aureo fiat commemoratio, vna cum panum propoſitione, ſatis tamen è re noſtra conuertit vocem Vulgatus, vt quae merito exigitur à Sacerdote ſanctitas, & ab omni pollutione caſtitas propter illud miniſterium maxime oſtendatur eſſe neceſſaria, quod circa menſam exhibetur.

INCRVENtum ſacrificium ſacri altaris, priori illa menſa ſignificabatur.

Leuitic. 21. ℣. 6.

SANCTITAS quae in noſtris Sacerdotibus exigitur.

Quae quamuis vera ſunt, illud tamen quod ad menſuras ſpectat, & cornua, nulla ratione menſae poterunt conuenire, quare neceſſarium videtur aſſerere, de altari hactenus locutum fuiſſe Prophetam, vt de eo reliqua interpretati ſumus.

Aliam vero viam ingreſſus eſt Chaldaeus paraphraſtes: Menſa autem, inquit, lignea erat ante altare, cuius altitudo erat trium cubitorum &c. illud autem, cuius altitudo, ad altare referendum eſt, non ad menſam, niſi veritati, & textui haberi velit contrarius. Neque noſtra haec habenda eſt interpretatio, quae iam diu apud Chimchium legitur: Altare, inquit, appellat menſam. Ionathas autem exponit. Ex aduerſo altaris erat menſa lignea, denotans de menſa ipſa fuiſſe locutum. Meminit vero altaris, quia erat è regione altaris. Haec ille.

R. Dauid. in Comm.

Et quidem de menſa quas Propheta non expreſſit menſuras, formam, & vſum breuiter pertractare operae pretium duxi, ne iterum eandem reſumere, & aliqua ex dictis repetere cogamur. Eius inprimis, quae a Moyſe facta fuit in tabernaculo, meminit ipſe in Exodo: *Facies*, dicit Dominus ad Moyſen, *& menſam de lignis ſetim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem.* Ac totidem fere verbis iuxta eaſdem menſuras recenſet infra factam fuiſſe ab eodem Moyſe menſam. Sed plures eiuſdem formae factas fuiſſe à Salomone conſtat in libro Paralipomenon, poſt pauca afferendo: quod autem eiuſdem fuerint menſurae, duplici confirmari poteſt de eadem re teſtimonio. Primum eſt Ioſephi hiſtorici, qui Ptolomei Phyladelphi menſam ideo Hieroſolymam dono miſſam deſcribere aggreſſus, Regis erga Deum pietatem, ac liberalitatem illis verbis conatur exprimere. Cupiens enim, inquit, menſam longe maiorem facere, mandauit explorari eius, quae tum Hieroſolymis erat, magnitudinem, quanta eſſet, & an maior poſſet fieri: & comperta eius menſura, quòdque maior etiam eſſe poſſet, ait ſe eius vel quintuplam magnitudinem redditurum, ni vereretur ne per hoc ad quotidiana miniſteria minus poſthac eſſet vtilis: cupere enim ſe ea donaria non ſolum ad oſtentationem, ſed ad vſum etiam eſſe accommoda. Hanc ob rem exiſtimans priorem menſam non auri penuria, ſed vſus cauſa mediocrem fuiſſe factam, magnitudine illam non ſuperare ſtatuit, ſed varietate ornatus, & operis pulchritudine. Cum enim eſſet ingenioſus in contemplandis rerum naturis, & in excogitandis nouis, & inuſitatis operibus, pro ſua ſapientia praeſcribebat artificibus, exigens ne quid à praeſcriptis formulis diſcederent. Ac primum conſtituto menſae modo in longitudinem cubitorum duorum & ſemis, in latitudinem vnius, altitudine ſeſquicubitali totum opus ex auro facientes, loricam ei palmum latam circumdederunt.

Exod. 25. ℣. 23.

Exod. 37. ℣. 10

MENSA Tabernaculi.

Ioſephus 12. Antiq. cap. 2.

MENSAE magnitudo.

Hic tantiſper intermittendam eſſe duxi Ioſephi hiſtoriam, vt aliqua ex ijs quae retulit, attentius expendamus. Et primum de menſuris prioris menſae ſuperadditum longitudini videtur ſemicubitum, idque fortaſſe librarij vitio nam praeterquam quod non ſit veriſimile Salomonem, vel alium quemcumque illius menſae auctorem, prioris menſae menſuras reliquas retinuiſſe, & hac vna longitudine a priore diſceſſiſſe quarta longitudinis parte. Ariſteas eiuſdem Ptolomei legatus, qui haec eadem dona Hieroſolymam apportauit, eadem deſcribens, longitudini menſae duos tantum cubitos tribuit. Ex quo fit nulla ex parte mutatas fuiſſe menſae priores menſuras, à Deo inſtitutas, & à Moyſe opere completas: id quod infra ſacrae Scripturae exemplo magis confirmandum eſt.

EISDEM menſuris Salomon menſam fecit quibus Moyſes. *Infra cap. 57. huius libri.*

Sed occurit ſtatim ſecunda difficultas in hiſtoria Ioſephi, quae me facile in eam ſententiam induceret, vt mendum ſubrepſiſſe textui arbitrarer, dum affirmat à Iudaeis accepiſſe Ptolomeum, licuiſſe maiorem menſam componere, propriaque Ptolomei prudentia, ac ratiocinatione inhibitum fuiſſe: cum contra potius exiſtimarem, ab ipſis Hieroſolymitanis Pontificibus reſponſum fuiſſe non poſſe, cum propter antiquae menſae iniunctam rationem, à maioribus perpetuo obſeruatam: tum vero maxime propter vſum, ac miniſteria Sacerdotum circa illam peragenda. Sed me ab hac opinandi ratione retrahit Ariſtaeae hiſtoria, haec eadem totidem fere verbis referens: ac ne duorum teſtium non videar ſtare verbis, aliam ingrediar opinandi viam, vt exiſtimem Sacerdotum vel adulandi ſtudium, vel auri cupiditatem effeciſſe vt ea reſponderent, quae gratiora Regi eſſe putarent, & ſuis vſibus vtiliora. Sed quidquid ſit de ſenſu, aut de reſponſo Sacerdotum illorum, illud hinc colligi videtur, quod initio propoſui, eadem perpetuo magnitudine menſam fuiſſe confectam, neque a Salomone immutatam. Et certe cum omnia iuxta Dauidis paterna inſtituta, immo & Dei Optimi, vt ſupra oſtendimus, facta ſint à Salomone, hanc vnam menſae rationem alijs omnibus immutatis propterea obſeruatam fuiſſe exiſtimabimus, quòd illa menſa tam expreſſe referret menſam noui, & aeterni Teſtamenti: vt huius perpetuam durationem, illius numquam mutata forma repraeſentaret. Quae ſane ratio in eam me ſententiam inducit, vt exiſtimem eiſdem fuiſ-

QVARE menſa ſemper eadem fuerit.

fuisse ornamentis illustrem hanc Ptolomei mensam, quibus fuerat olim illa Salomonis: nam & praescriptam fuisse artificibus à Rege formam dixit Iosephus: & quae narrantur mensae ornamenta non longe absunt ab iis, quae de priori ab Scriptoribus relata sunt. id quod singula conferenti poterit esse perspectum. Quod vero ad gemmarum aestimationem spectat, ac pulchritudinem, cum de illis nihil memoriae sit proditum, nihil potest in similitudinis collationem adduci.

DE MENSAE MATERIA, ET *ornamentis.*

Cap. LV.

Exod. 25. ꝟ. 24
Aristaeas lib. 72. interpret.

QVOD vero reliquum est, de mensae materia dicendum, testatur Sacer historicus. *Et inaurabis eam*, inquit, *auro purissimo*. Id Aristaeas, cuiusmodi fuerit in Ptolomaica mensa declarat. Mensam, inquit, longitudinis duorum cubitorum, altitudinis vero cubiti vnius & semissem perfecerunt, non lentescente in folia metallo eius aream superliniente, sed auro purissimo totam solidam elaborauerunt.

MENSA EX auro solido.

Exod. 25. ꝟ. 24. & 25.

Faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis: & super illam, alteram coronam aureolam. Tria sunt quae fieri praecipiuntur. duplex corona, & labium, siue limbus. Quae non eodem ordine ab omnibus Interpretibus referuntur. Ex Hebraeo sic ad verbum vertit Regius codex. Et facies ei coronam auri vndequaque. Et facies ei clausuram palmi circum, & facies coronam auri coronae eius circum. Chaldaeus. Et facies ei circulum aureum per circuitum, faciesque ei coronam interrasilem, altam pugillo per circuitum, & facies circulum aureum ipsi coronae interrasili per circuitum. Septuaginta interpretes in Regio codice. Et facies ei vertibiles vndulas aureas in circuitu; & facies ei coronam pugilis in circuitu, & facies vertibilem vndulam in circuitu coronae. At in Sixtiano codice ad rem magis apte, verba redduntur Graeca: Et facies ei tortilia cymatia aurea in circuitu, & facies ei coronam παλαιστοῦ palmi in circuitu, & facies tortile cymatium coronae in circuitu. Et certe vniuersa huius loci difficultas ex vocis מסגרת misgeroth, notione videtur pendere, quae clausura solet conuerti, à verbo סגר sagar deducta, quod claudere significat. Sed vox non tam a propria notione, quae communis est, quàm ab vsu & obseruatione obtinuit, vt id significet ornamenti genus, quod vulgo dicimus vna cornija. Italice vna cornice.

DVPLEX corona & limbus.

CORONA in aedificijs quae dicatur.
R. Dauid. in comment.
3 Reg. 7. ꝟ. 28.
Supra lib. 4. huius part. cap. 39.

Quod indicare voluisse videtur Rabbi Dauid, qui clausuras fuisse dicit vt scalarum gradus. Id quod Graeca vox, & phrasis innuit, quae vndulata cymatia scribit, quorum formam memini me supra indicasse, cum de lapideis mensis agerem.

Et certe qui mensam attentius conspexerit, quae in arcu Titi hodie hic Romae visitur, haud difficile intelliget, quae in Sacro textu dicuntur. quaeque exposuisse videtur Iosephus, sic scribens: In fino autem mensam collocauit Moyses Delphicis non absimilem. Delphicam mensam eam vocant, in qua pocula exponerentur, & fere semper paria, vt Agretius, & Cicero scribunt. longitudine duum cubitorum, latitudine vnius, altitudine τριῶν σπιθαμῶν palmorum trium: hoc est, cubiti vnius & dimidij. Erat autem lateribus sinuatis, & tabula in palmum fere concaua limbo, tum superiorem, tum inferiorem eius corporis, tabulae crassitudinis interpretor partem. Quod si tabulae crassitudinem quatuor esse digitorum intelligamus, ex quibus bini medij ad interiora retrahebantur, & varijs caelaturis asperiores reddebantur; sic enim lubet vocem illam, *interrasilem*, exponere: reliqui vero duo digiti, vnus superior, alter inferior cymatium erat ei simile. quod Vitruuius, vt dixi, vocat lesbium, quod vndulis, & quadris distinctum ipsi labio, vel limbo, vel tabulae crassitudini quasi corona erat ex vtraque parte.

Iosephus 3. antiq. cap. 7.

Agretius & Cicero apud Vrsinum appendic. de triclinio.

TABVLAE descriptio

Sed & superiori huic cymatio aliud quoddam ornamenti genus addidisse videtur Ptolomeus, quod accurate describit Iosephus, cuius descriptio Aristeae fuit errandi occasio, nisi librarij vitio corruptus est Aristeae codex: Loricam enim, inquit Iosephus, palmum latam circumdederunt, cuius cymae versatiles sculpturam habebant resticulatam, indistincta imitatione per tria latera: cum enim essent triangulae per singulos angulos eaedem erant figurationes, vt conuersae non aliae, sed eadem specie oculis occurrerent. Haec quae de cymis triangularibus dixit Iosephus, ad mensae formam retulisse videtur Aristeas, vel potius librarius, aut interpres, quae causa multis errandi fuit arbitrantibus mensam ipsam triangulari fuisse forma, cum contra quatuor illi pedes tribuat ipse Aristaeas, quot vix apte dispones, ac ne vix quidem in triangulari mensa. Loricae vero pars interior ad mensam vergens, egregias sculpturas habebat, sed exterior eius facies longe pulchriores, videlicet quod hac tota essent conspicuae: quin & cymae illae facile, & cito vertebantur, & quaeuis e tribus angulis pari mensura oculis subijciebant. resticulis autem illis sculptilibus insertae erant gemmae pretiosae, paribus interuallis distantes, fibulis aureis per foramina comprehensae. Exterior autem loricae facies gemmis pulchris ouali specie distinguebatur, intercurrente densa sculptura virgarum, quae per circuitum mensae voluebantur. Haec Iosephi verba ad architectonica coronicis ornamenta referri posse videntur, in quibus oboli insculpuntur in echinis. virgas autem facile intelliges quadrata illa ornamenta, quibus interiectis trunci, coronae, atque eiusmodi membra solent distingui. Nam de corona mox subdit: Huic subiecta erat corona per circuitum, omne genus fructuum repraesentans, dependentibus racemis, & spicis emergentibus, & malis punicis interfertis quae omnia constabant e lapillis, etiam colorem natiuum referentibus, & auro circum totam mensam reuinctis. Sub hac corona rursum alia series ouorum, priori similis, cum virgarum pertexque sculpturis visebatur: vt ex vtraque parte expectaretur eadem operum varietas, atque elegantia etiam in lorica, & cymatium ordine, ac ne inuersis quidem mensae lateribus vlla sentiretur diuersitas, sed idem artificium vsque ad imos pedes pertenderet. subdita enim lamina aurea quatuor digitos lata, per transuersam mensae latitudinem in eam pedes eius inseruerunt, quos fibulis, ac clausuris astrinxerunt mensae iuxta loricam, vt his insistens quaqua verteretur, eandem speciem ostenderet.

ARISTAEAS castigatus.

Horum

Aristaeas lib 10 de 72. interpret.

A Horum haud dissimila verba Aristaeas scripsit, sed quae his lucem afferre facile possint, quapropter aliqua non omittenda putaui. In latitudinem autem circa coronulam in circuitu ad superiorem aspectum, lapides, qui quandam ouiculorum similitudinem referrent, componebantur: iungebantur & crassiores inde virgulae sculptura paululum extantes, & densa inter se positione fulgentes, quae mensam omnem ambirent. Inferius autem sub huiusmodi lapidum ouiculatione coronulam omni fructu contextam, artificis manus ita expolierant, vt in ipsis coronae thoris colligatas vuas, spicas, palmulas, mala, oleas, rosas, & similium plura ostenderent, in quibus nexi auro lapides, qui colore, specieque fructus quosque B redderent, mira arte illigabantur, quae singula in mensae circuitu frontem, lateraque ornatu simili ambiebant; coronae ouolorum ornatus iungitur, adduntur & reliqua virgulati, sculptique decoris, quae vtraque parte auream mensam sic complexa sunt, vt quacumque vertatur, eundem sculpturae, vndantiumque spicarum prospectum, & coronae elegantiam vsque ad locum pedum retineant. Haec omnia ad coronae ornamenta spectare videntur: vocat autem coronam, totam coronicem, in qua thoros retulit vndantes, seu cymatia, virgulas, vel quadra integra, quippe quae ab C sculpturatis distinxit, ouolos, atque his similia. Qua quidem corona vniuersam tabulae crassitudinem exornari significat, in qua tabulae pedes infixi erant: id quod sequentibus verbis magis explanat. Etenim laminam totius mensae solidam altitudinem digitorum quatuor fecerant. Fides sit penes auctorem, qui sibi constans est, quippe qui initio huius narrationis: Non lentescente, inquit, in folia metallo eius aream superlinientes, sed auro purissimo totam solidam elaborauerunt. Haec ibi: sed hic subdit: Quo in ea pedes firmius insererentur, quos quidem ad ipsam coronam obscuris clausutis fibulae stringebant: ita vt si quando mensa vertatur, vtraque parte vtilis, peropportunaque esset, & eundem a- D spicientibus decorem praeberet. Mensae vero superficiem meander curuatis finibus influere videtur. in cuius verticibus (vorticibus corrigo) alueoque pretiosi lapides, carbunculi, smaragdi, onychini, & cuiuscumque generis plures decora specie fulgent. Post huiusmodi amnem trica quaedam innectitur, visu mirabilis, quae romborum prospectum praebens, crystallo, electroque figurabatur, in qua quidem terso opere spectantium etiam formae referebantur. At pedes in liliorum figuras expolierant artificis manus, quae repandis in ipso vertice folijs, mensam sustentarent erectis intrinsecus ad aspectum frondulis, in pauimento pedes huiusmodi firmabantur. Car- E bunculi lapidis extensio erat in circuitu palmi vnius, abrupti cuiusdam speciem visui praebens, producebaturque in latitudinem digitorum octo, quam supra fulcri huius onus omne recumbit. Ex hoc autem lapide hedera assurgit, quae florido achanto innexa viti implicatur, qua cum vna pendentibus vndique racemis, ad summum vsque circumambit: sed pedibus, qui quatuor mensae suberant, similis operis dispositio, prospectusque vnus erat. Enimuero si cuncta diligenti arte, praestantique expertorum hominum opera perfecta sunt, vt non vera modo fallerent, sed leui quoque aura frondium crepitum exaudias, referentibus singulis versarum rerum imagines. Fecerunt & mensae labia vndique mobilia, quae inexplicabilis clauus sic inter sese per operis crassitudinem innectebat, vt visu, cognitiue iunctum. deest verbum, minime videretur, aut simile. non minus semicubiti crassitudo. Cubitus, vt dixi, sex palmis constat, digitis quatuor & viginti, semicubitus tribus palmis: ex quo fit vt qui crassitudinem mensae vnius palmi fuisse dixerat, nunc duplicem addat coronam, siue corollam, superiorem alteram, alteram inferiorem, quamlibet quatuor digitos altam. & subdit Ex quo multum talentorum sumptus expostulauit. Nam vbi statuit Rex prioris magnitudinem haudquaquam superandam esse, id omne, & longe plura, quod antea magnitudini adijci concupierat, ornatu abundantissime praebuit. cunctaque pro Regis desiderio excellenter, & eleganter expolita sunt, arte inimitabili, & pulchritudine decora. Hactenus ex Aristaea. Cuius simillimus est Iosephus. In mensa autem, inquiens, sculptus erat meander magni pretij, gemmis per medium tamquam stellis variegatus, carbunculo, & smaragdo suauissime radiantibus, alijsque generibus, quae vbique grata sunt propter pretium. Praeter meandrum vero resticulati quidam nexus circumquaque discurrebant, rombo circa medium similes, in quo crystallus, & succinum per interstitia paria coniuncta cum magna gratia spectabantur. Pedum autem capitella liliorum similitudinem referebant, folijs sub mensa se reflectentibus, cum germen alioqui rectum videretur: basis autem facta erat è carbunculo, palmum lata, crepidinis specie, qua vero pedes innitebantur, octo digitorum latitudine: erantque sculpti singuli pedes opere subtilissimo, hederis, & palmitibus vnà cum racemis per eos discurrentibus, indiscreta verorum similitudine. Tanta enim erat artis subtilitas, vt perflante vento agitata, naturae, non artis opus viderentur, constabatque totum opus trimembri compositione, sed tanto artificio, vt commissurae nec oculis, nec cogitatione deprehendi possent: crassitudo autem mensae erat semicubitalis. Tanta fuit in hoc dono Regis magnificentia, opulentia materiae, artis pulchritudo, ac varietas ad naturae imitationem expressa: quandoquidem hoc erat eius studium, vt si non magnitudine haec priorem illam mensam superaret, certe nouitate commenti, & ornamentorum splendore magis esset conspicienda. Haec ille. Cui consona videntur illa, quae de phiala dixit noster Poeta:

Iosephus.

ROMBORUM forma

Quamuis Callaico rubeam generosa metallo,
Clarior arte magis: nam meus iste labor.

Martial. lib. 14. Epigramm.

Sed quamuis mensae ornamenta antiquioribus praeferre conentur Scriptores hi, certe quod ad eorum speciem spectat, illis esse quamsimillima videntur, quibus vniuersum templum exornabatur. Meandrum ornamenti genus in vestibus vsurparunt, atque aedificijs, ex Salomonicis vt reliqua desumptum. Festus. Meandrum, inquit, genus picturae, dictum à similitudine flexus amnis, qui vocatur Meandrus. Hunc Phrygiae, siue Moeniae fluuium Plinius esse tradit, repletum fluminibus crebris, ita sinuosum flexibus, vt saepe credatur reuerti. Eiusmodi porro ornamenti in vestibus meminit Virgilius.

Sextus Pompei. Festus. Plinius lib. 5 cap. 29.

MEANDRUM ornamenti genus.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura meandro duplici Meliboea cucurrit.

Virg. 5. Aeneidos.

In aedificijs plura, ac varia eiusmodi ornamenta

licuit perspicere Romae, vbique vero in libris antiqua referentibus aedificia. Quod vero ad resticulatum opus rombis distinctum, nullum certe est ornamenti genus, quo hoc aedificium magis abundet, vt dixi, & iterum dicturus sum. Illud tandem huius aedificij proprium est, vt capitella ad modum lilij sint sculpta, sinuatis frondibus, & caudice circa summum abacum, vt infra ostendemus.

CAPITELla in modum lilij.

DE MENSAE VECTIBVS, ET PROPOsitionis panibus.

Cap. LVI.

Exod. 25. ℣. 26 & 27.

ABSOLVTA mensae magnitudine, atque ornamentis, loquitur ad Moysen Dominus de vectibus mensae: *Quatuor quoque circulos aureos praeparabis, & pones eos in quatuor angulis eiusdem mensae per singulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos, & possit mensa portari*. Hos circulos, eorumque vsum enarrat Iosephus illis verbis: Singulis pedibus, inquit, adhaerebat annulus ab operculo non separatus, per quos annulos traiecti erant lignei vectes aurati, inferne exemptiles; nam qua parte cum mensa cohaerebant annuli, caua erat. Neque enim perpetui erant, sed prius quam in orbem coirent, desinebant in περόνας fibulas, cuspides, quarum vna in prominentem mensae partem inserebatur, altera in pedem, atque his in via portabatur. Huius loci nouam fecit expositionem noster Ribera, in qua quoniam Paraphrastem quendam egisse videtur, magis esse poterit perspecta & Iosephi mens, & verborum connexio: Et per singulos pedes, inquit, inerant annuli fere circa summum pedem, adhibebanturque vtrimque duo ceu manubria è ligno firmissimo deaurata, quae non per circulum vtrumque, vt vectes, traijciebantur, sed fibulato morsu mensae labrum superne, inferne pedis annulum comprehendendo, facultatem transferendi quocumque opus esset, praebebant. Haec ille. Et illi quidem annuli, qui in mensa Romae in arcu, & triumpho Titi expressa cernuntur, & lignei videntur esse, & vna re ab huius narrationis historia diuersi, quòd in medijs pedibus affixi sunt: cum contra & apud Iosephum, & quod maius est, apud sacrum Historicum esse debuissent in summis. vt merito propterea dicat Iosephus, candelabrum, & mensam in triumpho allata, abusus Iudaici consuetudine fuisse mutata: quamuis in multis verorum referant similitudinem, vt suis locis ostendimus.

Iosephus 3. Antiq. cap. 7.

℣. Ribera lib. 2. de templo, Cap. 10.

Sed illud certe animaduertendum est maxime, quod fibulato opere affixi sunt mensae vectes, atque exemptiles; quasi vero non semper manserint in mensa, sed tunc solum cum aliò transferenda esset: a quo longe diuersum est, quod de vectibus arcae praeceperat Dominus: A *Qui semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis*. de vectibus autem mensae nihil vnquam simile, immo & Vulgatae Interpres Chaldaeum imitatus, circulos dicit faciendos *vt mittantur vectes per eos*, non semel, sed quoties portanda esset mensa. Et certe cum vectes & translationis sint instrumenta, & signa, cum arca, & altare omnino transferenda essent, in vera, quorum erant exemplaria, habuerunt semper vectes. at mensa cum eandem oblationem panis, & vini semper contineat, vectibus tamdiu indiguit, quamdiu panis, qui offerebatur, panis numquam desijt esse: at nunc non amplius transferenda est mensa, in qua panis verus offertur, & B vinum, sed rite prolatis consecrationis verbis, panis transsubstantiatur in verum Corpus, vinum in verum Sanguinem IESV Christi Domini nostri. De quibus iterum opportunius.

Exod. 25. ℣. 15.

VECTES non semper in mensa sicut in arca, & quare.

Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Propositionis panes dicuntur Hebraice לחם panim, facierum, quippe qui לפני liphne, coram facie Domini semper erant: non vt Hebraei aliqui fabulantur, quòd quadrata essent forma, aut angulari, quòd illi anguli פנים panim dicantur, idest, facies neque vt alij, quod vtraque eorum facies inferior, & superior similis esset sed quòd ad faciem, vel coram facie, vel in conspectu Dei semper essent, vt dixi. Et Septua- C ginta interpretes idem sensisse videntur, qui in libris Paralipomenon ἄρτους προθέσεως, idest, propositionis panes, scripserunt. Quos sequutus est Beatus Paulus Apostolus πρόθεσις scribens *Propositio panum, quae dicitur sancta*. Hic vero ἄρτους ἐνωπίους ἐνώπιόν μου, hoc est, panes faciei, faciei meae scribant Septuaginta. Sixtianus codex: Panes praesentes coram me semper conuertit. Sic enim Hebraea quoque licet conuertere, cum vox פנים panim, singulari careat, atque adeo vtriusque numeri sortiatur notionem. Et certe secunda propositionis pars prioris esse videtur expositio, id enim significant panes propositionis Hebraica phrasi, quod nostra propositi, hoc est, in conspe- D ctu Domini semper. Sed & mensam ipsam eodem nomine censet in Numeris Deus: *Mensam quoque* הפנים haphanim, facierum *propositionis inuoluent hyacinthino pallio*, sic dictam, quod dictos panes propositionis semper sustineat, vel quod ipsa cum panibus semper sit coram Domino. Quo respexisse videtur Angelus, Prophetae dicens: *Haec est mensa coram Domino*, vel, ad facies Domini.

Ibid. ℣. 30.

PROPOSItionis panes quare sic dicti.

2. Paralip. 5. ℣. 19.

Hebr. 9. ℣. 2.

Numer. 4. ℣. 7.

MENSA propositionis.

De panibus his quàm magni futuri essent, narratur in Leuitico, vbi fieri praecipiuntur ex duabus decimis, siue vt ait Iosephus, ex duabus assaronibus, quod idem est. Hanc porro mensuram, eiusque nominis causam, & quod eadem quoque E ghomor dicatur, quamque cum nostris proportionem habeat, quoniam proprio capite in apparatu tradidimus, eo remittentes lectorem, ab his omnibus supersedendum duximus. Quod huius loci proprium esse videtur, illud est, vt vno verbo dicamus, quantum farinae iuxta mensuras has nostras, panibus illis duodecim contineretur. Quod ex tabula proportionum sexta facile praestare poterimus. Et assaroni quidem nulla alia respondet nostra mensura, quam Hispanica modio celemin: hanc enim illa continet semel cum quinque septimis huius partibus. Quapropter numerum quatuor & viginti assaronum, quot duodecim simul panes continent, in tabula inquiremus

Leuitic. 24. ℣. 5.

PANVM magnitudo.

Iosephus 3. Antiq. cap. 7.

Tom. 3. Appar. part. 2. lib. 3 cap. 12.

Tabula proport. 6 in fine apparat.

quiremus sub titulo Gomor Assaron: & quoniam hunc numerum non inuenimus, duos alios assumimus, qui hunc numerum compleant, quorum primus erit denarius, cui respondet, sub titulo Scortium, hic numerus 3 5/11 sub medio celenun 17 1/2. Secundum numerum in eadem assarons columna inquiremus 14, cui respondent scortia 4 4/34. medios celenuaes 24. Igitur si hos numeros cum illis componas, inuenies panes illos habuisse scortia 7 [illegible]. medios celenuaes 41 1/2. hoc est, plusquam fanecam cum dimidia. Qua etiam ratione & panum pondus ex tabula, & eorum magnitudo ratiocinatione facile percipietur.

A Sed priusquam ab hac panum assignata mensura discedamus, eius assignandae rationem insinuare non pigebit, neque enim lectorem audire poenitebit. Notum est enim, & in Exodo valde

Exod. 16. ℣. 22. testatum, ex pane illo caelesti, quem manna vocabant, singulis hominibus singulis diebus licuisse singulas mensuras gomor colligere, neque quidquam addere, & si quid ab ea defecissent, auctum

QVARE singuli panes duas continent mensuras gomor. vsque ad eiusmodi mensuram creuisse. At propter Sabbati solemnem quietem, manna Sabbatis non pluente, singulis sextis ferijs duplam è manna portionem colligere singulis licebat, hoc est, duplicem gomor. Et quoniam singulis sextis ferijs panes hi coquebantur, Sabbatis coram Domino proponendi, praecipit Dominus vt tantumdem sibi simila e singuli ex duodecim filijs C Israel coquerent, quantum mannae olim in deserto sibi ipsis colligere solebant grati animi ergo, vtque esset suscepti ab eodem parente Optimo caelestis panis monumentum perpetuum. Quod si tam frequens recordatio exigitur ab ijs, quorum patres *manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt* quid, quaeso, exigetur ab ijs, quorum *qui manducat hunc panem, viuet in aeternum?*

Ioan. 6. ℣. 59.

Ordinem porro, ac dispositionem panum statuit in Leuitico Dominus: *Accipies quoque*, in-

Leuitic. 24. ℣. 5. 6. & 7. quit, *similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: quorum senos*

PANVM dispositio in mensa. *altrinsecus super mensam purissimam coram Do-* D *mino statues: & pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monumentum oblationis Domini.* Chaldaeus pro panibus placentas vertit, Hebraeos secutus, qui ita interpretantur vocem חלה halot, cuius originem ignorare fatentur: Ponesque eas placentas, inquit Chaldaeus, duobus ordinibus, sex in ordine vno super mensam mundissimam coram Domino: & pones super ordinem panis thus mundissimum. Septuaginta interpretes in Regio codice: Et impones eos duas positiones, sex panes vna positio super mensam puram coram Domino. Et impones super positionem thus purum, & salem. Salis etiam meminit Philo: Versus Septentriones autem, in- E

Philo lib. 3. de vita Moysis. quit, mensa, & in hac panes cum sale. Iosephus quae in sacra Scriptura referuntur, explicare voluisse videtur, de mensa sic scribens. Haec solebat deponi in fano versus Septentriones, non

Iosephus 3. antiq. cap. 7. longe ab adyto. & in ea disponebantur duodecim panes non fermentati, seni è regione sibi duobus ordinibus oppositi mundissimi, confecti è farina duorum assaronum, quae mensura Hebraeorum septem cotylas Atticas continet. Super panes autem ponebantur duae phialae aureae thure plenae. post septem vero dies, alij panes inferebantur. Et iterum Ex publico, inquit,

Ibid. cap. 10. praebetur panis non fermentatus ex farinae assa- A ronibus viginti quatuor, coquuntur autem bini (assaron in singulis panibus) pridie Sabbati, & Sabbato mane proponuntur in sacra mensa, duobus ordinibus, seni ex aduerso sese respicientes: atque ita duobus lancibus thure plenis superimpositis, permanent vsque in proxime sequens Sabbatum. tunc alij pro illis recentes supponuntur, & hi priores Sacerdotibus in cibum dantur. Thus item igne sacro adoletur, quo ad holocaustomata vti solent, & pro eo quoque aliud thus panibus imponitur. Haec Iosephus. Ex quibus liquido constare videtur, mensam vasis indiguisse, vel phialis, saltem illis, quibus thus panibus erat imponendum. Id quod multo magis liquet ex B Domini praecepto; qui cum mensae modum praescripsisset, mox subdit ea verba, quae sequenti Capiti principium dabunt.

DE QVADRVPLICI VASORVM GENERE, *quorum vsus erat in mensa.*

Cap. LVII.

PARABIS *& acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina ex auro purissimo*. Noui equidem nonnullos Scriptores fuisse, qui leui ducti coniectura, ex panum magnitudine, & mensae parua, vt illis videtur, superficie desumpta, negent vasa haec ad mensam spectasse. Sed legisse eos primum oportuisset Hebraea, quae singulis ex his vasis apponunt, quae affixa vocant, nostris pronominibus respondentia, atque adeo qui Hebraea conuertunt, sic interpretantur: Facies scutellas eius, & cochlearia eius, & medios calamos eius, & cyathos eius. sic in Regio codice. Chaldaeus: Faciesque acetabula eius, & phialas eius, & thuribula eius, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina. Septuaginta interpretes: Et facies catinos eius, & mortariola, & libatoria, & cyathos, in quibus libatis in ipsis. Hoc ipsum confirmat alterum Domini praeceptum, quo de transferendo tabernaculo agens: Exod. 25. ℣. 29.

HAEC OMnia vasa ad mensam pertinuisse.

Mensam quoque propositionis, inquit, *inuoluent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula, ac mortariola, cyathos, & crateras ad liba fundenda, panes semper in ea erunt.* Id quod in eadem Exodo testatissimum est, vbi, *Et vasa*, inquit, fecit Moyses *ad diuersos vsus mensae*. vel vt habent Hebraea, & Chaldaea, quae erant super mensa, *acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina*. Quibus locis eaedem voces leguntur in Hebraeo, quam- Numer. 4. ℣. 7. Exod. 37. ℣. 16.

uis

tis non eodem ordine, vt huius loci interpretatio esse etiam videatur illius.

Quatuor autem vasorum genera recensentur ad mensae vsum parata. Primum dicitur קערה Keghárah, cuius quidem vocis origo nulla cognoscitur, vt propterea propria vocis notio, & vasis forma ignoretur, et tamen cognatum verbum רקע rakágh, quod iisdem constet literis, quamuis non eodem ordine dispositis, vocis notionem aliqua ratione putant significare posse: & quoniam hoc significat extendere, expandere, patinam indicabit vox illa, quasi patentem, vel extensam.

ACETABVLA patinas licet conuertere.

Vulgatus *acetabulum* vertit, vasis formam potius respiciens, quàm magnitudinem illud enim nomen paruum vas sonat, hoc magnum fuit absque dubio, vt ex vsu mox apparebit. Alij hoc etiam respicientes, scutellas vertunt, aut pateras. Vatablus Scutellas eius, inquit, idest, vasa quaedam concaua admodum, in quibus ponebantur panes.

Vatablus Exod 25. ℣. 29.

Quae magna concauitas in memoriam mihi reuocauit, quae apud Iosephum, atque Aristaeam legeram de crateribus à Ptolomaeo cum mensa Hierosolymam missis. Duas autem missas fuisse tradunt quasi pro binis imponendis in mensa panum ordinibus.

CRATERES duo cum mensa à Ptolomaeo missi.

Crateres autem aureae, inquit Iosephus, fuerunt duae, squamatae à basi vsque ad praecincturam, spiras habentes varijs gemmis distinctas: deinde meandrum cubitali altitudine; ex omnigenis gemmis compositum, & super eum virgatam sculpturam, & deinceps vsque ad labrum plexile quiddam reti simile, crebra romborum specie interueniente: addebant gratiam gemmae scutulae, quatuor digitorum amplitudine. Labrum vero crateris in orbem ornatum erat lilijs, & floribus, atque implexis inter se palmitibus vuas ferentibus: & ornatus quidem vtriusque erat hic, amplitudo vero quae amphoram caperet Graece: δύο φερούσας ἑκάτερον ἀμφορέας, duo ferens vtrumque, vel alterutrum amphoreos.

IOSEPHVS caliginus.

Melius multo Graecam phrasim (quae eadem fortasse fuit apud Aristaeam) conuertit Latinus interpres eius aliqua tantum verba referam, reliquis, vt quae Iosephi verbis simillima sunt, praetermissis: Post hunc (meandrum) virgultorum ornatus, inde romborum tricae ad summum labium sequens, retis speciem praebet, per quorum medium in clypei formam lapides sic componebantur, vt non minus digitorum quatuor spatio inter se distarent, quo fulgore gratior inerat pulchritudo. Supra labium vero liliorum corona floribus, racemisque innectitur, quae implicatorum inter se funium speciem referens, omnia circumambit. Hi enim crateres tali ex auro ornatu decori, supra duas metretas capiunt. Haec ille. Quòd si panum mensura, quam supra expendimus, in memoriam reuocetur, craterum assignatae capacitatis similis esse deprehendetur. In eadem namque tabula proportionum sexta, decem assaron aequales sunt Romanis sextarijs duobus & septuaginta & quatuordecim assaron sextarijs respondent ex aequo centum, cum quatuor sextarij quintis partibus.

PHIALARVM altitudo cubito maior.

Atque adeo quatuor & viginti assaron, quos continebant panes propositionis, pares erunt sextarijs centum septuaginta duobus, cum quatuor quintis partibus: quos si per duos & septuaginta sextarios metretae diuidas, duas metretas inuenies & dimidiam, & paulo amplius. Eandemque craterum capacitatem confirmat earum altitudo cubito maior. Ex quo liquet con-

A ijcere panes his crateris inclusos fuisse ne puluere laederentur, aut contaminarentur muscis, aut similibus.

Sed & operculis indiguerunt haec vasa propter eandem causam, quorum suo loco mentionem faciet. *Et phialas*. Hebraice כפות caphoth. haec autem vox, vt aliàs dixi, concauum significat, volae manus simile, fuitque nonnunquam pro mensura vsurpatum, scutellae capacitate.

Tomo 3. Appar. par. 2. lib. 3 cap. 7. Num. 4. ℣. 7. & 7 ℣ 14. & alibi.

Vnde mortariolum aliàs conuertitur, quod thure plenum offerebatur ex quo quidam arbitrantur eidem muneri huiusmodi vas fuisse tributum, quod purissimi incensi granis plenum panibus ipsis imponeretur.

PHIALAE Hebraicum nomen in scutellam posse conuerti.

Et si Septuaginta interpretibus, B atque Philoni allatis fides habeatur, aliud quoque vas sale plenum iisdem panibus imponebatur: id quod propter Dominicum illud praeceptum factum fuisse videtur: *In omni oblatione tua offeres sal*.

Leuitic 2. ℣. 13.

Thuribula. Hebraice קשות Kesoroth. Huius certe vocis notio sicut & radix ignoratur, quippe quae cum sinistro puncto literae ש sin, scribitur: quae enim scribitur cum dextro, proprium est verbum Hebraicum, quod durum, asperum sonat; & ductile. Quae sane vocis notio ab hac non valde aliena, vas quoddam ductile significabit, signis asperum, ac varijs caelaturis. ita vt apte exposuisse videatur Vatablus opercula, & crate-

Exod. 25. ℣. 29.

PHIALARVM opercula. *Vatablus.*

C res, quibus tegentur thus & panes propositionis. Nam, vt dixi, haec omnia intra vas primum constituta, vno eodemque operculo vas ipsum claudente operiebantur: id quod veritati consonum videtur prae illo Rabbinorum figmento, quo haec vox vsurpatur pro medijs calamis vacuis, quos ponebant, inquiunt, in summitate vniuscuiusque panis, vt ingrederetur ventus, aut aër inter ipsos panes, ne mucidi efficerentur. Sed his non egeurunt panes praecedenti die cocti, qui aureis vasis erant occlusi, vt nulla exteriore possent affici iniuria. Quod si huiusmodi Rabbinorum expositio ad vasis, aut operculi ornamentum referatur, haud inconcinna videbitur, cum saepius & D ab antiquis, & a nostris aurificibus striata vasa fiant, naturam imitantia conchiliorum, quae quasi ex dimidijs calamis cauis artificiose componi videntur.

Cyathi. מנקית menakioth. Vocem hanc si à radice נקה nakah, deducas, cauum vas significabit, si à נקה nakah, vacuum, aut mundum. id quod propterea dictum putant nonnulli, quòd intus essent vasa haec caua, & vacua, vel munda dicuntur quod ex mundo, ac purissimo auro essent conflata: Alia vero Rabbinorum figmenta pudet in medium afferre, cum horum vasorum vsus perspectus possit esse in textu. *In quibus*, inquit, *offerenda sunt libamina*. Hebraice יסך issac, à ver-

VASA LIbaminum.

E bo deducta voce, quod semper libare significat, vel vini effusionem. Sic in Deuteronomio: *Et bibebant vinum libaminum*. Et fortasse indicare voluit hic textus libationem hanc vini singulis Sabbatis factam fuisse, tunc cum panes inferendi erant in Sanctum, atque consummato vino ne acesceret vna cum panibus apponebantur in mensa vasa huiusmodi libamentorum, perpetuum memoriale oblati simul panis, & vini. Quod non leni coniectura ducti affirmamus, sed ratione petita ex eo, quod satis ostendimus supra, vasa haec omnia ad varia ministeria mensae pertinuisse. Huius porro libationis testis est Iosephus: Pompeius, inquit, vna cum suis comitibus in templum ingres-

Deut. 32. ℣. 38.

CVM PANIbus vinum quoque offerebatur.

Iosephus 1. belli cap. 5.

ingressus, vbi neminem praeter Pontificem adesse fas erat, quae intus erant candelabra cum lychnis, & mensis, in quibus libare atque adolere moris est; & vascula ex auro cuncta spectaunt. Sed & habuimus alium testem, quem non sine animi voluptate licuit saepius contemplari. Nam in arcu Titi, in quo mensa haec panum, vt dixi, ab iniuria temporum non sine Dei Optimi prouidentia, vindicata ad hanc vsque diem manet, & super mensa vas quoddam affabre elaboratum sine vlla sculptura, ac satis magnum extat, vasis illis persimile, in quibus Sacra a nobis asseruatur Eucharistia, perpetuum sane monumentum sanctitatis, & antiquae laudabilisque consuetudinis, quam semper amplexata est sancta mater Ecclesia Catholica, Apostolica, B atque Romana, vt in templis fidelium, in quibus panis, & vinum Omnipotenti Deo super sacra altaris mensa quotidie offertur, & consecratur: quibus in verum Corpus, & Sanguinem Christi conuersis, Sanguis quidem sub specie vini consecratus totus absumitur, asseruatis tantum sacratissimae huius libationis vasis: idem vero Sanguis latens in corpore sub specie panis in sacra pixide diu asseruatur, vt praesignatum fuerat ab initio, asseruatis in vase panibus, & vini in mensa vasis vacuis. Quod sane exemplum vel vnum sufficere potuisset ad retundendam audaciam haereticorum, qui impie conantur consuetudines sacras ab Ecclesia Catholica pie semper, atque vtiliter obseruatas, Mosaicis olim, vel potius Diuinis institutis praesignatas, in magnam eiusdem Ecclesiae perniciem conuellere, quamuis frustra. Fuit enim Ecclesiae antiquum, vt gloriosum, Sacram Eucharistiam in Ecclesijs asseruare; idque Apostolicis constitutionibus sanctum: *Et post communionem omnium, inquiunt, tum virorum, tum mulierum, sumant Diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum.* Haec ibi. Huic porro Sacrae Eucharistiae asseruandae Diaconos quoque praeficit Nicaenum Concilium, ex Arabico Latinum a nostro Turriano editum: *Vt sit, inquit, in vnaquaque Ecclesia oeconomus, & cum eo alij, qui habeant curam prouentuum &c.* D *alij vasorum auri & argenti, & vestimentorum, ac ornamentorum Ecclesiae. Alij habeant curam loci, in quo Sancta Eucharistia asseruatur.* Haec ibi. Verum sub specie panis tantum asseruandam esse Eucharistiam, vasaque, quibus sub specie etiam vini à Sacerdotibus offertur & sumitur, vacua reponenda esse, argumento esse poterunt praeter alia, quae Sanctus Leo Papa de ijs scripsit, rationem etiam reddens, propter quam aliquando permissum sit populo sub vtraque specie communicare, nunc inhibitum. *Quare*, inquit, *cum iam Manichaeorum haeresis extincta sit, & fides de Sanguine corporis Christi in hostia confirmatissima, non opus est laicis calice,* E *qui totum alioqui Christum sumunt, & illis non est commissa, vt Presbyteris, mystici sacrificij consecratio, in qua Passionis Christi, & sanguinis effusi repraesentatio, sub vtraque specie fieri & sumi debet.* Haec Sanctus Doctor & Pontifex. quae & a nobis insinuata esse sufficiet.

ASSERVANdae in Ecclesia sacrae Eucharistiae antiquus mos vnde ab initio legis indicatus.

Clemens Rom. lib. 8. Constitut. cap. 13.

S. Leo Papa Serm. 4. de Quadragesima.

Illud vero vnum superest exponendum, quod ab hoc instituto non videbitur alienum, quod cum vnam tantum mensam fabricasset Moyses, non vna contentus fuit Salomon, quippe qui propius ad illorum exemplarium veritatem accedebat; sed decuplo pluribus: sic enim legimus in Paralipomenis: *Fecit autem* Salomon A *& candelabra aurea decem secundum speciem*, vtique pristinam. Nam quod paulo superius probandum suscepimus, huius loci explicatione praestabimus, eisdem mensuris, ac forma eadem candelabra, & mensas à Salomone exstructas, quibus olim à Moyse. Hebraice כמשפטם cemispatam, secundum iudicium eorum: est enim vox משפט mispat, mensura, norma, regula, praeceptum, lex, dispositio, vsurpaturque pro iusta mentis functione, iusta causae cognitione, & iudicio vel inter litigantes duos, vel in rationum ponderere, cum de electione contrariorum fit consultatio. Sic in Prouerbijs: *Viri mali non cogitant iudicium*, vel, non animaduertunt, praua mentis B affectione, qui non comprehendunt animo quod aequum est, rationique maxime consentaneum; etiamsi ob eorum oculos versentur iusta, etiamsi ab alijs doceantur. Quos autem malos appellet Sapiens, quidque iudicij cogitatione significare voluerit, apposita contrariorum disciplina declarat: *qui autem inquirunt Dominum*, idest boni, *animaduertunt omnia*. Iuxta quem sensum facta fuisse candelabra indicabit textus, perpensis atque excogitatis ijs omnibus, quae ad illorum perfectam rationem facere possent. Id quod vulgo dicunt Itali, giudiciosamente. Significat autem praeterea vox haec exemplar, leges, praescriptum, mores in Exodo. *Et eriges*, inquit, *taber-* C *naculum* כמשפטו cemispato, iuxta formam vertunt Septuaginta, secundum modum, dispositionem legum, *iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Qua ratione & in praesenti loco significare poterit candelabra facta fuisse à Salomone iuxta exemplar, ac praescriptas à Domino Moysi leges idemque de mensis, quas eodem orationis contextu enumerat, intelligendum esse non dubito. Fuit enim id quidem omnibus Hebraeis notum, ita vt ne ipsas quidem exteras lateret nationes. Nam Eupolemus de Salomone sic scribit, ad Graeci textus veritatem exactus: Fecit etiam, inquit, decem aurea candelabra talenti pondere singula, eius similitudinem, quod a Mose in tabernaculo testimonij positum fuerat; eaque D demque ex vtraque parte templi, partim a dextris, partim a sinistris collocauit. Lucernas praeterea fecit septuaginta, vt septenae in candelabris arderent. Haec ille. quae omnia infra ostendenda sunt cum sacris Historijs maxime conuenire.

Supra cap. 54. huius libri.

Prouerb. 28. ℣. 5.

HEBRAICAE vocis, iudicium, expositio.

Exod. 26. ℣. 30.

CANDELAbra & mensae a Salomone facta secundum Dei leges, atque praescripta.

Eupolemus apud Eusebi lib. 9. praepar. cap. 4.

Sed & quod ex vocis notione deduximus, ex ipso libet probare contextu: *Fecit autem & candelabra aurea decem secundum speciem, qua iussa erant fieri. & posuit ea in templo, quinque a dextris, & quinque à sinistris. Nec non & mensas decem: & posuit eas in templo, quinque a dextris, & quinque a sinistris: phialas quoque aureas centum.* Mensuram autem, & candelabrorum loca in primo Sanctuarij vestigio notauimus, praenotatis E ibidem tantum quaternis mensarum pedibus, ac ternis candelabrorum. Sed quoniam supra satis ostensum est eundem vsum habuisse has omnes mensas, hic tantum breui insinuanda est huius dispositionis ratio, quae veritatem Ecclesiae Catholicae vniuersa respicit, in qua, vna eademque oblatio ab vno, eodemque populo Christiano ex Iudaeis ac gentibus conflato, vbique locorum ac gentium offertur munda Deo, vt praedictum à Propheta fuerat non quidem vt olim in figura ad vnum Hebraici populi parietem, vnamque mensam, sed ad vtrumque & ad denas, hoc est indefinitas mensas, siue altaria solemni ritu consecrata.

2. Paralip. 4. ℣. 7. & 8.

CANDELAbrorum atque mensarum dispositio Ecclesiam repraesentat.

Malach. 1. ℣. 11.

QVARE plures mensas fecerit Salomon.

2. Paralip. 4. ℣. 7.

Non me latet Scriptores non paucos nobiscum

Iosephus 8. antiq. cap. 2. IOSEPHVS castigatus. NON VNA sed decem mensae cum panibus, ac totidem in templo candelabra fuerunt. *2. Paralip. 4. ℣. 19.*

cum, vel potius cum ipsa veritate pugnare, Iosephi falsa attestatione deceptos. quippe qui inter alia Salomonis opera haec retulit: Mensas quoque multas dedicauit Rex, & in his vnam magnam auream, in qua, locum sic corrigo iuxta ea, quae mox afferam. & in his decem magnas aureas, in quibus, proponebantur Dei panes: reliquae non multo deteriores diuerso modo factae sustinebant phialas, & pateras aureas vigesies mille, argentearum quadraginta millia: candelabrorum item fecit decem millia secundum praeceptum Moysis: ex quibus vnum, decem, in templo dedicauit, vt interdiu, noctuque luceret secundum legem. Et mensam vnam, & mensas decem, impositos panes habentem habentes. & cetera, quae censore quoque indigent. Locum autem ita corrigendum censui, ne à sacris Scripturis discedat, in quibus decem mensae, ac totidem candelabra, vt vidimus, numerantur in templo, & omnibus mensis panes impositos fuisse testatum est in Paralipomenon libri eodem Capite: *Fecitque*, inquit, *Salomon omnia vasa domus Dei, & altare aureum, & mensas, & super eas panes propositionis*. non quidem super vnam aut alteram, sed super omnes. Quod quamuis hoc loco non satis haberetur expressum, phialarum centenarius relatus cum mensis numerus id aperte confirmare posset. Nam, vt vidimus, in singulis mensis bini disponebantur ordines panum, & in vnoquoque ordine quina vasa aurea licet computare, primum illud magnum, cui imponebantur panes secundum paruum, quo incensum panibus imponebatur: tertium huic simile, quo addebatur sal: quartum, quo haec omnia operiebantur pariter, atque exornabantur: quintum denique, quo vinum libabatur, praedicto operculo ad decorem, & dignitatem impositum ex quo fit vt singulis mensis dena vasa deputarentur, denis centena. Ex quo etiam liquet deceptos fuisse Scriptores illos, qui hoc centenario vasorum numero omnia conati sunt comprehendere omnium ministeriorum vasa: quos quidem nouae huius sententiae architectos libenter interrogarem, num aliqua ex ijs vasis argentea fuerint, at argentea vasa, argenteasque mensas à Salomone factas, quin & argentea candelabra iuxta Dauidis, siue potius diuina praecepta perspectum est in Paralipomenis. quae nos alibi percensere conabimur. His enim quae diximus, iam satisfecisse videmur ijs, quae de aureo altari, & mensa cum panibus, & vasis suis dicenda videbantur hoc loco.

DECEM mensis centum vasa quare annumerentur. PLVRA vasa etiam argentea in templo. *1. Paralip. 28. ℣. 14. 15. & 16.*

Quoniam dum de altari, & mensa disseruimus, multa simul de candelabro, quod cum illis coniungebatur, fuerunt differenda; ideo his quoque operaepretium fore existimauimus, breuem quamdam de aureo candelabro disputationem annectere; ne aut eadem, quae diximus, iterum referre, aut ex ijs, quae dicturi sumus, huc multa transferre cogeremur. In hac vero disputatione de candelabri nomine, materia, hastili, calamis, sciphis, sphaerulis, lucernis, & oleo, ordine differemus; praemissa his omnibus aere incisa imagine candelabri, quod à Moyse primum, deinde à Salomone fuit factum, ac denique Zachariae in visione ostensum.

CAN-



CANDELABRVM TEMPLI AVREVM QVOD VIDIT ZACHARIAS PERENNI OLIVARVM OLEO DEPASCI QVO ETIAM SACERDOTES ET REGES INVNGEBANTVR



DE NOMINE, MATERIA, ET OPERE *candelabri*.

Cap. LVIII.

NEMINEM credo ex ijs, qui nostra haec scripta perlegerit, arbitrari posse nos circa nuda & egena elementa ita versari velle, vt reconditum, atque intimum literae sensum relinquamus. Nam praeterquam quòd verorum exemplaria recensentes, ea potissimum inquirimus, atque illis amplius insistimus, quae ipsam propius indicant veritatem. Atque adeo extremam quamdam operis partem ab initio pollíciti sumus, qua ipsum vmbrarum corpus, & exemplarium certam veritatem ex professo, & quasi per partes inuestigaremus. In qua tamen parte ne per latissimos, atque amoenissimos allegoriarum campos diuagari in immensum pateremur, legem quamdam nobis praefiximus, quam perpetuo obseruandam duximus, nimirum vt quoniam sacrae Scripturae interpretem agimus, ea tantum in illa quoque parte pertractemus, quae loco aliquo sacrae Scripturae vel pertractata, vel indicata fuerint. Laudem enim illam, quam suspicimus, & maxime commendamus eorum, qui quauis arrepta occasione mysticos sensus, longioresque homilias ad mores componendos efficiunt, illis non inuidemus, donec si Deo dante vita superstes fuerit, aliud ab hoc diuersum instituamus dicendi modum ac finem. Huius rei gratia in apposita figura candelabrum formam mandauimus, ea omnino forma, qua à Moyse primum iubente Domino; deinde a Salomone iuxta praescriptum, ac leges primis, vt vidimus, extructum fuerat. Neque candelabri forma, quae ad praesens facit institutum, contenti fuimus, sed & illa appofuimus omnia, quae Zachariae Prophetae vnà cum candelabro in visione ostensa sunt, IESV Christi Domini nostri, eiusque Ecclesiae Sacrosanctae Symbola. Quibus omnibus in propria loca reiectis, hic ea tantum explicanda suscipimus, quae ad veram candelabri formam concipiendam necessaria videbantur: qua ratione putamus illis ipsis veritatibus concipiendis viam nos aperire latissimam. Id quod Ruperti quoque in illis perquirendis exercitatissimi confirmare testimonio possumus: Totam, inquit, candelabri aeque vt ceterorum, quae perscripta sunt, fabrefacturam Scriptura legentium oculis praesentare laborat, vt quia tota diuina, & diuino Spiritu peracta est, rebus ipsis secundum materiam permanere non valentibus, ipsarum ratione permanente sit rerum aeterna memoria. Haec ille.

QVA RATIONE mystici sensus a nobis pertractentur.

RATIO redditur figurae candelabri.

Rupertus.

Nos vero nulla alia via, aut methodo, rem ipsam ob oculos posse ponere arbitramur, quàm si locum Exodi exponamus, candelabri formam disputationi illi, quam de mensa absoluimus, subiungentem illis verbis. *Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo*. Candelabrum, Hebraice מנורה menorat. Vocem quidam deducunt à מנר menor, quam liber Regum, & Paralipomenon

Exod. 25. ℣. 3.

CANDELABRUM vnde dictum.

2. Reg. 17. ℣. 7.

A liciatorium conuertit, sic dictam propter rotundam formae similitudinem, ac fortasse magnitudinem: sed omnes fere vocem deducunt a נר nir, vel נר ner, lucem significante: vtramque apte interpretatur Kimchius: נר ner, inquit, nunc ellychnium ardens, nunc vero vas in quo ponitur, appellatur: vas autem in quo ponitur lucerna מנורה menorah appellatur, quasi de nomine illius, ac si lucabullum diceres: sed magis ad rem candelabrum dicitur, quae vox non vocem modo Hebraeam reddit, verum eundem quoque modum significandi tenet. Festus enim candelabrum dictum putat, quòd in eo candelae figantur: candela porro à candendo dicta est, vt auctor est Isi-

2. Reg. 21. ℣. 19.

1. Paral. 11. ℣. 23. & cap. 20. ℣. 5. nec alibi reperitur in Sacris.

B dorus: qui & candelabri originem pressius inquirit: Candelabrum, inquit, à candelis dictum, quasi candelaferum, quòd candelam ferat. Quae sane agnominatio Hispanicae potius voci, candelero, quàm Latinae videtur conuenire: sed in his nil moror. Illud certum est, ad notionem vocis respexisse Moysen, cum inter tabernaculi instrumenta מנורת המאור menorath hamaor, enumerat, quod candelabrum luminis exponunt Septuaginta. Candelabrum illuminationis Chaldaeus. Candelabrum luminaris Hebraei. Sed melius Vulgatus: *Candelabrum ad luminaria sustentanda*. Decorem, ac pulchritudinem additam can-

Sextus Pompeius Festus.

S. Isidorus lib. 20. Origin. cap. 10.

CANDELABRUM luminis.

Exod. 35. ℣. 14.

C delabro accensis lucernis indicat Ecclesiasticus, qui cum mulieris bonae pulchritudinem exorienti Soli contulisset, mox eandem cum candelabri huius comparat lucernis: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super aetatem stabilem*. Non incongruam loci huius paraphrasim reddit Vatablus: Quod est, inquit, in supremis Domini (hoc est in caelis) Sol oriens, hoc in ornatu domus suae pulchritudo bonae mulieris. Lucerna splendens in sancto candelabro, venustas faciei in aetate constanti est. Quae sane sumpta è sole similitudo, & è lucerna candelabri, ipsam nobis indicat candelabri pulchritudinem:

Ecclesiastici 26. ℣. 21. & 22.

MVLIERIS bonae pulchritudo laudatur.

Vatablus.

D Sicut enim exoriens in altissimis caelorum Sol, caelos ipsos, terram, & omnia pulchritudine complet & sicut aetatem iuuenilem, membraque decore, atque ornamentis pulcherrima venusta facies illustrat, sic materiae dignitatem, ac pretium, auri nitorem, operae subtilitatem, & gratiam lucernae super candelabrum accensae illustrant, venusta reddunt, ac decora valde.

CANDELABRI pulchritudo.

Et materia perspecta est in textu, aurum mundissimum, cuiusque pondus in fine ככר chicar, talentum, hoc est, librae centum viginti quinque, vt late ostendimus in Apparatu: non enim semper eandem decet instituere disputationem, cum omnibus aduersariorum argumentis, quae

Tomo 3. Appar. par. 2. lib. 2. cap. 33.

E per varia loca dispergunt, semel & in eodem loco satisfecerimus. De candelabri tamen opera non eadem est omnium Interpretum sententia. Quod enim Hebraeis dicitur: מקשה mikfah, Latinusque vertit, *ductile*, Septuaginta τορευτὸν toreuton tornatile. Et Philo· Est enim tornatile, inquit, opus diuinum, insigni arte factum ex auro purissimo, loquitur autem de candelabro sacro. Chaldaeus, ductile, alij aequale, planum, seu complanatum: alij tandem asperum, crispum, perplexum sicut capillitium, aut cucumerarium. Quae omnia quamuis diuersa ratione voci possint aptari, tamen illud Salomonis figmentum voci parum, rei minus aptari poterit: Facies, in-

DVCTILE.

Philo lib. Quis rerum diuinar. sit heres.

R. Salomon.

quit,

quit, candelabrum נקשה *michsa*, idest, non facies illud vacuum, aut concauum, neque fient lucernae eius, atque calami membratim, ac seorsum per partes: & postea coniungant eas more aurificum (quod vulgo dicimus *soldar*, & metallum quo iunguntur partes, & sal quod adhibetur desuper vt fluat, dicitur *saldadura*) sed totum fiat fusura vna, & percutiatur malleo, & fundatur in vase aurificis & diuidentur calami hinc & inde. Quae quidem omnia ex summa rerum ignoratione procedunt, cum ea omnia facienda esse neget, quae contra textus ipse fieri praecipit, dum auro ductili, malleo percusso, siue extenso, vt vertit Targhum, faciendum esse dicit candelabrum. Et certe quae fusa sunt, aut solida funduntur, aut inania: solidum fuisse candelabrum nulla omnino ratio suadet: quia minimum esset talenti pondere, cum alibi à nobis ostensum sit, cubum quatuor digitorum ex cubito Sacro aureum talentum pendere: quod prae grauitate procedentium ex vtroque latere calamorum facile rumperetur. Quod si maiora quaedam vasa, aut poma candelabri fiant inania, illa aut fuliginosa manerent, & immunda, aut puluere plena, & argillosa terra, in qua fusa fuerunt: quod aeque dedecet sanctitatem, ac puritatem loci, & candelabri. Superest vt eo opere factum sit candelabrum, quo argentei calices solent fieri, ac maiora quaedam argentea candelabra, & similia vasa, quorum singulae partes poma, sciphi, aclilia malleo diducuntur, eorum vero ornamenta, quae recta ducuntur in orbem architectonicis coronis similia, torno expoliuntur: quae autem aspera futura sunt, ac caelata, ea celte, vel scalpro finguntur, quod vulgo dicitur *cinzelar*, & instrumenta vocamus *cinzeles*: ac postmodum perfectis singulis seorsum partibus, aut aureis clauis figuntur, aut trocleis illis, quas vulgo vocamus *tornillos*: Italice *viti*: vel ad ignem copulantur, & solida fiunt haud secus quàm si ex vna eademque lamina omnia fuissent deducta, aut simul fusa. Et hoc certe putandum est fuisse opus candelabri, eiusdem sanctitati, operis subtilitati, ac perfectioni, pulchritudini, & vsui magis accommodatum.

RABBINI commentum.

Fine Tom. 3. Appar. tabula ponderum prima.

CANDELABRI compositio.

A ירכה *iereca*, hoc est foemur. Nomen est, cuius quamuis notio perspecta sit, verbum tamen à quo deducatur, non satis perspectum est: cum verbi ירך *iarac*, nullus sit Hebraeis vsus, & verbi רכך *racac*, notio longe abesse videatur à foemoris natura, & vsu. A teneritudine namque partes aliae corporis potius denominarentur, quàm foemur. Sed tamen cum huiusmodi disputatio non multum è re nostra sit, liberum cuique sit opinari quod volet. In quo vero maior est difficultas, hoc vnum est, quòd cum saepius in sacra Scriptura foemur significetur hac voce, qua translatione, aut qua alia ratione in candelabro sit foemur, haud facile percipitur: ex quo mox venit explicandum quare

FOEMVR vnde dicatur.

B Vulgatus *Hastile* transtulerit. Et primum Benedictus Arias, candelabri formam persecutus: Pes, inquit, ipse humani foemoris figuram habuisse videtur ex nomine Hebraico ירך *ierech*, quod foemur significat; est enim foemur sedentis hominis basis. Igitur pedem inferius latum, & superius angustiorem obelisci fere forma pingimus, quòd opportuna mensura, quanta videlicet foemoris ad tibiam ratio est, hastile superius produceret, vt tibia ex foemore connexa producitur. Haec ille. Sed certe si hoc dicere pace tanti viri liceat, haud successit votis felicitas; infelici namque vsus pictore nihil non inuenustum protulit, monstruosum, ac turpe: partem enim quandam humani

Arias Montanus de arcae fabrica.

FOEMVR in candelabro.

C corporis mutilam, inuersam pinxit, & eam, quae nullam haberet cum reliquis candelabri similitudinis proportionem. Cuius rei testes appello eos omnes, qui antiquitatis boni obseruatores, graphidis minime sunt ignari.

Sed certe si tam arcta sumenda est vocis notio, vt quia vnius foemoris mentio fit, non possint esse plura foemora, quae elegantiarum, ac venustatis plenos componant pedes; eadem plane ratione philosophari liceret in Leuitico, vbi holocaustum immolandum esse praecipitur, *ad latus altaris, quod respicit Aquilonem*: ibi enim pro latere legimus ירך *ierec*. quare Rabbi Dauid pedem, vel angulum conuertit. Cumque qua-

Leuitic. 1. ℣. 11.

D tuor angulos habuerit illud altare, totidem foemora habuisse necessarium est. Neque hoc tantum loco translata vox est ad significandum latus, vt bene conuertit Vulgatus, quippe foemur à latere hominis est, sed & alias saepe. In Exodo: *Et eiusdem numeri ad Occidentalem plagam*. Hebraice legitur לירכתים *lajrecathajm* duobus lateribus, vel foemoribus, vel ad duo latera ad mare, hoc est, & in duobus lateribus & ad mare, quod est Occidentale latus. Qua ratione foemur candelabri latus eius, vel basim eius lateralem, hoc est, quadratam poterit indicare: nam quod basi quadratae duplici, altera alteri superposita, insisteret candelabrum, argumento est

FOEMVR pro latere *Exod. 26. ℣. 27.*

E candelabrum in arcu Titi expressum, vt supra ostendi. Et Iosephus cum plures candelabri partes enumerasset: Ex quibus, inquit, ab vna basi compositum surgebat in altum. Vnam basim vocat eam, quae duplici membro constabat. Sed ad vocem reuersi foemoris, ea etiam facile poterit in propria significatione vsurpari, quippe cum videas in nostri candelabri figura basim candelabri haud secus, quam alia omnia templi instrumenta Cherubinis ornata, aut aliqua saltem Cherubinorum specie. Idquod duplici exemplo factum est: Primum ex sacrae Scripturae testimonijs, quae ita factum esse in lutherum basibus testantur, & alibi saepe. Alterum vero exemplum

CANDELABRI duplex basis

Iosephus 3. antiq. cap. 7.

DE QVINQVE CANDELABRI PARTIBVS,

hastili, calamis, sciphis, sphaerulis, lilijs.

Cap. LIX.

ENVMERAT igitur inprimis Deus partes, siue diuersa membra, quibus constat candelabrum: ac deinde ostendit qua ratione componantur. Partes autem, quas recenset, sunt quinque: Hastile, calami, sciphi, sphaerulae, lilia: de quibus agendum est sigillatim, & veluti per partes. *Hastile* Hebraice:

plum desumptum est ex forma candelabri, quae A in arcu Titi apparet, in cuius basi equos marinos in pisces desinentes, & alia id genus monstra finxit sculptor, vel quod non bene percepisset, quae de Cherubinis in basi candelabri insculptis audierat, vel in contemptum illarum rerum. Sed & multo magis in hac sententia insistimus, quod humana foemora in candelabri pedibus, vel angulis insculpta fuisse significet Hebraeus textus, quem, vt vides in figura, imitati sumus. Beatus porro Hieronymus Septuaginta interpretes imitatus fuit, *hastile* eius scribens: illi namque καυλὸς caulos, scripserint, quae vox a Latinis quoque vsurpata, herbae partem illam significat, quae prima è terra surgit, & ex qua emergunt deinde folia, B atque ramusculi. Qua quidem voce Vulgatus partem illam significari voluit, quae è basi recta surgit, cuique reliqui innituntur rami: eam deinde textus candelabri voce significat.

CALAMI candelabri.

Calamus. קנה vechana. Huius vocis notio cum aliàs exposita sit, nihil praeterea de ea addendum esse censui, quam quod ab omnibus vna Interpretibus calamus vertitur: indicat enim subtiliores quasdam candelabri partes sursum erectas, sed non tam arcte accipiendas, vt ab aliquibus sumuntur; qui quod poma, lilia, vasa in calamis fuisse legunt, partem aliquam calami nudam imaginantur inter haec ornamenta. Quasi vero inserta potius calamis, quàm arte composita viderentur. C Id enim praeterquam quòd venustatem, & decus omne tollit, etiam Iosepho aduersatur asserenti candelabrum globulis, lilijs, malis punicis, & craterculis distinctum fuisse. Etenim candelabrum forma fere eadem credendum est fuisse, qua hodie fiunt, hic Romae potissimum candelabra quaedam aerea, vel argentea, tum maiora pro faculis, tum minora pro cereis altaribus imponendis: quamuis alia omnia candelabra alijs sint ornamentis distincta, huius enim proprie describuntur in textu. Huius vero operis ratio à nobis dicitur a modo de balaustre: quae vna ratio ob oculos posita, omnia, quae de candelabro scribuntur, ob oculos proponet, & omnes D soluet difficultates, quae ex hac vna radice prodijsse videntur, quòd huius operis ratio perspecta non fuit, neque vlla facta est scriptorum cum opere huiusmodi comparatio.

Iosephus 3. antiq. c. 7.

CANDELAbri forma.

SCIPHI, ET eorum forma.

Sciphos. Hebraice גביעה gebagheha. Vas autem ea voce significari putant Hebraei tereti forma, ad bibendum aptum, sic dictum a forma collis, גבע gebagh, enim collem significat. Rabbi Dauid vas ait esse instar calicis, dispositione quamuis & forma diuersum. Sed vas esse ad bibendum aptum indicat vocis vsus in Genesi. cum fratri Beniamin natu minimo amice imponere voluit Ioseph, latenter posito in ore sacci argenteo sciphο, in quo bibere, & augurari solebat. Sed id ad com- E mune vasis nomen pertinere credendum est, cum contra hoc loco sciphi forma disertis verbis sit expressa: quam alij Scriptores plures, ijque perspicaces cur non viderint, mirari non desino.

Genes. 44. ℣. 1. & 5.

Exod. 25. ℣. 33.

AMYGDAlata vasa.

Vatablus nu. 28.

Tres sciphi quasi in nucis modum per calamos singulos. Hebraice: שלשה גבעים משקדים selosah gebaghim mesukadim, tres sciphi, vel calices amygdalati. Septuaginta Tres sciphi figurati in modum nucis. Chaldaeus. Tres sciphi figurati in calamo vno. Vatablus Tres calices in formam amygdali facti in calamo vno. & in notationibus Vel in speciem, inquit, nucis amygdalinae deformati. Vox enim משקדים mesukadim, a verbo שקד sakad, ducta, quod vigilare significat; vel festinare; amygdalum significat, quae prima omnium arborum flores emittit, vt alias me dixisse memini. Itaque vasa amygdalata fuisse denotat vox, proprie vasorum formam illam teretem, quam vulgo ouatam dicimus, quod oui formam referat: cuius forma fructus amygdali est similis, si angulos, & cuspidem ab hac auferas. Quo forte respexit Vulgatus, nucem amygdalo substituens, qui fructus ad teretem magis formam accedit, qua erat candelabrum, vt supra ostendi. Nec me latet ea, qua Scriptores aliqui vtuntur coniectura, arbitrantes nucis commune nomen esse, & quas nuces nos vocamus, significare, & similes alios fructus duriore tectos cortice: vt sensus sit sciphos hos factos fuisse in modum amygdalinae nucis. Qua in re non multum moror: satis enim mihi esse videtur, si calicis, vel sciphi formam eandem liceat ex omnibus Interpretibus colligere. Neque Caietani sententia, & interpretatio ex forma candelabri, quae in fornice Titi videtur expressa, quemquam mouere debet: quippe si ille Iosephum legisset, affirmantem candelabrum illud commutata forma allatum fuisse in triumpho, nunquam affirmasset tempore secundi templi antiquum desueuisse ornatum, cum alijs eiusmodi coniecturis. Sed & Lyranus relatis aliorum sententijs, veras quasque reiecit, quid contra sentiret, vix expressit. *In nucis modum.* Ex hoc, inquit, dicunt aliqui quòd isti sciphi erant pomelli, ita quòd duo sciphi positi vnus contra alium faciebant vnum pomellum. Sed hoc non est verum, quia ibi translatio nostra habet sphaerulas in Hebraeo habetur, pomellos. Ex quo patet, quòd sciphi non erant pomelli (si vero mihi liceret ita loqui.) Ex quo patet, inquam, quam male Lyranus concipiat rerum formas: nullus enim sanae mentis sphaerulas cum sciphis confundet, sed vtriusque formam distinguet, dum illas omnino rotundas faciet, hos oblongiori, quam duo calices latiori sese contingentes ore facile efformabunt. & inferioris calicis pes sciphi pedem indicabit; superioris pes sciphi amygdalati collum, & os magis arctum, quod sensisse videtur Salomon ab eodem Lyrano relatus: Isti sciphi, inquit, erant oblongi, habentes pedes, & erant sic dispositi in candelabro, quasi calamus transiret per medium sciphi. Haec ille. Quae omnia vel vno figurae aspectu facilius percipientur, quam multiplici verborum temere congesta serie.

NVCES quae dicantur.

Caietanus in Pentateucum.

Iosephus 7. antiq. c. 24.

Nicolaus de Lyra in Exodum.

LYRANI sententia redarguitur.

R. Salomon apud Lyranum.

SPHAERVlae quae dicantur.

Et sphaerulas. כפתריה caphtoreha, & sphaerulas eius. Sic Chaldaeus, & Septuaginta interpretes. Vocem tamen Hebraeam Rabbini contendunt ita interpretari, vt pomum significet, malum punicum, non quidem ipsum fructum, sed eius formam, qualibet alia materia expressam. Huius notionis argumentum adducunt praeter poma candelabri, duo Prophetarum loca. Primum Amos, qui *Vidi Dominum*, inquit, *stantem super altare, & dixit. Percute cardinem* כפתר caphtar, pomum legunt, à cuius figurae ornamentis insuper liminari expressis sic dictum putant superliminare. Sed nimis longe petita videtur expositio haec. & ad rem accommodate magis locum interpretatur Vulgatus, vt à rotunda cardinum forma dicantur caphtar, vt percusso cardine cadat superliminare. Quod Hispana phrasi diceremus, haud los quicios y cairase el vmbral. Alter locus est ex Sophonia, qui ciuitatis illius Assyriorum magnae,

Amos 9. ℣. 1.

Niniue

Niniue olim dictae, excidium praedicens perpetuum: *Et onocrotalus*, inquit, *& ericius* בכפתריה *becapehoreha, in liminibus eius morabuntur*. quem locum haud aliter interpretantur quàm primum. Sed facilior multo est expositio Hieronymi, qui à cardinibus, quae in liminibus solent figi, limina ipsa intelligi putauit: vel quod magis videtur probandum, ipsa cardinum foramina in limine infimo aperta ericiorum, vel onocrotalorum futura esse praedicit cubicula, ita nullus erat futurus reliquus, qui domos illas ingrederetur, vt ferocissimas bestias à limine abijceret. Neque vero horum sententiae fauere putandus est Iosephus, qui inter huius candelabri ornamenta, malogranata videtur enumerare: illa enim ad florum formam exprimendam potius videntur facere, quàm pomorum, quod mox exponemus. Quapropter cum antiquissimis, doctissimisque Interpretibus sentiendum esse arbitrati sumus, qui *sphærulas* conuertunt, hae enim venustatem, & decorem addere solent huiusmodi operibus vndique similes, ac pari ratione vndequaque rotundae, potius quàm mala granata quadrataquodammodo non omnino rotunda: quorum quae referunt similitudinem aliquam opera alijs locis atque operibus exornandis aptissima forent.

Sophoni. 2. ℣. 14.

PVLCHRA periphrasis derelictae vrbis.

Et lilia. ופרחיה aperacheha. Est autem פרח perah, à verbo deducta פרח parach, quod erumpere, germinare, pullulare significat, atque adeo nomen illud erumpentes flores significabit, non hos aut illos, sed quoscumque. Sic apud Nahum Prophetam: *Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit*. Hoc est, quicumque flos erumpens, aut germen omne deficiet, vt Septuaginta interpretes vertunt. *Et quae florebant libani defecerunt*. Chaldaeus. Et arbores Libani defluunt, qua ratione & floribus nonnumquam coniungitur haec vox, vt quaenam illa floris sit species cognoscatur. sic in libris Regum: *Et folium repandi lilij*. vbi ex Hebraeo vertunt germen lilij. Et in Paralipomenis: *repandi lilij* alij vertunt flos rosae, vbique enim eadem haec vox legitur. Septuaginta interpretes loco Exodi, quem interpretamur, ταχῖνα, scripsere pro lilijs. qua voce tradunt, flores, lilia significari, & cucurbitae florem qui certe flos haud inelegans esset forma: quamuis ad symbola, & rerum significationem non satis videatur aptum, propter herbae illius florum, ac fructuum luxuriosam quamdam, sed fluxam, ac breui perituram pulchritudinem. Solidiorem certe exquirunt, quae ad templum pertinent, maturam, ac sine fastu, copiam, vt alias ostendimus. Quapropter eadem vsus voce Iosephus, qua forma flos ille fuerit, explicare videtur, candelabri ornamenta percensens illis verbis: Eratque distinctum gobulis, lilijs, malis punicis, craterculis Graece πεποικιλμένας δὲ σφαιρίοις καὶ κρίνοις ῥοΐσκοις, καὶ κρατηρίσι δ' ἴσοις. quae verba cum in reliquis Latinis videantur respondere, in eo tamen minime videntur quod ad flores, & malogranata spectat. Nam flores legendum esset, cum paruis malis punicis, vel cum caliculis malorum punicorum, ac sensus esse videtur, erumpentes caliculos malorum punicorum ibi expressos fuisse pro floribus. Nam praeter quam quòd minime sit verisimile, Iosephum nouum ornamenti genus candelabro adiungere voluisse, cuius sacrae Literae non meminerint, ornamentorum numerus, quem ipse commemorat, plane demonstrat, ea tantum computasse, quae in sacra Scriptura referuntur, vt infra ostendemus.

Nahum. 5. ℣. 4.

3. Regum 7. ℣. 28

2. Paral. 4. ℣. 5.

E SOLIDIORIBUS floribus symbola petentur in templo.

FLORES malorum punicorum.

DE PARTIVM
CANDELABRI NVMERO, *ordine, dispositione*.
Cap. LX.

ENVMERATIS in vniuersum candelabri partibus, ad earum artificiosam compositionem explicandam accedit sacer textus. *Sex calami*, inquit, *egredientur de lateribus eius, tres ex vno latere, & tres ex altero*. Quae verba ita sunt perspicua, & ab omnibus fere Interpretibus relata, vt explanatione non indigeant, si tamen illud addas, cuius ignoratione non pauci prolapsi sunt: calamum dici totum illud, quod à latere candelabri egreditur, & vsque ad lucernam sustinendam ascendit, quod quidem totum sphaerulis, sciphis, ac lilijs ita distinguitur, vt nulla sit pars candelabri, quae calamus sit, neque aliqua ex ijs partibus exornetur, quod & ipse contextus ita confirmabit, dum ad poma connecti cum hastili calamos expresse testatur.

Exod. 25. ℣. 32.

CALAMI candelabri qui dicantur.

Tres sciphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphaerulaeque simul, & lilia: & tres similiter sciphi instar nucis in calamo altero sphaerulaeque simul, & lilia. hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili. Ex Hebraeo Regius codex sic vertit: Tres calices amygdalati in calamo vno, pomum & flos: & tres calices amygdalati in calamo vno, pomum & flos: sic sex calamis egredientibus è candelabro. Quorum lectione verborum permoti nonnulli, in dubium reuocant, an sphaerulae, & lilia singula cum singulis computentur sciphis, an vero cum tribus sciphis sphaerula vna, vnusque flos & quamuis Caietanus arbitretur pulchritudini magis conuenire, vt cuilibet calici adiuncta sit sphaerula cum flore. tamen adhuc ipse phrasim Hebraicam minime percepisse videtur, quippe qui in dubium rem satis certam reuocauerit. Nam Hebraei distributiua nomina, quibus carent, repetitione supplent nominis singularis, cui nonnumquam vnius, addunt, pro vniuscuiusque. Cuius rei alias saepe, & in hac eadem oratione plura licet obseruare exempla eo certiora, quo à sapientissimo Vulgatae nostrae interprete huiusmodi phrases aptius in Latinum sermonem sunt conuersae. Est in libro Esther locus in hanc rem celebris: quem sic reddit Regius codex. Et in contingendo ordinem puellae, & puellae: *Cum venisset tempus singularum per ordinem puellarum*. & in Deuteronomio: Memento dierum saeculi, intelligite annos generationis. Vulgatus: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas*.

Ibid. ℣. 33.

SINGVLIS sciphis singulae adnumerantur sphaerulae, singula lilia.

Caietanus ibi.

Esther 2. ℣. 12.

VNIVS PRO vniuscuiusque vsus.

Deuter. 32. ℣. 7.

Sed

Sed quid opus est aliunde exempla quasi aliena exquirere, cum plurima hoc eodem loco suppetanr propria? Inprimis phrasim illam, in calamo vno, in calamo vno, aptissime conuertit: *per calamos singulos: & similiter, in calamo altero.* praeterea illam: tres sciphi, pomum & flos, quae eadem censenda est, at si carente floribus candelabro dixisset, tres sciphi, pomum, & pomum, nulla aptiori ratione conuerti potuisset quàm illis verbis, *tres sciphi in nucis modum per calamos singulos, sphaerulaeque simul*, idest totidem, *& lilia.* Neque ab hac diuersa phrasis est, quae sequenti versu habetur: *In ipso autem candelabro*, boc est, in hastili candelabri: *erunt quatuor sciphi in nucis modum, sphaerulaeque per singulos, & lilia.* Quae verba sic in Hebraeo habentur: In candelabro, quatuor calices amygdalati poma eius, & flores eius. Sicut igitur nulli fas esset negare in hastili candelabri fuisse quatuor flores, vel quatuor poma, hoc est, sciphis numero paria, propter Vulgatae auctoritatem, quam pio viro non licet abijcere: ita etiam non licet ambigere num in reliquis quoque calamis poma, & lilia sint sciphis numero paria, cum quod difficili nobis phrasi indicat Hebraeus sermo, id magis explicatum habeat Vulgata lectio. Sed quamuis haec ita firma non essent, vt vere sunt, vel vna vnius Iosephi auctoritas cordatis viris satis esse debeat; quippe qui candelabrum saepius viderit: erat enim Sacerdos, & quas attentius computare potuisset candelabri partes, eas septuagenario numero semel comprehendit illis verbis, quibus candelabri quoque formam ob oculos posuisse videtur: Ex aduerso, inquit, mensae propius Meridianum parietem situm erat candelabrum ex auro fusili, sed non solido. Non haec sunt contraria textui, qui aurum ductile vocat, prius enim ab aurificibus in laminas funditur aurum, vel argentum, quod malleo deinde in vasa formatur, aut in varia eorum ornamenta. Nam qui ex auro solido totum semel fuisse fusum candelabrum putant, quod malleis postea perficeretur, facile ostendunt se esse eius artis ignaros. Pondo minarum centum, hoc pondus Hebraei Chinchares, Graeci talentum sua lingua nominant. De hoc pondere ex Iosephi testimonio, alibi opportunius disseruimus, eratque distinctum globulis, lilijs, malis punicis, craterculis, quorum omnium summa erat septuaginta: ex quibus ab vna basi compositum surgebat in altum, ex totidem constans partibus quot planetas cum Sole perhibent. Exibant autem in septem capita ordine intersese respondentia quibus imponebantur septem lucernae secundum totidem planetarum numerum. Huius loci expositio postulat, vt ea in memoriam reuocentur, quae ex singulis sacrae Scripturae locis seorsum expositis simul colliguntur, haec enim Iosephi verba, illorum summam videntur complecti: Erigitur è basi hastile, quod in quatuor partes licet diuidere, harum quamlibet rursum in tres, sciphum, sphaerulam, lilium, vel potius si ordinem attendamus, quem infra confirmabit textus, sciphum, lilium, sphaeram. Ex vtroque deinde candelabri latere, tres procedunt calami, velut arboris rami, quorum vnusquisque in tres partes diuiditur, harum vnaquaeque rursum in alias tres, sciphum, lilium, sphaeram, singulis demum summis sphaeris lucerna imponebatur vna, erantque omnes pares, & aeque à terra sublimes, ita vt in vna recta linea omnes constitutae viderentur. Iam cuilibet in promptu esse poterit septuagenarius partium numerus, à Iosepho computatus, denarius in singulis calamis: tres enim sciphi, totidemque lilia, vt totidem poma, nouenarium complent, cui si lucernam addas, completur denarius, qui septies replicatus in totidem calamis candelabri fit septuagenarius, non computata illa quarta parte hastilis, quam dixi, quippe quae addita videtur ad dignitatem candelabri, vt erigeretur totum à basi. Quod si illa computaretur, essent omnes candelabri partes tres & septuaginta. Hinc etiam constare poterit Iosephum non computare malogranata in candelabro, tamquam distinctum ornamentum ab illis, quae enumerat sacra Scriptura. Nam si singulis partibus addere voluisset pomum, duodecim aut tredecim partes essent in quolibet hastili. qui quidem numerus nulla ratione septuagenarium posset complere. Et haec de forma, ac numero partium dicta sufficiant.

Exod. 25. ℣. 34.

VVLGATAM pio viro non licet abijcere

CANDELAbri locus in tabernaculo.

Tom. 3. Appar. part. 2. lib. 2 cap 33.

CANDELAbri forma.

PARTIVM candelabri numerus.

Dispositionem partium deinde insinuat textus: *Sphaerula*, inquit, *sub duobus calamis per tria loca quae simul sex fiunt procedentes de hastili vno.* Hebraica: Et pomum sub duobus calamis ex ipso, & pomum sub duobus calamis ex ipso, & pomum sub duobus calamis ex ipso, sex calamis egredientibus ex candelabro. Hebraicam hanc lectionem retulit Caietanus, eamque haud incongrue interpretatus est, huiusmodi subiungens verba. Tres sphaerulae in hastili describuntur sic dispositae, quod ex qualibet earum egrederentur duo calami, alter hinc, alter inde. Et quaelibet erat sub duobus calamis ad significandum quod calami egrediebantur ascendendo, non per lineam rectam, sed per lineam circularem, ita vt quilibet duo calami, hinc & inde constituerent semicirculum vnde fere isti calami constituebant tres semicirculos, ad vnam eandemque lineam rectam diametralem terminatos, ad quam terminabatur hastile candelabri: secundam enim vnam, & eandem lineam rectam erant omnes lucernae. Haec ille. Quibus nihil praeterea addendum censui, praeter vnam partium candelabri dispositionem. Dixi quemlibet candelabri lateralem calamum in tres partes fuisse diuisum, hastile vero in quatuor similes, harum vero vnamquamque tribus alijs fuisse compositam, sciphο, lilio, & pomo, siue sphaerula: nam qui in eadem parte duos, verbi gratia, sciphos componunt, in alia nullum, praeterquam quod textui repugnant, vt ostendi, rectae etiam rationi, & symmetriae sese opponunt. Quod nullo modo permittendum est. cum igitur praesenti textu, & exemplo candelabri, quod Romae videtur, in summa prima parte hastilis è pomo procedant primi duo calami è summa secunda, similiter è pomo procedant alij duo: & sic è tertia tres, reliquum fit vt in hastili inter pomum infimum, & basim intersit sciphus, & lilium, & inter duo quaelibet sequentia poma, intersit pariter sciphus, & lilium. ac tandem vltimum pomum sit veluti basis lucernae, de qua mox locuturi sumus, atque eundem ordinem omnino seruant eadem ornamenta in reliquis calamis. Nam vt in figura apparet, binae lineae è centro summae hastilis sphaerae egredientes, ad terminos cuiuslibet vasis maximi calami terminos contingunt vasorum, quae in interioribus calamis illi respondent, atque idem seruatum est in reliquis partibus. Neque vero in hac partium dispositione minus sapienter se gessit summus huius instrumenti architectus, quàm in reliquis, quippe qui rerum naturam

Exod. 25. ℣. 35.

DISPOSItio partium.

Caietanus.

IN SINGVlis partibus lilium, pomum & sciphus.

MIRABILIS sapientia architecti in candelabro elucet.

curam imitatus fuisse videtur. Quae flores facile e vase producere è floribus fructus, aut poma, pomis deinde, quae sphaeras referunt caelestes, lucernas errantium stellarum symbola imposuit, quarum vnaquaeque propriae insidet sphaerae, & in ea mouetur. Hanc porro planetarum, & candelabri similitudinem tamquam quid omnibus notissimum late persequitur Philo: Candelabrum, inquit, Austrum versus, subindicans motum siderum luminarium. Nam Sol lunaque cum ceteris longe à Septentrionalibus partibus deflectentes magis obuersantur Australibus. Hinc factum est, vt terni rami producti sint ex medij candelabri vtroque latere, ad numerum septenarium. In summitatibus eminebant septem lucernulae, figurae planetarum, vt vocant Physici. Sol enim tamquam lucerna inter illos sex medius lucet, quartus à summo pariter, & infimo, temperans musicum illud, & vere diuinum organum. cum vero alibi idem Philo, nomine artificis de candelabro affirmat, quod cauliculi vtrimque terni procedebant pari proceritate, habentes in summo lucernas nucibus similes, in floris speciem lucernam sustinentis extante in summo candelabro flore septimo, ex auro solido, & superimpositis septem lucernis aureis, sic exponendum esse censuerim, vt ipse Philo summas sphaerulas nucibus dicat esse similes, & veluti partes quasdam lucernarum: nam, vt dixi, à floribus lucernae medijs sphaerulis sustinentur. Quod vero ad candelabri materiam pertinet, eiusque ad diuina translationem, ipse Philo diserte persequitur: Inter laudes, inquit, auri multas duae reperiuntur praecipuae, vna quòd non sentit rubiginis iniuriam, altera quòd in tenuissimas bracteas sine scissura deducitur: merito igitur maiorem naturam significat, quae diffusa, & protensa vsquequaque tota, per totum plena est, aptissime contexens cetera. Haec ille. Quae de forma candelabri dicta sufficient.

Philo lib. 3. de vita Moysis.

CANDELABRI lucernae septem referunt errantes stellas.

Philo lib. Quis sit heres.

AVRVM diuinam denotat naturam.

DE LVCERNIS,

AC RELIQVIS CANDELABRI *instrumentis*.

Cap. LXI.

LVCERNAS deinde fieri praecipit. *Facies*, inquit, *& lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso*. De lucerna, à qua Hebraeum candelabri nomen desumptum est, satis initio diximus, contra quae latinis accidisse, qui à candelis candelabro nomen dederunt, quippe qui candelas priores lucernis fuisse arbitrati sunt. Candelabrum, inquit Varro, à candela, ex eis enim funiculi ardentes fingebantur: lucerna post in-

Exod. 25. ℣. 37.

Varro lib. 4. de ling. Latina.

A uenta, quae dicta à luce. Quam eandem sententiam eleganti versu cecinit Martialis:

Nomina candelae nobis antiqua dederunt.
Non norat parcos vncta lucerna patres.

Martialis lib. 14.

Hinc factum est, vt candelas olim pauperum esse putarent, lucernas diuitum, ac nobilium Romanorum: vt propterea idem Martialis candelam censeat ancillae nomine:

Ancillam tibi sors dedit lucernae,
Tutas quae vigil exigit tenebras.

Eusebius propterea tradidit lucernas ab Aegyptijs inuentas fuisse. & certe artificio maiori eguit lucerna quàm antiquae illae candelae, aut faces, etiamsi aetate nostra multo pluris fiant candelae, B praesertim è cera, quàm lucernae. fuerunt, vt coniicio, lucernae primum vno ellychnio contentae, duplici deinde ac demum multiplici. Huic enim Graecum nomen competit polymyxos, de quo Martialis:

Euseb. lib. 10. praepar. cap. 2.

Illustrem cum tota meis conuiuia flammis,
Totque geram myxos, vna lucerna vocor.

Verum non vnam sed plures lucernas in candelabro fuisse, relatis verbis textus perspicuum est, quas simplici ellychnio, simplicique igne omnes fuisse indicat earum dispositio, quae in ipso textu indicatur. Sed priusquam illam indicemus, quid de lucernarum forma tradat Benedictus Arias, referendum duxi: Erat autem, inquit, C antiquarum lucernarum figura, oculo fere similis humano, nisi quòd altera ex parte ansam auriculae modo habebat, in qua filum incensum eminebat. Haec ille. Nobis autem plures ex his lucernis videre hic Romae licuit, vnam asseruare, non antiquitatis modo monumentum, sed & pietatis Christianorum, qui persecutionum tempore in cryptis latitantes, ad Martyrum sepulchra huiusmodi lucernas accendebant, & pietatis ergo, & tenebrarum vnas propulsatrices, quippe nulla lux Solis eò vsque penetrare poterit. Quam forte primam lucernae formam respexit ipse oculorum opifex Christus, dum ait: *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, similitudine atque vsu.

PLVRES lucernae in candelabro.

Arias Montan. de arcae fabrica.

LVCERNA corporis oculus.

Matth. 6. ℣. 22.

Luc. 11. ℣. 34.

D Lucernas has ductiles factas fuisse putat Arias, quippe cum omne opus candelabri ductile fieri praecipiatur: & cum reliqua iam esse possint omnibus in promptu, illud vnum explicandum superest, quod extremis propositis indicatur: *vt luceant ex aduerso*. Septuaginta interpretes: Et facies, legunt, lucernas eius septem & impones lucernas eius, & lucebunt ab vna facie eius. Chaldaeus Faciesque septem lucernas eius & incendes lucernas vt luceant contra faciem eius. Rupertus: Idest, inquit, contra mensam, hoc enim postea exprimit dicendo: *Et contra mensam candelabrum pones in latere tabernaculi Meridiano mensa enim stabit in latere Aquilonis* Caietanus F remipsam accurate persequitur. Iuxta Hebraeum, inquit, & facient lumen super plagam faciei eius. Facies candelabri procuidubio versa erat versus mensam propositionis, vt infra patet, & propterea facere lumen super plagam faciei candelabri, est illuminare directe diaphanum versus mensam propositionis. candelabrum enim erat sic locatum, vt omnes septem lucernae respicerent ex aequo mensam illam e regione ipsius. Et hinc habetur quod lucernae non erant in forma lampadis. nam lampas aeque diffundit lumen circumquaque, de his autem lucernis mandatur, vt faciant lumen ad certam partem. Erat igitur quaelibet lucerna tamquam habens rostrum

LVCERNARVM dispositio

Rupert.

Exod. 26. ℣. 35.

Caietanus

in vna parte in quo ardebat, & propterea mandando quod faciant lumen super plagam faciei, mandatur quod rostra lucernarum sint versus illam plagam. & hic est literalis sensus, qui comprobatur figura lucernarum sculptarum in praedicto candelabro (fornicis Titi) nam rostratae sunt. hactenus ex Caietano. Cui contrarius esse videtur Iosephus, sed minime audiendus, quippe qui vix possit cum sacra Scriptura immo neque secum ipse cohaerere, nisi mendosus pariter sit, cum Latino Graecus codex, quem consului. *Extabat autem*, inquit, *candelabrum, in septem capita, ordine inter sese respondentia, quibus imponebantur septem lucernae secundum eundem planetarum numerum, respicientque ad Orientem, & Meridiem, candelabro oblique posito*. Haec autem non video quomodo stare possint cum verbis Exodi sic de Moyse attestantibus: *Posuit & candelabrum in tabernaculo testimony è regione mensae in parte Australi: locatis per ordinem lucernis iuxta praeceptum Domini*. de quo supra.

IOSEPHVS sacrae Scripturae contrarius refellitur

Exod. 40. ℣. 24. & 25.

Absoluta candelabri forma, & dispositione, instrumenta bina fieri praecipit Dominus ad candelabri vsum maxime necessaria: *emunctoria quoque, & vbi ea quae emuncta sunt, extinguantur, fiant de auro purissimo*. quid proprie haec essent, inquit Arias, quamque formam obtinerent, nomina & descriptio Hebraica declarant, מלקחים malchac'him, & מחתות machthothaim, quae ex verbo, quamuis non valde eleganter, explicandi causa verti possunt, comprehensoria, & praecisoria. Alterum instrumentum erat parua forceps acutis ad extremum brachulis, quibus lucernae filum trahi, dispensari, & temperari poterat. Altera etiam forceps maior erat, qua exusta iam, & fungosa fili pars, ignisque lucem obscurans, magis quàm iuuans, praecidi extinguique poterat. Haec ille. Quae expendenda lectori sunt atque examinanda: nam cum Vulgata consentiunt, quae Hebraicis confirmantur, Graecis, & Chaldaicis lectionibus. Quod enim ad emunctoria spectat, vox Hebraea à radice לקח lachach, deducta, accipere significat, & duali forma profertur, quippe quod duplici lamina constet eiusmodi instrumentum, cuius vsus est apud Isaiam Prophetam, forcipe accipiente Angelo calculum de altari. Quapropter Chaldaeus, & forcipes eius, vertit: Septuaginta: & emunctorium eius. qua in re parum à Montano dissentimus, si tamen forcipes permittat ex vsu formari, illis simillimas, quibus nos vtimur, quasque vulgo dicimus, *tiseras de despauilar*. In alterius porro instrumenti forma & vsu non possumus non ab Aria longe discedere. Nam quamuis vocis notio in illam, quam tenuit sententiam induceret, quod non facit, adhuc tamen loci quamplures examinandi essent, in quibus ea vox pro thuribulo vsurpatur. atque in Numeris potissimum, vbi ad Core & ad eius congregationem loquitur Moyses: *Tollite*, inquit, *singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino, ducenta quinquaginta thuribula. Aaron quoque teneat thuribulum suum*. vbi ter repetitur eadem vox, eiusque vsus indicatur. Teneamus igitur nos huius & plurium locorum exemplo ducti, vas, cuius ad vsum candelabri fit mentio, forma fuisse thuribuli. Quod indicare voluit Chaldaeus dum, forcipes eius, inquit, & thuribula eius. thuribuli autem formam videre licebit in apparatu, antiquo numismate expressam. Horum vero vasorum vsum indicat aptissime Vulgatae interpres: *Et vbi ea quae emuncta sunt, extinguantur*. quod videlicet hoc vas, phiala haec, vel thuribulum aqua impleretur munda, in quam forcipes infunderentur, atque ita submersis, abscisis lucernarum fungis & extinctis, nihil graue olens sentiretur in domo.

EMVNCTORIA candelabri.

Bened. Arias Mont. lib. Noab.

VVLGATAE defensio.

Isaiae 6. ℣. 6.

Numer. 16 ℣. 17.

VASE, THVribulo simili quae emungebantur, recipiebantur.

Tom. 3. apparatus. par. 2. lib. 5. cap. 21.

DE CANDELABRI OLEO, ET OLEI *vasis*

Cap. LXII.

QVONIAM vasorum candelabri mentio facta est, operaepretium fore videretur, vasa illa exquirere, quibus afferendum erat lucernarum oleum, & infundendum. Quae quidem vasa cum omnino esse necessaria ad candelabri vsum deprehendantur, & à Salomone ex auro facta, ea quoque & à Moyse fuisse comparata nulli dubitandum videtur. Nam & huiusmodi vasorum meminit apud Matthaeum Dominus: *Prudentes vero*, inquit, *acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*. Verumtamen ea tantum vasa à Moyse relata fuisse videntur, quae talenti pondere comprehendebantur: nam vbi nos legimus: *Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissimi*. In Hebraeo habetur: Talentum auri mundi facies illud cum omnibus vasis istis. Septuaginta interpretes Talentum auri puri facies omnia vasa haec. Thargum: Ex talento auri mundi facies illud, & omnia vasa haec, vtique relata, sed quae minime relata fuerant, sequentibus plane verbis videntur contineri, vt bene notauit Caietanus: *Inspice*, inquit, *& fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. In hac conclusione, inquit Caietanus, comprehenditur mandatum reliquorum, quae non sunt scripta, puta de quantitate hastilis secundum longitudinem, de forma lucernarum, & capacitate earum, de pede candelabri, qui pulcherrimus apparet ductus sub triumpho Titi, & ceteris. Haec ille. Ego vero in his quoque olei vasa ostensa fuisse non dubito. Sed illud certe legentis animum adhuc haerentem posset tenere, ac dubium, quare horum Moyses meminerit numquam. Et quamuis huiusmodi interrogationibus, aut dubijs singula pene quae tractamus, possent repleri, cum non omnia quae relata sunt, simul, semel, aut facile à nobis percipi possint, neque à sacro Historico breuissima quadam historia debuerint omnia percenseri. Tamen si praeter eam, quam

Matth. 25. ℣. 4.

VASA QVIbus oleum afferebatur in templum

Exod. 25. ℣. 39.

Ibid. ℣. 40. Caietan.

de talenti pondere rationem attuli, adhuc A aliam, quae exemplarium veritatem respiciat, afferre liceat, idem ipsum forte indicare voluit Moyses huiusmodi silentio, quod post multa saecula ostensum fuit Zachariae. Nimirum Ecclesiae sanctae lumina oleo depasci, non humana expresso industria, non alieno, non exiguo vase contento, non deficienti, sed sponte fluente, sed veluti proprio, sed effuso, sed perenni. Illa enim ad antiquae vnctionem Synagogae referenda esse indicat ipsum lenticulae nomen, quo vnctionis oleum saepe continebatur. *Tulit* inquit historia Regum, *Samuel*, פך pac, *lenticulam olei, & effudit super caput eius*: Saulis. vox est à verbo פכה paca, deducta, B quod distillare significat: significationem congruere putet aliquis cum verbo בכה bacah, quod lacrymas effundere, lacrymari significat, vt quemadmodum propter formae similitudinem, & quòd parua ea esset *lenticula* dicebatur, Latine propter vocis originem, guttus olei facile diceretur. dictus est enim guttus, teste Varrone, à gutta, quod propter colli angustiam humor inde guttatim efflueret. Siue gutturnium, vt placuit Festo, eadem ratione dictum. Sed huic nostrae coniecturae magis fauet Sanctus Gregorius Papa: Lenticula quidem, inquit, paruum est vas: quid ergo est quod lenticula olei Saul vngitur, nisi quia in fine reprobatur? C Velut enim lenticula olei parum habuit, qui spiritalem gratiam proijciendus accepit. hoc vero quod de vno Saule primo illius gentis Rege sapienter, vt cetera, colligit Sanctus Doctor, de vniuerso gentis, ac Synagogae regno licet conijcere, cui dictum fuit: *Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius*. Neque de regno tantum hoc verum est, sed & de Sacerdotio: quod argumentum late persequitur Sanctus Apostolus Paulus Hebraeis scribens qui cum Sacerdotij Melchisedech meminisset: *Si ergo*, inquit, *consummatio per Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? translato enim Sacerdotio necesse est vt & legis translatio fiat*. Quae omnia ad Sacerdotij, & regni cum lege translationem pertinentia, id aperte videntur testari, quod ipse Paulus vno verbo dixit: *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Quapropter lege opus fuit noua, nouo Rege, aeterno sacerdotio, & Sacerdote, quem Regius psaltes alloquitur dicens: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*: quippe qui Melchisedech, hoc est, Rex iustus diceris, vel iustitiae: *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae*, exultationis, *prae consortibus* participibus *tuis*. Huius autem olei copiam, Christi indicat nomen, vel Mes- E siae, quod respexit in Canticis sponsa dicens, *Oleum effusum nomen tuum*. Ac si aperte dicat: tanta perfusus es olei pinguedine, odorisque suauitate, vt te non oleo inunctum appellare constituam, sed potius ipsum oleum effusum. Quae omnia ostensa Zachariae eius visione, quam proposita ostendimus figura, prope indicantur: in qua septem Ecclesiae sanctae lucernae astantibus vtrinque oliuis, atque sponte instillantibus olei perennem copiam depascuntur, pleno inprimis duplici cornu, quo regnum indicatur, & Sacerdotium. Sed quoniam de his omnibus alibi opportune magis tractaturum me esse pollicitus sum, his breui de candelabri materia, forma, loco, vsu, praelibatis, ad reliquam capitis quadragesimi primi partem explicandam festinemus.

LVMINA Ecclesiae quo oleo depascantur.

Samuel primo Regum 10. ℣. 1.

LENTICVLA, olei penuriam denotat.

M. Varro de lingua Latina

Sextus Pompeius Festus.

S. Gregor. lib. 4. cap. 7. in 1. Reg. cap. 10.

Ad Hebr. 7. ℣. 11.

LEGIS NOuae cum antiqua collatio.

Ibid. ℣. 19.

Psalm. 44. ℣. 8.

Ad Hebr. 1. ℣. 9.

Cantic. 1. ℣. 3.

DE VALVARVM
TEMPLI FORMA, & materia.
Cap. LXIII.

Et duo ostia erant in templo, & in Sanctuario. Et in duobus ostijs ex vtraque parte bina erant ostiola, quae in se inuicem plicabantur: bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum. XXIII. XXIIII. Rationem reddere aggreditur Propheta valuarum templi, & oraculi, quae ad munitionem, & sanctitatem non minus quàm ad pulchritudinem, ac venustatem conducere maxime videbantur. Quarum inprimis formam, ac murum duplici relato versu definit: ornamenta vero sequenti. Haec autem iuxta literam perspicua visa sunt perspicacibus Beati Hieronymi oculis, nostris non ita: tum quòd ad videndum sint minus apti, tum vero maxime quòd expositionum multiplici varietate, quasi densis tenebris, offundantur. quae videnda sunt. Sed, Deo fauente, speramus breui lucem affuturam, quae tenebras omnes pellat, & splendorem afferat. Atque illud in primis perspectum esse debet, de valuis, aut ligneis foribus sermonem hic fieri, non vero de ianuis: quas ipsum indicat Hebraeum nomen, דלת deleth, quod ad radicem D דלה dalah, reuocant nonnulli, quae eleuare, vel in altum tollere significat, quòd cardinibus in altum tollatur. Sed quidquid sit de origine vocis, illud obseruatione compertum est, valuas hoc nomine significari, quae quoniam binae solent esse, duali numero plerumque proferuntur. sit apud Isaiam Dominus, Cyro Regi, de hostibus victoriam pollicetur, & omnium eorum munitionum subuersionem: *Et aperiam*, inquit, *coram eo* דלתים dalathaiim, vtrasque valuas, *ianuas*, ושערים vsgharim, *& portae* vrbium, quas significat ea vox, vt aliàs ostendi, *non claudentur*. Et apud Malachiam: *Quis est in vobis*, inquit, *qui claudat* דלתים delathaiim, fores, *ostia*, *& incendat altare meum gratuito*? Ianitorum, ac Sacerdotum templi auaritiam carpit, & negligentiam. Sed quod ad vocem spectat, non est cur in afferendis pluribus exemplis immorer, cui videtur aliqua ratione subscribere Latina vox ostij, tum maxime cum à Graeca deducta sit ὠθεῖν, quae repellere significat, vt aliquibus placet: ostium enim, quod ab ore desumitur, ingredienti patet, fores ab ingressu repellunt. sed in vocibus non multum immoror, rem ipsam absque dubitatione confirmat locus alter Regum, qui ea omnia persequitur, quae hoc loco subobscurius indicantur: ea vero

S. Hierony.

DE VALVIS loquitur hic textus, non de ianuis.

Isai. 45. ℣. 1.

Malach. 1. ℣. 10.

OSTII NOmen valuas aliquando significat.

prius

prius indicanda esse censui, vt ordine deinde confirmentur singula. Primum quid templi nomine, quid Sanctuarij, vel Sancti, vt habent Hebraea, significetur. De quorum valuis agatur, posset quidem dubitari, at in Hebraeo de templo nulla potest esse dubitatio, cum legamus היכל *hecal*, quod est proprium aulae Sanctae nomen: de Sanctuario facilius dubitari posset, quòd in Hebraeo, & Sancto, legatur. Quamuis, vt dixi, Sanctum absolute pro Sancto Sanctorum vsurpetur. Sed id habetur expressum non semel in historia Regum, vbi דביר *debir*, legitur, hoc est, oraculum.

SANCTVM pro Sancto Sanctorum.

Secundo loco valuae describuntur, quarum ligneam materiam indicat historia Regum. Tertio valuarum numerum percenset Ezechiel, quem non minus explicat historia Regum, vtramque ianuam indicans fuisse quadriformem. In quarum assignanda forma à Rabbinorum sententia nobis discedendum est, quòd ij nihil dignitati, commodisue huius magnifici aedificij prospexerint: nobis autem eius rei maxima habenda est cura, quippe quae omnibus fere sacrae Scripturae locis innuitur. Sed praestat, opinor, ipsos audire Rabbinos. Et duo ostia, inquit Salomon, id est, vnicuique portae erant claudentia ostia, vnum contra aliud: vnum nimirum in limine Aquilonari, & aliud in limine Australi. *Et in duobus ostijs*, idest, portae templi bina erant ostia, sicut legitur in tractatu mensurarum. quatuor ostia erant illi, duo in parte interiori, & duo in parte exteriori: extrinsecus erant aperta intra portam ad tegendam muri grossitiem, quae erat sex cubitorum, ostium autem erat latitudinis quinque cubitorum iuxta mensuram medietatis latitudinis portae: egrediebatur autem vno cubito intra limen. Habetur igitur grossitiem muri esse quinque cubitorum discoopertam, & quando ostium exterius aperiebatur, intrinsecus cooperiebant eam. interiora vero aperiebantur intra domum ad cooperiendum id, quod erat post ostia: domus enim tota erat auro tecta, praeterquam in parte posteriore ostiorum.

R. Salomon. ex comm.

Rabbi Iudas dicit: Interiora quoque stabant in medio portae, & quasi res plicabilis vertebantur ad posteriora sua. haec duobus cubitis cum dimidio; illa vero duobus cubitis cum dimidio: semicubiti liminare erat ex vna parte, & semicubiti liminare erat ex altera parte, sicut scriptum est: *Et in duobus ostijs ex vtraque parte* duo erant ostia. Cuius haec est expositio: Id est, tum interiora, tum exteriora, quae stabant in medio grossitiei parietis, & vtraque erant restricta medio cubito intra postes: interiora aperiebantur ad latus exteriorum, idest, ostiorum, & exteriora ad latus interiorum: bina autem ostia quinque & quinque cubitorum aperiebantur, vnum contra aliud in spatio quinque cubitorum latitudinis grossitiei parietis, & in ipsis vacuis erant, & contra eorum medietatem plicabantur ad eorum partes posteriores, quando aperiebant ea: ad similitudinem libellorum ligneorum, in quibus scribitur stylo ferreo, qui plicantur, vnum in partem posteriorem alterius. Habetur igitur quòd quando ostia sunt plicata, occupant tantum duos cubitos, aperta vero vnum contra aliud occupant quinque cubitos grossitiei ipsius parietis. Hactenus ex Rabbinis. quorum sententia vna est, quod ad primam partem attinet, duplices fores eidem portae tribuentem, in exteriori superficie parietis alias, alias in interiori. Sed meo sunt contrariae sententiae, quòd prima singulas fores singulis postibus tribuit, alteram hinc, alteram illinc, in superficie exteriori, ac totidem in superficie eorundem postium interiorum, ita vt quaternis foribus, bis clausum esset ostium, quarum valuae singulae quinos essent latae cubitos. Et haec certe sententia textui videtur esse contraria, in quo fores in sese inuicem plicabantur, non in singulis singulae voluebantur cardinibus: id quod pluribus testimonijs post pauca confirmandum est. Altera vero sententia vt hoc remoueret incommodum, singulas fores ex dictis plicatiles facit, ita vt fores omnes, quibus ostium Orientale Sancti claudebatur, vt minimum essent octonae, quod si mensurae, quas vltimo loco colligit, attendantur, erunt vtique duodenae. Quae ianuarum inutilis multitudo quamuis in ostio Sancti, cuius murus latus est sex cubitos, posset aliqua ratione permitti, at in Sancto Sanctorum, cuius paries Orientalis duos cubitos latus est cum dimidio, quis tantam ferat valuarum multitudinem? at textus pari prorsus ratione de vtroque loquitur ostio, vt initio dicebamus. Quae ratio sane in eam me sententiam inducit, vt inane Rabbinorum figmentum hoc esse existimem, de duplici valuarum munitione in ostijs templi interioris: sed ab hac sententia dimoueri nulla ratione possum, quòd nullum eius rei vestigium in Sacris Scriptoribus, neque apud Hebraeum Iosephum reperio. Rabbinis igitur relectis, praestat vt varios verborum Prophetae interpretes principio audiamus. In Regio codice sic lego: Et duae fores templo, & sanctitati: & duae fores foribus, duae plicatiles valuae, duae valuae vni, & duae valuae alteri. Septuaginta interpretes in Regio codice: Et duo ostia templo, & Sancto, duo ostia duobus ostijs, quae vertebantur, duo ostia vni, & duo ostia portae secundae. At in Sixtiano: Et duo ostia, inquiunt, templo, & duo ostia Sanctuario, duobus ostijs vertibilibus: duo ostia vni, & duo ostia portae secundae. Chaldaeus: Et duo ostia erant, inquit, in templo, & in domo propitiatorij, & geminae fores erant velut matres his ostijs bina erant ostiola versatilia, duo ostiola, inquam, in ostio vno, & duo ostiola in altero. Quae quidem Chaldaei interpretatio & textui, & veritati magis videtur esse consentanea; quippe quae rem indicat, pulchritudini, firmitati, atque vsui maxime deseruientem: ingens vtique erat ostium templi denis cubitis latum, vicenis altum, cuius fores singulae, vt minimum dicam, latae sunt cubitos quinque, altae viginti, quae tam immensa moles propter materiae crassitudinem, & longitudinem, difficile quotidie mane, & vesperi aperiretur, & frustra omnino, cum vt vnus Sacerdos ingrederetur, aperienda esset. Id quod quamuis nullo alio exemplo confirmaretur, vel vno Zachariae satis esset confirmatum. qui sine vllo socio, aut teste, Angelum vidit, & alloquutus est. His igitur incommodis omnibus satis esse prouisum videbitur, si in valua alterutra paruum quoddam ostium aperiretur, quod intra ipsam ianuam proprio ostiolo clauderetur, quod & pessulis, ac seris contineretur, ac propter symmetriae obseruatam in toto aedificio rationem, hoc ipsum in vtraque valua factum est, atque eisdem suadentibus rationibus, eadem

Rabbi Iudas apud eundem.

SOMNIVM Rabbini Scripturae repugnans.

REFELLITVR Rabbinorum sententia.

VALVATVM forma.

Luc. 1.

dem pari ratione in ostio oraculi facta fuerunt. Huiusmodi autem portarum cum ostiolis exempla in domibus, ac templis in Hispania passim cernuntur, in alijs orbis terrae partibus nonnulla. Et hoc est quod ait Textus. *Et duo ostia in templo, & in Sanctuario*: Hoc est, Sancti, & oraculi ostium vnumquodque bis binae claudebant fores.

BINA ostiola quomodo accipienda.

Et in duobus ostijs ex vtraque parte bina erant ostiola, singulis singula, *quae in se inuicem plicabantur*, vt apertis maioribus foribus minores aperirentur, clausis illis hae quoque clauderentur. hoc vero supperaddito, quòd clausis maioribus minores facile aperiebantur. *Bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum*. ex alterutra parte singula, contra quod exposuit Chaldaeus. Quae omnia illis historiae Regum testimonijs, quorum supra memini, magis ac magis confirmabuntur, vt ea propterea huc referre operaepretium sit.

3. Reg. 6. ℣. 31.

Et in ingressu דביר *hadebir, oraculi fecit duo ostiola de lignis oliuarum, postesque angulorum quinque: & duo ostia de lignis oliuarum*. Alia vero fuisse haec duo ostia ab illis ostiolis, vel valuas à valuis distinctas fuisse, indicant Septuaginta, diuersam his atque illis tribuentes materiam, quamuis in Hebraeo eodem modo describantur de lignis oliuarum, vel oleagineis, vel de lignis olei, vt alij conuertunt. Septuaginta in Regio;

OSTIOLA oraculi, eorumque materia.

Et ostio oraculi fecit portas de lignis iuniperinis, & limina quintuplicia, & duas portas de lignis abiegnis. De porta porro templi, aulae sanctae היכל hecal, sic loquitur Textus: *Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos*; de postibus, & quarti, aut quinti proportione satis supra à nobis actum est. *Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur*. Quibus verbis perspicua plane fit, quam paulo ante exposui, sententia. Quod si cuiquam desiderium forte incessat cognoscendi, cur tam exactam ostiorum, siue valuarum rationem reddant sacri Historici, is meminerit omnia, quae de templo dicuntur, ad Christum, vt alias ostendo, pertinere: qui cum se esse ostium plane profiteatur, si Christi sacratissimum corpus foribus conferamus, perfidis clausum, fidelibus patens, sunt adhuc foribus fores, non quidem binae, sed multiplices foraminibus clauorum, lanceae, & huiusmodi puncturis apertae.

Ibid. ℣. 33.

Supra. Cap. 46. huius lib.

OSTIA templi Christi plagas indicant.

Aliquid praeterea innuit hoc loco Chaldaeus, quod non video quomodo deducat ex textu. Et duae portae, inquit, erant è lignis abiegnis, duo cardines portae vnius erant rotundi, & duo cardines portae alterius erant rotundi. Haec ille, quae cuius certa esse debent atque explorata: prae magnitudine enim valuarum, quam exposui, nulla ratione firmae esse possent ad motum, nisi apertis in imo, & summo liminaribus, rotundis foraminibus crassiores valuarum cardines in eis voluerentur. Cardinum enim valuarum meminit eadem historia Regum. *Et cardines*, inquit, *ostiorum domus interioris Sancti Sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erant*. Cardines Hebraeis פתות pethoth, dicuntur: est autem haec vox huius loci propria, quam bene distinxit Marinus à voce צירים tsirim, quam Itali vocant Gangani hi enim nodi sunt ferrei, quibus postibus infixis fores voluuntur suspensae, pethoth, vero sunt, vt dixi, quibus sustinentur in imo, ac summo liminari. Hos autem cardines, A sicut & totae fores, auro fuisse conuestitos affirmat textus.

DE CARdinibus portarum.

3. Reg. 7. ℣. 50.

Marcus Marinus in arca Noe.

VALVARVM ORNAMENTA, ET ea quae sunt in Zophoris.

Cap. LXIV.

ET caelata erant in ipsis ostijs templi Cherubim, & sculpturae palmarum, sicut in parietibus quoque expressae erant. Ianuarum ornamenta cum ornamentorum symmetrijs definit Vitruuius. Et fascias quasdam, quae crassiora ligna appellare liceret, vocat impages, has ex vtraque parte cymatijs, quae vulgo dicerentur Italis cornicete, exornat, depressiores partes medias, & veluti tabulas impagibus innexas vocat ipse tympana. Haec vero Barbarus ita definit, vt sint tamquam loculamenta coronicibus, & cymatijs circumclusa. Atque in huiusmodi tympanis Propheta noster Cherubinorum, atque palmarum similitudines expressas testatur fuisse, haud aliter, quàm in parietibus templi, de quibus supra latius disseruimus. Horum porro tympanorum qui videre cupiet similitudinem aliquam, is quaerat imaginem basis lutherum, quam infra apponemus, atque in eius similibus tympanis, Cherubinorum, & palmarum formas expressas inueniet his, quarum hoc loco fit mentio, persimiles.

Vitru. lib. 4. cap. 6.

Daniel Barbarus super Vitru.

IN TYMpanis Cherubim & palmae.

Sed quemquam fortasse moueat, quod Vitruuius Ipsa quoque forium ornamenta, inquit, non fiunt cerostrota. Hoc autem ad ornamentum pertinere, nulli dubium est. Sed cum cerostrota quoddam ornamneti genus sit, id videndum est, cuiusmodi sit, & quare à Vitruuio negetur foribus, & tunc perspectum erit alia ornamentorum genera ab eo minime fuisse damnata. Cerostrorum opus, Plinio dicitur, quod è cornuum ramentis componitur: Graece enim κέρας cornu dicitur, ramentis ac tessellis pictorum varijs coloribus; & vermiculatim ligno insertorum cornuum compositum, vt bene notauit Philander. Huiusmodi opus illi forma simile, materia diuersum esse existimabimus, quod lithostrotum è lapidibus componitur; & hyalostrotum, quod vitreis tessellis versicoloribus insignitum, varias referre solet imagines, atque picturas, colores contra omnium temporum iniurias illaesos conseruans. Et pylostrotum ligneo vermiculatum emblemate. Quae omnia opera inter picturae genera numerantur. Omnia vero haec & singula cum, vt dixi, minutissimis componantur tessellis, atque commissuris abundent, altiora debent fieri, quam quae manibus, puerorum praesertim, possint attrectari, vt merito Vitruuius

VITRVVII locus explicatus.

Plin. lib. 11. cap. 37.

Philander in notatis Vitruuij.

CEROstrotum opus ianuis non aptum.

neger

neget eiusmodi operibus fores exornandas esse: non tamen propterea negat sculpturae artis ornamenta firmiora, aut fusoriae artis, si fiant ex metallo, aut ductilia si fiant è bracteis. Huiusmodi autem operibus fores exornari antiquis solitas fuisse probat, praeter quotidiana exempla antiquitatis: Maronis celebre testimonium qui cum ob victoriam de Graecis Poëtis partam, templum Caesari dedicandum, atque aedificandum Mantuae polliceretur:

ANTIQVI sculpturis fores exornabant.

In foribus, inquit, *pugnam ex auro, solidoque elephanto*
Gangaridum faciam, victricisque arma Quirini.
Atque hinc undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac naualis surgentes aere columnas.

B

Et quae sequuntur. Neque in re facili diutius immorandum nobis esse censui, sed ad finem capitis properandum.

Quamobrem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus. Cum in sermonem forte incidisset Propheta ornamentorum templi, quod maximum est, atque huius aedificij proprium, & commune nullo alio, quod sciamus, quippe cum summa omnium aedificij partium symmetria coniunctum, id his praedictis verbis expressit. Et verba quidem perspicua sunt, sed quod rem denotent à communi architectorum vsu longe semotam, ea quamplurimis interpretum difficultatibus, atque impedimentis obuoluuntur: sed curandum nobis est, Deo bene iuuante, vt verba ea ipsa luce meridiana clariora fiant. sensus enim, qui primum occurrit, verissimus est, & certissimus. Vt quoniam vestibuli longitudo iuxta latitudinem domus à Meridie protenditur in Aquilonem, latitudo eiusdem ab Oriente in Occidentem extendatur. contignationes vero domorum, & tabulata ita facienda esse suaserit vsus, atque firmitas, vt crassiora ligna, quae totum sustinere debent tabulatum, secundum latitudinem extendantur, quibus deinde subtiliora alia secundum aedificij longitudinem imponantur, atque his demum tabulae, & asseres, quibus superinducatur coenaculorum pauimentum: huiusmodi autem grossiora ligna quo firmius muris adhaereant, ita fuerunt disponenda vt totum Orientalem vestibuli parietem traijcerent, & capita trabium in facie vestibuli apparerent. Et haec sunt *grossiora ligna in vestibuli fronte forinsecus*. Et hoc certe significare voluisse videntur Rabbini à Dauide relati, qui haec ad Salomonis templum respexisse testantur, & excissiones cedrinas aedificatas fuisse in medio muro tradiderunt, sed quoniam huiusmodi trabium capita debitam habere debuerunt rationis proportionem, non modo altitudinis ad latitudinem, sed & distantiae inter binas quasque, quam semper oportuit esse quadratam, fit vt aliquid huius symmetriae imitati Dorici populi, ceratis tabulis, atque trisulcis capita operirent trabium, qui triglyphi propterea vocabantur: media autem inter trabes, spatia metopae. Quae omnia cum propriis mensuris, atque rationibus, quoniam integram exigunt disputationem, quam in sequentem librum reijcimus, de his nihil praeterea. Illud vnum huius loci videtur esse proprium quod inter trabes, hoc est, vt architectorum more loquar, in metopis Cherubinorum quaterna capita effinximus, vt in ipsa vides vestibuli facie: in quam nos sententiam induxisse videntur in-

IOPHORI ornamenta, quae triglyphi dicuntur.

C

D

QVAE sint grossiora ligna

R. Dauid in commentar.

E

CHERVBINORUM capita in metopis.

A terpretes Septuaginta, qui: Et caelatura in eis, inquiunt, & ostia templo, Cherubim & palmae, secundum sculpturam Sanctorum, & secundum ligna ante faciem aelam, forinsecus. Quibus verbis Cherubim, & palmas in ianuis templi sculptas fuisse testantur, haud dissimiles ijs, quae in Sanctuario erant sculptae, & similes ijs, quae inter ligna, quae in facie vestibuli apparebant: id enim significare videtur vox, *secundum*. sed de his quoque iterum ratio reddenda à nobis est.

DE CAPITELLIS

ET PARASTATIS, QVAE *interius vestibulum, & totam domum exterius exornabant. Cap. LXV.*

SVPER quae fenestrae obliquae, & similitudo palmarum, hinc atque inde in humerulis vestibuli secundum latera domus latitudinemque parietum. Duo quidem inter se se longe diuersa eodem hoc orationis contextu comprehenduntur, quae nisi cogitatione separentur, facile confusionem parient legenti. Primum est de fenestris, secundum de sculptura palmarum. Et fenestras eodem nomine vocat, quo superius cum a nobis huiusmodi fenestrarum ratio est reddita, ac propterea Hebraei, fenestras arctas conuertunt. Septuaginta, absconditas. Chaldaeus obturatas: vt facile nos quoque cancellatas fenestras intelligamus, obliquis quidem cancellis, vt reliquas. *Super quae*, quod ad ligna frontis vestibuli referendum videtur, in Hebraeo non habetur, sed sapienter additum est paraphrastice à Vulgato, cum sermonem fieri merito existimauerit de fenestris coenaculorum, quae super prima contignatione plures, eaeque pulcherrimae & ornatissimae aperirentur: vt videre est in omnibus domus Dei orthographijs. Et haec de prima sermonis parte insinuasse sufficiat. Quod vero ad secundam partem spectat, palmae insculptae dicuntur, vel vt habet Chaldaeus, à quo non dissentimus, capitella, quod ea palmarum spatulis exornarentur, in humerulis vestibuli, in costis, vel lateribus domus, & in latitudine parietum. horum autem trium singula difficultatem aliquam inuoluunt, quam breui licebit expellere. Et primam vocem כתפות chethephoth latera, vel humeros portae supra exposuimus, esse eam partem muri quae ab ostio ad angulum domus extenditur. At in vestibulo templi interiori, quod maxime decebat exornari, parastades quas-

XXVI.

CAPITELLA palmarum spatulis ornata.

Supra cap. 40. ℣ 48. & cap. 41. ℣ 2.

dam medias inflexiumus, vt vides in ichnogra- A phia, quas hic textus confirmat, quippe qui earum capitella recenset insculptis palmis fuisse exornata, nectantum, sed & forma, magnitudi-

PARASTAdes in angulis vestibuli.

ne, atque parastadum altitudine fuisse simila capitellis costarum domus, sic enim saepe appellauerat parastades, quae domum ipsam extrinsecus fulciunt, atque exornant. Ac ne earum tantum parastadum meminisse videretur, quae domum fulciunt, cum, vt vides in ichnographia, plurimae sint ipsis parietum crassitudinibus respondentes: harum quoque meminit subiungens, *latitudinemque parietum*. Haec autem quae dixi

S. Hieron.

de pari harum partium mensura, à Beato Hieronymo confirmantur, dum Septuaginta interpre- B tum variam exponit versionem. *Et in humerulis*, inquit, *vestibuli secundum latera domus, latitudinemque parietum*, pro quo Septuaginta transtulerunt: In laquearibus aelam, hoc est, propyli, & latera domus, aequalis ponderis atque mensurae. Per quae latenter ostenditur, & postes superliminaris, seu vestibuli (hoc enim humeruli videntur significare) & latera domus, & latitudinem parietum cuncta rationis plena esse atque mensurae, & nihil in templo Domini reperiri, quod absque mensura, & sapientia constitutum sit. Haec Sanctus Doctor. ego vero pondus ad libramentum capitellorum refero, quorum eadem erat mensura. Huius autem variae Septua- C ginta interpretum lectionis ratio ex Hebraeo petenda videtur. quod enim nos *latitudinemque parietum* legimus, ibi habetur עבים haghubem: estque plurale vocis עב ghab, pro qua Latinus interpres, *grossiora ligna* conuertit. cuius vtriusque expositionis ratio nunc reddenda videtur. Hanc vocem, quoniam ex quiescentibus est, hoc est, cui ad radicis substantiam vna litera deest, Hebraei expositores ad varias reuocant radices: quod vero ad notionem pertinet, omnes voci עבה ghabah, affinem faciunt, quippe quae densare seu condensari significat, densum, grossum, crassumque esse, crassescere posset conuerti, vt in Deu-

Deut. 23. ℣. 15.

teronomio: *Incrassatus est dilectus, incrassatus*, D *impinguatus, dilatatus*. Ex quo fit vt vox עב ghab, densum significet, aut densitatem cuiuslibet rei.

NVBES, densitates dicuntur.

Sic dicuntur nubes in Exodo, vbi Dominus ad Moysen. *Iam nunc*, inquit, *veniam ad te in caligine nubis*, vel in densitate nubis, aut in nube densa, *vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum*. Et in Prouerbijs. *In hilaritate vultus Regis vita: & clementia eius quasi imber serotinus* hoc est, cui vultum ostendit hilarem Rex, vitam praestat felicem: cui vero clementem se exhibet, vel vt alij vertunt beneuolum cui beneuolentiam praestat, *quasi imber serotinus*, quasi nubes pluuiae serotinae, pluuia densa, aut grauis, quae fruges maturat, atque contra solis aestus munit & firmat. Eadem porro E voce trabes dicuntur, quae haud secus quam nubes, capitibus imminent, atque obumbrant, infe-

Exod. 19. ℣. 9.

Prouerb. 32. ℣. 15.

NVBES pluuiae serotinae.

TRABES quoque dicuntur densitates.

rius manentes. Huius rei exemplum videte licet in libris Regum celebri quodam loco, eoque aptissimo ad confirmandum ea, quae de trabium symmetria, aut, vt architectorum more loquamur, de triglyphis supra insinuabamus, quodque infra explicaturi sumus. *Et alteram porticum in facie maioris porticus: & columnas* ועב על פניהם veghab ghal penehem, *& epistilia, super columnas fecit*. Densitatem, seu trabem in superficie columnarum, & trabs, singularis numerus pro plurali, hoc est, & trabes super facies earum. Chaldaeus: Et limina ante faciem illarum. Septuaginta in Regio. Et crassitudo ante faciem eis. in Sixtiano: Et crassities super facies eius, ipsis elamm. Et certe hoc vnum indicat lectio trabes has, quarum, omnium interpretum consentiente scriptura, hic fit sermo, in omnibus his porticibus, quatum paulo ante meminerat, eadem ratione fuisse constitutas. Et cum trabes enumeret textus hic, apte conuertit Vulgatus *epistilia*, quae vox ea significat, quae super columnis imponuntur. quamuis ab architectis haec vniuersalis notio ad illam trabem propriè referatur, quae ipsis capitibus columnarum imminet. Sed haec vna solet esse trabs, densitas vero trabium ad trabes Zophori potius referenda est, vt hic locus cum altero conueniat superioris versus Prophetae.

3. Reg. 7. ℣. 6.

EPISTILIA quae sint.

Sed his in vniuersum de vocis עב ghab, notio- C ne praelibatis, mox liquet qua ratione densitatem hanc, vel crassitudinem ad parietes transtulerit Vulgatus, quippe qui ipso veritatis instinctu ductus, id magis expressit quod res est, parastades vestibuli interiores illis fuisse similes, quae parietum domus longitudinem extrinsecus exornabant, & crassitudinem. Quamuis non negem sensum, quem Hebraei, Septuaginta, & Chaldaeus tenuerunt, nihil continere, aut huic, quem diximus, sensui, aut veritati contrarium.

Et latera domus, & tigna, aut superliminaria conuertunt, vt sensus ad palmarum, & Cherubinorum sculpturam referatur & palmas significent tum in parietibus, tum in laquearibus, atque in- D tertignijs sculptas fuisse cum Cherubinis: idque non in interioribus modo, sed & in exterioribus per trabeationem totam, quae cauedio domus, & crassitudinibus parietum extrinsecus respondebat. quem sensum habere videtur Vulgatus. Cuius potissimum lectionem capite quadragesimo primo explanare conati sumus, vtinam ex sententia alijs, immo & omnibus res successisset. Quod si qua ex parte minus id consequuti sumus, rerum propriae difficultati, ac nostrae imbecillitati indulgendum esse humaniter exposcimus: quod vnum inconueniens lectoris poterit supplere solertia. Nam hic finem praedicti capitis explanandi proponimus, vt sequenti quadragesi- E mo secundo, ac ex parte duobus alijs, quae ad rem facere videbuntur, quam huius libri initio pertractandam suscepimus, quaeque de templi mensuris dicenda videbuntur, absoluemus.

EZECHIELIS PROPHETAE CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

Quae reliqua eſſe videbantur ad perfectam atriorum deſcriptionem, breuiſsime percenſet Propheta.

I. ET eduxit me in atrium
exterius per viam du-
centem ad Aquilonem,
& introduxit me in ga-
zophylacium, quod erat
contra ſeparatum aedi-
ficium, & contra aedem
vergentem ad Aquilonem.
II. In facie longitudinis, centum cubitos oſtij
Aquilonis: & latitudinis quinquaginta cu-
bitos,
III. Contra viginti cubitos atrij interioris, &
contra pauimentum ſtratum lapide atrij exte-
rioris, vbi erat porticus iuncta porticui triplici.
IIII. Et ante gazophylacia deambulatio decem
cubitorum latitudinis, ad interiora reſpiciens
viae cubiti vnius. Et oſtia eorum ad Aqui-
lonem.
V. Vbi erant gazophylacia in ſuperioribus hu-
miliora: quia ſupportabant porticus, quae ex
illis eminebant de inferioribus, & de medijs ae-
dificij.
VI. Triſtega enim erant, & non habebant co-
lumnas, ſicut erant columnae atriorum: pro-
pterea eminebant de inferioribus, & de medijs
à terra cubitis quinquaginta.
VII. Et peribolus exterior ſecundum gazophyla-
cia, quae erant in via atrij exterioris ante ga-
zophylacia: longitudo eius quinquaginta cu-
bitorum.

Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij VIII.
exterioris, quinquaginta cubitorum: & longi-
tudo ante faciem templi, centum cubitorum.
Et erat ſubter gazophylacia haec introitus IX.
ab Oriente ingredientium in ea de atrio exte-
riori.
In latitudine periboli atrij, quod erat contra X.
D viam Orientalem, in faciem aedificij ſepa-
rati, & erant ante aedificium gazophylacia.
Et via in faciem eorum iuxta ſimilitu- XI.
dinem gazophylaciorum, quae erant in via
Aquilonis: ſecundum longitudinem eorum, ſic
& latitudo eorum: & omnis introitus eorum,
& ſimilitudines, & oſtia eorum.
Secundum oſtia gazophylaciorum, quae XII.
erant in via reſpiciente ad Notum: oſtium in
capite viae: quae via erat ante veſtibulum
ſeparatum per viam Orientalem ingredien-
tibus.
E Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, & XIII.
gazophylácia Auſtri, quae ſunt ante aedificium
ſeparatum: haec ſunt gazophylacia ſancta in
quibus veſcuntur Sacerdotes, qui appropinquant
ad Dominum in Sancta ſanctorum: ibi ponent
Sancta ſanctorum, & oblationem pro peccato,
& pro delicto: locus enim ſanctus eſt.
Cum autem ingreſsi fuerint Sacerdotes, non XIIII.
egredientur de Sanctis in atrium exterius: &
ibi reponent veſtimenta ſua, in quibus mini-
ſtrant, quia ſancta ſunt: veſtienturque ve-
ſtimen-

stimentis aliis, & sic procedent ad populum. A

XV. *Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam porta, quae respiciebat ad viam Orientalem: & mensus est eam vndique per circuitum.*

XVI. *Mensus est autem contra ventum Orientalem calamo mensurae, quingentos calamos in calamo mensurae per circuitum.*

XVII. *Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo mensurae per gyrum.*

Et ad ventum Australem mensus est quingentos calamos in calamo mensurae per circuitum. XVIII.

Et ad ventum Occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensurae. XIX.

Per quatuor ventos mensus est murum eius vndique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum diuidentem inter sanctuarium & vulgi locum. XX.

EXPLANATIO EIVSDEM CAPITIS QVADRAGESIMI SECVNDI.

DE GAZOPHYLACIIS TEMPLI LATERA PROSPICIENTIBVS, IN QVIBVS SACRIS CARNIBVS *vescebantur Sacerdotes.* *Cap.* LXVI.

MONENDVS est inprimis lector, vt vestigium primum vniuersi templi perspectum habeat, atque in eo portarum situm, & scalas perpendat, illas praesertim, quas a latere templi Aquilonari finximus, in porticu Aquilonari atrij interioris, quarum introitus Orientem respicit, estque in atrio exteriori. Atque scalis bene perspectis, quasi conscensis iis, in secundo vestigio contempletur gazophylacia huius porticus, de quibus sermo Prophetae est.

I. *Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem.* Versabatur quidem Propheta cum ductore Angelo in atrio interiori ipsius domus sanctae mensuras, ornamenta contemplaturus, & instrumenta, quibus rite peractis egreditur per portam Aquilonarem ad atrium exterius, gradibusque descensis declinauit ad laeuam, hoc est, ad Occidentem, ingrediturque porticum ipsam Aquilonarem interiorem, quae procurrebat à latere portae Occidentem versus. offenditque atriolum quadratum sub castello: quod connectebatur cum praedicta porticu Aquilonari, in qua aperiebatur porta & cum ea porticu, quae in directum tendebatur ad Occidentem, & cum tertia, quae a praedicto atriolo extendebatur ad Aquilonem. Atriolum vero hoc à meridie respiciebat ambulationem, seu plateam, quae ante faciem templi iacebat, longam centum cubitos, latam viginti. In hoc atriolo videt gradus & scalas, quibus conscensis post reuolutam scalam inuenit ambulacrum quoddam ad Occidentem extensum, hinc atque illinc cinctum exedris: vt vides in vestigio secundo vniuersali. Has exedras describit Propheta, & earum sanctitatem, subdens:

ATRIOLA quadrata.

D

Et introduxit me in gazophylacium quod erat contra separatum aedificium, & contra aedem vergentem ad Aquilonem. Rabbi Salomon: Id est ad vnum, inquit, ex gazophylacijs prioribus, aut ad locum gazophylaciorum, id est, gazophylacia, quae sunt sita in Aquilone domus, quae erant separata viginti cubitis a thalamis, sicut supra est explicatum. Haec ille. qui deinde rationem assignare conatus, ob quam necessarium fuerit Prophetae exterius atrium egredi, vt gazophylacia sancta, quae ad interius videntur pertinere, ingrederetur, maxime deceptus est, quippe arbitratus Orientalem faciem domus centenos occupare cubitos, in quibus nulla à lateribus aperiretur porta. quod, vt supra ostendi, à veritate alienum est maxime, sed ratio est eius rei longe diuersa: nam cum totum atrium interius octo gradus erigeretur super exteriori, & peribolo esset vndique cinctum, non alia ratione poterant ad scalas venire, quae in atrio exteriori sitae erant, vt notabit infra Propheta, nisi per portam ad atrium egrederetur exterius. Cum his conueniunt Septuaginta, qui, Ecce, inquiunt, gazophylacia quinque. Qui quidem gazophylaciorum numerus, quamuis nullibi reperiatur, tamen

R. Salomon.

GAZOPHYLACIA Aquilonaria.

E

GAZOPHYlacia exedrae seu templi.

eos sensisse perspectum est; gazophylacium pro pluribus accipiendum esse. Hebraice contra [Hebr.] separatum, & contra [Hebr.] aedificium. Diximus supra pluribus quid vtraque vox significet, & ostendimus [Hebr.] ipsum templum significare, [Hebr.], domunculas, vel cubicula circa templum: ait ergo Vates huius portius exedras Aquilonares spectasse domum ipsam, & illa gazophylacia, quae domui adhaerebant ex latere Aquilonari.

In facie longitudinis centum cubitos ostij Aquilonaris, & latitudinis quinquaginta cubitos. id est, habebat haec porticus, in qua erant gazophylacia, frontem Orientalem versus alteram porticum longam cubitos centum, latam cubitos quinquaginta, in qua aperta erat porta Aquilonaris. Et certe porticus longitudinem, quam initio ex areae quadrata mensura colligebamus, hic textus manifeste definit, & latitudinem, quam ex portae longitudine rimabamur, atque ex difficili contextu capitis quadragesimi.

LONGITVDO porticuum, centum cubitorum.

LATITVDO quinquaginta. Cap. 40. ℣. 18.

III. *Contra viginti cubitos atrij interioris.* id est, castellum, vel quadrata porticus, cuius post pauca mentionem faciet: ex quo aditus patebat, & in ambulacrum, & in exedras praedictas, respiciebat ex altero latere plateam viginti cubitos latam, quae extendebatur ante faciem Sanctuarij inter vestibulum, & atrium Sacerdotum, immo & quae totam vndique domum cingebat, vt dixi. Idest, inquit Rabbi Dauid, cubitos, de quibus supra dixit, & inter gazophylacia viginti cubitos. cui sententiae Salomon quoque subscribit.

R. Dauid.

R. Salomon.

Et contra pauimentum stratum lapide atrij exterioris. id est, respiciebat ex altero latere porticum, quae in atrio Aquilonari Occidentalis est, vocat autem pauimentum stratum lapide porticus inferiores, vt supra diximus. Septuaginta sic vertunt: Et sicut columnae atrij exterioris per ordinem: hoc est, cubicula superiora respondebant inferioribus vestibulis, postibus, & fornicibus; parietes vero, quibus cubicula diuidebantur, & muniebantur, interius superstructi erant, atriorum columnis in eisdem regionibus substructis. Huiusmodi autem porticus pulcherrimo lapide stratas, orationi fuisse ab initio deputatas indicat historia dedicati à Salomone templi: *Sed & omnes filij Israel,* inquit, *videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum: & corruentes proni in terram super pauimentum stratum lapide, adorauerunt, & laudauerunt Dominum.* Inde & eximia pietate, & eruditione plenam protulit Beatus Hieronymus huius Prophetae loci interpretationem: Significat autem, inquit, quod pauimentum atrij exterioris viuo fuerit stratum lapide, vt nec aestatis puluere, nec luto hyemis Sacerdotum vestigia pollluerentur. Vnde & Dominus ascensurus ad Patrem, Apostolorum lauit pedes, vt mundatis, purgatisque vestigijs, scandant regna caelorum.

Cap. 4. ℣. 27.

LOCVS orationi deputatus.

2. Paral. 7. ℣. 3.

S. Hieronym. hic.

Vbi erat porticus iuncta porticui triplici Rabbi Salomon: Gagophylacium, inquit, iunctum gazophylacio triplici, quasi dicat, quod erat gazophylacium supra gazophylacium trinum, vnum supra aliud: quae quidem sententia, si de ordinibus atriorum accipiatur, vt debet, vera est, vt mox ostendam: at cum inferior columnarum ordo gazophylacijs careat, quippe totus in postes, & columnas tributus, duplex tantum in altum ascendit gazophylaciorum ordo. Sed & Septuaginta, contra faciem porticus ternae ferebunt: Hebraice [Hebr.] ante, quae vox significat auulsionem, diuisionem, postem scilicet diuisum, & seorsum consistentem inter apertiones. Significatur ergo porticus ipsa nitens postibus: poteskque versus vel de castello quadrato, vel de porticu Occidentali oblonga exponi, vel potius de vtraque. Si de castello accipias, patet ex dictis, atque ex ipso vestigio, illud esse in medio trium porticuum, Occidentalis, Aquilonaris, & Meridianae. Si vero malis accipere de Occidentali porticu, explicatur locus ex Hebraico codice, qui sic habet: Cubiculum contra cubiculum in ternis, vel per tria, scilicet tabulata, vel ordines cubiculorum: nam verum est in singulis porticibus triplicem in altum contignationem fuisse, vt infra pluribus ostendemus, atque ternos ordines, porticusque ternas per latum in singulis contignationibus, quarum media peruia erat ambulatio, binae laterales parietibus clausae, exedris tribuebantur. Quae omnia magis explicantur ex eo, quod sequitur.

R. Salomon.

PORTICVS quadrata tribus iuncta porticibus.

IV. *Et ante gazophylacia:* gazophylaciorum meminit vtrique superioris contignationis, idque perspectum est ex eo, quod post pauca subdet: *Et erat subter gazophylacia haec introitus,* vt ibi explicabimus. *deambulatio decem cubitorum.* Septuaginta: Et contra exedras deambulatio decem, latitudo per cubitos centum longitudo. Quidam codices Hebraici mendose legunt, viginti cubitorum, qui corrigendi sunt ex Septuaginta è Vulgata versione ex puriori fonte haustis. Nam, vt patet ex vestigio, impossibile est ambulationem mediam latam fuisse cubitos viginti, cum postium contra inferioribus columnis respondentia, binos calamos, hoc est, cubitos duodenos cum dimidio, ab inuicem distent, vt supra vidimus. Sanctus Hieronymus putat Septuaginta interpretes addidisse verba illa, per cubitos longitudinis centum, quae superflua fuisse arbitratus est, quippe quae in Hebraeo non sunt, sed & ea, quae sequuntur, ab ipsis Septuaginta interpretibus praetermissa. Verum perspectum esse poterit, si vestigium secundum atriorum expendatur, deambulationem hanc, quae ante gazophylaciorum fores extenditur, cubitos latam decem, longam fuisse cubitos centum, quanta est porticuum, immo & atriorum longitudo. Atriola enim quadrata inter porticus peruia omnino fuerunt, neque vllis impedita cubiculis, vt vsui, lumini, & pulchritudini aedificij maxime deseruirent.

Infra ℣. 9.

DEAMBVlatio ante gazophylacia.

Ad interiora respiciens via cubiti vnius. Hebraice: In interioribus spatio cubiti vnius, vel quasi cubiti vnius: nam via Hebraeis aliquando aduerbiascit, significatque, ad, secundum, iuxta. vt apud Isaiam: *In virga percutiet te, & baculum suum leuabit super te in via Aegypti:* vt sensus loci sit: ad instar Aegypti, vel secundum plagam Aegypti, quae licet magna fuerit visa, tamen aliquando finem accepit: sic erit haec ab Assyrio aduecta calamitas. Sensus igitur nostri Prophetae hic erit, tametsi haec ambulatio media lata erat inter columnas superiores, cubitos decem, verum extendebatur alijs duobus cubitis ad facies exedrarum, ita vt à pariete paries duodenos distaret cubitos: nam paries illarum trahebatur introrsum à columnarum perpendiculis, cubitis singulis in singulis lateribus, vt videre est in vestigio superiori vniuersali. Quae plane ambulationis mensura, & vestigij superioris vni-

IN VIA phrasis Hebraica.

Isaia 10. ℣. 24.

ris vniuersi videtur definiri mensuras, & inferioris; quas saepius confirmauimus de calami quantitate, & craticula, vniuersam fabricam in paria quadrata distribuente. Illud enim verum assumimus tamquam certum, nec vlla indigens confirmatione, centra postium superiorum, inferiorum columnarum centris recte respondisse; aliàs enim nec firma esset fabrica, nec recta. Adde, quod linea illa, quae per centra duceretur columnarum, medios parietes pari ratione secabat, qui cubicula claudebant, eratque paries latus semicubitum, quod patet ex eo, quòd inter parietes duodeni computantur cubiti, vt dixi. Extra perpendiculum vero huiusmodi parietum, quadrati postes proijciebantur vtrinque cubitum vnum, vel circiter: ex quo fit vt inter postes, binos cubitos crassos, inferiorum respondentes columnarum crassitudini, ambulatio maneat decem cubitorum, & semis, quod decem, more suo vocat Propheta.

CALAMI longitudo.

Et ostia eorum ad Aquilonem. intellige cubiculorum, quae erant in altero latere praedictae porticus proximae atrio interiori: nam alia cubicula his opposita versùs atrium exterius, habebant ostia ad Meridiem. quorum omnium cubiculorum ostia interius respiciebant ad ambulationem mediam.

DE SVPERIORIBVS GAZOPHYLACIIS, TRIPLICI *columnarum ordine, & de superiorum contractione.*

Cap. LXVII.

V*BI erant gazophylacia in superioribus humiliora*. Haec certe fundamenta sunt, quibus vniuersae architecturae moles imponenda est, atque fulcienda, vt post pauca ostendam: nunc circa Prophetae verba explananda versari tantum libet: quae Hebraice sic leguntur: Cubicula superiora erant humiliora. Hebraice קצרות Ketsaroth, quam vocem quamuis Hebraeorum interpretes aliqui breuia, vel angusta conuertant, vel angustiora, tamen cum ea voce decurtare, aut demetere fruges, frequenter significent, aptissime reddit Vulgatus, *humiliora*: quippe quae de inferiorum celsitudine deficerent, quod subsequens explicabit oratio. Erant quippe superiora inferioribus humiliora porticibus, vt in omni bene construto aedificio obseruandum est, atque ab antiquis aedificatoribus perpetuo obseruatum, qui superiores columnationes contractiores, & humiliores effecerunt, ne columnae inferiores nimium grauarentur: quam architectandi rationem ab ipsa natura magistra didicisse profitentur, quae arborum stipites eo profert graciliores, quo altius assurgunt. Huius rei auctor est Vitruuius: qui superiorum

SVPERIORum columnarum contractio.

Vitruu lib 5. cap.1.

A columnarum ordinem inferiori imponendum esse testatus in foro; & columnarum mensuras illis verbis praescribit. Columnae superiores quarta parte minores, quam inferiores, sunt constituendae, propterea quod oneri ferendo, quae sunt inferiora, firmiora debent esse quam superiora. Non minus quod etiam nascentium oportet imitari naturam, vt in arboribus teretibus, abiete, cupresso, pinu, e quibus nulla non crassior est ab radicibus: deinde crescendo progreditur in altitudinem, naturali contractura peraequata nascens ad cacumen. Ergo si natura nascentium ita postulat, recte est constitutum, & altitudinibus, & crassitudinibus superiora inferiorum fieri contractiora. Quae quidem Vitruuij praecepta, eorumque rationes, vt alia quamplurima, ex huius B aedificij rationibus desumpta esse, vel me tacente, cognoscet lector, qui tot saeculis ante Vitruuium horum quamsimillima praecepta sacris viderit monumentis consignata. Atque vt alia, praeteream suis locis exponenda, duo hic nobis perspecta erunt, primum de contractione superiorum columnarum: secundum de earumdem minori altitudine. Hanc porro exponendi rationem à Beato Hieronymo laudari compertum est. Quae gazophylacia, inquit, erant in superioribus, id est, in coenaculis humiliora. Ipsa quoque gazophylacia, hoc est, in coenaculis humiliora. Ipsa quoque gazophylacia, hoc est, thesauri gazarum Domini, in superioribus humi- C liora sunt. Quanto enim quis excelsior fuerit, tanto, cum Apostolo, humilitate deijcitur, dicente: *Qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*.

ARCHITEcturae praecepta ex huius aedificij obseruatione desumpta.

S. Hierony.

SVPERIOres humiliores esse debent.

1. Cor. 15. v. 9.

Quia supportabant porticus, quae ex illis eminebant de inferioribus, & de medijs aedificij. Hebraice: Quia capiebant angulos, (postes possumus nos exponere) ex ipsis, vel prae ipsis inferioribus, & medijs aedificij. Septuaginta: Quoniam eminebant columnae citra columnas inferiores, & spatium sic. Quibus verbis elucidarunt versum alioqui obscurum, cuius is est sensus: Superiora cubicula humiliora erant quàm mediana, & haec rursus humiliora inferioribus D porticibus, quia columnae superiores contrahebantur à latitudine inferiorum, quae erant in porticibus. & similiter supremae columnae medianis erant arctiores. hoc significat verbum illud, *eminebant*, vsurpatum à Septuaginta, & à Vulgato, id est, surgebant in altum citra inferiorum crassitudinem, quare illis aliquantulum contractis, necesse erat spatium in circuitu relinqui vsque ad crassitudinem columnae inferioris. Eamdemque sententiam habet Vulgatus illis verbis, *quia supportabant porticus*, id est, quia columnae medianae, quas supportabant, & fulciebant ipsae porticus infimae, eminebant ex ipsis, vel prae ipsis porticuum postibus: id est, contractiores surgebant quàm postes inferiores, & E supremae columnae adhuc exiliores attollebantur quàm medianae. Quae omnia de semicolumnis, parietibus adpactis intelligenda esse, non autem de ipsis muris, aut postibus, vt perperam Rabbini exposuerunt, sequentia verba indicabunt, ea potissimum, quae à Vulgatae interprete addita esse confirmabimus.

Tristega enim erant, triplicem columnarum ordinem in atrijs fuisse infra ostendemus, *& non habebant columnas, sicut erant columnae atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de medijs a terra*. Hebraice sic legi potest, Quia triplicia ipsa, inferiora, media, & summa, neque VI.

illis

A illis (superioribus) columnae, sicut columnae atriorum. Si vim vocis עמוד ghamud, expendas, rationem inuenies ob quam superioribus columnae negentur significat enim stantem, quasi statuam dicas, quòd stet, id est, in medio domus erecta superiora sustinens, ac fere semper rotundas significat textus ea voce columnas. Ex quo fit vt praesenti textu duo nobis fiant perspicua: primum columnas illas, quas duplices statuimus in medijs porticibus inferioribus: quasque ex frontium symmetria, & responsione hactenus confirmare potuimus, ipsius Prophetae verbis facile confirmari. Alterum est, huiusmodi columnas in superioribus coenaculis minime fuisse, quippe cum totum superius pauimentum

COLVMNAE in porticibus inferioribus fuerunt, non in superioribus.

B in coenacula, & ambulationes distribuatur, pilae & quadratae sunt, & interiectis cubiculorum parietibus quodammodo innituntur, vt columnae minime dici posse videantur. Sed ad expositionem Hebraicae lectionis reuertamur. Propterea, inquit, decisum est (supremis) prae inferioribus & medijs a terra. Quasi dicat, necesse fuit cubicula superiora esse humiliora inferioribus, quia columnae eorum, vel pilae erant contractiores quàm inferiores columnae. Et ideo sicut detractum est aliquid de crassitie columnarum inferiorum superioribus, sic necesse fuit detrahi aliquid de altitudine in secundo ordine, &

ALTITVDINE, & crassitudine minores sunt superiores columnae inferioribus.

C in tertio. Itaque superiori versu de contractione crassitudinis columnarum monuit nos Vates, hoc vero de imminuta altitudine, vt eadem proportionis ratio seruaretur. Atque hoc ipsum imitari voluisse videtur Vitruuius, qui supra allatus de contractione disseruit columnarum in foro, postea vero de minuenda altitudine in theatro: Supra id, pluteum inquit, columnae quarta parte minores altitudine sint, quam inferiores. De qua re nos infra post absolutam Prophetae explanationem sacrae Scripturae exemplis tractaturi, Deo dante, sumus.

Vitru. lib. 5. cap. 7.

Cubitis quinquaginta. Haec verba addit Vulgatus, quae neque sunt in fonte, nec in Septuaginta Interpretum versione, sed non propterea

D minoris sunt auctoritatis: cum & vera sint, & certam quandam aedificij rationem indicent: nam Vulgatus noster, vel in codice veteri inuenit hunc versum, vel adiecit paraphrastice, cuius hic est sensus, contextui valde consentaneus: detractum est aliquid supremis columnis à crassitie inferiorum, & inferioribus à crassitie infimarum, seruata tamen atque illibata latitudine quinquaginta cubitorum tam in infimis, quàm medijs, & supremis columnis, quia earum omnium centra erant in perpendiculo parietis, qui ab altero distabat cubitos quinquaginta, calamos nimirum octo. quod qua ratione sit factum, paulo inferius demonstrabimus, cum de trabeationum proportione, vel simalis, de triglipho-

VVLGATAE defensio

LATITVDO porticuum perpetua, quinquaginta cubitorum.

E rum ratione agemus. Haec enim superiorum cubiculorum latitudo etiam duplici sequenti versu confirmabitur. Sedenimvero praetermittenda non est occasio quaedam ampla laudandi Christi, quam eius infensissimi hostes nobis hoc loco praestant. Salomon enim Ego vero, inquit, non potui horum trium versiculorum intelligere quicquam. Sed Dauid, quam ille deinde Rabbinus sibi superbe arrogauerat è caelo datam expositionem, negat esse conuenientem, atque alias aliorum quos retulit, & tandem subdit: Ego vero dico futurum esse, vt Elias hunc locum explicet. Haec ille. quae mihi haud dissimilis esse videtur illi, quam Christo Domino mulier illa Samaritana, tenebras adhuc amans, luminique resistens dixit, referente Ioanne: *Scio*, enim inquit, *quia Messias venit, qui dicitur Christus, cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Demus igitur nos laudem, gloriam, benedictionem, & honorem IESV Christo, Deo ac Domino nostro, vero Messiae, quòd iam venerit, & Ecclesiam suam docuerit omnia, atque inter alia huius loci expositionem, quam cum viderint Hebraei, suo ipsorum testimonio conuincantur, Eliam iam venisse. Sed & antiquum Rabbinis fuisse Eliam expectare instauratorem, perspectum esse poterit ex eo, quod descendentem Iesum de monte Thabor post transfigurationem, *Interrogauerunt eum discipuli dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.* Sed de his iterum.

R. Salom. in comm.

R. Dauid. in comm.

Ioan. 4. ℣. 25.

CHRISTVS Ecclesiae annunciauit omnia.

Matth. 17. ℣. 10. 11. 12. & 13.

Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quae erant in via atrij exterioris ante gazophylacia: longitudo eius quinquaginta cubitorum, VII.

Hebraice: Et paries, qui erat forinsecus contra exedras in via atrij exterioris, longitudo eius quinquaginta cubitorum è regione exedrarum, id est, murus Orientalis huius aedificij, vel porticus Aquilonaris, in qua adhuc manebat: peribolum autem hunc mensus est dum descenderet per gradus, qui peribolus, maceria, vel paries tam longus erat, quantum frontes reliquarum porticuum atrij exterioris, & ne ignotum per ignotius explicare videatur, subdit.

CONFIRMAtur latitudinem porticuum fuisse quinquaginta cubitorum.

Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris, quinquaginta cubitorum. quasi dicat, notum est autem ex praedictis mensuris alias omnes atrij exterioris porticus fuisse latas cubitos quinquaginta: includendo, vt bene notat Lyranus, non solum spatium inter parietes, sed etiam parietes, & pilarios. Haec ille. Quae nos supra ex ipsius Prophetae verbis confirmauimus. VIII.

IHS
GRATIA

DE GAZOPHYLACIIS MERIDIANIS, & de scalis.

Cap. LXVIII.

E*T longitudo ante faciem templi centum cubitorum.* Descenderat quidem ab illis exedris Aquilonaribus, vt ad similes Meridianas transiret, & pertransiens ante vestibulum templi mensus est Angelus iterum latitudinem atrij interioris ab aedificio Aquilonari vsque ad Australe, illi è regione oppositum,

positum, inuenitque cubitos centum.

IX. *Et erat subter gazophylacia haec*, vtique Meridiana, *introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori*. Supponit iam offendisse gradus Meridionalis porticus Sanctuario proximae, quam quasi digito demonstrat, dicens, *subter gazophylacia haec*, idest, Australia, erat, scilicet, ingressus ab Orientali plaga: quemadmodum in Aquilonaria patebat aditus à fronte Orientali eius aedificij.

SCALIS AB Oriente patet aditus.

X. *In latitudine periboli atrij, quod erat contra viam Orientalem, in faciem aedificij separati, & erant ante aedificium gazophylacia*. Hebraice: In latitudine periboli atrij, vel maceriae atrij, vt habet Regius codex, viae Orientalis; coram הגזרה haggizrah, & coram הבנין habinian, aedificio (chalamorum) erant exedrae. quibus verbis declarat hanc porticum Meridianam spectasse latus templi Meridianum, atque cubicula illa, quae circumdabant templum, immo ipsum parietem lateralem huius porticus fuisse atrij interioris septum, quo laici à Sacerdotibus secernebantur, quasi diceret, longitudo huius porticus, cuius frontem, & aditum dixi spectasse Orientem, procedebat versus Occidentem coram latere templi, dextro: vel quod magis habere videtur Hebraeus textus, gradus ipsos, & scalas denotat fuisse adiacentes peribolo atrij Meridiano, quo interius atrium claudebatur ex aduerso Meridiani lateris templi. Hactenus enim periboli huius non meminerat, quod templum ipsum cingebat, quamuis apud Iosephum habeatur expressus: Templum, inquit, aramque cingebat ex pulcherrimo saxo lorica granissima, de qua nos supra.

DE ATRII interioris peribolo, quo à populo secernebantur Sacerdotes.

Ioseph. 6. belli c. 6.

XI. *Et via ante faciem eorum iuxta similitudinem gazophylaciorum, quae erant in via Aquilonis*. Apertissime Septuaginta vertunt: Et exedrae, & deambulatorium ad facies suas iuxta mensuras exedrarum, quae ad Aquilonem, hoc est, & media ambulatio, & exedrae laterales eadem erant constructae ratione, eadem mensura qua Aquilonares, quas supra descripsi.

Secundum longitudinem eorum, sic & latitudo eorum. Hebraismus his subest, quo lingua Sancta solet confundere particulam כן cen, sic cum particula כ ce, sicut, vt in libris Regum, vbi sic, licet conuertere. Sicut ego, sicut tu, sicut populus meus, sicut populus tuus: quem idiotismum vitauit Vulgatus vertens *Sicut populus meus, sic populus tuus*. hoc loco vsurpatur sic pro sicut, neque enim est sensus, latitudinem aedificij aequalem fuisse longitudini ipsius, sed longitudinem huius aedificij Meridiani longitudini alterius Aquilonaris, & latitudinem similiter latitudini illius fuisse per omnia aequalem: atque hunc sensum expresserunt Septuaginta dicentes: Et secundum longitudinem eorum, & secundum latitudinem eorum Australium, erat, scilicet Aquilonarium, & longitudo, & latitudo, vel contra.

3. Reg. 22 ℣. 5.

SICVT, VEL secundum, phrasis Hebraica.

Et omnis introitus eorum. Septuaginta addunt: & omnis exitus eorum, quae oratio non est in fonte, sed praecedentem consequitur. Vtraque autem voce, introitu scilicet, & exitu significatur forma, ordinatio, dispositio, mensura. Sic etiam locum exposuit Rabbi Salomon. Iuxta introitum, vel exitum gazophylaciorum Aquilonarium.

INTROITVS, & exitus pro forma.

Rabbi Salomon.

Et similitudines eorum. Hebraice: Sicut iudicia eorum, vocat autem iudicia commensus aedificij: quemadmodum infra eundem commensum vocat praecepta, & leges domus. Sed & Rabbi Dauid, similitudinem interpretatus fuisse videtur, cuius rationem reddit: Nam omnia, inquit, videbat in visione prophetiae, non rem realiter existentem, idque clarissimum est.

Cap. 43. Ezech. ℣. 11.

R. Dauid.

XII. *Et ostia eorum secundum ostia gazophylaciorum, quae erant in via respiciente ad Nothum*, vel ad Austrum. In hoc versu videtur esse contradictio, dicere enim debuit, erant haec Meridiana cubicula per omnia similia & paria Aquilonaribus, non vero Meridianis cum Meridiana ipsa demonstret Propheta, atque alijs ex aduerso oppositis comparet, proculdubio Aquilonaribus. Ceterum aduertendum est in hoc etiam versu confundi illas particulas, de quibus egimus superiori versu, & voculam, sicut, vsurpari pro cognata sua sic, ita enim debet connecti versus, sicut similitudines eorum, & sicut ostia eorum, sic ostia gazophylaciorum, quae erant in via respiciente ad Austrum. quae lectio & contextui Hebraico conformis est, & Prophetae descriptioni. Illud autem, *similitudines eorum*, illorum intellige gazophylaciorum, quae primum dimensus fuerat in Aquilone.

Ostium in capite viae, quae via erat ante vestibulum separatum per viam Orientalem ingredientibus. Hebraice pro vestibulo est גדר geder, cuius loco supra redditur peribolus: idem igitur modo significat vestibulum, scilicet septum illud foraminatum ad instar loricae, (vt supra diximus ex Iosepho) quae laicos à Sacerdotibus segregabat. atque eadem sententia huius versus est, & praedicti, scilicet hoc aedificium Australe habuisse ascensum à fronte Orientali, gradusque eius duxisse in ambulationem mediam superiorem, quae procurrebat Occidentem versus secundum longitudinem periboli elegantis, & separantis populum à clero. Chaldaeus paraphrastes longe aliter hunc versum interpretatus est: Et secundum portas, inquit, gazophylaciorum, quae apertae erant ad viam Australem, erat ostium in capite viae, quae via erat ante suggestum Leuitarum, per viam Orientalem ingredientibus. Quae verba tetulit, & explicare conatus est Rabbi Salomon: גדרת gederes, inquit, haginah, significat peribolum lapideum factum in gradibus, super quo cantabant, & psallebant. Sed Rabbi Dauid cum pluribus rationibus ostendisset suggestum Leuitarum huc minime pertinuisse, tandem ex libro Miznaioth concludit, atrium Sacerdotum eleuatum fuisse prae atrio Israel duobus cubitis cum dimidio, atque hunc gradum vocari à Propheta gederet haguta, hoc est, *vestibulum separatum*.

Supra ℣. 9.

GAZOPHYlaciorum ostia ambulatio scalae.

R. Salomon.

R. Dauid.

DE PRAEDICTORUM GAZOPHYLACIORUM

usu, & sanctitate.

Cap. LXIX.

XIII. *ET dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri, quae sunt ante aedificium separatum, haec sunt gazophylacia sancta: in quibus vescuntur Sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta Sanctorum: ibi ponent Sancta Sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim Sanctus est.* Septuaginta interpretes: Et dixit ad me, inquiunt, exedrae ad Aquilonem, & exedrae, quae ad Austrum existentes, ante faciem spatiorum. Quo loco Septuaginta vocem הגזרה hagizrah, pro spatio usurparunt inter porticus & domum, vel inter gazophylacia porticuum, & ea quae circa templum. Verum cum à nobis supra vox pro ipso aedificio templi usurpetur, idem quoque hic significare putabitur, eodem plane sensu; cum cubicula haec & templum prospiciant, & spatia illa interiacentia inter templum, & dicta gazophylacia: quamuis negari non possit magis ad loci sanctitatem, quam commendat Propheta, facere, quòd templum ipsum prospiciant, quam quod atrium interius. Nam & sunt, inquiunt iidem Interpretes, exedrae Sancti Sanctorum, in quibus vescuntur ibi Sacerdotes appropinquantes ad Dominum Sancta Sanctorum, & sacrificium, & quae pro ignorantia, quia locus sanctus est. Chaldaeus vero: Sacrosancta vertit, quod nos legimus Sancta Sanctorum. Hunc locum ita exponit Chimchius, ut haec dicta sint ad excludendum incircumcisum corde, & incircumcisum carne. Sancta autem Sanctorum comedebantur intra ad atrium Israel. ac postea explicare videtur quaenam sacrificia dicantur Sancta Sanctorum. Sed nos illam arbitramur certiorem esse sententiam, quae affirmat Sancta Sanctorum dici illam cuiuscumque sacrificij partem, quae ad Sacerdotes iuxta praecepta legis spectabat: qui merito sancti dicuntur, non quòd Deo sacrati modo, sed quòd moribus etiam sanctitatem referre debeant. Sed prae alijs locum exposuisse in hunc sensum videtur Sanctus Hieronymus: Ex quibus discimus, inquit, multas ciborum esse diuersitates, quibus vesci Sacerdotibus licet, vel non licet: & de his ipsis, quos licet in cibos sumere, non in omnibus sumuntur locis, nec ab omnibus, neque omni tempore. Quibus verbis ciborum delectum, quem sancta mater Ecclesia semper laudauit, ac tenuit, Diuinae legi ostendere videtur satis esse consentaneum, quidquid peruersi impie obloquantur haeretici. Sed praetermittendum non est salutare quoddam eiusdem Beati Hieronymi consilium, quod ob oculos semper habere decet sacrae Scripturae interpretem: Gazophylacia, inquit, Aquilonis, & Austri, puto esse quae vel historiae contineant simplicitatem, vel spiritualis intelligentiae sacramenta: ut per Aquilonem veniamus ad Meridiem. Neque enim sic legenda est litera, & historiae fundamenta iacienda, ut non veniamus ad culmina neque ita pulcherrimo aedificio tecta ponenda, ut nequaquam fundamenta sint solida. Haec Sanctus Doctor: de quibus nos supra pluribus.

GAZOPHYLACIA sancta.

R. David.

SANCTA Sanctorum in oblationibus quae dicantur

SACERDOTES sancti quare dicantur.

S. Hierony.

CIBORUM delectus in Ecclesia Diuinae legi consentaneus.

SENSUS allegoricus literali innititur.

Supra lib. 5. huius partis cap. 8. & alias saepe.

Cum autem ingressi fuerint Sacerdotes, non egredientur de Sanctis in atrium exterius: & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt vestienturque vestimentis alijs, & sic procedent ad populum. XIIII. Cum ingressi fuerint, inquit Chimchius, cum venerint ad gazophylacia sua in atrio Sacerdotum, dicit quòd cum egressi fuerint ab eorum seruitute, & cum venerint ad atrium Sacerdotum, ibi reponent vestes Sacerdotales, quibus vestiebantur dum ministrabant ne forte scilicet egrediantur illis vestimentis ad atrium exterius, quod est atrium Israel, quod exterius est, respectu atrij Sacerdotum: hoc enim erat magis sanctum & interius, quàm illud: ac propterea dicit de Sancto ad atrium exterius: & huc usque appellauit atrium mulierum, atrium exterius. Haec autem Rabbini expositio duo inuoluit, quae examinatione indigent. arbitratur enim primum de ministerio sermonem hic fieri, quo ministrabant in atrio interiori, in quo reponenda esse existimat sacra vestimenta, at contra videtur habere ipse contextus, quem magis ad rem exposuit Lyranus, loci difficultatem enucleatius explicare conatus: Atrium exterius, inquit, hic non potest accipi generaliter, nam sic accipiendo gazophylacia, ista sunt in atrio exteriori, sicut frequenter dictum est supra, sed accipitur partialiter pro illis locis; ad quae admittebatur populus, ut magis patet ex sequentibus. Haec ille. Et certe si de gazophylacijs superioribus sit sermo, ut fieri videtur esse certissimum: eorum saltem introitus in atrio exteriori patebat, ut paulo ante ab ipso Propheta testatum est, atque ex eo, quòd Propheta ad atrium primùm educitur exterius, ut in haec introducatur cubicula. Sed certe huc spectat, quod de atrio mulierum dixerat Rabbinus, quodque Lyranus atrium vocat peculiare. Nam quamuis, ut supra dixi, atrium mulierum nullum fuerit in templo à temporibus Salomonis usque ad tempora Zorobabelis, tamen negandum non est, fuisse vel lege, vel laudabili consuetudine in more positum, ut mulieres in porticum illam Sacerdotum atrio proximam minime introirent. Sed Israeliticus populus sine graui aliqua causa, ac sine peculiari purificatione praecedente, ad illam porticum minime admittebatur. Cuius quidem rei non coniecturam modo licet proferre, sed & luculentum Iosephi testimonium: Sciunt omnes, inquit, qui templum nostrum viderunt, quale fuerit, quamque inuiolabili sanctimonia castum. Quatuor enim porticus circum se habuit, & earum suam quaeque secundum legem custodiam. Totidem plane porticus in nostra uniuersali ichnographia licet computare: primam gentium, secundam Israelis, tertiam Sacerdotum, quartam vestibuli templi. Has vero, & non alias a Iosepho recenseri, earumcustodiae, quas refert, plane testantur: In primam, inquit, porticum ingredi licebat omnibus, etiam extraneis: tantum menstruatae foeminae intrare vetabantur. In secundam porticum intrabant Iudaei omnes, eorumque coniuges, si erant ab omni pollutione mundae. In tertiam, Hoc est, in eam, de qua nobis est sermo. mares Iudaei mundi atque puri. Mares dixit, ut excluderet foeminas. In quartam Sacerdotes veste Sacerdotali induti &c. Sed & mares adhuc puri & mundi ab illa interiori tertia, quam dixit, porticu tunc maxime arcebantur, cum

R. David. Chimchi.

VESTIMENTORUM Sacerdotalium sanctitas.

Nicol. de Lyra.

ATRIUM mulierum in eo quo templo nullum: sed lege cautum a quibusdam locis foeminae arcebantur.

Iosephus lib. 2. contra Apionem.

Sacerdotes vestibus induti sacris sacratissimas carnes afferebant, in superioribus coenaculis coram Domini templo ab eisdem Sacerdotibus edendas, quibus consumptis, & veluti consummatis sacrificijs, *ibi ponent vestimenta sua in quibus ministrant, vestienturque vestimentis alijs, & sic procedent ad populum.* Id est, inquit Rabbi Salomon: Accedent ad tangendas vestes populi, si ipsis placuerit; at vero in vestimentis Sacerdotalibus non tangent populum; nam in illis sunt quidam gradus puritatis, & vestes prophanae non sunt illis in conculcatione. Rabbi vero Dauid: Postquam, inquit, vestiti fuerint alijs vestimentis, poterunt tangere illis vestibus populi vestimenta, id est, populi Israel, qui est in atrio Israel: nam in atrio populus B congregabatur, & non ingrediebatur ad atrium Sacerdotum, nisi ad impositionem manuum, ad mactationem, & ad eleuationem, seu oblationem: vestimentis autem Sacerdotalibus non licebat illis tangere populi vestimenta, quae sunt prophana, & respectu illorum sunt vilissima. Ionathas autem exponit: Et sic commiscebuntur populo. Quod vero Rabbinus iste populum affirmat atrium Sacerdotum ingredi, de portis Meridiana & Aquilonari atrij Sacerdotum intelligendum est, quòd in his tria illa perficiebantur: imponebantur enim offerentium manus victimarum capitibus, quarum ijdem mactationi astabant, ac tandem cum Deo offerebantur, vt supra, cum de portis ageretur, ostensum est, & in C apparatu pluribus ostendetur, cum de sacrificiorum ritibus agemus. Praeterea nunquam neque ad portas licebat populo propius ad Sacerdotes accedere. tantum voluit Deus omnipotens clerum à populo differre, tantaque in veneratione res, personasque sacras à populo vbique & semper haberi. Sed de his alias. Sunt & in hac eadem porticu culinae sanctorum, eadem sanctitatis causa prope exedras, vel refectoria sancta extructae: de quibus quoniam capite sexto & quadragesimo sequenti agit Propheta simul agens de culinis populi, quadragesimi sexti quoque capitis partem illam ad finem huius capitis annectemus, ne post longam diuersarum rerum tractationem, cogamur ad haec eadem redire gazophylacia.

R. Salomon.

R. David.

R. Ionathas.

OFFERENtes victimas, earum capitibus manus imponebant priusquam iugularentur.

SACERDOtum, & rerum sacrarum sanctitas.

DE PERIBOLO

SVMMAS TEMPLI SVBstructiones cingente, ac de pariete Israelis atrium circumdante.

Cap. LXX.

XV. CVMQVE *complesset mensuras domus interioris.* Id est, inquit Rabbi Dauid, atriorum, & gazophylaciorum: nam haec omnia sunt ad vsum domus interioris, quod est templum. *eduxit me* extra murum montis domus, *per viam portae, quae respiciebat ad viam* A *Orientalem*. haec est porta montis domus Orientalis, cuius prius fecerat mentionem in principio prophetiae *& mensus est eam vndique per circuitum.* Id est, mensus est domum, in qua erat porta in circuitu ad quatuor ventos, vel plagas.

R. David.

VIAM Metitur Angelus.

Mensus est autem contra ventum Orientalem, Id est, circuiuit totam illam plagam, & sic etiam mensus est plagam Aquilonarem, & plagam Australem, & plagam Occidentalem: omniaque simul erant quingentorum cubitorum longitudinis, & totidem in latitudine. Mendum suspicor vel Rabbini, cuius omnes sunt allatae expositiones, irrepsisse, vel interpretis, dum omnia simul B dicit fuisse quingentorum cubitorum, cum potius singulas plagas totidem cubitis fuisse dimensas perspectum omnino sit, *calamo mensurae, quingentos calamos in calamo mensurae per circuitum.* XVI.

Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo mensurae per gyrum. XVII.

Et ad ventum Australem mensus est quingentos calamos in calamo mensurae per circuitum. XVIII.

Et ad ventum Occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensurae. XIX.

Per quatuor ventos mensus est murum eius vndique per circuitum, longitudinem quingentorum XX.
C *cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum diuidentem inter Sanctuarium & vulgi locum.* Rabbi Dauid. Nam mons domus, inquit, R. David.
erat magis sanctificatus quàm Ierusalem, ad quem non poterant ingredi patientes seminis fluxum, menstruatae, & parturientes. Huiusmodi autem immunditias tota ciuitate arceri dixit Iosephus, quod hyperbolice dictum videtur, vt vrbis exaggeraret sanctimoniam. Haec ille.

Verum si quod sentimus, libere proferre liceat, difficilis est plane textus, tum propter lectiones varias, tum vero maxime propter multiplices Interpretum sententias secum inuicem pugnantes. Verum enimuero non facile constare poterit de D ea re, quae hac mensura definitur, quin prius constet an calamis dimensa sit, an vero cubitis: de qua re in primis agendum est. Et certe si Septuaginta interpretum sequamur lectionem, omnia cubitis dimensa esse compertum erit, & calami mentio fiet propterea tantum, quòd in calamo cubiti signati fuissent, vt initio dicebamus. Horum perspecta erit sententia, cum verba expendentur: Et completa est, inquiunt, mensuratio domus interioris, & eduxit me per viam portae respicientis ad Orientem: & mensus est domus exemplar in circuitu in ordine. Graece ἐν διατάξει. Quae vox constitutionem, edictum significat, legales constitutiones dixit Nazianzenus, vt sensus sit, mensuras has rite fuisse peractas secun-E dum regulas & ordinem. Et stetit post tergum portae respicientis ad Orientem. Et mensus est domus exemplar in circuitu in ordine quingentos in calamo mensurae, & mensus est ad mare. Et mensus est secundum faciem maris cubitorum quingentos in calamo mensurae. Et conuersus est ad Aquilonem, & mensus est secundum faciem Aquilonis cubitorum quingentos in calamo mensurae. Et conuersus est ad Austrum, & mensus est secundum faciem Austri quingentos in calamo mensurae, quatuor partes eius. Et disposuit murum ei per circuitum, quingentos ei ad Orientem, & quingentorum cubitorum latitudo, ad diuidendum inter Sancta, & inter antemurale in ordine domus. Hactenus ex Septuaginta interpretibus, vt in Regio codice. quamuis enim

DIFFICILIS locus.

BIS MILLE cubiti vniuersum templum cingunt.

enim verba nonnulla in Sixtiano immutentur, tamen non aliqua ex parte sensus, quem exposuit Theodoretus: Ostendit mihi, inquit, circuitum, quem mensus est, & dum mensus esset, docuit vtramquamque partem, Orientis, Occidentis, Aquilonis, & Austri quingentos cubitos habuisse, ita vt circuitus quadruplicatus in bis mille cubitos cogeretur. Sed certe huic expositioni, quae ad cubitos omnia retulit, opponit se Beatus Hieronymus, nullam huius mensurae partem ad cubitos referendam esse contendens: Illud autem, inquit, quod per simplicitatem interpretationis dum parum attendimus celeritate dictandi, & Septuaginta habent, & nostra translatio: Murum eius vndique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, & latitudine quingentorum cubitorum: Hebraeus sermo non continet, sed simpliciter longitudinem quingentorum, & latitudinem quingentorum, vt subaudiatur calamorum: sicuti quarto supra dictum est ad Orientalem ventum, & ad Aquilonem, & ad Austrum, & ad mare quingentis calamis murum partium singularum ab eo, qui tenebat calamum, fuisse dimensum. Et certe si Hebraei codices nunc consulantur, sensus Septuaginta interpretum, & Chimchij ibidem allatus vix posse stare videtur, cum singula verba singulis aptissime reddiderit Vulgatus, *quingentos calamos in calamo mensurae*, vtique conuertens. Verum cum maxime fuerint Hebraicae linguae periti Septuaginta interpretes, aliquid illis defendendum esse perspectum est, praesertim cum eorum lectio, Chimchij quoque fulciatur testimonio, viri quidem apud Hebraeos doctissimi. Quapropter tenendam nobis esse Vulgatam lectionem censuimus, neque verbum aliquod ab ea immutandum: nam quod modeste fatetur Hieronymus per simplicitatem incurrisse, Deo interpretis calamum bene disponente, factum fuisse arbitrabimur, atque eo magis, quo minus in eo addendo appareat interpretis studium, vel industria. Quo fiet vt duplicis muri, vel rei cuiuspiam mensura notetur, prima à versu decimo quinto vsque ad decimum nonum, quae quingentorum ordine calamorum fuisse deprehenditur, altera versu vigesimo, quae cubitis quingentis definitur.

[Theodoret.] [S. Hierony.] [AN CALAmi, quingenti intelligendi sint, an cubiti.] [VVLGATAE defensio.] [DVPLEX murus recensetur, calamorum quingentorum alter, alter cubitorum totidem.]

Et certe, vt de hac extrema primum dicamus, cum in ipso Hebraico textu murum quendam dimensum esse certum sit, eiusque vsus expresse ibidem notetur, ad diuidendum inter sanctum, & prophanum, cum de re, quae dimensa est, constet, eiusque magnitudo alibi perspecta sit, de mensura quoque constabit, quamuis expressa non sit in hoc textu. Certum autem est muro, qui atrium Israel circumdat, atrium, quod sanctum dicitur, diuidi ab atrio gentium, quod prophanum appellatur, & vulgi locus. Huius autem muri mensura, & singularum partium dimensionibus probari potest, fuisse quingentorum cubitorum in vnoquoque latere, quapropter certum est addendum in Vulgata paraphrastice fuisse id, quod in Hebraeo supplendum fuerat, vel propterea maxime, quod expressum non esset. Mensura autem quingentorum cubitorum sic colligitur. In media templi area mensus est Angelus atrij interioris quadratam aream centum cubitorum, & huic areae pares duas alias, alteram à Meridie, ab Aquilone alteram, huiusmodi autem areae quaternis cinguntur portis, quinquaginta cubitos longis, A quanta est latitudo porticuum, in quibus aperiuntur, qui omnes numeri in vnam summam collecti, quingentos complent. Totidem vero pares areae, & pares totidem porticus ab Oriente in Occidentem computantur, vt ex omnibus certa constare possit mensura muri quadrata quingentorum cubitorum. Quod si quis forte in dubium reuocare velit quaternas illas atrij exterioris angulares areas, & eam, quae ad Caurum, & eam, quae ad Africum, & eam, quae ad Eurum, ac denique eam, quae ad Aquilonem, quòd earum nulla facta esse videatur expressa mentio apud Prophetam, is patienter sustineat, donec ad caput sextum & quadragesimum veniamus, nulla interiecta mora mox exponendum.

[MVRVS atrij Israel quingentorum cubitorum.]

[QVINGENTI cubiti ex singularum partium mensura colliguntur.
100
100
100
50
50
50
50
500]

B Sed haec perspicua sunt: illud certe difficultatem habet, à qua nullus adhuc me expediuit, quod ad quingentorum calamorum mensuram spectat. Nam Rabbi Salomon, qui singula aedificij latera quingentis calamis fuisse dimensa arbitratus est, & calamum sex tantum cubitorum: Erat, inquit, tria millia super tribus millibus cubitorum. Nam calamus erat sex cubitorum. Et hoc est, quod cecinit Calirites. Daniel extendit filum trium millium cubitorum fundatum super tribus millibus cubitis. Et erant triginta sex iuxta mensuram priorem, qua mons domus erat quingentorum super quingentis cu- C bitis, diuisus in tria millia super tribus millibus, in corrigijs quingentorum cubitorum per longum, & per latum: ibique inuenies triginta sex quadrata quingentorum super quingentis. Atque propterea dixit Poëta, triginta sex eo modo quo duplicabantur, quingentorum. Haec ille. qui a laterum mensura pertransijt ad areas, ac cubitorum, & calamorum proportiones inuestigauit in quadratis eiusdem numeri calamorum, & cubitorum. Quoniam calamus cubitum sexies continet, fit vt latus quadrati quingentorum calamorum sexies contineat latus quadrati quingentorum cubitorum quod si senarius numerus in se ipsum ducatur, fient sex & triginta, D ac toties affirmabis huiusmodi quadratum illo contineri. Sed haec parum, aut nihil ad praesens faciunt institutum. Sanctus vero Hieronymus, qui palmum calamis superaddendum censuit, huius muri ambitum duobus calamorum millibus computat: Qui faciunt, inquit, cubitos duodecim mille, trecentos triginta tres, & trientem. At nos, qui calamo quartam cubiti partem superaddendam ostendimus, quartam bis mille calamorum partem, hoc est, quingentos cubitos duodenis cubitorum millibus addendam esse existimauimus. Verum non in hac re, quae ex ostensis satis constat, difficultas est, sed in ea, quae huiusmodi calamorum, aut cubi- E torum numero definitur: sunt enim plures, qui nihil ea de re statuerunt: alij, inter quos est Lyranus, Salomonis sequutus sententiam, describi putant mensuram muri exterioris, totum aedificium claudentis. Sed quomodo murus eius mensurae sit, minime ausi sunt statuere. Alij tandem vrbis moenia hic describi censuerunt, Hieronymi fortasse verbis innixi, qui: Prudens lector, inquit, & diligens, legat librum Iesu Naue, & inueniet quomodo in suburbanis haec mensura seruetur. Ego vero, nihil ad huius loci expositionem faciens in dicto libro hactenus inuenire potui, & satis alibi ostendi murum vrbis vicenis cubitorum milli- bus

[QVAENAM sit mensura quingentorum cubitorum.] [R. Salomon.] [S. Hierony.] [QVID HAC mensura comprehendatur.] [Nicolaus de Lyra.] [R. Salomon.] [Alibi 1 part. Apparatus lib. 2. cap. 21.]

bus cingi, non duodenis, nullam vrbis partem
reperiri existimaui, quae huiusmodi cubitorum
numero ambiatur: vna excepta ciuitate superio-
400 re Sioni insidente, quae huic mensurae proxi-
33 ma est, quamque stadijs tribus & triginta definit
1200 Iosephus. Stadium porro cubitis quadringentis
1200 constat: quod si hos numeros inuicem multi-
13200 plices, inuenies tredecim mille ducentos cu-
2000 bitos, non vero duodecim mille quingen-
6¼ tos, quos efficiunt bis mille calami quater quin-
500 genti. Quare aliam esse ingrediendam viam
12000 duxi, vt sententiam Clarij sequamur, qui ex
12500 Rabbinorum, ni fallor, sententia asserit, hunc
murum esse eum, quem post principium quadra-
gesimi capitis mensus fuerat, atque inuenerat
esse altum calamum vnum, latum tantundem.
In quo quidem muro, vel peribolo facile quin-
gentorum calamorum numerum reperio, non
80 quidem in singulis eius lateribus, sed in omni-
8 bus, quod sic ostendo: Murus Israel, vt paulo
8 ante ostendi, longus est cubitos quingentos,
7 quinquaginta vero cubiti in calamos diuiduntur
7 octo, vt pluribus ostensum est supra: ex quo fit,
6 vt quingenti in octoginta calamos diuidantur,
6 quibus si addas octonos vtrinque calamos atrij
1 gentium, & vtrinque septenos porticus gentium,
1 & vtrinque senos viae, & singulos vtrinque lati-
1 tudinis periboli, & vnum demum cubitum, vtrin-
que dimidium, quantum a perpendiculo muri
125 proijcitur substructionis murus, fient omnes
500 simul cubiti centum viginti quinque, qui quater

PERIBOLVS atrij Israelis quingentorum vndique cubitorum fuit.

sumpti efficiunt calamos in vniuersum quingentos. Atque hunc quidem murum mensus est Angelus circum circa quater, à varijs incipiens ventis, ac semper reperit calamos quingentos: quod indicare videtur illud verbum, quod semper additur: *Mensus est autem*, inquit, *contra ventum Orientalem in calamo mensurae per circuitum*: quod in omnibus alijs mensuris repetitur. Hanc porro saepius repetitam mensuram probant alia multa saepius repetita à Propheta nostro, saepius ab Angelo dimensa, quae vel me tacente, ipsa per se obuiam fieri possunt lectori. Sed quamuis nullum huiusmodi reperiatur exemplum, admirabile quoddam hac ipsa dicendi forma indicatur Ecclesiae Christi sacramentum: tanto enim maius est, ac latius hoc templum antiquo illo, quanto longior est vno illius latere totus ambitus. Neque mirandum sane quòd quae de hoc nouo templo prophetice dicuntur, ab aliquibus Interpretibus quasi de vrbe dicta exponantur, ab alijs quasi de templo: cum qui hanc nouam vidit in visione ciuitatem Ioannes: *Et templum*, inquit, *non vidi in ea*. tota enim ciuitas templum quoddam est. Sed de his opportune magis suo loco Haec enim, quod ad capitis quadragesimi secundi breuem spectat explanationem, dicta sufficiunt: cui pars quaedam capitis quadragesimi sexti adiungenda videtur, vt quod ad atriorum formam perfecte dignoscendam spectat, perspectum lectori simul ac semel esse possit.

LATISSIMUS est Ecclesiae sanctae murus.

Apocal. 21. ℣. 22.

EX CAPITE QVADRAGESIMO SEXTO EZECHIELIS PROPHETAE.

XIX. *ET introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portae, in gazophylacia Sanctuarij ad Sacerdotes, quae respiciebant ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem.*

XX. *Et dixit ad me: Iste est locus, vbi coquent Sacerdotes pro peccato, & pro delicto: vbi coquent sacrificium, vt non efferant in atrium exterius, & sanctificetur populus.*

XXI. *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrij: & ecce atriolum erat in angulo atrij, atriola singula per angulos atrij.*

In quatuor angulis atrij, atriola disposita XXII.
quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: mensurae vnius quatuor erant.

Et paries per circuitum ambiens, quatuor XXIII.
atriola & culinae fabricatae erant subter porticus per gyrum.

Et dixit ad me: Haec est domus culina- XXIIII.
rum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

EX

EXPLANATIO EIVSDEM PARTIS CAPITIS QVADRAGESIMI SEXTI.

DE CVLINIS SANCTORVM.
Cap. LXXI.

XIX.

R. Dauid.

A

ET introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portae. Rabbi Dauid: Iam dixi, inquit, superius, id quod est post ianuam, dici כתף cetheph.

R. Salomon.

Rabbi vero Salomon: *Ex latere portae.* id est, quod est à porta ad Occidentem. Haec ille. qui vere portae meminit, ad quam iterum ductus supra fuerat Propheta noster atrij interioris. Et Lyra. Sicut supra descriptum est,

Supra cap. 42. ℣. 2. & 44. ℣. 4.

inquit, cum agereretur de gazophylacijs Australibus, & Aquilonaribus, habitationi Sacerdotum deputatis. Magis certe proprie, ac vere loqu-

B

utus fuisset, si comessationi Sacerdotum deputata fuisse dixisset cubicula, quàm habitationi. longe enim plura alia habitationi deputabantur, quàm haec, quae sanctiora multo sunt, vt ex eorum constat vsu, atque nominibus.

CVBICVLA ad comedendum sanctiora illis sunt, quae ad habitandum deputantur.

In gazophylacia Sanctuarij. Hebraice, In gazophylacia sancta: Chaldaeus, In gazophylacia sacra Sacerdotum. Septuaginta: In exedram sanctorum Sacerdotum. Quae omnes lectiones gazophylaciorum sanctitatem respexisse videntur. Vulgatus vero dum *gazophylacia Sanctuarij*, scribit, sanctitatis causam indicauit: non enim parum ad loci huius sanctitatem facere videba-

C

tur, quod è regione Sanctuarij exaedificata essent huiusmodi cubicula. *ad Sacerdotes*, hoc est,

R. Dauid.

in vsus sacerdotales deputata: vel, vt ait Rabbi Dauid, Sacerdotum, sicut supra dictum est, vbi manducabant Sacerdotes: *quae* quidem gazophylacia *respiciebant ad Aquilonem*. Hoc est, inquit, idem Dauid, quod supra dixit, *& ostia eorum ad Aquilonem*.

R. Salom.

Rabbi vero Salomon: Quibus erant, inquit, portae ad latus atrij exterioris versus Aquilonem. Sic & Chaldaeus: Quae aperta erant, inquit, ad Aquilonem. *Et erat ibi locus vergens ad Occidentem*.

AD OCCIdentem statuuntur culinae.

Chaldaeus: Et ecce ibi erat locus in fine eorum ad Occidentem.

D

Certe tam accurate locum hunc describit, vt illum veluti digito videatur demonstrare, neque vlla superesse possit ambigendi ratio. Porticus enim Aquilonaris templo aduersa plane describitur, vt capite praecedenti ostenditur, quae in duplicia cubicula distributa est, interiacente media ambulatione, cuius meminit Propheta. Et ex hoc duplici coenaculorum ordine, alter in atrium prospicit exterius ad Aquilonem, alter in interius ad Austrum: & de hoc quidem sermo Prophetae est, illius fit nulla mentio. Rursum cum inferior porticus septenis interiacentibus postibus in octonas fornices distributa sit,

E

superior certe porticus in totidem cubicula partita esse necessario intelligenda est. Et ex illis octo cubiculis primum, quod ad Orientem situm est, scalis totum impeditur, sex media ad vescendas sacras carnes deputabantur: extremum, quod ad Occidentem, tam accurate à Propheta describitur, vt non solum de ipso constet, sed & alia multa propter ipsum perspecta esse videantur, quippe de ipso loquitur ad Prophetam Angelus.

XX.

Et dixit ad me: inquit, *Iste est locus, vbi coquent Sacerdotes pro peccato, & pro delicto: vbi coquent sacrificium.*

R. Dauid.

Vel oblationem, inquit, Rabbi Dauid, quae etiam dicitur Sanctum Sanctorum. Chaldaeus: Iste est locus, vbi coquent Sacerdotes panem muneris. Septuaginta: Iste locus est, vbi coquent illi Sacerdotes, quae pro ignorantia, & quae pro peccato: & coquent manna. Et certe cum de sacrificijs constet, alia esse pro ignorantijs, alia pro delicti conscientia, vtriusque oblationis carnes in culina coquendas esse testatur Propheta, non quidem omnes, sed earum partem, quae in vsus cedit Sacerdotum, quae Sancta Sanctorum dicitur, quippe sanctior sanctis sit, alijs carnibus nimirum, quae ab offerente populo comedebantur. de qua re nos late, cum de sacrificijs agemus.

QVAE OBoblationes Sancta Sanctorum dicantur.

Quod huius loci proprium est, examinandum videtur, quidquid Septuaginta, & Chaldaeus de pane coquendo meminerint. Cuius rei causa ex origine videtur petenda. Nam vbi nostra Vulgata bis repetit verbum, coquendi, in Hebraeo duplex verbum habetur. Primum יבשלו iebaslan, à radice בשל basal, quae coquere significat, proprie quod aqua coquitur, aut elixatur, cuius rei plura suppetunt exempla. Quamuis non desint alia, quibus assare quoque significat, vt in Paralipomenis: *Et assauerunt Phase super ignem: iuxta quod in lege scriptum est*. Et iterum de eodem Phase: *Et coques*, inquit, *& comedes*.

2. Para. 35. ℣. 13. Deut. 16. ℣. 7.

Huic porro secundae notioni magis proxima est illa, qua verbum hoc maturescere significat, quòd veluti calore solis coquantur fructus, vt in Genesi: *Et post flores vuas maturescere*.

Genes. 4. ℣. 10.

Ex quo liquet, hoc verbo carnium proprie coctuam significari, siue assandae sint, siue elixandae. Secundo vero loco verbum habetur אפה aphah, quod proprie coquere panem significat, siue in furno, siue in sartagine, siue sub cinere. Hoc vero loco illum respexisse videtur Propheta, quo in Leuitico de Sacerdotis oblatione agitur in die vnctionis suae offerendae: similam enim offerre praecipitur certa quadam mensura gomor, siue Assaron: *Quae*, inquit, *in sartagine oleo conspersa frigetur* תפיני מנחה haphine minchah, coctiones muneris, vel cocta sacrificij, vt alij conuertunt. *Offeret autem eam calidam in odorem suauissimum Domino*. In praesenti autem Prophetae loco eadem vtraque vox legitur fere, vt indicetur eiusmodi Sacerdotum oblationem in loco hoc sancto coquendam,

OBLATIO inuncti Sacerdotis in calinis his coquitur.

Leuit. 6. ℣. 21.

A vt super altari adoleretur. Huc quoque respexisse videntur Septuaginta, qui manna vocant hanc oblationem, quae eadem mensura offerebatur, vt dixi, qua olim manna colligebatur.

CVLINArum vsus.

Rationem autem propter quam huiusmodi culinae extructae fuerant, videtur reddere noster Propheta, subdens: *Vt non efferant in atrium exterius, & sanctificetur populus.* Rabbi Dauid, atrium Israel vocari putat, exterius: Vt sicuti monebantur, inquit, ne exirent ad atrium in vestibus Sacerdotalibus, sic etiam mouebantur ne illuc traducerent carnem Sancti Sanctorum.

R. Dauid.

Chaldaeus: Ne commisceantur cum populo. Lyranus, *Sanctificetur populus*, tangat, inquit, rem sanctam, vel communicet cum sanctis, idest, Sacerdotibus, quod non debet facere; & sic sanctificetur. Magis hic accipitur per oppositum. Haec ille.

B Nicol. de Lyra.

Clarius: Ne populus sanctificetur, hoc est, ne existimet eas carnes sibi quoque licitas. Quasi dicat, ne sua praesumptione populus existimet se sanctificatum esse, ac propterea carnibus illis vti posse.

Isidorus Clarius.

Longe tamen aliter à Beato Hieronymo locus hic exponitur, sed magis prope veritatem: *Et sanctificetur populus*, inquit, qui sanctitati non fuerat praeparatus. Illud significat, ne facile non sanctificatis sancta tribuamus: nec mittamus, iuxta Euangelium, *margaritas ante porcos*, ne demus *Sanctum canibus*. Haec Sanctus Doctor, cui bene perspectum erat, sanctarum carnium contactu sanctitatem acquiri.

S. Hierony. Matth. 7. ℣. 6.

C *Ista est lex hostiae pro peccato*, ait Dominus: *In loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum Sanctorum est. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur.*

SACRArum carnium contactu sanctitas acquiritur. Leuit. 6. ℣. 25.26.& 27.

Hinc originem duxit quaestio illa, quam à Sacerdotibus interrogare praecipitur Aggaeus Propheta: *Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem Sacerdotes dixerunt. Non.*

Aggaei 2. ℣. 13.

D Vbi quaestio non est de sanctitate vestis, quae sanctificatam carnem tetigit, immo quod perspectum apprime erat illam esse sanctam, quaerit praeterea, num sanctitas eiusmodi in res alias extendatur: cui dubio bene respondent non. Huius vero sanctitatis gratia vestis, quae carnes tetigerit eiusmodi, lauari praecipitur, vas fictile confringi, aeneum defricari, & lauari: ne scilicet ea, quae sancta aliquo modo erant, in vsus conuerterentur prophanos.

Leuit. 6. ℣. 27. 28.

Quare sanctitatis participem fieri populum inhibetur, quippe qui rebus semper deditus prophanis, indigne prophanaret sanctitatem, cuius minime fuerat factus dignus.

QVAE semel sanctificata sunt, in vsus prophanos non conuertenda.

E Quae omnia & singula ad nostram eruditionem, & doctrinam scripta esse videntur. Nam si antiqui illius Sacerdotij ministros, vestes, vasa, triclinia, oblationes, sancta esse voluit Deus, & à prophanis vsibus longe semota, quid, quaeso, à nobis exiget, quos tanto dignioris, atque sanctioris Sacerdotij participes effecit? qui non hircorum, aut vitulorum carnes immolamus, sed immaculati Agni viuum corpus, & sanguinem, qui fons est & origo sanctitatis, quotidie sacrificamus, manibus contrectamus, sumimus, ac populo distribuimus? Haec vero assidua meditatione expendenda proponimus potius, quàm vt ea fusius tractanda suscipiamus.

DE CVLINIS POPVLI, ET FOCIS IN *cryptoporticibus templi extructis: vbi de quadrata atrij Israelitici forma, nec non de castellis porticuum angulis superstructis.*

Cap. LXXII.

ET *eduxit me in atrium exterius.* Ex quo intelligimus, inquit Beatus Hieronymus, illud atrium, de quo digressus est, fuisse atrium interius: & multa esse atria in Scripturis sanctis, de quibus legimus: *Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.* Et in Ioanne: *Et alias oues habeo, quae non sunt in hoc atrio, & illas oportet me adducere. & vocem meam audient, & fiet vnum atrium, & vnus pastor*, hoc enim Graece αὐλὴ significat, quod Latina simplicitas in *ouile* transtulit. Haec Sanctus Doctor.

S. Hierony. Psal. 134. ℣. 2. Ioan. 10. ℣. 16.

Et quamuis pro Vulgata lectione notionem Graecae vocis afferre possemus, quae non minus ouile significat, quàm atrium, & ad parabolae rationem magis congrue dici videtur ouile quàm atrium, negari tamen non potest, quod si parabolae sensus expendatur, & quae oues dicantur, & quod ouile, facile constare posse non minus ad rem fore vt atrium pro ouili legatur.

AVLA, Graeca vox, & atrium, & ouile significat.

Nam cum apud Doctores sacros Basilium, Gregorium, Augustinum, Chrysostomum constet, oues has atque illas populum intelligi Iudaicum, atque Gentilicum, vtriusque vero populi proprium atrium esset in templo: Christum cum Iudaeis in eorum atrio loquentem induci credemus ab Euangelista, atque dicentem, alias gentes mihi dedit Pater, quibus, quamuis non liceat hoc atrium ingredi, in aliud atrium noui templi ingredi licebit, in quo & Iudaei, & gentes vnum rerum omnium opificem, Dominumque, & animarum pastorem toto mentis affectu colent, eius voci obtemperabunt, illum sequentur, & vt Deum adorabunt.

S. Basil. homil. 28. in Psal. 28. S. Greg. hom. 4. in Euang. S. August. tract. 27. S. Ioan. Chry. hom. 14.

DVPLEX atrium antiqui templi vno continetur nomine.

Et circumduxit me per quatuor angulos atrij. XXI.

Alicuius fortasse mentem subire posset dubitatio de forma atrij Israelis, num quadrata fuerit: quam dubitationem hic vnus locus sustulit, ac propterea de atrij forma nonnihil hic agendum esse censuimus. Areas quadratas tres atrij exterioris mensus est Angelus initio visionis huius, primam ad Orientem, secundam ad Aquilonem, tertiam ad Meridiem, atque in harum medio aliam quadratam aream mensus est praedictis parem, quam atrium vocauit interius: ac tandem aliam aream quadratam mensus est ad Occidentem, cuius maximam partem occupat templum ipsum, vel domus Dei. & has areas omnes porticibus cinxit: quae omnia quandam veluti crucis formam in ichnographia redderent, cuius quaterna capita ad quatuor caeli regiones spectarent.

CRVCIS forma in templo spectanda.

tent. Quae quidem forma ad crucis indicanda A sacramenta, immo & ad ipsius Christi quandam veluti imaginem reddendam videtur esse quàm apta. Christum autem reddere vniuersum templum, omnibus ac prope singulis partibus debuisse perspectum est, Euangelista Sanctissimo Ioanne attestante: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* cum absolute de templo loquutus fuisse videretur. Sed de hac templi, & Christi similitudine infra agemus. Quae quamuis vera sint, vt sunt certe verissima, tamen ad aedificij perfectam rationem recessus illi minime videntur conducere, & ad templi vsus minime sunt conuenientes, praesertim cum in angulis illis propius accederet populus ad atrium interius; quod inconueniens, interioris atrij religio & sanctitas nulla ratione admitteret. Hoc autem, quod his atque alijs huiusmodi coniecturis possemus confirmare, firmum magis ac certum fit ex ipso Prophetae nostri contextu. Nam cum quatuor angulos atrij enumerat, plane confirmat in crucis modum minime fuisse fundatum templum, crux enim angulis externis constat octonis, quos acies licet appellare, internis quatuor, siue recessibus. Et quadratam quidem formam confirmat Propheta, cum quatuor angulis constasse tradit atrium, qui quidem anguli perpetuo quodam pariete continebantur, vt mox ostendam. Illud praeterea silentio praetermittendum non est, C sed animaduertendum maxime, quod ad cryptoporticus templi iam descenderat, in quibus culinas inuenit, vt ipse post pauca testatur: ex quo fit, vt haec vna mensura culinarum, quae in quatuor angulis sunt, vniuersam cryptoporticuum indicet mensuram, atque rationem: quam post pauca ostendam. Cum denique duplex sit anguli nomen apud Hebraeos, & פנה pinah, angulum exteriorem significans, aciem licet conuertere, quòd in vtramque partem prospiciat: & מקצע mekitsogh, in quo vtriusque muri superficies abscinditur, quasi altera ab altera; recessum licet vocare: hoc loco haec secunda vox legitur, qua interiora porticuum significentur à Propheta re- D censeri, qui in imis versabatur cryptoporticibus, in quibus atrij angulares acies minime videri possunt, quippe quae terra occluduntur: interiores vero recessus adire, & metiri facillimum erat. *Et ecce atriolum erat in angulo atrij.* Atrio, & atriolo eadem vox datur in Hebraeo: tamen ipsa ratio, atque mensura mouit Septuaginta interpretes, vt atria parua conuerterent, quos imitatus Vulgatae interpres, *atriola*, & Chaldaeus paraphrastes, vel saltem eius Latinus interpres, atriola scripsit. Atriolum autem narrat primum, quod Angelo duce ingressus est: mox de reliquis subdens: *atriola singula per angulos atrij singulos.*

QVADRATA atrij forma.

ANGVLVS interior & exterior.

ATRIOLA quare dicantur.

Ioan. 2. ℣. 21.

XXII. *In quatuor angulis atrij atriola disposita.* Propter Syriacam vocem קטורות Keturoth, variae E sunt huius loci expositiones. Rabbi enim Dauid: Iuxta propriam, inquit, significationem, significat colligata, id est, coniuncta in angulis atrij, & colligata in illis. & perperam quidem interpretatur, quod in Misnaioth legitur, ait enim Salomon. Legitur in Misnaioth, quòd non aliud significet קטורות Keturoth, nisi id quod non habet trabes, vel sine laquearibus. Sed ille alter Rabbinus exponit, quia non erat super illis coenaculum, propterea appellat alia atriola. Hunc sequutus est Clarius: Atriola illa, inquit,

R. Dauid.

R. Salomon.

ATRIOLA haec falso putantur fuisse sub dio.

fuerunt domicilia, quae tamen superne contignata non erant, sic associata angulis atrij, vt duo atrij muri in angulo concurrentes, illi duo praestarent latera, carebant recto, quà fumus, & nidor carnium liberius exhalarent. Sed longe à veritate Scripturae alienus est hic exponendi modus, cum subter porticus fabricatae dicantur huiusmodi culinae, quod mox explicaturi sumus, atque de fumo etiam aliquid dicturi. Sed cum vocem hanc, Aramaeam, Marinus affinem faciat Hebraicae voci קשר kaśar, quasi mutata sit ס sam. in ש sin, huius notio illius quoque indicabit notionem. Huius vsus est apud Iob, eleganti illa ostensione Diuinae potentiae qua na- B turae ordinem ac dispositionem ita composuit, vt à nemine vel dissolui, vel aliter possit coaptari. *Numquid,* inquit, *coniungere valebis micantes stellas Pleiades?* cuius loci quòd plenam explanationem apud nostrum Pinedam facile inuenire poterit lector, in ea immorandum mihi non esse existimaui. Satis enim significasse sufficiet, ea voce indicari huiusmodi stellarum mutuam connexionem, & veluti symmetriam, ac proportionem. Quod apud Isaiam magis esse poterit perspectum: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi spon-* C *sa.* vt torques collo tuo, vertit Pagninus. Quibus verbis afflictam Synagogam, desolatam prae filiorum interitu, atque penuria consolatur Dominus, vocatione gentium, quarum mirabilis fidei, cultus, morum, animorumque consensio, illi ornamento futura sit, haud secus quàm sponsae torques, aut aliud ornamentum, quod ne excidat, arctissime colligatur. Qua ratione atriola colligata dicuntur, porticibus ordine inter ea dispositis, atque angulares culinas colligantibus. Atque hoc ipsum infra perpetuo pariete factum esse non indicabit modo, sed expresse testabitur Propheta. Sed alij expositores, qui peregrinae vocis permixtionem non putant ad- D mittendam, ad radicem Hebraicam קטר Kiter, reuocant hanc vocem, quae suffire, aut suffumigare significat, ex qua deducitur vox מקטר mictar, altare significans, vt supra dixi: quare atria suffimentorum, conuertit Forsterus, atriola fumosa Vatablus, quòd ex his culinis fumus efflaret perpetuo. Siue, quod magis probarem, quòd fumosae essent culinae, ex candidissimo quippe marmore extructae cum vniuerso templo, vt infra ostendam. Marmora autem ea esse videntur natura, vt fumum facillime contrahant, vt ex Vitruuio constat. Is enim cum coronarum rationem ostenderet, non pauca annotauit, quae ad praesens institutum facere possint: *Coronarum* E *autem, inquit, aliae sunt purae, aliae caelatae. Conclauibus aut vbi ignis, aut plura lumina sunt ponenda, purae fieri debent, vt eae facilius extergeantur. In aestiuis, & exedris vbi minime fumus est, nec fuligo potest nocere, ibi caelatae sunt faciendae. Semper enim album opus propter superbiam candoris non modo ex proprijs, sed etiam ex alienis aedificijs concipit fumum.* Haec ille. At primum quod ad marmora inficienda spectat, illud bene notauit Philander album opus pro albario fumi, seu marmorato, quod ex marmoreo puluere fieri praecipitur ab ipso Vitruuio, vt praeter fuliginem, quam necessario contrahunt caelaturarum, atque signorum asperitates, proprium esse marmoris videatur fumo infici. Quapropter

Isidor. Clarius.

Marcus Marinus in arca Noe.

Iob. 38. ℣. 31.

Pineda in Iob.

STELLARUM mira compositio.

Isai. 49. ℣. 18.

Sanctes Pagninus.

ATRIOLA colligata.

Forsterus. Vatablus.

MARMORA fumo inficiuntur.

Vitruu. lib. 7. cap. 3.

Philander.

FVMOSAE imagines quare dicantur.
Cic. in Pisonem.
Adrian. Turnebus lib. 21. aduers. c. 15.

A pter maiorum imagines, quae è marmore candido fiebant, vt venustati adiungerent firmitatem, fumosas vocat Cicero ad indicandam familiae antiquitatem. Nam imagines, inquit Turnebus, hominum alicuius familiae honoratorum in atrio in suis collocatae armarijs erant, quae, cum in atrio focus esset, idcirco vetustate fumosae reddebantur. Huc respexisse videtur Baruch Propheta, qui imagines irridens, quae vanissime à gentibus colebantur; *Nigrae fiunt*, inquit, *facies eorum à fumo, qui in domo fit*. Marmoreas autem huiusmodi imagines fuisse probat, praeter infinitas, quas quotidie Romae videre licet, Satyricus Poëta:

Baruch 6. ℣. 20.
Iuuenal. Saty. 8.

B *Truncoque simillimus Hermae.*
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.

Et quamuis marmora quamplurima videre licuerit, quae non multis saeculis, sed vix vno transacto, si fumo quoquo modo tangantur, denigrescunt, prae alijs omnibus domus partibus, tamen marmora illa culinarum maxime denigrata fumo fuisse probat, quod nullum videatur extare, vel in aedificijs, vel apud scriptores vestigium spiramentorum, per quae fumus efflaret. Hoc autem & ad vsque antiquorum Romanorum tempora perdurasse probare videtur allatus Vitruuij locus, teste Philandro: Locus hic, inquit, si non & antiquorum aedificia, in quibus nulla sunt vestigia, argumento esse possit, cubicula conclauiaue non habuisse, spiracula, siue gulas, quà fumus exiret, quae vulgo camini dicuntur, (Hispanis chimeneas) Latine vero infumibula nominari posse plerique omnes consentiunt. Caminus enim luculentus Ciceroni septimo Familiarium alibi erat, & aliud.: vbi & in illo Suetonij in Aulo Vitellio, Flagrante triclinio ex conceptu camini. Inde puto antiquos ligna amurca macerasse, vt sine fumi taedio ardeterent, quod scribit Cato. Haec ille. Quae omnia in eam nos inducunt sententiam, vt arbitremur easdem culinarum fenestras & lumini suscipiendo deseruire consueuisse, & fumo emittendo. Atque in hac nostra sententia nos firmat, quod in ipsa fabrica vix inuenire possimus spatium aliquod, in quo possent fumi spiramenta aperiri, quin aut fenestris obessent, aut postium firmitati. Sed & hoc ipsum magis firmat sacrae Scripturae exemplum apud Oseam, vbi rebus inanibus, cito perituris, nullis fere vsibus deseruientibus comparantur idololatrae, & tandem fore dicuntur, *sicut fumus de fumario*. Quem locum tam accurate explanat Sanctus Hieronymus, vt nihil illi sit addendum, immo neque è re nostra quidquam praeterea videatur optandum. Quaerimus autem, inquit, quare Septuaginta pro fumario, quod Theodotio transtulit καπνοδόχην, locustas interpretati sunt? apud Hebraeos locusta & fumarium iisdem scribuntur literis. quod si legatur ארבה arbbah, locusta dicitur: si ארבה arubbah, fumarium, pro quo Aquila καταῤῥάκτην: Symmachus, foramen interpretati sunt. Cataractam autem proprie vocant foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur. Haec Sanctus Doctor. Et certe si loca expendantur, quibus in Hebraico habetur haec vox, & voces quae illi respondent in Latina nostra Vulgata lectione, facile percipietur nulla alia forma fuisse apud Hebraeos fumaria, hac voce significata, ab ea, quam doctissime Beatus Hieronymus indicauit. Ex locis autem praedictis, bina,

NVLLVM fumi spiramentum praeter fenestras.
C
Cicero. Suetonius in Aulo Vitellio.
Cato de re rustica cap. 130.
D
Osee 13. ℣. 3.
FVMARII antiqui forma.
S. Hierony.
E
FENESTRAE pro fumarijs.

vel terna proponam. In libris Regum, incredulus ille ad Elisaeum: *Etiamsi Dominus*, inquit, *faceret*, ארבות arboth, fenestras *cataractas in caelo*. Sic & in Genesi, de cataractis, siue fenestris caeli sermo est: & in Ecclesiaste. Et apud Isaiam: *Et tamquam columbae ad fenestras suas*. Sed de his satis.

4. Reg. 7. ℣. 19.
Genes. 8. ℣. 2.
Eccles. 12. ℣. 3.
Isai. 60. ℣. 8.

VESTIGII SVBSTRVCTIONVM *mensura, atque vniuersa dispositio probatur.*

Cap. LXXIII.

QVADRAGINTA cubitorum per longum, & triginta per latum mensurae vnius quatuor erant. Haec culinarum mensura vix, ac ne vix quidem percipi posse videtur, si vniuersae ichnographiae hypogeae substructionis ratio non explicetur: quae quoniam superiora sustinet aedificia, omnis ex superiorum symmetria petenda est. Est autem mos Vitruuio gerendus; quippe qui praecepta tradidit rerum naturis valde consona. Huiusmodi autem est illud: Sin autem hypogea, concamerationesque instituentur, sic vocat subterranea aedificia arcuato opere extructa, cellas vinarias, olearias, & eiusmodi. fundationes eorum fieri debent crassiores, quam quae in superioribus aedificijs structurae sunt futurae, eorumque parietes, pilae, columnae ad perpendiculum inferiorum medio collocentur, vti solido respondeant. Duo, quae maxime obseruanda sunt in substructionibus, proponit Vitruuius: primum vt crassiores sint substructiones superioribus aedificijs. secundum, vt medium superioris aedificij medio inferioris ad perpendiculum respondeat, quo ex aequo proijciatur inferior crassitudo, ex vtraque parte impositae superioris structurae. Illud autem hoc loco non exposuit, qua ratione illa maior crassitudo constituenda sit. Quae propterea videtur non fuisse explicata, quod eadem alibi ab eodem fuerat indicata: Supra terram, inquit, parietes extruantur sub columnis dimidio crassiores, quam columnae sunt futurae, vti firmiora sint inferiora superioribus, quae stereobatae appellantur, nam excipiunt onera. Spirarumque proiecturae non procedant extra solidum. Spirae, seu bases columnarum ex altera parte columnae proijciuntur quarta latitudinis ipsius columnae parte, ex vtraque dimidia; quo fit vt plintus columnae latitudinis sit sesquialter, ac tantundem praecipit crassum esse parietem, sub columna, hoc est, stylobatae, vel stereobatae, praeter ornamentorum proiecturas. Qua ratione in substructionibus obseruanda firma erant aedificia. Cum igitur nos ostenderimus initio thalamos portarum latos esse calamum vnum, & medios inter thalamos stylobatas, cum suarum basium proiecturis latos esse calamum vnum, vt haec solidis inferio-

SVPERIORA aedificia quomodo inferioribus respondeant.
Vitruu. lib. 6. cap. 11.
Vitruu. lib. 3. cap. 3.
SPIRARVM proiecturae non procedant extra solidum.

POSTES substructionum calamum latos, ac tantundem ambulationes.

ferioribus structuris respondeant, oportuit quidem postes omnes harum substructionum latos esse calamum vnum, & medias inter postes ambulatrones latas fuisse calamum. Quod vero ad parietes spectat, eorum crassitudo sic finienda est, tres ambulationes cum duobus postibus medijs quinque efficiunt calamos, reliqui ergo sunt calamus vnus cum dimidio ex vtraque parte, vsque ad perpendiculum superioris parietis. Ex quo fit vt paries inferior extra perpendiculum superius ad interiora proijciatur dimidium calamum, tantundem vero proijciendus fuit paries exterius, vt medium supremi ad perpendiculum medij inferioris respondetet. Habemus igitur singulos vtrinque parietes latos fuisse calamos B duos, porticus vero singulas calamos nouenos. Et parietum quidem interiores calamos postibus distinximus, atque fornicibus concamerauimus, quo firmitati minime deesse videremur, vsui & locorum capacitati prospexisse. Et quoniam harum substructionum vsus pro horreis, atque apothecis fuit, quo maiora fierent eiusmodi receptacula, non quidem mediam ambulationem in omnibus porticibus reliquere peruiam, sed interiorem, reliquas duas extremas parietibus subtilioribus interiectis in horrea distinxetunt ad vsum accommodata, alia maiora, minora alia. Quae omnia in ipso vestigio substructionis facile expendet lector, & ex his quidem apothe- C cis eas, quae in angulis exterioris atrij relinquebantur, metitur hoc loco Angelus, latitudine triginta, longitudine vero quadraginta cubitorum. Latitudinem, quae tribus constat postibus, binis medijs spatijs: singula haec vnius calami sunt, omnia quinque calamorum, quinque vero calami, cubitos complent vnum & triginta, cum quarta parte insuper cubiti, & ab extrema parietis anterioris superficie paries ille subtilior retrahitur cubitum vnum cum quarta parte, quo fiunt reliqui cauedio culinae cubiti triginta. quae mensura id confirmat, quod paulo ante statueram, non mediam ambulationem relictam fuisse peruiam, sed extremam. Quod D vero ad longitudinem pertinet, ipsam quoque ambulationis peruiae latitudinem comprehendit, quo fit vt culinae ostium ipsi ambulationi obiectum quàm longissime pateat: erat quippe culina celebris locus, & frequens. Iam vero si vestigium culinae perpendas, tribus postibus, ac totidem ambulationibus longitudo constat, hoc est, senis calamis, qui cubitos complent septenos tricenos cum dimidio, reliquos vero duos & semis vsque ad quadraginta retrahitur paries ille subtilior intra postium crassitudinem. Quod si aliquid huic numero deesse videatur, si huius parietis retractio intra postes par fuisse credatur priori retractioni parietis, latitudinem culinae finientis, facile potuit Propheta historico more minorem non curare numerum, sed explicare maiorem, vt quadraginta vocet cubitos octo & triginta cum tribus quartis cubiti partibus.

CVLINAE latitudo.

PARTIVM substructionis ratio.

Lib. 2 huius partis cap. 18.

Sed quoniam vestigij substructionis rationem reddere aggressi sumus, meminisse oportuit, atque huc referre, quae de crassioribus muris, atque crismis, huius disputationis initio dicebamus, quibus nihil praeterea addendum censui. Duo praeterea explicanda supererant: primum de substructionibus, ac fundamentis ipsius domus, de quibus quoniam nihil habeo certi quod dicam, sicut nihil aliud delineaui quàm funda- A mentorum locum; ita nihil subiungam aliud, quàm quod ridicula videtur Iosephi historia de sidentibus templi Herodiani fundamentis, quippe quae huic eodem loco insidentia, minime subsidere posse viderentur, de qua re nos alias. Alterum de loco cinerum, quem sub aeneo altari constituendum, cum de eodem altari agemus, explicabimus: loci formam eam efformauimus, quae altari sustinendo, cineribusque suscipiendis & efferendis apta esse videretur, & reliquo aedificio similis. quae omnia in ipso vestigio poterit prudens lector obseruare. Sed illud a nobis praetermittendum non est, quod à Rabbinis fuit quamplurimis obseruatum, culinas has fuisse B marmoreis fornicibus concameratas, non vero lignis contectas, vt superiores porticus. Id quod postium crassitudo exigere videbatur, & vsus culinarum, & reliquarum substructionum: tum ne ab igne facile laederentur ligna, tum vero ne vitiarentur aëre in imis subterraneis concreto, nec facile sicut in superioribus exhalante. Quod vero ad harum inferiorum porticuum formam spectat, & celsitudinem, quoniam nil certi habemus dicendum, ita illam constituimus vt architecturae ratio faciendam suasit. eam lector in dissecti templi vniuersali orthographia videre poterit, atque expendere.

Ioseph. 15. anti. cap. 14.

CVLINAE marmoreis fornicibus concamerae.

DE PORTICIBVS INTER CVLINAS, *earumque vsu, triclinijs, & castellis.*

Cap. LXXIIII.

ET paries per circuitum ambiens quatuor atriola. Et culinae fabricatae erant subter porticus per gyrum. XXIII.
Vno perpetuo muro cinctas fuisse culinas indicat nostra lectio, à qua minime recedendum censeo: aliae vero lectiones propter Hebraicae vocis טור tur, quae bis legitur hoc versu, multiplicem notionem, alia multa de culinis exponunt scitu iucunda. Septuaginta interpretes: Et exedrae per circuitum in eis, per circuitum ipsis quatuor, & culinae factae sub exedris. Beatus vero Hieronymus varias retulit expositiones: Prope accubita, E inquit, quae Aquila σιβάδας stibadas, interpretatus est. Symmachus, περὶ φράγματα, peri phragmata, Thedotio ipsum verbum Hebraicum posuit, טירות tiroth, & in commentarijs subiungit: Quod autem mensura vna atriolorum erat quatuor, quae atrij maioris angulos possidebant, quatuor mundi significat plagas. Quae quatuor atriola, inquit, vel vnus paries ambiebat, & culinae fabricatae erant subter porticus per gyrum, vel propinqua habebant accubita, vt vbi cibi, ibi & mensarum praeparatio. Haec Sanctus Doctor. Illud vero à Septuaginta interpretibus indica-

S. Hierony.

ACCVBITVS, vel triclinia iuxta culinas.

indicatur, quod facile quiuis posset conijcere, prope culinas fuisse exedras, siue cubicula ad comedendas carnes coctas disposita, sic enim consummari videbatur sacrificium absumptis carnibus, vt aliàs ostendemus. Sed illum praeterea indicauit Aquila accumbendi modum, quem exposuit Pater Pradus. Stibadium enim descripsit Vrsinus, cuius plura exempla Romae à se visa testatur: Extat Romae, inquit, stibadium è marmore ad similitudinem sigmatis Graecae literae factum. Erat enim sigma lectus, siue thorus ad mensas rotundas accommodatus, quem semirotundum suggestum vocat Appuleius cum ait: Visoque statim proximo semirotundo suggestu, propter instrumentum coenatorium, rata refectui suo commodum, libens accumbit. Erat autem olim *sigma* Graecorum nostrae literae C, quamsimillimum: cuius plurima exempla in antiquis numismatis licuit videre. Quod Martialis quoque confirmat.

P. Pradus tom. 1. cap. 23.

STIBADII forma.

Martial. in Apopho.

Accipe lunata scriptum testudine sigma:
Octo capit, veniat quisquis amicus erit.

Sed de accubitu aliam nos longiorem tractationem aliquando in publicum exponendam instituimus, Deo bene iuuante.

DE CVLINARUM focis.

At nondum videremur huius versiculi explanationi satisfecisse, nisi aliam, quam tradunt Hebraei, interpretationem proponeremus. Rabbi Dauid: *Et paries*, inquit, *per circuitum*. Id est, paries lapideus erat fabricatus circa gazophylacia ista, & erat humilis ad reponendos super illo lebetes. & ille paries erat factus foraminibus, & sub illo erat spatium ad attrahendum aërem, & hoc est, quod subdit: *Et culinae fabricatae erant subter*. idest, erat locus factus ad attrahendum aërem: lebetes autem super foraminibus parietis erant facti. Ionathas exponit: Et ordines facti erant illis in circuitu. *Et culinae*, id est, loca facta ad coquendum. Hactenus ex Rabbino. qui sententiam persequutus fuisse videtur Salomonis, cuius haec sunt verba: *Et paries per circuitum*, id est ordo, vel murus lapideus eminens iuxta terram, in quo erant foramina, quae erant locus repositionis lebetum. & sub illo pariete erat vacuum quoddam, ad eliciendum per illud lucem, subter ipsum lebetes: lebetes autem erant in superiori loco. Haec ille. qui duo nobis proponit examinanda: primum de focis culinarum: secundum, num ij hoc textu indicentur. Nam quod foci, lebetumque foramina fuerint, dubitandum minime videtur, lebetum enim fit in hunc vsum expressa mentio in sacris Literis: cuius rei illud satis est manifestum argumentum, quod de impijs Sacerdotibus filijs Heli legimus in Historia Regum: *Sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum*, & quae sequuntur. Et vox ipsa Hebraica מבשלות mebasloth, ex radice בשל basal, deducta, quam supra exposuimus coquendi verbo, id ipsum significat Hebraeis, ea nimirum omnia, quorum in coquendo est vsus: ollam videlicet, aheaum, lebetem, siue caldariam, necnon locum vbi coquitur caro, focum: vtroque enim modo vocem exponit Rabbi Dauid, pro focis, in commentarijs, vt vidimus, pro lebetibus, aut ollis in libro radicum. Lyranus Hebraeis esse testatur, fornellos, super quos ponuntur caldariae, & de subtus ignis. Et lebetum, & locorum, quibus ij locantur, meminisse videtur Psalmus Dauidicus: *Si dormiatis*, inquit, *inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, & posteriora dorsi eius in pallore auri*. Qui quidem locus crucem interpretibus multis fixit: impijs Gnosticis malam, qua dignissimi sunt, quippe qui malo animo carpunt ea, quae vix bono percipere possent, nedum in melius adducere. Nostri tamen muneris esse duximus illud conari, si minus assequi poterimus, vt omnes omnium Catholicorum sententiae in vnam perpetuam veritatem consentire videantur. Sed illud certe omnibus commune est, quod ad loci sensum spectat: eo nimirum indicari Dei populum, è summa calamitate, & miserijs in maximam transferendum felicitatem, illa, cleris, sortibus, terminis, cacabis, ollis, chitropodis indicatur: haec columbae pennis, argenteo colore, aureo pallore. Sed hic idem sensus ex varijs deducitur translationibus, propterea quòd multiplex sit notio Hebraicae vocis שפתים sephataiim. quae in Origine legitur. Hanc supra ostendimus labium significari, seu terminum, vt merito Beatus Hieronymus, inter terminos, conuertat vocem eam, à qua non abhorret Graeca Septuaginta interpretum κλήρων, quae Suidae est, praeter vsitatiorem sortis vsum, locus, possessio, hereditas, dicta sors, plerumque quod sortito inter fratres diuideretur. Sed Rabbi Dauid: Sunt, inquit, שפתים sephataiim, כירים cirajim, id est, chytropodes, loca vbi ponuntur ollae, aut caldariae, id est, in loco humili, & nigro, vt est hic locus. Ac si dicat, si ambulastis hactenus nigris induti vestibus ob inimicorum afflictionem, adhuc eritis albi sicut alae columbae, quae tecta est argento, idest, quae habet pennas albas sicut argentum. Idem fere Rabbi Abraham: Ac si dicat, inquit, ne timeatis ab inimico, quia si iacuistis inter chytropodes, eritis albi sicut columba, quae tecta est argento. Sed quod ad loci expositionem spectat, non dubito infelicissimum eorum statum significare, qui in misera degentes seruitute, culinarum sordidissimis deputati ministerijs, illorum nimirum quos Hispani *moços de cozina*, vocamus, Italis, *guattani*, dicuntur. Quibus plerumque accidit in hyeme, vt noctu prae vestium inopia, atque lectorum inter chytropodes dormiant, & cacabos, vt manente adhuc praecedentis diei calore foueantur, & frigoris inclementiam propulsent, quibus nihil potest excogitari sordidum magis vt turpe. Hinc igitur eruendos praedicit Dominus, atque candidissimae, & splendentis columbae instar omnis pulchritudinis, honoris, ac dignitatis participes futuros. Quae symbola aptissima sunt eorum, qui è sordidissima vitiorum sentina, è misera, inquam, ventris, ac voluptatis seruitute erepti, pennis donantur columbae, & volant, & requiescunt in sanctioris vitae domicilijs. Sed quid, quaeso, cacabis commune cum sortibus? an sic dictae sunt huius culinae ollae, vel chytropodes, quòd sorte inter familias partitae essent, ne confusioni pateret aditus? An quòd in eis sortes, vel partes coquerentur victimarum, quae offerenti obueniebant? An vero quòd cum multitudo conflueret sacrificantium, & oblationes coquere volentium, sorte statuebant Sacerdotes, quis, qua olla, vel quo loco suas coqueret carnes? Ego vero, cum haec omnia harum culinarum essent propria,

R. Dauid.

R. Ionathas Chaldaeus.

R. Salomon.

FOCI, ET lebetum foramina in culinis.

1. Reg. 2. ℣. 12. & 13.

Supra cap. 71. huius libri.

Nicolaus de Lyra.

Psal. 67. ℣. 14.

POPVLI felicitas, & miseria signis indicatur aptissimis.

Supra cap. 39. huius libri.

R. Dauid. in comm.

R. Abraham.

DORMIRE inter chytropodes.

OLLAE quare sortes dicantur.

pria, facile opinater potuisse communi vsu receptum fuisse, vt fortium nomine, cacabi dicerentur, aut chytropodes, quòd in templo, quo omnes conueniebant, ita dicerentur. A

Sed vt ad locum nostri Prophetae redeam, libentius Vulgatae, & Septuaginta interpretibus assentior, qui culinas scribunt subter porticus, aut exedris, quàm Chaldaeo & Rabbinis, qui locum exponunt ad coquendum sub parietibus. Vocem enim, quam in Hebraeo priori loco legimus, supra culinam cum omnibus interpretibus exposuimus, vt infra iterum exponemus. Secundo vero loco propius accessit Vulgatus, *subter porticus* scribens, quàm Rabbini illi, qui parietem interpretati sunt. Vox enim מירות tiroth, non B simplicem parietem significat, sed potius ordinatam multarum partium dispositionem, castellum, arcem, propugnaculum: quidquid enim reluctetur Rabbi Dauid in Canticis, vbi: *Si murus est*, inquit, *aedificemus super eum propugnacula argentea*: legendum est, vel palatium argenteum, vt legit Ionathas, non vero parietem, vt ille alter exposuit. Sensus enim est, si murus est, muniatur vtique, atque exornetur argenteis castellis aut propugnaculis: nam parietem parieti superstruere non exprimit Sapientis mentem. Sed quòd haec vox iterum exponenda sit, insinuasse satis est, illa castella aut propugnacula posse indicari. Turres enim, & propugnacula in templo fuisse testatus est Iosephus, vt supra ostendi. His denique argumentis persuasi, & ipsius maxime aedificij ratione, in omnibus atrij Israelis angulis, & in singulis eiusdem arearum recessibus castella ereximus, quae eadem symmetria metitur, & ratio, venustas, ac pulchritudo exigebat, vt vides in vniuersalibus orthographijs. Horum vero propugnaculorum numerum, & dispositionem post pauca ostendam ex ipso prototypo tabernaculi desumpta esse. C

PRO PORticu castellum, arcem licet intelligere.

R. Dauid. Cantic. 8. ℣. 9.

R. Ionath.

Supra cap. 7. huius lib.

CASTELLA in angulis atriorum.

XXIV. *Et dixit ad me: Haec est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi*. Chaldaeus. Iste est locus, inquit, praeparatus ad coquendum, in quo coquent ministri domus victimas sanctificatas populi. Rabbi vero Salomon, ac Dauid mirifice digladiantur de huiusmodi victimis, quaenam sint. Ille: Id est, pectus, inquit, & armum pacificorum, quae non vitiantur, exeundo extra atrium Israel: sicut vitiantur victimae, quae offeruntur pro peccato, & pro delicto. Hic vero victimas pacificas, inquit, in quibus populus habet partem, nam pectus, & armum erat Sacerdotum, reliqua vero caro erat dominorum, ac propterea dicuntur victimae populi · & ministri templi, qui erant Sacerdotes, coquebant in his locis, nam erant in atrio mulierum, partem eorum ex pacificis, quae est pectus & armum · nam atrium mulierum est locus aptus ad comestionem Sanctorum leuium · & extra illud etiam vsque ad muros Ierusalem, nam possunt comedi in tota ciuitate, & Israel etiam comedebant ibi in atrio mulierum partem suam, si illis placebat. Haec ille: quae omnia, quippe ad ritus & caeremonias pertinentia; suis locis exponenda à nobis sunt: interim illud vnum praetermittendum non est, quod nostrae eruditioni, & exemplo poterit deseruire. Sanctus enim Hieronymus: Populi quidem victimae, inquit, quae offeruntur pro delicto, siue ignorantia, & pro peccato, sunt alimenta, & refrigeria Sacerdotum, vt meminerint nihil se aliud debere appetere, cum etiam in templo carnes ad eorum refrigeria praeparatae sint. Haec Sanctus Doctor, quibus suum capitis absoluit commentarium, & quibus nos quoque nostram absoluemus partis eiusdem capitis explanationem, ac librum denique hunc quartum absoluissemus, nisi & de altari aeneo aliquid prius à nobis dicendum esset, ad caput quadragesimum tertium Prophetae regressis.

QVAE CARnes coquerentur in huiusmodi culinis

R. Dauid.

R. Salom.

S. Hierony.

SACERDOtes sua sine comeant forte, & suis fructibus.

EX CAPITE QVADRAGESIMO TERTIO EZECHIELIS PROPHETAE.

XIII. ISTAE autem, mensurae altaris in cubito verissimo, qui
habebat cubitum, & palmum.
in sinu eius erat cubitus &
cubitus in latitudine, & defi-
nitio eius vsque ad labium eius, & in circuitu,
palmus vnus. haec quoque erat fossa altaris.
XIV. Et de sinu terrae vsque ad crepidinem no-
uissimam duo cubiti, & latitudo cubiti vnius·
& à crepidine minore vsque ad crepidinem
maiorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti
vnius.
Ipse autem Ariel quatuor cubitorum · & XV.
ab Ariel vsque ad sursum, cornua quatuor.
Et Ariel duodecim cubitorum in longitudi- XVI.
ne per duodecim cubitos latitudinis: quadran-
gulatum aequis lateribus.
Et crepido quatuordecim cubitorum longi- XVII.
tudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in
quatuor angulis eius & corona in circuitu
eius dimidij cubiti, & sinus eius vnius cubiti
per circuitum: gradus autem eius versi ad
Orientem.

ALTARE



ALTARE HOLOCAVSTORV AENEVM IN QVO IGNIS E CAELO DELAPSVS ASSIDVA SACERDOTVM CVRA SERVABATVR

EXPLA-

EXPLANATIO EIVSDEM PARTIS CAPITIS QVADRAGESIMI TERTII.

DE ALTARI HOLOCAVSTORVM AENEO.

Cap. LXXV.

XIII. ISTAE *autem mensurae altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum, & palmum*. Aenei altaris mensuras perscrutaturus necessarium duxi altaris formam praemittere, quam arbitramur ab Angelo dimensam esse, & à Propheta nostro accurate relatam, eam omnino perspectam esse lectori oportet, quo facilius percipiat ea, quae de altari sumus dicturi. Nam & propterea praeter expressam singularum partium formam praecipuarum nomina adscripsimus, quibus huiusmodi partes à Propheta nostro censentur, nec non modicam cubitorum, vel calami mensuram, quae singulae facile possint circino examinari, si tamen prudens examinator minime despiciat, quod iuxta regulas scenographiae, quas dixi, abscedentia latera sunt imminuta. Neque abs re fuerit calami in primis meminisse: cum altaris mensuras ab Angelo exactas persecuturus Prophera, arundinis referat mensuram, fuisse iustam, eiusque cubitos esse iustae magnitudinis, & vetustissimae. Sic enim habetur in Hebraeo: Et istae mensurae altaris in cubitis, cubiti cubitus & palmus. Sed cum veram cubiti, & palmi longitudinem suis locis vnà cum huius loci explanatione proposuerimus, ad ipsas altaris mensuras nulla interposita mora veniendum esse censuimus.

IN FIGVRA partium nomina continentur, & mensurae.

Dixi lib. 2. huius part. cap. 9.

Supra cap. 12. huius lib. & in Apparatu par. 2. lib. 3. cap. 17.

In sinu eius erat cubitus, & cubitus in latitudine. חיק cheq, sinum significat, anteriorem scilicet hominis partem à pectore ad crura inter brachia definitam, complexum, gremium: quae pars quòd brachijs sit inclusa, & definita, transfertur vox per analogiam ad significandum, quae anteriora sunt, vel interiora, vtraque enim Hebraeis aequipollent; foueam, caueam, labijs prominentibus circumscriptam. Vel quòd sit cauea quasi laxioris vestimenti plica, concaua, & profunda, quam significat sinus apud Lucam: *Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & super effluentem dabunt in sinum vestrum*. id est, vobismetipsis non alijs pro vobis: qua ratione exponendus est Psalmus: *Redde vicinis nostris septuplum*, vindictae & poenae, quam nobis intulerunt, *in sinu eorum*. quam vix possint abijcere. Sed quod è re nostra est, habetur exemplum in Prouerbijs: *Sortes mittuntur in sinum*, id est, simbriam fluentem vestimenti, complicatam manu. Ergo sinus cauea est, in marmoreo pauimento excisa altare cingens, cubito vno alta, & altero lata: in quam fundebatur victimarum sanguis, conducebaturque per subterraneos cuniculos in torrentem, de quo capite quadragesimo septimo Ezechielis agendum nobis est, & cum sanguinis effundendi ritum exponemus suis locis in Apparatu. Sed & hoc idem voce κόλπωμα colpoma, significare videntur Septuaginta, qua sinuosam vestem significant Graeci. Huius porro fossae locum significant cum Chaldaeo Hebraei, fundameotum pro sinu interpretantes, quamuis vox nihil eiusmodi significet.

Luc. 6. ℣. 38.

SINVS quid significet.

Psal. 78. ℣. 12.

Prouerb. 16. ℣. 33.

Et definitio eius vsque ad labium eius, in circuitu palmus vnus. גבול gebul, terminus est, finus, sepes, clausura, corona, quae definit, spatium quo aliquid distenditur, vnde Vulgatus praeclare vertit, *definitio*, paulo autem inferius coronam reddit. אל el, significat, *vsque ad*, in praesenti valet, per, hoc sensu corona eius per labium fossae procurrens circumcirca erat palmi vnius: nam tametsi relatiuum eius cubitum respiciat cum quo genere conuenit, ceterum in sensu nullum est discrimen. Nam haec est sententia, versus, clausura, vel corona cubiti illius, vel caueae cubitalis, erat palmi vnius. Chaldaeus: Et clausura eius in circuitu super labium eius circumquaque, palmi vnius. Rabbi Dauid: Terminus cubiti, inquit, erat altus vno palmo. Sanctus Hieronymus: Aquila, inquit, Symmachus, & Theodotio, posuerunt terminum: Septuaginta γεῖσον, gison, interpretati sunt. Hanc vero vocem, cuius iterum modeste Hieronymus fatetur se nescire notionem, aut originem, supra exposuimus, eiusque notionem eam ipsam esse indicat, quam persequimur. Pro palmo est in fonte זרת zereth, & apud Septuaginta σπιθαμῆ spitham. hoc est, palmus maior, qui continet ternos palmos, scilicet digitos duodenos, hoc est, semicubitus, atque tantae altitudinis erat corona aenea, quae altaris foueam muniebat, & exornabat extrinsecus.

CORONA vel periboius fossae.

CORONAE mensura dimidij cubiti.

R. Dauid.

S. Hierony.

PALMVS est semicubitus.

Mensuram autem hanc ad latitudinem referendam esse censuimus, quòd conueniat ea dimensio proposito Vatis, qui ab infimo coepit metiri sursum versus altaris altitudinem: deinde à vertice descendit, latitudinem eiusdem dimensurus. A Quamuis quod hanc coronam similem reliquis templi periboli fecerimus, interiectis arulis distinctam, siue stylobatis, ideo hos periboli stylobatas aeque longos, latos, & altos facimus semicubitum. Huius porro coronae vsum facile agnoscet in altaris figura lector, vel nemine indicante, tum videlicet ne incauti ad altare accedentes in foueam inciderent: tum vero maxime ne fossa victimarum sanguine sacra, communis haberetur ac peruia. B

Haec quoque erat fossa altaris. Vox גב gab, quae hodie legitur in fonte, significat omnem terminum, altitudinem, quam videntur legisse Septuaginta: vertunt enim: Et altitudo altaris. Hebraei reddere solent Haec statura altaris: neque incongrue, si ad sequentes versus referatur oratio, in quibus definitur altaris altitudo, & proceritas. Verum Sanctus Hieronymus interpretatus est *fossa*, vt videmus in Vulgatis codicibus, legisseque videtur גב geb, non גב gab, quae vox foueam significat, caueam, lacunam. Extat enim eius plurale גבים gebim, in libris Regum:

3. Reg. 6. ℣.

Texit quoque domum laquearibus cedrinis, vel cedrinis testudinibus. Atque ita secundum Vulgatum haec est recapitulatio dictorum: quasi dicat: huiusmodi itaque erat fossa altaris, scilicet semicylindri excauati forma, neque enim angulos habebat in parte inferiori, sed semicirculo definiebatur, ne sanguis haereret in angulis. Huius autem fossae vsum, & modum, quo fusus in ea sanguis expurgaretur, disertis verbis exposuit Aristaeas: Sunt & apud arae basim, inquit, frequentes aperturae: omnibus quidem nisi his, qui ministrant incognitae. Aperturas has indicat in ima fossa fuisse, quippe quas propius accedentes videre possent, illi qui longius aberant, nulla ratione. Quarum influxu & impetu, omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur. Haec ille. C D

Aristaeas Histor. 70. interpretum.

XIV. *Et de sinu terrae vsque ad crepidinem nouissimam duo cubiti.* notanter dixit *terrae*, quòd sinus, vel cauea non erat extra pauimentum, sed terrae immersa, atque ab eius labio superiore vsque ad crepidinem duos enumerat altitudinis cubitos. Crepido Hebraice dicitur עזרה ghazarah, à עזר ghazar, quod est iuuare, fulcire, sustinere, vnde participiale nomen significat, non quidem adiutorium, vel atrium, vt multi transtulerunt, sed fulcrum, podium, cui innititur aedificium, & quod sustinet eius pondus: sic sumitur in praesenti, pro altaris podio, id est, fulcro, quod Vulgatus vocauit *crepidinem* & merito: nam crepido à discrepando dicta significat aedificij partem extantem, vbi discrepat regula, gradum scilicet extrorsum procurrentem, latioremque quàm sit aedificij latitudo. cuiusmodi erat fulcrum altaris. Enimuero haec crepido duplex erat, altera superior, altera inferior: quas vides in ipsa figura, & de inferiori loquitur versus cum duos cubitos altitudinis numerat, à labro foueae superiori *vsque ad crepidinem nouissimam*, siue postremam. E

CREPIDO inferior duorum cubitorum.

Et latitudo cubiti vnius. Erat podium altum duos cubitos à pauimento templi, vbi contrahebatur introrsum, & gradum faciebat latum cubito vno.

Et à crepidine minori vsque ad crepidinem maiorem quatuor cubiti, altitudinis, *& latitudo cubiti vnius*. maiorem vocat secundam, non quidem latitudine, sic enim maior, id est, latior erat infima, sed altitudine. cum enim infima duos tantum cubitos emineret, suprema quatuor surgebat, retrahebaturque introrsum, gradu altero relicto latitudinis ex vtraque parte cubiti vnius.

CREPIDO maior alta quatuor cubitos.

DE AENEI ALTARIS NOMINIBUS.

Cap. LXXVI.

Ipse autem Ariel quatuor cubitorum. Vox הראל harel, significat montem Dei, id est, Deo dicatum, vel editum, speciosum, Hebraea phrasi, de qua saepe diximus: quo nomine appellatur elegans ille tumulus in medio atrio interiori erectus supra basim duplicem, altitudine cubitorum quatuor. Huius autem lectionis, & expositionis rationem reddere videtur Rabbi Dauid. Mons Dei, inquit, id est, domus Dei: nam in omni loco seruiebant dijs alienis, super montibus excelsis, hic autem mons Dei non habebat nisi altitudinem quatuor cubitorum &c. Dicunt autem, inquit, Rabbini altare appellari *Ariel*, quia ignis sanctus descendens de caelis excubabat in eo tamquam leo: vel potius, vt alij exponunt, quòd victimarum sanguine perpetuo maderet, haud secus quàm praedam discerpens leo. Haec ille. Est autem elegans huius vocis vsus apud Isaiam: quam sapienter intactam reliquit Vulgatae interpres, Septuaginta imitatus, atque alios Hebraeorum non paucos: *Vae Ariel, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid*. Ad ipsum altare sermonem retulit Chaldaeus: Vae altare, altare, quod constructum est in ciuitate, in qua mansit Dauid. Verum ciuitatem ipsam intelligendam esse, praeter Vulgatae auctoritatem, & contextum sic exigentem, probat Beati Hieronymi sententia: qui cum quorundam retulisset opinionem alter de ea exponentium verba illa, *quam expugnauit Dauid*. Si legamus, inquit, *quam expugnauit Dauid*, ad illud tempus referemus quando coepit Dauid arcem Sion, repugnantibus caecis, & claudis, & primus Ioab domatum excelsa conscendit: si autem iuxta Symmachum, & Theodotionem, hoc sentiendum, quòd Dauid eam instaurauerit, atque munierit. Igitur ciuitas *Ariel*, dicitur, vel quod altare in ciuitate extructum fuisset, vel quod magis probatem, quòd ciuitas,

MONS DEI vocatur altare.

R. Dauid in comm.

LEO DEI quare dicatur altare.

CIVITAS Ierusalem vocatur ariel. Isai. 29. ℣. 1.

S. Hierony.

uitas, & altare propter quandam similitudinem, & analogiam eadem voce merito censeretur. Nam praeter notionem illam, quam initio proposui illi similem, aliam alia ratione colligunt nonnulli interpretes vocem compositam, vt prius existimantes ab אַרְי ari, quod est leo, & אֵל el, quam vocem non vt prius exponunt quasi Dei nomen, sed iuxta primam suam originem, quod fortem, potentem significet, atque adeo fortem, potentem leonem significabit composita vox: qua ratione exponendum esse arbitrantur illud libri Regum testimonium: *Ipse Banaias percussit duos* אריאל ariel, *leones Moab*, hoc est, vt omnes fere Expositores interpretati sunt, duos fortissimos viros, leones translate dictos. Quare merito ad fortitudinem, gloriam, potentiam vrbis, locum Isaiae referre poteris: O ciuitas quondam munitissima Dauidis ope, opibus, virtute, viribus, quae sicut leo nullum timere didiceras, omnes hostes discerpere: *Additus est*, vel addirac, vt conuertunt Hebraei, *annus ad annum, solemnitates euolutae sunt*. Id est, non multi numerabuntur anni, nec plures euoluentur annorum solemnitates. *Et circumuallabo Ariel, & erit tristis, & maerens, & erit mihi quasi Ariel*. pressuram, impetum, impulsum significant Hebraea verba, quibus leonem in angustias esse deducendum indicant, vt tristetur, & maereat. Vim illam leonini pectoris respexisse videtur Dominus, qua nec pauere nouit, neque timens tristari, quin potius ab hostibus insectatus, atque percussus gaudere, quòd habere se putet in quos saeuiat. Hanc eleganti versu cecinit Maro.

LEO FORtis, potens, robustus.

2. Reg. 23. ℣. 20.

ISAIAS ILlustratus.

Isaiae 29. ℣. 1. & 2.

LEONIS inuictum pectus.

—— Poenorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens ceruice toros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Virgil. 12. Aeneid.

Neque minus eleganter, aut è re nostra minus apte noster Cordubensis Lucanus.

—— Sicut squalentibus aruis
Aestiferae Libyes viso Leo cominus hoste,
Subsedit dubius, totam dum colligit iram:
Mox vbi se saeuae stimulauit verbere caudae,
Erexitque iubas, vasto & graue murmur hiatu
Infremuit, tum torta leuis si lancea Mauri
Haereat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Lucanus. lib. 1.

Huiusmodi leonem in eas angustias adducendum à se esse comminatur Omnipotens, vt tristari discat, & maerore consumi, & sibi futurum quasi Arieli, vt quidam exponunt, quod Hebraicae voces casibus careant, tu qui alijs leo eras discerpens; mihi quasi leoni discerpendus eris. Vel eris mihi quasi fortissimo, ac sapientissimo venatori leo, qui mea minime effugies retia, non euades tela, non effugies vulnera. quem semper insectabor, & persequar, quasi venatorius meae cupitam praedam. Vel eris mihi quasi Ariel, hoc est, altare: in medio enim tui filios tuos conflagrare praecipiam, ac re totam eorum sanguine, adipe, ac cineribus manare faciam, haud secus quam altare olim holocaustorum carnibus, adipe, & excusso ferro, & igne sanguine.

ERIS MIHI quasi leoni discerpendus.

ERIS QVAsi venatori leo, aut praeda.

Quod vero leonis nomine veluti proprio altare censeretur, leoninis Cherubinorum imaginibus angulos exornauimus, quòd altare, non secus quàm reliqua templi instrumenta, arbitraremur Cherubinorum formis fuisse exornatum. Sed illud esse videtur altaris proprium, vt cum nomine conueniat, forma leonem vndequaque referre.

QVARE leoninis formis altare exornetur.

Id quare factum sit, si liceat conijcere, ad mores componendos eorum spectare videtur, quibus ex munere, aut legis praecepto incumbebat sacrificare, aut Deo munera offerre. Quos omnes ob oculos semper habere oportuit, Deum altari colendum leoni similem esse. Qui in elatos, atque superbos facile saeuiat, maxime iniurijs lacessitus, vt vidimus, & contra humilibus parcat, & deprecantibus: de quo Plinius sic scribit: Leoni tantum ex feris clementia in supplices, prostratis parcit: & vbi saeuit, in viros potius quàm in foeminas fremit, in infantes non nisi magna fame. Credit Lybia intellectum prouenire ad eos precum. Captiuam certe Setuliae reducem audiui, multorum in siluis impetum à se mitigatum alloquio, ausae dicere se foeminam, profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, ceterisque imperantis indignam eius gloria praedam. His consonat Ouidius:

LEONI ALtare simile, vt accedentium componat mores.

Plinius. lib. 8. cap. 16.

LEONIS clementia in supplices.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Ouid.

Quod argumentum si persequi vellem, longior certe essem, quàm par sit: plenae sunt sacrae Literae testimonijs, atque exemplis, quibus Dei ira in elatos saeuijt, clementia supplicibus indulsit: precibus exoratus saepe, sed non saepius quàm eisdem exorari paratus fuerat. Huic argumento fauet Philo, qui altaris nomen & vsum videtur indicare: Alterum, inquit, altare subdiuale solet Scriptura vocare thysiasterium, à victimis, quasi τηρητικὸν θυσιῶν, qua voce significatur non absumi victimas, voluntatem, inquam, offerentium, non membra pecoris, quae ignis deuorat. Nam si quis prauus, & iniustus offerat, eius non litant victimae, sacrificia profana sunt, vota ominosa, perniciem afferentia. Non abolent enim peccata, sed in memoriam reuocant. Quod si pius, iustusque offerat, ratum manet sacrificium, etiamsi carnes absumptae fuerint, immo etiamsi nulla mactetur hostia: nullum enim potest esse verius sacrificium, quàm animae Deo charae pietas, huius enim gratitudo immortalis fit relata in Dei tabulas, in sempiternum cum sole, luna, mundoque duratura. Haec ille. de quibus iam satis.

Philo lib. 3. de vita Moysis.

QVIS SAcrificiorum fructus.

Et ab Ariel vsque ad sursum cornua quatuor. In biblijs Hebraicis, quae nunc extant, Ariel alijs literis scribitur, quàm in priori versus parte exaratum diximus: ibi enim legimus הראל harel, id est, mons Dei, hic vero אריאל ariel, quae vox ex duplici verbo coalescit, id est, ex אר ar, ab ארל aral, quasi maledictio, execratio, atque ex אל el, siue איל ajl, quae sonat arietem, quasi maledictionis aries. quae etymologia tam certa, atque ad Christi mysteria significanda conueniens visa est cuidam nostrae aetatis pio, & erudito viro, vt zelo Dei accensus aduersus Iudaeorum Doctores, & sequaces Rabbinos exclamet, nobis voluisse malitiose imponere, atque impudenter interpretatos esse pro ariete, leonem Dei, cum ipsi probe nossent non haberi in co-

MALEDIctionis aries aliud altaris nomen.

Leo de Castro Isaiae 29.

 dice

dice Hebraica אריאל ariel, quod sonat leo Dei, A sed potius אראל arel, execrationis aries. Quid autem significet execrationis aries, ex Genesi, & Leuitico persequitur, de Christo Domino intelligens. In cuius commentario pietatem, & eruditionem laudamus, sed etymologiae praesentis desideramus intelligentiam, atque modestiam in reprehendendis scriptoribus: quorum sententiam laudat Sanctus Hieronymus, illis verbis: Ariel, vt plerique aestimant, interpretatur lux mea Deus. De quo & in Isaia Propheta, vbi scriptum est: *Vae tibi ciuitas Ariel, quam expugnauit Dauid*, siue circumdedit: plenius diximus: vt autem ego arbitror, leo vel fortis Dei, quod nomen refertur propriè ad altare, in quo vel illuminatio Dei est, B vel leo, & fortitudo eius, dicente Iacob ad Iudam: *Catulus leonis Iuda*. Quibus verbis & leonem Dei, altare dici confirmat Hieronymus, & esse ad Christum significandum nomen aptissimum.

Genes. 22. ℣. 13. *Leui. 5.* *S. Hierony.* ALIVD Altaris nomen. *Genes. 49. ℣. 9.* LEO DEI & lux Dei.

Sed quamuis nomen arietis alienum non sit ab altari: tamen non ideo altare Dei appellaretur expiationis aries, sed quòd in altari offerebantur piacula, quae Christum repraesentabant pro peccatis expiandis immolandum: id quod ipse non negat obijciens, ab ariete enim cornibus pendente ex arbore Sabech, aut inter vepres haerente cornibus, symbolum Christi confirmat potius quàm ex altaris nomine. Ceterum danda venia est ei, qui alios secutus, putauit altari Ezechielis C non repraesentari altare Salomonis, ignorauitque huiusmodi visiones phantasiae Prophetarum obiectas nulla ratione posse Christo, vel Ecclesiae accommodari, nisi prius signum corporeum, vel verum, vel saltem parabolicum fingatur, quod sit significati principalis protoplasma, & archetypus: de qua re latius nos alibi. In eo certe non danda est venia, quòd sub specie pietatis ignorationem nititur in scholas inuehere, foedissima nota inurens exactioris intelligentiae Scripturarum sectatores, & Doctores, tragoediasque excitat in Ecclesia, inclamans identidem iudaizandum fore, si sacrae Scripturae ad Hebraici fontis originem exigantur, vel vocum etymologiae à linguae sanctae peritis mutuemur. Conclamat praeterea Proceres Ecclesiae, vt huic imminenti periculo, & maximo malo praecaueam. Eosdem tamen proclamatos velim, vt inuigilent, ne hic dicendi modus illi sit similis, quo Tryphon Ionathae olim imposuit, vt praesidijs destitutum securè comprehenderet: sunt enim, ac semper fuerunt scientiarum, ac bonarum artium praesidia Ecclesiae maximè vtilia, hac nostra tempestate ferè necessaria. Et vt ab vngue leonem deprehendamus, conclamatum esse de pietate putat, si Ariel interpretemur leonem Dei, & non potius arietem expiationis, nimirum quia Hebraei leonem exposuerunt. quasi vero à Gallis, vel Italis discenda sit Hebraica lingua, & non ab Hebraeis. Vel quasi maius praeiudicium Rabbinorum sectae creetur ex ista, quam ex illa nominis interpretatione. Vel quasi non multo aptius, & concinnius nomen leo Dei competat altari aeneo, quàm arietis.

ALTARE Ezechielis, & Salomonis idem. *Alibi lib. 1. Isagog. huius partis. c. 8.* LAVDABILE sacrae Scripturae studium. *1. Machab. 13.* ECCLESIAE imponunt, qui sacrarum Literarum studia illi auferunt.

Et ne putet aliquis in vniuersis biblijs Hebraicis legi אראל arel, sciat is Sanctum, quem laudaui, Hieronymum, leonem Dei legisse, & interpretatum esse, atque Procopium Gazaeum ibidem: itemque codices, quibus vsus est bonae memoriae Cardinalis Ximenius, qui Complutensia biblia reddidit, legisse אריאל ariel, cum י iod, litera ante א aleph, non ante ל lamed, vt videre est in eius dictionario. Praeterea in vetustissimo codice Hebraico manuscripto in membrana, quod Hispalensis domus professa Societatis Iesv in sua nobili bibliotheca conseruat, Rhodis aduectum ante annos quadringentos, legebatur in primario textu אריאל ariel, nisi atramento recentiori correctum fuisset, absorpta י iod, in ר res, factaque ר res, praeter consuetudinem oblonga, scriptumque in margine eodem atramento, vt apparet, אראל arel, eius credo diligentia, qui puncta notauit: nam sine punctis biblia exarata videntur olim fuisse. In eleganti etiam ante sexcentos annos manuscripto codice, qui habetur in Collegio Maronitarum, vtrobique legitur אריאל ariel. Et Regius codex bis legit אריאל ariel, & biblia Roberti, cum alijs. praeterquam quod saepe transponi soleat litera י iod, vt in sexcentis dictionibus videre est. Quare in omnibus dictionarijs vox ea, leo Dei exponitur, non aries: immo vero in Isaia manifesta allusio est facta ad hoc nomen altaris: *Vae Ariel, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid*. Vbi אריאל ariel, scribitur cum י iod, post ר res, idest leo Dei, quo nomine vrbem appellat Hierosolymorum, quòd, vt dixi, quasi leo fortissima esset, & inexpugnabilis, atque vicinas regiones edomuisset, earumque substantiam vorasset. Deinde ludens in nomine altaris subdit: *Et erit mihi quasi Ariel*. id est, non secus atque in altari aeneo discerptae victimarum carnes igne absumuntur, sic in vrbe hac iugulata ciuium corpora igni tradentur, me ita praecipiente. Ariel ergo dictum est altare, hoc est, leo Dei, vel truculentus, ferox, quòd quasi leo victimarum praedam discerptam voraret, & consumeret, & ossa comminueret, vt leoni proprium est apud Danielem. Nomen porro coalescit ex nomine ארי ari, ab ארה arah, discerpere, & אל el, Deus, quasi discerptor, id est, leo ferox, seu leo sacer Deo dicatus. Quàm aptius autem haec etymologia competat altari, quàm illa altera arietis, quis non videat? namque aries quidem voratur, non vorat, altare au- D tem consumebat arietes, ceterasque pecudes: non ergo aries dici debet, sed leo propter animalium ingluuiem. Verum enimuero audiendus minime videtur scriptor hic, quem eadem fecisse compertum est, quae facienda non esse paulo antea proclamauerat. Ipse namque Prophetae contextu coactus, leonem Dei vbique legendum esse profitetur. Sensus itaque, inquit, huius loci est: Ariel, idest, leo Dei, populus Iuda, qui olim dictus est leo Dei, erit mihi quasi Ariel, erit mihi quasi leo in Deum: lusit enim in nomine per paronomasiam, quae Latine dicitur annominatio, quasi dicas, leo in me fuit leo, vt in principio Ariel ponatur pro populo Iuda, qui E olim dicebatur leo Dei, quòd Dei auxilio, sicut leo, lacerabat omnes gentes: erit mihi, erit aduersum me Ariel leo in Deum. Haec ille. de cuius expositione nihil praeterea desumendum esse existimarem, quàm quòd leo Dei sit vbique legendum. Eusebius Caesariensis Interpretatur, inquit, Ariel leo Dei, quoniam enim Dei erat altare, & deuorabat omnes, quae in ipso offerebantur, animalium victimas, propterea ita appellatum. Haec ille. Aliter Polychronius: Ariel, inquit, cubitorum quatuor signari ait altare: nam Ariel si ex Hebraica voce in Graecam vertas, terminos Dei interpreteris, atque

S. Hierony. Procopius. LEO DEI in plurimis biblijs legitur. *Isai. 29. ℣. 1.* ARIEL Ciuitas quare dicatur. *Daniel. 6. ℣. 24.* ARIEL VNde dicatur. *Euseb. in catena Graeca.* *Polychro.*

que ita Prophetam hòc loco altare vocare. Haec ille. Sed de notione vocis plura non afferam.

DE RELIQVA ALTARIS DISPOSITIONE, *mensuris, & partibus.*

Cap. LXXVII.

ARIELIS nomine altare censeri constans est Scriptorum sententia: idque non solum verum est, quoniam re ipsa, ac veritate leoni simile erat altare, verum etiam quòd forma, & dispositione leonem referret. Leonina enim crura habebat pro pedibus, vnde emanasse existimo, vt in veterum aris pedes, & leoninae vngues effingerentur. Atque his quidem leoninis pedibus nitebatur altare. Sed quoniam omnia instrumenta Salomonici templi Cherubinorum referta erant formis, vt poterant, altare quoque bouillam faciem cum leonina repraesentabat: hanc pedibus, illam vero cornibus. hoc est enim quod habetur in textu: *Et ab Ariel vsque ad sursum, cornua quatuor*. Cornu praeter natiuam significationem solet vsurpari pro cuspide, radio, angulo, acie. Vnde sunt, qui in praesenti versu angulos pro cornibus interpretantur, putantque cornua altaris vocari acuminatos coronicis ipsius angulos, pro quibus videtur esse Iosephus: Veluti cornibus, inquit, angulis eminebat. Hanc interpretationem notionis amplitudo, & rei analogia patitur, sed dispositio & mensura renuit: nam in Septuaginta sic legimus: Ab Ariel & superiora cornuum, cubitus vnus. ergo extrorsum: anguli autem arae quantumuis formarentur extantes, non possunt sic fabricari surgentes citra deformitatem structurae, quod & sensisse, & scripsisse Iosephum manifestum est, cum vsus est verbo, eminendi. Quare in sua prima significatione accipienda est vox, cornu, atque existimandum quatuor taurorum cornua, è quatuor angulis altaris sursum erecta fuisse, altitudine cubiti vnius, quasi à taurino capite nascentia: quod aperte intelligitur ex comminatione Amos Prophetae: *Amputabuntur*, inquit, *cornua altaris, & cadent in terram*. Loquebatur autem de altari Bethel, quod non dubium est formam Salomonici fuisse aemulatum. Quod si cornua amputanda ominatur, non igitur erant anguli de corpore ipsius altaris, sed aliquid supereminens, quod amputatum deorsum corrueret. Praeter hoc, eodem Ezechielis capite discrimen fit inter angulos, & cornua: *Pones*, inquit, *sanguinem super quatuor cornua eius, & super quatuor angulos crepidinis*. Sed de cornibus, eorumque nomine, & forma plura diximus, cum de aureo altari loqueremur: eorum vero haec simillima fuisse intelligenda sunt.

CORNVA altaris.

Ioseph 6. belli cap. 6.

EMINENT altaris cornua haud secus quam taurorum.

Amos 3. ℣. 14.

Infra ℣. 20.

Referebat itaque altare leonem pedibus, vitulum cornibus, vt imaginem Cherubim ex parte prae se ferret, nisi malis vitulorum cornua gestasse, quasi trophaea factae praedae. nam in festis solemnioribus tauri, & iuuenci Deo mactari consueuerant, & Arieli, seu leoni sacro proijci deuorandi. Hinc factum est, vt reor, vt in mores induxerint veteres illi architecti, frontes sacrarum aedium taurorum cranijs exornare, quasi sacrificiorum trophaeis, & insignibus.

CORNVA altaris quasi praedae trophaea.

XVI.

Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis. quadrangulum aequis lateribus. Hebraice. Quadratum erat in quatuor quadrangulis suis. Ariel vocatur ipsum altaris corpus basi duplici superpositum, cuius altitudinem paulo ante cubitis quatuor definierat, nunc longitudinem eius latitudini parem dicit esse, cubitorum duodecim.

ALTARIS corpus duodecim cubitorum per quadrum.

XVII.

Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis eius. hoc est, patebat tum in longitudine, tum in latitudine ab angulo in angulum oppositum, cubitos quatuordecim. Hae dimensiones ex dictis constant. Cum enim crepido, vel basis in singulis lateribus extaret cubitis singulis extra Arielis perpendiculum, si Ariel duodecim cubitos quaqua versum patebat, consequens erat, vt basis superior quatuordecim cubitos vndique extenderetur, ac pari ratione inferior, quae singulos vtrinque cubitos proijciebatur extra superioris perpendiculum, sexdecim cubitos lata esset, & totidem longa.

CREPIDO superior quatuordecim cubitorum.

CREPIDO inferior sexdecim cubitorum.

Et corona in circuitu eius dimidij cubiti. praeterijt crepidinis, id est, podij inferioris dimensiones, quod ex supradictis paterent, vt dixi: praetermissa igitur mensura gradum facit ad coronam, vel ad eius proiecturam tum crepidinis superioris, tum inferioris, illamque semicubito extitisse vltra perpendiculum crepidinis testatur. Vocatur autem corona גבול gebul, pro qua voce supra Vulgatus reddidit, *definitio*. Vocem hanc, quae terminum in vniuersum significat, diligenti obseruatione expendentes Interpretes notarunt, ea non solum limitem limiti contiguum significari; sed totum illud spatium alicui definitum, quo quaqua versus patet. At cum altioris crepidinis terminum, vel coronam definiat, quaenam ea sit, statuendum est inprimis. Et ego quidem Vulgatae interpretationem libenter amplector, & coronam crepidinis, siue coronicem his verbis indicari constituo. Nam praeterquam quod ipsa structurae ratio non permitteret simplices illas altaris crepidines, quinimmo neque ipsum altare huiusmodi ornamentis carere; eam tamen exigunt altaris mensurae, quas mox explicabo. Accedit ipsum גבול gebul, nomen, à quo putat Rabbi Dauid Salomonis caementarios Giblios dictos. dolantes lapides regula, & mensura: à גבול gebul, termino sic dictos, quòd terminum mensurae lapidibus ponant, vel quòd terminos lapidum, vel coronas prae alijs dolarent. Hispanice diceremus: que labrauan molduras. Scio ab alijs Giblios dici ex Phoeniciae ciuitate, quam Ghebal appellabant, quòd essent lapicidae: & altera alteri expositioni minime repugnat, vt vtraque ratione, eo nomine censeri facile potuerint. Sed ad institutum reuersi, crepidinis coronicem arbitramur dimidio cubito definiri, cui

CORONA, terminus, definitio, peribolus.

ALTARE, & crepidines coronis cingebatur.

3. Reg. 5. ℣. 18.

CAEMENTARIJ Salomonis quare Giblij dicantur.

R. Salomon.

cui sententiae subscribit Rabbi Salomon: Hoc est, inquit, regressus ipsius fundamenti. Ego vero egressum, retractionem, vel proiecturam interpretor: quae altitudini coronicis est aequalis, vt semper ab architectis obseruatum est. Et quod de altera crepidine dixit, idem ratio suadet de vtraque intelligendum esse. Verum neque ab ipsa Vulgata, aut ab alijs loci Interpretibus dissidet, vt coronam, terminum, vel definitionem ipsius altaris supremam intelligamus dimidio cubito definiri. cuius expositionis gratia, & quod ad altaris dignitatem, & pulchritudinem conducere videretur maxime, coronam inter cornua finximus, illarum similem, quibus gentes sua altaria coronabant: quarum non paucas Romae videre licuit, quippe cum antiquitatis monumenta libenter obseruauerimus. Neque minus apta videri debet coniectura ex vsu petita gentium, cum saepius ostenderimus, nefarios ritus ex veri cultus aliqua similitudine ad gentes fuisse translatos.

CORONA altaris inter cornua.

VNIVERSI altaris mensurae.

Ex dictis igitur iam licet vniuersi altaris mensuras colligere, cuius singulas partes mensus fuit Angelus. Ac primum quidem altitudinem licet colligere, in qua nulla subest ambigendi ratio:
2 infimae crepidini duos tribuit cubitos, secundae
4 quaternos, ipsi Arieli quaternos, qui omnes in
4 vnam summam collecti, sunt decem cubiti. Lon-
10 gitudinem vero sic colliges, ipsum Ariel longum est cubitos duodenos, crepido, quae illi substat, longa est cubitos quatuordecim: huic mensurae additur dimidius vtrinque cubitus, quo proijcitur corona, atque adeo à termino proiecturae vsque ad alterius proiecturae terminum, sunt cubiti quindecim. Iam vero ex huius crepidinis mensuris licet inferioris mensuras colligere, cuius altitudo dimensa est ab Angelo, & à Propheta relata: cubitus quoque vnus latitudinis, seu retractionis relatus est ab eisdem. Ego vero cubitum hunc vnum sic interpretor, vt quoniam vtriusque crepidinis est obseruare perpendiculum, siue malis quadratam aram appellare, & proiecturam coronae, à perpendiculo maioris ad minoris perpendiculum vtrinque proijciatur cubitus vnus, ita vt crepidinis minoris ara longa sit cubitos sexdecim, & à proiectura inferiori maioris crepidinis ad proiecturam minoris, cubitum etiam vnum vtrinque computes, & fiet omnis inferioris crepidinis longitudo cum proiecturis coronarum, cubitorum septendecim, quibus si addas singulos vtrinque cubitos, quos lata est fossa altaris, fient nouendecim, addito dimidio vtrinque cubito, quem initio definitioni, fossae, vel peribolo tribuit, fient omnes longitudinis altaris in vniuersum cubiti viginti: cumque altare quadratum sit, idem ipsum de latitudine intelligendum est. Ac ne leui quadam coniectura nos duci arbitretur quispiam, cum huiusmodi mensuras colligimus: aut de alio aliquo altari locutum fuisse Prophetam, ab eo, quod fecerat Salomon, legat is librum Paralipomenon: *Fecit quoque*, inquit de Salomone loquutus, *altare aeneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis*. Quo sane exemplo satis persuasum esse lectori crediderim, hoc vno Ezechielis mensuras ab historijs distare, quòd hae summatim, ille particulatim scribant: quòd ille plures partes metiatur templi, aut instrumentorum eius, quam quae ab his in vniuersum recensentur. quae aliquibus dubitandi causa fuit.

CVBITVS vnus retractionis in crepidinibus singulis.

2. Paralip. 4. ℣. 1.

ALTARE Salomonis huic aequale.

De altaris porro crepidinibus dubitet fortasse quispiam, arbitratus vniuersam altaris Salomonici celsitudinem ad perpendiculum erectam. At praeterquam quod vix posset opere compleri, vt altaris singula latera decem cubitos alta, ac septendecim minimum longa, vna funderentur laminae; venustati, ac pulchritudini altaris minus esset apta compositio. Quare satis superque videri debuisset, si ab vno Ezechiele referrentur crepidines, vt eae in antiquo altari factae fuisse crederentur. Sed ne tandem conquераris, nullam ab historicis crepidinum fieri mentionem, lege librum Esdrae: *Et surrexit Iosue*, inquit, *filius Iosedec, & fratres eius, & aedificauerunt altare Dei Israel, vt offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei*. Legis praescriptum & ad holocautomata referri debet, & ad altaris aedificationem: non enim minus haec quàm illa in lege statuta fuit, neque minus obseruanda fuerunt, vt Deo placere possent cum altari holocausta. *Collocauerunt autem*, inquit, *altare Dei super bases suas*. Ex quo mox liquet colligere non modo Salomonicum altare, quod viri illi sancti imitati conati fuissent, duplicem basim habuisse, sed & Mosaicum, quod fuit primum Salomonici exemplar. Non me latet, quòd in contrarium affirmare videtur Iosephus: Excipiebat enim, inquit, terra, quidquid ignitum superne decidebat, quod basis nulla subesset. Verum minime contrarius esse deprehendetur, si qua de causa bases neget, expendatur: non enim bases impedire poterant quo minus ignita è superiori craticula decidentia in terram caderent, quippe cum bases in medio essent in hunc vsum excauatae. quod & in Salomonis altari obseruatum fuisse ostendemus. Neque vero sine exemplo nos primo altari crepidines damus, cum Hebraeorum sententiam referat Lipomanus asserentium, ambitum habuisse altare sub altitudine, trium cubitorum, idque confirmant ex libro Exodi: Vnde colligitur, inquit, altare maiorem habuisse altitudinem, quàm trium cubitorum. Haec ille. Altitudinem porro altaris vniuersam nos infra subducemus. Sed & quis dubitet, altare illud vltimum ad instar prioris fuisse confectum, cum praeter sacrae Scripturae allatum testimonium, huius altaris dedicationi, & structurae affuerint sanctissimi viri, & legis obseruantissimi Iesus Sacerdos, Zorobabel dux Iuda, Aggaeus, & Zacharias, Prophetae. Hoc igitur altare duplicem habet basim substratam: & neges has esse duas crepidines Ezechielis? non tam parui stat insanire, vt gratis desipiat quis. Quod ergo in quaestionem vertitur, an Salomonicum altare describatur ab Ezechiele, an vero mysticum, nescio quod sine exemplari: scio altare sacratius Ecclesiae Christi repraesentari hoc vaticinio, sed per Salomonicum, quod iam destructum à Chaldaeis Deus Vati proposuit, instaurandum ex parte quidem, & quodammodo tempore Zorobabelis, omnino autem, atque perfectissime in Ecclesia à Iesu Christo Deo, Domino, ac seruatore nostro. Ezechiel vero sua hac descriptione Israeliticum quidem leuauit moerorem, Ecclesiae vero spem confirmauit, futurae instaurationis, & renouationis peragendae per Christi sanguinem. de qua re suo loco agendum.

CREPIDINES altaris Salomonici.

Esdrae 1. cap. 3. ℣. 2. & 3.

ALTARIS Mosaici crepidines

Ioseph. 3. anti. 7.

Lipo. in catena. Exod. 27.

ALTARE Salomonis describit Ezechiel, hoc est, eius simile.

Et sinus eius vnius cubiti per circuitum. Repetit mensuram caueae, quam initio executus fuerat, ipsius latitudinem finiens cubito vno. id fere in-

VEL FOSSA, vel retractio hoc iterum recensetur.

re in-

re indicans, quod paulo ante subduximus: vix enim, ac ne vix quidem vniuersi altaris latitudo, aut longitudo colligi posset, nisi foueae latitudo comprehenderetur. Quamuis nec minus necessaria sit ad praedictam mensuram retractio illa crepidinum, quam supra retulerat Propheta: quae quidem expositio neque à voce חיק hek, quae habetur in Hebraeo, aliena est, aut à κύκλωμα, quae habetur in Graeco, quam, circuitus, eius vertunt Latini interpretes.

DE GRADIBVS
ALTARIS AD ORIENTEM *conuersis*.
Cap. LXXVIII.

GRADVS *autem eius versi ad Orientem*. Negotium facessit haec graduum commemoratio, cautum enim erat legis prae-C scripto in Exodo: *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua*. Ab hoc negotio facile se expediri putant illi, qui omnia, quae ab Ezechiele proponuntur, ita ad mysticos sensus reuocant, vt nihil habeant vel cum Salomonicis, vel cum alijs veris fabricis commune. Quibus tria sese nobis offerunt proponenda, eosdem precaturi, vt ea prius expendant, quàm in ea persistant sententia, quae & veritati est, & communi Doctorum sententiae contraria.

ALTARE Salomonicum respexit his mensuris Ezechiel.

Primum, quòd eodem cubitorum numero huius mystici altaris longitudo, latitudo, & altitudo definitur, quo in Paralipomenis D illud à Salomone constructum, vt paulo superius ostensum est. ex quo fit, vt non minus hoc, quàm illud scalis indiguerit, quo possent Sacerdotes & ligna componere, & munera Deo super altari offerre. Secundum, quòd non solum de altari à Salomone constructo decem cubitos alto non dubitauerunt Scriptores esse necessario scalis ascendendum, aut gradibus; verum etiam de Mosaico, quod tres tantum cubitos erat altum, vt mox ostendam. Tertio denique audiendus est Beatus Hieronymus, qui de hoc altari disputaturus, primum indicat difficultatem: Scriptum est, inquit, Abyssum, & sapientiam quis inuestigabit? & ò profundum sapientiae, & scientiae Dei. cuius alta, profunditas, & quis inueniet eam? Multum E est si voluerimus templum Salomonis cum hoc templo, & omnes partes eius, & tabernaculi conferre. Quod quia difficillimum est, interim in praesentiarum, altare quod Ezechieli ostensum est, cum altari, quod in Exodo legimus, ex parte modica conferamus. Haec Sanctus Doctor.

S. Hierony.
Ecclesiastici 1. ℣. 3.
Roman 11. ℣. 33.
Eccles. 7. ℣. 25.
Exod. 38.

VNIVERSUM templum Ezechielis cum Salomonico potest conferri.

Qui vniuersum hoc templum cum Salomonico conferre non impossibile dixit, vt isti arbitrantur, sed factu difficile, quod & nos fatemur, & plures prae illis difficultatis testes afferimus; quippe qui plures annos (hic est enim tertius & vigesimus) huic conferendo templo insudamus.

A At altare arbitratus est cum Mosaico facile posse conferri, quod & nos aliqua etiam ex parte praestare conabimur. Sed quod ad gradus spectat altaris, glossa ex Beda super illud Exodi: *Et tres cubitos altitudinis*. Tanta fere est, inquit, statura hominis, quomodo ergo ministrabatur altari, quod alibi gradus habere prohibetur ne pudenda reuelentur? Sed illud dictum est de altari, quod ex terra, vel ex lapidibus construitur, vbi gradus ipsi coaedificati ad gradus altaris pertinerent. Nunc vero de tabulis fieri praecipitur. Quod si apponatur aliquid ad horam ministrationis, in quo stet minister, ad altare non pertinet. Haec eadem totidem fere verbis retulit Augu-B stinus, quae confirmat Comestor. *Altitudine trium* cui, inquit, tamquam nimis alto ad horam ministrationis aliquid apponebatur, in quo staret minister, quod impleta ministratione tollebatur. Et illud iterum exponens, *Ne reueletur turpitudo tua*. Forte, inquit, nondum antiqui vtebantur foeminalibus. Sed & Vgo super illud: *Non ascendes per gradus*: Contra, inquit, infra legitur, quòd Sacerdos quando immolabat, ascendebat per gradus propter altaris altitudinem. Solutio. Hic prohibet Dominus fieri gradus perpetuos, & altari immobiliter adhaerentes, sed non prohibet scabellum supponi pedibus Sacerdotis volentis immolare, cum non posset aliter propter altaris altitudinem: & de illo scabello intelligitur, de quo dicitur infra. vel forte tantum spiritualiter intelligitur haec prohibitio graduum altaris. Et super illa eadem verba Exodi: *Trium cubitorum altitudinis*. Glossa inquit: Quomodo ergo ministrabatur altari, cum alibi supra gradus habere prohibeatur, ne pudenda reuelentur? Sed illud dictum est de altari, quod ex terra, vel lapidibus construitur, vti gradus ipsi coaedificati ad corpus altaris pertineant. Haec est Glossa. Sed haec solutio videtur nulla: quia si haec fuit causa prohibitionis graduum, ne scilicet turpitudo reuelaretur, eodem modo per lignum suppositum ad horam posset turpitudo reuelari. Ideo posset dici quòd Dominus supra loquutus de altari, in quo sacrificabatur, antequam esset foeminalium vsus. In hoc autem altari sacrificabatur, quando iam erat vsus foeminalium. Eandem fere rationem assignat Dionysius Carthusianus. Qui omnes Scriptores aliquid de cubiti magnitudine significare voluisse videntur, cum si de cubitis communibus, quos vocant, loquerentur, minime oportuisset in tantas se conijcere angustias. Nam, vt aliàs ostendi, statura humana quatuor cubitis constat sui brachij, atque adeo facile possent Sacerdotes in altari ministrare, quod quarta suae staturae parte erat inferius. At cum cubitus multo maior fuisse credatur cubito etiam staturae illorum Sacerdotum, merito quaestionem hanc controuerterunt. Verum si de altari tres cubitos alto tanta est difficultas, quid, quaeso, erit de altari, cuius altitudo decem cubitorum est? Atque vtinam vt à multis perspecta est difficultas haec, ita fuisset soluta, in qua nobis nihil esset praeterea laborandum, quamuis neque speremus, vt etiamsi in hac re nostra desudarit industria, non adhuc posteritati reliquum sit futurum, in quo & ipsa laboret.

Exod. 27. ℣. 1.

NON ascendere per gradus quomodo intelligendum.

S. August. q. 173 super Exodum.
Comestor cap. 59. Histor. Eccles. in Exod & cap. 41. eiusdem
Vgo Card. Exod 20. cap. 27.
Exod. 27. ℣. 1.
Dionysius Carthus.

CVBITVM magnum supponere videntur Scriptores.

Rabbi Dauid inprimis: *Gradus eius versi ad Orientem*. Id est, inquit, gradus per quos ascendebatur ad altare, versi erant ad latus Orientale. Obijcies, nonne scriptum est, *Non ascendes per gradus*

R. Dauid.

gradus ad altare meum? Respondetur fieri posse, hos gradus factos fuisse ad similitudinem pontis. Aut certe responderi potest, quòd per illos ascendebatur extra atrium. Ionathas autem putat, quòd per illos ascendebatur ad atrium ipsum: nam ipse exponit, Et gradus, quibus ascendebatur ad illud, versi erant ad Orientem. Haec ille. Sed de hac secunda expositione nihil occurrit praeterea dicendum, quàm quòd indigna sit, vt aduersus eam quidquam dicatur. nam praeterquam quòd à contextu est valde remota, quid commemoret, quaeso, Orientales gradus atrij, eorum oblitus, qui numero, positu, magnitudine pares ab Aquilone ascendebantur, & ab Austro?

AD ORIENtem quomodo respicerant gradus.

Priorem sententiam confirmare videtur Salomon: *Gradus autem eius versi ad Orientem*: Id est, inquit, pons, per quem ascendebatur, erat in Austro, vt ascendens verteret se ad Orientem. Omnes enim versiones erant ad latus dextrum: quomodo autem ponitur pons in Austro, ascendens per eum, & vertens se ad dexteram partem, vertit se ad Orientem. Sed certe Rabbinus hic, dum nostri Prophetae verba cum quodam Iosephi testimonio vellet componere, & ab illis discessit, & huic minime satisfecit. Quid enim per Meridianum scandens pontem vertet se ad Orientem? terga igitur vertet ad domum Dei: quod quàm est à vero Dei cultu alienum, tam est veritati contrarium. Sed ipsum praestat audire Iosephum: Ara vero pro templo quindecim cubitis alta, lata vero & longa cubitis quadragenis, quadrataque stans veluti cornutis angulis eminebat, & a Meridie ascensus in eam clementer arduus resupinabatur. Sine ferro autem constructa erat, nec vnquam eam ferrum tetigerat. Haec ille. Qui multa quidem perstringit, per partes examinanda.

R. Salomon.

GRADVS ad Meridiem an fuerint aliquando.

Iosephus 6. belli cap. 6.

Primum de mensuris altaris: circa quas si latitudinem simul cum longitudine componat, vno tantum errore notabitur codex, ex quo allata verba desumpsi, quippe qui altitudini Salomonici altaris quinque cubitos addiderit, quos minime fit verisimile a sanctissimis viris Iesu, Zorobabele, Aggaeo, & Zacharia fuisse permissos. Neque nouum est codici erroris notari, qui mendis scatet: sed iustior sane multo est codice Graeco, quem licuit videre. duplici enim hac in parte mendo foedatur. Eodem nimirum, quo Latinus ille, atque alio turpiori, quippe qui quinquagenos cubitos tribuit longitudini, ac totidem latitudini. Altare porro Salomonicum eisdem mensuris definitur à Iosepho, quibus à sacro Historico. Fabricauit etiam, inquit, altare aereum viginti cubitorum longitudine, totidem latitudine, altitudine decem, in quo holocautomata incenderentur. Haec Iosephus. Sed Aristaeas apud eundem, easdem retulit mensuras: In quo, nimirum Salomonis templo, altare est, inquit, quadrangulum, nec sectis, sed crudis lapidibus confectum: latera sunt vicenum cubitorum, altitudo decem. Iosephus deinde cum allato Rabbino concordat, gradum, vel ascensum clementer arduum à Meridie constituens, cum contra constitutos fuisse testetur Propheta noster. Cui adstipulatur ratio, si quisquam adhuc superbe negaret ad Salomonicum altare respexisse Prophetam.

MENDI arguntur Iosephi codex vterque.

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

Ratio autem vel ex eo firma petenda videtur, quod quem ritum impij idololatrae antiquum seruarunt adorandi Solem orientem, vel ad orientem solem vanissima simulacra, Deus Optimus abolere conatus, Hebraico populo in idololatriam propenso praecepit, vt Orienti ter-

RATIO propter quam ad Orientem, non ad Meridiem constituendi essent gradus.

A ga darent, verum Deum ad Occidentem adoraturi. Ab hoc Domini praecepto longe recesserunt seniores illi, quorum impietatem longiore gradatione facta exaggerat Deus, illam reliquis multo maiorem fuisse denuntians, cuius testem, ac veluti iudicem vocauerat Ezechielem: *Et ecce viri*, inquit, *dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis*. Quem locum, quippe à Patre Prado illustratum, & denique vniuersum hoc argumentum mira eruditione ditatum à collega nostro, & familiaritate coniunctissimo Patre Ioanne de Pineda, non est quod pluribus prosequar. Hoc tamen vnum ex eo colligam, oportuisse quidem

AD OCCIdentem adorabant Hebraei, ne cum gentium ritibus pollnerentur.

Ezech. 8. ℣. 16.

P. Pradus ibid.

P. Pineda cap. 31. ℣. 26

B adorantes, & Sacerdotes potissimum ad altare sacrificantes ad Occidentem prospexisse, atque adeo ascensus, vel scalas rectà ab Oriente in Occidentem fuisse extensas: quod noster Propheta testatur, gradus altaris affirmans, ab altari ad Orientem conuersos fuisse. Quod vero de Meridiano ascensu tradit Iosephus, nullam videre potui rationem, propter quam ab antiqua consuetudine potuerint deflecti, nisi forte quadam ducti religionis specie, postliminio reuersi Israelitae, altaris scalas ab Oriente ad Meridiem deflexerunt, ne cogerentur ab altari descendentes, templo terga vertere. ad quam obseruationem duci potuerunt Domini praecepto huiusmodi: *Et cum*

FORTE specie religionis ducti, gradus altaris deflexerunt.

C *intrabit populus terrae in conspectu Domini in solemnitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portae Meridianae porro qui ingreditur per viam portae Meridianae, egrediatur per viam portae Aquilonaris: non reuertetur per viam portae, per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur*. Quod sane praeceptum datum fuisse videtur tum, ne finita oratione, quae in medio atrio Orientali fiebat coram Domino, conuerteretur adorans contra templum ad eandem portam reuersurus. Cuius rei argumentum desumi potest ex eo, quod in solemnitatibus hoc maxime obseruandum erat, cum Orientalis atrij interioris porta

Ezech. 46. ℣. 9.

D aperta erat, per quam domus Dei videri poterat ex atrio exteriori, quae porta aliàs semper claudebatur. Verum cum non aliunde, quàm ex Orientali latere altaris posset offerens simul templum prospicere, atque altare, quod maxime videbatur necessarium, adhuc immutanda minime videretur scalae dispositio. Accedit quod eodem loco Prophetae, quo populo rudi, & ignaro exterior ille cultus praecipitur, atque inhibetur ne per eandem portam egrediatur, quam ingressus est, principi iniungitur vt per eandem egrediatur. *Cumque ingressus est*, hoc est, ingressurus est *Princeps per viam vestibuli portae ingrediatur, & per eandem viam exeat*. Ex quo facile licet con-

MINIME decuit gradus altaris ad Orientem conuerti.

Ibid. ℣. 8.

E ijcere id multo potiori iure Sacerdotibus in altari ministraturis licuisse, quod Principi licebat: nam à Sacerdotibus sanctitas, sapientia, Diuini cultus obseruantia, atque religio maior exigebatur, quàm à saeculari Principe, cui maximi priuilegij loco dabatur vt vsque ad limen, vel postem interius adoraturus ingrederetur, vlterius progredi omnino prohibebatur: cuius quidem contemptae legis seuerissimas poenas luit Ozias. Sed quidquid sit de coniecturis, illud certe obseruandum est, quod omnis aenei altaris forma, dispositio, & vsus à Domino fuerit praescriptus cum templo: templi enim exemplar, ac leges datae fuerunt Dauidi à Domino, à quo acceptas

2. Paral. 26. ℣. 16. & 19.

DIVINAS leges nulla ratione licuit immutare.

ceptas sedulo compleuit Salomon, quas nulla ratione, aut causa licuit deinceps immutare.

NEFARIVM

QVODDAM IDOLOLATRIAE *genus prohibet Dominus, dum gradus altaris videtur inhibere.*

Cap. LXXIX.

AD gradus iterum venire compellimur, atque sedulo examinare, cur a Deo fieri prohiberentur. Putant cum Iosepho Rabbini, gradus hos antiquae legis praecepto non fuisse contrarios, quod non in gradus diuersarum altitudinum fuissent diuisi, sed perpetua accliuitate pares, quo facile se ab hac difficultate expediunt. Verum expendere oportet vocem, qua à Propheta nostro gradus altaris commemorantur, & eam, qua olim in Exodo Sacerdotes per gradus ascendere prohibebantur, vbique enim eadem vox legitur: in Exodo: *Non ascendes* במעלת bemaghaloth, in ascensionibus, habent Hebraea. Septuaginta: in gradibus. Chaldaeus cum Vulgata: *per gradus ad altare meum*. Apud Ezechielem ומעלתהו vmaghalothehu, & gradus eius: *Gradus autem eius versi ad Orientem*. Hebraice ne vlla superesse posset de graduum multitudine dubitatio: פנות penoth, legitur in numero multitudinis, hoc est, prospicientes, conuersi ad Orientem. quae occasio fuisse videtur errandi Chaldaeo, qui: Et à loco, inquit, per quem ascendebant ad illud, respiciebant ad Orientem. Quasi vero ascendentes per scalas has ad Orientem prospicerent, quod veritati contrarium est, vt ostendi. Sed ad vocem reuersi, ea semper ascensum significat, vsurpaturque non raro in singulari numero pro accliui aliquo loco, sursum ascendente. Sic & Iosue: *Persecutus est eos*, Gabaonitas, inquam, *per viam ascensus Beth horon*. Atque iterum de linea, vel termino Meridiano Tribus Beniamin: *Et pertransit*, inquit, *vsque ad tumulos, qui sunt è regione ascensus Adommim* qua quidem ratione, & voce censeri facile posset ascensus ille à Iosepho descriptus, vel à Rabbinis. At cum in numero multitudinis vsurpatur vox, significat gradus, qui numerari possunt, vt numerari sunt saepe à Propheta nostro in portis. Et certe si vna graduum ratio Sacerdotum honestati fuisset condecens, ea profecto ipsis Sacerdotibus, & toti populo fuisset maxime conueniens, vt propterea ponendi minime fuissent gradus in portis Israelitici atrij. Sed certe satius esse existimaui cum

Exod. 20. ℣. 26.

PLVRES AN fuerint gradus, an vnus accliuus ascensus.

Iosue 10. ℣. 10.

Ibid. cap. 18. ℣. 18.

A vno Hieronymo sentire, quàm confusam Rabbinorum turbam sequi: ille enim aperte testatur gradus hos plures fuisse: qui cum eorum numerum ad aliquod mysterium significandum conatus fuisset referre, haec verba subiungit: Et vt dicamus apertius, propterea graduum numerus incertus relinquitur: vt quantocumque studio ascendere ad altiora potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos & cogitemus illud Psalmistae: *Ibunt de virtute in virtutem*. Quapropter aliter locum hunc exponere conatus est Abulensis Episcopus: qui ligneas scalas prohiberi potissimum putat, è transuersis baculis factas, quas vix fieri posset vt honeste ascenderent B Sacerdotes, compluribus alijs ministris sub scalis manentibus.

Psal. 83. ℣. 8.

Abulensis quaest. 47. in Exod. cap. 20.

Et de causa, propter quam gradus prohibentur, cum expressa in textu videatur esse, apud omnes constat: *Ne reueletur turpitudo tua*. Adde ex Hebraeo, inquit Caietanus, super eo, scilicet altari. Sic enim habet & Chaldaica, vel in eo, vt habent Septuaginta, aut iuxta illud, vt alij vertunt. Hos omnes sensus admittit vox, ex superiori radice deducta, possetque etiam verti, in ascensu eius, vel cum ascenderis ascensum eius. Sed quamuis de causa praecepti constet, non tamen satis constat quaenam eius fuerit occasio, an casui prouisum sit, an vero crimini, & C voluntariae inhonestati. Hac enim re perspecta, cognitu facile esse arbitrarer, & quid hoc praecepto caueatur, & quomodo illi non aduersentur Salomonici, siue etiam Mosaici altaris gradus. Et communis fere Interpretum sensus priorem, quam dixi, partem sequi videtur. Ideoque dubitant, siue etiam affirmant foeminalium vsum nondum fuisse in mores inductum. At contra Sanctus Hieronymus, & foeminalium vsum, & graduum ascensum ob eandem plane causam putat à Legislatore commemorari. Lineis foeminalibus, inquit, quae vsque ad genua, & poplites veniunt, verenda celantur: & superior pars sub vmbilico vehementer adstringitur: vt si quando D expediti mactant victimas, tauros, & arietes trahunt, portantque onera, & in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint, & foemora reuelauerint, non pateat, quod opertum est. Inde & gradus altaris prohibentur fieri, ne inferior populus ascendentium verenda conspiciat. Haec Sanctus Doctot. Alij vero Sacerdotum honestati cautum fuisse putarunt, dum scalae prohibentur, ne casu aliquo ascendens, vel descendens gradus, Sacerdos prolaberetur, & diuaricatis cruribus partem aliquam corporis detegeret, spectante populo. Nam tametsi foeminalia gestabant linea, turpe videbatur, atque indecorum, quae ignobilia sunt, in homine facto propalari: nam E honestatem, ac pudicitiam antiquis antiquam fuisse, illustrium virorum exemplis comprobatur. De Iulio namque Caesare, coniuratorum multitudine oppresso, sic scribit Suetonius: Vtque animaduertit vndique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte celata. Sed & Valerius: Caesar, inquit, ne tribus quidem & viginti vulneribus, quin verecundiae obsequeretur, absterreri potuit. siquidem vtraque togam manu demisit, vt inferior pars corporis tecta collaberetur. Neque absimile quid huius aemulo Pompeio morienti adscribit Lucanus:

QVAE CAVSA prohibendorum graduum fuerit.

Exod. 20. ℣. vltimo.

AN CASVI prouideatur, an crimini.

S. Hieron. ad Fabiolam.

ANTIQVIS antiqua honestas fuit, & pudicitia.

Suetonius Iul. cap. 82.

Valerius cap. de Verecundia.

— *Intol-*

— *Inuoluit vultum, indignatus apertum*
Fortunae praestare caput —

S. Thom. 1.2. q.102. art. 4. ad 6.

Sed aliam plane viam ingressus est Sanctus Thomas, quae vna posset ab his omnibus nos expedire difficultatibus: quam tamen persequi necessarium est. Cum enim Exodi praeceptum retulisset de altari per gradus non ascendendo, eiusque causam reddi existimaret, sequentibus verbis: *Ne reueletur turpitudo tua*: Considerandum est, inquit, quod hoc etiam fuit institutum ad excludendam idololatriam: nam in sacris Priapi sua pudenda Gentiles populo denudabant. Haec eadem pluribus verbis à Lyrano relata sunt, atque ab alijs.

IDOLOLATRIAE impudicitia: Nicol. de Lyra in Exod. 20.

B Et certe maxima cura conatus fuisse videtur Deus Optimus, vt populum suum ab idololatriae scelere, in quam propendere videbatur, auerteret, sed ab illa quàm maxime, quae quòd esset cum libidine coniuncta, ad alliciendos humanos animos magis videbatur efficax, atque potentior. Quadam enim quasi naturali propensione fertur prae ceteris animantibus in libidinem homo. Illa enim vel consortis praesentia tantum, vel interna humoris impuri titillatione mouentur, homo vero iisdem mouetur impulsus, ac praeterea affectionibus, cogitationibus, atque huiusmodi animi motibus. Adhuc tamen plerumque accidit, vt satietatem generet libido, plerumque fastidium, haud secus quàm cibi, aut vina, quamuis suauissima, & aliàs saepe gratissima. Cuius rei ad demonstrandum exemplum sufficiens esse poterit vel vnus Dauidis filius, qui oppressam sororem Thamar. *Exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita vt maius esset odium, quo oderat eam, amore quo ante dilexerat.* Nec mirum cum in haec omnia corporea feratur animus, quasi quadam tractus corporis societate, & vi impulsus corporearum affectionum. At contra humanus animus cum in singulis hominibus singulas propensiones habere videatur, in multis plane diuersas, in plurimis quandoque contrarias: hanc vnam quasi naturae propriam in omnibus hominibus habere deprehenditur, vt Deum colat, veneretur, adoret, ad cuius nutum omnia sua studia componat, illi obtemperet, & obsequatur. A cuius certe participatione desiderij, minime alieni censeri debent homines illi peruersissimi, ac sceleratissimi, qui Deum negant qui quamuis à naturae humanae ratiocinatione degenerasse videantur, tamen in hoc etiam homines non desinunt esse, quòd quam sibi proponunt propriam voluntatem, atque iudicium quasi diuinitatis normam, maxime obseruant, illique ad nutum obediunt. Errant certe hi, vt ceterae gentes, idolorum cultores, Deos suos ad nutum fingentes: in eo tamen foedius, ac turpius quod proprium nutum, & voluntatem ipsis lapidibus, & lignis inanem ac fluxam magis, factis, sin minus dictis, quasi Deum honorant. Humanus certe hostis, callidissimus omnium bonorum praedo, modum excogitauit, atque adinuenit, quo & in libidinem magis inflammaret, quàm pro humanis viribus, specie religionis delusos, & quo à Deo maxime auerteret, quasi Deum colentes iis ipsis rebus, quae Deo infensissimae sunt. Idolum finxit ipse, turpitudinis instrumenta, eiusque cultum indixit libidinem, licentiam, turpitudinem, vt veluti duplici propensione corporis, atque animi in vnam rem incumberent infelicissimi, vt honestati, verecundiae, pudicitiae bellum indicerent, & fere ab hominum consortio deturbarent. Huic idolo nomina à gentibus data quamplurima. Suidas Priapum dici putat Italorum lingua. Phurnutus bonum daemonem, vel Genium vocauit. Lucianus, Phalum, vnde περιφαλλία periphalia dicebatur Dionysij pompa Hesichio: φαλλαγωγία phallagogia, Theodoreto: item ityphallum dixere quamplurimi, atque Dionysium. Necnon Fascinum ab Horatio, quòd simulachri turpitudo fascinum auerteret, quo eodem nomine & a Beato Augustino censetur. Quae omnia propterea notanda fuere, quòd aliter scriptorum testimonia afferenda vix, ac ne vix quidem percipi potuissent.

IDOLOLATRIA libidini permixta ad alliciendum efficax.

2. Reg. 13. ℣. 15.

SATIETATEM generant corporea oblectamenta

3. Reg. 13. ℣. 15.

ANIMVS in Dei cultum quasi impellente natura propendet.

NEFANDUM idololatriae genus

A

IDOLI huius varia nomina. Suidas. Phurnutus. Lucianus. Hesichius. Theodoret. Horatius. S. August.

His igitur constitutis, parcant piae aures, si humanae dementiae testes primum afferam eosdem, qui cum reliquis voluerunt insanire. Athenaeus: Magno, inquit, in honore habetur Priapus in Lampsaco, qui ex epitheto idem est & Dionysius, sic dictus vt triumphus, & dithyrambus. Haec ille. Huiusmodi vero nefarium scelus quasi quadam naturae obseruatione cohonestare conati sunt, vt illius participatione foedarent impiissimi ritus Sacerdotes, atque omnium deinde gentium mores prauo exemplo corrumperent. Quae omnia à Diodoro simul relata sunt. Graeci, inquit, Priapum deificarunt, propter eam corporis partem, à qua fit omnium ortus. C Pudendis non solum Aegyptij, sed alij plures sacra faciunt, tamquam causae animantium creationis. Sacerdotes quoque, cùm in Aegypto sacra patria suscipiunt, primum huic Deo initiantur. Iterum vero Hunc Deum, inquit, quidam Phallum, alij Typhonem nominant, non solum autem in vrbium templis, sed in agrestibus quoque locis tamquam vinearum, atque hortorum custos colitur, fructuum fures castigans. Non solum autem in caeremonijs, quae Dionysio impenduntur, sed in reliquis ferme alijs huic Deo sacra cum risu & ludo fiunt. Turpissimos huius cultus ritus percensent cum Herodoto non pauci, à D quibus supersedendum duxi. Sed quid, quaeso, apud extraneos quaeramus ea, quorum vberiora, atque certiora exempla suppetunt in sacris Literis? Aliqua huius sceleris labe commaculatum fuisse in Aegypto Israeliticum populum, facile conijcere licet ex eo, quòd oblata quadam fortasse leui occasione Moabitarum, *initiati sunt Beelphegor*. Idolum hoc à nudità re dictum, à radice פער phaghar, quae aperire significat quod opertum est, vel clausum, vnde idolum putant ab apertione, & nuditate dictum, quòd esset turpitudinis monstrum, & libidinis. Haec enim nuditas dicitur honeste in lingua sancta. Ex qua voce nonnihil detorta arbitrati sunt quidam E Priapum dici. totus vero eius cultus in comessationibus, lasciuijs, & effraenata libidine versabatur: & vacatione, & libertate ab omni disciplina, honestate, & pudicitia. Alij vero varijs nominibus, alijs à gentibus coli arbitrabantur, deum hortorum, Alcinoum, Ianum, Priapum. Et quidem asperitatem Hebraicae linguae à sono literarum auferentes, hoc idolum vocant, Peor, quae vox Hispanis id fere sonat, quo dignum est malum, quasi pessimo peius. Huius porro idoli impiissimum cultum persequitur haud obscure Numerorum historia *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Ac ne quisquam putet ipsam idola-

Athenaeus lib. 1. cap 27.

SCELVS naturae operculis cohonestare conantur.

Diod. lib. 2.

Idem lib. 5. cap. 1.

Herodotus in Euterpe.

Psal. 105. ℣. 28.

BEEL PHEGOR idolum turpitudinis.

PEOR Idolum.

Num. 25. ℣. 1.

lolatriam fornicationem hic dici, sicut aliàs saepe solet in sacris Literis: & non potius ipsam idololatriam fuisse cum libidine coniunctam: audiendus est Beatus Paulus, horum verborum sapientissimus interpres: *Neque idololatrae efficiamini sicut quidam ex ipsis quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam illorum fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.* Sed & ipsa libri Numerorum historia singula persequitur huius idololatriae capita, subdens: *Quae vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt*, ecce primum, & *adorauerunt deos earum*, ecce secundum. tertium vero, quod ad turpitudinem spectat, vno verbo summatim exposuit: *Initiatusque est*, inquiens, *Israel Beelphegor*. Huius autem initiationis partem quandam significare videtur, dum dicit: *Et ecce vnus de filijs Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.* Et quamuis ipsa vel vna fornicatio mereretur Dei iustissimi vindicis indignationem, & iram vna cum vindicta de principibus, atque omni populo sumpta, tamen eius malitiam infinitis propemodum partibus auget, quod in cultum idoli fornicatio fieret: ex quo factum est, vt maiorem cultum suaserit daemon idolo exhibendum, quo magis libidini operam darent. quapropter nobilissimae quoque foeminae, videntibus, & forte hortantibus parentibus proprijs, viris, ac filijs scorta fiebant. Id quod vel ex ipsius contextus historia perspicuum est: *Porro mulier*, inquit, *Madianitis*, eam scortum paulo ante vocauerat, *quae pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum*. Atque hoc idem scelus Reges quoque, atque Reginas Israelis foedissime conspurcasse perspectum esse poterit in historia Regum: quae cum alijs eiusdem generis abominationibus percenset has etiam, dum Regis Asa pietatem coartat: *Et fecit Asa*, inquit, *rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius. & abstulit effoeminatos*. הקדשים hakedesim: scorta bene vertit Chaldaeus, si genus indicasset masculinum, quo proferuntur in Hebraeo, *de terra, purgauitque vniuersas sordes idolorum*. Non sunt enim his aliae vel putidae, vel foetentes magis. *Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris*. מפלצת mipeletseth: vox est à radice פלץ palats, deducta, quae significat terreri, formidare, tremere: vnde quidam terriculamentum conuertunt. Idola sic dici putant Hebraei, quòd suis cultoribus terrori sint vel per modum subsannationis at seorsum vnus intellexit Vulgatae interpres, *Priapi* conuertens qui eo nomine censebatur agentibus: cuius rei causam indicauit Horatius, ipsos irridens cultores:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, scamnum faceretne, Priapum
Maluit esse Deum. Deus inde ego furum, auiumque
Maxima formido ——

Et Ouidius.

Terreat vt saeua falce Priapus aues.

Et in luco eius, quem consecrauerat: subuertitque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. Erat enim omnis haec idololatriae superstitio ad id potissimum instituta, vt in libidinem inflammaret: quapropter eius aras in lucis, amoenisque locis erigebant, iuxta specus, & antra, quae vel in ipsa meridie latebras praepararent, ac tenebras libidini carissimas. Erat item huiusmodi libido in daemonum cultum instituta. Quae causa fuit vt iratus Dominus cunctos principes populi praeciperet in patibulis suspendi, & Dei seruus Moyses à proximis suis iuberet occidi eos omnes, qui initiati fuerant Beelphegor. Et cum effuso vigintiquatuor hominum millium sanguine minime quiesceret, verum fere efferuesceret ira Dei, vnus Phinees impijssimos occidens ambos vno ictu fornicarios, ac si vnus ipse tot malorum radicem fornicationem abstulisset, iram Dei auertit. *Et stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio*, inquit Psaltes. Atque ò vtinam nouum quendam eius zeli virum mitteret nunc de caelis Deus, qui zelo Dei zelaret contra eos, qui impurissimas meretriculas in populo Christiano imitantur, quae ab inferis reuocarunt saltationes quasdam illis antiquis simillimas: sed ad incitandam libidinem, multo quàm illae salaciores atque procliuiores, quas suis veluti coloribus depinxit è nostris nunc Roa. O si audirent principes populi Christiani, quod olim dixit Dominus Moysi: *Hostes vos sentiant Madianitae, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidijs.* quippe qui ad epulas, delicias, atque libidinem videbantur inuitare, inuitabant autem ad idololatriam: *per Idolum Phogor & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam*. Haec enim omnia idololatriae sunt semina, & quae à vero Dei cultu, ac religione maxime auertunt. quaeque in animis hominum semel insita quàm difficillime auelluntur, quippe quae flammis, ferroque indigeant, lenioribus medicamentis minime curentur. Cuius rei efficax argumentum potest desumi ex eo, quod populo illi ex Aegypto recens educto accidit, dum Moyses illi legem à Domino in monte exquireret: Moyse enim moram faciente, adorauit vitulum, à quo scelere facile recessisset, nisi admixta libidine pariter fuisset infectus. Omnibus, credo, in promptu est historia facti. Hoc autem scelus modeste insinuauit historicus: cum enim oblata vitulo holocausta retulisset, & hostias pacificas: *Sedit*, inquit, *populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Et dum Moyses respondit ad Iosue: *Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros.* Philo vero Hebraeus haec eadem alijs verbis retulit, & id quod coniecturis in sacta historia conquirimus, disertis verbis testatum reliquit: Vbi vero, inquit, castra ingressus vidit repente mutatos ritus, & figmenta recepta pro veritate, non omnes tamen infectos eius mali contagione, sed superesse quosdam sanos, quibus talia displiceant, volens discernere incorruptos ab insanabilibus, & videre num qui reuertantur ad poenitentiam, per praeconem populum monuit edicto, cuius indicio tum pios, tum impios manifeste cognosceret. Verba edicti fuerunt haec: *Si quis est Domini, veniat ad me*: breuia sane, sed magnam vim continentia: perinde ac si diceret: Si quis nihil manu factum, nihil creatum habet pro Deo, sed vnum rerum Dominum, ad me veniat. Itaque alij, qui Aegyptiacum typhum praetulerant, edictum

contem-

Marginalia (left): 1. Corin. 10. ℣. 7. & 8. — Exod. 32. ℣. 6. — Numeror. 25. ℣. 2. & 3. — TRIA huius idololatriae capita. — Ibid. ℣. 6. — INITIARI Beelphegor quid significet. — 1. Cor. 10. ℣. 7. & 8. — Exod 32. ℣. 6. — Ibid. ℣. 15. — Numer. 25. ℣. 15. — PRINCIPES foeminae ac Reginae propter idolorum cultum scorta fiebant. — 3. Reg. 15. ℣. 11. 12. & 13. — SORDES quare dicantur idola. — Horat. ser. de Priap. — TVRPISSIMUM simulachrum terriculamentum dicebatur. — Ouid. in Fast.

Marginalia (right): QVARE vnus Phinees iram Dei auerterit. — Psal. 105. ℣. 30. — Martinus de Roa singular. lib. 3. cap. 16. — Numer. 25. ℣. 17. & 18. — INSIDIATUR fidei Christianae publica libido. — MORBVS insanabilis vocatur publica libido. — Exod. 32. ℣. 6. — Ibid. ℣. 18. — Philo lib. 3. de vita Moysis. — INSANABILES qui.

contempserunt. Haec ille. quibus insanabile A malum vocat nefarium turpissimi Aegyptiaci typhonis cultum, quem consequitur diuini cultus, ac vocis contemptus. Ex dictis certe perspicua fit historiae Regum sententia, alioqui obscura, & difficilis valde: *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas.* Hae quidem sunt eaedem cum ijs, quarum paulo ante meminimus, saltem genere ac moribus. *Idumaeas, & Sidonias, & Hetthaeas: de gentibus, super quibus dixit Dominus filijs Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. certissime enim auertent corda vestra vt sequamini Deos earum.* Quidni auerterent, quae B propterea fornicabantur vt idola colerent, quarum accessus ipsissima erat idololatria? Cuius rei, vt cetera taceam testimonia, vnum Beati Augustini proponam, quo perspecta esse poterit nuptiarum foedissima, ac nefaria turpitudo. Sed quid dicam, inquit, cum ibi sit & Priapus nimis masculus, super cuius immanissimum, & turpissimum fascinum sedere noua nupta iubebatur more honestissimo, & religiosissimo matronarum. Quod scelus fortasse prohibere voluit Paulus: dum viduae permittit: *Cui vult, nubat.* Ac ne putarent matrimonij causa etiam in illis, quae illicita sunt, viro morem esse gerendum, subiungit: *tantum in Domino.* Haec vero omnia, quip- C pe in penetralibus peracta, quamuis nimis essent inhonesta, honestissima tamen esse videbuntur, si cum illis conferantur, quae in publicis tum spectaculis, tum vero maxime sacrificijs publice peragebantur, quo nuntium renuntiasse viderentur publicae honestati, ac pudicitiae. Ithyphali vocari personam ebriorum habent, inquit apud Athenaeum Samus Delius, floreasque manicas habentes coronantur. Sagulis semialbis vtuntur, atque Tarentino tegmine se ipsos ad talos vsque cooperiunt: ac cum silentio vestibulum ingredientes, porticum melius dixisset, loquitur enim de ea, quae theatrum cingit, vbi in media scena constiterint, se in theatrum conuertunt, dicentes: D Agite, assurgite, latum locum Deo concedite: vult enim Deus rectus per medium consersus (conspectus corrigo, vel conspicuus) incedere. Hanc porro turpitudinem ipsis sacrificijs admixtam, omnibus omnino gentibus fuisse communem indicat apud Michaeam Dominus, Samariam, atque Hierosolymam idololatriae coarguens illis verbis: *Et omnia sculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt,* quia nimirum meretricio quaestu, & prostitutione, augebatur idolorum cultus, & templorum iniqua donaria apud Samaritanos: *& vsque ad mercedem mere-* E *tricis reuertentur.* Quippe quae in Assyriorum venient potestatem, qui & ipsi suis meretricibus idola colentibus eadem redonabunt. Chaldaeus haec plane explicauit: Adeo vt omnia eius simulachra concidantur, & omnia eius idola igni comburantur: domumque quamlibet deorum eorum ponam in vastitatem, quandoquidem mercede meretricis cum sint congregata, in domum colentium idola tradentur. Huius rei testem adducere licet Herodotum: Porro, inquit, cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum iniecerit, & cum eadem a fano seorsum A abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti ego tibi deam Mylitam imploro. Mylitam enim Assyrij Venerem appellant. At vero pecuniam illam, quantulacumque sit, non est fas reijcere; siquidem in sacrum conuertitur vsum. Haec ille. Quibus quid, quaeso, turpius, aut Deo indecens magis posset excogitari? At quoniam huiusmodi sceleribus omnia fere gentium sacra polluebantur, phrasis illa sacris Scriptoribus frequens obtinuit, vt idololatriam fornicationis nomine censeant, idololatras fornicarios: quippe cum omnis idolorum cultus fornicationibus esset admixtus, necnon omnis fere fornicatio in ido- B lorum dirigeretur cultum.

Cui malo accessit inuerecundia, & publica libidinis ostentatio. Vtrumque enim à Deo aeque fuisse exosum testatur ipse in Deuteronomio legem proferens, qua huiusmodi libidinem cohiberet, publicam maxime: *Non eris meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel.* Quae quidem lex illam potissimum fornicationem videtur inhibere, quae in idolorum cultum fiebat. Nam alia priori lege prohibebatur in Exodo. *Non moechaberis.* neque opus fuisse videbatur, vt in hac secunda Deuteronomij probiberetur. accedit quòd Iephte dux populi creatur *filius mulieris meretricis:* & Oseas mulierem ducere fornicariam iube- C tur. Sed & praedictae legis sensum subsequens videtur explicare: *Non offeres,* inquit, *mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voueris,* quasi dicat, aut meretrix, aut canis, *quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Canis autem nomine publicam libidinem significari argumento esse poterit id, quod Beatus Augustinus scribit. Hoc illi canini philosophi, hoc est, Cinici, non viderunt proferentes contra humanam verecundiam, quid aliud quàm caninam, hoc est, immundam, impudentemque sententiam. vt scilicet quoniam iustum est quod fit in vxore, palam non pudeat id agere. Haec Sanctus Do- D ctor. qui sententiam retulit Antisthenis, Diogenis, Synopaei, Cretis, Thebani, Maenippi, Phoenicis. Quorum sententiam officijs, ciuili vitae, & bonis moribus contrariam esse, atque fugiendam docet Cicero. At illi quippe philosophorum affectantes nomina, iusto matrimonij vsu suam tuebantur impudentiam, & nihilominus canum censebantur nomine. quid, quaeso, eodem non erunt dignissimi, qui fornicationes, adulteria, stupra publice fieri & suadebant, & illis infames Deos honorari? Horum igitur mercedem, aut donum quodcumque, siue votum, à domo Dei longe semotum esse debere praecipit Dominus, quod caninam licentiam, impudentiam, at- E que libidinem pariter Deus sit exosus, praesertim cum eiusmodi sceleribus idolorum sacrificia commacularentur. Cuius rei argumentum non censui aliunde petendum, cum ipso Exodi testimonio, quod explicandum suscepimus, satis sit perspicuum, & manifestum. Nam cum huius peruersissimae, atque immanissimae turpitudinis vsum ab altari suo quàm maxime remouere vellet Dominus: *Non ascendes,* inquit, *per gradus ad altare meum,* more inquam Ithyphallorum, *ne reueletur turpitudo tua.* Septuaginta interpretes in Regio codice: Vt non reueles turpitudinem tuam in eo. In Sixtiano codice: Ne reueles turpitudinem tuam super illud. Non itaque gradus

fieri

TYPHVS Aegyptiacus a populo cultus

3. Reg. 11. ℣. 1. & 2.

CERTISSIME auertent quomodo intelligendum

S. August. lib. 6. de ciuitate cap. 9.

NVPTIARVM foedissimus.

1. Cor. 7. ℣. 39.

ITHYPHALI qui dicantur.

Athenaeus lib. 14. cap. 8.

Michaeas 1. ℣. 7.

MERCES meretricis quae.

Herodo. libr.

IDOLOLATRIA quae vocetur fornicatio, & è contra.

Deuter. 23. ℣. 17.

Exod. 20. ℣. 15.

Iud. 11. ℣. 1.

Osee. 1. ℣. 2.

Deuter. 23. ℣. 19.

S. August. lib. 4. de ciuit. cap. 20.

PVBLICE inhonesti canes dicuntur.

Cicero.

fieri prohibentur, sed eorum ascensus in eum finem peruersissimum, quippe cum immanes publicae honestatis hostes absolutis nefandis asinorum hostijs, ac malis artibus, & è mortuis imaginibus turpitudinum obiectis non satis incitato ad libidinem populo, viuo exemplo proposito super ipso altari verbis, & gestu populum ad omnem turpitudinis actum excitabant. Quae omnia inhonesta scelera, atque turpissima, honestissima dicendi ratione inhibuit Dominus, dicens: *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur* nuditas *turpitudo tua*, super eo. Nam & eo peruenit impiorum hominum licentia, vt ipsum Dei templum, & altare non vererentur praedictis abominationibus complere. Quae quamuis ipsa turpitudine videantur esse turpiora, honestissimis tamen verbis referuntur in libro Machabaeorum. *Pessima autem*, inquit, *& vniuersis grauis erat malorum incursio: nam templum luxuria, & comessationibus gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus: sacratisque aedibus mulieres se vltro ingerebant, intro ferentes ea, quae non licebat. Altare etiam plenum erat illicitis, quae legibus prohibentur.* Easdem vero, quas diximus, abominationes recenseri, & in sequentibus eiusdem capitis verbis ostenditur, quibus Liberi, Bacchi, aut Dionysij festa recensentur, quorum nos initio huius disputationis meminimus. Sed si sententiam Iosephi, atque aliorum, quos supra retuli ascensum clementer arduum pro gradibus altaris statuentium tueamur, id iussu Dei factum fuisse conijciemus, vt quàm maxime discederet altare Domini à similitudine altarium, quae turpitudinum potius receptacula fuissent appellanda. Nam altare Salomonicum, quinimmo & ipsum Mosaicum gradibus propter celsitudinem ascendendum fuisse, sequenti capite perspectum erit, quo propriam vtriusque altaris celsitudinem, & formam rimabimur. At vero graduum multitudinem, quam diximus, eorumque commodum ascensum percenset Aristaeas, maximae & ipse apud Iosephum auctoritatis. Altare illic, inquit, pro loco conuenientissime constructum propter hostias, quae super incenduntur, fumario amplectitur. Ascensus autem erant ad illud pro loci magnificentia per quam decenter, & ad decorem simul additi, & commodum sacrificantium Sacerdotum, qui talaribus ex bysso tunicis induuntur. Ego vero quid sit illud de fumario altaris, quod ne coniectura quidem assequi potui, perspicacioribus ingenijs exquirendum relinquo.

2. Machab. 6. ℣. 3. 4. & 5.

Ibid. ℣. 7.

Aristaeas lib. de 70. interpret.

DE ALTARIS HOLOCAVSTORVM *proportione, & magnitudine.*

Cap. LXXX.

ALTARE quod à Propheta nostro describitur, supra à nobis ostensum est, longitudine, latitudine, & celsitudine fuisse omnino par illi, quod à Salomone fuerat primum exaedificatum: vbi pariter ostendimus Salomonicum quoque altare super basibus suis fuisse constructum, quas conijcere licet his nostris fuisse magnitudine pares, forma, & ornamentis similes. reliquum esse videtur vt hoc vtrumque altare cum primo vtriusque exemplari, altari videlicet Mosaico conferamus, sicut nos docuit supra à me laudatus Sanctissimus Hieronymus. Atque vt altitudinem inprimis conferamus, Mosaicum altare altum fuit cubitos tres: sed cum non leui coniectura ducti ostenderimus altare illud basibus minime caruisse, illas quoque licebit conijcere duas duorum cubitorum fuisse, singulas cubiti vnius. qua ratione facilius percipietur illa doctissimorum virorum sententia supra explicata, quae hoc altare sine gradibus ascendi posse negabat, atque adeo seruata erit inter Salomonicum, & Mosaicum altare dupla proportio, quae in reliquis fere templi, & tabernaculi partibus seruabatur. Ex quo fit, vt eadem plane sit proportio altaris Mosaici quinque cubitos alti ad atrium tabernaculi quinquaginta cubitorum, quae altaris Salomonici decem cubitorum ad suum atrium centum cubitorum, nam in sui atrij medio vnumquodque altare constituebatur. Quod vero ad latitudinem, & longitudinem vtriusque altaris spectat, eadem quoque ratio seruata fuisse deprehendetur: si spatium metiaris inter altare, & populum sacrificia spectantem. Populo enim in tabernaculo vsque ad cortinas atrij accedere permissum fuerat, vltra progredi omnino inhibitum: erat autem atrium illud longum, & latum cubitos quinquaginta: à cortinis vero vsque ad medium atrij, atque adeo vsque ad medium, siue centrum altaris, cubiti computantur quinque & viginti, cuius numeri pars quinta, quinque longitudinem altaris definit, ac latitudinem, vt ibidem habetur expressum. In templo vero Salomonis populus per portas atrij interioris sacrificia spectaturus, per eas enim recta prospiciebantur, vt ostendimus, non poterat easdem portas ingredi: quare si addas portarum longitudinem dimidiae atrij longitudini, fient centeni cubiti à medio atrio, vel à medio altari vsque ad locum populi, cuius quidem distantiae pars quinta viginti cubitorum est, quanta nimirum & à sacris Historicis, & à Propheta nostro dicitur fuisse altaris longitudo, seu latitudo. Ex quo fit vt eadem sit proportio altaris ad altare, quae distantiae ad distantiam. Altare enim Salomonis viginti cubitorum quadruplum est Mosaici altaris quinque cubitorum, atque adeo populus in templo centum cubitos distat à medio altari, ab extremo nonaginta. quae vtraque distantia quadrupla est

ALTARIS Salomonici, & Mosaici comparatio.

Exod. 27. ℣. 1.

ALTARIS ad atrium proportio.

Ibidem.

LATITVDO altaris ex quinta dimidij atrij parte.

Ostendimus lib. 3. cap. 44. huius partis.

EADEM EST altaris ad altare proportio, quae distantiae populi in tabernaculo, & templo.

similis distantiae in tabernaculo, in quo po- A
25 pulus distat à medio altari cubitos quinque & vi-
4 ginti, ab extremo cubitos duos & viginti cum
100 dimidio. Est autem & alia non minus elegans
celsitudinis altaris proportio, huius templi pro-
22 ½ pria, in quo fere omnia calamorum iusto numero
4 finirentur. Nam cum atrium Sacerdotum octo
88 gradus eleuetur super atrium Israel, hoc est, cu-
2 bitos, vt aliàs ostendi, binos, altare autem cu-
90 bitos erigitur denos, si bini illi addantur, fient omnes duodeni, quibus, vt iustam calami mensuram complerent, addita fuisse videtur corona dimidij cubiti, atque adeo summum altare super atrio Israel erectum, vnde spectabatur à populo, altum esse debuit duos calamos, hoc est, cubitos B duodecim cum dimidio. Neque vero haec distantiae ratio cuiquam videri debet aut minus vtilis, aut vana, cum altare ad Dei cultum fuerit factum, atque vt conspecta in illo sacrificiorum magnificentia, populum excitaret ad pietatem, ac religionem. Nam, vt aliàs ostendi, maxima perspectiuae ratio ex distantia pendet, siquidem ea, quae ex inferiori loco videntur, si propinquiora sunt celsiora videntur, si vero remotiora magis apparent esse depressa: ex quo fit, vt extrema corona altaris medium ignem operiret in minori distantia, & maiori altitudine, sicut ex aduerso in minori altitudine, & maiori distantia altaris flammae magis essent conspicuae. Et haec C fuit certe causa propter quam altare extrui debuit tam altum, praeterquam quòd altaris dignitas, & magnificentia non sinebat esse minorem. Cuius quidem rei aliqua habuisse videtur indicia Architectorum nostrorum parens Vitruuius, quam tamen in superstitiosum cultum direxit: Altaria, inquit, spectent ad Orientem, & semper inferiora sint collocata quàm simulacra, quae fuerint in aede: vti suspicientes diuinitatem qui supplicant, & sacrificant, disparibus altitudinibus ad sui cuiusque Dei decorem componantur. Altitudines autem earum sic sunt explicandae, vt Ioui, omnibusque caelestibus quam excelsissimae constituantur, Vestae, Terrae, Marique humiles collocentur: ita idoneae his institutionibus explicabuntur in medijs aedibus ararum deformationes. Haec ille. Qua quidem ratione Deo summo, viuo, & vero quàm celsissimum altare construendum fuisset, nisi vsus, & pulchritudinis ratio modum praescripsisset, quem dixi. Fuit certe altare Damasci, cuius exemplar Syria Hierosolymam miserat impijssimus Rex Achaz, cuiusque simile extruxit Hierosolymis pessimus Vrias Sacerdos, sed Deo inuisum, quippe sine ratione compositum, & idolis colendis impie dicatum. Sed de altaris magnitudine haec sint satis.

ALTARE super atrio Israel duos praecisse calamos erigitur.

QVARE fuerit obseruata distantiae ratio.

Aliàs lib. 5. Isagog. cap. 8. huius par.

ALTARIS altitudo dignitatem auget.

Vitru. lib. 4. cap. 8.

ALTARE Samariae maius sed turpius, quippe sine ratione.

4. Reg. 16. à ℣. 20.

DE CRATICVLAE ALTARIS FORMA & VSV.

Cap. LXXXI.

EX altaris fine, atque vsu craticulae ratio petenda videtur. Nam cum huius altaris proprium, ac primum munus sit, ignem de caelo elapsum perpetuum sustinere: tum quòd igni impedimento sint exusti cineres, tum vero quod maxime accendatur ignis ab aëre subtus efflato incitatus, ideo craticula opus fuit, à qua impositus ignis, & ligna sustinerentur, cineres excernerentur, & quae aërem, ignem excitantem, foraminibus perterebrata semper admitteret. Huius craticulae modum descripsit in Exodo Dominus qui quoniam ex vsu maxime pendet, hic primus à Iosepho petendus est, cum altare describit Mosaicum illis verbis: Sed & pro C foribus tabernaculi erat ara alta, haec quoque lignea, laminis aereis intecta, in quadrum quinque cubita patens, altitudine trium cubitorum, inaurata. Huius verbi sensum melius alibi expressit idem Iosephus: altaris instrumenta fuisse testatus auri fulgorem referentia: Cratem pro foculo superpositam habens, excipiebat enim terra quidquid igneum superne decidebat. Haec ille. Et certe cum de craticulae vsu tam perspicuo Iosephi testimonio constet, non est de forma ambigendum. foculus enim vas quoddam significat, in quo ignis continetur. Vnde Tibullus ignis meminit foco contenti.

Dum meus assiduo luceat igne focus.

D Fuit igitur craticula haec in conchae, aut vasis modum ex aere fusa, crebris foraminibus aperta, vt facile cinis excerneretur. Nam & Comestor quasi vas quoddam fuisse craticulam confirmat, quamuis de illius vsu à nobis longe dissentiat, cumque superior craticulae pars summis altaris inniteretur parietibus, inferior, seu craticulae fundum ad medium vsque pertingebat altaris. Craticulam autem nos ita finximus, vt os eius rotundum fuerit, reliquum in conchae modum depressum, vt dixi, vsque ad altaris medium, hoc est, duos cubitos, qui sexta pars sunt latitudinis altaris. Quae omnia summatim dicta, particularim modo confirmanda sunt. Atque E illud inprimis quod circularem formam quadratae inclusimus, & argumento ducti fecimus, quod nulla ratione alia locum inuenire potuimus, ex quo cornua altaris digito possent contingi à Sacerdote emundante altare, sicut à Domino praeceptum est. Nam enumeratis à Propheta nostro altaris partibus, atque mensuris, titus exponuntur expiationis eius, oblato a Sacerdotibus vitulo: *Et assumens*, inquit, *de sanguine eius pones super quatuor cornua eius, & super quatuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu.* Modus vero ponendi sanguinis explicatur in Exodo *Sumptumque*, inquit, *de sanguine vituli pones super cornua altaris digito tuo.* Cumque alta-

CRATICVLAE vsus.

Ioseph. 3. ants cap. 7.

Ioseph. 8. antiq cap. 2.

ALTARE Mosaicum à Iosepho descriptum.

Tibullus.

Comestor cap. 58. in Exod.

CRATICVLAE forma.

QVARE craticula circularis fuerit in altari quadrato.

Ezech. 43. ℣. 20.

Exod. 29. ℣. 12.

altaris celsitudo fuerit quatuor cubitorum prioris A mensurae, nullus sane hominum aetatis illius vel ipsa consistens superiori crepidine potuisset digito eminentia cornua contingere, ac multo minus posset gradibus insistens, qui medium altaris attingebant, cornua attingere in angulis erecta; quippe quae a medio senis vtrimque cubitis distabant, cum altare longum fuisset, ac latum, vt vidimus, cubitos duodecim: quapropter arbitrati sumus Sacerdotem altare summum gradibus conscendisse, atque per latum spatium illud, quo ab angulis quadratae figurae recessit circularis, venire potuisse vsque ad cornua non laesum à flamma, vel ignis calore in media craticula accensi: quae etiam causa fuit propter B quam ipsam craticulam in conchae marinae modum, non vero cilindrica forma demissam fecimus, vt ignis, & ligna ad medium altaris semper confluerent: quo semper ignis depasceretur quidquid in altari comburendum injiceretur, neque quidquam à lateribus incombustum maneret, vt certe mansisset, si craticulae fundum rectum fuisset, ac plerumque accidisset vt lignis à latere altero incombustis manentibus; ignis ex latere altero, vel in medio altaris absumpta materia, extingueretur. quod esset contra Domini praeceptum, ac grande piaculum, quibus omnibus incommodis vna prouidit craticulae forma, quam finximus in figura. Sed de C craticula videndum est deinde quid alij scriptores sentiant, idque quam breuissime, vt inde mox pateat in quo nobiscum consentiant, aut in quo nos ab illis discedamus.

CORNVA altaris digito contingebantur.

CRATICVLA non cilindrica forma, sed conchae marinae instar fuit.

Exod. 27 ℣. 4.

In textu sic legimus: *Craticulamque in modum retis aeneam: per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli aenei, quos pones subter arulam altaris: eritque craticula vsque ad altaris medium.* De circulis, siue annulis altaris nihil nobis agendum, quibus hoc nostrum caruit, quippe non alio transferendum, sed manens quamdiu templum ipsum perdurauit illaesum. Altare, inquit Beda, totum cauum fieri praeceptum est, vt in sequentibus manifestius edo- D cetur: sed in medio sui habens craticulam, per totum in modum retis distinctam, in qua victimarum carnes comburendae imponerentur, & subter eam, arulam, in qua compositis lignis arderet ignis, semper ad deuoranda superposita holocausta paratus. Erat enim contra arulam ostium in pariete altaris Orientali, vnde vel ligna ad alendum ignem immitti, vel carbones, & cineres possent egeri, quomodo in pictura Casiodori Senatoris, cuius ipse in expositione Psalmorum meminit, expressum vidimus. in qua etiam vtrique altari, & holocausti videlicet, & incensi, pedes quatuor fecit, quod vtrumque eum sicut & tabernaculi, & templi positionem, à Doctoribus Hebraeorum didicisse pu- E tamus. Haec ille. qui & à contextu Scripturae discessit, & a Iosephi testimonio. Annulos enim angulis craticulae respondentes subtus arulam ponendos esse praecepit Dominus, ex quo mox liquet, illud quod arulae nomine hic indicatur, supra craticulam extitisse, non subtus. Ex quo mox patet confirmatum iri Iosephi testimonium, afferentis super craticula ignem imponi, quippe super foculo: cum quo pugnat haec sententia, ignem ponens subter craticulam, & super arulam. Hoc ipsum confirmat Aristaeas, à me paulo ante laudatus, superimpositas altaris holo-

Beda lib. 2. de taber. cap 12.

Casiodorus.

IGNIS super craticulam ponebatur, non subtus.

Aristaeas lib de 70. interpret.

stias referens: atque iterum magis aperte cum sic scribit: Verumenimuero ministerium Sacerdotum robore, decore, & silentio cuncta superabat, omnibus sua sponte laborantibus, quando quisque institutum opus iniussus curat: hi quidem ligna, hi oleum, hi similam, alij aromata, alij carnes incendentes, & roboris excellentiam quandam, dexteritatemque ostentant. Sumptis enim duobus vitulorum cruribus, quae pondo supra duo talenta sunt: mira in altum facilitate sic decenter projciunt, vt nunquam à loco aberrent. Similiter ouium, caprarumque pondera iaciunt. Haec ille. qui cum incendendas carnes ab imo ad summum altare projici testatur, vtique super craticulam; super illa quoque ignem fuisse videtur testari, cum carnes craticulae impositae non igni, vix, ac ne vix quidem in cineres redigerentur, quod à Domino praeceptum est in Leuitico. Ex dictis etiam patet longe à vero recessisse Scriptotes illos, qui Caietani sequuti interpretationem, craticulam hanc altari circumposuerunt, vt inferiorem eius partem alteram quasi cancellis concludentem. Nam quamuis craticulae Hebraicum nomen, eiusmodi cancellos non respuat, respuit tamen illos praeter Iosephi oculati testis manifestum testimonium, altaris, & craticulae vsus, atque pulchritudo, vt figuram eius apud Ariam Montanum intuenti poterit esse perspectum. Hebraea porro, atque Chaldaea sic possunt conuerti. Et facies ei craticulam opere retis ex aere, siue reticulato, aeneam. Sic & Septuaginta. Alij legunt: Facies quoque illi cribrum quasi opus retis aenei, siue opere reticulato, aereum. Quidam: Facies quoque illi cancellos aereos opere reticulato. Est enim ibi Hebraica dictio מכבר michbar, quae in cribtum, & craticulam, & rete, & cancellos verti potest. Quae omnia formam plane indicant craticulae perforatae foraminibus in romborum morem apertis, hoc est, ea forma, qua vniuersa templi ornamenta, cancelli, & fenestrae aperiebantur, vt supra ostendimus. Sed quod ad fenestram spectat in latere altaris Orientali apertam, ea duplicem vsum habuisse perhibetur, alterum ad introducenda ligna sub craticula, & hic quidem minime necessarius fuit, cum ligna, oblationes, atque holocausta omnia ex summo altari immitterentur, vt dixi, non aliunde. Alterum vsum habere potuit fenestra ad egerendos cineres: sed cum sicut & ignis, ita & cinerum longe diuersa ratio fuisse videatur altaris aurei, atque aenei, illius quidem cineres facile per fenestram educi potuisse arbitrati sumus; quippe parua quantitate, & non continuo educendi, atque adeo fenestram finximus in eius latere Orientali, vt vides in figura. At altare aeneum, in quo ignis perpetuo ardebat propemodum infinitus, quippe qui aliquo vno die consumere debuisset saltem adipem boum duorum & viginti millium, ouium centum viginti millium, praeter innumera holocausta, quorum carnes vniuersae igni tradebantur, subministrantibus ligna Gabaonitis, vel Nathinaeis numero centum quinquaginta millibus: quaenam, quaeso, cinerum copia, quis ignis, excretis per craticulam subtilioribus prunis, quis calor è superiore craticula aenea ignita, atque ex imis cineribus, prunisque in medio concretus? quis fumus, respersis adipe, atque oleo pariter cum prunis, calidis cineribus? Quae omnia in eam nos adduxere sententiam,

Leuit. 6. ℣. 10.

Caietanus.

ALTARE non fuit craticula quasi cancellis cinctum.

Bened. Arias Mont in Apparatu Biblico.

FENESTRA an fuerit in latere huius altaris sicut fuit in latere aurei.

3. Reg. 8. ℣. 62.

DE LOCO cinerum.

vt arbitraremur latiorem quemdam locum, & commodiorem educendis huius altaris cineribus deputandum fuisse, quàm qui in altaris medio potuisset assignari: quapropter locum in vestigio substructionum cineribus deputauimus, latum aeque, ac longum cubitos vicenos, quanta erat altaris latitudo & longitudo, cuius parietes fulciendo altari deseruitent, quem locum, quaternis in medio erectis postibus, fornicibus concamerauimus desuper relicto medio fornice, vt per illum è summa craticula cineres, atque ignita descenderent, haberetque Sacerdos porticum circa illum locum, sub qua se reciperet, ne ab effluentibus prunis laederetur, dum cineres instrumento colligeret. de quo mox agemus. Et ad locum cinerum, vel per cryproporticus patuit additus, vel per scalam sub altaris scala patuit immediate descensus.

DE ARVLA, ET AERE EX QVO ALTARE conflatum est.

Cap. LXXXII.

ARVLA altaris quae dicatur.

ARVLA, quae Hebraeis כרכב carcob, dicitur, quaenam sit aut cui vsui inseruiret, non facile percipitur. Nam cum vocis notio pene ignoretur, rem quoque ignorari necesse est. Haec enim vox bis tantum legitur in Biblijs, & altari toties tribuitur Mosaico. Primum cum eius forma praescribitur à Domino:

Exod. 27. ℣. 4. & 5.

Craticulamque in modum retis aeneam per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli aenei, quos pones subter arulam altaris eritque craticula vsque ad altaris medium. Hebraice: Et facies ei cribrum opere retis aeris, & facies super reti quatuor annulos aeris super quatuor extremitatibus eius, & pones illud subter ambitum altaris de infra, & erit rete vsque ad medium altaris. Septuaginta Et facies craticulae quatuor annulos aeneos ad quatuor latera, & suppones eos sub craticula altaris ab infra erit autem craticula vsque ad dimidium altaris. Quibus verbis Septuaginta interpretes pro eodem videntur vsurpare craticulam, & arulam. Quasi vero arula dicatur superior craticulae pars, cui interpretationi neque Hebraea repugnant, neque Chaldaea, ac multo minus Latina. Nam & Chaldaeus: Et pones eam, inquit, sub circulo altaris deorsum, & erit rete vsque ad dimidium altaris. Quod si circulum illum altaris hac voce

CIRCVLVS altaris arula dicitur.

significari arbitremur, qui os est craticulae, vel A vt more nostro loquar, conchae illius perforatae, quam supra descripsimus, omnia mox apte respondere comperiemus. Sed & Chaldaeo quidem subscribit Rabbi Salomon: Omne, inquit,

R. Salomon.

quod circuit quippiam in gyrum, vel in rotundum vocatur carcob. cuius sententiae quoque est Rabbi Dauid: qui duplicem circuitum in altari à suis doctoribus accepisse testatur: alterum,

R. Dauid in lib. radicum.

quem supra diximus, sub quo erat craticula; alterum, in quo ambulabant Sacerdotes ministrantes, ne illorum pedes nutarent. Quod de ambitu inter craticulam, & coronam altaris relicto, quem supra ostendi, facile potest intelligi. Hic autem circulus à Beato Hieronymo vt ab B ara altaris nomine distingueretur, arula dictus est, quasi pars arae Sed & ipsam primam Latinae vocis originem respexisse videtur, quam affirmat Varro sic dictam aram, quasi ansam, quòd quasi ansata teneretur à sacrificantibus. & cum circulus, vel ambitus hic ad sustinendam craticulam dependentem quasi ex ansis fuisset factus, ara merito dicitur, vel arula.

ARA QVASI ansa dicitur circulus, qui sustinet craticulam. Varro.

Neque quemquam moueat alter eiusdem libri locus, quo altare hoc à Moyse factum fuisse refertur, atque de craticula sic loquitur:

Exod. 38. ℣. 4. & 5.

Craticulamque eius in modum retis fecit aeneam, & subter eam in altaris medio arulam, fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates. Nam etiam si his verbis arula sub craticula videatur poni, tamen cum nihil priori C legi contrarium fecisse credendus sit Moyses, idem his verbis, atque illis subesse non est dubitandum, praesertim cum apud omnes omnino Interpretes eadem fere verba legantur eodem plane sensu. Hebraea sic: Et fecit altari cribrum opere retis aeris subter ambitum eius, ab infra vsque ad medium eius.

SVB ARVLA erat craticula & annuli, in quos vectes inferebantur ad portandum altare.

Chaldaeus: Fecitque ei craticulam opere retis ex aere sub circulo eius, deorsum vsque ad altaris medium. Neque ab his dissentiunt Septuaginta, quare sic exponenda esse Latina verba censerem: *Et subter eam in altaris medio arulam*, hoc est, & *subter arulam fusis quatuor annulis*, & cetera: quasi sensus sit, sub arula, & sub craticula, in medio altaris an- D nulos constitutos fuisse è regione imae craticulae, vel cribri, quod vsque ad altaris medium descendisse dictum est supra.

Materia demum altaris à Salomone constructi videtur indicari in libris Paralipomenon, dum altare aeneum viginti cubitorum longitudinis,

2. Paralip. 4. ℣. 11.

& viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis à Salomone factum fuisse narratur: ac si aperte testatum sit, vniuersam huiusmodi longitudinem, latitudinem, & altitudinem fuisse aeneam. Accedit Historia Regum, & Paralipomenon, quae non modo affirmat altare hoc aeneum fuisse, sed & illud explicat, quod quisquam scire desideraret, vnde sit aduectum E aes illud. Deuicto enim Adarezer Rege Soba: *Et de Bete*, inquit historia Regum, *& de Beroth ciuitatibus Adarezer tulit Rex Dauid aes multum nimis.*

2. Reg. 8. ℣. 8.

AES VNDE fuerit aduectum.

At in libris Paralipomenon haec eadem habetur historia, atque illud subiungitur, quod ad rem nostram facit:

1. Paralip. 18. ℣. 8.

Necnon de Thebath & Chun vrbibus Adarezer aeris plurimum, de quo fecit Salomon mare aeneum, & columnas, & vasa aenea. Atque inter vasa aenea annumerandum est certe altare; quippe cum vasis nomine quodlibet instrumentum censeatur, atque inter instrumenta templi hoc maximum sit, & maxime sacrum. Sed & si Iosepho fides haben-

Iosephus 7. antiq. cap. 6.

habenda est, huius metalli pretium facile poterit esse perspectum: hic enim eandem retulit illis verbis historiam. Hebraeorum autem Rex fauore numinis vtens, & fortunam belli sequens, praecipuas Adrazari vrbes aggressus est, Bettaeam, & Machonem: easque vi expugnatas diripuit. In his magna vis auri, & argenti reperta est. & praeter haec aeris genus, quod auro pretiosius est habitum: ex quo postea Salomon fecit magnum illud vas, mare appellatum, & pulcherrima pollubra cum templum adornaret. Haec ille. Neque vero nouum, aut inauditum cuiquam videatur, aeris pretium cum ipso auro conferre. Nam & Plinius. Quoniam aes, inquit, confusum auro, argentoque miscebatur, & tamen ars pretiosior erat. nunc incertum est peior haec sit, an materia. Mirumque cum ad infinitum operum pretia creuerint, auctoritas artis extincta est. Quaestus causa enim, vt omnia, exerceri coepta est, quae gloria solebat. &c. Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur: hoc casus miscuit, Corintho cum caperetur incensa: mireque circa id multorum affectatio fuit. Et post pauca: Eius, inquit, tria genera. candidum, argento nitore quàm proxime accedens, in quo illa mixtura praeualuit. Alterum, in quo auri fulua natura. Tertium, in quo aequalis omnium temperies fuit. Hactenus ex Plinio. qui arti materiam contulit, & affectationi hominum huiusmodi aeris aestimationem adscripsisse videtur, quae non semper ratione ducitur, sed vana plerumque existimatione. Quae omnia facile suadere poterunt, vera dixisse Iosephum, aes illud affirmantem auro fuisse praelatum. Verum non est nostri huius instituti aeris pretia vel expendere, vel computare.

METALLVM auro pretiosius.

Plin. lib. 34. cap. 2.

AES Corinthium triplex.

DE ALTARIS PONDERE, VBI DE *tota eius structura particulatim agemus.*

Cap. LXXXIII.

PONDVS altaris examinandum assumimus.

ALTARIS mensuras persequuti iam sumus, & formam, pondus aeris, quo altare potuerit constari, aliqua saltem probabili coniectura examinare operaepretium fore existimaui. Quod facile potuissemus ex nostris tabulis consequi, si mensuras eius omnes habuissemus perspectas, illas enim ad palmos cubicos reuocaremus, quos facillimum esset ad pondera reuocare: at ex ijs, quae notae sunt, reliquas oportet mensuras coniectura deducere. Arbitramur itaque totum altare ex aeneis tabulis fuisse compactum, quarum si crassitudo nota esse potuisset, certiores A quidem mensurae fuissent, & magis certa pondera. at coniecturis, vt dixi, agendum est, vbi certiora non suppetunt argumenta. Et certe huiusmodi tabularum longitudo, & latitudo, maximam videbatur exigere eiusmodi parietum crassitudinem, quippe quibus ignis tam maxima copia erat includenda. Sed illam accipiamus, qua nullos vel mediocriter in his versatus putabit fuisse minorem: nimirum quatuor digitorum, hoc est, palmi vnius, vel sextae partis cubiti sacri, quam a nimirum fuisse perhibetur maris aenei, & aenearum columnarum crassitudo. Ab hac autem crassitudine excludamus coronices, sculpturasque varias, & extantia ornamenta, quorum nulla mihi modo ratio habenda est. B

Vt igitur mensuras altaris perscrutemur, eius formam omnino perspectam habere inprimis oportet. Totum vero altaris, & crepidinum corpus quatuor angularibus quadratis columnis aeneis contineri arbitrati sumus: quibus aeneae tabulae pariter affigerentur, & sustinerentur haud aliter quàm de aureo altari, eiusque lignis; ac tabulis dicebamus. Et has quidem quatuor columnas aeneis quaternis aequalibus laminis infixas subtus fuisse arbitramur, ac totidem superius continebantur: quae omnia quasi ossa essent altaris, & firmamenta. Atque haec forte altaris fulcra כרכב carcob, dicebantur Hebraeis, Interpretibus circuitus: Latinis vero arula diceretur, quod veluti aram quamdam, quamuis inanem constituerent. C Et quoniam altaris parietes quatuor digitos crassos constituimus, laminas huius arulae superiores, & inferiores eiusdem crassitudinis fuisse arbitrabimur, columnas vero quadratas duorum palmorum, quibus latitudine pares fuisse oportuit laminas omnes praedictas. His sic constitutis, columnam vnam sic computabimus: ducto in se duorum palmorum latere, fiunt quatuor quadrati cubiti in basi columnae, hunc numerum si per denos altitudinis cubitos, hoc est, per palmos sexagenos multiplicaueris, in columna vna fuisse deprehendes cubicos palmos ducentos quadraginta, hunc numerum si quater sumpseris, D omnes columnae habebunt eiusmodi palmos nongentos sexaginta. Quod ad laminam spectat vnam, longa est cubitos nouem cum duabus tertijs partibus: reliquam enim tertiam partem cubiti, hoc est, duos palmos, occupant tabularum crassitudines ex vtraque parte, qui cubitorum numerus palmis aequalis est octo & quinquaginta, qui numerus per binarium ductus, latitudinis laminae centum sexdecim dat: ac totidem asseremus palmos cubicos habuisse laminam vnam, quae crassa fuisse existimatur palmum vnum. Atque reliquas omnes laminas huic pares fuisse credendum est, quippe quae ad firmandas columnas aliae alijs fuissent superponendae. quare E si praedictum numerum per octonarium multiplices, inuenies octo laminas illas palmos habuisse cubicos nongentos viginti octo. His ergo numeris sic collectis, ad ipsas altaris exteriores partes dimetiendas veniamus, à summo altari descendentes ad imum. Et de craticula primum, quam etiamsi in conchae modum duos cubitos profundam fuisse ostenderimus, quo fit vt eius mensura maior multo sit quam si plana fuisset, longioris computationis vitandae causa illam planam fuisse fingemus, cui adnumerabimus coronae proiecturam ternos vtrinque palmos protensam, eritque omnis longitudo eius cubitorum duo-

ALTARIS structura.

2
2
4
60
240
4
960

58
2
116
8
928

CRATICVlae pondus.

78 duodecim, quanta videlicet est altaris longitudo, A
78 hoc est, palmorum duorum & septuaginta, addiris-
624 que senis praedictis, fient omnes octo & septua-
546 ginta: qui numerus si in se ipsum ducatur, fient
6084 sex millia octoginta quatuor, quot palmos ad mi-
nimum habuisse credenda est craticula haec.

Parietes altaris examinandi iam sunt, quos ip-
sius altaris longitudini, ac latitudini pares esse
arbitrabimur: nam quamuis palmum vnum occu-
pet crassitudo superioris craticulae, ac palmum
item alterum ex parietis longitudine occupet
proximi parietis crassitudo, tamen inferioris spi-
rae proiectura dimidij minimum cubiti, hoc est,
PARIETVM altaris pondus. trium palmorum totidem alta, quam praetermit-
tendam duximus, maior multo est illis partibus B
longitudinis, quas subducendas fore ostendeba-
72 mus. Paries igitur vnus longus est cubitos duo-
24 decim, hoc est, palmos duos & septuaginta, latus,
288 vel vt propius dicam, altus cubitos quatuor, hoc
144 est, palmos quatuor & viginti, quos numeros
1728 palmorum si inuicem multiplicaueris, inuenies
4 parietem vnum palmos habuisse mille septingen-
6912 tos, viginti octo. Hunc porro numerum si in
quaternarium ducas, fient simul quaterni altaris
CREPIDINIS maioris pondus. parietes palmorum cubicorum sex millium non-
gentorum duodecim.

Crepidinis maioris tectum pari ratione com-
15 putabimus: longum siquidem est cum suis pro-
6 iectutis cubitos quindecim, hoc est, palmos no- C
90 naginta, quem numerum in eundem si ducas, o-
90 stendit tectum illud habere debuisse, si totum
90 solidum fuisset, palmos cubicos octo millenos,
8100 centenos. At quoniam ad excolandos cineres
4356 apertum fuisse creditur in medio, maior esse
3744 non potuit, aut debuit apertura interiore co-
lumnarum, quas diximus, longitudine, aut lati-
11 tudine. distant autem hae cubitos vndenos, vt
6 patet computanti, hoc est, palmos sexagenos se-
66 nos, hunc numerum si in se ipsum ducas, fiet aper-
66 turae numerus palmorum quatuor millium tre-
396 centorum quinquaginta sex, quam oportet à
396 priori huius tecti inuento numero subducere, &
4356 reliqui erunt tecto cripidinis maioris palmi ter D
3744 mille septingenti quadraginta quatuor. Huius-
modi crepidinis parietem vnum ita computabi-
mus, vt qua ratione diximus ipsum aeque altum
fuisse, supponamus ipsius crepidinis altitudini,
cum non minus hic, quam alij, spira sua exorne-
tur: immo vero hic certe exornatur, vt ex Pro-
14 phetae mensuris supra ostensum est, illi alij, quos
6 dixi, propter huius similitudinem exornantur.
84 Est igitur hic longus cubitos quatuordecim, hoc
24 est, palmos quatuor & octoginta, altus cubitos
336 quatuor, hoc est, palmos quatuor & viginti, quos
168 numeros palmorum si inuicem multiplicaueris,
2016 inuenies parietem palmos habuisse bis mille sex-
4 decim, quos rursum si quater sumpseris, quater- E
8064 ni parietes palmis constabunt octo millibus sexa-
ginta quatuor.

Inferiorem denique crepidinem ita examina-
17 bimus, eius tectum cum sua ex vtraque parte
6 proiectura longum est cubitos septendecim, hoc
102 est, palmos duos supra centum. Hunc numerum in
102 se ducas, & habebit tectum palmos decem mille
204 quadringentos quatuor. Et quoniam hoc tectum
102 sicut superius, apertum est, quo cineres, vt dixi,
10404 ad ima descenderent, & aperturam licet conijce-
4356 re parem priori fuisse, nisi forte minorem eam
6048 fecerunt, ideo ab hoc numero parem palmorum
numerum subducendum esse censui illi, qui ex su-

A periori tecto hac ratione fuerat subductus, atque 16
adeo reliqui erunt huius tecti palmi sex mille 6
quadraginta octo. Paries vnus longus est cubitos 96
sexdecim, hoc est, palmos nonaginta sex, altus 12
cubitos duos, hoc est, palmos duodecim, qui pal- 192
morum numeri inuicem multiplicati, parieti 96
dant palmos mille centum quinquaginta duos, 1152
qui quater sumpti dant palmos quater mille sex- 4
centos octo. 4608

Duplex tandem est corona altaris, summa
altera, altera fossae ima, quarum quaelibet semi-
cubitum habet latitudine, & semicubitum altitu- **DVPLEX altaris corona.**
dine: at quoniam nulla earum perpetua est, & so-
lida, licet eam computare ac si palmum vnum
B fuisset crassa. itaque summa longa est cubitos 12
duodenos, hoc est, palmos septuaginta duos, 6
quem numerum si per ternarium altitudinis mul- 72
tiplices, habebis in vno latere coronae palmos 3
ducentos sexdecim, in vniuersa corona palmos 216
octingentos sexaginta quatuor. Ima vero coro- 4
na, vel peribolus fossae longus est cubitos vigin- 864
ti, hoc est, palmos centum viginti, quiter sumpti
lateri cuicumque periboli dant palmos trecen- 20
tos sexaginta, vniuerso peribolo mille quadrin- 6
gentos quadraginta, praeter suprema stylobata- 120
rum ornamenta, siue piramides sint, siue sphae- 3
rulae, de quibus nihil certi nobis statuendum 360
est. Quod si praedictos omnes numeros, eos vi- 4
C delicet, qui seorsum collecti sunt, in vnam 1440
summam redegeris: inuenies palmis cubicis vni-
uersum altare dimetiri triginta nouem millibus
sexcentis quinquaginta duobus, praeter altaris
fossam, quam non dubito aereo canali fuisse
contectam, praesertim cum lapides altaris, vt
mox ostendam, ferro contingi probiberentur. 960
Sed de fossa, quoniam non facile potuimus cras- 928
situdinem conijcere, nihil agemus. Fuit prae- 6084
terea in altari subtilior quidam paries, qui à sum- 6912
ma craticula ad vsque infimum locum cinetum 3744
descenderet rectus, tum propter decorem, & pul- 8064
chritudinem, tum vero maxime ne vlla pars de- 6048
cidentium aut prunarum, aut cinetum super cre- 4608
D pidinum tectis, aut in pauimento atrij maneret, 864
quae minime colligi posset, de quo item pariete 1440
vniuerso, quoniam nihil certi statuere possumus, 39652
nihil omnino dicemus. Illud enim perspectum **VNIVERSI simul altaris mensurae.**
esse lectori cupimus, & semper ob oculos posi-
tum, nos nulla ratione cupere haec, quae ad tem-
pli magnificentiam spectant, vel augere, vel ex-
aggerare, sed ea tantum proponere, quae quam-
uis minora esse videantur, magis tamen videan-
tur esse credibilia. Hoc tamen, quod ad altaris
mensuras spectat, affirmare non dubitamus, non
credibile modo, verum & certum esse, altare,
qua ratione diximus, potuisse conflari, quamuis
probabili tantum coniectura deductum sit singu-
E las eius partes ita fuisse compositas. Iam vero
quod ad horum palmorum pondus spectat, illud
vnum animaduertendum est, quod si iuxta prae-
dicta aliquid vel auri, vel argenti permixtum ae-
ri fuit, id, quidquid sit, pondus maxime augere
plus quàm in dupla proportione si aurum sit, ses-
quiseptima si sit argentum, vt suo loco à nobis
ostensum est, nos enim & in hac parte pondus cu-
pri tantummodo examinabimus. Cuius rei gra-
tia tabulam ingrediemur nostram ponderum *Tomo 3. apparat. part. 2. lib. 1 cap. 5.*
quintam, in qua inueniemus cabum, hoc est, pal- *prop. 16.*
mum cubicum Hebraeorum pendere centum octo-
ginta duas trecentesimas, septuagesimas quintas
partes vnius talenti, quem numerum si ducas in
sum-

182
375
19244 3/4

summam cubicorum palmorum vltimo inuentam, inuentes palmorum numerum inuentum talenta pendere nouendecim millia ducenta quadraginta quatuor, & fere dimidium: quod si vniuersas altaris mensuras persequi potuissemus, absque dubio compertum fuisset altare plusquam viginti talentorum millia pependisse. & de pondere iam satis.

ALTARIS pondus vniuersum.

ALTARE HOC
TOTVM AENEVM
fuit & inane, non solidum.
Cap. LXXXIV.

ILLVD tandem silentio praetermittendum non est, quod ad formam pariter & materiam altaris spectat: inquirendum enim est an altare hoc inane fuerit, an vero lapidibus plenum, & quibus? qua in re Mosaici quoque altaris formam hac etiam parte obseruatam fuisse censuimus, de quo praeceptum olim à Domino fuit. *Non solidum, sed inane & vacuum intrinsecus facies illud, sicut tibi in Monte monstratum est.* Namquamuis altare illud propterea factum fuerit inane, quòd portandum esset, hoc vero solidum esse potuisset, dummodo locus cineribus relinqueretur aptus in medio, vel recipiendis, vel ad inferiora dimittendis, vt dixi: tamen in ijs omnibus, quae necessario mutanda non fuerunt, semper fuit altaris vtriusque similitudo seruata sicut templi, & tabernaculi, quare opus fuit vt hoc altare & vsui maxime aptum, & ad indicanda mysteria quàm maxime accommodatum, ea qua dixi ratione constitueretur. Cui sententiae consona Vrbani Quarti Pontificis Maximi interpretatio verborum Psalmi: *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Haec est ara, inquit, templi sancti tui, quod sum ego, iuxta quam stat Angelus ad custodiam deputatus, habens thuribulum aureum in manu sua, vt cum incenso multo orationes coram te Domine fusas cum lacrymis repraesentet. Hoc est altare concauum & inane, à cunctis scilicet terrenis affectibus vacuatum, quod tibi fieri mandauisti ad reponendum cineres memoriae nostrae mortis. Hactenus ex Vrbano. Ad hoc tamen altare retulit Aristaeas praeceptum aliud Domini: *Quod si* A *altare lapideum feceris, mihi non aedificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Id quod propterea factum fuisse ab Aristaea existimarem, quòd vel ipse, vel ij à quibus accepit, non animaduerterint hoc praeceptum ad ea tantum tempora fuisse referendum, quibus, quòd altare permanens nondum fuisset Hierosolymis extructum, licebat adhuc pijs viris altaria pro locorum opportunitate construere. Quae vel è terra construenda praecipit Dominus, vel è lapidibus construi permisit, ea tamen lege vt lapides minime sint secti, sed rudes, atque impoliti, illudque maxime cauendum esset, ne à ferro fuissent percussi. Cuius rei rationem B proposita quaestione reddit Theodoretus. Nemo, credo, negabit vsos fuisse ferro, qui ligna tabernaculi concinnabant, itidem qui aurum, argentum, aut aes fabrefaciebant. Quod autem & Sacerdotes gladiorum auxilio victimas immolabant, excoriabant, & diuidebant, nemo in dubium reuocat. Quaerendum ergo nunc est, quo pacto ferrum non polluebat haec vniuersa, lapides autem sectos polluebat. Certum quidem est alia ex alijs confirmari. Etenim cum Israelitae quadraginta annos permanserint in deserto, continenter abeuntes, & loca mutantes, ideo vetat è lapidibus fabrefactis altare construi: ne cum ibi terram promissam obtinuissent, in aris illis vi- C cini daemonum sacrificia celebrarent. Quamobrem praecepit ex terra, aut è lapidibus, quales natura produxit, altaria construi: nam vtrumque facile dissoluitur. &c. Cum Elias ille magnus in monte Carmelo sacrificare coactus esset, lapides natiuos composuit totidem numero, quot erant Tribus, & super his victimam obtulit: vt quàm citissime dissolui posset aedificium illud, & nemo alius in eo loco sacrificium offerret. Haec ille. Quae omnia id vnum indicant maxima cura cauendum ne sacra prophanis vsibus polluantur. Verum aliud quippiam non minus ad intelligendum vtile, ac necessarium indicatur, dum ferri contactus ab altaris lapidibus quàm maxime remoue- D tur: nimirum vt quoniam altaris lapides victimarum sanguine manare quodammodo viderentur, perspectum hominibus foret quàm odiosa Deo fuisset humani sanguinis effusio, propter quam cultrum, gladium, immo & ipsam gladij materiam ferrum quodammodo auersaretur. Cuius rei testem grauissimum vnum Diodotum, ac certissimum proferam: Sed nimirum, inquit, qua ratione, qua & Dauid prohibitus est ne templum exaedificaret, propterea quòd copiosum sanguinem in bello effuderat, eadem ratione lapides ferro caedi prohibebat, caedem, ac sanguinis humani effusionem hoc exemplo vitandam, fugiendamque omnino docebat. Haec ille. quae de al- E tari iam dicta sufficient. Nam quod ad huius vasa videretur exponendum, ibi proponetur commodius, vbi de templi vasis in vniuersum agendum erit.

Exod. 27. ℣. 8.

ALTARE vacuum fuit non fartum.

Vrbanus IV. in Psal. 50.

ALTARE de lapidibus non sectis.

Exod. 20. ℣. 25.

Theodoret. q. 44. in Exod.

FERRO polluitur altare, quod effundendi humani sanguinis esset instrumentum.

Diodorus in catena Lipomani.

LIBRI QVARTI
FINIS.

DE

DE TEMPLI GLORIA. LIBER QVINTVS.

QVID GLORIAE NOMINE IN SACRIS LITERIS INDICETVR.

Cap. I.

OPERIS nostri suscepta moles immensa, copiosa rerum agendarum, quaestionumque multitudo, virium & ingenij tenuitas, addita satis longa transacti ab initio temporis diuturnitate coniuncta cum amicorum efficaci expostulatione, & multorum expectatione, tanto me perficiendi operis desiderio inflammauit, vt non pauca coëgerit inter scribendum, summatim perstringere, multa, breuitatem sequutus, insinuare intantum, quamplurima denique, quae longam fortasse orationem desiderassent, praetermittere. Id quod non semper casu accidit, aut incuria, verum etiam plerumque data opera, & ex industria, **LIBRI scribendi occasio.** quoniam in tertiam Apparatus nostri partem, quasi in propria sede, collocanda multa remittebantur. Quam tertiam Apparatus partem cum modo in apertam lucem proferre non ita facile possimus, quin moram multo longiorem quam facto opus sit, operi euulgando afferamus, visum est librum hunc quintum secundae huic explanationum parti adiungere, in quo non ea omnia pertractanda sunt, quae in illa tertia Apparatus parte fuissent explicanda, neque eodem ordine, aut methodo, sed quaedam tantummodo, sine quibus vix templum quod illud fuerit, percipi, & accurate dignosci potuisset, quaeue ad huius intelligentiam maxime necessaria esse viderentur. Quarum rerum pertractatio ita fuit temperanda, vt nostro huic muneri deesse minime videremur, & tertiae illius partis olim, si vita superstite, Deus voluerit, euulgandae argumentum suffurati minime crederemur. Cuius rei gratia nonnulla huc transferre decreui ex compendiolo quodam illius Apparatus, quod cum primum Ro- **COMPENDium.** mam appuli, composueram, & manu scriptum Sanctissimo Domino nostro Clementi Octauo Pontifici Maximo, cum vrbis ac templi figuris obtuleram, quo specimen aliquod totius operis exhiberem: fuitque illi compendio quam simillimum, quod prius Mecoenati ac Domino meo Philippo Secundo felicis recordationis Regi Catholico, vulgari lingua & manu etiam exaratum proposueram, deprecatus vt tanti Regis suprema Maiestas censeret quid de opere vniuerso fuisset agendum. Quod cum plene breui temporis A interuallo totum perlegisset, doctissimorum virorum consilijs atque iudicijs de tota re adhibitis, addidit etiam suum Rex ille Sapientissimus, quod maximi beneficij loco memoria colam sempiterna, quam nulla vnquam delebit obliuio, nulla temporis longinquitas obscurabit. fuit enim illud vnum veluti caput, fons & origo omnium, & quidem maximorum, quae in nos deinde ab illa Regia celsitudine, & munificentia beneficiorum veluti flumina effluxerunt: sine quibus vix, ac ne vix quidem opus hoc aggredi, nedum ad exitum perducere potuissemus. Quibus omnibus accessit certe cumulus, qui reliqua officia omnia auget, extollit, exornat, conciliata nimi- B rum mihi a Maiestate tanta Summorum Pontificum beneuolentia & gratia: ex quo factum est, vt cum illis ipsis conferenda non sint, sed & illis potius praeferenda, quae effusa in omnes Clementia, in nos auxit, & abundantissime cumulauit, beneuolentiae signa, & liberalitatis argumenta praeclara. Ex quibus cum multa alia pro locorum opportunitate in ipso opere commemorauerim, vnum illud instar omnium esse poterit, honorificentissima huius nostri laboris commemoratio, quam operis initio praefiximus, & quae vna esse videatur contra aduersarios propugnaculum, ac firmum praesidium, & laborum suscipiendorum leuamen, susceptorum veluti prae- C mium, quippe quae in spem nos adducat fore vt haec nostra studia Reipublicae Christianae, quod vnum ad Dei gloriam exoptamus, sint profutura. Cumque his omnibus meritis compendiolum illud occasio fuerit, quis, quaeso, non existimet dignitatem operi superadditum allaturum, quod operi, ipsi operae, & operario non modicam attulerit? Sed illud non potuit, vt forte curiosus aliquis exoptaret, sic in vulgus dari vt olim, Summis Pontificibus, atque Principibus datum est: tum quòd multa ex ijs, quae ibi compendio agebantur, & summatim, iam sunt in ipso opere particulatim, & fusius pertractata: tum vero maxime, quòd non possent illa cum D praedictis cohaerere, nisi nouo ordine disponerentur, atque alijs permiscerentur tractationibus, quae huius loci esse videbantur propria, & ad eius intelligentiam maxime necessaria. Quapropter alius fuit praefigendus huic libro titulus, qui haec atque illa simul complecteretur alia praescribenda tractationis methodus. Atque

huius

A huius rei gratia duo nobis initio praestanda sunt: nam & ostendendum est gloriae speciosum titulum & cognomen nunquam non templo adscribi solitum, & explicandum, quid gloriae nomine indicetur.

GLORIA saepe templo datur.

Ezech. 43. ℣. 5.

Ezech. 44. ℣. 4.

Et primum quidem non aliunde petendum videtur argumentum, quippe cum quàm plurima huius nobis suppeditat Propheta noster exempla. *Et eleuauit me spiritus*, inquit, *& introduxit me in atrium interius; & ecce repleta erat gloria Domini domus*. Et iterum: *Et adduxit me*, inquit, *per viam portae Aquilonis in conspectu domus: & vidi, & ecce impleuit gloria Domini domum Domini*. Quae quamuis ad gloriam Domini referenda esse videantur, vt vere sunt, nulli tamen B dubium videri debet, quod certum cuiuis esse oportet atque exploratum, gloriosum maxime fuisse domum gloria Domini repleri. Sed praestat Aggaei Prophetae verba proferre, quibus gloriae domus fit peculiaris atque expressa mentio.

Aggaei 2. ℣. 4.

Quis in vobis, inquit, *est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* Et iterum: *Veniet*, inquit, *desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria* &c. *Magna erit gloria domus istius, nouissimae plus quàm primae*. Quibus quidem verbis & gloria templi prima refertur, & quaedam alia nouissimae domus, illa priore multo maior. Quae omnia cum ad Christi Domini, ac seruatoris gloriam explicandam re- C ferantur, operaepretium fore arbitrati sumus, hunc librum, qui de templi gloria inscribitur, in hoc vno Aggaei loco explicando totum fere ponere, ac ne in aequiuoco, quod aiunt, laborare videamur, illud explicandum est inprimis, quod ad gloriae nomen pertinet.

GLORIAE nomen.

Gloria Hebraice dicitur: כבוד cabod, quae vox à verbo כבד cabad, deducitur. cuius oppositum est קלל Kalal, ita vt huius notio illius notionem illustret, & vix alterius reddi posse videatur explicatio, quin de vtroque verbo pariter agatur. Et inprimis verbum קלל Kalal, significat leuem esse, vel alleuiari, pondere, magnitudine, honore, existimatione. Prioris notionis exemplum vi- D dere est in Genesi:

Genes. 8. ℣. 11.

LEVEM ESSE, vel alleuiari.

Intellexit ergo Noe quod קלו Kalu, alleuiatae, imminutae essent aquae, *cessassent aquae super terram*. Sed saepius vsurpatur in secunda significatione, quae ab hac videtur esse translata: vt videre est apud Nahum Prophetam:

Nahum 1. ℣. 14.

De domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile ponam sepulchrum tuum, quia קלות chillotha, *inhonoratus*, despectus fuisti, viluisti, & contemptui habitus, aut nihili. Chaldaeus. De domo idolorum tuorum delebo simulachrum, & conflatile: ibi reponam sepulchrum tuum, quoniam hoc per facile est coram me. Vocis priorem notionem respexit Chaldaeus: ac si sensus esset: Hoc leue mihi est. Septuaginta interpretes in Regio codi- E ce: Quia veloces: quae vox, nisi genus obstaret, facile ad sculptilia referretur, aut si ad superiora

IDOLA LEVIA nullius ponderis, aut momenti.

referatur, deos leues, nullius ponderis, momenti, aut existimationis indicabit: sed magis credo ad rem Vulgatus conuertit: *inhonoratus es*. Solebant enim deorum arae mortuorum cadaueribus aut ossibus pollui: cuius rei gratia vilissimorum hominum cadauera assumebantur, cum nobilioribus parceretur. Et in Genesi:

Genes. 16. ℣. 4. & 5.

At illa, Agar, *concepisse se videns, despexit dominam suam*. Septuaginta: Et inhonorata fuit domina coram ipsa, vel contemptibilis, leuis, despectui habita. Sic enim hera conqueritur ad Abraham: *Quae* A *videns quòd conceperit, despectui me habet*. Huius verbi contrariam sortitur notionem כבד cabad, grauescere, vel aggrauari, idque duritia, pondere, honore, vel gloria. Importatque semper, inquit Forsterus, eius personae, seu rei de qua dicitur, intensionem, & excellentiam, siue in bonum, siue in malum.

GRAVEM esse, id est, honore dignum. *Forsterus*.

Et certe quod magni facimus, graue esse existimamus, non leue sed ponderis atque momenti maximi. Id quod Hispanus sermo frequenter vsurpat: es vn hombre graue, hoc est, honore dignus, & magnae auctoritatis. Priorem notionem respexit Iob.

Iob. 6. ℣. 2. & 3.

GRAVIS ira.

Vtinam, inquit, *appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior in statera. Quasi arena* B *maris haec* יכבד ikbad, ingrauesceret, *grauior appareret*. vel vt alij conuertunt, arena marium grauior erit. quasi per augesim, omnium marium congregatam arenam pondere, numero, & magnitudine superandam esse indicaret: omnia enim pariter significare verbum hoc posset. Ponderis vero proprie, & per translationem assumpti meminit Sapiens in Prouerbijs, כבד cabad, grauitas saxi, & pondus arenae:

Prouerb. 27. ℣. 3.

Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior est. Hoc est, grauitate saxi, & pondere arenae ira stulti grauior est. Alteram verbi notionem vsurpauit Manue ad Angelum de nascituro Samsone nunciantem dicens:

Iudic. 13. ℣. 18.

Quod est tibi nomen, vt si C *sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?* Rabbi Dauid. Et glorificabimus, si nouerimus, inquit, nomen tuum, expleta promissione, honorifice, & grauiter, cum gloria praedicabo; vel oblatis muneribus, atque donarijs te honorabo; alterutrum enim, nonnunquam etiam vtrumque significare verbum solet. Prioris exemplum habes apud Isaiam:

Isai. 29. ℣. 13.

APPROPINQUARE Deo, id est, Deum colere.

Appropinquat populus iste ore suo, & labys suis glorificat me: cor autem eius longe est a me. Illud autem appropinquare Deo, idem est quod Deum colere, vt in Psalmo *Hymnus omnibus sanctis eius*. Sanctos vero, à quibus Deum hymnis perpetuo laudari maxime decebat, mox exponit subdens: *filys Israel* hos ite- D rum alio nomine censet: *populo appropinquanti sibi*.

Psal. 148. ℣. 14.

Sed verbo appropinquandi vsus est Isaias, vt anthitesi quadam satis eleganti demonstraret eos populi illius à Deo quàm longissime abesse, cui semper appropinquare debuisset. Sed hanc elegantiorem dictionem manifesto sermone exposuisse videtur Christus Dominus, dum Scribas & Pharisaeos verbis illis obiurgat:

Matth. 15. ℣. 7. & 8.

Hypocritae, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labys me honorat: cor autem eorum longe est à me.

HONOR linguae & manus.

Exemplum autem gloriae, aut honoris, manu & opere, non solum lingua exhibiti est in Prouerbijs:

Prouerb. 3. ℣. 9.

S. August. lib. de vita Christiana Cap. 12.

Honora Dominum de tua substantia. vel vt habent Septuaginta à Sancto Augustino lau- E datâ: Honora Dominum de tuis iustis laboribus, illi offerens ex ijs omnibus, quae iuste parata sunt, tamquam omnium creatori ac Domino partem aliquam: quam magis exprimens subdit: *& de primitys omnium frugum tuarum*: modum autem oblationis indicare volens Vulgatae interpres, illa verba paraphrastice adiunxit, *da pauperibus*, quos Sacerdotes intelligendos esse bene contendit Iansenius, quippe qui omni carerent hereditate.

Iansenius in Prouerb.

SACERDOTES alendi à populo.

Sensus itaque erit: glorificabitur quidem Deus, dum primitijs frugum tuarum Sacerdotes alueris siue etiam dum de tuis facultatibus inopes quoscunque subleuaueris. Sed hunc atque illum honorem parentibus impendendum

signifi-

PARENTES honorandi.
Exod. 20. ℣. 29.
Matthaei 15. ℣. 4.
S. Thom. 2. 2. q. 122 art. 5. ad 2. 3. & 4.
S. Hierony. in Matthaeum.
S. Isidorus.
Athenagoras lib. de mortuorum resur.

significauit Dominus, cum lege illa sanctissima, honestissimaque sanciuit, quae habetur in Exodo, & laudatur a Christo: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Quibus verbis honorem & reuerentiam parentibus debitam contineri putat Sanctus Thomas, tum beneficijs collatis, vt bene notauit Sanctus Hieronymus, Sanctus Isidorus, & Athenagoras: tum vero maxime verbis, exteriori veneratione, obedientia, & alijs huiuscemodi signis.

Arist. lib. 1. Topic. c. 8. & lib. Problem. sect. 30. probl. 7. & 11.
Isai. 66. ℣. 5.
ODIVM fratrum graue malum.
R. Abraham.
2. Reg. 6. ℣. 20. & 21.
QVI GLORIficant Deum, glorificantur.
1. Reg. 2. ℣. 30.
Isaiae 9. ℣. 1. & 2.

Sed quamuis nonnihil dixisse videar, quod aptum sit ad verbi huius notionem vsquequaque percipiendam, nondum tamen satis dixisse putauero, donec aliquot exempla proponam, quibus hoc verbum illi rei sacri Scriptores opponunt, quod initio proponebamus. Id enim necessarium esse existimaui: tum quòd contrariorum eadem esse perhibeatur disciplina, ac scientia: tum vero maxime quòd opposita iuxta se posita magis elucescunt. Atque in primis audiendus est Isaias: *Audite, inquit, verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres vestri odientes vos,* exaggerat odium iniustum debita fraterna caritas: neque quid immanius, aut crudelius excogitari potest quàm odientes fratres, *& abycientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, & videbimus in laetitia vestra.* Ironiam, & acerbum exprobrandi genus agnoscunt in his verbis expositores Latini, & Hebraei: nam qui verbum יכבד ijchbad, ad communem reuocant aggrauandi notionem: quasi sensus sit: grauis est Dominus super nos, merito reprehenduntur a Rabbi Abraham: quippe qui contextus verborum videntur obliti. Sensus igitur est, vt improbi probris afficere videantur probos: verbis huiusmodi contra Dominum prolatis, & veluti inanem fuisse illorum spem improbrantibus. *Glorificetur Dominus,* gloriosum se ostendat, vos ab iniqua seruitute, qua tenemini, quàmprimum liberando: & videamus amplissima gaudij vestri atque laetitiae argumenta. At videbitis, inquam, & pudor ille, confusio, atque ignominia, qua fratres vestros inique afficere volebatis, in vos ipsos obtrectatores recidet: *ipsi autem confundentur.* Haud dissimile fuit improperium Michol filiae Saul dicentis ad Dauid: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Dauid discooperiens se ante ancillas seruorum suorum.* Cui ad singula fere verba respondit Dauid: *Ante Dominum, qui elegit me &c. ludam & vilior fiam: & ero humilis in oculis meis.* Nouerat enim apprime Dauid Deum rerum omnium opificem atque Dominum iam olim dixisse: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* & quo maior est virtus, atque potestas infinita Dei glorificantis, omni humano conatu glorificantis se, eo maior erit illius gloria, qui Deum censet omni laude dignissimum, ac glorificat: *qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Contemnentur, vt habent Septuaginta: vel despicientur, vt habet Chaldaeus. Quae omnia lucem afferre videntur Isaiae, à quo exordium huius collationis sumpsimus. Is sic habet: *Primo tempore* הקל hecal, *alleuiata est,* vilis, despecta fuit, *terra Zabulon, & terra Nephthali & nouissimo* הכביד hicbed, *aggrauata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium.* Quid vero alleuiandi & aggrauandi verbis initio significare voluisset, sequenti versu disertis verbis expressit: *Populus qui ambulabat in tenebris,* alleuiatus, obscurus, & ignobilis, lumine orbatus, & fere oculis A captus, *vidit lucem magnam,* aggrauatus, vel glorificatus est: *habitantibus in regione vmbrae mortis,* alleuiatis, vel despectis iam iam perituris, *lux orta est eis,* aggrauati scilicet, hoc est, glorificati sunt luce, vita, splendore, ac gloriae cursu sempiterno. Quae quidem expositio quoniam mirum in modum Christi Domini praedicationem extollit, & gentium vocationem, conuersionemque manifestat, ideo occasio est cur Apostolorum gloriam, insidijs, machinamentis ac dolis ita impetant perfidi Iudaei, vt fere aliquibus è nostris falso imponant. Verum stridant quamuis dentibus Hebraei, semper tamen veritas contra omnium hominum calliditaB tem satis sese ipsam defendet, & quo magis tenebris obscurari videtur, eo magis elucescet, & omnes eorum conatus eludet. Siquidem sanctissimus Euangelista Matthaeus à Spiritu Sancto edoctus, & ductus, verum loci sensum nobis exposuit: *Cum autem,* inquit, *audisset* IESVS *quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilaeam: & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephtalim vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem, Galilaea gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam &c. Exinde coepit* IESVS *praedicare.* Ita- C que gloriam Galilaeae, quam multis nominibus ac signis expressit Propheta, in eo sitam esse ostendit Euangelista, quod exinde Christus coeperit praedicationem suam. Fuit igitur prius Galilaea vilis, nullius ponderis aut existimationis, quippe quae non gloria rei militaris, non nobilitate sanguinis, non scientiarum, aut ingeniorum nobilitate clara, non morum suauitate, aut vrbanitate insignis, non probitatis & sanctitatis nomine illustris. His enim omnibus verae praesidijs, atque ornamentis Galilaeam fuisse destitutam indicat illa offensionis plena obiurgatio, qua Pharisaei Nicodemum à defensione Christi deterrent, dicentes: *Numquid & tu Galilaeus es?* D qui patriae ductus affectu, pro Christo respondes, & eius causam in concilio suscipis? *Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilaea Propheta non surgit.* Verum nouissimo tempore gloria dignissima habetur illa regio insigni Diuinaque Christi praesentia, consuetudine, doctrina, miraculis ditissima, in qua non vnus quiuis ex Prophetarum numero surrexit, sed ille Propheta magnus, qui Prophetarum omnium fuit parens, Dominus, atque vltimus finis: hic, inquam, quamuis in Bethlehem Iudae natus, in Galilaea primum sese Prophetam ostendit, & rerum omnium Dominum, à quo suos Prophetas, ac verbi praecones misit in vniuersum terrarum orbem. E Huius enim rei gratia in die sancto Pentecostes, prophetantibus Apostolis turbae mirantur, ac dicunt: *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?*

ALLEVIAre & aggrauare.
Math. 4. ℣. 12. 13. 14. 15. 16. & 17.
GALIlaeae gloria praedicationis exordium, & vocatio Apostolorum.
Ioannis 7. ℣. 52.
Actorum 2. ℣. 7. & 8.

Sed quoniam diuina huius loci mysteria explicare, & enuntiare in praesens non vacat, illud vnum maxime ac primo notandum est, quod ad institutum nostri intelligentiam non parum potest conducere nimirum multo magis fuisse gloriosam illam olim Galilaeae regionem propter Christi praesentiam, quàm fuerit Samaria Regia Israelis, siue etiam Iudaea, quae ad Regiam dignitatem, & pompam Sacerdotalem adiunxit etiam templum

plum cum antiquo ritu, & caeremonijs. Quaquidem ratione cum gloriam templi priorem in auro, argento, pretiosissimisque alijs rebus sitam fuisse simus ostensuri: posteriorem, quae priore longe maior est, illamque infinitis prope partibus superans, in vna IESV CHRISTI Domini nostri praesentia, omnibus alijs caussis reiectis, constitutam fuisse demonstrandum nobis est. quo fiet, vt Aggaei prophetia cum illa Isaiae maxime conueniens esse videatur. Quoniam vero haec ad finem potius libri huius, quam ad principium pertinere videntur, satis erit hoc capite totius libri argumentum insinuasse, quod sequentibus vberius exponemus.

QVAE fuerit gloria templi prima, quae secunda.

QVAE SIT GLORIA TEMPLI.

Cap. II.

ORIGINEM tantum Hebraicae vocis כבוד cabod, quae gloriam significat, priori capite sumus persequuti, superest vt in secundo eiusdem notionem inquiramus, qua perspecta, illud facile quoque percipietur quod huius instituti proprium est, qua ratione gloria templo competat, illique tribuatur. Et primum quae de verbo diximus, eadem fere omnia nomini inde deducto conuenire videntur. significat enim vox כבוד cabod, gloriam, honorem, splendorem, maiestatem, claritatem, dignitatem, praestantiam, excellentiam. His enim omnibus nonnihil subest grauitatis, quam respexisse videtur Sanctissimus Apostolus Paulus, neque id tantum, sed & oppositae vilitatis, & ignominiae meminisse, quam superiore capite retulimus: & vtriusque simul conferens notiones, futurae retributionis praestantiam atque excellentiam nobis indicat. *Id enim*, inquit, *quod in praesenti est momentaneum, & leue tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Miras antitheses singulis pene verbis insinuat, inter quas non postremum locum obtinent, quae ex notione leuis & grauis desumuntur. Gloriae pondus attribuit, tribulationi leuitatem: huic momentaneam durationem, illi aeternitatem: huic praesens tempus & locum, illi sublimitatem, & perennitatem: huic nostram esse tribulationem, quippe quam quasi manu apprehendimus, & pugno concludimus, illi vero vt supra modum, supraque omnem mensuram, sine vlla intermissione operetur in nobis. Sed certe nomen gloriae tam late patet, vt pluribus vocibus, & multiplici sermone exprimi vix possit, vna autem ne vix quidem. Si tamen vlla excogitari potuit, quae notionem gloriae aliqua ratione indicaret, ea vna fuit excellentia. id enim omne cui gloria tribuitur, ostenditur quidem excellere inter ea omnia, cum quibus eiusdem dignitatis, honoris, substantiae, decoris particeps est, aut im-

QVID gloria significet.

2. Corinth. 4. ℣. 17.

GLORIA pondus est, tribulatio leuitas.

GLORIA, id est, excellentia.

A perij. Nam tametsi pro claritate vsurpatur à Paulo, in eiusmodi quoque claritate licet obseruare excellentiam. *Quod si ministratio mortis*, loquitur de lege, quae morte plectebat transgressores, vitam minime donabat obseruatoribus *literis deformata in lapidibus*: quod vtrumque inglorium esse videtur, quippe cum alijs etiam legibus commune id fuerit: *fuit in gloria* ita vt omnes alias leges, & iura longe superaret, idque manifesto signo testatum habuerunt, *ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam* claritatem, *vultus eius, quae euacuatur*. Sed in hoc quoque excelluit Moyses, & inter Prophetas clarissimus fuit, etiamsi claritas

B vultus eius tam diu durauerit, quàm diu & vita; qua deficiente defecit. *Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?* Nam quod gloriam ad excellentiam reuocauerit hic Paulus, perspectum esse poterit ex ijs, quae sequuntur: *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam*. Verum ne noua & à nobis excogitata videatur haec sacri textus expositio, illum ipsum eius interpretem audiamus, qui eodem dictante Paulo eius epistolas exponebar. Is est Sanctus Ioannes Chrysostomus: In superioribus igitur, inquit, ostendit, quod & hoc fieret in gloria, non simpliciter in gloria, sed excelleret etiam. Neque enim dixit, quomodo

C non magis administratio Spiritus erit in gloria, sed abundat in gloria, demonstrata ex supra dictis rationibus eminentia. Hic etiam quanta sit excellentia, demonstrat dicens: Si banc illi comparaoo, ne gloria quidem veteris Testamenti gloria sit, sic temperans sermonem, vt non simpliciter neget esse gloriam, sed dumtaxat in ratione comparationis, eoque subiecit, *in hac parte*, hoc est, iuxta rationem collationis. Haud tamen reprehendit vetus Testamentum, sed vehementer etiam commendat: siquidem comparationes in rebus cognatis fieri solent. Haec Sanctus Doctor.

Qua etiam ratione maximae opes, & copiae omnibus rebus ornatae atque instructae, gloriae

D nomine censentur in Genesi. *Postquam autem audiuit* Iacob *verba filiorum Labam dicentium: Tulit Iacob omnia, quae fuerunt patris nostri, & de illius facultate*: fecit הכבוד haccabod, omnem gloriam hanc. Sic Regius codex, & Septuaginta interpretes conuertunt. Sed sensum proprie magis expressit Vulgatus, pariter indicans quid gloriae nomine significetur: *ditatus factus est inclytus*. quippe cuius opes reliquorum omnium opes excellant. Eadem plane phrasis est apud Nahum, vbi diripientes Niniuem Chaldaei sese mutuo hortantur ad praedam illis verbis: *Diripite argentum, & diripite aurum: & non est finis*. Hebraice, ad praeparationem כבוד cabod, gloriae

E prae omni vase desiderij. Septuaginta in Regio: Et non est finis ornamenti eius, aggrauata sunt super omnia vasa concupiscentiae suae. At in Sixtiano: Diripiebant, inquit, argentum, diripiebant aurum, & non erat finis ornamenti eius: aggrauati sunt super omnia vasa desiderabilia eius. Sed apte Vulgatus: *Et non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus*. Quem locum apte exposuit Vatablus: Hebraice habetur, inquit, gloria maior omni supellectile desiderabili: id est, supellex pretiosa est maior, siue pretiosior omni supellectile. Et hic quidem dicendi modus lucem afferre posse videtur Paulo *Qui praedestinauit nos*, inquit, *in adoptionem filiorum*

1. Corin. 3. ℣. 7.

MINISTRATIO mortis lex quare dicatur.

Ibid. ℣. 8. & 10.

GLORIA idem est quod excellentia.

S. Ioannes Chrysost. hom. 7. in epist. 2. ad Corinth.

Genes. 31. ℣. 1.

GLORIA pro opibus.

Nahum. 2. ℣. 9.

Vatablus num. 31.

Ephes. 1. ℣. 5. & 6.

℣. 7. & 8.

GLORIA gratiae quae dicatur.

filiorum &c. in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificauit nos &c. Hoc autem quod gloriam gratiae nunc vocat, mox explicat subdens: *secundum diuitias gratiae eius, quae superabundauit in nobis*. Superabundantes itaque diuitias gratiae, gratiae gloriam merito appellauit. Sed & illud addidit, quod ad gloriae perfectam rationem facere videtur, laudem nimirum. Est enim veluti naturali quadam necessitate coniuncta excellentiae, claritati, ac rerum omnium affluentiae laus: vt gloriae nomine sit digna, ne iaceat in occulto, aut in obscuro aliquo loco. Hoc enim

GLORIAM sequitur laus

vel ipsis Philosophis perspectum fuit, quibus propterea maxime visa fuit expetenda gloria, quòd conspicua, quòd in omnium hominum ore versa- B retur, atque oculis. Cuius rei locupletissimus

Cicero lib. 3. Tusculan. 9.

testis est Cicero: qui cum inanem gloriam suis quasi coloribus expressam ab omnium hominum animis remouere vellet: In summa, inquit, inanitate versatur, consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imagi-

INANIS gloria & solida.

tiem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res & expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum incorrupta, vox bene iudicantium de excellente virtute: ea virtuti resonat tamquam imago gloriae. Idem vero Cicero, qui aequos iudices & incorruptos exigit, ad gloriae manifestationem, triplici ex capite originem gloriae ducendam esse arbitratur. Summa igitur, in- C

Cicero de officijs.

quit, & perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos putat. Dilectionem, fidem, honorem praestandum à multitudine putat Cicero ei, cuius est futura gloria.

HONOR, dilectio, fides, gloriae comites.

Amari autem solent ea, quae in delicijs habentur, & quorum pars nulla amore digna non sit. fides autem illis habetur, quorum ingenia suspicimus. Nam & his fidem habemus, inquit idem, quos plus intelligere quam nos arbitramur. Honores denique meritis tribuuntur, quibus debentur.

Quod si haec omnia, quae de gloria in vniuersum perstrinximus, cum ijs, quae de templo a sacris, & prophanis Scriptoribus dicuntur, atten- D te contuleris, facile inuenies haec cum illis maxime congruere, & singula conuenienter aptari. Nam si eorum operum, quae à ratione proficiscuntur, cum omnia propter finem sint, finis est norma, quaenam gloria poterit excogitari, qua gloria templi infinitis partibus maior non sit,

GLORIA templi maxima.

quod ad Dei Optimi Maximi gloriam extructa fit domus? Quis honos domui non debeatur, cuius dominus & incola Deus est? Quae ingenij, aut sapientiae laus in domo hac non elucescat, cuius Architectus Deus, qui in ea, prima quasi lineamenta deduxit mundanae huius vniuersitatis fabricae, immo & quodammodo Diuinae? siquidem in ea licuit contemplari Christi corporis E tum veri, tum mystici pulchritudinem: quae etiam causa fuit vt singulae aedificij partes atque vniuersae simul in admirationem raperent contemplantium oculos, & animos in amorem tantae pulchritudinis inflammarent. Accedit opum copia, & suppellex incredibilis, ac propemodum infinita: quae omnia nisi excellere intelligantur, quidquid in vnoquoque genere ab omnibus hominibus, vel ingenio excogitari, vel industria comparari, vel viribus valeat expugnari, vt nihil illi, ad summum honorem, & gloriam acquirendam deesse putetur: iniuriam quodammodo irrogare videantur Diuinae sapientiae, prouidentiae, patientiae, aut fidei. Sicut contra, Dei sapientiam extollimus, huius aedificij à Deo ex-

IN DEI laudem templi laus cedit.

cogitati symmetrias, proportiones, symbola, mysteria laudantes, atque supra omne, quod à nobis excogitari potest, extollentes. Eiusdem prouidentiam admiramur contemplantes, & quòd ab orbe propemodum condito huius aedificij materiam, opes, ornamenta parauerit, & quod viros industrios, ac in omnem vsum disciplinamque peritissimos statuto, opportunoque tempore delegerit, quorum opera atque industria in tam illustri eximioque opere complendo vteretur. Et quidem cum tantam auri argentique copiam, lapidum, gemmarum, & similium rerum pretiosam suppellectilem ad hoc aedificium absoluendum inuentam, inuectam, atque collectam fuisse fatemur, quae omnem fidem humanam superare videantur: id totum quantum est, quod certe maximum est, Diuinae omnipotentiae deferimus, cui nihil difficile, nihil est, quod ipsius potestatem non agnoscat. Quam indubitatam ac certam fidem Diuinae aeternaeque veritati Scripturis sacris loquenti praestamus: dum potius imbecillitatem ingenij nostri aperte fatemur, quàm vt si propriae industriae finibus coarctare, & intelligentiae humanae quasi mensuris quibusdam diuina dimetiri nitimur, vim aliquam sacris Scripturis afferamus.

Certum est enim, atque sacrarum Literarum testimonio confirmatum, magnum aliquid atque excellens, & gloriosum Salomoni propositum fuisse extruendum, cum Dei Domus extruenda proponebatur: cui etiam Dei praesidium non defuturum promittitur, donec perficiat omnia: quis igitur non videat in Deum ipsum redundare, si quid à proposita initio gloria defecisse putetur? Huc enim spectat Dauidis sapientissimi atque sanctissimi Regis solicitudo

DAVIDIS solicitudo templi magnitudinem indicat.

quàm maxima, & in praeparandis expensis, atque alijs omnibus, quae extruendo templo videbantur necessaria: tum vero maxime in edocendo filio Salomone, cum suis principibus, atque exhortando ne animum abijcerent in re grauissima, ac difficillima. Et quamuis hoc possem multis Scripturae testimonijs ostendere, vno eoque luculentissimo testimonio contentus ero, quod pro reliquis omnibus esse, & haberi facile poterit. Nam cum dedisset Dauid Salomoni descriptionem templi, ac singularum eius partium, necnon au-

1. Paralip. 28. ℣. 20.

rum & argentum donasset, pro singulis templi vasis, instrumentis, & vsibus, atque ea omnia ponderibus suis atque mensuris expensa & examinata Diuinae liberalitati, prouidentiae, manu accepta retulisset: *Dixit quoque Dauid Salomoni filio suo. Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paueas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet donec perficias omne opus ministerij domus Domini.* Omne ministerium operis domus Domini legunt Septuaginta. *Ecce diuisiones Sacerdotum & Leui-* ℣. 21.

tarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, & parati sunt, & nouerunt tam principes quam populus facere omnia praecepta tua. Ecce quidquid necessarium videretur, aut exoptari posset ad aedificij perfectam rationem. Habuit itaque Salomon a Deo electus descriptiones totius aedificij, singularum partium praescriptam

SVBSIDIA aedificandi templi.

formam, magnitudinem, materiam: habuit diuitiarum affluentiam prope incredibilem: habuit princi-

principes, populum, Sacerdotes dicto obsequentes atque paratos ad quiduis praestandum, quo res ad finem perduceretur optatum. Habuit, quod caput est, Dei Optimi praesidium, atque auxilium nullo vnquam tempore, nullaque in re defuturum, & tamen adhuc solicite cogitat prudens pater de maiori quodam donorum subsidio eidem praestando. quippe qui operis bene perpendisset magnitudinem, atque praestantiam. *Locutusque est Dauid Rex ad omnem Ecclesiam: Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum, & tenellum: opus enim grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo. Ego autem totis viribus meis praeparaui impensas domus Dei mei.* In Hebraeo & Graeco non habetur illud, *impensas*, sed absolute dicitur, aurum in aurum, & quae sequuntur, eodem sensu, quippe aurum, & argentum dum ex eo vasa conflantur, impendi dicitur, non autem expendi, nisi quando auro aliquid aliud emitur, aut operarijs distribuitur. *Et si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit Domino.* Et certè Dauid Salomonem filium quem totius imperij heredem reliquit, huius etiam pietatis, dignissimaeque cogitationis heredem fecit: siquidem scripta misisse legitur haec verba Iromo: *Domus enim, quam aedificare cupio, magna est magnus est enim Deus noster super omnes Deos. Quis ergo poterit praeualere, vt aedificet ei dignam domum? si caelum, et caeli caelorum capere eum nequeunt quantus ego sum, vt possim aedificare ei domum?* Quae quidem sapientissimorum virorum verba, in eam me sententiam inducunt, vt existimem sanctissimos illos tunc temporis viros, & à Deo aptime edoctos honorificentissime de domo illa sensisse, quoniam magnificentissime de Deo senserunt. Atque eo magis in illius magnitudinis praedicandae studium exarserunt, quo magis in huius suauissima contemplatione profecerunt: qua ratione futurum speramus, vt quo magis in cognitione hac huius libri studiosi profecerint, eo magis in Dei Optimi Maximi laudem, admirationemque rapiantur. Cuius rei testes quamuis expertus possem nonnullos proferre, tamen ne videar eos ante mortem laudare, ab eorum commemoratione abstinebo. Testem igitur vnum adducam, eumque à nostra tum aetate, tum religione alienissimum, cui tamen ipsa veritatis cognitio, quam licet assequutus, non eam persequutus est, in iudicium condemnationemque redundabit. Esse, inquit Cicero, praestantem aliquam aeternamque naturam, & eam suspiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum caelestium cogit confiteri. Quod si mundi pulchritudo, & caelestium rerum ordo in Dei rapit venerationem, & admirationem quid quaeso non praestabit eadem pulchritudo, idemque ordo breui quadam imagine expressa, in qua & pulchritudinem ipsam atque ordinem licet contemplari, atque sapientiam praeterea artificis admirari, qui rem tantam nouit quasi in parua tabella, proprijs coloribus adumbrare, effingere, exprimere?

1. Paral. 29. ℣. 1. & 2.

DOMVS magna, quippe Dei.

Ibid. ℣. 5.

2. Paral. 2. ℣. 5. & 6.

QVI HOnorifice de Deo sentiunt, de templo quoque magnifice sentiunt.

Cicero de Diuinat.

TEMPLI cognitio in Dei Optimi cognitionem adducit.

Sed haec omnia humana sunt, & quae naturae viribus, quasi corporeis oculis imago quaedam, percipi possunt: illa certe Diuina sunt, quae humanae mentis aciem praestringunt, ac fugiunt, quae supercaelestium rerum ordinem, quae Diuinam ipsam praestantemque naturam quodammodo repraesentant: & ad eam suspiciendam nos inducunt. Quae omnia respexisse videtur à Deo edoctus Dauid dum diceret: *Vnam petij à Domino* quasi dicat, hoc vnum assiduis precibus à Domino Deo expeto: *hanc requiram*, & expetam *omnibus diebus vitae meae*, quod reliquum mihi est praesentis vitae: *vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.* Hebraice בנעם beno'gham, in voluptate Dei conuertunt Hebraei: Chaldaeus, in iucunditate Dei. Vox enim נעם nagham, Pulchrum esse, iucundum, gratum, suaue, delectabile significat. A qua non dissidet Graeca vox τερπνότητα terpnotita, vt recte Vulgatus, *voluptatem* vertetit. Sanctus Augustinus delectationem. Sic enim dici potest templum in quo Dei residet sapientia: quae delicias suas dicit esse cum filijs hominum. Vel quod dulcissimum esse homini affirmet locum Diuinae habitationis inuisere, ac suauissima perfrui eiusdem consuetudinis dulcedine. *Voluptatem Domini* vocat caelum, cuius imago quaedam fuit templum, vt alias fuse persequimur. Templi praeterea gloriam varijs nominibus exaltat liber Machabaeorum, eo potissimum consilio, vt eius etiam templi ignominiam deploret: est enim omnibus hominibus commune, & fere vniuscuiusque proprium vt tunc maxime agnoscant bona, atque depereant cum illa perierunt. *Sanctificatio eius*, inquit, *desolata est sicut solitudo, dies festi eius conuersi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum, secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius & sublimitas eius conuersa est in luctum.* Mirabili vsus est artificio, contrarijs opponens contraria, summis ima, vt horum natura, & illorum diligenti consideratione pensetur. opponit solitudinem sanctificationi, quae templo tribuitur, quippe quod ad Dei Optimi Maximi cultum esset omnibus bonis instructum, à qua quam longissime abesse deberet non modo res, quae aliquo modo immunda esset, verum etiam quae minus decens appareret. Sanctificationi, inquam, opponit solitudinem, bonorum omnium priuationem & desolationem, omniumque malorum veluti cumulum. Festis, quibus exultare oportebat ac laetari, luctum: Sabbatis, quae maximum decus afferebant cultoribus summi rerum omnium Opificis, qui die septimo requieuit ab omni opere, quod patrauerat, opprobrium. Honoribus reliquis, qui veri sunt, non fallaces, non vani, opponit nihilum. Gloriae ignominiam. Pristinae sublimitati, ac celsitudini luctum, & cruciatum praesentis ignobilitatis ac miseriae. Quae omnia si longiore oratione persequi licuisset, non dubito, quin latum dicendi, aut scribendi campum nobis aperuissent Sed quoniam breuitati potius in hoc extremo labor studemus, haec aliaque multa insinuasse satis superque sit.

DEVS IPSE templo quodammodo refertur.

Psal. 26. ℣. 3. & 4.

TEMPLVM Dei voluptas dicitur.

1. Mach. 1. ℣. 41. & 42.

SANCTIFIcatio.

TEMPLI laudes cum ignominia collatae.

Quae quamuis ad gloriam eorum, quae repraesentantur, referenda esse videantur, dubitandum tamen non est à vera gloria aliena non esse, quae gloriam ipsam sunt ante oculos omnium repraesentatura. atqui si recta ratione ducamur, facile agnoscemus, eo maiorem huius mundi gloriam participare debuisse, ea quae ad templum pertinent, quo inexplicabilem Dei gloriam hominum mentibus, qui nihil praeter humana cognoscunt, tamquam in glorioso quodam totius mundi theatro, perfectiori modo repraesentare deberet. Quocirca aliqua ex ijs, de quibus infinita propemodum percenseri potuissent, huc referre

GLORIAE expertia non sunt gloriam repraesentatura.

ferre decreui, partim in ijs ipsis contemplanda, partim aliorum, quae hominibus magna videri solent, collatione proposita, vt vel hac vna ratione constare possit, hoc aedificium à Deo excogitatum ita reliqua omnia excellere, vt eorum nullum, ne minima quidem ex parte cum hoc possit conferri, nedum illi praeferri, sicut quidam maxima rerum ignoratione decepti senserunt, atque alios à recta veritatis via abductos, in densissimas quasdam tenebras conijcere conati sunt.

TRIPLEX consideratio templi. Porro in omni aedificio, ad Dei cultum comparato tria sunt potissimum consideranda, artificium siue industria conueniens, materia, & opes. Haec enim sunt aedificij quasi propria, quippe **A** quae si cum homine conferantur, veluti ad animum, ad corpus, & ad externa quaedam ornamenta aut vestes pertinent. Atque vt à digniori exordiamur, opus esse existimaui huius libri principium cum fine tertij coniungere, vt à columnarum consideratione incipiamus, quas ibidem praetermisimus, quasque Regum libri, & aliae sacrae historiae particulatim enarrant. Erit enim quasi naturae quidam ductus, vt à partibus, quasi à primis rerum principijs & elementis ad totum veluti Architecturae corpus disputatione transeamus. Sed ne cuiquam videamur res varias in vnum librum conferre, absque vllo ordine vllaque methodo conuenienti, librum hunc de more in disputationes tribuemus.

DE ARCHITECTVRA TEMPLI
DISPVTATIO PRIMA.

QVODNAM SIT A NOBIS ARCHITECTVRAE GENVS EXPONENDVM, *& quo potissimum ordine.* Cap. III.

CVPERET fortasse quisquam, vt in hac, quam instituimus de sacra Architectura disputatione, eum ordinem sequeremur, quem Architectorum nostrorum facile princeps Vitruuius in suis de prophana architectura commentarijs docta sane methodo, rationeque seruauit. quod praecipue optare potuisset is, qui nostrae huius Architecturae studio tenetur, eiusque perdiscendae desiderio ducitur; quae prima est origo Architecturae, & cuius illa imago quaedam est, aut potius vmbra. At certe illorum ingenia, qui, vt hanc ipsam architectandi rationem, quam Deus ipse infinita sapientia & excogitauit, & hominibus tradidit, opprobrijs lacescerent, & iniurijs diffamarent, antiquam illam vsu receptam, & à qua profecta est Vitruuij Architectura, abijciunt, contemnunt, damnant, neque magnifacienda sunt, neque illis est aliqua in re satisfaciendum. Illis vero, qui non inani quadam rerum specie ducuntur, aut excogitatis nescio cuius graphidis figmentis, sed ipsa ratione ac veritatis studio ducuntur, esset quidem mos gerendus, sed ita, vt à recto instituti nostri tramite non aberremus. Et quoniam vtrumque pro viribus nostris conari sumus, breui explicandum initio est, quibus partibus distet à Vitruuio, nostrum de Architectura institutum, & ordo, quem ille tenuit, ab eo, quem nos tenere propria ratione cogimur. Illud inprimis Vitruuio propositum fuit, Architectum ita instruere, vt totum Architecturae corpus, omniaque eius membra decem voluminibus complecteretur. Id quod maiorum praeceptionibus edoctus, aliorumque scripta persequutus facile praestare potuit. At nos quibus Architectum instruere non est in animo, ac multo minus diuersa persequi Architecturae membra, illa tantum breui insinuare decreuimus eiusmodi disciplinae praecepta, quae in hac vna Deo sacra aede **A** fuerunt Dei iussu seruata. Quae si fuissent ab aliquo vel sacro, vel alio Scriptore aliqua ratione explicata, esset quidem nobis parum operae impendendum, ac lucubrationis non multum, & plurimum nobis inde haurire possemus & suauitatis, & fructus. At quoniam nullum licuit habere, qui nobis praeluceret, & impeditae viae rectum iter ostenderet: quae nos diu, multumque desiderauimus, solicite conquisiuimus, & tamen adhuc inuenire non potuimus, alijs praestare cogimur, atque repente duces euadere, qui nullo pene ductore tantum iter difficultatibus plenissimum vix absoluimus. Neque vero quisquam arbitretur nos propterea, **B** inanes quasdam vmbras persequi, non corpus, ac veritatem. quamuis enim nullus sit, vt dixi, qui Architecturae praeceptiones ex sacris literis hauserit, pauci qui inde hauriri posse crediderint; plures qui id omnino negent: ex huius tamen aedificij obseruatione fieri spero, vt multo certiora praecepta desumantur, quam quae ab alijs Architecturae praeceptoribus sunt tradita. immo vero illa ipsa, quae illi tradiderunt siquidem vera sunt, ex hoc vno fonte petita, ac deriuata fuisse cognoscentur. Nam si exempli gratia sacra Scriptura definiat columnae crassitudini, aut diametro duos cubitos: eiusdemque altitudini viginti cubitos: quis erit ita fatuus, quis tam ignarus, aut **C** audax, qui neget decuplam fuisse in hoc aedificio altitudinem crassitudinis? Quapropter paulo attentius exponenda sunt ea, quae tradenda sunt Architecturae praecepta omnia enim ac singula proposito sacrae Scripturae exemplo, ac testimonio confirmaturus sum, aut ostensurus, quibusnam alijs fundamentis insistat eiusmodi praeceptio. Cuius rei causa ea fuerunt mihi initio praemittenda, quae ad aedificij cognitionem pertinebant, & eius partes, ex quibus firma argumenta sunt pro hac nostra disputatione petenda: qua ratione etiam de columnis, & de earum ornamentis, nec non de alijs quibusdam aedificijs huius libri initio agendum fuit, ea tamen lege, vt

breui-

SINISTRAE opiniones de Architectura templi audiendae non sunt.

QVO A VItruuiana distet haec nostra de Architectura disputatio.

ARCHITEctura templi quae & quanta sit.

breuitatis studio ea tantum proponamus quae [A] necessaria videbuntur, reliquis omnibus in commodiorem locum, & otium reiectis.

Sed quamuis alijs legibus duci velle videamur, aliam tenere dicendi methodum, alia praecepta tradere in ijs tamen, in quibus Vitruuium arbitrabamur naturae ordinem fuisse sequutum, ab illo ne latum quidem vnguem discedendum esse indicauimus: quo fiet, vt qui illius sunt institutis assueti cum haec nostra commentaria legent, facili negocio percipiant, & quantum haec atque illa veritati sint consona: & quantum inuicem conueniant, possint iudicare. Et Vitruuius quidem libri sui ordinem professus se fore explicaturum, haec verba initio secundi libri proposuit: Cum corpus Architecturae scriberem, primo volumine putaui quibus eruditionibus, & disciplinis esset ornata exponere, finireque terminationibus eius species, & e quibus rebus esset nata, dicere: itaque quid oporteat esse in Architecto ibi pronuntiaui. Ergo in primo de artis officio, in hoc de naturalibus materiae rebus disputabo. Haec ille. Quem nos primo, & secundo huius partis libro imitari conati sumus: de Architecti officio primo loco disputantes: tum eius cui haec fuerunt initio proposita, hoc enim nomine licet appellare Prophetam, vt ibidem ostendi, tum vero maxime illius, qui huius aedificij rationes perspectas habere desiderat. Inter illos enim, quos intendit Vitruuius in Architectonicis erudire, & eos quorum commodis haec no- [C] stra scripta donamus, hoc interest, quod ille eruditum destinat ad opus, nos vero in vnius veritatis cognitione persistendum esse suademus. Atque inde factum est, vt quam ille statim aggreditur de materia disputationem, in aptiorem locum consulto distulerimus. Immo vero eam omnino praetermissam esse putaremus, nisi pretiosa materia cum opere coniuncta, pretiosiorem laudem afferret huic aedificio atque adeo in ea explicanda suis, loco, & tempore nonnihil immorandum est; interim huius aedificij laudes agnoscere, & euulgare hoc potissimum libro polliciti sumus.

Vitruuius lib. 2. cap. 1.

ARCHITECTVRAE tractationem quomodo disponat Vitruuius.

LIBRORVM nostrorum ordo.

Sed ad institutum Vitruuij ordinem explicandum reuertamur. Et quidem ille tertio & quarto [D] volumine de sacrarum aedium dispositionibus, ac de earum generibus disputauit, vbi de partibus earum, de columnis, deque ornamentis docte multa disseruit, Ionici generis, Dorici, atque Corinthij instituta, & mores pluribus persequutus. Nos vero, qui vnum tantum Architecturae genus agnoscimus hoc toto aedificio obseruari, eiusmodi generum distributiones minime persequendas fuisse duximus, tametsi cum ostensuros nos esse polliciti simus ab hoc vno architectandi genere reliqua omnia originem duxisse: de illis etiam obiter suis locis aliquid erit hoc libro adnotandum. Quibus omnibus addendum est, tertio, & quarto praecedentibus libris aedi- [E] ficij rationem ex Prophetae verbis petendam primum fuisse, vt tactis illis veluti fundamentis, firma consisteret omnis haec symmetriae, ac proportionis consideratio.

DE VARIIS architecturae generibus aliquid a nobis dicendum.

Et quamuis ex ipsis Prophetae mensuris ipsa per se pateat proportio, ordo, pulchritudo, illam tamen proprijs sacrae Scripturae testimonijs confirmare libuit, ne videremur aliunde communia quaedam argumenta transferre, aut ea expendere, quae quamuis in hoc aedificio reperientur, tamen praeter artificis mentem fuisse existimentur. plerumque enim contingere posset, vt si quis plures diuersosque numeros casu congerat, [A] in vnum locum, peritus quispiam plures inter illos proportionum rationes inueniat, quas ne cogitauit quidem is, qui primus eiusmodi numeros copulauit. Sed haec quàm longissime distant à sapientia Dei infinita, nihil enim excogitare poterit humana ratio, ad perfectionem tum proportionis, tum pulchritudinis spectans, in ijs, quae à Deo facta sunt, quin plura, ac multo maiora illis ipsis inuentis possint inueniri, immo & excogitata sint ab ipso inuentore Deo. In huius quoque argumenti confirmationem nonnulla licet afferre ex sacris Literis testimonia, quae tamen non licebit particulatim expendere. Celebre est illud Dei ad Prophetam nostrum dicentis: *Tu* [B] *autem fili hominis ostende domui Israel templum:* Vel domum, vt habent Hebraea, Graeca, & Chaldaea &c. *Et metiantur fabricam.* &c. *Figuram domus, & fabricae, eius exitus & introitus, & omnem descriptionem eius, & vniuersa praecepta eius, cunctumque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum, vt custodiant omnes descriptiones eius, & praecepta eius, & faciant ea.* Singulis pene verbis aliquid significare videtur quod ad praesens institutum pertineat, quo fabricae ordo, symmetria, & apta dispositio commendatur. Nam *fabricam* quam metiri praecipiuntur voce תכונת tachunath, efferunt Hebraei à radice תכן thacan deducta, quae ordina- [C] re significat, numero, pondere, mensura aliquid disponere. Eius vsus est in Psalmo, cum iudicantis Dei fit mentio: *Liquefacta est*, inquit, *terra*, vel dissoluetur, vt habent Hebraea *& omnes, qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* direxi, firmaui, columnas eius disposui. Quasi dicat. Sentiet terra irati iudicis imperium, quippe quae non alijs insistit columnis, aut firmamentis, nisi ijs, quibus illam ipse idem iudex, & opifex ab initio constituerat. Rerum omnium vicissitudinis ordinem significat, & mirabilem dispositionem Creatoris, qua cuncta subsistunt, & permanent, sub aedificij, columnis fulti, ac mirifice exornari translatione. Hac eadem voce, [D] & ratione Hebraei legunt, & exponunt illud Ezechielis: *Tu signaculum similitudinis.* Hoc est rerum omnium formam, pulchritudinem, mirabilemque dispositionem complexus, vt ibidem exponebamus. Quapropter exemplar fabricae hoc loco significabit vox, quod dimensum examinandum praecipit, vt possit aliqua ex parte cognosci, quanto artificio, quam admirabili sapientia sit architectatum: quàm apte & concinne cum partibus singulis singulae, & cum singulis vniuersae, & vnaquaeque illarum cum vniuerso aedificio consentiat. Cuius rei vel vnum esse videtur satis praeclarum, & nobile argumentum, quod eadem voce tum rerum vniuersale artificium exprimi- [E] tur, tum templi. Neque id mirum aut nouum cuiquam videatur, cum, vt infra ostensuri sumus, hoc sit veluti signaculum similitudinis, & mirabile rerum omnium exemplar.

DEI SApientia in Architectura maxime elucet.

Ezech. 43. ℣. 10. & 11.

FABRICA quae dicatur.

Psal. 74. ℣. 4.

Ezechiel 28 ℣. 12.

MVNDI fabrica sub aedificij translatione.

Vberius enim ac fusius in vniuerso aedificio, quam *in vna veste ponderis quam habebat*, totus orbis terrarum descriptus erat. Sed de hoc iterum. Quae omnia indicare voluisse videtur Vulgatus, fabricam conuertens Hebraice exemplar. *Et fabricae* dispositionis. Quater vero repetitur vox צורה tzurath quam *Figuram, descriptionem, ordinem, descriptiones.* conuertit Vulgatus. Et quamuis figuram, exemplar, effigiem, formam, ea voce significari omnes fateantur, vix duo consen-

Sap. 18. ℣. 24.

FIGVRA ordo, dispositio quae.

 tiunt

tiunt in vocis origine tradenda, & explicanda. Aliqui enim à יצר iatsar, deducunt, quod est formare, alij à צור tsur, quòd est coarctare, quasi sit maximae alicuius rei, vel plurium forma contracta. Qua ratione exponendum putant

Psal. 48. ℣. 15 & 16. illud Psalmi: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Et dominabuntur eorum iusti in matutino* וצירם vetsuram, quasi צורתם tsuratham: forma eorum, vel anima, vel corpus eorum, *& auxilium eorum veterascet a gloria eorum*. Chaldaeus paraphrasim haud inconcinnam loci proposuit: Sicut oues ad mortem iusti, & interfecerunt, & extirpauerunt iustos, & subiecerunt eos, rectos insuper peruerterunt. Propterea corpora eorum consumentur in gehenna, quoniam extenderunt manum suam, & destruxerunt domum habitationis diuinitatis eius. Gloriam ad Dei domum retulit Chaldaeus, formam ad corpus: sed certe miram in damnatis rerum omnium bonarum praesertim priuationem indicare videtur vox, forma eorum, quòd omni careant substantia, aut boni cuiuslibet subsistentia: id enim significat

AVXILIVM veterascere quid sit. vox Latina, *Auxilium veterascet*, effluet, siue euanescet, quamuis numquam defuturum sit id quo crucientur, & in perpetuum erunt mortis, & ignis inferorum esca.

Sed quamuis de vocis notione non constet; nobis tamen vel vnum satis esse potuisset Vulgatae editionis exemplum, nedum tam multa: vt certo agnoscamus ea voce templi imaginem, exemplar, seu descriptiones significari, in quibus mirabilis splendeat ordo, dispositio, artificium. Illud praeterea addendum esse ex Hebrai-

FABRICA contracta, & modica idem. ca origine non dubitabimus, figuram hanc domus, quae ab Ezechiele proferenda fuit, & à nobis pro facultate nostra exprimenda, contractam esse debuisse, hoc est, in minorem formam redactam: nisi forte idem hac voce indicetur

Supra lib. 2. Isagogico. cap. 12. quod a Vitruuio, dum modicam vocat ichnographiam, & orthographiam: vt supra à nobis explicatum est.

Vniuersa *praecepta eius*, vel statuta eius, vt habent Hebraea, legitima eius, vt habent Graeca. Vel instituta, vt habent Chaldaea. Est enim vox חקק chachach, à qua praedicta deducitur, statuere, vel constituere, indeque decretum siue statu-

Iudic. 5. ℣. 15. & 16. tum. Huius vsus est in Cantico Debborae: *Diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio*. quod iterum ad finem sequentis versus repetitur. Alij sic ex Hebraeo. In diuisionibus Ruben, maxime sunt חקקי chichchim, decretarij cordis. Et iterum ad diuisiones Ruben magno-

DECRETArij cordis, qui dicantur. rum virorum, qui erant decretarij cordis. Estque elegans Hebraismus, decretarij cordis, id est, cor multa cogitans, statuens, confirmans, & abijciens, vt nouis se dedat cogitationibus. Diuiso Ruben, hoc est, Rubenitis Iordane separatis ab alijs, vehementer admiror quod non venerint, opem allaturi fratribus suis. Quod Hispana phrasi diceremus: Mucho da que pensar que Ruben no se hallase aesta jornada. Et apud Isaiam: *Vae qui con-*

Isai. 10. ℣. 1. *dunt* חקקי chichchi, statuta, decreta, *leges iniquas*. Quapropter omnem felicitatem Ecclesiae Catholicae praedicens infra, sub varijs aenigmatis, & symbolis, mox eius quasi ori-

Isai. 33. ℣. 22. ginem, fundamentum, & causam indicat subdens: *Dominus enim iudex noster*, qui non alienis ducetur statutis, aut legibus, quibus subesse possit, aut iniquitas, aut falsitas, sed proprijs: *Dominus*, מחקקנו mechochchenu, *legifer noster*: qui statuta condit, & leges: *Dominus rex noster* &c.

Quae quidem omnia illud certe confirmant, non

DIVINIS praecedentibus consilijs atque statutis templum extructum. casu aut temere, his aut illis mensuris finitas fuisse templi partes, sed maximo consilio, & praecedentibus statutis, non quidem humanis, sed Diuinis. Id quod supra ex ipso Dauide attestante confirmatum fuit: *Haec enim omnia*, inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris*. Sed & nuncium

Supra lib. 2. Isago cap. 15. 1. Paralip. 28. ℣. 19. per quem missa fuerit huiusmodi scriptura, & exemplar, indicare voluisse videtur Eupolemus.

Eupolemus apud Euseb. lib. 9. Praepar. c. 4. Fundatumque, inquit, templum, longitudinis cubitorum sexaginta, & latitudinis similiter, fundamentumque latitudine decem cubitorum fuis-

NATHAN Propheta Architecturam edocuit. se: sic enim Nathan Dei Prophetam iussisse. Et iterum: Et tabernaculum, inquit, altareque simul, & vasa omnia à Moyse facta inde in Hierosolyma ad templum Dei transtulisse: arcam similiter, & candelabrum, & mensam, ceteraque omnia, vt Propheta praecepit.

Denique omnes *leges eius* ostendi praecipiuntur, quae Hebraice תורתו thorothau, dicuntur, voce à radice תור tur, deducta, quae explorare significat, scrutari, inuestigare, inquirere, inde

DISQVIsitio ordinis. vero deducta est vox, תור thor, dispositionem, seriem, formam, ordinem, rationem signat. id enim indaginem requirit, quod ordine dispositum est, & ratione constitutum. Hac voce vsus est ipse Dauid cum gratias referre vellet Deo, & grati animi significationem proferre deliberaret, quod magna promitteret, propter salutare de-

1. Paralip. 17. ℣. 17. cretum illud aedificandae domus Dei: *Fecisti me spectabilem*, inquit, *super omnes homines Domine Deus*. Hebraice: Et vidisti me כתור cethor, secundum dispositionem hominis magni, eximiae dignitatis. Melius certe Vulgatus, hominis di-

SPECTAbilis. spositionem conuertit, *Spectabilem*, vt propterea vox haec significare intelligatur mirabilem dispositionem, ordinemque partium, quae in sui admirationem, & amorem rapiat spectatores, & eos maxime qui scrutari non desinunt, quae sub specie latent pulchritudinis argumenta praeclara. Equidem contemplabatur Dauid in ipsa fortasse, quam dixi, imagine domum Dei, cum interiorem animi sensum ac voluptatem, quàm ex eius contemplatione percipiebat, continere non

Psal. 25. ℣. 8. poterat, quin quasi erumperet clamans: *Domine, dilexi decorem domus tuae, & locum habitationis gloriae tuae*. Vocem מעון maghon, cuius fere ignoratur origo, locum conuertunt quàm plurimi: ego vero libentius subscriberem illis, qui à radice עין ghin, deducunt, aut עין ghajin, quae oculos significat, aut aspectum, quòd omnia membra libenter suum locum aspiciant; vel spectabilem appellare liceat, quod ad decorem & pulchritudinem retulerunt Septuaginta interpretes. εὐπρέπειαν euprepian, scribentes, quae vox decorem, formam, ornatum, aut, vt alij volunt, decentiam, quòd eius partes, & singulae seorsim, & omnes simul vt maxime decebat, componerentur.

Quae omnia tunc maxime perspecta fore lectori existimaui, cum earumdem partium aliqua apponetur consideratio, cuius rei gratia illae primum explicandae sunt, quae summatim a Propheta nostro fuerunt insinuatae, apud Historicos vero sacros particulatim explicatae. exordium ab illis sumentes, quae magis sunt in vsu, & inter eas à simplicibus incipientes, cuius rei causa aliquot sacrae Scripturae loca, quae de illis agunt, initio sunt praemittenda.

DE

DE AENAEIS COLVMNIS, QVAE RELIQVARVM SVNT NORMA, SACRARVM *Scripturarum testimonia.* *Cap. IIII.*

EX CAPITE SEPTIMO LIBRI TERTII REGVM.

XV. *ET finxit duas columnas aereas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.*

XVI. *Duo quoque capitella fecit, quae ponerentur super capita columnarum, fusilia ex aere quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum.*

XVII. *Et quasi in modum retis, & catenarum sibi inuicem miro opere contextarum. Vtrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altero.*

XVIII. *Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, vt tegerent capitella, quae erant super summitatem, malogranatorum: eodem modo fecit & capitello secundo.*

XIX. *Capitella autem, quae erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.*

XX. *Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensuram columnae contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.*

XXI. *Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachin: similiter erexit columnam secundam: & vocauit nomen eius Booz.*

XXII. *Et super capita columnarum opus in modum lilij posuit: perfectumque est opus columnarum.*

EX EODEM CAPITE.

XXXXI. *COlumnas duas, & funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: & retiacula duo, vt operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum.*

XXXXII. *Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum.*

EX CAPITE VIGESIMO QVINTO LIBRI Quarti Regum.

XVII. *DEcem & octo cubitos altitudinis habebat columna vna: & capitellum aereum super se altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata super capitellum columnae, omnia aerea: similem & columna secunda habebat ornatum.*

EX CAPITE TERTIO LIBRI SECVNDI Paralipomenon.

XV. *ANte fores etiam templi duas columnas, quae triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porro capita earum, quinque cubitorum.*

XVI. *Necnon & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quae catenulis interposuit.*

XVII. *Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, vnam à dextris, & alteram à sinistris: eam, quae à dextris erat, vocauit Iachin: & quae ad laeuam, Booz.*

EX CAPITE QVARTO EIVSDEM LIBRI Paralipomenon.

XII. *HOc est, columnas duas, & epistylia, & capita, & quasi quaedam retiacula, quae capita tegerent super epistylia.*

XIII. *Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo ita vt bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur, quae protegerent epistylia, & capita columnarum.*

EX CAPITE QVINQVAGESIMO Secundo Ieremiae.

XXI. *DE columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porro grossitudo eius quatuor digitorum, & intrinsecus caua erat.*

XXII. *Et capitella super vtramque aerea: altitudo ca-*

do cap telli vnius quinque cubitorum: & retiacula, & malogranata super coronam in circuitu, omnia aerea. Similiter columnae secundae, & malogranata.

Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur. XXIII.

LECTIS iam, ac diligenter consideratis ijs, quae tot scriptores sacri de columnis templi scripserunt, nullus certe tam hebes erit ingenij, qui non putet inesse aliquid magnum, laude, & admiratione dignum, quod Diuino praecipiente Spiritu articulatim fuit distincteque explicandum. Illud vero aegre ab initio semper tuli, quod pij alloquin, & eruditi viri quadam indagandae veritatis specie, ipsi sese cognitioni diuinae veritatis opponant, quam, cum negare non possint, hac atque illac detorquere conantur, ne quid maius, aut excellentius dicat quàm id, quod ipsi omnibus alijs praeferendum suo sensu putarunt. Qua sentiendi, aut disputandi ratione mirandum est, quod non videant quantam irrogent sacris scriptoribus, aut etiam Scripturis iniuriam, quas facile putabunt impij in rebus etiam alijs ad fidem, atque aeterna bona spectantibus excessisse, si in his quae corporea sunt, atque infinitis plurium saeculorum hominibus perspecta & considerata, aliquis admittatur excessus.

Sed illis omnibus praetermissis, quibuscum minime disputandum esse sentimus, illud vnum initio huius disputationis proponendum censuimus, quod ea absoluta maxime confirmatum iri sperauimus, maximam laudem templo attulisse columnas has, quibus quidquid in eo genere posset excogitari superantibus, ad templi gloriam explicandam testes locupletissimos adhibuimus. Eas enim Theodoretus immensae magnitudinis appellat. Eupolemus vero grauissimas eas auro fecit. Fecit quoque, inquit, duas columnas aeneas, easque auro puro contexit digiti crassitudine. Haec ille.

Theodoret. super vltimo Ierem.
Eupolemus apud Eusebium lib. 9. praeparat. extremo.

DIFFICILIS sacrae Scripturae phrasis.

Sed fateor ingenue id, quod aliàs fusius disputauimus, sacrae Scripturae phrasim difficilem esse, & in illis praecipue rebus, de quibus plures scriptores diuersa ratione loquuti sunt, omnino difficillimam. quae causa fuit cur illi, qui ea quae

A prophani scriptores laudare conati sunt, laudare non cessant, si quae sacri laudauerunt, reprehendere nequeant, extenuare conentur, aliquam inde sumpserint dubitandi occasionem. Verum nobis, quibus ab initio constitutum fuit, Scripturas sacras alijs sacris Scripturis explanare, vt illae ipsae sibi sint luci, quae veritatis lumen mundo afferunt vniuerso, libentius in ea loca incumbimus, vt hactenus, Deo bene disponente, maiori cum suauitate & fructu incubuimus, de quibus plura reperiuntur sacrae Scripturae testimonia, quamuis longe diuersa videantur, aut plerumque etiam contraria. Nam dum ea mutua collatione facta in vnam, & eandem inter-

EA LOCA libentius expendimus, quae plura de eadem re sint, etiamsi videantur contraria.


B pretationem consentire ostendentur, quae in reliquis dissentiebant, eam vnam veram, certam ac genuinam esse plane demonstrabunt.

Quod in altitudine columnae primum ostendenda perspectum esse poterit, altitudo enim vniuscuiusque columnae, duodeuiginti cubitis finitur in Regum libro, at in Paralipomenis vtraque quinque & triginta cubitis est dimensa, nec tantum, sed & capitellum vniuscuiusque columnae nunc quinque cubitorum constare dicitur, nunc trium, nunc denique ad mensuram columnae, hoc est, duorum cubitorum, vt mox ostendemus. Quae omnia nulla quidem ratione percipi possunt, nisi prius columna cum suis om-

C nibus partibus, atque ornamentis perspecta sit. Et quamuis minores quaedam columnarum formae, in omnibus fere orthographijs templi expressae fuerint, hic tamen apponenda fuit capitelli forma cum sua trabeatione, cui subest columnae summus scapus· & huic quoddam veluti capitelli, & coronae vestigium, in quo malogranatorum ordines dispositi cernuntur, de quibus agendum post pauca nobis est. Apposuimus eidem figurae basis formam de qua etiam nonnihil dicendum est, ac duo praeterea alia capitella, quae Romae videre licuit, quae nonnihil ex illa antiqua Salomonis architectura referre videntur.

Haec autem omnia tametsi non simul exponenda sint, simul tamen apponenda fuerunt ante oculos, ne plures dispersae figurae lectoris cursum impedire viderentur.


SACRAE




SACRAE ARCHITECTVRAE PARTES EARVMQVE MENSVRAE ET ORNAMENTA

FORMA CAPITELLI MARMOREI QVOD IN SVO TITVLO SS MM. NEREI ET ACHILEI POSVIT ILL.^{mus} ET R.^{mus} CARD. BARONIVS










BASIS COLVMNARVM TEMPLI SALOMONIS



DE COLVMNARVM PARTIBVS, LATITVDINE, *& craßitudine in vniuersum. Cap. V.*

EX columnarum ornamentis, formisque seorsum appositis bene perspectis, lectori licebit vnam integram columnam cogitatione formare, cuius partes ab imo ad summum vsque computatae huiusmodi sunt. Basis, quae deinde suis membris constat, quadrata plintho, & in orbem ductis decem spiris, vt suo loco ostendemus. basi superstat scapus, siue stylus, summo scapo imponitur capitellum: atque tres dictae partes simul columnae nomine plerumque censentur. Capitello insistit epistylium, aut trabs, sic dictum quod super stylo, hoc est, super columna statuatur: succedit epistylio zophorus, zophorum denique complet, & honore summo afficit corona. Quibus sic constitutis, ac probe à lectore perceptis, facilis erit verborum Scripturae explanatio. Quae non modo mensuras nobis indicant columnae, verum etiam illud quod fortasse quispiam scire desideraret, quo ordine, aut qua ratione sint fusae tam immensae magnitudinis columnae: quarum maxima pars fuit scapus, qui totus vna cum spiris basis, dempta plintho, fusus fuit, & hunc quidem scapum cum basi metitur vterque locus Regum *Decem & octo cubitorum*, inquiens, *altitudinis columnam vnam. Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna vna.* ac mox subdit *similem columna secunda habebat ornatum.* Et Ieremias: *De columnis autem*, inquit, *decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna.* Sed & Iosephus de Chiramo Architecto sic scribit: Is fecit duas columnas aereas crassitudine quatuor digitorum: altas decem & octo cubitos. At quoniam totus scapus cauus erat, & additae insuper spirae basis erant etiam cauae, necessarium visum fuit solidam quadratam plinthum fundere, quae totum opus columnae, instar fundamenti, & sustentaret, & contineret. atque praedicti loci, vt dixi, plinthum columnae adiecerunt, quae tota vsque ad capitellum octodecim cubitis erat alta.

3. Reg. 7. ℣. 15.
COLVMnarum altitudo.
4. Reg. 25. ℣. 17.
Ierem 52. ℣. 21.

At liber Paralipomenon vtramque simul scapi vtriusque complexus est altitudinem, dempta tamen vtraque plintho: atque eam reperit fuisse cubitorum quinque & triginta. *Ante fores etiam templi*, inquit, *duas columnas* fecit Salomon, hoc est, fieri praecepit, *quae triginta & quinque cubitos habebant altitudinis.* Qui quidem locus vnicuique columnae cubitos tribuit septendecim cum dimidiato: tot enim praecise altum fuisse scapum columnae, sublata plintho & capitello, infra ostendam.

SCAPI altitudo cubitorum 17½ praecisa.

Quae omnia quamuis ipsa plurium scriptorum ac rerum consensione satis firma esse videantur, ea tamen multo magis confirmabuntur ijs ipsis ratiocinationibus atque mensuris, quae ex hac vna altitudinis mensura deducentur, & quidem omnes quotquot de columnis scripsere, in hanc vnam sententiam venerunt, vt eam esse indicarent veluti primum omnium mensurarum totius templi fundamentum, vt infra patebit. Illud autem ex candido, benignoque lectore exigendum initio fuit, vt permittat me veritati ex proprijs fontibus indagandae operam dare, illis omnibus figmentis, quae huc intulit ignoratio, praetermissis, quae pudet certe referre, nedum in illis confutandis diutius immorari. Quamuis enim non ignorem in his omnibus facultatibus, quae communes non sunt, (quippe quae maiori cum defatigatione parantur, & quoddam exigunt à natura discentis ingenij acumen, & assiduam exercitationem) ea tantum, quae ab ignoratione profecta sunt, ignaris vsquequaque placere consueuerint: tamen quoniam paucioribus prodesse potius cupimus, ijsque studiosis, quam à communi & incomposita plebe laudari, ea tantum subijciemus veritatis proponendae fundamenta, quibus prudens lector possit omnia eiusmodi figmenta dignoscere, illisque minime dimoueri, sed ea propulsare atque propellere.

Sed ab altitudine scapi ad eiusdem crassitudinem veniamus, sequi enim nos decet sacrae Scripturae, quam interpretamur, ductum. *Et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.* Vox השני haseni, quam Vulgatus vertit *vtramque*, à verbo שנה sanah, deducitur, quod iterare, secundare significat: quare ab aliquibus verba potius, quàm verborum sensum respicientibus, conuertitur, Linea duodecim cubitorum cingebat columnam secundam, quibus si secundatam legere liceret, aut si ipsi iteratam scripsissent, propius certe ad veritatem accessissent.

CRASSITVdo quae, ac quanta.

Sed quam longissime à sensu recessit Chaldaeus, Septuaginta interpretes forte imitatus, qui difficultatem Hebraicae phrasis explanare cupientes, aliter sensisse videntur, quàm vt cum Hebraeo textu sentirent. Et perimetrum duodecim cubitorum filum ambiebat eam, & sic columna secunda. Subintelligendum enim esse videtur, eodem filo, quasi sensus sit, filo duodecim cubitorum cinxit columnam vnam, & reliqua fili parte cinxit columnam secundam. Sed phrasim, immo & rem ipsam vno verbo expressit Vulgatus: שני seni, *vtramque* conuertens. Hunc enim sensum sortitur sine controuersia eadem vox in Genesi: *Idcirco vocatus est*, inquit, *locus ille Bersabee: quia ibi* נשבעו *scebeu* secundus eorum, ambo ipsi, melius Vulgatus: *vterque iurauit.* sic etiam solicita Rebecca, de odio, quo Esau prosequebatur Iacob pro benedictione sublata, hunc hortatur vt fugiat: *Cur*, inquit, שניכם *senecem*, ambobus vobis, *vtroque orbabor filio in vno die?*

SECVNDA pro vtraque.
Genes. 21. ℣. 31.
Genes 27. ℣. 45.

Non me latet Ieremiam Prophetam, dum miseram vrbis cladem, ac templi deploraret incendium, columnarum meminisse, cum eadem fere verba historiae Regum retulisset: *Et funiculus*, inquit, *duodecim cubitorum circuibat eam.* qui cum lugentis affectum concisis verbis, ac veluti singultibus interruptis exprimeret, quam historia vocauit, (secundam), hoc est, *vtramque*, ipse pronomine quodam duarum literarum, quod affixum vocant, adiuncto, (eam,) dixit, hoc est eam vtramque quam dixit historia, atque adeo in idem recidit. Quibus consentit Iosephus, dum de Chiramo a Tirio Rege ad Salomonem misso sermonem haberet Is, inquit, fecit duas columnas aereas crassitudine quatuor digitorum, altas decem & octo cubitos, quarum circumferentia duode-

Ioseph 8. anti cap. 2.

duodecim cubitos complectebatur. Haec ille. A quo minime dissentire putandus est Eupolemus quamuis librariorum fortasse vitio decem cubitorum legamus pro duodecim. Is vero, quem laudaui, Eupolemus viam quandam nobis aperuit, consequendae veritatis aptissimam. Fecit quoque, inquit, duas columnas aeneas, Salomon, easque auro puro contexit digiti crassitudine, erat que columnarum altitudo par templo, latitudo vero cuiusque, siue crassities in orbem decem cubitorum fuit. Et quod ad auri crassitudinem pertinet infra expendemus.

Eupolemus apud Euseb. 9. Praepar. cap. 4.

COLVMNae aereae reliquis templi pares.

Illud vero maxime notandum, quòd columnas testatur templo fuisse altitudine pares. Quasi dicat columnas has reliquis vniuersi templi pares B fuisse. Id quod ex harum, illarumque collatione liquido constare poterit. Nam etiamsi non eodem loco, aut eadem ratione templi columnae marmoreae, earumque mensurae referantur, atque aenearum columnarum partes, & dimensiones, tamen cum nos singularum partium mensuras vndique conquisitas simul composuerimus, easque figuris expressas ob oculos semper habuerimus: facillime potuimus has, atque illas conferre, & affirmare, has ab illis nulla ratione dissimiles fuisse, sed omnes pares, omnesprorsus easdem. Ex quo mox liquet, eundem Eupolemum deceptum fuisse, dum vnicuique columnae circumferentiam tribuit decem, siue duodecim cubitorum: cum praeterquam quod perspicuis sacrae C Scripturae testimonijs aduersatur, vniuersi aedificij proportionibus repugnat, vt tantam crassitudinem columna habeat, quae alta sit duodeuiginti tantum cubitos, vt sacri Scriptores tradunt, & vt ex omnium columnarum templi altitudine monstrabitur. sentiamus igitur quod verum est ac certum, filum duodecim cubitorum circumdedisse columnam vtramque, sex cubitorum lineam cinxisse alteruttam. Huius ergo diameter ex tertia circumferentiae parte, qua ratione nos docuit sacra Scriptura computare, duorum cubitorum fuit. quanta videlicet data est à Propheta nostro frontibus, aut semicolumnis vniuersi templi latitudo, quantaque à nobis o- D stensa est esse debuisse omnium columnarum templi diameter, seu crassitudo non earum modo, quae in medijs porticibus atriorum Israelis, & Sacerdotum erigebantur, sed & earum, quae vniuersum atrium gentium cingebant, & porticuum contignationem sustinebant.

Id quod non symmetriae ratione tantum confirmatum est, verum etiam locupletissimo Iosephi testimonio. Is enim cum Meridianam porticum atrij gentium ab Herode factam retulisset, quae antiquae Orientali porticui ex prima Salomonis aedificatione adhuc eodem attestante Iosepho superstite coniungeretur, vt perspectum foret huius, atque illius columnas pares fuisse: id à se E testatum esse voluit: Crassitudo autem, inquit, cuiuscumque columnae, quantam possent tres homines, consertis inter se complecti brachijs: longitudo viginti septem pedum, subiecta spira duplici. Haec ille. qui singulis prope verbis aliquid nobis indicat, ad columnarum rationem percipiendam maxime necessarium. Primum enim eam quam tres homines complectuntur, columnam, diametrum habere indicat staturae hominis fere parem, cum ea, vt dixi, par sit suis brachijs extensis. ex quo deinde longitudo cubiti, quam statui, confirmatur, quae quoniam dimidiam hominis staturam non assequitur, propterea dixit Iosephus consertis brachijs complexos fuisse tres homines columnam maiorem complexuri, si manibus manus contingerent, non vero consererent. Altitudinem vero scapi eandem retulit, quàm sacrae Historiae retulerunt, hoc vno ab illis distans, quod illae cubitis altitudinem finiunt, hic pedibus, non quibuscumque, sed eisdem, quibus cubiti proportione respondent. Nam cum pedis, vt dixi, cubitus sit sesquialter, numerus pedum sesquialter certe erit numeri cubitorum eiusdem altitudinis. quae proportio reperitur inter pedes septem & viginti Iosephi, & cubitos octodecim scripturae, vt patet computanti. Quae vna ratio satis confirmare posset illud, quod saepe assumpsimus, & paulo ante confirmabamus, omnes templi columnas, & aeneas inter se fuisse magnitudine pares. Illud denique expressit Iosephus, quod ad columnarum basim spectat, de qua nos infra.

Ioseph. 15. anti. cap. 14.

Dixi in Apparatu.

OCTODEcim cubiti pedibus sunt pares septem & viginti.

18
9
27.

IHS
GRATIA

DE COLVMNARVM

CONTRACTIONE, *adiectione, & strijs.*

Cap. VI.

QVAE de crassitudine columnae dicenda supersunt, examinanda sunt inprimis. Nam in Sixtiano Septuaginta interpretum codice legitur. Et perimetrum, quatuordecim cubiti circumdabant eam. Quam quidem lectionem, & à Theodoreto relatam fuisse ibidem testatum est: & eam suscipimus, non quidem vt D Vulgatae contrariam, sed vt eiusdem aptissimum commentarium. Nostra enim lectio historici morem retinuit, quam in referendo aeneo quoque mari tenuerat, cuius circumferentiam cubitis triginta mensus fuerat, dimetientem vero eiusdem lineam cubitis decem: atque adeo columnae circuitum sex cubitis definiuit, cuius diametrum significare voluit fuisse duorum cubitorum. At Septuaginta interpretes exactam Mathematicorum rationem sequuti sunt, sicut & in maris circumferentia proponenda, vt demonstratum alibi à nobis est. Qua quidem ratione, illi columnae diametrum, & eiusdem adiectionem, quam paulo inferius ostendemus ventris columnae E nomine indicarunt, & striarum praeterea latitudinem, & alia scitu iucunda non pauca nobis aperuerunt.

MATHEmaticam rationem computantes secuti sunt Septuaginta

Alibi Tomo 3. Appar. par. 2. lib 3. cap. 18.

Verum non apud Septuaginta interpretes tantum, sed etiam apud ipsos sacros historicos quaedam alia insinuantur, quae sine mathematicis rationibus percipi nulla ratione possent. Triplex enim est scapi, siue styli columnae examinanda mensura, prima in imo scapo, secunda contractionis in summo, tertia adiectionis in medio. Et primam quidem imi scapi mensuram ex ea, quam supra dixi, calami in aequas partes sectione licet colligere: in qua mensura digiti singu-

Supra lib 3. huius partis.

A singuli singulis adduntur cubitis. atque adeo cubitis binis, hoc est, digitis octo & quadraginta adduntur duo digiti, & fit columnae diameter digitorum quinquaginta. Quem numerum ad sacratiora mysteria significanda aptissimum, quasi proprium sibi vendicat haec fabrica. Eundem tamen licebit sequenti supputatione confirmare. summum hypotrachelium dat nobis circumferentia sex cubitorum · nam iuxta Archimedis demonstrationes circuli circumferentia ad diametrum eandem proportionem habet, quam duo & viginti ad septem · quod si per regulam, quam vocant trium, arithmetica supputatione quaeram numerum, qui ad senarium habeat proportionem, quam septem ad viginti duo, inueniam diametrum B summi scapi vnius cubiti cum decem vndecimis cubiti partibus. Hunc porro numerum, si ad digitos reuocem, habebo diametrum digitorum quinque & quadraginta cum nouem vndecimis partibus sed & fractionem abijciam, & summo hypotrachelio dabimus digitos quinque & quadraginta, hypotrachelio vero imo quinquaginta, & sic contractio columnae erit ex decima crassitudinis parte.

QVINQVAgenarius numerus huius fabricae proprius.

vt 22. ad 7. ita 6. ad 1 $\frac{10}{11}$ 45. $\frac{9}{11}$

CONTRActio columnae ex decima crassitudinis.

Quam contracturam lubet tantisper cum ea conferre, quam Vitruuius assignat · Contracturae autem, inquit, in summis columnarum hypotrachelijs ita faciendae videntur, vt si columna sit ad pedes quinos, denos ima crassitudo diuidatur C in partes sex, & earum partium quinque summa constituatur. Item quae erit ab quindecim pedibus ad pedes viginti, scapus imus in partes sex & semissem diuidatur, ex earumque partium quinque & semisse superior crassitudo columnae fiat. Item quae erunt à pedibus viginti ad pedes triginta, scapus imus diuidatur in partes septem, earumque sex summa contractura perficiatur. Quae autem à triginta pedibus ad quadraginta alta erit, ima crassitudo diuidatur in partes septem, & dimidiam ex his sex & dimidiam in summo habeat contracturae ratione. Quae erunt à quadraginta pedibus ad quinquaginta item diuidendae sunt in octo partes, & D earum septem in summo scapi hypotrachelio contrahantur. Item si quae altiores erunt his, eadem ratione pro rata constituantur contracturae. Haec autem propter altitudinis interuallum scandentis oculi speciem fallunt; quamobrem adijciuntur crassitudinibus temperaturae. Haec ille.

Vitruu. lib. 3. cap. 2.

Sed certe Vitruuius, qui picnostylis tantum operibus decuplam altitudini columnae dedit eiusdem crassitudinis proportionem, eam praescripsit contracturae rationem, quae in firmioribus columnis haberet venustatem. Picnostylos vero vocat ipse eam columnarum dispositionem, qua in intercolumnio, vnius & dimidiatae colum- E nae crassitudo interponitur. cuiusmodi nulla est in hoc nostro aedificio cum tamen omnes eius columnae in decupla erigantur suarum crassitudinum proportione. Quapropter cum graciliores multo apparerent columnae Eustyli, & Areostyli, vt supra ostendimus, ratione dispositae, temperandae magis fuerunt contracturae: ita vt in columnis pedum quinquaginta, ima crassitudo in partes diuideretur decem, & ex eis nouem summae crassitudini darentur.

IN LATIOribus intercolumnijs firmiores columnae constituuntur

Sed illud forte exiget a me lector, vt ostendam columnas has aeneas quinquaginta Romanis pedibus altitudine pares fuisse. Id quod libenter A praestabo, cum in nostris tabulis nullo negotio possit ostendi. Nam in tabula proportionum septima sub Hebraico cubito numerum quinque assumas, qui est quarta pars vicenarij, quem ibi non inuenies. atque sub Romanis antiquis pedibus numerum obserues quinario respondentem, & affirmabis quinos quosque Hebraicos cubitos duodenis pedibus cum trecentis triginta tribus quingentesimis partibus fuisse pares. quod si hunc numerum quater sumas, inuenies cubitos viginti aequales fuisse Romanis pedibus quinquaginta cum octoginta tribus centesimis vigesimis quintis. Quod erat ostendendum.

Tabula propor. 7. in fine Apparat.

AENEAE columnae quinquaginta Romanis cubitis altitudine pares 12 $\frac{333}{500}$ 50 $\frac{83}{125}$.

Aliam vero longe praestantiorem contracturae B rationem licuit in hoc aedificio obseruare ex ipsis intimis architecturae principijs petitam, quam forte Vitruuius non agnouit, quippe ex triglyphorum exactissima distributione exortam: haec enim Vitruuium latuit, vt infra ostendam. Ratio vero huiusmodi est quia cum summo hypotrachelio latitudo epistylij ex aequo respondeat, eodem Vitruuio teste (est autem epistylium trabs quaedam, vt videbimus ·) fit summi hypotrachelij crassitudo, & epistylij crassitudo pariter aequalis altitudinis zophori, in qua trabes, quas grossiora ligna vocat Scriptura sacra, summo artificio disponuntur. Illud tamen modo pro certo tenendum est, quod infra erit confir- C mandum, zophori altitudinem digitorum fuisse quinque & quadraginta, quanta fuisse ostensa est summi hypotrachelij crassitudo.

RATIO contracturae huius aedificij propria.

DE COLVMNARVM

STRIIS, ET ADIECTIONE.

Cap. VII.

SVPEREST iam vt de adiectione columnae differamus · sed quoniam Vitruuij iussu haec ex striae crassitudine sumenda est, de harum columnarum strijs prius agendum est: striatae enim fuisse compertum mox erit. Nam columnarum proceritas, quae virginalem imitabatur gracilitatem, earundem striatas stolas esse imitandas suadebat. Accedit quod tot, tantaeque omnium co- E ronarum, & ornamentorum sculpturae respuunt scapi corpus vniuersum absque vlla sculptura apparere. Sed & Iosephi testimonium plurimum hac in re facit, non illud quidem commune, quo opere Corinthio insculpta fuisse tradit columnarum templi capitella, ac Corinthiorum more omnia ornatissima fuisse indicat, sed aliud maxime proprium. Fecit enim, inquit, is artifex Chiramus, duas columnas aereas, cum canalibus cauatione quatuor digitorum, quarum erat proceritas decem & octo cubitorum sic enim locum conuertit Rufinus. Scio aliter in alijs Iosephi codicibus legi Is fecit duas columnas aereas crassitudine quatuor digitorum. Neque absona

STRIATAE fuerunt columnae.

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

sunt

SOLIDA aeris crassitudo quatuor digitorum. *Ierem. 52. ℣. 21.*

sunt Graeca, στύλους δύο χαλκοῦς ἔσωθεν τὸ πάχος τεσσάρων δακτύλων. Duas columnas aereas ad interiora crassitudinis quatuor digitorum. Quae sane lectio cum sacra Ieremiae historia mirifice congruit: *Porro grossitudo eius quatuor digitorum, & intrinsecus caua erat.* Septuaginta Et grossitudo eius quatuor digitorum in circuitu. Haec autem omnia solidam indicant metalli crassitudinem, quae ad columnarum firmitatem & magnificentiam facere videtur maxime.

Sed adhuc minime videtur improbabilis Rufini lectio, quam hausit ex alijs Graecis exemplaribus forte purioribus, cum haec nostra esse potuerint ab aliquo alio mutata, vt sacro textui congruerent; sed illa certe minime sunt absona cum vtrumque ex aequo verum esse possit, columnae scilicet metallum crassum vndique fuisse quatuor digitos, & canales inter strias latas fuisse totidem digitos: vtriusque enim rei exemplum videre licet in vestigio scapi columnae in figura suprapostita.

Sed firmior multo est, nec contemnenda Septuaginta interpretum auctoritas, qui in Sixtiano codice rem aperto sermone exposuerunt. Et perimetrum, inquiunt, quatuordecim cubiti, circumdabant eam, crassitiem columnae, quatuor digitorum cauitates. Quos imitatus Comestor: Stylus vel stipes columnae, inquit, decem & octo (habebat cubitos) altitudinis non planae, sed vallicularus, habens in circuitu canales cauationis quatuor digitorum, & erat fusilis.

3. Reg. 7.

Comestor. in histor 3. Reg. cap. 12.

Et certe mira omnium partium cum architecturae praeceptis consensio, hoc idem confirmat. Strias enim quatuor & viginti faciendas esse praecipit Vitruuius, quot videlicet sunt in cubito digiti: ex quo fit vt summi scapi circumferentia, quae sex cubitis definitur à sacro historico, sex digitos tribuat vnicuique parti, quae rursum in canalem siue strigem diuidatur quatuor digitorum, & striam duorum: cauum enim strix dicitur, eminens pura pars, vocatur stria. Striatam frontem dixit Apuleius, hoc est, rugosam. Columnarum striaturam Aristoteles ῥαβδωτὸν rabdoton, vocat, quasi virgatam dicas. Idem enim ῥαβδωτὰ rabdota, ostrea nominat, quae Latini pectinata, striata, virgata, conuerterent. Sed illud constitutum esse poterit ac certum, striarum, & strigum subduplam fuisse proportionem, quam minime Vitruuius retulit quantumuis formam, & numerum earum in Ionicis symmetrijs praescripserit. Columnarum, inquit, striges faciendae sunt viginti quatuor, ita excauatae, vt norma in cauo cum fuerit coniecta, ancones dextra, & sinistra angulos tangat, & vt acumen normae circum rotundatione tangendo peruagari possit. Sic locum corrigo demptis ijs, quae explicandi loci causa ab aliquo videbantur adiecta, atque in textum illapsa confusionem faciebant. Caua igitur siue striges semicylindrica forma excauata faciendas censet Vitruuius illam definiens, quo instrumento sit examinanda. Constat enim semicylindri basim esse semicirculum, in quo omnes qui ducuntur anguli recti sunt: Crassitudines faciendae sunt, inquit, quantum adiectio in media columna ex descriptione inuenitur. Descriptionem certe retulit, cuius praecedenti extremo capite meminerat illis verbis. De adiectione quae adijcitur in medijs columnis, quae apud Graecos ἔντασις appellatur, in extremo libro erit formata ratio eius, quemadmodum mollis, & conueniens efficia-

Apuleius lib. 10. anti.
Arist. 20. Ethic.

STRIARVM numerus & mensura

Vitruu. lib. 3. cap. 3.

Vitruu. lib. . cap. 2. in fin.

A tur. Iraque formam columnae expressam pollicetur Vitruuius, ex qua geometricis rationibus adiectio deprehenderetur, & mollis conueniensque columnae curuitas.

CONTRActturae, & adiectionis ratio conueniens.

Et certe descriptionem hanc suo volumini adiectam à Vitruuio fuisse minime dubitandum est, librariorum tamen incuria atque ignauia perijsse. pereat illiberalitas eorum, qui libros euulgant demptis, vt sumptui parcant, figuris, quibus ab auctore illustrati sunt libri. Verum quamuis descriptionis modus à nobis ignoretur, illi enim quos aliqui recentiores Architecti excogitarunt, nunquam nobis placuerunt: tamen cum striae crassitudo sit perspecta duorum digitorum, eadem ex vtraque parte B adijcienda est columnae in ventre. Atque adeo diameter ventris columnae erit digitorum quatuor, & quinquaginta. Haec autem diametri longitudo poterit alia certiore ratione probari.

Ea enim, quam supra laudaui, Septuaginta interpretum lectio, perimetris vtriusque columnae quatuordecim cubitos dat, vniuscuiusque circumferentiae septenos. Septem autem cubiti digitos continent centum sexaginta octo, quem numerum si in septenarium duxeris, productumque per duos & viginti diuiseris, habebis huius circumferentiae diametrum digitorum trium, & quinquaginta cum decem vigesimis se- C cundis. hoc est, fere quinquaginta quatuor, quos paulo ante colligebamus. Quae sane rerum multarum summa consensio, vniuersa, ac singula ita confirmat, vt negari vix posse videantur ab alio, quàm ab eo, qui symmetriae rationem, eiusque vim assequi nondum potuit. Sed remouendus tandem est scrupulus, qui alicui occurrat forte fortuna: quod lata plus nimio fiat stria duorum digitorum ex dimidia strige cum fieri strias in veterum operibus Philandro attestante comperias, nihil plus quàm ex tertia parte, nihil minus quam ex quarta apertionis canaliculi. Ea vero quamuis in planis strijs vera sint, in illis tamen quae extantibus in medijs strijs astragalis exor- D nantur, longe aliter se res habet: fiunt enim ex dimidia, & nihilominus, strigis parte, aliqua ex maiori. Harum exempla videre licet in Pantheone, in duabus illis columnis, quae templi portam exaduerso respiciunt, circa altare maius, & in alijs multis Romae. Nam cum alia multa ex sacris fabricis in hoc Pantheonis templum translata fuisse obseruauerimus, hoc etiam ornamenti genus ex Hierosolymitano templo mutuatum fuisse conijcimus.

VENTRIS columnae circumferentia, cubitorum septem.

DIAMEter ventris digitorum.

24
7
168.
168
7
1176
22
53 10/22

Sed de praecepti huius Vitruuiani vtilitate dubitat Philander, qui aduersus Vitruuium disserens, id quod astruimus, subuertere videtur. quare eiusmodi dubitationis causas submouere E conandum est. Ac primum in verbis Vitruuij, nulla superesse videtur dubitandi ratio, quippe qui adiectionem faciendam esse testetur, & eius definiat quantitatem, striae crassitudinem: in quibus nihil dubitat Philander. Et hoc ipsum indicat vox בטן beten, quae in Hebraeo legitur, & columnis tribuitur in historia Regum, quam sic conuertit Regius codex. Et ornamenta super duas columnas etiam desuper è propinquo ventris. Et certe voce בטן beten, vterus significatur, & venter, cuius propria forma in Canticis describitur, dum aceruo tritici assimilatur, quod aequa ratione intumescat. Sed proprium loci sensum exposuit Vulgatus: *Iuxta mensuram colum-*

Philand. super lib. 3. Vitruuij cap. 2.

ADIECTIOnem columnae probant sacrae Scripturae.

3. Reg. 7. ℣. 20.

Cantic. 7. ℣. 3.

nae

nae scribens hoc est, capitella liliata ipsis imposita columnarum scapis, altitudine aequalia erant latitudini ventris columnae, maximae nimirum columnae crassitudini. Quae quidem testimonia illud certe conuincunt, & Vitruuium huiusmodi praeceptum ex sacrae fabricae obseruatione habuisse, & ab omni propterea reprehensione immunem esse. Nam quod Philander eiusmodi columnas non viderit in Romanae antiquitatis monumentis, nullum debet mouere, cum eas vidisset Cicero. Nulla est, inquit, columna, quae ad perpendiculum esse possit, & iterum: Dicunt, inquit, fere nullam esse columnam, quae ad perpendiculum esse possit. Quem locum exponens Pocdianus. Perpendiculum linea, inquit, laterum aequalitatem probat, à summo ad imum altitudinem probans. Hoc in columnis omnibus rum maxime instructilibus euenit, in quibus aut media, aut ima crassiora sunt.

VITRVVIVS ex sacris fabricis hausit praecepta.

Poedianus. Cicero act. 1. & 5. in Verrem.

Neque certe merito dubitat Philander an oculo probatae fuerint huiusmodi columnae, cuius maximam habendam esse rationem putat, id enim nescio quid addit pulchritudinis, quae oculis blandiatur, haud secus quàm reptilium corpora. Idque imitari videtur palma arborum pulcherrima, atque aliae plerumque arbores, quarum trunci in medio plerumque intumescunt, ascendentis nutritiui humoris, & descendentis excrementitij congestione: vt à vero aberrasse credendus sit, qui pulcherrimum hoc columnae ornamentum contra naturam fuisse dixit. Sed ea tantum ratione minùs esse videtur in vsu, quòd difficilius obseruetur. Nam Vitruuio ad pulchritudinem atque decorem ita visum est esse conueniens, vt omnibus columnarum generibus voluerit esse commune. Et de Ionico quidem & Corinthio mirum non est, cum praeter capitella reliqua habeant membra similia: quod contra fieri solet in Doricis. Sed & de his sic scribit idem Vitruuius: De adiectione eius, quae media adiungitur, vti in tertio libro de Ionicis est praescripta, ita & in his transferatur. Haec ille. quae de columnarum scapis dicta sufficient.

VENTER columnae testimonijs & exemplis probatur.

Vitruu. lib. 4. cap. 3.

DE CORONIS

SIVE TRABEATIONIBVS *in vniuersum.*

Cap. VIII.

X.
3. Reg. 7. ℣. 16.

DVO quoque capitella fecit, quae ponerentur super capita columnarum fusilia ex aere. *Quoniam omnia ornamenta scapis columnarum imposita hoc eodem nomine appellantur, ea vero non eadem sunt forma, sed multiplici, & quae diuersis nominibus censentur ab Architectis, vniuersa haec disputatio ex notione vocis כתרות cotharoth, pendet. est enim plurale vocis

A כתר cether, quae coronam, diadema significat, cui similem esse putant Latinam vocem cidarim. Sic enim dictam putant esse coronam, quod caput cingat: ab hac enim voce verbum deducitur, quod cingere, circumdare significat, instar coronae. sic in Psalmo: *Tauri pingues obsederunt me.* In Hebraeo Tauri Bassan circumdederunt me, eodem plane sensu. quippe cum inter condensa, ac siluas montis Bassan ferocissimi, ac pinguissimi tauri educarentur, quo ferarum genere vndique cinctum fuisse Dominum IESVM, de quo est sermo, significat, cum ita illum comprehenderunt Hebraei, vt nulla ratione posset ab eorum manibus euadere. Sed nomen ipsum coronam significat, aut fasciam, qua regum capita cingebantur.
B Sic apud Esther. *Et posuit,* כתר *cether, diadema regni in capite eius.* Et iterum: *Et accipere regium diadema super caput suum.* Sic enim superbus Aman regni auidus loquebatur, sed longe aliter se res habuit.

CORONA, diadema, cybaris.

Psal. 21. ℣. 13.

Esther. 2. ℣. 17. & cap. 6. ℣. 8.

Iam ad nostrum institutum accedentes, ea omnia, quae de cidari erudite scripsit Pradus, huc possent transferri, vt multiplex coronae munus sit magis perspectum, cingit enim, nobilitat, exornat. Quae omnia illis omnibus ornamentis conueniunt, quae columnarum stylis imponuntur, capitellis nimirum, epistylijs, zophoris, coronis, de quibus sermo est. sed potissimum omnium summo, quippe quod apud Latinos idem coronae nomen sibi quasi proprium vendi-
C cat, quod non modo columnas, verum etiam vniuersum aedificium cingat, coronet, & illi veluti perfectionis dignitatem adijciat. Verum cum vt dixi, & infra sum ostensurus, hoc coronae nomine praedicta ornamenta omnia significentur, ex partium dimensione facile colligetur, quaenam ex illis quo loco indicentur. Atque in praesenti textu ipsa trabeatio indicatur, epistylio constans, zophoro, & corona, vt mox ostendemus.

P. Pradus super Ezech. 21.

CORONAE munera.

Sed allatum locum varie conuertunt interpretes. Septuaginta in Regio: Et capitella: in Sixtiano autem, Additamenta: quae in notationibus ab aliquibus dicuntur coronamenta. Est
D enim Graeca vox ἐπιθέματα epithemata, quae vbique legitur additamentum, quod superimponitur, operimentum, id indicans ornamenti genus, quod in summo collocatur. Chaldaeus, coronas vertit hoc loco, quamuis apud Ieremiam capitella eidem voci substituat. Sed Vatablus aliqua vocis praedictae notione deceptus est, & coecutientes Rabbinos sequutus, hallucinatus est. Et epistylia, inquit, rotunda cum coronamentis super capita columnarum duarum. qui singulis prope verbis à veritate deflexit: in eo vero quàm maxime, quod rotunda ea vocat. viderat apud Lyrannum, atque apud Rabbinos
E quosdam fabricae apprime ignaros, in sphaerae modum huiusmodi coronamenta efformari qui si cogerentur loca Scripturae, quae de his loquuntur, exponere, viderent sane, sin minus lucem, saltem illius carentiam. Qua enim ratione in sphaera inueniant capitellum tribus cubitis & quinis dimensum, retiacula bina, septena versuum retiacula, tot, tamque varios malogranatorum numeros, atque id genus alia, numero quamplurima, difficultatibus insuperabilia? A qua sane sphaerae, siue rotundae formae specie maxime alienum esse videtur, epistylia dici cum coronamentis: haec enim epistylia partes sunt ipsius coronamenti, vt mox videbimus, quarum similes nondum

Vatabli error.

EPYSTILIA rotunda non fuerunt.

dum licuit in sphaera videre: ac vix cogitatione comprehendere quomodo illa sphaerae aptari possint.

COLVMnae trabeatio dimensa.

Sed alienis praetermissis opinionibus, quid sentiendum sit dicendum est, & trabeationes, quae columnarum capitulis imponuntur, hic esse descriptas, & quinque cubitis dimensas arbitramur inprimis. Constat enim columna tribus partibus, basi ima, scapo, seu stylo, & capitello, quod à capite nomen desumit. capitello deinde trabeatio imponitur tribus alijs partibus constans, epistylio, zophoro, & corona, quae in apposita figura videre licebit. & hae tres trabeationis partes vna voce capitelli, vel coronamenti indicantur, & fere describuntur, dum capitibus, B quasi capitellis columnarum imponerentur. Cuius quidem trabeationis mensuras persequitur subdens.

Quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum. Diuisionem partium columnae apte persecutus est Lyranus, & huius trabeationis mensuram, quamuis in aliquibus aberret à veritate, dum vnicuique columnae cubitos tribuit quinque & triginta altitudinis, quatuor vero crassitudinis, quod ipsi contextui aduersari satis supra ostensum est. Eius tamen haec sunt verba: Quaelibet columna habebat quatuor partes, videlicet basim inferius, & desuper stipitem, & in C superiori parte stipitis caput, & desuper capitellum &c. Longitudo capitelli quinque, vt habetur hic in litera. Haec ille. Quae sane mensura & columnae altitudini proportione respondet, & omnibus atriorum templi primis trabeationibus paritate. Quod vt ostendam, assumere oportet vt certum, id quod infra sum probaturus, columnam cum capitello altam fuisse cubitos viginti. nam scapus, vt dixi, duodeuiginti cubitis constabat, capitellum duobus cubitis, quantus nimirum est diameter ventris columnae. Huic autem columnae viginti cubitorum trabeatio fuit imponenda cubitorum quinque, hoc est, quarta columnae altitudinis pars. Huiusmodi enim pro- D portionem in vniuerso templo obseruatam fuisse constare iam poterit.

Nicolaus de Lyra.

PARTES columnarum quae.

TRABEAtio ex quarta columnae altitudinis parte.

Sed dicet fortasse quispiam, saltem ille, qui has nostras Prophetae explanationes nondum perlegit: quid habent aeneae columnae commune cum templo? Stulta videbitur alijs interrogatio haec, cum symmetriae ratio videatur exposcere, vt quibus aduersae sunt columnae columnis, paritate respondeant: at quoniam huius rationis vim & efficacitatem percipere non omnibus datum est, minus eruditae interrogationi satisfaciendum fuit, non quidem longiori ratiocinatione, ne diutius immoremur, sed manifesto antiquissimi, & eruditissimi viri testimonio. Is est Eu- E polemus ab Eusebio laudatus, qui cum de Salomone scriberet: Fecit quoque, inquit, duas columnas aeneas, easque auro puro contexit digiti crassitudine, eratque columnarum altitudo par templo. Quo quidem testimonio quid posset excogitari luculentius?

Eupolemus apud Euseb. lib. 9 extrema Praepar.

Sed adhuc cuperet fortasse quispiam videre, ac bene nosse quanam sui parte columna, & cuinam templi parti sit par? Omnibus certe, ac singulis partibus columnam hanc columnis templi ex aequo respondisse censemus: neque temere, aut sine duce id asserimus nam columnarum primi ordinis templi altitudinem cubitis vicenis dimensi sunt Septuaginta interpretes, vt supra à A nobis ostensum est. Columnam vero cum sua trabeatione mensus fuerat Propheta noster quinque & viginti cubitis, vt ibidem ostendimus. Et quoniam ex huius primae mensurae confirmatione omnis fere pendet symmetriae ratio: permittet nobis lector, vt aliqua simul conferamus, quae ad vniuersi aedificij cognitionem maxime videntur necessaria. quae & huic argumento lucem afferent clarissimam. Ex quo fiet, vt quamuis ab incepta loci huius exploratione digredi videamur, disciplinae tamen proprium sequamur ordinem. Quare prius de vniuersalioribus templi partibus agemus, mox de peculiaribus coronamentorum, siue trabeationum ornamentis.

COLVMnae aeneae columnis atriorum paris omnino.

Supra lib. 3. huius partis. cap. 22.
Ezech. 40. ℣ 30. Nos cap. 33. lib. 3.

DE TRIPLICI

ATRIORVM ET VESTIBVLI

templi contignatione.

Cap. IX.

TRIPLICEM atriorum contignationem, quam disertis verbis Propheta noster expresserat, iterum explicandam suscipimus, vt eius proportiones, atque mensuras particulatim expendamus. Quae omnia apud sacros historicos habentur expressa, ac nisi sermonis Hebraici difficultas obstaret, omnibus esse iampridem potuissent in promptu. Sed quoniam, vt aliàs dixi, ipsa Hebraici sermonis difficultas, & interpretum etiam varia expositio ad dignitatem conducit, & sacrae Scripturae, & Latinae vulgarae D lectionis, adhuc hac extrema mundi aetate non defuit campus, in quo nostra desudaret industria, & eo magis, quo hac in re magis fuit argumentis oppositis excitata, rationibus exstimulata, & iniurijs fere lacessita. Sed breuitatis studio ab ijs omnibus me contineam necesse est, quae contentiose magis, quam studio veritatis indagandae prolata esse videbuntur. illa ego proferám tantum, quae huic disputationi maxime necessaria sint.

Ezech. 42. ℣ 5. Nos lib. 4 cap. 67. huius.
Dixi lib. 1. Isagog. cap. 3.

Duo sunt hac de re sacrae Regum historiae celeberrima testimonia, quorum primum de atrio domus Domini interiore loquitur, secundum vero de vtroque atrio, praeterea de porticu do- E mus a Salomone extructis. *Et aedificauit*, inquit, de Salomone loquens, *atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri*. Septuaginta in Regio: Et aedificauit atrium interius, tres ordines perpolitos, & ordo fabrefactae cedri in circuitu. In Sixtiano. Et aedificauit atrium intimum tres ordines non dolatorum, & ordinem fabrefactae cedri in circuitu. Chaldaeus: Et aedificauit atrium interius tribus ordinibus lapidis boni, & ordine vno tigni lignorum cedrinorum. Et quamuis variae sint illius textus lectiones, quarum aliquae lapides politos, aliae non dolatos, aliae denique bonos appellant, id tamen omne ex difficili no-

3. Reg. ℣. 36.
TRIPLEX contignatio in vniuerso templo.

t one

tione vnius vocis גזית gazith, videtur pendere, de qua supra aliquid dixisse me memini. Sed quidquid sit de notione illius vocis, lapides bonos fuisse certum est, quippe quos è marmore pario candidissimo fuisse tradant sacrae historiae, atque aliae prophanae, eosque politissimos, & non dolatos, sed serra praecisos atque dissectos: vt in hac eadem historia Regum dictum fuerat.

LAPIDES templi.

Sed illud certe in dubium reuocatur, & adhuc expetitur: quaenam lapidum forma, quae magnitudo, quaeue cedrus? Et quidem mihi numquam non fuit summae admirationi illud, quod scriptores non pauci alioqui eruditi, ac perspicaces hac in parte tradiderunt: His verbis à sacro historico describi septum illud, seu B Gison, quod à Iosepho tribus cubitis definitur. Illud vero pene ridiculum, quòd mirifice digladiantur in hac maceria extruenda, contendentibus quibusdam, asseres ex vtraque parte periboli lapidibus adpactos fuisse, alijs contra superpositos cum non minus ab his, quàm ab illis abhorreant sacrae fabricae, vt supra ostendi, ac propterea vterque interpretandi modus à sacro textu alienus omnino sit, vt mox ostendam.

ASSERIBVS contecta maceria à templo aliena.

Simili quidem dicendi ratione, eisdemque plane verbis hoc idem atrium describit idem sacer historicus, atque alia duo aedificia, in quibus non licet inuenire Gisum Iosephi. quae non dubito quin si attentius legissent scriptores illi, nulla C ratione decepti fuissent, dum magnificentissimas interioris atrij fabricas ad maceriae tenuitatem reuocare conati sunt, quam nullus homo cordatus suae vineae praeficeret. Verba Historici sic habent: *Et atrium maius rotundum trium ordinum de lapidibus sectis, & vnius ordinis de dolata cedro, necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus.* Et hic certe locus propter Hebraici sermonis elegantiam, & proprium dicendi modum, singulis fere verbis, quòd à Latina dictione recedat, difficilem quandam inuoluit quaestionem, varijs scriptorum sententijs implicatam. Has omnes si pertractare vellem, iustum volumen profecto com- D plerem; quare cum absoluendi huius extremi libri desiderio compellar, ab omnibus abstinere quaestionibus decreui, & ab illis praecipue, quas vna rerum ignoratio excitauit. breuem igitur quandam loci explanationem ob oculos omnium proponam: qua tanquam clarissima luce perspecta, omnes omnium dubitationum nebulae, siue etiam tenebrae facile propellantur, clarissimae cedentes.

3. Reg. 7. ℣. 12.

Sed & illa in memoriam reuocanda inprimis sunt, quae in huius loci explanatione supra attuleram. Duo enim ibi ostendi, ac multis rationibus adductis adeo confirmaui, vt nihil deinceps superaddere censuerim: primum erat atrium E magnum dici non aliud certe, quàm atrium Israelis: secundum vero, rotundum appellari, non quod quadrata forma non fuerit, sed quòd circumquaque eisdem ordinibus, pari forma, & ornamentorum genere cingeretur. Sed cum de atrio domus Domini interiori perspicuus sermo sit in textu, neque vlla subsit dubitandi ratio: perspicuum quoque erit id, quod tertio loco recensetur in textu, & porticus domus dicitur, esse quidem illam porticum, quae vestibulum templi dicebatur, latam cubitos decem, longam viginti, altam totidem supra centum. Quod si quae alicui

Supra lib. 3. cap. 25 huius partis.

ATRIVM maius & rotundum Israeliticum quare dicatur.

A supersit dubitandi ratio, ea omnino sublata erit, si legat, quae de hac porticu supra diximus. vbi multis ostendimus, porticum hanc domus proprie dici, communi fere nomine, quod sibi prae sua dignitate, & excellentia merito vsurpasset. Quae si vera sunt, vt certe verissima, nullus superesse poterit prioribus illis figmentis locus: cum enim aliquid textus hic porticui domus, & vtrique atrio commune cogat nos inuenire, apertissime patet, neque hoc, neque illo priori loco, quo eadem habentur verba, de peribolo, aut Giso Iosephi sermonem fieri, cum nullum huiusmodi peribolum habuerit atrium exterius, vel porticus domus. Quare negandum non est, assertores illius sententiae omnes propterea hoc vno fuisse deceptos in lapidum ordinibus assignandis, quòd tres columnarum ordines in porticu domus centum viginti cubitos alta non exquisierint. Sed res magis perspecta fiet, si vox illa טור tur, quae habetur in Hebraeo, quaeque, Ordo, Latine conuertitur, eiusque notio expendatur. In qua vnum sequi placet Rabbinum Dauid, cuius sententia pluribus confirmari poterit sacrae Scripturae exemplis. Is quidem eiusdem radicis atque notionis putat esse voces טור tur, ac טיר tir, idque ex vsu frequenti permutandi literas ו vau, & י iod, posset conformari, quamuis hae in re non modica huic Rabbino fides debeatur. Vtraque C voce ex aequo palatium, aedem, aut splendidum aliquod aedificium significari putat: propterea quod lapidibus, columnis, alijsue partibus constet ordine dispositis. Huius rei exemplum videre licet in Numerorum historia: cum enim victoriam de Madianitis partam retulisset: *Tam vrbes*, inquit, *quàm viculos, &* טירתם tirchem, *castella flamma consumpsit*. Palatia eorum conuerterunt alij. Targhum: Domum adorationis eorum: vel templum adorationis eorum, hoc est, aedes in quibus varia deorum suorum adorabant simulachra, sic dicta, quòd prae alijs aedificijs omnibus, ordine dispositis constarent partibus: in templis enim maiorem archi- D tecturae, & symmetriae rationem habendam esse putarunt antiqui, vt auctor est Vitruuius. Eademque templa prae firmitate merito *castella* appellantur a Vulgatae interprete. Quod si vocem iuxta suam primam originem interpretemur, ordines eorum dicemus, quos ad aedificia referentes, quaelibet ordine disposita aedificia, hoc est, magnificentissima, combusta fuisse cum ipsis vrbibus intelligemus. Et in Genesi: *Isti sunt filij Ismaelis: & haec nomina per villas, &* טירתם tirotham, per palatia sua: *per castella & oppida eorum*. Chaldaeus: In villis & E ciuitatibus. Septuaginta: In mansionibus, & tabernaculis. Quae lectiones omnes vim vocis exprimunt, ac plane ostendunt aedificium omnibus suis numeris absolutum, atque perfectum ea voce indicari. Sed quid opus est communia afferre certissimae rei exempla, vbi suppetunt propria? cum idem omnino ordinis voce, ac nomine ab historico significetur, quod a Propheta nostro. *Et culinae fabricatae erant*, inquit, *subter porticus per gyrum*. Vbi Sanctus Hieronymus merito vocem, quam exponimus, conuertit *porticus*, quod a nobis supra explicatum est.

Supra lib. 3. huius Part. cap. 45.

TRES ORdines lapidum in porticu domus inueniendi.

ORDO quis dicatur.

Num. 31. ℣. 10.

REGIA seu templum.

Vitruu. lib. 3. cap. 1.

Genes. 25. ℣. 16.

ORDINES dicuntur castella.

Ezech. 46. ℣. 23.

Supra lib. 4. huius Part. cap. 74.

Quare statuendum est hic primum ordine, non significari lapidum seriem quamcumque,

sed

sed columnarum ordinem, porticum, integram
columnationem. Quod Hispanice diceremus: *en
vna hilada de pillares, sino vn orden de colunas, todo vn suelo.*
Atque adeo tres ordines lapidum politorum tri-

TRES ORDINES lapidum tres significant porticus sibi inuicem superpositas

plicem porticum significabunt, alteram alteri
superextructam. Neque aliud quidquam his
verbis significatur, ab eo diuersum, quod à Pro-
pheta nostro de vtroque atrio testatum habe-

Ezech. 46. ℣. 5.
3. Reg. 7. ℣. 12. & cap. 6. ℣. 36.

mus: *Quia supportabant*, inquit, *porticus, quae
ex ipsis eminebant de inferioribus, & de medijs ae-
dificij*. Quod late à nobis explicatum est. Sed
difficultas in eo sita esse videtur, quod subiungi-
tur: *& vnius ordinis de dolata cedro*: vel: *Et vno
ordine lignorum cedri*. Nam singuli columna-

Nos lib. 4. cap. 67.

rum ordines singulis distinguuntur trabium
ordinibus. Qua in re elegantiam Hebraicae
phrasis licet obseruare: quam sic conuertit Re-
gius codex: Tribus ordinibus lapidis dolati, &
ordine trabium cedrinarum excisarum. Et ite-
rum. Et atrio maiori circum tres ordines petra
dolata, & ordo trabium excisarum cedrinarum.
Permutat itaque numeros: Ordines, inquit, la-
pidis, & ordo lignorum. Quod tam frequens
Hebraeis est, vt in regulas grammaticales in-

Bellarm. cap. 3. de nominibus
Pagninus lib. 2. cap. 4. institut.

ducendum visum fuerit illius idiomatis praece-
ptoribus. Huius rei plura afferri possent exem-
pla: satis erit vnum, aut alterum: *In die autem
Kalendarum*, inquit Ezechiel, פר בן בקר תמימם
par ben becar themimim, filium vaccae immaculatus.

Ezech. 46. ℣. 6.

sensum aptissime conuertit Vulgatus: *Vitulum de
armento immaculatum*. Et in Genesi Vixit Seth
postquam genuit Enos: שבע שנים ושמנה מאות שנה

Genes. 5. ℣. 7.

Sebagh sanim vsmoneh meoth sanah. quae adverbum
conuerti non possunt, cum numerorum plerum-
que nomina careant apud Latinos declinatione,
& casibus. Septem annos, & octo centum annum.
itaque, septem, ponit in singulari, annos, in plu-

NVMEROS frequenter permutant Hebraei.

rali, octo, in singulari, centum, in plurali, annum,
in singulari. Sensum reddit Vulgatus aptissi-
me. *Vixit Seth*, inquit, *postquam genuit Enos,
octingentis septem annis*. Ex quo fit, vt totidem
ordines sint lignorum, quot lapidum. id ipsa
phrasis plane indicat: dum, vt dixi, ordinibus
lapidum, & ordine cedrorum distinctas fuisse eius-
modi partes testatur, vt sicut ordines vnius la-
pidis esse non possunt, sed plurium, ita ordo tra-
bium fuisse intelligatur, non vnus sed plures or-
dines. Cuius rei efficax argumentum desumi
posse videtur ex libris Paralipomenon, in quibus
sic Hebraea ad verbum conuertuntur in Regio

2 Paralip. 4. ℣ 3.

codice: & imago boum subter illud circum cir-
cum circumdantium illud, decem in cubito am-
bientes mare circum, duo ordines bouis fuso-
rum in fusione illius. Cui sententiae minime
putanda est contraria Latina interpretatio, quae
habet: *vno ordine lignorum*: nam cum phrasim
Hebraeam retinuerit, haud aliter, quàm illa ex-
ponenda esse videbatur: vt sensus sit: *Et vno or-
dine lignorum cedri* vnicuique lapidum ordini
superaddito.

Sed ad phrasim Hebraicam reuertamur. Ea
quidem adeo perspicua est cuicunque Hebrai-
cae linguae vel mediocriter instructo, vt expo-
sitione non indigeat: nunc autem linguae peri-
tis, & alijs omnibus esse poterit maxime perspe-
cta, cum res ipsa ob oculos ponetur. Et de
atrijs iam satis ostensum est, ea fuisse triplici co-

ATRIORVM triplex contignatio.

lumnarum, siue semicolumnarum ordine distin-
cta, triplici trabium dispositione suspensa: in

A vestibulo autem templi, de quo nunc est sermo,
non ab omnibus id obseruatum fuit. id tamen
vna cum ipsa phrasi explicatum est in libro Es-
drae, quamuis diuersis verbis, quia non eadem
omnino lingua, qua alij scriptus est hic liber.
Verba tamen sic ad verbum conuertit Regius
codex: In anno vno Chores regis, Chores rex

1. Esdrae 6. ℣. 3 & 4.

posuit edictum domus Dei, in Ierusalem domus
aedificaretur, locus, quo immolares victimas: &
fundamenta eius componeres, altitudo eius cu-
bitorum sexaginta, latitudo eius cubitorum
sexaginta, structurae lapidis marmoris tres, &
structura ligni noui; & eductio è domo regis
dabitur. In margine vero alia lectio habetur
B huiusmodi: Parietes ex lapidibus marmoreis
tres, & paries interior de lignis nouis, & sump-
tus &c. Septuaginta in Complutensi: Et do-
mus lapideae fortes tres, & domum lignorum

VESTIBVLI, templi ordines tres.

nouorum vnam. At in Sixtiano: Per domos la-
pideas politas tres, & domum ligneam eius lo-
ci nouam vnam. In notationibus autem indica-
tur in aliquo codice legi δόμου domu, quasi moe-
niano, siue tecto. sed rem, vt dixi, & phrasim ap-
tissime exposuit Vulgatus: *Anno primo Cyri Re-
gis, Cyrus Rex decreuit, vt domus Dei aedifi-
caretur, quae est in Ierusalem, in loco vbi immo-
lent hostias, & vt ponant fundamenta supportan-
tia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitu-
dinem cubitorum sexaginta, ordines de lapidibus
C impolitis tres; & sic*, id est, & totidem *ordines de
lignis nouis*. Et quamuis altitudinem domus ex
dimidia prioris definierit Cyrus, veritus fortas-
se, ne ad celsitudinem turris ascenderet, quae
praesidio vrbi esset, & speculae; tamen eosdem
plane ordines fieri permisit, quos primum fece-
rat Salomon. Id quod testatum esse videtur in
sacra historia iuxta Ionathae expositionem:
nam vbi nos legimus: *Texit quoque domum
laquearibus cedrinis*: & Septuaginta: Et la-

3 Reg. 6. ℣. 9.

quearibus texit eam in cedris: quem dixi Chal-
daeus sic habet: Et operuit domum trabibus ca-
uatis, & supra illas erat ordo multiplex capitum
tignorum cedrinorum.

D Sed quod capitum lignorum meminerit, per-
spicua ratio est, cum ea in zophoris trabeatio-
num apparuerint, vt infra ostendemus. Illud
vero quod interpretes hi minime exposuerunt,
numerum videlicet contignationum, exposuit
Clarius, non tam ex propria, quàm ex Rabbi-

Isidorus Clarius.

norum, quos imitari plerumque solet, sententia.
Texit quoque domum: Alius, inquit, sic vertit:

TEMPLVM triplici contignatione tectum, sicut tabernaculum triplici velo.

Posuitque contignationem vnam demissiorem,
& aliam per ordinatas cedros. Quod videlicet,
quemadmodum tabernaculum Moysis fuit au-
laeo picto, cortinis, & pellibus tectum, sic Salo-
mon fecit in templo, praeter tectum, duplicem
contignationem. Haec ille. Quae satis esse
E videbuntur ad ostendendam triplicem conti-
gnationem atriorum, interioris & exterioris: nam
de atrio gentium alia ratio est habenda. Ostensum
etiam satis est, vestibuli templi triplicem quoque
fuisse contignationem. Sed haec altitudo certe
duplo maior fuit altitudine illorum. quippe cum
haec centum viginti cubitorum fuerit, illa sexa-
ginta, vt ostendimus. ex quo liquet singula mem-
bra, & partes vestibuli duplo maiora fuisse simili-
bus atriorum partibus, cum eadem sibi mutuo in
eadem ratione, proportioneque respondeant.

Sed quoniam dupla haec rationis compara-

tio

tio admirabiles parit symmetrias vel, vt verius loquar, diuinae huius architecturae, atque infinitae Sapientiae argumenta, quae haec omnia, tanquam supra naturalium rerum symbola tanto artificio disponebat, eaque vlterius progreditur ad subduplam domus saltus Libani proportionem; de hac quoque nonnihil sequentibus capitibus agendum esse duximus.

DE DOMO SALTVS LIBANI,

eiusque appellatione, & vsu

Cap. X.

DOMVS saltus Libani non fuit in Libano, sed Hierosolymis.

DOMVM saltus libani ita describunt sacrae historiae, vt si architectura templi prospecta non sit, vix, ac ne vix quidem percipi possit: qua cognita, & facilis est eius intelligentia, & breui sermone explicanda. Sed prius illorum remouenda est dubitatio, qui, quod minus attente sacram historiam legissent, arbitrati sunt domum hanc in ipso Libani monte extructam fuisse. Quod certe cum pluribus pugnat sacrae Scripturae locis. Nam in primis haec domus inter partes domus, quam Hierosolymis condidit Salomon computatur à sacro historico.
3. Reg. 7. ℣. 1. & 2. *Domum autem suam aedificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit. Aedificauit quoque domum saltus Libani.* Hanc enim domum tredecim illis posterioribus annis extructam fuisse, probat locus Paralipomenon, in quo post absoluta aedificia templi, & domus Regiae, hoc est absolutis fabricis Hierosolymitanis, annorum viginti spacio (septennio enim extracta fuerat Domus Domini, tredecim annis Regia): animum applicauit ad extruendas, & muniendas alias ciuitates, & oppida.
2 Paralip 8. ℣. 1. & 2. *Expletis autem*, inquit, *viginti annis, postquam aedificauit Salomon domum Domini, & domum suam: ciuitates, quas dederat* Hiram *Salomonis aedificauit.* &c. Sed & peltas aureas quas fecerat Salomon: *Posuit eas*
3. Reg. 10. ℣. 18 & ℣. 21. *rex in domo saltus Libani.* Et iterum. *Omnia vasa,* inquit, *quibus potabat rex Salomon, erant aurea: & vniuersa suppellex domus saltus Libani de auro purissimo.*
DVPLEX vsus domus saltus Libani. Duplex igitur ex dictis colligitur huius domus vsus, & ad solemnia conuiuia instauranda, & ad arma asseruanda, illa potissimum, quae ad Regium apparatum & pompam fuerant comparata.

A Et quidem in primis perspectum esse videtur ex eadem Regum historia, quod Regina Saba admirata est domus huius structuram, admirabilem, & solemne conuiuij apparatum. *Videns autem,* inquit, *Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam aedificauerat, & cibos mensae eius, & habitacula seruorum.* Septuaginta: & Cathedram puerorum eius: Chaldaeus: discubitum seruorum eius. Ad eos, qui cum rege discumbebant respicere videtur locus: in quibus non minus, quam in reliquis splendebat sapientia Salomonis. *Et ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas* &c. Quae omnia ad domum saltus Libani pertinuisse, significare
B videtur Iosephus, qui hunc locum fere exponens: *Ioseph 8. anti. cap. 2.* At illa, inquit, stupebat ad regis sapientiam, tanto maiorem experta, quam audierat. maximeque admirabatur regiam tam elegantem, ac magnificam: & tam belle dispositum aedificiorum ordinem, quod hic quoque ingenium regis contemplaretur. Sed nihil magis mirata est, quam aulam, cui cognomen saltus Libani, & quotidianos conuiuiorum sumptus. Haec ille. Quò forte respexit Chaldaeus, qui domum hanc appellat domum refrigerij regum. Quamuis hoc nomine merito censeretur illa, quae nemoribus ad voluptatem, & delicias consita, ex vtraque parte cingebatur. Nam eandem, quam paulo an-
C te retulimus, scutorum, aut peltarum, quae auro solido tegebantur historiam referens liber Paralipomenon: *2. Paralip 9. ℣. 16* *Posuitque*, inquit, *rex ea in armamentario, quod erat consitum nemore.* Quae causa visa est sufficiens Lyrano, *Nicolaus de Lyra.* vt propterea dicatur domus saltus Libani, quod amoenitate, & arborum copia Libano monti pene non cederet. Quamuis alijs magis placeat, domum saltus Libani dictam fuisse, quod cedrinarum columnarum copia, & multitudine ipsum montem Libanum referre videretur. *DOMVS saltus Libani quare dicatur* Nisi malis cedrinae materiae, qua constabat, copiam eo nomine indicari quae tanta erat, vt montem ipsum Libani eo translatum fuisse putares.

D Vtrumque videtur respexisse Propheta noster, vel potius apud illum Dominus: *Fili hominis,* inquit, *pone faciem tuam contra viam austri, & stilla ad Aphricum, & propheta ad saltum agri meridiani.* *Ezech 20. ℣. 46. & 47.* Symmachus: bene exposuit: Propheta de Silua in regione meridiana. *AD MERIdiem templi domus haec extructa fuit.* Hanc autem domum, de qua loquimur in regione meridiana extructam fuisse, perspectum est in vrbis imagine, cum ijs, quae de domo regis in Apparatu à nobis dicta sunt. *Tomo 3. Apparatus part 1. lib. 3. cap 20.* Quo etiam loco, vt hoc etiam obiter adnotemus, illud poterit esse perspectum, quod paulo ante confirmabamus, perpetuo quodam muro domum regis, saltus Libani, & Reginae circumdatas fuisse.

E Sed praestat nostrum audire Prophetam. *Et dices saltui meridiano: Audi verbum Domini: Haec dicit Dominus Deus. Ecce ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride* hoc est viridaria, & loca omnia arboribus consita ad amoenitatem, atque delicias regum, *& omne lignum aridum:* columnas cedrinas, epistilia, transtra, & alia omnia preciosa ligna, atque materiam, qua domus illa vniuersa tegebatur, exornabatur, ditabatur. *Et comburetur in ea omnis facies,* hoc est prae flammae, atque ignis citissima combustione facies pulcherrimorum iuuenum denigratae fuligine, & fumo tandem exurentur, *ab Austro vsque ad Aquilonem.*

quia nimirum nullus illis reliquus erit effugij locus, depascente flamma vniuersam domum a parte eius Australi vsque ad Aquilonarem. Ad pulcherrimum illum iuuentutis florem respexisse videtur propheta, qui statutis temporibus domum hanc ingrediebantur, vt aureis muniti armis Regum stiparent latus. Horum meminit Iosephus dum equos laudat Salomonis. His, inquit, decus addebant equites, flos iuuentutis, procera ceteros longe super eminenti statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicas è sarrana purpura induti. Ad haec ramentis auri capillum quotidie spargebant, vt ad solarium radiorum contractum fulgor à capitibus eorum reflecteretur. Hi armati & pharetris succinti regium currum stipabant. Arma autem horum iuuenum in armamentario saltus libani reposita fuisse probant allati loci, si illis addatur, quod liber Paralipomenon narrat. Nam cum anno quinto Roboam filij Salomonis ascendisset Sesac rex Aegypti, & depraedatus esset domum Domini, & domum Regis, inter cetera secum tulit: *Clypeos aureos, quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex Roboam aeneos, & tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatij.* Ecce quam fluxa sunt, & quam breui finiuntur omnia, quae humanae vitae innituntur. Certe nihil est tam firmum, tamque bene fundatum, quod in scelerum poena non diruatur, ac funditus euertatur. Ecce enim gloriam templi illius tam immensam, propter Salomonis scelera cum illius vita pene extinctam. Sed de his alias.

PVLCHERrimus iuuentutis flos Salomonis fuit satellitium

Ioseph 8. antiq. cap. 2.

2 Paralip. 12. ℣. 9 10. & 11.

FLVXA omnia, quae in hoc mundo sunt.

Illud vero subdit praedicta historia, quod ad clypeorum pertinet vsum & locum. *Cumque introiret Rex*, inquit, *domum Domini veniebant scutarij, & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum.* Hos vero clypeos in parietibus ad decorem, & ornamentum domus appensos fuisse, significat Isaias Propheta, qui subuertendam fore vrbem praedicens, eius rei argumentum quasi euidens proponit, domus huius liberum, ac patentem introitum: quae vrbe florente, multis claudebatur valuis, seris, & vectibus, assiduaque fortissimorum militum custodia


A seruabatur, quippe quae maximam partem thesaurorum regis, atque aureae supellectilis contineret. *Parietem*, inquit, *nudauit clypeus dirupiente milite pedestri domum saltus libani. Et erunt electae valles tuae* Ab oriente Henon, ab Aquilone, quae vocabatur Tiropoeon propter copiam rerum omnium quas artifices in ea degentes, vt dixi ciuibus suppeditare solebant, *plenae quadrigarum &c. Et reuelabitur operimentum Iudae.* Direpta namque domo, & patentibus portis, aut exustis ab hoste: *& videbis*, cuiuis è plebe videre licebit, *in die illa armamentarium domus saltus.*

Isai. 22. ℣. 6. & 7.

Ibid. ℣. 8.

VESTIGIVM DOMVS SALTVS LIBANI, ET PORTICVS COLVMNARVM.

OCCIDENS.



ORIENS.

Et quamuis haec vera sint, & certa, quae de domo saltus Libani hactenus recensuimus; alia tamen ratione loquitur Iosephus de fine, propter quem extructa fuerit haec domus, de cuius vsu sic scribit. Basilica erat, inquit, magna, & pulchra, multis columnis suffulta, quam ad causas forentes agitandas, & lites decernendas condidit, capacem multitudinis, quae eo ius peteret. Hoc propterea fortasse dictum fuit à Iosepho, quod intra hanc basilicam porticus extructa fuisset, in qua tribunal, & thronus Salomonis erat: id, quod certum est, & cum sacris historijs etiam consonum, quod in vestigio domus apposito esse perspectum lectori poterit. Verum cum domus haec, duplici intercedente trabeatione, in tres diuisa esset deambulationes, certe inferior ad agendas causas facile tributa fuit; superiores reliquae alijs vsibus deputatae. Ac ne quis dubitet an de eadem domo loqueretur Iosephus de qua nos loquimur, quas illi tribuit mensuras, operae precium erit cum illis conferre, quae in sacris historijs leguntur. Longam, inquit, cubitos centum, latam quinquaginta, altam triginta. Hanc sexdecim, interpretis incuriam infra patefaciam quippe qui sexdecim putarit fuisse: columnas, easque quadrangulas: columnae quadrangulae sustinebant, tectam opere Corinthiaco, additis paribus postibus cum valuis caelatis ad ornamentum loci simul, & munimentum. Sed certe mensuras persequi vix possumus, quin prius eius basilicae vestigium appo-

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

BASILICA ad causas.

namus, illius dispositionem & symmetriam faci- A lius explicemus.

DE SYMMETRIA DOMVS SALTVS LIBANI, *de columnarum ordinibus, & trabeationibus in vniuersum. Cap. XI.*

EODEM architecturae genere semper, & vbique vsus est Salomon.

MIRABILIS structura templi B modum praescribere videtur omnibus fabricis Salomonis. Nam cum maxima, eaque diuinitus illapsa fuisset sapientia praeditus, sciretque eiusmodi fabricae rationem à doctore Deo inuentam fuisse, ac iam expertus fuisset quantum probarent oculi, atque intuentium animi, eius aedificij Symmetrias, facile quiuis conijcere poterit eisdem vsum fuisse Salomonem in domo sua extruenda, atque in reliquis fabricis vniuersis. Id quod non modo coniectura ducti affirmamus, quamuis haec satis firma sit, verum multo magis eiusdem sacrae Scripturae exemplis. Non enim C aliud significasse videtur sacer historicus, cum domum filiae Pharaonis extructam à Salomone fuis-

3. Reg. 7. ℣. 8.

se testatur: *tali opere, quali & hanc porticum. Omnia lapidibus preciosis, qui ad normam quandam atque mensuram, tam intrinsecus, quam extrinsecus serrati erant.* &c. Septuaginta. Haec omnia, inquiunt, ex lapidibus preciosis sculpta, ex distan-

Ibid. ℣. 9.

tia intrinsecus, & extrinsecus. &c. Et iterum. *Et extrinsecus vsque ad atrium maius*, vel magnum, vt habent Graeca & Chaldaea. Cuius autem atrij fiat mentio dubitare non poterit, qui legerit ea,

Ibid. ℣. 12.

quae sequuntur. *Et atrium maius rotundum trium ordinum.* &c. Quae paulo ante de atrio Israelis in domo Domini interpretati sumus. Quapropter ex D his omnibus locis haec vna sententia colligitur, eadem plane architectandi ratione, eisdem proportionum mensuris, tum lapidum, lignorumque magnitudine, tum vero eorundem distantia, qua ab inuicem seiungebantur, aut simul copulabantur, vsum semper, & vbique fuisse Salomonem, qua vsus fuerat in templo, eandemque in primis, atque in secundis, ac denique in omnibus fabricis obseruasse rationem. Sed vt ab his, quae in vniuersum dicta esse videntur, ad propria magis veniamus, & singula, accipe nunc lector quae de fabrica domus initio proponenda videbantur.

DOMVS saltus libani mensurae.
3. Reg. 7. ℣. 2.

Mensurae domus sic describuntur à sacro historico: *Centum cubitorum longitudinis, & quin-* E *quaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis.* Potissima autem architecturae ratio, vt dixi, ex constitutione moduli pendet sic enim appellat Vitruuius mensuram illam, quam propheta noster vocauit calamum Modulus vero ex diuisione frontis in partes aequas paratur, partium vero numerus pro ratione aedificij definiendus est. & in hoc quidem numerus assumitur par ei, quem in singulis atriorum quadratis areis obseruauerat summus Architectus, nimirum sexdecim. Frons autem aedis est cubitorum quinquaginta, quae in sexdecim partes distributa, vnicuique parti dat cubitos tres cum octaua parte cubiti. atque hic erit modulus, qui dimidiato templi calamo aequalis est. atque adeo aptissimam praestabit operi symmetriam, & ad ipsum templum proportionem admirabilem. Atria templi eriguntur cubitos sexaginta, haec autem domus cubitos triginta. vt iam incipiat respondere modulus illius, modulo huius in eadem dupla ratione, nec aliter hic partes huius definiat, quam ille illius. Etenim hic modulus, qui latitudinem quinquaginta cubitorum in partes distribuit sexdecim, longitudinem centum cubitorum in partes diuidet duas & triginta, atque adeo tota area ductis occultis lineis diuisa manebit in partes, siue areas quadratas quingentas duodecim.

MODVLI inuestigandi ratio.

32
16
———
192
32
———
512

His ita constitutis modulus vnus crassitudini parietis circumquaque tribuatur: tres alij porticui interiori circum parietes, atque in linea illa, quae tertij moduli finis est, centra dabis columnarum, duos modulos ab inuicem distantia: Sublata ex media, latitudine Orientali vna columna ad portae commodiorem vsum, & altera illi respondente in media Occidentali latitudine, in cuius medio altera aperitur porta. quae omnia facile poteris videre in apposito paulo ante vestigio. Fit item ex dictis, vt columnae omnes, quae interiorem cameram sustinent, sint numero triginta in duas partes aequas distributae. quarum dextera quindecim constat columnis sinistra totidem. His autem omnibus columnis, ac singulis totidem aliae respondent parietibus ad pactae, ita vt dimidia sui parte versus columnas extra parietum perpendiculum proijciantur. cum tamen hae, atque illae columnae omnes, sint ex cedro. Quae omnia veluti in vnam summam collecta attentius perpendenda sunt lectori, vt facilius possit sacrae Scripturae testimonia, quae de columnis scripta sunt, atque eorum explanationem, quam iam agredimur percipere.

LINEAE radices etiam in hoc aedificio obseruandae.

PRIMI ordinis columnae triginta.

Et quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas. Hebraice, Graece, & Chaldaice habetur: Et triginta cubitorum altitudo eius super quatuor ordines columnarum cedrinarum Quasi sensus sit, quatuor columnarum ordines aeque altos fuisse cubitos triginta. Hos autem columnarum ordines computare licet, vel secundum longitudinem, vel secundum latitudinem: vnus enim ordo parieti est adpactus Meridiano, alter ab hoc distat modulos tres, tertius parieti adiacet Aquilonari, quartus ab hoc distat versus Meridiem modulos tres. Atque eadem ratione quatuor ordines possunt computari iuxta latitudinem, quorum duo extremi parietibus Orientali, & Occidentali adiacent, reliquorum vterque ab his distat tres modulos.

ORDINES columnarum quomodo computandi.

Quamuis alia quoque ratione quatuor possent ordines computari, quatuor respicientes domus latera, ac si quatuor parietibus cinctam fuisse domum vniuersam testaretur. Atque hunc sensum respexisse videtur Latinae Vulgatae interpres. qui pro quatuor ordinibus columnarum cedrinarum, *quatuor ambulatoria*, conuertit, *inter columnas cedrinas* deambulatoria vero porticus intelligo cum glossa, quae Deambulatoria vulgo dicuntur, inquit, transporticus, quae porticus totam domum cingunt cedrinarum columnarum ordinibus vtrinque suffultae. Haec vero, quae diximus omnia, ad ordines columnarum, quorum alter alteri adiacet intelligenda sunt, nam de superimpositis ordinibus in-

QVATVOR porticus circa aedem.

infra agemus, quamuis Sixtianus codex ad eosdem ordines altitudinis hunc locum retulit, quippe qui trium ordinum columnarum: scripsit, *Ligna quippe cedrina exciderat in columnas*. Hebraice: Et trabes excisae cedrinae super columnas. Septuaginta, & humeri cedrini columnis. Vatablus: Erantque cedrinae tabulae dedolatae super columnas & in notationibus: Et erat, inquit, tecta cedro sursum super trabes, quae erant super columnas. Id est super columnas erant collocatae trabes, super trabes tigna, super tigna autem erant tabulae. Quibus verbis plane indicat quid ipse sentiat de verbis propositis, arbitratur enim contignationes significari, aut trabeationes, quae tribus partibus solent constare, trabibus, tignis, tabulis. Neque id immerito arbitratus est, cum fere ex verbis Hebraicis nihil aliud possit colligi. quamuis eorum difficilis admodum videatur interpretatio, propter notionem vocis כרתות cheruthoth, quae hic legitur, super columnis. Ea vero vox ex radice כרת carath, deducta esse videtur, & tam late patet significatione, quam verbum latinum, scando, cum omnibus suis compositis, & phrases praeterea habet illius sermonis proprias, quas persequi non est huius instituti. indeque fit, vt sanctus Hieronymus vocem ad suam reuocans originem legat: *Ligna quippe cedrina exciderat in columnas*, singulas, vel columnis imponendas, acsi Hebraea ad verbum conuertisset: & excisiones cedrinas super columnas. Atque adeo nulla in re ipsa, videtur esse dubitatio.

Vatablus num. 5.

Rem potius, quam vocem respexisse videntur Septuaginta interpretes ὤμιας κέδρινας. omias cedrinas, humeros cedrinos vbique vertentes, quia quemadmodum humeri medio pectori innitentes in vtramque partem extenduntur: ita trabes, eae praesertim, quas epistylia vocamus, columnis innixae extenduntur in vtramque partem. Et quamuis haec ita sint, tamen adhuc in dictionarijs, quae videre licuit, tum vel Hebraicis, tum etiam Chaldaicis huius vocis nullam vidi fieri mentionem. Quod qua ratione factum sit, censeant alij. posset fortasse existimari hanc fuisse Architectonicae artis vocem propriam, quam interpretes hi nostri penitus ignorarint. Chaldaeus tamen paraphrastes rem ipsam ita exposuit, vt vocis etiam nobis indicaret coniecturam. Et coronae earum cedrinae, inquit, erant super columnas. Qui primam vocem כרתות cherathoth, pro voce כתרות cotharoth, vsurpauit, facta nimirum vnius literae transpositione, quae Hebraeis est maxime in vsu. Quod vero ad rem ipsam spectat, quae significatur, nihil differt à reliquis interpretibus, cum coronamenta siue trabeationes praedicta voce significari supra à nobis ostensum sit. Sed hoc vnum addidisse videtur, quod modo maxime notandum est, & à nobis infra demonstrandum, coronas scilicet, vel coronamenta trabeationibus respondere: immo ex ipsis trabeationibus desumpta fuisse. Illud praeterea ab ipso Hebraeo scriptore indicari videtur, coronas, siue tabulata excisiones vocari, propter excisa capita trabium, quae in zophoris conspiciuntur, quarum formam Graeci Architecti trigliphos dixerunt, de quibus infra agendum est.

EPISTYLIA cum humeris conferuntur.

DE TRABEATIONVM, ET COLVMNARVM *numero, mensura dispositione, & ornamentis.*

Cap. XII.

ET tabulatis cedrinis vestiuit totam cameram, quae quadraginta quinque columnis sustentabatur. Vnus autem ordo habebat columnas quindecim contra se inuicem positas, & e regione se respicientes, aequali spatio inter columnas. Multa simul proponuntur, quorum singula indigent explanatione. Ac primum, de tabulatis quae superioris versiculi explicationes esse videntur, dixerat in vniuersum tabulata cedrina columnis fuisse imposita; nunc tabulata ipsa in suas distribuit partes. Nam in Hebraeo legimus: Et tecta in cedro desuper super costas, quae super columnas quadraginta & quinque, quindecim ordine. Tria igitur insinuare videtur, costas, quae super columnas, nullo alio intercedente ornamenti genere, fuisse, quas licet vocare epistylia sic dicta, quod stylis, hoc est columnis imponantur. Super costis vero sunt transtra, quae zophori respondent altitudini, & super his imponuntur asseres vel tabulae: & epistylium simul cum zophoro, vocat Chaldaeus, & merito, tabulatum. Quae costae erant super columnas quadraginta & quinque. Vulgatus vero alio conuertisse videtur verba, & satis ad rem, vt sermo sit de camera, aut media testudine lignea, quae praedictis superiore versiculo incumbebat quinis vtrinque, & quadragenis sustentata columnis, triplici ordine, alio alijs superposito. qui quidem tres ordines totidem alios numero, & magnitudine, & intercolumnijs pares respiciunt ex aduerso, forma quam simillimos.

3. Reg. 7. ℣. 3. 4 & 5.

EPISTYLIA quare sic dicta.

TRES IN altitudine columnarum ordines.

Hunc porro columnarum numerum, & hanc dispositionem licet quidem in proposito vestigio obseruare. Nam si orientalem columnarum dispositionem consideres, diuisa quidem fuit tota latitudo in modulos sexdecim è quibus vnicuique porticui dati sunt terni, parietibus, singulis singuli, vt reliqui moduli octo sint a centro columnae, quae est in angulo Septentrionali ad similem columnam in angulo meridiano, ita vt possent inter eas tres columnae collocari, centris ab inuicem distantes modulos duos, sed sublata fuit, vt dixi, columna media, relinquuntur igitur duae tantum columnae longioribus porticibus adiacentes, quae quidem ratio eadem est omnino in Occidentali latere domus.

COLVMNARUM numerus expenditur.

Iam vero examinanda est longitudo, quae in duos & triginta modulos distributa est, ex quibus, vt superius ostensum est, tres dantur porticui, vnus parieti, ac totidem ex altera opposita parte. sublatis igitur octo ex duobus, & triginta, supersunt quatuor & viginti, qui bifariam secti duodecim relinquunt intercolumnia, singula continentia duos modulos, intercolumnia voco spacia à centro vnius columnae vsque ad centrum alterius, vt in dimetiendo templo saepius adnotaui. & erunt in latere Meridiano tredecim rectà dispositae columnae, quibus si addas duas alias,

32.
8
24
12

quae

QVINDECIM columnae in singulis ardinibus.

A quae ad Meridiem vergunt, erunt omnes columnae lateris vnius, illae, inquam, columnae, quae mediam cameram, vel testudinem sustinent, quindecim, quae totidem alijs Meridianis exaduerso positis, magnitudine, vsu, forma, respondent. *Et super columnas quadrangulata ligna in cunctis aequalia*. Epistylia recta definit, quippe quae quadrangulata efficiunt spatia non arcuata. Epistylia autem omnia in cunctis aequalia fuisse testatur, primum longitudine, quae confirmari potest, ex eo, quod diximus, vel potius confirmat, quod diximus, centra columnarum omnia ex aequo distare, epistylium enim à centro vnius columnae se extendit vsque ad centrum alterius.

CENTRA columnarum aequi distantia.

B Deinde paria erant latitudine quippe quae summis respondeant columnarum hypotrachelijs, quod ostendit omnes columnas crassitudine fuisse pares item altitudine, quae nunquam non fuit eadem in omni bene ordinato aedificio.

Verum ea, quae ex dictis manifesta ratione colligebantur de triplici columnarum ordine, testatum habetur in Hebraeo, Graeco, & Chaldaeo codicibus. In Hebraeo sic legimus: Et fenestellarum tres ordines, & fenestra ad fenestram tribus vicibus. Et omnia ostia, & postes quadrati fenestella, & è regione fenestrae ad fenestram tribus vicibus. Fenestras שקפים sequphim, à radice שקף saqaph, quae significat aspicere: indeque dictae sunt fenestrae, vt alias dixi, quod

TRES ORdines columnarum.

C ad prospiciendum sint factae, atque adeo quidquid apertum est, vt per illud prospiciatur hoc nomine appellabitur. Hoc loco ipsa inter columnia licet accipere rectis epistylijs desuper conclusa, per quae ex porticibus videbatur camera, atque adeo, *quadrangulata ligna vertit Vulgatus*: Septuaginta: trabes. Chaldaeus: Vectium, inquit, erant tres ordines.

Est & aliud nomen, מחזה mechezach, quod fenestram item vertit interpres, à verbo videndi, etiam deductum: vocem tamen Septuaginta considerantes regionem conuertunt, Chaldaeus angulum, quae vox anguli apud Hebraeos regionem significare solet, quippe cum

D mundus hic in quatuor diuidatur angulos siue regiones, tres igitur regiones, vel tres anguli vnius cuiusque regionis Meridianae videlicet, & Aquilonaris, tres porticus significabunt in altum erectas. Quae vero sequuntur voces פתחים pethachim, & מזוזות mezuzoth, superius à nobis sunt explicatae, quarum prior ostium significat, quod patet, quod apertum est, posterior postem portae, vt sensus loci sit portas omnes huius domus quadrangulatas fuisse, non arcuatas postibus exornatas quadratis ac rectis, non cilindricis, aut alia forma inflexis. Quae quidem expositio, alijs fortasse magis, quam nobis ipsis satisfaciet.

OSTIA DOmus quadrata non arcuata.

E illa vocibus minime repugnat, rei explicandae, maxime conuenit, vt tignorum capita, quae in zophoris apparent, mezuzoth, dicantur, intertignia, vel caua illa, quae inter tigna relinquuntur, dicantur pethachim, & triglyphos atque metopas significent, sicut similibus vocibus significantur à Iosepho mox afferendo.

Sed ipsos praestat audire interpretes: in Sixtiano. Et melathra tria, eadem vox in Complutensi conuertitur trabes, & merito: epistylia namque ea voce significantur. & capacitas super capacitatem tripliciter. regionem hanc vocat Complutensis. & omnia ostia, & capacitates quadrangulae, melathris instructae: & ab ostio ad ostium tripliciter. Chaldaeus: Et vectium erant tres ordines, & angulus è regione anguli tribus vicibus, & omnes portae, & postes erant quadrata: & operiebant vectes & è regione anguli contra angulum tribus vicibus. Quae omnes versiones illud plane demonstrant, quod ex numero columnarum colligitur, tres ordines in altum erectos fuisse, cum quatuor ordines latitudini tribuantur.

TRIGLYPHI & metopae.

Sed illud superest, vt columnarum mensuram, quam nondum proposuimus, exquiramus; ea enim facile inuenietur ex atriorum templi proportione. Nam cum atriorum altitudo Sexaginta cubitorum duplo maior sit altitudine huius domus triginta cubitorum: & haec atque illa tribus constent columnarum ordinibus, fit vt primus atriorum ordo duplo maior sit primo ordine domus, atque idem omnino colligemus de alijs omnibus ordinibus, ac partibus, cum fuerint eadem ratione perspectae. Interim satis erit indicare altitudinem primi ordinis fuisse cubitorum duodecim cum dimidiato, columnam vero altam fuisse cubitos decem, crassam cubitum vnum cum vno digito, hoc est digitos quinque & viginti.

COLVMNArum mensurae.

Illud praeterea in dubium reuocari potest, ad columnarum formam spectans, quod Iosephus affirmare videatur eas quadrangulas fuisse. Sed interpretis ignauia factum est, vt a sacra Scriptura alienus esse censeatur Iosephus; tum quod quadrangulas faciat columnas, tum vero maxime, quod eas sexdecim faciat, cum sacra Scriptura quindecim computet. Sed Iosephi mentem à sacra Scriptura alienam non esse ex eius verbis Graece propositis, & propria, ac genuina verborum interpretatione patebit. Κίοσι μὲν τετραγώνοις ἀνειλημμένον ἑκκαίδεκα πᾶσιν. ἐστεγασμένον δὲ κορινθίως. ἰσομέτροις δὲ ὀλιαῖς καὶ θυρώμασι τριγλύφοις ἀσφαλεῖ τε ὁμοῦ καὶ κεκαλλωπισμένον: Hoc est. Columnis in sexdecim omnino quadrangula distinctam, corinthiaca contignatione: luminibus pari inter se mensura foribus has licet vocare metopas, quae caua sunt intertigna, metopis, inquam, triglyphorum firmam simul, & exornatam.

COLVMnae an quadrangulae fuerint.

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

Et certe Iosephus qui columnarum numerum initio subticuit, dum multis columnis dixit domum fuisse suffultam, eius modo non meminit, sed tantum quadrangulorum, quae in summa contignatione, quam Itali vocant, soffitta, extensis super capitibus omnium columnarum epistylijs fiunt. Omnium columnarum dixi, vt intelligas illas quoque, quae extantes parietibus adiacent. haec enim quadrangula computare licet in quolibet latere basilicae. Nam inter columnas quindecim quatuordecim manent intercolumnia, ac totidem quadrangula in tecto extensis a columnis ad parietes epistylijs, his adde quadrata duo, hoc est quadrangula paribus lateribus, quae manent in angulis porticus, & fient omnia quadrangula vniuscuiusque lateris basilicae numero sexdecim, quot computantur a Iosepho. Haec vero quadrangula opere Corinthio exornata fuisse dicit, hoc est subtili opera, & diligenti. Vocem vero θυρώμασι thiromasi, quam in valuas vel fores conuertunt interpretes, aperturas, velut magis latine ac proprie loquar, intertignia, eaque metopas vocat Vitruuius, & cum triglyphis coniungit, quos in Graeco aperte legimus. neque licuit interpreti, caelatis, conuertere, cum trisulcos, vel triplici caelatura insculptos significet, vox Graeca: quam quod propria sit

QVADRANgula sexdecim columnis quindecim suffulta.

METOPAE siue intertignia.

fit artis aedificatoriae, & à Latinis recepta, atque ab alijs omnibus linguis, oportuit retinere, nec eam licuit in aliam conuertere vocem minus notam, & difficiliorem. A

Atque ad illud respexisse videtur Iosephus, quod paulo ante dicebamus, ostiorum, & postium nominibus metopas, & triglyphos à sacro historico indicari. illud utruque parum animaduertit interpres ille Iosephi, quod valuarum caelaturas ad ornamentum loci simul factas fuisse tradit, & munimentum. quod quis non videat quam sit à ratione alienum, cum contra triglyphorum distributio ornamenti non parum afferat, & firmamenti, vt infra ostendemus. Quae hic obiter notasse sufficiet, cum totam rationem triglyphorum infra tradituri simus. B

TRIGLYphi apud Iosephum.

Illud denique praetermittendum minime fuit, quod confirmare facile poterit ea, quae de modulorum distributione diximus: describit enim sacer historicus domui saltus libani proximas tres alias porticus, quarum vnam metitur longitudine pari latitudini basilicae, quinquaginta cubitorum, latitudine vero triginta. Qua quidem mensura reliquas omnes fuisse conijcimus, quas propterea non est mensus historicus: atque adeo vnam ex illis proposuisse fuit satis. Cuius longitudo eisdem modulis diuisa est, quibus latitudo Domus saltus libani cui adiacet. Latitudo vero porticus vniuersa denis constat modulis inclusis parietibus, quemadmodum in longitudine huius porticus fit, & in longitudine, ac latitudine, domus saltus libani: ex quo fit, vt porticus haec quatuordenis constet columnis, pari distantia modulorum binorum & inter se, & à parietibus. Et manet in media longitudine porticus, locus apertus pro tribunali, vt vides in ichnographia. C

PORTICVS columnarum, vel solij.

OMNES BASILICAE CONSTRVENDAE LEGES *ex hac vna Salomonis mutuatus est Vitruuius.*

Cap. XIII.

SED priusquam à basilica recedamus, illud proferre non dubitabo, quod mihi maxime fuit admirationi, cum primum, velut aliud agens, obseruare licuit, Quod cum Vitruuius basilicae construendae leges statueret, huius basilicae locum, partes, proportiones iura adamussim enumerasse videtur. Quo vno argumento confirmatur, ac satis videtur esse firmum, ex huius aedificij obseruatione omnem perfectam aedificandi rationem fuisse petitam. Is igitur quem laudaui Vitruuius: Basilicarum loca, inquit, adiuncta foris quam calidissimis partibus oportet constitui, vt per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negociatores possint. Haec duo in primis obseruata fuere, E

Vitruu. lib. 5. cap. 1.

LOCVS Basilicae saltus libani.

quippe cum in platea portae aquarum extructa fuerit Regia Salomonis, in Meridiana vrbis regione, cuius frigidam aquilonis partem supereminens templum tuebatur, vt videre est in Vrbis imagine cum suis commentarijs. Earumque latitudines ne minus, quam ex tertia, ne plus, quam ex dimidia longitudinis parte constituantur. Vtrumque vero praeceptum ex nostra basilica desumptum fuit, cuius vniuersa longitudo centum cubitorum duplo maior est latitudine quinquaginta cubitorum. At mediae testudinis latitudo, hoc est, spatij inter porticus relicti, octo modulorum est, ex tertia longitudinis eiusdem, quae ostensa fuit modulorum quatuor & viginti. Nisi loci natura impedierit, & aliter coegerit symmetriam commutari. Haec verba addidisse videtur, vt sibi licuisse ostenderet, legem, quam tulerat, non obseruasse in Basilica Fanestri quam aedificauit. Sin autem locus erit amplior in longitudine chalcidica in extremis constituantur, vti sunt in Iulia Aquiliana. Quam ergo, *Porticum columnarum*, aut *Porticum solij, in qua tribunal est.* vocauit sacer historicus, Chalcidicam appellauit Vitruuius, eamque in eodem loco posuit, vt in vestigio apparet. De nomine vero non constat apud scriptores, quamuis de re facilius sit opinari. Nam si cum Albertoc, ausidica, legamus, satis è re nostra erit, cum ad causas agendas facta fuisse dicatur domus saltus libani, & haec praeterea porticus tribunali sit instructa, quo Rex ipse sedens ius diceret. Neque alienum à veritate erit ampla quaedam, & magnifica aedificia ad Regum & Principum oblectamentum extructa intelligere, quorum meminit Arnobius, Scribuntur dij vestri, inquit, in triclinijs coelestibus, atque in calcidicis aureis coenitare, potare, & ad vltimum fidibus, & vocum modulatione mulceri. Ea vero quae alij tradunt de cudendo aere, aut eiusmodi, nihil ad nos faciunt.

Tom. 3. Ap. par par. 1.

LATITVDInis ad longitudinem proportio.

3. Reg. 7. ℣. 6. & 7.

Leo Baptista Albertus de Archutectura.

CALCIDICA, vel causidica quae dicatur.

Arnob. lib. 4. contra haereses.

Sed ad Vitruuium reuertamur: Columnae, inquit, basilicarum tam altae, quam porticus latae fuerint, faciendae videntur. Porticus nostrae basilicae latae sunt modulos ternos, hoc est, cubitos nouenos cum tribus octauis partibus cubiti, qui fere sunt deni, quot cubitos datos fuisse altitudini columnarum supra ostendimus. Ac ne liberum cuiquam esse videretur, vel columnarum altitudinem, vel porticuum latitudinem constituere. Porticus, inquit, quam medium spatium futurum est, ex tertia finiatur. Si spatium inter columnas, vel porticuum medium spatium accipiatur, haec proportio plane respondet. Nam si ex tribus modulis porticus, hoc est, ex cubitis nouem cum tribus octauis, auferas cubitum vnum crassitudinis columnae, dimidiatę vtrinque, reliqui erunt cubiti octo. Medium autem spatium constat modulis octo, qui ter sumpti, faciunt quatuor & viginti, & octo octauae partes complent vnum cubitum, vt sint à centro vnius columnae ad centrum alterius columnae, cubiti quinque & viginti, sublato vero cubito crassitudinis columnae, dimidiae vtrinque, supersunt cubiti quatuor & viginti, qui numerus triplo maior est, octonario latitudinis porticus. Columnae superiores minores, quam inferiores, vti supra scriptum est, constituantur. Pluteum, quod fuerit inter superiores columnas, item quarta parte minus, quam superiores columnae fuerint, oportere fieri videtur; vti supra basilicae contignationem ambulantes ab negociatoribus ne conspiciantur. Tres itaque ordines in altum attollit, quorum tertius primo quarta parte minor est, tantundem secundus tertio. Hanc

D

COLVMnarum altitudo & porticuum latitudo eadem.

LATITVDO porticuum ex tertia canetae.

SVPERIOres columnae minores inferioribus quarta harum parte.

porro

porro ordinum perturbationem quare fecerit ipse exposuit nimirum propter vsum.

Verum cum in Salomonis basilica similes vsus non fuerint, ordine dispositas fuisse contignationes non dubitamus, & quidem secundus à primo eadem ratione imminuitur, vt supra ostendi, & post pauca demonstrabo tertius vero à secundo peculiari ratione, quam forte non nouit Vitruuius. Columnarum denique proportionem, quam in eisdem habet ad altitudinem crassitudo, testatam reliquit idem Vitruuius, dum basilicae quam extruxerat enarrat mensuras. Columnae, inquit, altitudinibus perpetuis cum capitulis pedum quinquaginta, crassitudinibus quinum, habentes post se parastatas altas pedes viginti latas, pedes duos semis. Haec autem est proportio quam in omnibus Salomonis fabricis perpetuo obseruauimus, quamque iterum confirmaturi sumus. Epistylia denique, zophoros, coronas iuxta praescriptam suo tertio libro rationem faciendas esse praescribit, quas etiam ab his nostris fuisse desumptas ostendemus.

DE CVPLA proportione altas columnas fecit Vitruuius.

Quae tam multiplex proportionum similitudo in re quadam à communi vsu tam longe semota, plane demonstrat Vitruuium huius tanto antiquioris basilicae obseruatione didicisse, quae tradidit: vel certe ab alijs accepisse, qui haec eadem obseruarunt, cum vix videatur credibile tot, tamque multiplices varietates proportionum alicui sua sponte occurrisse.

DE EXTERIORI
DOMVS CELSITVDINE:
nec non de interiori celsitudine Sancti, eiusque testudine.
Cap. XIV.

OSTENDIMVS iam vestibulum templi triplici distinctum fuisse contignatione, triplici etiam atria ipsa, triplici denique domum saltus Libani: & quoniam testatum est apud Prophetam nostrum superiores ordines inferioribus fuisse humiliores, atque adeo superiores columnas, semicolumnas, aut parastatas inferioribus fuisse subtiliores, id qua ratione factum fuerit, exquirendum est in primis. Cuius rei vnum inuenire possumus firmum argumentum, si domus Dei altitudo perspecta sit, sicut nota iam fuit in superioribus, atriorum vniuersa altitudo, ac in primo ordine eorundem celsitudo. Sed ne actum agere videamur, assumendum est, vt certum, quod a nemine vocari potest in dubium, vestibulum nimirum ad centum viginti cubitos erectum fuisse. Nam in paralipomanis sic legimus:

2. Paralip. 3. ℣ 4.

Porticum vero ante frontem, quae tendebatur in A *longum iuxta mensuram latitudinis domus cubitorum viginti: porro altitudo centum viginti cubitorum erat.*

ALTITVDO porticus centum viginti cubitorum.

Sed in dubium reuocant doctissimi viri, & quidem numero non pauci, an haec altitudinis mensura ad vnam porticum sit contrahenda, an vero ad domum vniuersam sit etiam extendenda. Ac certe quamuis de re ipsa dubitari possit, an domus eiusdem altitudinis esset cum vestibulo, verba tamen textus ego non video, qua ratione, ad domum referantur, praesertim si vt in Hebraeo iacent legantur, quae sic ad verbum conuertuntur in Regio codice: Et porticus quae super facies longitudinis, super facies latitudinis B domus cubitorum viginti, & altitudo centum & viginti. Et Septuaginta: Et Aelam ad faciem domus, longitudo super faciem latitudinis domus cubitorum viginti, & altitudo cubitorum centum viginti. Quae sane verba haud obscure indicant eidem rei vtramque mensuram tribuendam esse, & viginti cubitorum, & centum viginti. Sed cum nullus adhuc opinatus sit aliud quidpiam, viginti cubitis fuisse dimensum nisi vnum vestibulum, à nemine videtur negandum altitudinem vestibuli centum illis viginti cubitis fuisse definitam. Quae sane res in eam me sententiam adducit, vt existimem, propterea vestibuli tantam celsitudinem referri, quod eidem par non fuisset C domus vniuersae altitudo. Quod cum ex mensura altitudinis parietis domus mox referenda perspectum esse cuiuis possit: illud vnum hoc loco praestandum nobis erit, illis scilicet argumentis satisfacere quae in contrarium afferuntur.

RESPONdetur obiectis. *Ioseph 8. antiq. cap. 2.*

Atque in primis Iosephi verba exponenda sunt, quibus significare videtur domum altam fuisse cubitos centum viginti. Huius, inquit, altitudo aedificij fuit cubitorum sexaginta, & totidem longitudo, latitudo vero viginti. Super hoc autem erat aliud aedificium pari mensura, ita vt tota altitudo templi centum viginti cubitis constaret, versum autem erat ad Orientem. Et vestibulum in aditu eius erat viginti cubitorum longitudinis secundum mensuram latitudinis templi, latum cubitos decem, D surgens in altum cubitis centum viginti. In circuitu deinde templi, construxit triginta cellas, quae interse constipatae externos parietes templi fulciebant. Graeca ad verbum sic possent conuerti: Quae propter earum frequentiam, & multitudinem totum extrinsecus circumdarent. eratque earum aditus per alias in alias: & patebant singulae in longum quinque cubitos, ac totidem in latum, & viginti cubitis attollebantur. Super has alia series cellarum erat extructa, super quam rursum aliae omnes inter se numero, & amplitudine pares, ita vt coniunctae inferius aedificium aequarent altitudine. Nam superius non erat aedificatum. Haec ille. Quem dubitare non possumus vniuersae domui, & seorsum vestibulo parem celsitudinem assignasse. id tamen illum pro- E pterea sensisse existimandum est, quod sacrae Scripturae testimonia, quae de his rebus extabant percipere minime potuerit, vel propterea maxime quod architecturae fuerit omnino imperitus. cuius rei exempla non aliunde petenda esse existimaui, quam ex ipsius verbis huius rei gratia fideliter à me relatis. Quis enim aedificij tam magnifici altitudinem in duas, easque pares omnino partes diuidi patiatur? contra sacrae Scripturae exempla, quae affirmant superioribus aedificij partibus siue columnis detrahendum esse de altitudine inferiorum, quod etiam ratio ipsa aedificij, & a natura petita exempla confirmant, vt supra ostendimus.

IOSEPHVS Architecturae ignarus.

Supra lib. 4. huius cap. 67.

Illud

Illud praeterea sacrae Scripturae omnino aduersatur, quod singulis cellulis altitudinem tribuat viginti cubitorum, cum potius omnibus simul tantundem tribuendum sit, vt ostendimus. Verum demus nullum de huiusmodi cellulis, aut columnarum altitudinibus perspicuum extare sacrae Scripturae testimonium, tametsi multa, eaque certissima extent: illud tamen extra controuersiam est, & ab omnibus scriptoribus receptum, & a sacro praesertim textu, fenestras in domo Sancti ad illuminandam domum fuisse apertas, & domum hanc altam fuisse cubitos triginta. si ergo paries domus vndique cellis his inter se coniunctis operiatur in altitudine cubitorum sexaginta, qua via, quaue ratione, quaeso, recipient huiusmodi fenestrae lumen suum? quae omnia cum stare nulla ratione possint, affirmare non dubitamus altitudinem domus, quae huiusmodi insistebat fundamentis, aut saltem quae vna cum illis recensetur, stare non posse.

At, inquies, non est Iosephi haec opinio tantum, sed etiam Herodis regis, & consensu populi totius receptissima: quippe cum promittens hic populo pristinam fore celsitudinem instaurandam, suasit illi, vt extructum templum subuerti pateretur. Quae omnia eundem Iosephum habent auctorem. Templo huic, inquit Herodes, quod post liminio reuersi a captiuitate Babilonica patres nostri instaurauerant, desunt ad priscam altitudinem sexaginta cubiti; tanto enim celsius erat vetus illud Salomonis aedificium. Nec hoc culpa maiorum nostrorum accidit, per quos non stetit, quin par illi pristinae structurae surgeret; Sed hanc mensuram praescripserunt Cyrus, & Darius Histaspis filius. Cuius rei fides penes auctorem sit, admiscet vera, & certa de altitudine posterioris domus, & prioris, vt confirmet falsa, & mera figmenta. Sed multis indigent falsa fulcimentis, quorum plurima oportet etiam esse falsa, & quae, Deo ita disponente, ipsa suam manifestent falsitatem, & aliorum; ac si ipsa contraria testimonia pro veritate respondeant. Quis enim sit tam in credendo facilis, aut rerum omnium tam ignarus, qui non videat merum esse figmentum Iosephi, quod his subiungit de recedentibus viginti illis cubitis centum super additis, quoniam siderunt fundamenta? Sed quoniam hanc Herodis magnificentissimam structuram iterum examinare nos cogent eorum ingenia, quibus mendacia plusquam omnis veritas, placent, quasi fastidio quodam antiquitatis, ideo ab his modo supersedendum censui, & dandam operam obijcientibus, libere proposita verba fuisse olim ab Herode ad populum pronunciata. Nunquid propterea Herodes sensit domum vniuersam atque omnes, ac singulas eius partes tantundem altas fuisse? Nunquid non satis vere dici potuisset, domum centum viginti cubitos altam fuisse, cuius prima pars, & principalis facies tantundem esset alta. Sed etiam si cum Iosepho Herodes ita sentiret, nobis tamen esse debet integrum ab illis dissentire, vt cum sacra Scriptura sentiamus.

Iosep. 15. ant. cap. 14.
TEMPLI Zorobabelici altitudo sexaginta cubitorum.

IOSEPHI figmentum de recedentibus viginti cubitis.

Atque in primis certum esse debet, & est ab omnibus similiter scriptoribus receptum, non eandem fuisse interioris domus atque exterioris celsitudinem. Nam interioris domus, mensuras persequitur textus, qui sic habet: *Domus autem, quam aedificabat Rex Salomon Domino habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Et sicut nullus in dubium reuocauit, latitudinem, A & longitudinem interiorem ibi referri; ita minime dubitandum videtur, de interiore quoque altitudine sermonem fieri. Nam exteriorem longitudinem mensus est Propheta noster centum cubitis, vt vidimus. Orientalis vero prospectus celsitudinem metitur liber paralipomenon centum viginti cubitis. Quapropter de interiore prius agendum nobis est, deinde de exteriore.

NON EAdem celsitudine interior domus, & exterior fuit.

3. Reg. 6. ℣. 2.

Atque eandem non esse mensuram interioris domus oraculi, & exterioris sancti, plane indicat textus, qui huic tribuit triginta cubitos, illi vero viginti: quare etiam haec seorsum examinanda sunt. Et vt quae de sancti altitudine dicturi sumus facilius percipiantur, ob oculos habenda est illa secti templi orthographia, quae septima ordine ponitur cum titulo. B SECTIO MVRORVM TESTVDINIS, ATQVE COENACVLI AVLAE SANCTAE. In qua primum apparent binae illae antae binos singulae cubitos latae, quae ostium sancti Sanctorum exornant, & quod latitudine pares sunt atriorum columnis, atque ipsis aeneis vestibuli columnis, de quibus paulo ante agebamus: pares quoque his illas esse celsitudine certum est. His vero trabeatio inest, quae aequalis, & aeque librata est trabeationibus atriorum, nimirum cubitos à summo stereobata quinque & viginti erecta, vt supra pluribus locis ostensum est.

NON EAdem oraculi, & sancti altitudo.

Fine lib. 2. Isagogici huius partis.

ALTITVDO aulae sanctae.

Structura vero cubiculorum, quae exteriorem murum aspiciunt, eiusdem altitudinis est, vt C nulla ratione permittat fenestras in pariete templi aperiri infra praedictam altitudinem quinque & viginti cubitorum: quod non coniectura tantum ducti affirmamus, sed quia attestatum esse videatur à Propheta nostro, vt supra ostensum est. Necessarium igitur fuit fenestras supra viginti quinque cubitos aperiri, in celsitudine quinque cubitorum, quam vides in praedicta figura: vt ad perpendiculum erecta parietum aulae celsitudo vniuersa sit cubitorum triginta, vt in historia legimus. Huic porro altitudini imminet testudo cedrina: quam insinuat eadem sacra historia. *Texit quoque domum*, inquit, *laquearibus cedrinis*. D Pro *laquearibus*, Hebraice legimus גבים gebim, quae vox, quoniam ex multiplici radice posset deduci, in varias notiones traxit interpretes. Ita vt putarent aliqui propriam esse radicem, cuius tamen ignoretur notio verum ex vsu sacrae Scripturae arbitrantur, & cuiuslibet rei partem, quae alijs emineat, hoc nomine significari: & gibbum Latinis dici posse existimant, voce, ac significatione Hebraicae simili: qua ratione apud Prophetam nostrum vox illa rotarum canthos saepe significat, quod in orbem emineant. Sic etiam in psalmo, humanum dorsum significat, cum humano more loquutus Do- E minus: *Supra dorsum meum*, inquit, *fabricauerunt peccatores*. Vel vt habent Hebraea, supra dorsum meum arabant arantes, prolongauerunt sulcum suum. Quae verba quasi ab Ecclesia dicta martyrum nomine, pie arbitratus est Genebrardus, Beatum referens Augustinum, qui sic de martyribus loquitur: Non extendente equuleo, non sulcantibus vngulis, non vrentibus flammis. Verum id ipsum magis proprie de ipso, qui est caput Martyrum, Christo IESV dici posset, cum vix possit excogitari agri cliuus ducto, ac reducto desuper aratro discissus magis, quam flagellis innumeris Christi dorsum in domo Pilati. In qua quidem notione vox deducta esse videtur

Supra lib. 4. cap. 34.

3. Reg. 6. ℣. 9.

TESTVDO cedrina in sancto.

GIBBVS vnde dicatur.
Ezech. 1. ℣. 18. & cap. 10. ℣. 12.

Psal. 128. ℣. 3.

Genebrardus in psalm.
S. August. epist. 59.
FLAGELLA Christi praedicta in psalmo.

detur à verbo גבה gabach, quod significat excelsum esse, eleuari, siue extolli. A

Plerumque etiam a גבה gabah, deducitur vox, quae foueam significat, siue cisternam; vt propterea varij videantur interpretes in expositione Ezechielis. *Et aedificasti tibi lupanar*: pro quo Septuaginta, inquit Hieronymus, transtulerunt, habitaculum fornicationis: Symmachus, & Theodotio πορνεῖον, hoc est lupanar interpretati sunt: Aquila volens exprimere etymologiam sermonis Hebraici גב gab, posuit βόθυνον, quod nos dicere possumus foueam, vt significet ganeam, ac perfossam specum, atque tenebrosam, in qua prostitutorum libido versatur. Sed Rabbi Dauid excelsum exposuit. Quae omnia dum B mores indicant nefariae illius idololatriae, quae libidinibus admiscebatur, quam supra nos pluribus persecuti sumus: notiones interim huius vocis exponunt. Quapropter cum in loco Regum, quem interpretamur, sermonem fieri perspectum sit de tecto, quo domus operiebatur, vocis huius notiones absque dubio significabunt tecti formam quam significauit his verbis vsus Regius codex. Et texit domum testudinibus, & ordinibus in cedris. Chaldaeus, trabibus cauatis. Erant enim tabulae, inquit Rabbi Dauid, secundum dispositionem cisternarum, siue testudinum, quod alibi idem exponit: hoc est, tabulis contignatis instar testudinum: quamuis alibi צלעות tselagoth, in- C terpretetur, hoc est, tabulis instar costarum, animalium enim costae, quòd curuae sint, גב gab, dicuntur, vel גבים gabim.

Ezech. 16. ℣. 24.

FOVEA pro lupanari.

R. Dauid.

Supra lib. 4. cap. 70.

TESTVDINES cedrinae.

R. Dauid.

Kimchius.

Et certe tecti huius curuatutam, eminentiam in medio, gibbum, siue fossam indicant vocis notiones, quas initio afferebamus, ita vt opinari liceat huius aulae tectum fornicatum fuisse: & certe à Latinae vocis similitudine, qua fornix, & fornicatio conueniunt, superior vocis גב gab, interpretatio non abhorret. Sed quamuis ea voce testudinis forma non satis indicaretur, tamen ipsa rei forma, qua caelum hoc aethereum significatur, eiusmodi figuram exigere videbatur. Caelum autem ea parte templi significari, & su- D pra indicatum est, & infra pluribus ostendendum. Sed & fornicem agnouit Vatablus sic locum conuertens: Concamerauitque aedem, fornicis in modum, ordinibus asserum cedrinorum. Et in Notationibus. Et texit, inquit, domum trabibus incuruis, & lignis cedrinis ordine dispositis. Texit, inquit, superiorem partem domus trabibus instar fornicis incuruatis, & arcuatis, quae videbantur contra pondus surgere: & lignis cedrinis super trabes illas dispositis. Fornicem demum ipsam, excauatis alijs fossis, asperam fuisse, ac valde exornatam indicat vox ipsa numero inflexa multitudinis. Eiusmodi ornamenti genus sermo Hispanus vocat, artesones, quod huius- E modi foueae forma sua referant vas illud, in quo fit massa panis, quod Italis dicitur, mastra. Hispanis artesa, voce à Graeca, ἄρτος, deducta, quae panem significat. Duplici autem Hebraicae voci Latina respondet *laquearibus*, sic enim habet Hebraeus textus. גבים ושדרות gebim vsderoth, quarum prima vox arculas, sic enim vocauit eas Vitruuius: secunda limitem, terminum, septum significat. sic in libris Regum. *Si quis autem*, inquit, *ingressus fuerit septum templi, interficiatur*. Indicabit itaque vox haec coronas prominentes, quibus lacunaria cingebantur, & mirifice exornata terminabantur.

TECTVM quod caelum significat, fornicatum.

Vatablus 3. Reg. 6. ℣. 20.

EXCAVATIS ordine fossis aspera fuit testudo.

Vitruu. lib. 6 cap. 4.

4. Reg. 11. ℣. 8.

LAQVEARIORUM ornamenta

Sed quamuis voce eiusmodi denominari posse dixerim ornamenta, tamen non eam esse duxerim testudinum formam, quae cum omnibus alijs aedificijs sit communis: sed eam, quae templi huius sit propria, vt in figura apparet, & cuius ornamenti exemplum vnum licet Romae videre in testudinibus templorum Solis, & Lunae, vel vt alij volunt Isidis, & Serapidis: quae templa arcui Titi, & templo Pacis sunt proxima, & hodie in hortis Sanctae Mariae nouae includuntur.

Sed quae de testudine diximus, ipsis templi mensuris expositis mox confirmabuntur: fornix enim, vt dixi, supra altitudine cubitorum triginta erigebatur, cuius formam opinari non licet à perfecta recessisse semicirculi curuatura, à semicirculo, inquam, ducto in latitudine domus viginti cubitorum, cuius semidiameter, atque adeo summa celsitudo testudinis sit decem cubitorum, ab imo pauimento erecta erit cubitos quadraginta. Quae omnia si vera essent, certe liceret colligere trabes primae contignationis domus, quorum capita, vt infra ostendam, exterius apparebant, non infra altitudinem quadraginta cubitorum fuisse collocatas. Sed tantae altitudinis fuisse exteriores trabeationes domus, nec paucis, nec parui momenti argumentis licet confirmare. Primum, idque firmissimum ex ijs, quae supra ostensa sunt, desumi potest. Triplicem vestibuli, triplicem quoque atriorum fuisse contignationem ostendimus: at vestibulum altitudine duplo maiori, quam fuerit altitudo atriorum, demonstratum est, ex quo colliges primum ordinem domus duplo maiorem fuisse primo ordine atriorum. Sed horum columnae altae sunt cubitos viginti, ergo illius ordo primus altus erit cubitos quadraginta. Quod aliter quoque poterit confirmari, si in memoriam reuocentur ea, quae de capitellis in antis interioris vestibuli, & in circuitu domus vndique supra diximus, & de trabibus, siue trabeationibus eiusmodi antis impositis, & aeque libratis: vt antae formam, & proportionem columnarum imitatae fuisse credantur, quae membra, & ornamenta omnia fuerant imitatae. Sed hae quatuor cubitos fuisse latae dicuntur; ergo & quaterdenos altae, qua proportione sunt omnes columnae templi, & domus saltus Libani, vt ostendi quamque proportionem in sua basilica imitatus est Vitruuius, qui columnas altas fecit pedes quinquaginta, latas quinque, parastadas altas pedes viginti, latas pedes duos semis.

ALTITVDO summae testudinis Sancti quadraginta cubitorum.

PRIMAE vestibuli pilae quadraginta cubitorum.

Supra lib. 4. cap 65. huius partis.

Vitruuius lib. 5 cap. 1.

At ne cuiquam aut noua videatur haec primae contignationis templi altitudo, aut prorsus inaudita, audiendus est Lyranus: Appenditia, inquit, ascendunt vsque ad vicesimum cubitum inclusiue parietum templi: & tanta est altitudo parietis claudentis appenditia exterius. Et quia inferior mansio templi vsque ad primum tabulatum, seu coenaculum ponenda est triginta cubitorum, sicut in templo Salomonis: ideo super appenditia remanet paries templi liber sine obstaculo per decem cubitos. ad recipiendum lumen per fenestras ad sufficientem illuminationem inferioris mansionis templi. Si vero mansionis huius ponatur altitudo quadraginta cubitorum, sicut dicunt aliqui, sic adhuc conuenientior erit illuminatio. Et quia mihi videtur haec dispositio decentior, quia per hoc seruatur vniformitas trium mansionum, ideo sic inferius figurantur. Haec ille. qui cum in reliquis omnibus

Lyranus super Ezech. 41.

3. Reg 6.

verita-

veritatem fuisset assecutus, hoc vno ab ea recessit, quod pares fecit superiores inferioribus mansionibus, neque trabeationum templi meminit.

Sed & hanc domus altitudinem memini me aliàs Theodoreti testimonio confirmasse. Primam vero trabeationem ex quarta altitudinis parastadum parte faciendam esse probat ratio atriorum, ac eadem, quam supra ostendi, proportio: vt sicut prima contignatio atriorum alta fuisse dicitur cubitos quinque & viginti, sic etiam domus prima cum trabeatione alta esse credatur cubitos quinquaginta.

Supra lib. 4. cap. 12. huius partis.

PRIMVS ordo vestibuli cum trabeatione quinquaginta cubitorum.

DE ORACVLI ALTITVDINE *& camera.*

Cap. XV.

QVAE dicta sunt, omnia ad altitudinem pertinent exterioris domus, reliquum est vt de altitudine Oraculi breuiter dicamus. cuius rei gratia proponenda ob oculos est Sancti Sanctorum scoenographia, quae octauo loco habetur inter ideas templi, cuius titulus hic est: PROSPECTVS TESTVDINIS MVRORVM ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM. In qua videre inprimis licet, parietes ad perpendiculum erectos cubitos viginti, in quibus & summa corona computatur: & haec esse dicitur Oraculi altitudo viginti cubitorum, quae recta est, haud aliter quam in Sancto recta altitudo computata est cubitis triginta, propter fenestras, quibus caruit Oraculum. His vero viginti cubitis cedrina imponitur testudo alta cubitos decem; vt verum sit, quod historia Regum insinuauerat, domum longam cubitos sexaginta enarrans, latam fuisse viginti, altam triginta. quae sane altitudo neganda esse minime videtur domui sexaginta cubitos longae, hoc est, ei, quae Sanctum complectitur, & Sanctum Sanctorum. Et haec quidem Oraculi altitudo triginta cubitorum propria claudebatur contignatione, reliquum vero spatium vsque ad vniuersae domus contignationem, quam dixi, inane relictum est, ad Oraculi sanctitatem indicandam, ne scilicet liceret tectum Sancti Sanctorum desuper conculcare.

ALTITVDO oraculi.

VNIVERSA domus alta est cubitos triginta.

ORACVLI sanctitas.

Quod si testudinis summae crassitudini quinos denos demus cubitos, quinque reliqui erunt cubiti inter vtrumque tabulatum, haud aliter, quàm inter vtrumque parietem templi, totidem circa domum vniuersam relinquebantur. Fit etiam ex hoc, vt ipsum Sanctum Sanctorum triplici operiatur tecto, exemplo prioris Sanctuarij tabernaculi, quod triplici operiebatur cortinarum genere, vt supra dixi.

Ea autem, quae diximus, omnia colliguntur ex A textu, quamuis propter sermonis Hebraici difficultatem sine accurata inquisitione, vix, ac ne vix quidem percipiantur. *Et aedificauit*, inquit, *parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis à pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia, & operuit lignis cedrinis intrinsecus.* Innuit his verbis sacer historicus, non eadem ratione laquearia, & parietes ligneis tabulis fuisse obductos, horum enim arrectitij, recti asseres vniuersam altitudinem operiebant; laquearium vero non item: sed incurui asseres, costarum in morem, vestiebant prospectum. Quod significare voluisse videtur Chaldaeus. Et aedificauit, inquit, parietes domus intrinsecus, B tabulatis cedrinis, à pauimento domus vsque ad parietes, donec attigisset caelos tignorum. Caelos vtique appellare videtur testudines, quòd arcuata forma caelestes referant orbes. Septuaginta vero rem ipsam disertis verbis ostendunt. Nam vbi nos legimus: *& operuit lignis cedrinis intrinsecus*, ipsi conuertunt: Καὶ ἐκοιλοστάθμησε συνεχόμενα ἐν ξύλοις ἔσωθεν. Quae ad verbum sic possunt reddi: Et concamerauit coaptatis inter se tignis intrinsecus. Idem enim Graecis compositum verbum ἐκοιλοστάθμησε, significare solet, quod Latinis concamerare, dicitur enim Latinis camera tectum deuexum, & incuruatum, quod fornix, & testudo appellari solet. quamuis camera C quamcunque potest indicare curuaturam, fornix autem prima institutione eam, quae furni est instar; & à nostris dicitur *medianaranja*. testudo vero similitudinem illius animantis refert, quae testudo dicitur, quamuis vsus latius ea nomina patere faciat.

3. Reg. 6. ℣. 15.

INCVRVI asseres testudinem exornabant.

CAELVM tignorum dicitur testudo lignea.

CAMERA dicitur tectum deuexum.

Illud autem indicandum videbatur, qua ratione è lignis formaretur camera, quod non siluere Septuaginta, dum dicunt: coaptatis, vel connexis inter se tignis intrinsecus, vt ostenderent, è pluribus lignis fuisse compactam fornicem, quorum iuncturae apparere minime poterant. *Aedificauitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, à pauimento vsque ad superiora, & fecit interiorem domum* D *Oraculi in Sanctum Sanctorum.* Quibus verbis nonnulli parietem illum significari putant, qui Oraculum à templo separabat, quem existimant viginti cubitos fuisse altum, reliquos superiores Oraculi apertos fuisse: quod quàm sit à ratione alienum, satis supra ostendi. atque ostendit melius ipse contextus: *Porro oraculum*, inquit, *habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.* Qui textus nulla ratione permittit de re vna latitudinem assignari, & de alia altitudinem. quare cum parietis longitudo, & latitudo intelligi non possit alia ab altitudine viginti cubitorum, necessarium erit, de ipso Oraculo hanc trinam, pa- E remque dimensionem accipere.

MODVS camerae.

3. Reg. 6. ℣. 16.

Ibid. ℣. 20.

IPSVM Oraculum altum est cubitis viginti, non vero paries quo clauditur.

Sed ipsa pensanda sunt verba, vt omnis dubitandi ratio auferatur. Hebraea sic ad verbum conuertuntur in Regio codice: Et aedificauit viginti cubitos à lateribus domus in costis cedrorum, à pauimento vsque ad קירות Kiroth, parietes, vel contignationes, quas proprie significare vox illa poterit, vt supra ostendi. Vtramque vocem ita coniunxere Septuaginta, vt altera esset alterius interpretatio: Vsque ad parietes, & vsque ad trabes. & aedificauit ibi intra Oraculum in Sanctum Sanctorum. Sensus igitur loci est, quaterna latera domus asseribus obducta fuisse, à

pauimento

Lib. 4. cap. 49. huius.

pauimento vſque ad contignationes: lateribus enim his, pauimento, & tecto oraculi domus continebatur. Septuaginta vero interpretes aliquid praeterea ſignificare voluiſſe videntur, qui in Regio codice ſic conuertuntur: Et aedificauit viginti cubitos à ſummitate domus laterum cedrinorum à pauimento vſque ad trabes. Quibus verbis parem indicare videntur exteriorum domuncularum altitudinem, atque interioris Oraculi; quippe cum vtraque oſtenſa ſit fuiſſe viginti cubitorum. At in Sixtiano codice: Et aedificauit, inquiunt, viginti cubitos à ſummo muri latus vnum, id eſt, vnumquodque, à pauimento vſque ad trabes. Quaſi dicant, latus vnumquodque Oraculi viginti cubitorum, à ſummo muro vſque ad pauimentum, & à pauimento vſque ad trabes. Quae ſane tam magna teſtimoniorum, ac expoſitionum moles rem alioqui obſcuram firmam, ac luce ipſa clariorem in omnium oculis, atque animis faciet, quamuis aliquibus videri poſſet noua, quo minus eadem obſeruauerint antiquitatis monumenta. Et haec de prima domus contignatione dicta ſint ſatis.

CVBICVLORUM exteriorum, & interioris Oraculi par altitudo.

DE SECVNDO ET TERTIO ORDINE

domus Domini, necnon de omnium ordinum menſuris, & proportionibus.

Cap. XVI.

Ezech. 41. ℣. 13. Ibid. lib. 4. cap. 29. huius partis.

SECVNDAM domus Domini contignationem verbis illis Prophetae noſtri indicari arbitramur, quibus parietem Occidentalem domus altum fecit cubitos nonaginta, vt ibidem oſtendi. Nam cum ordini primo cubiti dentur quinquaginta, ſuperſunt ordini ſecundo cubiti quadraginta, tertio denique ordini turris Orientalis triginta ſuperſunt cubiti, ſubiatis ex centum viginti cubitis altitudinis veſtibuli, nonaginta, quos, vt dixi, ordo primus & ſecundus erigitur.

Sed haec quae generatim, atque vniuerſe explicata ſunt, ſingillatim, atque particulatim examinanda ſunt, vt ſumma partium conſenſio oſtendatur, atque ipſa pene incredibilis ſymmetriae perfectio manifeſtetur. Cuius rei gratia libuit initio tabulas proponere, quibus ordines columnarum, & trabeationum maiores quaedam menſurae continentur, ex illis partim colle-

A ctae, quae iam demonſtratae ſunt, partim ex ijs, quae poſt pauca demonſtraturi ſumus. In his vero tabulis, quas tum plures licet appellare, pluribus enim conſtant partibus; tum vnam, ijdem enim ſummi tituli omnibus inſeruient numerorum ordinibus, haud ſecus, quam ſi in ſingulis iterati eſſent, primum quidem obſeruare licet maiores titulos, qui diametros columnarum, harumque altitudines, trabeationes, ordines, podiola, & vniuerſam aedificij celſitudinem tandem indicant. Deinde in ſumma tabula animaduertis hos tres titulos, domus Domini, atriorum, domus Regiae, quoniam tabulae omnes in tres partes huiuſmodi ſunt ſectae. quarum prior numerus cubitos refert, ſecundus digitos: hic
B autem digitorum numerus producitur ex multiplicatione numeri cubitorum per quatuor & viginti, numerum digitorum. tandem prima linea primum ordinem, ſecunda ſecundum, tertia tertium indicat, vt à dextris notarum eſt. His praemiſſis, facilis erit vnicuique cuiuſlibet inuentio numeri. Nam ſi columnae altitudinem tertij ordinis atriorum quis cognoſcere velit, is ſecundam tabulam ob oculos ſibi proponat ſub titulo altitudinis columnarum, & in tertia linea, in media columna, quae directe reſpondet ſummo titulo atriorum, inueniet ſub cubitis numerum duodecim, ſub digitis ducentos octoginta octo; atque ita pronuntiabit columnam illam altam fuiſſe cubitos duodecim, hoc eſt, digitos
C ducentos octoginta octo. & ſic de ſingulis numeris ſentiendum eſt.

TABVLARUM vſus.

Supereſt tandem vt aliquid dicamus de quarto ordine atriorum, qui ſuper portis, & caſtellis erigitur, ac de quinto, qui huic imponitur in eiſdem caſtellis, quos pares eſſe oſtendendum eſt, primo, & ſecundo domus Regiae. Nam ſicut à ſacro textu docemur, ſecundus ordo minor eſt primo quarta huius parte, tertia vero illius: tertius à ſecundo, quinta huius, quarta vero illius: ſic etiam vlterius in altum progrediendo, quartus tertio minor erit, quinta ſui parte, huius vero ſexta. quare ſi numerum tertij ordinis trabeationis
D atriorum, duorum & ſeptuaginta digitorum in ſex partes diuidas, cuique obuenient duodecim, hos à primo numero auferas, & habebis ſexaginta, quot tribuuntur primo ordini domus Regiae: cumque omnium partium eadem ſit ratio, certo agnoſces quartum ordinem atriorum primo domus Regiae fuiſſe parem. Quintum vero turris aequalem fecimus ſecundo domus Regiae, quoniam illum oportuit altiorem facere, quod in medio caſtello excitaretur.

DE QVARTO, & quinto ordine caſtellorum.

10
72
6
12
60

Sed operaepretium fore exiſtimaui, breui aperire proportionem, quam habent ad altitudinem vniuerſi aedificij, columnae ſingulorum ordi-
E num. Et in atrijs quidem vniuerſa altitudo cubitorum ſexaginta eſt, cuius tertia pars eſt prima columna viginti cubitorum, ſecunda quindecim ex quarta totius, tertia duodecim ex quinta: nam reliqui tabularis tribuuntur. Hoc ordine totius altitudinis duodecima pars eſt prima trabeatio, decima ſexta dat ſecundam; vigeſima dat tertiam. quam partiendi normam ſequuntur in magnificis rationibus, vt ex nerui in partes ſectione conſonantias rimentur muſicae periti. De qua re nos infra.

SYMMETRIAE ARCHITECTVRAE SACRAE.

DIAMETRI COLVMNARVM.

	DOMVS DOMINI. Cubiti.	DOMVS DOMINI. Digiti.	ATRIORVM. Cubiti.	ATRIORVM. Digiti.	DOMVS REGIAE. Cubiti.	DOMVS REGIAE. Digiti.
Primi ordinis	4 $\frac{1}{6}$	100	2 $\frac{1}{12}$	50	1 $\frac{1}{24}$	25
Secundi.	3 $\frac{1}{8}$	75	1 $\frac{9}{16}$	37 $\frac{1}{2}$	$\frac{25}{32}$	18 $\frac{3}{4}$
Tertij.	2 $\frac{1}{2}$	60	1 $\frac{1}{4}$	30	$\frac{5}{8}$	15

ALTITVDO COLVMNARVM.

Primi ordinis	40	960	20	480	10	240
Secundi.	30	720	15	360	7 $\frac{1}{2}$	180
Tertij.	24	576	12	288	6	144

TRABEATIONVM ALTITVDO.

Primi ordinis	10	240	5	120	2 $\frac{1}{2}$	60
Secundi.	7 $\frac{1}{2}$	180	3 $\frac{3}{4}$	90	1 $\frac{7}{8}$	45
Tertij.	6	144	3	72	1 $\frac{1}{2}$	36

ORDINVM CELSITVDO.

Primi ordinis	50	1200	25	600	12 $\frac{1}{2}$	300
Secundi.	37 $\frac{1}{2}$	900	18 $\frac{3}{4}$	450	9 $\frac{3}{8}$	225
Tertij.	30	720	15	360	7 $\frac{1}{2}$	180

PODIOLI ALTITVDO.

Secundi ord.	1 $\frac{1}{4}$	30	$\frac{5}{8}$	15	$\frac{5}{16}$	7 $\frac{1}{2}$
Tertij.	1 $\frac{1}{4}$	30	$\frac{5}{8}$	15	$\frac{5}{16}$	7 $\frac{1}{2}$

VNIVERSA ALTITVDO.

Domus Domini		Atriorum		Domus Regiae.	
120	2880	60	1440	30	720

Sed vnum

PROPORTIO cuiusque columnae ad vniuersam altitudinem.

Sed vnum fortasse mirabitur in his tabulis lector, cuius nondum vllam rationem dedisse videmur. Podiola scilicet illa duo, quae quòd facta sint paria, & in secundo tantum, ac tertio ordine, extra morem reliquarum proportionum esse videbuntur. Sed certe vsus, & ratio postulabat, vt ne à proiecturis coronarum superiorum ordinum bases impedirentur, podiolis erigerentur; sed quoniam quo altiores sunt coronae, eo magis impediunt ea, quae sunt retro, etiamsi minus proijciantur, ideo secundi ordinis podiola paria fecimus podiolo tertij ordinis, vt propter maiorem altitudinem tertij ordinis eadem videretur seruata proportio, quae vere maior est.

ORDINVM proportiones.

Quod vero ad proportionem ordinum spectat, vel in his ipsis numeris, quos iam collegimus, perspectum esse poterit, non eandem fore rationem secundi ad primum, & tertij ad secundum. Hanc autem proportionis differentiam non cognouit Vitruuius, tum quia plurium ordinum rationem nullam reddiderit, tum vero maxime quia rationem triglyphorum, quam post pauca reddituri sumus, minime agnouerit. Hoc certe assecutus fuit Vitruuius quod non semel exposuit, columnas secundi ordinis crassitudine, & altitudine minores fore similibus inferiorum dimensionibus quarta barum parte, tertia vero illarum, nimirum vt primus ordo ad secundum habeat rationem, quam numerus quaternarius ad C ternarium. Atque adeo cum columnae primi ordinis atriorum cubitos erigantur viginti, eorundem atriorum columnae in secundo ordine esse debent cubitorum quindecim. quare in do-

PODIOLA quomodo deducantur.

mo Domini parastades primi ordinis, quae sunt quadraginta cubitorum, dabunt ordini secundo triginta: & addita trabeatione, cum primus ordo habeat quinquaginta, secundus habebit septem & triginta cum dimidiato, vterque vero simul cubitos septem & octoginta cum dimidiato. Sed cum altitudo parietis sit nonaginta cubitorum. illi quidem numero desunt duo cubiti cum dimidiato, qui bifariam secti podiolum vtrumque complectuntur, & eum qui infra, & D eum qui supra hunc ordinem est, & vniuersam finit posterioris partis domus celsitudinem. Ab hoc porro numero secundi ordinis, numerus tertij triginta aufert, non quartam partem, sed quintam: quia, vt dixi, quo altiora sunt corpora, eo minora oculis apparent, atque adeo ratiocinatione temperanda sunt, vt iustam referant oculis proportionem. Quae omnia tunc erunt magis confirmata, cum quae de triglyphis dicturis sumus, exponentur.

PROPORTIONES numerorum, & tabularum fabrica.

De numerorum ergo proportione, ac modo, quo praedictae tabulae componuntur, quae dicenda sunt, breui nunc accipe. Sunt autem quaedam plane certa, ex quibus reliqua deducuntur. E Domus Domini dupla est atriorum. atria sunt dupla domus Regiae, ex quo fit vt à dextera ad sinistram quilibet numerus tertij sit duplo maior, primus vero ad secundum babeat rationem, quam cubitus ad digitos, quibus constat, nimirum quam vnitas ad viginti quatuor. Sunt praeterea in atrijs quidam numeri noti in primo ordine, diameter scilicet columnae, in imo scapo digiti quinquaginta, hoc est, cubiti duo, cum duodecima cubiti parte, altitudo columnae viginti cubitorum, trabeatio quinque cubitorum, ordo quinque & viginti cubitorum. Horum autem numerorum singuli sunt in summa suae tabulae linea,

A sed descendendo numerus primus ad secundum habet eam proportionem, quam quaternarius ad ternarium, hic rursum secundus ad tertium habet proportionem, quam quinarius ad quaternarium. Quae proportio in trabeatione domus Regiae perspecta esse poterit propter digitorum numerum sexaginta, quem si in quatuor partes diuidas, inuenies quindecim, quem si ab eodem numero auferas, dabit quinque & quadraginta, numerum trabeationis secundi ordinis. Hunc iterum in quinque partes diuide, & inuenturum nouenarium ab eodem auferas numero, & habebis sex & triginta, numerum trabeationis tertij ordinis. Atque eadem ratione omnes alij numeri sunt B inuenti.

60
4
15
45
5
9
36

DE TRABEATIONVM NVMERIS PARTICVLATIM,

& primum de epistylio.

Cap XVII.

QVAM initio institueramus de aeneis columnis disputationem, illis exactis, quae intermittenda fuerunt, nunc resumere oportet, atque illa sunt in memoriam reuocanda, quae de coronamentorum partibus, atque vniuersa altitudine diximus. Epistylio, seu trabe constare diximus trabeationem, zophoro, & corona, atque harum trium partium altitudinem quinque cubitis definiri. Singularum porro partium mensuras praescribere facillimum est, ornamenta non item. Zophorum enim tignorum capita ordine disposita exornant, coronam vero pendentia in retiaculis malogranata. quod vtrumque ornamentorum genus difficili quadam dictione à sacro historico exprimitur, tametsi, Deo dante, speramus omnibus futurum esse in promptu, postquam breui à nobis explicatum fuerit. Ita vt neque vlla deinceps subsit dubitatio, neque ab illis, qui ea quae dicturi sumus, percipient, existimentur aliter posse loca sacrae Scripturae exponi, quàm à nobis exposita sunt. Et de epistylio primum nihil addeodum censui ijs, quae de eius mensura, & ornamentis supra ostendi. quae quamuis de portae antepagmentis dicta potissimum fuerint, eaque ad epistylia atriorum videantur referenda, tamen ad aeneas quoque columnas eadem pertinere probat huius epistylij, atque illorum aequa libratio, quippe cum ostensum sit, aeneas illas columnas atriorum columnis fuisse pares. Sed opus non est communia exquirere testimonia, vbi suppetunt propria. nam in Paralipomenis sic legimus. *Fecit autem Hyram lebetes, & creagras, & phialas. Et compleuit omne opus Regis in domo Dei: hoc est, columnas duas, & epistylia, & capita, & quasi quaedam retiacula, quae capita tegerent super epistylia.* Septuaginta interpretes in Sixtiano codice Columnas duas, inquiunt, & super eas golath ipsi cotharet, super capita columnarum duo, & retiacula duo ad cooperiendum capita ipsarum cotharet, quae sunt super capita columnarum. Qui ipsa Hebraica verba intacta reliquerunt,

PARTIVM trabeationis mensuras facile statuemus, ornamenta non item.

Supra lib. 4. cap 46 huius partis.

EPISTYLII altitudo triginta digitorum.

2. Paralip. 4. ℣. 11. & 12.

EPISTYLIA aenearum columnarum, zophori, & coronae.

querunt, vt vel ea ratione monerent lectorem A ex Hebraico fonte petendam esse notionem, quam vix pluribus verbis complecterentur Graeci, nedum vna aliqua voce.

Illud tamen satis ad rem indicant Septuaginta, gulith esse partem aliquam cotharoth, quia nimirum vox, coronae, quam pro cotharoth substituendam esse diximus, aliquando pro vniuersa trabeatione vsurpatur, quae epistylio constat, zophoro, & corona, & nonnunquam etiam pro corona, quae alijs partibus superimponitur. Sanctus vero Hieronymus rem ipsam exposuit *epistylia* scribens, quae quoniam capitibus columnarum imponuntur sic sunt ab Architectis appellata. Septuaginta quoque interpretes: B

3. Reg. 7. ℣. 20.

Καὶ μέλαθρον ἐπ᾽ ἀμφοτέρων τῶν στύλων. In Sixtiano codice Latino quamuis eadem Graeca vox legatur; in notationibus tamen exponitur melathrum à Theodoreto dici, quod vocant epistylium.

In Notationibus lit. 8.

EPISTYLIUM dicitur melathrum.

Complutensis vero rem ipsam exposuit ad verbum vertens: Et trabs super ambas. Non est enim alia magis propria Latina vox, quae epistylium referat. Sed cum nihil non aereum fuerit in columnis, vt notant scriptores sacri, quoddam certe ornamenti genus significabit vox trabs, quod super ambas, hoc est, super vnamquamque earum fuerit.

Huius vero praecipuae partis trabeationis ornamenta significare videtur Hebraea vox גלות guloth, à singulari גל gal, quae quidem vox quam- C uis alias sortiatur notiones, illa tamen videtur esse prima, atque praecipua, quam trahit à radice גלל galal, quae circuire significat, aut circumdare, quare ab aliquibus funiculi conuertuntur: fascias potius dicerem, quod quibusdam quasi fascijs cingeretur epistylium.

FASCIIS cingitur epistylium.

Nec defuit voci aliquid, quod cymatium ipsum epistylij significaret: vsurpatur enim plerumque eadem vox גלות guloth pro fluctibus maris, quod vndae aestuanti mari conuoluantur: & semper haec vox numero multitudinis effertur cum vndas significat. Huius rei testis est Isaias, Dei nomine populum illum alloquutus, qui amissa ciuitate, & Regno, omnia bona simul perdidis- D se videbatur: *Vtinam attendisses mandata mea.*

Isai. 48. ℣. 18.

Amantissimi parentis vota sunt, quae quandam indicant veluti excusationem inflicti supplicij, non tam voluntate patris, quàm proprij sceleris exigentia: *facta fuisset sicut flumen*, nunquam deficiens *pax tua*, & iustitia tua, כגלי cegalie. *sicut gurgites maris.* quasi dicat: quòd non attenderis mandata mea, felicitatem illam perdidisti iustitiae, & pacis, quam tibi promittere videbatur primum conditoris tui nomen Melchisedech, hoc est, Rex iustitiae, aut nomen tuum Ierusalem, hoc est, visio pacis: quae omnia nunquam tibi defuissent, nisi prius à custodia legis defecisses: sed quasi fluctus maris immensi, hae virtutes & E dona in te effluerent.

PECCATI damna.

Psal. 106. ℣. 25.

Et in Psalmo Diuini imperij potestatem, cui cuncta subijciuntur, declarat illis verbis Propheta. *Dixit*, iussit, praecepit, mandauit, *& stetit*, & astitit, praesto fuit, dicto obediens *spiritus procellae*, *& exaltati sunt fluctus eius*. Sed ex vndae similitudine desumptum esse illud ornamenti genus, quod epistylium coronat, memini me supra dixisse, cum de lapideis mensis agerem.

CYMAtium

Supra lib. 3. cap. 39.

Huius porro epistylij altitudo vniuersa ostensa est fuisse cubiti vnius cum quarta praeterea cubiti parte, hoc est, digitorum triginta. Quae A decima sexta pars est altitudinis columnae: haec autem non est eadem, quae à Vitruuio, vel in Ionicis rationibus praescribitur, vel in Doricis, in his enim nullam haberi voluit maioris, vel minoris celsitudinis rationem, in illis vero quam maximam. Verum in nullis hanc perfectissimam rationem assecutus fuisse videtur. Nam aut mendum aliquod irrepsit in numeris, aut sibimet dissimilis fuit in hac parte Vitruuius, quippe qui praecipit columnae, quae fuerit duodecim, ad summum quindecim pedum, epistylium imponi ex dimidia crassitudine columnae. at ipse alibi octuplam sesquialteram constituit altitudinem crassitudinis Ionicae columnae, qua ratione fiet B vt epistylium sit ex decima septima altitudinis columnae. Item si à quindecim pedibus, inquit, ad viginti columnae altitudo dimetiatur in partes tredecim, & vnius partis altitudo epistylij fiat. Haec ille. quibus nemo non videat multo maiorem esse vnius epistylij ad alterum epistylium proportionem, quàm altitudinis vnius columnae ad altitudinem alterius, quod non est rationi consentaneum.

Vitru. lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 3.

Vitru. lib. 4. cap. 1.

De latitudine quoque epistylij memini me nonnihil ante dixisse, sed ea Vitruuij quoque praeceptione confirmabitur. Item, inquit, epistylij latitudo ima respondeat hypotrachelio summae columnae. Hoc autem supra ostensum est fuisse digitorum quinque & quadraginta, tan- C ta igitur fuit epistylij latitudo: nimirum sesquialtera eiusdem epistylij crassitudinis.

LATITVDO epistylij

Vitru. lib. 4. cap. 3.

Zophori praeterea altitudo ex libro quarto Regum colligitur, vbi sic legimus: *Decem & octo cubitos altitudinis habeat columna vna, & capitellum aereum super se altitudinis trium cubitorum. & retiaculum, & malogranatum.* In duas partes distribuit locus hic trabeationem, quam paulo superius mensus fuerat cubitis quinque, seiungit enim coronam, quae pendentibus malogranatis exornabatur, vt infra ostendam, à reliquo trabeationis corpore: & epistylio simul cum zophoro cubitos tribuit tres, quibus indicat simul fusas fuisse duas illas partes, quarum crassitudo erat fe- D re eadem, parum enim extra perpendiculum proijciuntur ornamenta epistylij, vt vides.

ZOPHORI cum epistylio altitudo

4. Reg. 25. ℣. 17.

Verum cum omnibus fere minoribus huius aedificij numeris digiti addantur singuli: ac diametro huius columnae in imo scapo idem obseruatum fuisse deprehenderimus, facili quoque negotio conijciemus, his tribus cubitis tres quoque digitos fuisse superadditos. Id quod admirabilis inde subsequuta symmetriae proportio aperte demonstrabit: qua ratione zophori altitudo cum epistylio erit digitorum quinque & septuaginta, tres enim cubiti digitos continent duos & septuaginta, vt vides in margine. Quod si ab hoc numero digitos triginta auferas altitudinis E epistylij, reliqui erunt digiti quinque, & quadraginta, altitudinis zophori, quae sesquialtera est altitudinis epistylij, aequalis vero ipsius epistylij latitudini, atque adeo summo columnae hypotrachelio. Sed non est haec zophori dispositio tam facilis, aut tam parui momenti, vt ad calcem huius capitis sit congerenda, quin potius illa proprium exigit caput, vbi etiam in vniuersum de propria architectura templi disputabimus.

24
3
72
3
75
30
45

ZOPHORI altitudo digitorum quinque & quadraginta.

DE

DE ZOPHORI SYMMETRIA ET ORnamentis, vbi de triglyphis, atque metopis.

Cap. XVIII.

ECCE nunc aggredimur tractationem de mirabili zophori symmetria, qua in re cuperem quidem rhetorum omnium in dicendo peritiam, orationis vim, verborum efficacitatem, sententiarum copiam, & affluentiam, qua vel aliqua ex parte studioso cuique rot, tantaque operis huius admirabilis ornamenta significarem: ex quibus pateret, quàm perfectam inierit architectandi rationem Salomon, & quàm haec infinitis pene partibus omne aliud architectandi genus excellat, quod vnum Dei Optimi Maximique sapientiam aliqua ex parte significare posset. Quo perspecto facili ratiocinatione, ac manu, vt aiunt, ducatur intellectus ad intima, quaeque diuini opificij secreta consectanda, & ad opificis diuinam mentem, atque consilium animo contemplandum: quippe cum dedignata non est tanta Maiestas in rebus his minimis tam multa, tamque praeclara nobis relinquere ad rite, recteque ratiocinandum documenta, salutis. Quae omnia attentius perscrutari, sapiente viro indigna non sunt, immo vero quo magis à communi vsu semota sunt, & à vulgi oculis abstracta; eo magis amatori sapientiae, eorum quaelibet obiecta specie expetenda, donec ea consequatur, quae assecutus conseruet, ac pluris consuetata faciat. Nam teste ipso Cicerone: Qui maxime perspicit, quid in quaque re verissimum sit, quique & acutissime, & celerrime potest & videre, & explicare rationem, is prudentissimus, & sapientissimus rite haberi solet.

DEI SApientia in architectura elucet.

Cic. 4 Offic.

Sed frustra conor assequi dicendo, quod exercitatissimus quisque non posset: expedire magis censui ab omni abstinere, vt initio pollicitus sum, orationis fuco, vt ipsa veritatis, & artificij pulchritudo ab omni ornamentorum colore destituta se ipsam prodat. Ad quam vt propius contemplandam accedamus, esset quidem de zophori nomine agendum inprimis, sed cum id ex ratione ornamentorum videatur esse petitum, tunc facilius, ac melius explicabitur, cum quae fuerint huius aedificij propria ornamenta, post pauca dicemus: nomine igitur nunc praetermisso, ad rem ipsam veniamus, quae eiusmodi nomine in aedificijs insignitur.

Et quidem satis superque lectori perspectum est, vniuersa Salomonis aedificia contignata fuisse, cedrinis quippe trabibus, asseribusque contecta. Nam etiamsi obiter, atque transcursim haec nostra commentaria oculis animoque percurrerit, non videtur tamen fieri posse, vt quam plurima non legerit sacrae Scripturae testimonia, quae hoc ipsum, quod asserimus, attestentur: quae si adhuc confirmare tentemus, aut ipsi veritati parum fidere putemur, aut lectoris iudicio, & rerum comprehensioni. Sed in qualibet contignatione, in illa potissimum, quae columnis imponitur, cuiusmodi sunt hae omnes templi, tres tantum inueniuntur praecipue partes, quarum origo, & earum, quae ab illis petita sunt in lapideis aedificijs explicata est à Vitruuio, ita vt omnia & singula ex hoc vno aedificio petita, atque alio translata esse videantur. Ex quo fit vt haec ipsa prima aedificia, vix quidem absque illarum praeceptionum collatione percipi à me possint, nedum effici, vt à me vno explicata ab omnibus, quod cuperem, vel ab aliquibus saltem, percipiantur.

OMNIA Salomonis aedificia trabibus tecta.

De origine ornamentorum tractaturus Vitruuius, à materiatione cuncta petita fuisse confirmat: cuius partes cum persecutus fuisset, haec verba subiungit: E quibus rebus, & à materiatura fabrili, in lapideis, & marmoreis aedium sacrarum aedificationibus artifices dispositiones eorum sculpturis sunt imitati, & eas inuentiones persequendas putauerunt: ideo quod antiqui fabri quodam in loco aedificantes, cum ita ab interioribus parietibus ad extremas partes tigna prominentia habuissent collocata, intertignia struxerunt, supraque coronas, & fastigia venustiore specie fabrilibus operibus ornauerunt. Tunc proiecturas tignorum quantum eminebant ad lineam, & perpendiculum parietum persecuerunt: quae species cum inuenusta ijs visa esset, tabellas ita formatas, vti nunc fiunt triglyphi, contra tignorum praecisiones in fronte fixerunt, & eas cera caerulea depinxerunt, vt praecisiones tignorum tectae non offenderent visum. Ita diuisiones tignorum tectae triglyphorum dispositione, intertignium, & opam habere in Doricis operibus coeperunt. Hactenus ex Vitruuio. qui historiam potius retulisse videtur eorum, quae a Salomone obseruata fuerunt, quàm eius, quam sibi fingit, antiquitatis. Nam inprimis in domo Regia, coronas è fabrili materia factas fuisse, interioribus porticuum materiationibus respondentes, satis perspectum esse poterit legenti ea, quae de eiusmodi fabrica scripsimus supra.

Vitru. lib. 4. cap. 2.

AEDIFIciorum ornamenta ex trabeationibus primum petita fuerunt.

TRIGLYphi, & metopae vnde originem traxerint.

Quod vero spectat ad triglyphorum nomen, haec enim vox imperitum Architectorum vulgus mouere posset, tametsi nobis non multum esset de voce curandum, cum de re ipsa constet sciendum est Iosephum, qui Romanae fabricae, & Hierosolymitanae testis fuit oculatus, & facile potuit voces ipsas nosse, quibus singulae aedificiorum partes distinguerentur testatum reliquisse triglyphis exornatam fuisse domum, quam ipsemet dixerat Corinthio opere fuisse elaboratam. Quae res Vitruuium ipsum non latuit, vt infra ostendam. Illud praeterea à Iosepho habetur, quod ad trabes pertinet, parietes templi perfodientes. Nam cum cellulas illas circa templum extructas descripsisset, haec verba subiungit: Et cellae quidem suum rectum habebant non proximo contiguum, reliquum ex longissimis trabibus erat consertum ad vtrumque latus pertingentibus, ita vt ipsi parietes hoc pacto confibulari, hoc modo firmiores redderentur. His trabibus subnexa erant laquearia polita, caelaturis, & bracteis aureis ornata. Haec ille.

DOMVS Corinthia triglyphis exornata.

Sed cuiquam fortasse videbitur non satis hoc testimonio fuisse praesenti instituto satisfactum, cum possent quidem trabes exteriores etiam parietes connectere, nec tamen

INTERIORis contignationis trabes exterius apparebant.

exterius apparere, quod erat demonstrandum. Sed quamuis multa occurrant, quibus possem propositae huic dubitationi facillime respondere, ab illis tamen omnibus abstinere decreui, vna re contentus, qua illi fiat satis, vt ne vllus superesse possit dubitandi locus. Liber ergo primum luculentissimum testimonium sacrae Scripturae proferre, quo omnia, quae proposuimus, perspecta esse facile possint. Et id habetur apud Prophetam nostrum, qui inter ornamenta templi hoc etiam enumerat: *Quamobrem & grossiora erant ligna in vestibulo fronte forinsecus.* Quem locum obiter suo loco à nobis expositum, quamuis huius loci esse videbatur proprius, tamen quod loci sensus satis videatur esse perspicuus, illum hic etiam quàm breuissime percurram, id tamen pro viribus conabor, vt aduersus detractores pro Vulgata respondeam. Liberius quàm par esset, certe Nicolaus de Lyra quibusdam ductus leuioribus coniecturis. Propter quod, inquit, translatio nostra hic videtur esse corrupta: nam in Hebraeo non habetur, *quamobrem*, & ideo litera sequens non continuatur literae praecedenti de caelaturis, sed incipit alia sententia. Haec ille. in cuius verbis modestiam exoptarem, & maiorem in veritate exquirenda diligentiam. Mirum enim non est si *quamobrem*, Latina vox in Hebraeo non legatur. neque propterea corrupta esse putanda est translatio nostra, cuius interpres agnouit id, quod Lyranum latuit, & cui respondet sensus idem, qui Latina voce, *quamobrem*, indicatur. Nam in Hebraeo ועב veghab, legitur, ita vt nullus non coniungat sensum superioribus, quamuis non ab omnibus eodem modo explicetur.

Ezech. 41. ℣. 25.

Cap. 64. lib. 4. huius Partis.

Nicol. de Lyra.

LYRANI audax dictum aduersus Vulgatam.

PARTICVla coniunctiua late patet notione apud Hebraeos.

Sed Vulgatus latissimam particulae ו ve, notionem agnouit, quam triplici capite explicare conatus est Pagninus. Accipitur enim aliquando pro sic, vel sicut, in Prouerbijs sicut, *Aqua frigida animae sitienti, &*, id est, sic, *nuncius bonus de terra longinqua.* Nonnumquam etiam est causalis. Sic in libris Regum facultatem petenti Adad redeundi ad propria respondit Pharao. *Qua enim re apud me indiges?* והנך vehinecha, & ecce tu, vel quia ecce tu quaeris ire ad terram tuam. *vt quaeras ire ad terram tuam?*

Pagninus lib. 2. Institut. cap. 22. 23. & 24.

3 Reg. 11. ℣. 22.

His praemissis vtrumque significare voluisse videtur Vulgatus, & ornamentorum similitudinem, & causam, propter quam eiusmodi ligna apparerent extrinsecus: quasi dicat, cum omnia essent ad ostentationem pulchritudinis ornatissima, maxime decuit zophoros in facie vestibuli paribus, siue etiam maioribus ornamentis condecorari. Imitatus est autem Sanctus Hieronymus Septuaginta interpretes, qui Lyrano & doctiores fuere, & vetustiores. qui sic legunt in Regio codice. Et caelatura in eis, & ostia templo Cherubim, & palmae, secundum sculpturam Sanctorum, & secundum ligna ante faciem aelam forinsecus.

VVLGATA defenditur.

At de ornamentorum similitudine post pauca dicturus, nunc oportet videre, quid de hac re senserint Rabbini. Et Dauid inprimis audiendus est. Lignum grossum, inquit, erat, quod dicitur à Rabbinis a capite vsque ad caput, quod aedificatum erat in palatio. Hoc autem lignum positum erat in aedificio, in muro vestibuli, in facie sua extrinsecus contra altare, & sic erat in aedificio Salomonis. Excisiones cedrinas dicunt Rabbini fuisse aedificatas in medio murorum. Ionathas autem exponit hoc lignum grossum esse id, quod dicunt Rabbini in tractatu mensurarum. Et columnae cedrinae erant fixae a pariete templi ad parietem vestibuli, ne forte calcaretur. Quod vero dicit *forinsecus*, nam columnae egrediebantur ad murum in facie vestibuli forinsecus ad latera vestibuli, ad duos transitus portae. *Secundum latera domus, latitudinemque parietum.* Rabbini, inquit, exponunt. Latera domus esse trabes. ligna vero grossa esse capitella, trabes autem ponebantur in parietibus, super quibus ponebant capita trabium. capitella autem sunt magnae trabes. Hactenus ex Rabbino. qui rem totam persecutus fuisse videbitur, si columnae in ea accipiantur significatione, qua Vitruuius: Columnae dicuntur, inquit, & transtra, & capreoli, sic vocat trabes, quae columen fulciunt. Sed iterum idem Rabbinus cum alijs a Pagnino relatis, putat esse foramina in quibus ponuntur trabes, aut trabium capita. Habemus igitur iam satis perspectas excisiones trabium, extrinsecus apparentes, quas propter ornamentum vocauerunt triglyphos, vt ostendam.

R. Dauid.

COLVMNAE pro trabibus.

Vitruu. lib. 4. cap. 2.

R. Dauid in libro Radicum. Sanctes Pagnin.

Supererat vt aliquod insinuaretur vestigium metoparum, & ecce nunc Rabbini foraminum rationem reddunt, in quibus tignorum capita ponebantur. Quarum rerum consensionem videre licebit apud Vitruuium. Vtraque enim, inquit, & inter denticulos, & inter triglyphos, quae sunt interualla, metopae nominantur: ὀπὰς opas, enim Graeci tignorum cubilia, & asserum appellant, vti nostri ea, caua columbaria. Ita quod inter duas opas est intertignium, id metopa est apud eos nominatum. Quae Vitruuij verba ita perspicua esse videntur, vt nihil praeterea addendum videatur ad confirmandam hanc nostram sententiam, eam enim rerum omnium consensio firmam reddet, ac satis superque.

Vitruu. ibid.

METOPArum ratio redditur.

DE MIRABILI TRIGLYPHORVM *distributione.*

Cap. XIX.

OSTENSVM est iam satis zophoros templi triglyphis exornari: superest vt ad ipsam triglyphorum distributionem explicandam propius accedamus. Et certe cum ex perspicuis sacrae Scripturae testimonijs mensuras zophori, & epistylij collegerimus, ex quibus liquido etiam constat, illius altitudinem huius fuisse sesquialteram. perspectum quoque esse poterit templi coronamenta, vel, vt pressius loquar, zophori ad epistylium proportiones in vno tantum Dorico genere reperiri, cum à nullo alio architectandi genere huiusmodi proportio obseruetur.

Hoc autem primum, & antiquissimum fuisse

archite-

ANTIQVVM genus Doricum.

Vitruu. lib. 4. cap. 1.

architectandi genus confirmat Vitruuius: Et columnarum, inquit, formationibus trium generum factae sunt nominationes, Dorica, Ionica, Corinthia, è quibus prima, & antiquissima Dorica est nata. Modum autem praescribit Vitruuius, atque rationem, qua Dorico more possint Architecti emendatas, ac sine vitio efficere aedium sacratum perfectiones. Ac primum ex frontis aequas in partes diuisione modulum praecipit constitui: & columnae crassitudini duos tribuit modulos · capitellumque iusta ratione formandum praecipit, ac mox subdit: Epistylij altitudo vnius moduli &c. Item epistylij latitudo ima respondeat hypotrachelio summae columnae. Supra epistylium collocandi sunt triglyphi cum suis metopis alti vnius & dimidiati moduli, lati in fronte vnius moduli · ita diuisi, vt in angularibus columnis, & in medijs contra tetrantes medios sint collocati. Quae conferenda inprimis sunt cum modulis, atque mensuris ex sacra Scriptura peritis. Et praetermissa illa moduli ad columnam proportione, quae alia esse deprehenditur ab ea, quam persecutus est Vitruuius, in reliquis omnes retulit sacrae Scripturae mensuras. Nam si modulum supponamus esse triginta digitorum, quanta nimirum est epistylij altitudo, zophorus erit digitorum quinque & quadraginta, hoc est, sesquialtera prioris altitudinis, vnius scilicet & dimidiati moduli, triglyphus erit faciendus moduli vnius latitudine, altitudine iuxta zophori altitudinem sesquialtera proportione.

Vitruu. lib. 4. cap. 3.

TRIGLYPHORVM distributio.

MENSVRAE Vitruuij cum sacrae Scripturae mensuris conferuntur

Atque illud praeterea obseruare licebit, quod proprium videtur esse huius nostri aedificij, triglyphum scilicet, trabemue aequalem omnino esse epistylio, quod trabem item repraesentat, nec illius defuisse ad summam hypotrachelij crassitudinem responsum.

Quod vero ad quadratas metopas pertinet, cum de earum altitudine ex dictis iam constet, earum quidem latitudo ex intercolumniorum aequa partitione pendet, & ex triglyphorum numero, modoque illos collocandi. Atque illud explicandum est inprimis, quod à Vitruuio praecipitur, vt plurium errores contigerentur triglyphos contra medios tetrantes columnarum esse collocandos, tum angularium, tum reliquarum. Qua in re superuacaneam esse censui multiplicem diuisionem, quam aliqui meditati sunt, cum sensus verborum facilis sit, atque perspicuus. Nam capitelli summus abacus semper est quadratus, etiamsi columna & capitellum reliquum rotunda sint · merito igitur praecipit triglyphos ita constitui in zophoris, vt medijs his quadratis abaci directe respondeant, nimirum vt medium triglyphi medio lateri abaci respondeat.

QVID SIT triglyphos contra medios tetrantes columnarum statui.

Quod vero ad triglyphorum numerum spectat, duos triglyphos diuidi praecipit in reliquis intercolumnijs, in medijs pronao, & postico ternos. Ex quo mox liquet, rationem intercolumniorum ex triglyphorum distributione petendam fuisse in Doricis fabricis. Neque hanc tantum, verum aliam omnem partium symmetriam, ex hac vna petendam esse confirmat idem, quem saepe laudaui, Vitruuius. Qui cum symmetriam vellet definire, illius hoc exemplum adduxit: Vt è columnarum crassitudinibus, aut è triglypho &c. inuenitur symmetriarum ratiocinatio. Itaque ex probatissimi huius auctoris sententia hoc opus esse existimatur maxime perfectum, in quo prae ceteris elucet symmetriae ratio, haud secus quam in humano corpore prae ceteris omnibus animantibus, consonantiora esse deprehenduntur membris membra, omnia & singula integro corpori.

NVMERVS triglyphorum in singulis intercolumnijs.

Vitru. lib. 1. cap. 2.

Sed qui tam multa nouit architecturae praecepta, quique tantum commendat in aedificijs, potissimum sacris symmetriam, non omnem percalluit huius sacrae fabricae dispositionem; nam verisimile certe non est, aut inuidia celasse, aut gloriae cupiditate extimulante non patefecisse ea, quae summa videntur esse in eo genere disputationis, quam ille persequitur. Quapropter ibi ostium nobis aperitur dicendi, vbi illi exitus fuit, vel finis; praeterquam quod faciliori methodo à nobis tradenda sunt ea, quae Deo disponente suppeditauit assidua sacrae fabricae meditatio, haud secus quàm alijs solet vetustissimorum aedificiorum obseruatio.

QVAE Vitruuius ignorauit, in hoc aedificio cognoscuntur.

Et primum ex lege, iam inde à principio nostrae huius disputationis obseruata, colligi videtur id, quod in admirationem rapit non lectores modo quoscunque, verum omnes nostrae aetatis architectos, ad quorum aures peruenerit huius rei fama · est autem certum non in primo tantum, aut in vno columnarum ordine triglyphos fuisse distributos, verum etiam in omnibus. Nam si tignorum capita prioris ordinis in vestibuli fronte apparuerunt, quid ni secundi? quod si huius, quare non item tertij? Respondebit forte quispiam quoniam vnius ordinis triglyphos plures vidimus à Romanis obseruatos, plurium ordinum exemplum nullum licuit aut extructum aliquando vidisse, aut memoriae proditum audire. Et quidem ad rationem obseruationis oportet post pauca respondere, tametsi cum Graeci omnes, atque Romani aetate posteriores sint hoc aedificio, quod expendimus, videndum est inprimis, quid in hoc aedificio fuerit neque maxime curandum quidnam posteriora saecula imitata sunt ex eo, vel quae, quaue ratione non sint imitata.

TRIGLYPHI in omnibus ordinibus.

Ad historias ergo veniamus: quarum nullas licuit exoptare aut firmiores, aut certiores sacris his aliqua ratione proximae sunt illae, quas ex vberrima sacrorum verborum significatione colligunt eorum interpretes. Quamuis & in his aliae alijs sint certiores, aliae maioris auctoritatis. Sed in huiusmodi certitudine peruestiganda non multum est immorandum, mihi enim satis superque firma videtur esse fabricae ratio, quam dixi. proponam tamen interim vnum, aut alterum huius rei testimonium. Primum sit Chaldaei paraphrastis, qui locum illum, quem supra explanauimus, interpretatus, vbi nos legimus: *Texit quoque domum laquearibus cedrinis* ipse sic scribit: Et operuit domum trabibus cauatis: & supra illas erat ordo multiplex capitum tignorum cedrinorum. Quo testimonio nescio quid clarius posset excogitari, cum rem ipsam, de qua disputamus, disertis verbis exponat. trabibus autem excauatis, aut laquearibus interioris domus testudines indicari ostendimus, vt ordines capitum tignorum, exteriores intelligamus. Qua ratione locum interpretabimur Prophetae nostri, quo *grossiora ligna*, vel necessaria, vt habent Septuaginta: hoc est ea, quibus necessario sustinentur singulae contignationes, nimirum transtra, *erant in vestibuli fronte forinsecus*.

SACRAE historiae hoc probant.

3 Reg. 6. V. 9.

Ezech. 41. V. 25.

Ordines porro cedrorum, quos paulo ante

retulit

Vatablus. Isidorus. Clarius.

retulit Chaldaeus; agnouit etiam supra allatus à me Vatablus. Agnouit & Clarius, illud affirmans, quod maxime è re nostra est, triplicem fuisse contignationem ordinatarum trabium. Idque plane licet colligere ex voce שדרות sederoth, quae ibidem legitur, quam Dauid ordinem, siue ordinatam dispositionem interpretatur: alibi vero affirmat ea voce significari cedros ordine fuisse dispositas. Sed cum nulla alia architectandi ratio trabes doceat disponere, ab ea, quam Dores imitati sunt, eius rationes persequi necesse est. illud vnum addentes, quod ad multiplicem dispositionem exigit huius aedificij ratio, atque historia.

MVLTIplex ordo capitum tignorum

R. Dauid in lib radic & in Comment

Illud autem maxime animaduertendum est, quod Vitruuium non latuit, nullatenus rationem hanc Doricam posse constitui, quin frons aedis, quae triglyphis exornanda est, in partes aequas aliqua ratione diuidatur: vel saltem vt centra columnarum omnia ita ab inuicem distent, vt communi aliqua mensura finiantur, quod proprium fuit huius nostri aedificij, ex quo fere innumerae subsequutae sunt proportiones, vt ostendimus, & nunc ostendam hanc etiam inde sequi, quae omnium caput esse videtur, & origo. Ac primum quoniam triglyphi aequales ostensi sunt epistylio, & metopae quadratae sunt in zophoro, erunt singuli triglyphi cum singulis metopis aequales altitudini epistylij, & zophori: hanc autem esse oportet partem, quam aliquotam vocant, eius spatij, quod inter centra columnarum interiacet. Et in nostro aedificio, quae diximus, omnia iam satis constant ex dictis.

DISTRIBVtio triglyphorum

Sed superest iam vt ea conferamus, & calamum accipiamus, qui vniuersa atria in partes secat aequales, cuius longitudinem ostendimus esse cubitorum sex cum quarta cubiti parte, cuius calami bifariam secti pars altera est cubitorum trium cum octaua cubiti parte, hoc est, trium cubitorum & trium digitorum, quanta ostensa est esse altitudo epistylij, ac zophori, atque adeo vnius triglyphi, & vnius metopae: quare si super medios tetrantes columnarum, quarum centra calamum vnum distant, ponantur singuli triglyphi, & in horum triglyphorum medio ponatur triglyphus vnus, manebunt quadratae omnino metopae: nam ex calamo auferuntur dimidij vtrinque triglyphi, hoc est, vnus triglyphus, & alter è medio, & duae metopae, quibus ostensa est fuisse aequalis calami longitudo. Et cum fabrica omnis intrinsecus, & extrinsecus diuisa sit in calamos aequales, haud difficili discursu lector poterit expendere, qua ratione tota fabrica sit triglyphis ornata, quippe quae tota fuit cedrinis trabeationibus contecta.

TRIGLYphi primi ordinis atriorum.

Hoc ipsum, quod in atrijs dixi, posita longitudine calami sex cubitorum & quartae partis, etiam in ipsa turri, cuius omnia membra duplo maiora sunt atriorum membris, locum habebit si duplum calami accipiamus, hoc est, cubitos duodecim cum dimidiato: quos pari ratione in partes duas diuidemus, & earum alteram altitudini zophori, & epistylij simul dabimus, & triglypho simul cum metopa. Quod si hanc rursus altitudinem in partes quinque diuidas, tres ex eis zophoro dabis, aut metopae, duas reliquas epistylio, aut triglypho. Qua item ratione in domo Regis progredieris, cuius membra subduplo minora sunt atriorum membris, si calamum accipias, quem supra distinctionis causa appellaui modulum subduplum calami atriorum, nempe cubitorum trium, ac totidem digitorum.

TRIGLYphi domus Domini, & domus Regiae.

VNIVERSALIS ARCHITECTVRAE *sacrae consideratio, & triglyphorum in reliquis ordinibus distributio.*

Cap. XX.

CERTE quamuis nihil praeterea hac in parte addetetur, manifestum iam satis esse lectori existimarem id ipsum, quod à Vitruuio impeditum opus appellatur, propter distributionem triglyphorum expeditum, & facile dici posse, cum omnes symmetriae rationes ex vno triglypho petitae à Vitruuio dicerentur. Sed multa addenda adhuc sunt, quae ad perfectam, exactissimamque rationem possent exoptari. Nimirum qua ratione secundi, ac tertij ordinis triglyphi distribuantur.

EXPEDItum opus triglyphorum.

Sed primum quam breuissime oportet eius, quod dixi, rationes alias exigere, haud secus quam si vellem quemquam edocere architecturam. Si quis enim aedificium aliquod velit exstruere, oportet inprimis columnae crassitudinem, altitudinem, ac distantiam intercolumnij constituere, ex qua reliqua deducat. Atque vt facilior sit disputatio, numeros accipiam atriorum, & statuam columnae crassitudinem duorum cubitorum, ex qua deducam decuplam altitudinem viginti: hanc diuidam in partes quatuor, & habebo trabeationis altitudinem quinque cubitorum, & totum ordinem altum cubitos quinque & viginti. hanc altitudinem diuidam in quatuor partes, & habebo sex cubitos cum quarta cubiti parte, ac tantum distare faciam columnarum centra. Hanc rursum bifariam secabo, & habebo cubitos tres cum octaua cubiti parte, ac tantam constituam epistylij, & zophori altitudinem, qua sublata ex trabeationis altitudine quinque cubitorum, reliquus erit cubitus vnus, cum septem octauis partibus cubiti. hoc est, digiti quinque & quadraginta, qui numerus aequalis est numero altitudinis zophori supra inuenti. Quare si hunc numerum ex altitudine zophori cum epistylio subtrahas, reliquus erit cubitus vnus cum quarta cubiti quarte altitudini epistylij, aut latitudini triglyphi tribuendus ex quibus patet etiam modus trabeationis in partes suas immediate distribuendae: si vniuersa altitudo centumviginti digitorum diuidatur in partes octo,

OMNIS architecturae ratio breui expenditur.

2
20
5
25
6 1/4
3 1/8
1 7/8

CALAMVS a ratione inuentus.

3 1/8
1 7/8
1 1/4

EX QVALIbet constituta aedificij parte reliquae deducantur.

120|8
15

vna

vna pars erit quindecim, cuius duplum epistylio dabis, triplum zophoro, ac tantundem coronae: vel facilius, quartam partem totius, id est, digitos triginta dabis epistylio, reliquos nonaginta bifariam diuides, & alteram partem digitorum quinque & quadraginta dabis zophoro, reliquam coronae. Omnia memoria retinenda sunt ab eo, qui ea, quae dicturi sumus, cupiat percipere. Nam quamuis haec omnia ex statuta columnae crassitudine deducta sint, tamen ita sunt connexa, vt ex alia quacumque parte reliquae omnes deducantur. A

Quod ad secundum ordinem, eiusque triglyphorum distributionem attinet, obseruandum est illud Vitruuij praeceptum, quod ab ipsa rerum natura originem trahere videtur. B

Vitru. lib. 3. cap. 3.

SVPERIORA membra quomodo sint temperanda.

Quo enim altius, inquit, oculi scandit acies, non facile persecat aëris crebritatem: dilapso itaque altitudinis spatio, & viribus extrito, incertam modulorum renuntiat sensibus quantitatem. Quare semper adijciendum est rationis supplementum in symmetriarum membris, vt cum fuerint in altioribus locis opera, aut etiam ipsa colossicotera, certam habeant magnitudinum rationem. Haec ille. Est autem vox colossicotera comparatiuum linguae Graecae: quod grandiora significat aedificij membra; quibus in altioribus locis constitutis tanto maiorem habeant membrorum rationem, quanto magis id obseruandum est in minoribus membris, cuiusmodi sunt epistylia, de quibus ibi loquitur Vitruuius. Id autem quomodo praestandum sit, satis perspectum est ex his nostris fabricis. In quibus ex numeris sacrae Scripturae, eorumque proportionibus eam deduximus trabeationum altitudinem, quam in superiori tabula notauimus: cuius etiam partes, epistylium, zophorus, atque corona ex simili ratione, qua primi ordinis trabeatio in partes distributa est, comparabuntur. C Nam si secundi ordinis atriorum trabeationem in praedicta tabula consideres, quae trabeatio est nonaginta digitorum, eamque in octo partes diuidas, singulis partibus digiti obuenient vndecim, cum quarta praeterea cubiti parte, quam si bis sumas, dabis epistylio digitos duos & viginti cum dimidio: eandem partem si ter sumas, dabis zophoro digitos tres & triginta cum tribus cubiti partibus, ac tantundem coronae.

Verum triglyphi, & metopae latitudo alia ratione inuestiganda est. nam pari ratione calamus vnus, quo ab inuicem distant centra columnarum, diuidendus est in partes tres, non duas, vt in priori ordine, eritque vna duorum cubitorum, ac totidem digitorum, quae si ad digitos reuocetur, erunt omnes simul digiti quinquaginta: quantam decet esse triglyphi cum metopa latitudinem. Hanc si in quinque distribuas partes, ex quibus duas tribuas triglyphi latitudini, habebit digitos viginti: reliquas dabis metopae, & habebit digitos triginta. Et quoniam in priori ordine obseruatum fuerat, epistylij crassitudinem latitudini triglyphi fuisse parem, & metopam zophoro, hos duos numeros cum prioribus conferes, & inuenies hos ab illis superari octaua horum parte, illorum vero nona: atque hanc esse intelliges perfectissimam rationem, vt similes habuisse superiores inferiori modulos, eorum altitudo visui renuntiet.

TRIGLYPHI secundi ordinis

22 ½

33 ¾

20

30


Denique in tertio ordine pari ratione progrediendum est, si tamen calamum, quo ab inuicem distant columnarum centra, quem in priori ordine in duas partes secuimus, in secundo in tres, in tertio diuidamus in quatuor: tot enim triglyphi, atque metopae sunt in eo ordine distribuendi, quod si plures superponerentur ordines, in quarto fierent quinque triglyphi, & sic deinceps. Illud praeterea obseruandum est in collationibus numerorum triglyphi, & epistylij, metopae, & zophori, non esse addendam octauam partem, sed propter maiorem altitudinem, maiorem, nimirum sextam. Quae omnia & singula si persequi dicendo vellem, longior essem fortasse, quàm par esset: quapropter duas sequentes tabulas, quasi compendium eorum, quae dicenda essent, adijcere libuit, quibus perspectis facile lector poterit omnium numerorum, ac partium proportiones expendere. ac ne numeros plures addere cogeremur, omnia digitis computauimus.

TABVLA PARTIVM TRABEATIONIS.

IN DOMO DOMINI. Epistylium,	Zophorus,	Corona.	IN ATRIIS. Epistylium	Zophorus,	Corona.	IN DOMO REGIA. Epistylium,	Zophorus,	Corona.
60	90	90	30	45	45	15	22 ½	22 ½
45	67 ½	67 ½	22 ½	33 ¾	33 ¾	11 ¼	16 ⅞	16 ⅞
36	54	54	18	27	27	9	13 ½	13 ½

L A T I T V D O.

Triglyphi,	Metopae.	Triglyphi,	Metopae.	Triglyphi,	Metopae.
60	90	30	45	15	22 ½
40	60	20	30	10	15
30	45	15	22 ½	7 ½	11 ¼



Harmo-

TRIGLYphorum ornamenta.

Harmonicas praedictarum partium proportiones, cum geometricis, atque arithmeticis tractaturi sub finem huius disputationis, de triglyphorum ornamentis aliquid prius dicemus. Propterea enim longiorem aduersus Lyranum paulo superius instituimus disputationem, vt ostenderemus verba nostri Prophetae, zophori ornamenta indicare, non solum quia grossiora ligna exterius apparuisse testatur, verum etiam quoniam haec verba cum illis coniunxit, quibus de Cherubinis, ac palmis in vniuersum, ac singulis templi partibus sculptis agebat. Sunt autem huiusmodi. *Et caelata erant in ipsis ostijs templi Cherubim, & sculpturae palmarum, sicut in parietibus quoque expressa erant: quamobrem & grossiora* B *erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.* Quorum verborum connexionem satis certam nobis probat Vulgatae auctoritas. quamuis alia non essent, quae idem confirmarent, quae multa sunt testimonia. Itaque sensus loci est is, quem Sanctus Hieronymus scripsit, quemque recipit Glossa, quamuis ita connexa haec fuisse putauerit, vt ab ipsis ostijs non recederent. Redditque causas, inquit, quare caelata fuerint Cherubim in ipsis ostijs, & palmarum expressae similitudines. Vnde & grossiora erant ligna in vestibulo portae forinsecus: vt & firmitatem haberent, & caelaturam possent recipere. Pulchreque iuxta intelligentiam spiritalem firmiora, & caelata sunt ostia: C vt & firmitatem habeant, & pulchritudinem. Haec Sanctus Doctor. qui loci sensum plane percepit, dum Cherubim, & palmas in parietibus, ostijs, & grossioribus lignis insculptas fuisse dixit.

Ezechiel. 41. ℣. 25.

S. Hierony. super Ezech.

CHERVBIM & palmae quomodo in zophoris insculperentur.

Sed quoniam aliam esse compertum est faciem vestibuli à facie domus, in qua ostia aperiebantur, & quoniam etiamsi facies, vel frons domus, quae in vestibulo est, frons vestibuli diceretur, ea tamen interior frons esset, non exterior, quam denotat textus addens illam vocem, *forinsecus*. ideo grossiora ligna capita trabium in zophoro apparentium sumus interpretati, & insuper in ipso zophoro Cherubim, & palmas o- D portet exquirere.

Modus autem, quo haec disponerentur, ex antiquorum obseruatione aliqua ratione petendus est, quippe cum tam multis locis, & exemplis ostensum sit, architectandi rationem, hanc potissimum Doricam ex Salomonis fabricis fuisse petitam. Et videmus quidem taurorum crania in metopis sculpta, at eiusmodi ossa certe in Salomonis templo non fuerunt: dicamus ergo viuentia Cherubinorum capita fuisse insculpta, hominis, aquilae, leonis, & vituli, quae vides in maioribus domus orthographijs. Ea tamen imitari Dorici, & ad suas reuocantes superstitiones, idolotitorum crania, pro Cherubinis effinxerunt. Ex hoc enim deductam fuisse censendum est Graecam vocem ζωοφόρος ἀπὸ ζωή, vita, & φέρω, quasi vitam, vel viuentia ferens. Qua ratione ipsum Zodiaci circulum sic appellari comperies, propter signa animantium formis distincta. Cum quibus nihil habent commune taurorum crania, propter quae non zophori dicendi essent, sed θυσιαφόροι.

IN METOpis Cherubinorum capita.

ZOPHORI nomen, & ornamenta metoparum.

Sed quamuis haec esse videatur prima zophori insculpendi origo, tamen varijs florum, atque aliarum rerum formis insculpi coeperunt deinde zophori. Quod ipsum Italicum nomen indicat, interprete Philandro: Freggia, inquit, vulgo vo- A cantur, voce, vt existimo, à Phrygionibus, qui acu faciunt, ducta. Vt enim illorum opera acu picta figuris quibuslibet insigniuntur, ita zophororum fere ratio sculpturam desiderat. Haec ille.

Philander notatio. Vitruu. lib. 1. c. 2.

Sed & à metopis ad ipsa trabium capita exornanda veniamus. Palmas certiori quadam ratione me collegisse non dubito. Nam cum saepe mecum ipse cogitassem, scriptoresque attentius euoluissem, vt aliquam possem inuenire rationem, propter quam triglyphorum canales, ad normae cacumen excauarentur: nullam certe aliam inuenire potui, quàm quae ex palmae similitudine peteretur: palmae siquidem folia duplicia sunt, & ad normae cacumen inclinata, ita vt trabium apparentes excisiones aureis, vel argenteis bracteis, pro loci dignitate, tegerentur, siue etiam partim aureis, partim argenteis, quod magis probarem, quas insculpta palmae folia tria exornarent, duo quidem in medio integra, tertium in duas partes diuisum ac distributum, & ex vtraque parte dispositum. Idque non sine ratione huius aedificij dignissima: quippe cum trabis latitudinem in partes distribuerint duodenas, ac singulis dimidiatis extremis folijs singulas tribuerint; binas vero vtrinque regulis, binas deinde canalibus, ac tandem binas reliquas regulae, quae est in medio canalium. Sed quoniam bracteas aureas, vel argenteas imitari prae paupertate non potuissent, antiqui ceratas tabulas auro substituerunt, atque effluentem ceram in guttis, quarum nullum vestigium in his nostris fabricis, ad hanc vsque diem reperire potui: quod si aliquando contigerit me inuenire, posteritati certe non inuidebo. Nisi forte iam liceat conijcere palmae fructus in epistylio fuisse insculptos, vel ex ipsis folijs pendentes: vel quod magis probarem, ex tenia, vel regula illa pendentes, quasi ex ramusculo quodam, ex quo fecit eos natura pendere.

TRIGLYphi quare sic insculpantur.

CANALIVM distributio, & mensurae.

GVTTAE in epistylijs sub triglyphis.

Sed quamuis haec ita sint, dubitabit merito fortasse aliquis, quid haec de tignorum capitibus in zophoris habeant cum aeneis columnis commune? responsio in promptu est: Haud secus enim quàm in marmoreis aedificijs, in aeneis quoque, si fierent coronarum dispositiones, & ornamenta, ex materiatione petenda essent. Et cum in reliquo aedificio triglyphos insculptos fuisse ostenderimus, in aeneis quoque columnis factos eosdem fuisse credendum est. Haec enim similitudinis ratio quantam vim in hoc aedificio habeat, satis ostensum a nobis est. Adhuc tamen huius rei extat apud Septuaginta interpretes luculentissimum testimonium: nam in Sixtiano codice vbi nos legimus: *Et super capita columnarum opus in modum lilij posuit, perfectumque est* E *opus columnarum.* Ipsi legunt: Et melathrum, epistylium intellige, vt dixi: & desuper latera. latera autem dicuntur trabes, aut costae, quasi dicant: capita trabium sculpta fuisse super epistylio: nihil enim materiae cum habuerunt columnae aeneae. id expresse attestante Scriptura, quae cum singulas columnae partes recensuisset, haec verba subiungit *Omnia aerea.* Additamentum, sic appellant coronam, melathrum crassities. Quasi dicant, latera, aut costas, quae super epistylio, quibusque imminebat corona, eiusdem crassitudinis fuisse cum epistylio, immo & eiusdem omnino mensurae, vt ostendimus. Quae de zophori ornamentis, atque triglyphis dicta sufficient. Nam quod

IN AENEIS columnis triglyphi insculpti.

3. Reg. 7. ℣. 22.

4. Reg. vltimo ℣. 17.

quod ij super Corinthio capitello ponantur, inconueniens non sit, infra ostendemus.

DE RETIACVLIS, ET MALOGRANATIS, *quibus corona mirabili artificio exornabatur.*

Cap. XXI.

AD coronas, earumque ornamenta explicanda nos vocat disciplinae ordo, & ipsa historia sacra. De quibus multa essent dicenda circa partium numerum, proportiones, formam, mensuras, ornamenta, & his similia. Sed ea certe eiusmodi sunt, vt de eis parum, aut nihil lucis habeamus. quapropter sicut placuit nobis ea ita componere, vt in imagine apparent, sic liberum erit lectori alia ratione, prout libuerit, aut componere, aut imaginari, dummodo id iuxta artis praecepta, & antiquorum exempla fiat. Vnum tamen à sacris historijs, atque Prophetis sermone quidem tam vario ac multiplici refertur, vt vix percipi posse videatur. Id prae difficultatum multitudine, qua inuoluitur, & facilitate, qua à nobis perspicuus illius sensus explicatur, sacrae Scripturae aenigma, solet appellari. quod nomen infinitis propemodum assentientibus doctissimis, grauissimisque viris merito inditum fuisse comprobatum est.

AENIGMA sacrae Scripturae.

In quo quidem soluendo ne nimius, aut longior sim quam oporter, ordine quodam procedendum est: primum ergo cortogatis vndique locis ipsa difficultas quasi aenigmatis corpus proponendum est, ita vt quae difficultatem dictionis inuoluunt, interim explicentur. deinde quaedam proponenda tantummodo sunt, quae demum vnà cum ipsa aenigmatis explicatione confirmabuntur. Et sermo quidem futurus est de malogranatis, quorum locus, dispositio, numerus explicatur.

Iere. 52. ℣. 22.

LOCVS vbi insculpta fuerint malogranata

Ac de loco malogranatorum disertis verbis loquitur Ieremias: *Et retiacula & malogranata super coronam in circuitu*. Quae ita a Propheta explicata, & ab interprete conuersa sunt, vt fere explicatione non indigeant, praesertim, cum supra a nobis ostensum sit coronae nomen, quod fasciae cuiusdam proprium est, vniuerso tribui coronamento, vel trabeationi. hoc tamen loco proprie pro ipsa fascia vsurpatur à Propheta, quam in ipsa trabeationis figura eodem nomine adnotauimus.

Ierem. 52. ℣. 23.

Quid autem commune habuerint cum retiaculis malogranata, indicant sequentia Prophetae verba. *Et fuerunt*, inquit, *malogranata nonaginta sex dependentia, & omnia malogranata* A *centum retiaculis circumdabantur*. Duo autem nobis indicant haec verba ad rem, de qua agimus, intelligendam maxime necessaria: primum, malogranata dependentia fuisse, quippe quae ex ipsa coronae proiectura penderent, & fere essent integra, vt apposita potius, quàm simul cum ipsa corona fusa viderentur: alterum est, malogranata retiaculis fuisse circumclusa, quod & Paralipomenon liber aperte testatur. *Malogranata etiam centum*, inquit, *quae catenulis interposuit*. Ex quibus illud certissimum esse debet, in ipsis retiaculorum foraminibus poma fuisse disposita, singulis singula.

RETIACVLA, quae malogranata cingebant.

2. Paralip. 3. ℣. 16.

IN RETIACulorum foraminibus poma disposita.

2. Paralip. 3. ℣. 16.

Porro retiaculorum formam, & elegantiam B indicat locus Paralipomenon, qui sic habet *Nec non & quasi catenulas in Oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum*. Vna certe dictionis vnius praepositio difficilem hunc locum reddit, alioqui perspicuum; nam si catenulas quasi in Oraculo legamus, similes has, atque illas fuisse intelligemus. Duplicem enim ב beth, praepositionis Hebraicae notionem agnouit Vulgatus, nimirum (quasi) & (in) & huius quidem exemplis plenae sunt omnes, ac singulae sacrae Scripturae paginae: illius vero licet non tam frequens sit vsus, est tamen certus. apud Isaiam: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum*. Quod si quis, non in argento, conuertere vellet, difficiliorem C sensum redderet, & à contextu magis alienum. Est & alius locus de his ipsis columnis, de earum, inquam, capitellis sic scribens: *Quasi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.* Hunc porro locum aptissime exposuerunt Septuaginta: κατὰ τὸ ἔλαμ τεσσάρων πηχῶν. in Sixtiano codice apte conuertuntur Secundum aelam quatuor cubitorum. ac sensus est, eiusmodi capitella aenea similia fuisse capitellis parastadum, quae erant in porticu, alta quatuor cubitos, quot cubitis fuerunt latae ipsae parastades, vt supra ostensum est.

RETIACVLA haec illis similia, quae Oraculum exornabant.

Isai. 48. ℣. 10.

ET, PRO sicut.

3. Reg. 7. ℣. 19.

CAPITELLA quatuor cubitorum.

Iam vero catenarum similitudinem inuestigaturi conferre cogimur, quae de his, atque illis D seorsum dicuntur. De his quidem sic habet liber Regum. *Et quasi in modum retis, & catenarum sibi inuicem miro opere contextarum*. Sic conuertit aptissime Vulgatus, quod multiplici voce significant Hebraea: Retiacula, opere retiaculi, funis, opere catenarum, coronamentis, quae super caput columnarum.

3. Reg. 7. ℣. 17.

CATENAE in corona.

De ornamentis vero domus sic legimus: *Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas, & iuncturas suas fabrefactas, & caelaturas eminentes*. Hebraice: Et cedrus ad domum intrinsecus sculptura instar fundae, & colocyntarum: Cucurbitarum agrestium, habet Pagninus, & apertiones liliorum. Chaldaeus: Et E sculpsit visionem ouorum, & fasciarum, & liliorum.

3. Reg. 6. ℣. 18.

CATENAE Oraculi.

Multa ad ornamenta domus particulatim percipienda referunt interpretes, quorum omnium in antiquis his Romanorum aedificijs licet exempla obseruare, vt propterea opus esse minime videatur singula pertractare: ea tamen sic in vniuersum proposita certiorem possent reddere sanae mentis lectorem, Gentes ab hoc vno aedificio vsque ad minima quaeque ornamenta fuisse mutuatas.

GENTES ex hoc aedificio mutuatae Architecturam.

Quod vero proprium huius aedificij videtur esse, quippe vniuersis propemodum eius partibus commune illud est, quod ad retia, vel fun-

dam

dam spectat; huius enim fundae palma nodis A quibusdam, aut occultis nexibus retia imitatur, non simplicibus filamentis intexta, sed implexis tricis, quas Chaldaeus fascias appellauit, cum inter fascias, aut tricas scutulatum manaret opus. sic enim appellari solet, cum ex inanitate filamentorum maculae relinquuntur, scutulorum in modum.

ARANEARUM tela. *Plinius lib. 11. cap. 24.*

Huic operi similis est aranearum tela, quam disertis verbis retulit Plinius, pretiosiorem multo verborum, quàm filamentorum textura. Texere, inquit, à medio incipit, circinato opere subtegmina adnectens, maculasque paribus semper interuallis, sed subinde crescentibus ex angusto dilatans, indissolubili nodo implicat. Quan- B ta arte caelat pedicas scutulato rete grassantes, quàm non ad hoc videtur pertinere cribratae pexitas telae, & quadam politurae arte, ipsa per se tenax ratio tramae; quàm laxus adflatus non ad respuenda quae veniunt sinus. &c. Hactenus ex Plinio. Hos quodammodo visus, hoc artificium videbantur referre cortinae, vel tentoria atrij Mosaici. nam vbi nos legimus: *Tentoria de bysso retorta.* Hebraice habetur קלעים lekaghim, quae vox fundam significat. Chaldaeus vero paraphrastes סרדין seradin, scribit, quam vocem rete, cribrum, seu craticulam conuertere licet: quibus vocibus non raro & cortinae appellantur tabernaculi, & sculpturae parietum domus interioris. C quibus non modo mysteria eiusmodi contextura indicata significasse videtur Salomon, sed ipsa Mosaici tentorij aulaea; quippe quae in cribri modum, aut retis scutulato opere contexta, perforataque essent, quo accessum prohiberent quidem, prospectum vero sacrificiorum, quae intra cortinas offerebantur, non impedirent.

CORTINAE atrij Mosaici reticulatae. *Exod. 27. ℣. 9.*

CATENVLAE super humerali. *Exod. 28. ℣. 14.*

Huiusmodi etiam fuerunt catenulae illae, quibus rationale super humerali adnectebatur: sic enim de eis legimus in Exodo: *Et duas catenulas auri purissimi inuicem cohaerentes, quas inseres vncinis.* Septuaginta Et facies duas catenulas ex auro puro, commixtas in floribus opus contexturae. Chaldaeus: Opus fimbriatum, quae D scilicet dependebant ex pallijs Iudaeorum. Ac de huiusmodi catenis nihil praeterea addendum hic censui, cum praecipue hac de causa vnum ex retiaculis coronae maiori forma incidi curauerim, quod contemplatione figurae potius, quàm longioris Scripturae lectione, omnia, quae de catenis aut dicta, aut dicenda essent, in promptu futura, atque omnino perspecta esse confidam.

DE RETIACULORUM numero.

3. Reg. 7. ℣. 17. & 18.

Iterum ℣. 41.

Exposita retiaculorum forma, eorum quoque numerum recensent historici, & numerum pariter fasciarum, vel funiculorum, qui implexa retia componunt. *Septena*, inquit historia Regum, *versuum retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altero. Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum.* Et iterum: *Columnas duas, & funiculos capitellorum super capitella columnarum duos, & retiacula duo, vt operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum.* funiculos, Septuaginta in Complutensi: vertibilia sculpturarum scribunt· Vertibilia columnarum in Sixtiano. Chaldaeus cum Hebraeo, vasa rotunda columnarum. Sed aptius multo Vulgatus Hebraeam vocem גלת galoth, quae, vt diximus, circuire, siue circundare significat, *funiculos* conuertit; eos indicans, qui retiaculorum plagas circundant, & cingunt malogranata: hos autem duos vocat, vel duplices, A quippe implexos sinistris dextros, atque his illos. Fuerunt autem septena, vt computanti poterit esse perspectum, quadrangulum enim illud secundum, quas diagonales vocant lineas, secant duae regulae sese inuicem secantes in medio, aut, si libeat vocare, centro, & vnicuique ex dictis regulis ternae aliae vtrinque adiacent, vt septenae sint singulae, & quae à dextro latere tendunt ad sinistrum, & totidem quae à sinistro ad dextrum.

BINA RETIACULA & septena versuum retiacula.

MVTVLI sub corona.

Retiacula porro bina, vel duos ordines retiaculorum enumerant historiae in singulis lateribus quadratae coronae. Sunt enim sub corona mutuli super triglyphis: nam qui reliqua percen- B suit, vt vidimus, huius trabeationis ornamenta Vitruuius, minime illud vnum ipse admiscuisset, nisi fuisset etiam illud ab eadem origine petitum. Mutuli autem quaterni ita sunt dispositi, vt spatia bina oblongiora vtrinque relinquant, vt forma retiaculorum obliquorum, quam supra pluribus expendimus, seruari posset. terna reliqua spatia quadrata, frondibus, ac floribus exornanda fuerunt, in quorum medio singula malogranata confingere cogimur: propter malogranatorum numerus paulo post computandos. Quae omnia nulla videntur egere confirmatione: cum omnibus enim sacrae Scripturae locis conueniunt quae diximus; à quibus sacrae Scriptu- C re locis quaelibet alia ratio excogitata dissentiret, vt saepius nos experimenta plurima docuerunt.

DE MALOGRANATORVM DISPOSITIONE *& numeris.*

Cap. XXII.

Ierem. 52. ℣. 23.

3 Reg. 7. ℣. 20. & ℣. 42.

RETIACVLORUM singulorum foramina quatuor & viginti.

HIs constitutis, ad malogranatorum numerum examinandum accedamus, quem multiplici ratione computant sacri Scriptores. Ieremias nonaginta sex, & iterum centum: liber tertius Regum ducenta, & iterum quadringenta. Sed cum ex dispositione septem fasciarum in retiaculis horum foramina, in quorum singulis erant malogranata singula, iam sint constitu- E ta, vt neque vnum possit aut è numero subtrahi, aut eidem superaddi, necessarium inprimis erit foramina praedicta computare. Qua in re mirabilis plane sese offert dispositio rombo- 3
rum, atque foraminum: nam si iuxta latus quod- 4
cunque computare incipias, hoc ordine dispo- 3
nuntur foramina, primo loco terna, secundo qua- 4
terna, tertio item terna, quarto praeterea qua- 3
terna, quinto terna, sexto iterum quaterna, sep- 4
timo denique terna, ita vt si ter quaterna com- 3
putentur, hoc est, duodena, & iterum ter qua- 24
terna, erunt alia duodena: omnia simul erunt quatuor & viginti. Quod si ab vno angulo ad oppo-

2 oppositum secundum diagoniam, quam dixi, A
4 lineam computare incipias, hoc alio ordine di-
6 sponuntur: bina erunt primo loco, secundo vero
6 quaterna, tertio item sena, quarto similiter sena,
4 quinto iterum quaterna, sexto demum bina. De-
2 nique si rhombum maximum in medio quadran-
24 gulo consideres, cuius anguli latera quadran-
guli contingunt, hunc ipsum innenies numerum
12 duodenis foraminibus contingi interius, in quo-
4 rum medio sunt quatuor alia foramina, in quo-
2 dam alio minori rhombo disposita, atque ex-
2 tra maiorem rhombum in angulis singulis bina
2 supersunt foramina. Quae indicasse sat est, cum
2 plura possit lector ipse, si attendat, expendere.
24 Iam vero cum singulis retiaculis quatuor B
& viginti malogranata contineantur, facilis e-
24 rit aenigmatis solutio, recensitis tantum sa-
4 crae Scripturae testimonijs. Et inprimis Iere-
96 miae: *Et fuerunt*, inquit, *malogranata nonagin-*
ta sex dependentia, quae nimirum vnico intuitu
videri poterant, retiaculis inclusa: videbatur e-
nim coronae dimidia, quacunque ex parte illa
prospiceretur, hoc est, quaterna retiacula hinc
quater quatuor & viginti producent numerum
sex & nonaginta, vt vides in margine.

Ierem. 52. ℣. 23.
NONAGINTA sex malogranata

Et omnia malogranata centum: hoc est, si at-tentius consideres, quaterna illa malogranata, quae è medio florum pendebant. nam haec, atque illa *retiaculis circundabantur*. quippe cum C illa retiaculorum funiculis, haec vero ipsis binis vtrinque funiculis circundarentur.

OMNIA malogranata centum.

Hunc porro eundem numerum, & dicendi modum sequutus est liber Paralipomenon. *Malogranata etiam centum, quae catenulis interposuit*. At liber Regum: *Malogranatorum autem*, inquit, *ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi*. Quorum verborum hic esse videtur sensus, malogranata omnia varijs ordinibus disposita erant, ducenta in capitello secundo vniuscuiusque columnae. Vocat autem hoc loco secundum capitellum coronamentum ipsum, vt nimirum hoc distingueret ab illo, de quo initio versiculi meminerat. *Et rursum alia capitella*, inquiens. D qui numerus certe priores satis superque confirmat, & omnia, quae hactenus diximus. Denique idem liber Regum, cum vtriusque capitelli disputationem instituisset: *Et malogranata*, inquit, *quadringenta, in duobus retiaculis*, hoc est, in retiaculis duorum capitellorum: *duos versus malogranatorum in retiaculis singulis*, quasi aperte dicat, bina retiacula in singulis coronamentis. Hoc idem repetit liber Paralipomenon: *Malogranata quoque*, inquit, *quadringenta, & retiacula duo*, quasi dicat, in duobus retiaculis, sic enim vocat plerumque ipsas reticulatas coronas: *ita vt bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur*. Qui sane tam varius, ac multiplex E dicendi, & computandi modus quasi digito nobis indicat vberes illos, ac suauissimos gloriae fructus, quos coronis insignes, in ea ipsa gloriae corona percipient electi Ecclesiae Catholicae filij in multis illis, aeternisque mansionibus, quae sunt in domo caelestis, & aeterni Patris.

2. Paralip. 3. ℣. 16.
3. Reg. 7. ℣. 20.
MALOGRANATORUM ducenti ordines.
MALOGRANATA quadringenta.
3. Reg. 7. ℣. 42.
2. Paralip. 4. ℣. 13.
MALOGRANATA in corona quid denotent.

Sunt & in mari aeneo poma, aut mala, non tamen punica, sed amara, vt amaritudinem ipsius mortis quodammodo referre possent, quae dicuntur colocyntidae: quas cum coctas degustassent filij Prophetarum, *Clamauerunt dicentes: Mors in olla vir Dei*. Et quidem merito, ea enim ratione tum fructus illi indicantur, quos percipimus, cum abluimur, vt caeleste sanctuarium ingrediamur: hi enim fructus amari sunt, quippe cum poenitentiae sint, quos à nobis exigit circa Iordanem abluens, siue baptizans Sanctus Ioannes: tum etiam illi, quos gustabimus, cum in perpetuas aeternitates, quasi aenei facti coaptabimur coronae caelestis patriae. hi autem praedulces sunt, & pulcherrimi, exultationis nimirum, & gloriae plenissimi; hos etiam praeseferunt sponsae genae, *quasi fragmen mali punici*.

4. Reg. 4. ℣. 40.
COLOCYNTIDAE quid denotent.
Matth. 3. ℣.
Cantic. 4. ℣. 3.

Porro genus hoc ornamenti, non solum in his columnis, verum etiam in lectis, ac cubilibus ipsis gratissimum Salomoni fuisse, & frequens, indicat illa ex eo sumpta parabola, *Mala*, inquit, *aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*. *Mala*, Hebraice תפוח thaphuhe, & arborem, & pomum significat, illud certe potissimum, vt quibusdam placet, quod odoratum sit, cuius opem, & subsidium petere videtur sponsa verbis illis, dum clamat: *Stipate me malis, quia amore langueo*. Ex quo quidam arbitrantur aurea mala dici posse citrea, aut eiusmodi sic dicta à Seneca, Arbor fertilis, inquit, pomis aureis. Pro lectis autem Hebraice legimus. משכיות maschyoth, à verbo שכה sachah. deducta voce, quae videre, & contemplari significat. qua ratione indicatur mirabilis artificij opus, quod ad se videndum oculos alliciat, alij caelaturas, siue cancellos vertunt. Et quidem merito lectorum, ac etiam cubilium delicias, & ornamenta indicabunt eiusmodi voces, in quibus lectis, aut ad mensam accumberent, aut ad somni requiem capessendam iacerent. In his enim, atque illis lectis argenteis quibusdam cancellis aurea poma includebantur, quae & suaui odore, & pulcherrimo sui aspectu oculos, atque animos accumbentium mirifice recrearent. Quam ob rem non immerito & visum, & accubitum paulum immutata vox indicat, si patriae caelestis aeternam requiem cum beata visione Diuinae essentiae, vt sacri Theologiae Doctores loquuntur, coniunctam esse intelliges, ita vt hanc ab illa seiungere nulla ratione possis. quadam ergo singulari exaggeratione, sermonem opportunum, suauem amici consuetudinem, & vtile colloquium patriae confert, id quod vulgo diceremus *gozar de vna buena conuersacion, es estar en paraiso*. Sed rem apte exposuit Rabbi Moyses Aegyptius, Poma aurea, inquit, in cancellaturis argenteis: verbum dictum secundum ambas facies suas. Audi, quaeso, huiusce sententiae expositionem. Cancellaturae argenteae sunt retiacula argentea: in quibus oculi sunt minutissimi, penetrabiles tamen visui. Est ergo sensus, quod verbum dictum secundum, ambas facies suas, id est, secundum interiorem, & exteriorem sensum est sicut pomum, in retiaculo argenteo. Acsi dicat necessarium esse, vt sit sensus exterior preciosus, & bonus velut argentum, interior vero multo melior, sicut aurum: donec se habeat exterior ad interiorem sicut se habet argentum comparatum ad aurum. Necesse quoque est, vt sit aliquid in exteriori sensu, quod ducat, ac trahat considerantem ad interiorem, quemadmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cum procul respicitur, vel absque multo intuitu, totum videtur argenteum. Cum vero ob valorem argenti, atque decorem, habens visum acutum prouocatus accesserit: videbit profecto aureum pomum intus latere. Sic

Prouerb. 25. ℣. 11.
MALA AVrea in lectis argenteis.
Cant. 2. ℣. 5.
Seneca in Agamemnone.
PATRIAE requies cum visione coniuncta.
R. Moyses Aegyptius lib. More inuo apud Galatinum lib. 1. Cap. 6.
DVPLEX sacrae Scripturae sensus.

igitur sunt verba Prophetarum. frequenter enim ea, quae exterius sunt, sapientia sunt, vtilis ad multa: vt ad compositionem morum, ac status congregationis hominum: sicut patet in superficie Prouerbiorum Salomonis: quae autem interius sunt, sapientia est perutilis, in credendis secundum veritatem. Haec ille. Qui illud idem videtur indicare, quod ad cancellorum formam spectare probauimus, quam, vt dixi, aptissime repraesentant oculi.

SENSVS exterior ad multa vtilis, interior ad confirmandam fidem.

Iam vero huiusmodi ornamenti genus in lectis eorum, qui tenero, ac recenti amore post inita sponsalia se inuicem diligunt, ad decorem, & gratiam conciliandam aptissimum fuisse indicat celebris Canticorum locus: pulchritudinis enim Sponsi memores in commendationem lecti versantur. *Lectulus noster floridus*: vel vt habent Hebraea, viridis: Syriaca, coagmentatus. Insculptorum florum in lecti spondis memor, tignorum quoque meminit, quae simili sculptura exornabantur. *Tigna*, inquit, *domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. Ego flos campi, & lilium conuallium*, &c. Quae omnia nihil continere prophanum, nihil non sacrum, indicant singula pene verba, quae ad templum Dei sedem, eiusque ornamenta respiciunt, quae haud inconcinne ex Syriaco codice Collegij nostri Maronitarum sic licet ad verbum conuertere: Etiam lectus noster coagulatus, trabes domus nostrae sunt cedrus: corrigiae sitim, sicut lilium cypressi, lilium profunditatis, sicut lilium inter aristas, sic proxima mea inter filias: sicut malum punicum, vox Syriaca & fructum significat, & arborem: in trabi siluae, ita patruus meus inter filios. Quae si cum praedictis retibus, funiculis, malogranatis, floribus, sculpturis conferantur, eadem esse plane deprehendentur. Quae pressius indicare voluit Chaldaeus paraphrastes, qui, vbi nos legimus: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. lectulus noster floridus*: Quam pulchra est, inquit, Maiestas sanctitatis tuae? quoniam in tempore, quo tu habitas inter nos, & suscipis voluntarie orationes nostras, & in tempore, quo tu habitas in lectulo nostro dilecto, filij nostri multi sunt super terram, & crescimus, & multiplicamur, sicut arbor, quae plantata est iuxta fontem aquarum, cuius folium pulchrum est, & fructus eius multi. Sic exposuisse videtur Chaldaeus, quod de lectulo dixerat viridi, aut florido. Sed haec huius loci non sunt, multo enim longiorem expostulant expositionem.

Cantic. 1. ℣. 16. & 17. & cap. 2. ℣. 1. 2. & 3.

B

C

Cantic. 1. ℣. 16.

D

His ergo praetermissis, ad cancellos, & poma coronae reuertamur: ea certe Graecos primum, deinde Romanos Architectos minime latuerunt; tametsi numerum, & dispositionem eorum non fuerint consecuti. Huius rei testis, & auctor est Vitruuius: Diuidendae autem sunt, inquit, in corona ima ad perpendiculum triglyphorum, & ad medias metopas viarum directiones, & guttarum distributiones, ita vt guttae sex in longitudinem, tres in latitudinem pateant: reliqua spatia, quod latiores sint metopae, quàm triglyphi, pura relinquantur, aut fulmina scalpantur. Haec ille. Guttarum porro antiquam formam videre hic Romae licet in theatro Marcelli.

RETIA, ET poma in coronis externi Architecti aliquo modo sunt imitati. *Vitru. lib. 4. cap 3.*

E

Sed miratur haud immerito Philander, quod videat guttarum in coronis ipsam formam ipsi nomini minime consonam, cum guttae liquoris cuiuscunque turbinatae, subtus autem veluti sphaericae sint, non autem planae. Et quidem

Philander in Notationibus.

A Leo Albertus huius rei difficultate deterritus, clauorum capita guttis omnibus, tum illis, quae in epistylij, tum vero illis, quae in proiectura coronae exprimuntur, repraesentari putauit, quibus excisa trabium capita retinerentur, vt ipsos parietes arctius continerent. Sed alij, quos retulit, & reprehendit Philander, pro guttis sculpserant campanulas prominentibus ropalis, id est, malleolis. Id vero, inquit, se facere antiquorum exemplo dicebant, quod tantum abest, vt credam; vt affirmare ausim carere prorsus ratione. Haec ille. Ego vero non ita senserim, id esse à ratione alienum, cum punica poma in corona sculpta fuisse cognoscam, atque haec eadem tintinnabulis permixta in limbo Sacerdotalis vestis; vt propterea aut permixta, aut cum pomis commutata facta esse potuerint ab antiquo aliquo Architecto. quamuis in his non multum immorer.

Leo Albert. de Archite. ctura.

CAMPANVLae pro guttis.

DE CAPITELLORVM FORMA, MENSVRA; *ornamentis Corinthio more factis, necnon de duplici vetustissimo capitello.*

Cap. XXIII.

RATIONEM hactenus reddidimus eorum ornamentorum, quae columnis imponuntur: ea vero ornamenta omnia ex Dorica ratione petita esse videntur, ita vt nisi propria capitelli ratio reddatur, illud quoque Dorico more factum fuisse facile crederetur. At nihil simile opinari nos sinit sacer Textus, quippe qui omnia & singula, quae ad perfectam capitelli efformationem possent exoptari, disertis verbis persequatur: *Capitella autem*, inquit, *quae erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper, iuxta mensuram columnae contra retiacula.* His verbis de capitellis, quae sic appellantur ab Architectis, sermonem fieri nullus dubitauit hactenus, sed nec dubitare poterit. Id enim significasse videtur Vulgatus interpres,

CAPITELLI forma à sacris Scripturis praescripta.

3. Reg. 7. ℣. 19. & 20.

pres, & capitellorum proprio nomine vtens, & illa A verba paraphrastice addens, *& rursum alia capitella*. hoc est, diuersa ab illis, quae paulo ante retulerat, quinque cubitis altis, ac denique illa describens, & quasi digito ostendens dum ait, *quae erant super capita columnarum*: ac si diceret, quae summo scapo, aut summo columnae hypotrachelio imponebantur. Quod facile nobis indicare poterit Hebraea vox ראשים, quam caput apte exposuit Vulgatus, hoc est, summam columnam.

Supra Cap. 23. huius lib.

Horum autem capitellorum formam duplici exemplo demonstrat, & quia opere lilij facta fuisse testatur, & quia similia esse ea dicit capitellis parastadum vestibuli, quatuor cubitis altis. B Hoc enim illis verbis indicari *in porticu quatuor cubitorum*, paulo ante à nobis ostensum est.

CAPITELLA parastadum his similia *Supra lib. 4. huius partis cap. 65.*

Sed frontes templi, parastadesque omnes, atque columnas capitellis sculptis in modum palmarum fuisse contectas, supra pluribus ostensum est: quare ne à veritate, quam semel proposuimus, videamur recedere, huius loci contextu cogimur & capitella facere liliata, & palmarum sculpturis aspera. Vtrumque certe facile nos posse praestare arbitramur, si lilij formam initio expendamus. Quoniam opus lilij iterum à sacro historico relatum est: *Et super capita columnarum*, inquit, *opus in modum lilij posuit: perfectumque est opus columnarum*. Hebraice שׁוֹשַׁן susan, à C radice שׁוּשׁ sasan, deducta voce שׁוֹשַׁנָּה sosanach, quàm simillima. hanc porro vocem ab Arabibus mutuatam sermo Hispanus adhuc retinet: vocat enim album lilium proprio nomine, açucena. Rabbi vero Dauid sic dictum lilium putat à שֵׁשׁ sissah, quod est sex. quoniam hic vnus fere flos sex constat folijs. Eius praeter commune genus licuit hic Romae aliud videre graciliori specie, duplicibus folijs: sed quae omnia sena in singulis ordinibus computentur. Mitto hic dicere de aureo alio huiusmodi flosculo, qui priori tam similis est, vt aliquo agriculturae artificio videatur esse coloratus. Lilij huius est vsus frequens in Canticis, quippe cum literis, pulchritudine, candore, D odoris suauitate agrestes omnes flores videatur antecellere. Est autem in Psalmorum titulis floris huius mentio, quem ad musicum instrumentum referunt nonnulli, quod quasi lilijs insculptis fuerit exornatum: alij ad cantici initium, ad cuius modulationem esset praecinendus Psalmus.

3. Reg. 7. v. 22. LILIVM quod referatur.

LILIA IN Psalmorum titulis.

Sed quod ad praesens institutum attinet, forma lilij tantum ob oculos ponenda est, quam imitabantur capitella. Quippe quae toto corpore lilium referre viderentur abaco opertum, sub quo cauliculi conuoluerentur, reliquum duplicibus lilij floribus exornaretur: sed quoniam lilij folia integra sunt, & quae in magna capitelli altitudine multo magis viderentur exornanda, ea E in varias cuspides artificiose secta fuerunt, vt palmae viderentur spatulas imitari, & asperitate sua oculis quàm maxime blandiri posse. Quae omnia cum antiquitatis obseruatione coniuncta, in eam nos adduxere sententiam, vt arbitraremur capitellum ita efformandum fore, vt in apposita figura apparet.

Sed cum omnia nostra studia in hanc vnam rem conferre iam pridem statuerimus, vt lux aliqua sacrae Scripturae historijs ad Dei gloriam afferatur. ipsa quoque antiquitatis monumenta contemplantes, quae in hac Vrbe Roma passim spectantur, & quae è re nostra fore arbitramur referre, immo & insculpta quàm diligentissime posteritati proferre non grauamur. Ac propterea duo alia antiqua capitella simul cum nostro proposuimus, de quibus breuissime nunc ratio reddenda est. Ac primum quidem in hoc nostro Romano Collegio, in quo nos haec scribimus, asseruatur, quamuis non ea qua debuit existimatione. fuit etiam alterum huic simile, vel potius fragmentum quoddam prope templum Sanctae Mariae in Cosmedin, in Velabro, quod vulgo Scholam Graecam appellant, quo in loco Sanctum Augustinum Rhetoricam docuisse dicitant. Est autem hoc totum flosculo quàm simillimum, scapo quidem ita coniunctum, vt scapus ipse cauli sit similis, quem ipsis strijs referre videtur.

Proposuimus in fine cap. 1. huius libri.

CAPITELLum palmis contextum in Collegio Romano.

Iam vero florem hunc palmarum spatulae aliae alijs superpositae conuestiunt, has tursum teneriores quaedam palmulae aliae alijs connexae, & duplici ordine colligatae, exterius ornant, & quasi reticulato opere continent: harum denique palmularum ima inserta lilia exornant. Vt conijcere liceat huiusmodi capitellum, quod Romae vidimus, ab aliquo alio olim fuisse compositum, qui haec eadem sacrae Scripturae loca, quae proposuimus, meditatus fuerit, & simul omnia composuerit, aut certe ex illis ipsis Salomonis fabricis fuisse Romam aduectum: nam vix videtur verisimile, eadem omnia alicui in mentem venisse, quae à sacris historicis referuntur. Eius exemplar dum proposui, non erectam faciem tantum, sed dimidium vestigium ostendi, quo facilius à lectore possit vniuersa illius structura cognosci.

CAPITELLI vestigium cum fronte.

Sed, vt verum fatear, capitellum hoc etiamsi artificiose videatur compositum, non tamen videtur ex templi Hierosolymitani fabricis aduectum, tum quod in his licet omnem venustatis, ac pulchritudinis rationem inquirere; at visus asperitate quadam delectatur. quae autem paria sunt, & omnino similia fastidit, haud secus quàm auditus vnisona. tum demum maxime, quòd Herodes, qui Meridianam atrij gentium porticum instaurauerat, columnas in ea fecisse dicitur à Iosepho, capitellis sculptis opere Corinthio, pulchris vsque ad miraculum. Atqui nullus existimabit Iosephum ignorasse, quodnam fuisset opus Corinthium, cuius quidem passim exempla hic Romae videre potuisset: & multo minus existimabit, Herodem propriam architectandi rationem in templum inuexisse, consentientibus Hebraeis, qui huius rationem quotidie in sacris Literis legerant: & exempla videbant in antiquissima illa Salomonis porticu, quae eodem Iosepho attestante adhuc extabat.

Iosephus 15. antiq. cap. 14.

CAPITELla Herodes in templo opere Corinthio fecit.

Iosephus 20. Antiq. cap. 8.

Quae omnia in ea, quam saepe retuli, sententia persistere nos cogunt, vt existimemus Corinthios idem ipsum capitellum Salomonis fuisse imitatos, sed tamen gloriae cupidos, primos haberi eius inuentores cupientes, palmae folia in acanthi folia permutasse, eiusque rationem fabulam quandam affinxisse. Quam retulit Vitruuius de Calatho poculis onusto, & regulis tecto super virginis sepulchrum imposito, quem achanti folia subtus enascentia vestierunt. cauliculi vero secundum calathi latera crescentes, & ab angulis regulae ponderis necessitate expressi, flexuras in extremas partes volutarum facere sunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiam, & subtilitatem artis

CORINTHII non fuerunt primi capitelli inuentores. *Vitru. lib. 4. cap. 1.*

CALLIMAchus primus inuentor capitelli.

memoriae, ab Atheniensibus catatechnos fuerat nominatus, praeteriens hoc monumentum, animaduertit eum calathum, & circa foliorum nascentem teneritatem: delectatusque genere & formae nouitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit. Quae omnia conficta fuisse, probant infinita propemodum antiquitatis monumenta, quae Romae cernuntur, quorum capitella non folijs achanti, sed folijs, vt aiunt, oliuae exornantur, quorum cuspides palmae folijs similiores sunt, quàm achanti: nisi illa palmae folia vocare malis, redeuntibus nimirum, quasi naturali cursu, ad suam primam originem folijs acanthi ad palmae folia, capitellorum compositionibus.

FOLIA acanthi, oliuae, & palmae.

Quae omnia ipsa capituli symmetria magis, ac magis videntur confirmari. Nam etiamsi Vitruuius altitudinem capitelli cum abaco parem faciat crassitudini imae columnae: aliquid tamen praeterea supetadditum fuisse ab antiquis Architectis obseruatione comperimus, id certe quantum sit, quod adijcitur, non satis aliunde constat quam ex his sacris fabricis, in quibus capitella, *quae iuxta mensuram columnae* facta fuisse perhibentur à sacro historico, ad mensuram ventris columnae dicuntur fuisse in Hebraeo. vt aliàs ostendi. Venter autem, siue adiectio columnae fuisse ostensa est duorum cubitorum, & quartae cubiti partis, hoc est, digitorum quatuor, & C quinquaginta. Quae sane mensura plurium sacrae Scripturae locorum consensione confirmatur. Nam locus Paralipomenon, qui vtriusque simul scapi altitudinem cubitis metitur quinque & triginta, vnicuique dat cubitos septendecim cum dimidiato, dempto, vt dixi, capitello columnae, & basis plintho. Plinthum paulo inferius ostendam fuisse quartam cubiti partem: nunc vero capitellum altum fuisse comperimus cubitos duos cum quarta cubiti parte: quapropter vniuersa simul columnae altitudo erit ea, quae ostensa est cubitorum viginti. scapi autem praecise cubitorum septendecim cum dimidiato.

ALTITVDO capitelli.

3. Reg. 7. ℣. 20.

2. Paralip. 3. ℣. 15.

ALTITVDO scapi cubitorum 17 ½

Sed quoniam satis firma esse videtur capitelli D ratio, quam imitati sunt Corinthij, iterum in dubium reuocari potest, quaenam constituta fuerat triglyphorum in zophoris distributio: aut si firma putetur esse, haec certe Corinthio capitello videtur esse contraria. Proclamant enim aduersus ea, quae dicta sunt, Architecti, dicuntque nos ordines perturbare, atque confundere. nos vero contendimus ab hoc vno omnes ordines originem trahere, & huius triglyphos imitatos esse Dores, capitellum vero Corinthios.

Sed quid est, inquiunt, quod Corinthij venustatis amatores triglyphos, speciosissimam ornamenti formam, non sunt imitati? Immo vero maxime. Nam & Iosephus triglyphorum me- E mor, ijs, quibus, vt vidimus, Regia Salomonis exornabatur opere Corinthio, illam fuisse exornatam tradit. Praeterea Vitruuius, qui primus, quod sciamus, huiusmodi architectandi genera distinxit, capitellis Corinthijs triglyphos imponi solitos fuisse retulit, cuius haec sunt verba: Cetera membra, quae supra columnas imponuntur, aut è Doricis symmetrijs, Ionicis moribus, in Corinthijs columnis collocantur: quod ipsum Corinthium genus propriam coronarum, reliquorumque ornamentorum non habuerit institutionem, sed, aut è triglyphorum rationibus mutuli in coronis, & in epistylijs guttae Dorico

Vitruu. lib. 4. cap. 1.

GVTTAE in epistylijs Corinthijs

A more disponuntur, aut ex Ionicis institutis, zophori sculpturis ornati cum denticulis, & coronis distribuuntur. Haec ille. qui guttas in epistylijs Dorico more in Corinthijs operibus distribuit, haud dubium, quin sub triglyphis, cum non alia ratione fiant.

Sed adhuc vrges Quid est, quòd nullum extat eius rei in antiquis fabricis vestigium? Cui dubitationi hac vna apposita ratione respondere statui. quia nimirum rei difficultate deterriti recentiores Architecti minime sunt ausi triglyphorum aggredi distributionem, in eo saltem genere, quod alia ratione faciliore potuerant exornare. Eos autem recentiores voco, quos B antiquissimos appellasset Romana Respublica; quippe qui aetate, ac multis etiam saeculis Salomonicis illis prioribus Architectis fuerint posteriores.

DIFFICVLtas distributionis triglyphorum.

Huius porro difficultatis testem vnum proferre satis est, Architectorum nimirum principem Vitruuium. hic sinistrae illorum opinioni respondet, qui negant Dorico genere aedes sacras oportere fieri. Sed tamen, inquit, non quòd inuenusta est species, aut genus, aut formae dignitas: sed quòd impedita est distributio, & incommoda in opere triglyphorum, & lacunariorum distributione. Haec ille. Qui ignorationi adscribit falsam illorum opinionem: quae C etiam difficultatis causa fuit, vt, quam non ausi sunt aggredi triglyphorum in secundo, aut tertio ordine distributionem, generum permistione simularent, quippe qui super Dorico genere Ionicum, huic denique Corinthium superextruerent.

Vitru. lib. 4. cap. 3.

GENERA permista quare sint facta.

Sed his praetermissis, ad vltimum capitellum, quod in figura appositum fuit, explicandum veniamus quo vno mirabili antiquitatis monumento ea omnia, quae de Cherubinorum forma supra à nobis constituta sunt, confirmari videntur: quippe cum ipsum duorum animalium formis totum exornetur, quorum binae vtrinque alae duo latera condecorant animalium facies, D & pectora duo reliqua capilli latera, summae alae quasi obuolutis plumis quas vocant volutas in angulis, sub abaco componunt. Ipsa vero animalia leones toto corpore, vultu, iubis, manibus exprimunt, cornibus vero boues, quaternis denique alis aquilas. qua de causa, excepta vna hominis forma, cuius nullum in eis apparet vestigium, reliqua omnia, quae de Cherubinis scripsit Ezechiel, ad haec conficta animalia referri posse videntur: si leonis formam pro humana substituamus. *Et hic aspectus eorum, similitudo hominis,* leonis, *in eis*. *Quatuor* substitue nunc tres, *facies vni, & quatuor pennae vni. Et manus hominis,* leonis, *sub pennis eorum in quatuor partibus. & fa-* E *cies, & pennas per quatuor partes habebant. Iunctaeque erant pennae eorum alterius ad alterum.* Et si quidem extremi versus ita videantur exponi posse, vt sensus sit: capitelli quatuor facies, aut latera, exornabant partim animalium facies, partim alae, quae inter se coniungebantur.

VLTIMVM capitellum, quod habetur in figura in fine c. 1. huius libri

CHERVBINorum formae in capitellis insculptae. Ezech. 1. ℣. 5. 6. 8. & 9.

Sed quid, inquies, haec explicatio commune habet cum Prophetae textu, aut visione? Certe haec omnia non ob aliam rationem adduxi, nisi vt ostenderem, neque nouum, neque Prophetae contrarium fuisse eum interpretandi modum, quem primum tenuit Hieronymus Pradus, quemque nos deinde secuti sumus immo potius ipsis

anti-

antiquissimis exemplis firmum, & à veteribus maxime receptum. Cum ex his facile liceat conijcere huiusmodi capitellum, aut è sacris fabricis iam olim aduectum fuisse, aut certe ab aliquo effectum, qui illarum non fuisset inscius. Nam multa, quae ex sacrarum Literarum lectione hauserant antiqui illi sapientes, insipienter iactabant, vt auctor est Iustinus Martyr. Nam aliunde, inquit, institutus Plato, quam ex propheticarum lectione historiarum, Iouem in caelo volucri curru vehi affirmat? Vidit ille in Prophetae responsis de Cherubim dictum illud: Et exiuit è domo gloria Domini, & ascendit super Cherubim, & eleuauerunt Cherubim alas suas, & rotae cum eis, & gloria Dei Israel erat super eos. Inde incitatus vocalis Plato, cum multa dicendi libertate exclamat dicens: Magnus in caelo Iupiter volucrem regit currum. Haec ille. Verum in omnibus his fabricis omnia Cherubinis fuisse videntur exornata: atque in singulis quaternas plerumque licuit obseruare facies, ternas non raro, binas interdum, & singulas fortasse nonnunquam. Quod vbi de mari, & lutheribus aeneis egero, ostendere me posse confido; praesertim si in memoriam reuocentur ea, quae à nobis supra Chaldaei paraphrastis auctoritate confirmata sunt. Interim nostram, quam de capitello proposuimus coniecturam, licet auctoritate confirmare doctissimi viri, quae apud me maxima est, & apud sapientissimum quemque permagni aestimanda. Ex cuius ore, pro eius in nos benignitate, ac beneuolentia singulari licuit audire, quidnam de hac re vniuersa sentiret, quidue crederet, ac re ipsa confirmatam, eiusdem sententiam his monumentis consignare. Is est Amplissimus S. R. E. Cardinalis Baronius, bene de vniuersa Christiana Republica meritus, atque adeo ob eius praeclara scripta toto terrarum orbe notissimus. Qui, cum de huiusmodi capitello cognouisset, diligenter conquisitum, tanquam suae eruditionis testem conseruandum curauit, & porphyreticae basi, columnaeque impositum, aurata cruce superposita in Titulum sibi erexit, pro foribus Ecclesiae Sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei: quae Titulus Fasciolae appellatur; quam Ecclesiam pene dirutam, ac desertam instaurauerat, multisque ornamentis illustrauerat, atque eorundem Sanctorum Martyrum Sacrosanctis reliquijs locupletarat. Et quidem de his hactenus.

Iustin. orat. ad Gent.

ILLVSTRISsimus Cardin. Baronius laudatus.

A, B, C, D

DE COLVMNARVM BASIBVS, AC DE MVLTIplici ornamentorum templi proportione.

Cap. XXIV.

ARCHITECTVRAE membra, & ornamenta satis longa, vt res postulabat, oratione persecuti sumus. superest vt de basi, quae reliquarum veluti fundamentum est, nunc demum breui disseramus. Et quidem basis proiecturam definiuit noster Vates, vt vidimus, dum quartam illi crassitudinis columnae partem tribuit, ex cuius praecepti obseruatione desumptam fuisse Vitruuij basim putamus: quippe qui sic scribat: His perfectis in suis locis spirae collocentur, eaeque ad symmetriam sic perficiantur, vt crassitudo cum plintho sit columnae ex dimidia crassitudine, proiecturamque, quam Graeci ἐκφορὰν vocitant, habeant quadrantem: ita tum lata, & longa erit columnae crassitudinis vnius, & dimidiae.

Vidimus lib. 3 huius part. cap. 20. Vitru lib 3. cap 3.

BASIS Vitruuij.

Hanc eandem basis proportionem in omnibus basibus templi Pantheonis obseruauimus, sub Corinthijs columnis. Cuius quidem templi bases membris, proportione, atque ornamentis multo similiores his nostris fuisse deprehendimus, quàm illas omnes, quarum membra Vitruuius eo loco definit. Qua de re necessarium fore existimamus, basis proportiones, ac symmetriam, quam nos ipsi dimensi sumus, & accurate obseruauimus, hic primum exponere. In cuius rei gratiam attentius expendenda est basis, quam cum capitellis in praemissa figura proposui, cui partium nomina inscripta sunt, & literae quaedam, vt mathematico more facilius percipi possint mensurae, ac symmetriae. Huiusmodi A B, basis altitudo imi scapi columnae medietas est, hoc est, digitorum quinque & viginti. Haec bifariam diuiditur in C, & fit B D, basis proiectura ipsi B C, aequalis. Plinthus B E, ipsius B C, medietas totius B A, quarta, & E F, inferior torus altitudinis B A, quinta. Deinde A E, diuiditur in partes quinque, & ex eis vna est A G, torus superior, G H, trochilus superior cum supercilio fiat ex dimidia plintho: reliquum H C, diuidatur bifariam in I, cuius pars inferior I C, erit trochilus inferior, reliqua pro astragalis, quam diuides bifariam in K, quamlibet rursum in quatuor partes, ex quibus tres dabis astragalo, reliquam supercilio. Ac tandem G N, regulam, vel supercilium, trochili partem assignabis astragalo L K, vel K M, atque ita habebis basis perfectam rationem, quam ad haec nostra instituta reuocare iam propero.

Appositus cap. 2. huius libri.

BASIS DIstributio, & mensura ex obseruatione Pantheonis.

E

Hanc autem basis rationem significare voluit Iosephus, cum spiram duplicem eam appellauit, quippe cum vna spiras, vel membra omnia, quae in orbem ducuntur, duplicia habeat, & duplex sit etiam torus, duplex supercilium, duplex trochilus, duplex astragalus cum duplici supercilio. Verum hanc basim diserte magis expressit sacra Regum historia, quamuis de columnis tunc non loqueretur, sed de mari aeneo, illis verbis:

Iosephus 15. ant. cap 14.

SPIRA DVplex quare dicatur.

3 Reg. 7 ℣. 24.

SPIRA decies replicata.

Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum histriatarum erant fusiles. Septuaginta interpretes: Et firmamenta, aut fulcimenta, vt habet Sixtianus codex, sub labio eius in circuitu ambiebant illud, decem in cubito ambiebant mare in circuitu. duo ordines firmamentorum fusilium in fusorio eorum. Verum Iosephus locum hunc paraphrastice videtur exposuisse:

Iosephus 8. antiq. cap. 2.

Eius medullium, maris inquit, sustinebatur spira decies replicata; cuius dimetiens linea fuit cubitalis. Qui disertis verbis eam, quam apponimus, basim videtur indicare; cuius duplicia sunt membra similia, dissimilia in qualibet parte quina. nam si a medijs astragalis sursum, vel deorsum versus computes, quina vtrimque membra inuenies. Astragalus, supercilium, trochilus, supercilium, vel regula, torus. Quam etiam basim significat textus,

DVPLEX basis torus insculptus.

duo ordines, inquit, *sculpturarum histriatarum*: quippe qui de duplici toro superiore, & inferiore locutus fuisse videtur. Atque sculpturarum formam indicant Hebraea, quae פקעים pekaim, pro sculpturis his vbique legunt.

Porro hanc vocem colocynthas agrestes exponunt Interpretes, hoc est, cucurbitas illas, quae prae amaritudine, fel terrae ab aliquibus appellantur. Chaldaeus vero paraphrastes formam potius, quam rem ipsam eiusmodi sculpturis referri arbitratus, ouolos pro colocynthis interpretatus est:

SCVLPTVRA ouolorum in basi.

Et figurae ouorum, inquit, subter labium eius in circuitu ambiebant illud. decem cubiti ambiebant mare in circuitu: duo ordines figurae ouorum fusilium erant in fusione illius. Hos ouolos, aut has colocynthas liber Paralipomenon videtur appellare boues: nam vbi nos legimus *Similitudo quoque boum erat subter illud, mare, & decem cubitis quaedam extrinsecus caelaturae, quasi duobus versibus, labium maris circuibant, boues autem erant fusiles.* In Hebraeo habetur. Et imago boum subter illud circum circum circumdantium illud, decem in cubito ambientes mare circum, duo ordines bouis fusorum in fusione illius. Septuaginta. Duo ordines, boues fusiles in effusione eorum. Quo loco non inepte quidam colligunt, in illis ouorum tuberculis capita boum insculpta fuisse nam de maioribus bobus, qui mare sustinebant, sermonem hic non fieri, perspectum esse videtur ex eo, quod duo ordines boum hic computantur, duodeni autem illi terni in singulis quaternis lateribus disponebantur, nulla ratione bini. In eo autem, quod decem cubitis huiusmodi sculpturae definiuntur, consonat certe Hebraicae lectioni Iosephi expositio: ibi enim vbique legimus, decem in cubito, ac si aperte indicet, decies conuolutas fuisse spiras circa basim cubiti vnius.

2. Paralip. 4. ℣. 2.

BOVM capita insculpebantur in tuberculis ouolorum.

Sed de basi, & columnae partibus iam satis. Superest vt de partium symmetria, & proportionibus nonnihil agamus. non quod ea accurare persequi velimus, de quibus infinita propemodum dici possent, sed vt insinuemus viam lectori, ac modum, quo haec omnia possit ipse per sese inuestigare. Est autem proportio, vt definit Euclides, rationum similitudo. Haec autem triplex est, vt post Boetium, ibidem notauit noster Clauius. Arithmetica, Geometrica, Musica, siue harmonica. quarum vnamquamque licet in his fabricis nostris obseruare, & in illis potissimum numeris, quos in partium huius aedificij tabulas paulo ante redegimus. Ac primum Arithmeti-

Euclides defin. 4. lib. 5.

PROPORTIO triplex.

A cam proportionem, quae per eandem differentiam progreditur, in ipsis numeris ordinum vestibuli licet intueri, quos ex sacro Textu collegimus, nimirum quinquaginta, quadraginta, triginta, quorum numerorum differentia denarius est. & haec ipsa ratio in subduplis atriorum numeris reperietur, & in subquadruplis domus Regiae. De proportione deinde Geometrica, in qua primus ad secundum eandem rationem habet, quam secundus ad tertium, si continua sit proportio: aut quam tertius ad quartum, si discreta; non est huius loci exempla proferre. Nam si vniuersa exemplis comprobare velimus, ea omnia in vnum locum congerere cogemur, quae

ARITHMETICA proportio in ipsis sacrae Scripturae numeris.

GEOMETRICA proportione omnia sunt plena.

B de partium mensuris sparsim, prout doctrinae ratio postulabat, alibi persecuti sumus.

Illud vero huius aedificij proprium est, ac maxime obseruandum, idque ad harmonicam proportionem spectat, quod non alia ratione visus huius aedificij partibus contemplandis delectari videatur, quam auditus vocum, aut instrumentorum suaui modulatione perfruatur. Et quidem concentus omnes, quos indagatrix rerum omnium natura inuestigare potest, Graeceque symphonias appellant, vt Vitruuius auctor est, sunt omnino sex, diatessaron, diapente, diapason, diapason cum diatessaron, diapason cum diapente, disdiapason. Qua in re bene aduersus

HARMONICA proportio.

Vitru. lib. 5. cap. 4.

C Vitruuium disputat Aquileiensis Patriarcha, cum enim diapason cum diatessaron superpatiens denominari possit, harmonica certe consonantia non est. atque adeo omnes consonantiae sunt tantum quinque, tres videlicet simplices, duae compositae.

Daniel Barbarus.

CONSONANTIAE quinque.

Et horum quidem rationem in monochordo facillime examinant musices periti, vt docet, quem laudaui, Daniel. Nam si extensa chorda A B. diuidatur in quatuor partes in punctis C, E, G, & rursum in tres in punctis D, F, habebitur monochordum ad praedictos omnes concentus inueniendos aptissimum. Si enim totam chordam A B, pulses, & eius partem A G, reddet con-

D sonantiam diatessaron, quae sesquitertia proportione constat: si vero chordam iterum pulses, & eius partem A F, reddet diapente, sesquialtera proportione si totam, & partem A E, diapason reddet, proportione dupla. & hae sunt tres simplices. Compositae vero sunt hae si totam chordam pulses, & eius partem tertiam A D, habebis diapason cum diapente, tripla proportione: ac tandem disdiapason inter totam chordam, & eiusdem quartam partem A C. Quas omnes consonantias numeris etiam notauimus, vt ad eorum normam facile quis examinare possit numeros alios, quibus huiusmodi consonantias omnes exposuimus in tabulis.



E Neque vero ea tantum ratione licet harmoniam contemplari, sed multo magis ipsa diuisione totius in partes duas, tres, quatuor, atque alias. quod in diuidenda basi proxime ostendimus, & paulo etiam superius in inuestigandis ordinibus columnarum, atque alijs locis quamplurimis.

Sed quoniam in harmoniae sermonem incidimus, in animo est superiorem quendam concentum lectori contemplandum exponere, eo suauiorem, quo non auribus, aut oculis hauriatur, sed attenta cogitatione, sed animo, sed mente; vt paulisper ab exteriorum partium contemplatione ad interiora quaeque, ab imis ad summa

HARMONICA proportio in diuisione totius in suas partes.

ma

ma reuocemur. Atque adeo non caput modo, sed disputationem vniuersam absoluemus, vt maiori quadam quietis interpositione, ardentius in ea quae sequentur, feratur lectoris attentio, meditatio, studium. Quibus omnibus nonnulla praemittenda sunt, quae ad institutam disputationem videntur necessaria.

DE ADMIRANDIS TEMPLI DISPVTATIO SECVNDA.

SENTENTIA EVPOLEMI DE TEMPLO.

Cap. XXV.

Disputationem de admirandis templi instituere aggredior, quam si pro dignitate, ac meritis, persequi velim, longior certe essem, quàm diuturna studiosorum hominum expectatio, amicorum cohortatio, & quaedam quasi expostulatio exigit, & ipsum meum breui operis perficiendi desiderium patitur: cum praecipue dies me potius deficerent, quàm res, de quibus longissimas possem & disputationes, & commentaria contexere. Quapropter hac in re veniam dabit lector, si multa praetermisero, nullam plene, & absolute rem tractauero, pauca tantum insinuauerim, & ea potissimum, quae lectori viam possint aperire ad ea percipienda, quae sapientum possint animos in admirationem rapere: non solum eorum, quae in augustissimo illo templo fuisse cognoscuntur, verum etiam multo magis infinitae Sapientiae, qua haec omnia disposita, atque ordinata fuere, tanquam verorum, & maiorum symbola, argumenta, & signa. Et quidem in his persequendis ab omni verborum lenocinio abstinebo: & vt verborum meorum parcior sim, ea quae grauissimi Scriptores proposuerunt, lubentius proferam, quam propria. Qua in re Eusebium imitabor, qui inter cetera confirmandae fidei nostrae argumenta, hoc eodem vsus est, vt gentes, & quoscumque à fide nostra alienos argueret, multos enim ex gentibus ipsis antiquos Scriptores retulit, qui veritatem sacrarum Scri-

Euseb. lib. 9. Praeparat. extremo.

A pturarum confirmassent: atque inter alios Eupolemum. Illum ergo cum multa simul colligat, quae lucem nostrae huic disputationi poterunt afferre, tanquam testem producere non grauabor. non quidem vt in corruptis exemplaribus Latinis circumfertur, sed ad Graeci exemplaris veritatem exactum. Eusebij verba sunt haec:

Eupolemus vero Moysen ait, quadraginta prophetasse annos, Iosue autem filium Naue triginta, & vixisse centum & decem, & ab eodem sacrum tabernaculum in Silo fuisse fixum: postea vero Prophetam fuisse Samuelem. Deinde Dei iussu Saulem à Samuele delectum Regem, cum imperasset annis viginti v-

B *no, vita functum esse. Postea Dauid filium eius à quo Syros euersos, qui ad Euphratem fluuium habitant, & Comagenem, & Assyrios, qui in Galaadena, & Phoenices. Exercitum quoque duxisse in Idumaeos, & Ammonitas, & Moabitas, & Ituraeos, Nabataeos, & Nabdaeos: Item bellum intulisse Suroni Regi Tyri, & Phoeniciae, quos etiam coegit tributa Iudaeis pendere & cum Vaphre Aegyptiorum rege foedus inisse. Cumque vellet Dauid templum Deo aedificare, rogasse Deum, vt locum et altaris ostenderet: Ibi ei Angelum apparuisse stantem su-*

DAVIDIS victoriae.

C *pra locum, vbi altare statuerat Hierosolymis, & eum iussisse templum non statuere, quod humano sanguine pollutus esset, multosque annos bella gessisset. Nomen vero illi fuisse Dianathan, eique imperasse, vt filio aedificationem permitteret: ipse vero, quae ad apparatum pertinerent, adornaret; aurum, argentum, aes, lapides, ligna cypressina, atque cedrina. His auditis Dauid naues compegisse Achanis Arabiae vrbe: & in insulam Vrphe in*

ANGELI nomen Dianathan.

CLASSIS Dauid.

Rubro

Rubro mari sitam, aureas venas habentem, effossores misisse, qui aurum inde in Iudaeam deportarent. Dauidem autem, cum quadraginta regnasset annos, imperium Salomoni tradidisse annos nato duodecim, coram Eli summo Sacerdote, & duodecim Tribuum principibus: atque ei aurum, argentum, aes, lapidem, ligna cypressina, ac cedrina tribuisse, atque ipsum quidem vita cessisse Salomonem vero regnasse, ac Vaphri Aegypti Regi subiectam epistolam scripsisse:*

* Sadoch

DVODENnis Salomon regnat.

Rex Salomon Vaphri Regi Aegypti, amico patrio salutem.

Scito me accepisse regnum à patre Dauide, Dei Maximi beneficio, qui etiam iussit me templum aedificare Deo, qui caelum, & terram condidit: ac simul ad te scribere; vt de tuis populis ad me mitteres, qui mihi praesto sint, donec omnia, quoad opus erit, absoluam, vt imperatum est.

B

Rex Vaphres Salomoni Regi magno salutem.

SALOMON Rex magnus appellatur.

OCTOGINta Aegyptiorum millia templo inferuiunt.

Simulatque tuam epistolam legi, valde sum gauisus, & festum celebraui diem, tum ego, tum copiae meae vniuersae, quod regnum à probo viro acceperis, & probato a tanto Deo. Quod autem ad me scribis de populis nostris mittendis, octoginta millia tibi mitto: & ex quibus nationibus sint, indico tibi. Ex gente Seurithide decem millia, ex Mendesia, & Seuenita vicena millia ex Busirita, Leontopolita, & Bathrithita dena millia. Cura porro, & res necessarias illis, & alia, vt recte gerantur: atque vt, perfecto opere, in suam quisque regionem restituatur.

C

Rex Salomon Suroni Regi Tyri, & Sidonis, & Phoeniciae, amico paterno salutem.

Scito me à patre Dauide regnum accepisse, Dei Maxim. munere, qui mihi praecepit, vt Deo templum aedificarem, qui caelum, & terram condidit simulque vt ad te scriberem, vt mihi de tuis populis mitteres, qui nobis praesto sint, quoad opus Dei perficiatur, vt mihi est imperatum. Porro scripsi quoque in Galilaeam, & Samaritidem, & Moabitidem, & Amonitidem, & Galaditidem; vt eis ex regione necessaria suppeditent in singulos menses, tritici coros decies mille, (corus autem est artabarum sex) & vini coros totidem, (continet autem vini corus mensuras decem.) Oleum vero, & alia suppetent eis ex Iudaea: victimae vero in esum carnium ex Arabia.*

CORVS continet artabas sex.

* μέτρα

SALOMON Rex magnus.

Suro Salomoni Regi magno salutem.

Benedictus Deus, qui caelum, terramque condidit, qui virum bonum ex bono viro delegit. Simul atque tuam epistolam legi, valde sum laetatus, ac Deo gratias egi, quòd te ad regnum euexerit. Quod autem ad me scribis de ijs, qui sunt in populis nostris, misi ad te octoginta millia Tyriorum, ac Phoenicum, atque architectum quoque hominem Tyrium ex matre Iudaea, ex tribu Dauidis. is de quibuscumque rebus, quae caeli complexu coercentur, ac de architectura eum rogaueris, tibi respondebit, atque efficiet. Porro de rebus necessa-*

OCTOGINta Tyriorum, & Phoenicum millia templo inseruiunt.

* Dan

ARCHITEcti laudes.

A *rijs, ac de seruis, qui ad te transmittuntur, recte egeris, si praefectis locorum per literas imperaueris, vt quae sunt illis necessaria, suppeditentur.*

Salomon vero paternis amicis comitatus, ad montem Libani profectus, Sidoniorum, ac Tyriorum opera caesam ante à suo parente materiam in Ioppen mari transuexit, atque inde terra Hierosolymam. Initium deinde fecit aedificandi templi Dei, annos tredecim natus. Gentes autem egerunt, quae ante dicta sunt, ac duodecim Tribus Iudaeorum quae Tribus etiam res omnes necessarias centum illis sexaginta millibus praebebant, singulis in singulos menses. Fundauitque templum Dei longum, ac latum cubitis sex, latum sexaginta; latitudo vero structurae eius, ac fundamentorum sunt cubitorum decem. Ita enim Nathan Dei Propheta praeceperat.

QVOMODO, & a quibus materia Hierosolymam asportaretur.

ADVERSAtur Scripturae 2 Paral 3 5. quae anno quarto templum tradit aedificari coeptum.

ξξ pro ξ. sex pro sexaginta.

B *Aedificauit vicissim domum lapideam, & contignationem cypressinam, quae duas aedes securiclis aeneis ingentibus comprehendebant. Cumque is ita exaedificasset, exteriora cedrinis lignis, cypressinisque contexit, ita, vt lapideum aedificium non appareret, templum autem intrinsecus laterculis aureis quinque cubitorum, opere fusorio deaurauit, atque quaternis argenteis clauis confixit talenti pondere, in papillarum speciem ordine dispositis atque ita illud à pauimento ad tectum vsque inaurauit. Contignationem ex laquearibus item aureis effecit. Tectum autem aeneum fecit ex tegulis aeneis, conflato scilicet aere, atque fuso.*

SECVRIDAca herba, de qua Dioscorides lib 4 cap. 146 cuius formam imitabantur Quod vulgo Italis, à coda di rondine dicitur.

LATERCVli aurei quinque cubitorum domum intrinsecus operiunt.

C *Fecit quoque duas columnas aeneas, easque auro puro contexit, digiti crassitudine: eratque columnarum altitudo par templo, latitudo vero cuiusque in orbem, decem cubitorum Statuitque eas, alteram a dextris aedis, alteram a sinistris. Fecit etiam decem aurea candelabra, talenti pondere singula, eius instar, quod à Moyse in tabernaculo Testimonij positum fuerat* Sic corrigendum censui, tamen si ad verbum conuerteretur Graeca verba, hunc illum sensum redderent, Fecit quoque candelabra aurea pendentia singula dena talenta. *eademque ex vtraque parte templi, partim à dextris, partem a sinistris collocauit. Lucernas*

CLAVI TAlenti pondere, & argentei, vtrumque contra sacram Scripturam.

TEGVLAE aeneae templum contegunt.

AVREAE bracteae digitum crassae, aeneas contegunt columnas

DECEM pro duodecim sacrae Scripturae

D *praeterea fecit septuaginta, vt septenae in singulis candelabris arderent. Templi valuas extruxit, easque auro, atque argento conuestiuit, &* lacunaribus cedrinis, cypressinisque protexit. Quin etiam porticum ad Aquilonarem templi partem excitauit.* Mendum suspicor auctoris, Aquilonem pro Meridie scribentis, qui etiam in columnarum numero à veritate deflexit. *illamque columnis octo & quadraginta suffulsit. Praeterea labrum aeneum longum cubitis viginti,* mendum suspicor K pro I, viginti pro decem, *totidemque latum, quinque altum condidit: ac coronam fecit ad eius basim, eminentem cubito, vt Sacerdotes conscendentes, pedes demersos abstergerent, & manus abluerent.*

* antepagmentis

CANDElabra decem.

ANTEPAGmentorum ornamenta laqueata.

BASIS aenei maris.

E *Labri porro bases fecit teretes opere fusorio, duodecim, staturae hominis altitudine, statuitque eas sub labrum a dextris altaris. Fecit itidem aeneam basim duos altam cubitos prope labrum, vt in ea Rex, dum Deo supplicaret, insisteret, vt a Iudaeorum populo conspiceretur. Altare quoque viginti quinque* (quinque supersunt) *cubitorum, ad cubitos viginti, altum duodecim,* (duo redundant) *extruxit. Fecit & catenulas duas aeneas hamatas, easque in machinamentis constituit, quae in templi fastigio viginti cubitis eminebant, ac superne totum templum obtexit, singulisque retibus quadringena tintinnabula aenea appendit, magni ponderis*

BASIS Regia

ALTARE aeneum

RETIA, & tintinnabula templum operiunt

deris: cunctaque retia fecit, eam ob causam, vt pulsatis tintinnabulis, aues abigerent, ne in templo considerent, neue in valuarum, porticuumque laquearibus, siue lacunis nidificantes, templum excrementis inquinarent.

MVRVS Ierusalem à Salomone exstructus

Vrbem item Hierosolymam moenibus, turribus, fossis communiuit. Verum sibi quoque Regiam exaedificauit. Appellatumque est primo quidem templum ipsum Ieron Salomonis: deinde vero vrbs a templo, corrupto vocabulo, Ierusalem nominata: a Graecis autem inflexo nomine Hierosolyma dicitur. Perfecto deinde templo, atque vrbe munita, venit in Selom, & sacrificium Deo in holocaustum obtulit boues mille. Inde vero tabernaculum, altare, ac vasa, quae fecerat Moses, Hierosolymam deportauit, atque in aede posuit, & inibi arcam, & aram auream, & candelabrum, & mensam, & vasa cetera collocauit, prout ei Propheta mandauerat. Obtulit autem victimas plurimas, ouium duo millia, vitulorum tria millia quingenta.

HIEROSOlymae nomen perperam interpretatur Eupolemus

TABERNAculum cum suis instrumentis in templo reponitur.

LONGE abest hic numerus a sacra Scriptura.

Porro auri summa, quod in duas columnas fuerat, templumque collatum, fuit quadragies sexies centena millia talentorum. In clauos vero, ac reliquum apparatum, argenti talenta mille ducenta triginta duo: aeris vero in columnas, & labrum, & porticum, talentorum duodeuiginti millia & quinquaginta.

QVOD vulgo a nobis diceretur, quatro milliones y seis cientos mil talentos.

TALENTA aeris.

Remisit autem Salomon tum Aegyptios, tum Phoenices in suas quemque regiones, donatis vnicuique denis auri siclis. Siclus vero pondus. Porro Vaphri Aegypti Regi olei metretas decies mille, dactylorum artabas mille, mellis vero vasa centum, atque aromata misit. Suron vero Tyrum vsque misit auream columnam, quae sita est Tyri in templo Iouis. Theophilus ait a Salomone Rege Tyrio missum esse aurum, quod reliquum fuit: à Tyrio vero simulachrum filiae, seu statuam toto corpore constantem esse conflatam, & columnae item aureae impositam & velamentum aureum statuae imposuit, quod columnam cingebat. Quin & fecisse, ait Eupolemus, Salomonem clypeos aureos mille, singulos quingenorum aureorum: eumque vixisse duos annos supra quinquaginta, ex quibus quadraginta cum pace regnasse.

DONA operariorum

Hactenus ex Eusebio: quae teferre non piguit, huius doctissimi viri exemplo permotum. Siquidem multa simul complectitur ex ijs, quae per varia loca dispersa tractamus, atque adeo simul collecta placere fortasse magis poterunt. Sed ad vlteriora progrediamur.

DE ARCHITECTO
TEMPLI, ET OPERIS PRAEFECTO.
Cap. XXVI.

FVIT huius aedificij sacri proprium, fuisse illud Dei Optimi Maximi sapientia conditum quod, quamuis illi sit cum mundi fabrica commune, hoc tamen est proprium, & in templi fabrica admirandum magis, quod in ea, tanquam in parua quadam, depictaque tabella, rerum A omnium, quae sub vasto caeli ambitu continentur, arte mirabili Deus imaginem efformauerit. Ex quo certe tam eximia laus fabricis templi tribuenda dignoscitur, vt sapientissimus quisque facile cognoscat, ne minimam quidem partem eorum, quae dicenda essent, à me posse cogitatione comprehendi, nedum dicendo explicari, tantum abest vt ea possint breuissimis hisce commentarijs coarctari. Nam, quòd Deus Optimus Maximus maximus etiam esse voluerit huius aedificij Architectus, testatum est in Paralipomenis: vbi dedisse dicitur Dauid Salomoni templi descriptiones omnes cum auro, argento, atque alijs, & perficiendorum omnium exactissi- B mam rationem, quibus enumeratis: *Omnia,* inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* Quae sane verba explanatione minime videntur egere, quippe quae disertis verbis testentur Deum Optimum, qui mundanae, caelestisque fabricae fuit auctor, huius etiam auctorem dici, & haberi, minime fuisse dedignatum.

TEMPLI fabrica rerum omnium quasi quaedam imago.

DEVS HVius fabricae Architectus fuit.

2. Paral. 28. ℣. 19.

Sed illud videtur esse cum summa laude coniunctum, quod Dei manu, non descriptiones modo, figurae, ac dispositiones omnes, ichnographiae, orthographiae, & scenographiae graphice depictae fuerint, verum etiam longior quidam commentarius a Deo fuerit descriptus, in quo v- C niuersa Dauidi tradita fuerant, & ab eo Salomoni, per artifices opera complenda. De hac enim vna re maxime gloriabatur antiqua lex, quòd à Deo scripta fuisset. *Et reuersus est*, inquit liber Exodi, *Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.* Vel, vt habent Septuaginta: Et scriptura, scriptura Dei fuit sculpta in tabulis. Quasi his verbis maxime commendaretur tanquam epistola manu Regis scripta ad suos. Atqui Diuinam gratiam sibi maxime promerendam esse putauit hoc vno argumento Iob, Dominum fidenter alloquutus: *Manus tuae fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Quod si manus consilium denotat, attentam animi cogitationem, & ope- D randi studium, ac diligentiam, vt alias me ostendisse memini, haud obscure indicat eiusmodi verbis, & quantum opetae, ac industriae in homine condendo posuerit, & quanto illum amore prosequatur. vtrumque in templi fabrica à Deo positum fuisse, indicant telata verba: idque non propter marmorei templi structuram, sed propter veri, ac viui templi corporis Christi similitudinem, illi contigisse credendum est.

TEMPLI commentarius à Deo Dauidi traditus.

Exod. 32. ℣. 15. & 16.

MANV DEI scripta lex, laude digna.

Iob. 10. ℣. 8.

Supra lib. 3. cap. 3. huius partis.

DEI OPEra in templi fabrica quare posita dicatur.

Verumenimvero cum summi Architecti inuentam, descriptamque fabricae formam, & archetypum minoris cuiusdam architecti sit opere complere, atque exequi: quem Architecti execu- E torem, Hispani appellamus aparejador, quod ipse opera singulis distribuat, & praeparet: id certe in hoc aedificio perficiendo minime defuisse confirmat Iosephus qui, cum operariorum numerum retulisset: His omnibus, inquit, Adoramus, (sic vocat, quem sacer Textus appellat Hiram) est praepositus. Laudatur hic quidem sacris Literis, Hiramo Rege Tyri ad Salomonem haec verba scribente: *Misi ergo tibi virum prudentem, & sapientissimum Hiram patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius, qui nouit operari in auro, & argento, aere, & ferro, & marmore, & lignis. in purpura quoque, & hyacin-*

OPERIS exequutor, quem Hispani vocant Aparejador. Ioseph 8. antiq. cap. 2.

2. Paralip. 2. ℣. 13. & 14.

HIRAMI praefecti operis laudes.

3. Reg. 7. ℣. 13 & 14.

hyacintho, & bysso, & coccino: & qui sciat caelare omnem sculpturam, & adinuenire prudenter quodcumque in opere necessarium est. Hanc porro Hirami laudem persecutus est auctor libri Regum: *Misit quoque*, inquit, *Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduae, de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem aerarium, & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex aere.*

S. Hierony. Tradit. Hebr. in lib. Reg.

Vtriusque loci concordiam indicasse videtur Sanctus Hieronymus, qui non pauca etiam addit, quae & fabricae praefectum mirifice laudant, & aedificij dignitatem maxime commendant: Et notandum, inquit, quod in Malakim, sic appellat Hebraeus sermo libros Regum, Hiram dicitur: in Paralipomenon vero Huram. חירם hiram, enim interpretatur, viuit sublimis: Huram autem, Deus excelsus. Hiram in Malakim dicitur fuisse de Tyro, & filius mulieris viduae de tribu Nephthalim, patre Tyrio. Sciendum quod de tribu Nephthalim pater eius fuerit: quo mortuo vxor eius, quae hic mulier vidua scribitur, eundem Hiram in Tyrum misisse, docendi, (forte discendi legendum esset,) gratia dicatur: & à quo doctus in Tyro fuit, pater eius Tyrius vocatur. Idcirco patre Tyrio fuisse dicitur, cum vtique pater eius de tribu Nephthalim fuerit. Quod vero in Paralipomenon legitur, Huram Regem dixisse: Misi tibi virum prudentissimum, & scientissimum Huram, patrem meum: patrem dignitatis gratia eum vocat, sicut in plerisque locis legitur. Filium vero mulieris de filiabus Dan eum vocat, quia mater eius de tribu Dan fuit, de genere Solomith sororis Ooliab filij Aizamas. cuius filius Salomith Aegyptius in eremo lapidatus est non enim eadem Salomith sponte eidem Aegyptio coniuncta fuit, sed vim ab eo perpessa est. Idcirco meritis eius factum fuisse dicitur, vt de filiabus eius talis nasceretur, qui operaretur in domo Domini. Nam & meritis Balae concubinae Iacob quondam factum fuisse autumant, quod mortua Rachel, non solum Ioseph in loco filij educauit, verum etiam pro fratribus eius intercessit, vt immemor esset iniuriae fratrum suorum. Et pro hac re Dominus ei tribuit, vt de vno eius filio Dan nasceretur Ooliab, socius Beseleel, qui aedificaret domum Domini; & altero eius Nephthalim nasceretur Hiram, qui domum Domini in Ierusalem fabricaret.

PATER, ET Magister dicitur, & dignitatis nomen est

DIGNITAS est magna in domo Dei operari posse.

Hactenus ex Beato Hieronymo. qui tantae dignitatis fuisse existimauit, domum Domini aedificare, vt merito aedificantis etiam genealogiam fere à prima sui origine censuerit exquirendam. Quod quis non videat ad verum Christi templum esse referendum? de cuius aedificatione sub vineae, aut paradisi translatione loquitur Paulus: *Ego plantaui, Apollo rigauit sed Deus incrementum dedit.*

1. Corinth 3. ℣. 6.

IDEM Aedificium vinea, seu paradisus appellatur

Zachariae 10. ℣. 3. & 4.

Aedificium, Architectum, praefectum, & operarios multiplici symbolo, varijsque signis nobis proposuit apud Zachariam Prophetam Dominus: qui cum gregem suum, Domum Iuda appellasset. *Ex ipso*, inquit, populo, *angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus praelij, ex ipso egredientur omnes exactores simul.* Quem locum aptissime interpretatus est Chaldaeus paraphrastes. Ex ipso, inquit, egredietur Rex eius, ex ipso Christus eius, vel Messias eius, & ex ipso fortitudo belli sui, ex ipso magnificabuntur omnes gubernatores eius simul.

TRIA à Christo capite in corpus Ecclesiae beneficia promanant.

Tria potissimum à Christo capite in Ecclesiae corpus promanant merita praeclara, nimirum, quod fundamentum, quòd achroteria, quòd propugnaculum sit: eaque omnia signorum translatione persequitur Zacharias. Primum quidem est dignitas, gloria, stabilimentum, firmitas. Secundum, vt in ipso sint, & ex ipso quicumque, & quantumcumque boni esse possunt. Tertium denique, vt ab eo tutelam omnem, securitatem, opemque recipiant, longissime propulsatis omnium infensissimorum hostium incursibus. Atque illud obiter insinuat, quo maxime haec omnia beneficijs maioribus, ac vberioribus cumulantur, & extolluntur, quod ad coniunctionem assumptae humanitatis spectat. Hoc enim sonat illud, *ex ipso* populo *angulus*, hoc est, Rex, natus nimirum ex muliere in similitudinem carnis peccati. Nam quod פנה pinna, angulus turrim, & per translationem Regem significet, multis posset sacrarum Scripturarum testimonijs confirmari: verum vnum proferre satis erit, adhibita tamen eleganti Sancti Hieronymi, in ipsis Scripturis sacris apprime versati explanatione. Is est Isaiae Prophetae: *Deceperunt Aegyptum, angulum populorum eius.* Idioma, inquit Hieronymus, Scripturarum est, vt angulum pro regno ponant, eo quòd populos contineat, & quasi in tota domo fortissimum sit. Vnde & Christus duorum populorum parietes continens, lapis dicitur angularis.

ANGVLVS, pinna, Regem significat.

Isaiae 19. ℣. 13.

S. Hierony. lib. 5. in Isaiam.

Sed praeter illa omnia, quae Sanctus Hieronymus persequitur, Regiae potestatis, quae in Christo est, commoda ex ipsa turris similitudine desumpta, adhuc ipsa vox anguli פנה pinna, quae ab aspiciendo dicitur, Regium munus, officiumque denotat: quòd non emineat solum, vt caput, verum vt oculatum caput prospiciat, ac consulat membrorum commodis.

ANGVLVS ab aspiciendo dictus, Regium munus indicat.

Ab aedificij deinde similitudine transit ad claui, vel paxilli in ipsa domo firmiter fixi, & adhaerentis translationem, à quo quae pendent instrumenta domus, casum non metuunt. Quam elegantissimam translationem mirifice illustrauit Isaias: *Et figam illum paxillum in loco fideli.* in locum firmum vertit ex Hebraeo Forerius. quam translationem explicat Propheta subdens *& erit in solium gloriae domus patris sui.* Sed adhuc perstat in allegoria: *Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vasis craterarum vsque ad omne vas musicorum.* Quae vna similitudo claui, & pendentium ex eo vasorum explicare posse videtur illud, quod breuissima oratione complexus est idem Christus: *Quia sine me*, inquiens, *nihil potestis facere.* Vbi illud addit, quod ex Prophetae exemplo colligi minime potest: vt scilicet ex ipso Christo Domino habeant pendentia vasa non solum vt non cadant, neque frangantur, quod habent vasa à fideli, firmoque paxillo pendentia, verum etiam vt gloriosa sint, vt mensae Dei apta, vt musica sint instrumenta, quae non habent à paxillo vasa. Denique arcus belli omnes omnium aduersariorum incursus à Christo, & per Christum longe à nobis propulsandos esse significat.

Isaiae 22. ℣. 23 & 24.

CHRISTVS paxillus fixus quare dicatur.

A CHRISTO omnia bona in nos promanant.

Haec autem omnia IESV Christi Domini nostri praeclara beneficia, qui, vt adhuc in allegoria persistamus, architectus est aedificij, turris, & firmamentum eius, firmitas, & munimentum, quodammodo ipsis etiam Apostolis, & Euangelij

pracdi-

APOSTOLORUM, & praedicatorum laus.

A praedicatoribus, per quos ad Christum accedimus, referenda esse, insinuat praedictarum rerum commemoratio: vel, vt rectius loquamur, à Christo per Apostolos accepta referenda esse, apertissime manifestat. Nam vere sunt hi veluti operis sancti praefecti, qui vniuscuiusque nostrum operam exigunt, vt viui lapides sacro huic aedificio coaptemur. hos enim ipsos, non solum tanquam Dei homines, huic operi instare tradidit Areopagita Dionysius, verum etiam, vt quosdam quasi Deos. Necessario itaque, inquit, primi illi nostri Sacerdotalis muneris duces, cum ex summa, supersubstantialique Deitate, ipsi sancti muneris plenitudinem percepissent, & idipsum deinceps proferre, & propagare à Diuina bonitate B missi essent, ipsique (vt qui transissent in Deum) posteros ad diuina prouehere affatim cuperent, visibilibus signis caelestia sacramenta texerunt. Quorum verborum exemplo nos, qui Christum Deum verum, Ecclesiae summum Architectum merito appellamus, primos illos Apostolos Architectos etiam appellabimus, in quorum vnoquoque Hirami laudes verius continentur, ac certius: quippe qui iam in Deum transisse dicuntur, vt vnà cum Deo aedificare non desistant.

EXACTORES qui, & quare sic dicti.

S Dionysius Areopagita. lib. de Eccl. Hierarch c. 1.

TRANSIIT in Deum Apostolus.

DE RELIQVORVM OPERARIORVM
numero, praefectis, & munere.
Cap. XXVII.

PRIMOS illos, sanctissimosque Ecclesiae Catholicae magistros, parentes, Doctores Hiramo illo significari diximus: reliquorum vero, qui ab his edocti operi eidem praefecti, ac constituti sunt, habuit etiam Salomonicum

3. Reg. 5. ℣. 15. & 16. aedificium copiam non minimam: nam *Fuerunt*, inquit historia Regum, Salomoni *septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, absque praepositis, qui praeerant singulis operibus numero trium millium & trecentorum praecipientium populo, & his, qui faciebant opus*. Hos autem operarios cum suis praefectis à Dauide primum numeratos fuisse testatur liber Paralipomenon, qui eosdem non ex populo Israel originem duxisse testatur, sed aliunde in populum adscriptos. Ex quo facile possumus numerum operariorum templi colligere. ac primum praefectorum, quos plures enumerat locus Paralipomenon, qui sic habet · *Numerauit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel post dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenta. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus caederent: tria autem millia & sexcentos praepositos operum populi.*

OPERARIORUM praefecti qui, & quot.

2 Paralip 2. ℣. 2. & 17. & 18.

Verumenimvero cum ceteri numeri omnes conueniant cum numeris historiae Regum, hic vnus praepositorum numerus illum superat trecentesimo. Quam difficultatem soluere conatur Lyranus. Dicendum est, inquit, quod hic, hoc est, in libro Regum, enumerantur praepositi, qui erant super operarios, immediate videndo qualiter operabantur: & illi fuerunt tria millia trecenti. Trecenti autem, qui excedunt hunc numerum, non erant immediate super operarios, sed reddebatur eis ratio ab illis, qui immediate praeerant, & exprimuntur in secundo Paralipomenon: quia, quod omittitur in vno loco, in alio exprimitur. Haec ille.

Nicolaus de Lyra super lib. Regum.

Verum nulla prorsus ratio difficultatis esse potest, cum munus horum, atque illorum praefectorum satis, superque perspectum fuerit. quod liquido colligitur ex Hebraeo. Nam habuit Salomon artifices, & operarios in Libano, qui lapides, & ligna praepararent, & hos quidem partim ex Israel, partim ex proselytis, partim vero C ex gentibus. habuit praeterea artifices Hierosolymis, qui praeparatos lapides, lignaque excisa in ipso aedificio disponerent: & illorum quidem artificum, qui in monte operabantur, numerum, & sacrae recensent historiae, & prophanae. horum vero, qui Hierosolymis operabantur, nulla fit expressa mentio, nisi praepositorum tantum, forte quia arbitrati sint historici hunc numerum, facta cum illo collatione, facile colligi posse. Sed quae dixi, iam confirmanda sunt.

OPERARII in Libano.

Elegitque Rex Salomon, inquit historia Regum, *operarios de omni Israel, & erat indictio triginta millia virorum. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita vt duo-* D *bus mensibus essent in domibus suis: & Adoniram erat super huiuscemodi indictione*. Et indictionem quidem ita aperte videmus, eiusque praefectum, vt huius commemoratio alias etiam non excludat, ac tandem hanc indictionem in montem fuisse mittendam. Sed subiungit eadem historia *Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant & octoginta millia latomorum in monte*. Ac ne quis arbitretur latomos, ac lapicidas, seu lapidum incisores in monte, eos fuisse, qui portarent onera, attentius expendat absque his illos nihil omnino facere potuisse. Quod si forte aliquis sibi fingat è latomis partim onera portasse, partim lapides dedolasse, is quidem E perpendat, & experientiae aduersari, & sacro Textui. Quis enim vidit vmquam artifices superioris ordinis, inferioris operae munus, ministrorumque officium sponte obiisse? contra omnem certe oeconomiae rationem, quam maxime obseruatam fuisse a Salomone, nulli dubium esse debet. accedit quod historicus latomos à portantibus onera distinguit.

3. Reg. 5. ℣. 13 ℣ 14.

OPERARII Libani.

Ibid. ℣. 15.

LATOMI non iidem qui onera portabant, sed ab illis longe diuersi.

Dicamus igitur, quod verum est, quodque maiorem habet probabilitatem, centum & octoginta hominum millia in monte fuisse, quorum praefectos, hoc est, quinquagenarios, subticuit historia Regum, retulit vero liber Paralipomenon · *Et numerauit*, inquit, *septuaginta millia virorum* &c. *praepositosque eorum tria millia*

2. Paralip 2. ℣. 2.

sexcen-

PRAEPOSITI operum Libani 3600.

sexcentos. Et iterum: *Tria millia sexcentos prae-* A *positos operum populi*. Ex Hebraeo sic vertit Regius codex: Et tria millia sexcenti confortatores ad faciendum opera populum. Vatablus: Exactores, qui populum ad laborem vrgerent. In Hebraeo מנצחים menatschim, vtrobique habetur. quae vox à verbo deducta est, quae operi instare, solicitare, vrgere significat, in bello, in musica, in fabrica, aut eiusmodi. Hoc idem munus Leuitis datum fuit Hierosolymis, cum praecipiente Iosia Rege domus Domini instaurata

2. Paral. 34. ℣. 14.

fuit: *Erant autem*, inquit, *praepositi operantium Iahath, & Abdias de filijs Merari, Zacharias, & Mosollam de filijs Caath, qui vrgebant opus: omnes Leuitae* &c.

B Sed sane longe diuersa ratio est eorum, qui recensentur in libro Regum, in quo centum & quinquaginta proselytorum millia recensentur, *absque praepositis*. Hebraice: מנצרי mesare, à principibus. Locum sic conuertit Regius codex: Solum à principibus assistentibus ipsi Selomoh, qui super opificium tria millia & trecenti, dominantes in populo, & facientes in opificia. Itaque

PRAEFECTI principes dicuntur, & Regi astant 3300.

hi principes vocantur, & astantes Salomoni quorum munus esse videbatur, iussa Regis in opere Hierosolymis perficiendo exequi, tum operi instando, tum solicite curando, vt populus nulla in re deesset ijs, qui fabricae operam dabant. atque adeo & dignitate pollebant, & auctoritate C apud Regem, & populum multo maiori, quàm illi, qui à Rege longe aberant in Libano, quique illis tantum praeerant, qui à praedictis fortasse praefectis eo mittebantur, aut manibus operaturi, aut humeris onera portaturi. Quod videtur confirmari ex allato exemplo Iosiae, qui huic muneri Leuitas praefecit. Qui quidem praepositorum numerus illum etiam operariorum numerum aperte nobis indicat, qui Hierosolymis templum exaedificabant: illi enim omnes, quos vidimus, materiam potius praeparabant ad opus, hi vero operabantur. numerus enim praepositorum

QVINQVAGENARIJ praefecti.

montis Libani quinquagesima pars est eorum, qui computantur operarij, vt Arithmetica supputatione manifestum esse poterit: qua ratione tria millia trecenti praefecti Hierosolymitani

OPERARII Hierosolymitani 165000.

operarios templi manifestant fuisse centum sexa- D ginta quinque millia. Quem forte Tyriorum, atque Aegyptiorum numerum supra Eupolemus retulit centum sexaginta millia, quibus reliqui quinque mille ex Israelitis associarentur.

Illud quoque animaduertendum est, quod saepe restatum habemus in sacris Literis, nimirum Tyrios in monte potissimum laborasse: idque ex eadem historia Regum, qua operariorum

3. Reg. 5. ℣. 17. & 18.

numerus recensetur, satis est manifestum: *Praecepitque Rex*, inquit, vtique Salomon, *vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos: quos dolauerunt* E *caementarij Salomonis, & caementarij Hiram. Porro Giblij praeparauerunt ligna, & lapides ad aedificandam domum*. Idem confirmat Iosephus: qui cum triginta illa operariorum millia populo

Iosephus 8. antiq. cap. 2.

indicta retulisset, haec verba subiungit: Praeter hos erant in opere inquilini illi, quos Dauid eo destinauerat, connectores saxorum, ceteraeque materiae, septuaginta millia, & caementarij octoginta millia, magistrique horum ter mille & ducenti: mendum librarij est ducentos pro trecentis scribentis: his mandatum fuerat, vt saxa praegrandia exciderent in vsum fundamentorum templi, eaque in monte prius in quadrum dedolata, ita demum in vrbem A conueherent: idque non modo indigenis, sed & missis ab Iromo opificibus erat iniunctum.

NVMERVS operariorum templi. 165000 3300

Ex quibus omnibus summam tandem aliquando colligere licet omnium templi operariorum. Hierosolymis primo loco, centum sexaginta quinque millia: horum praefecti ter mille trecenti, quippe cum Ecclesiae sanctae Praesules vna fide vnius, indiuisaeque Deitatis in personarum Trinitate aedificant, Regi aeterno adstant, neque ab incepto opere aliquando desistunt. Fuerunt praeterea proselytorum in monte septuaginta millia onera portantium: Peones, Hispani appellamus, Itali manuali. Latomorum item octoginta millia: Hispanice, canteros, Italice, scarpellini. B Horum praefecti ter mille sexcenti.

70000 80000 3600

Serui Hirami in monte octoginta millia, quot scilicet ab Eupolemo referuntur: quorum omnium summa est mille nongentorum supra quadringenta millia hominum.

80000 401900

Qui vnus operariorum numerus templi magnitudinem, & gloriam admirandam posset cuiuis sanae mentis homini manifeste indicare, vna cum opibus, & gloria à Deo Optimo Maximo, fidelissimoque Salomoni promissis: quippe cum vix fuisse legatur in anteactis retro saeculis omnibus, nedum his nostris, Princeps, Rex, Imperator, Monarcha, Respublica quaecumque, quae tantam militum copiam ipso perpetuo septennio alere, opibus augere, & C in immensum locupletare potuerit sine vllis hostium spolijs, sine amicorum vel minima iniuria. Sed de his hactenus, cum summa tantum rerum capita attigisse satis sit.

GLORIA templi ex operariorum infinita multitudine facile colligitur.

Illud vero praetermittendum minime nobis est, quod hae operariorum diuersae, ac variae nationes, multitudo, & numerus propemodum infinitus aliud certe denotat aedificium extructum, & exaedificatum, quod à turba magna, quam dinumerare nemo potest, ex omni lingua, & populo, & natione, quae sub caelo est, in dies magis ac magis augetur, atque perficitur. Id quod bene notauit Eucherius: Fuerunt itaque, inquit, operarij domus Domini de filijs Israel, fuerunt de proselytis, fuerunt de gentibus. De filijs videlicet Israel triginta millia, qui ad praecidendas de Libano cedros missi sunt de proselytis isti, de quibus locuti D sumus, lapidum caesores de gentibus ipse Hiram, & serui eius, qui cum seruis Salomonis ligna caedebant de Libano. Omne igitur hominum genus, per quos aedificanda erat Ecclesia, in aedificatione templi praecessit. Iudaei namque proselyti, & Gentiles conuersi ad veritatem Euangelij, vnam, eandemque Christi Ecclesiam, siue recte viuendo, siue etiam docendo construunt. Haec ille. Quae iterum sunt à nobis fusius suo loco ac tempore pertractanda.

ECCLESIA ex omnibus gentibus construitur.

Eucherius in lib. Reg. lib. 3 cap. 6.

DE

DE PROPORTIONE

. FABRICAE TEMPLI, *tabernaculi, mundi huius, corporis humani, & Ecclesiae Christi in vniuersum.*

Cap. XXVIII.

INCREDIBILIS pene fuit hominum multitudo, quae omnem suam operam, atque industriam nauauit in hoc vno aedificio. Sed multo admirabilior Salomonis sapientia in tanta, ac tam varia multitudine sine vlla confusione gubernanda. Maxime vero omnium admiranda est ea, quae in toto ipso opere elucet, & symmetria, & proportio, & concentus, qui ex infinita hac hominum multitudine procedebat; ac si omnes simul in vnam harmoniae consonantiam conuenissent. Quam nunc harmoniam insinuare decreuimus, cum ea, quae de proportionibus, & symmetria totius aedificij dicta sunt, omnia maxima ex parte sensibus ipsis sane percipiantur, plene tamen, & absolute ab intellectu solum comprehendantur: haec vero, quam inquitimus, symmetria, non nisi à sublimi quapiam mente, & ab illustrato diuinitus intellectu percipiatur. Quapropter ab ipsa Diuina sapientia precibus experenda est cognitio, humilitate, summa animi demissione, ac lacrymis. Cuius rei ducem, exemplar, atque doctorem licet habere Salomonem, Deum illis verbis orantem *Deus patrum meorum, & Domine misericordiae, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituit hominem &c. da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam &c. Tu elegisti me Regem &c. & dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuae altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod praeparasti ab initio.* Qui postquam orare nos exemplo suo docuit, tum à Deo sapientiam expetendam esse, tum quonam animi sensu, ac mentis demissione sit illa petenda; statim aedificati a se Dei iussu templi meminit; quasi rationem redditurus eorum, quae sub externa templi aedificatione latebant.

CAELESTIS harmoniae cognitio a Deo precibus expetenda

Sap. 9. ℣. 1. & 2.

Ibid. ℣. 4. ℣. 7. & 8.

Aedificij vero cuiuscumque rationem reddendam esse tradit Vitruuius, cum Architecturam natam esse dixit ex fabrica, & ratiocinatione. Ratiocinatio autem est, inquit, quae res fabricatas solertia, ac ratione proportionis demonstrare, atque explicare potest. Hoc autem totum praestare videtur Salomon allatis verbis, quibus infinitam Dei laudat sapientiam, quae sola possit comprehendere artificium illud ineffabile, quo rerum omnium creatarum opificium, humani corporis, & animae structura, tabernaculi, & templi fabrica, architectata sunt, & ad finem vsque mirabiliter, ac perfectissime perducta. Igitur rerum harum omnium meminit, ac si res illae mirabili harmonia Auctoris sui laudes extollerent. *Qui fecisti omnia verbo tuo*; dixit enim, *& facta sunt* omnia, *mandauit, & creata sunt. Et sapientia tua constituisti hominem.* Maioris

Vitru. lib. 1. cap. 1.

VITRVVIVS rationem reddendam esse aedificij docet.

MVNDVS, homo, templum, laudes Dei [illegible] concinunt

Psal. 33. ℣. 9.

Sap. 9. ℣. 5.

A enim, inquit Cantacuzenus Rex, fuit reuera sapientiae hominis constitutio, cum sit ex visibili, & intelligibili natura conflatus: ac tamquam vinculum quoddam, & colligatio admirabilium operum procreatoris, quae vel in caelo, vel in terra sunt condita. Haec ille. Sed sicut in homine considerare est corpus, & animum, ita etiam in templo, cuius corpus illis omnibus descriptionibus, & commentarijs, quae hactenus sunt proposita, quodammodo continetur. nunc autem de eius anima quaedam breuissime insinuanda sunt.

MATTHAEVS Cantacuzenus scholijs in Sapientiam.

Vt autem in hominis anima superiorem vim, atque potentiam possumus contemplari, quam mentem appellant, inferiorem alteram, quam sen-
B silem nominamus: Ita in hac sacri templi similitudine, licet contemplari, quam eius veluti animam possumus appellare, similitudinem hominis, tabernaculi, & mundi, quae omnia sensibus subiacent ac etiam mentem, aut supremam eius partem, qua Christi Ecclesia, immo & ipse Christus homo visibilis, & Deus inuisibilis, iuxta vniuscuiusque captum repraesentatur. Haec enim omnia verbis illis contineri arbitramur: *Imaginem tabernaculi sancti tui, quod praeparasti ab initio.* Vide, inquit Cantacuzenus, quem paulo ante laudaui, vt aedificatum ab ipso templum Domino, imitationem dicat esse tabernaculi sancti.

TEMPLI corpus, anima, & mens.

Cantacuzenus vbi supra.

Erat etiam tabernaculum ipsius exemplaris
C exemplar *Facies enim cuncta*, inquit, *secundum exemplar, quod est ostensum tibi in monte*: nempe quòd essent haec omnia futurorum bonorum exempla, quae parata bonis sunt, atque adeo ipsius viui tabernaculi, in quo Dei Verbum habitauit. quod cum antea ab initio praeparasset, Moysi Deus adumbrauit, Beseleel, vt compingeret, edocuit. His adde, quod hanc eandem imaginem, quam veluti in parua tabula depinxit in tabernaculo Deus, prius quasi adumbrauerat in hoc ipso mundi tabernaculo, quod ab initio praeparauerat. Aptissime enim in ipso sacrorum Bibliorum margine duo alij loci referuntur, quasi qui hunc vnum possent illustrare: in vtroque lo-
D quente eadem Dei Sapientia, & vtriusque scriptore Salomone: *Dominus possedit me*, inquit, *in initio viarum suarum*. quasi hoc idem praeparati tabernaculi initium, quod viarum Domini. Mox quasi ad ipsum tabernaculum refertur locus alter: *Quando praeparabat caelos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos* Et quae sequuntur alia ex aedificij translatione desumpta verba, ad Dei opificium explicandum aptissima. Iam vero hominem ipsum mundum appellare non dubitauimus, quem omnis creaturae nomine appellat ipse Christus, Dei Sapientia. Hominem autem & templo vniuerso, & singulis propemodum eius partibus indicari mox ostendemus.

Exod. 25. ℣. 40.

MVNDVS hic tabernaculi exemplar.

Prouerb. 8. ℣. 22. & 27.

MVNDI creatio sub aedificij translatione relata.

Marci vltimo, ℣. 15.

HOMO mundus dicitur, & omnis creatura.

Templum quoque caelum dici, cum Dei se-
E des sit, vt indicat Psaltes: *Dominus*, inquit, *in templo sancto suo: Dominus in caelo sedes eius*. Quasi dicat, Dominus, qui caelum sibi sedem constituit, aliam quoque in terris ipsis sedem sibi delegit, nimirum templum, quasi alterum caelum. Quam superbus ille in infernum detrudendus ambibat sedem, cum diceret *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*. Ecquaenam alia sunt Aquilonis latera, praeter ea, quae *fundantur exaltatione vniuersae terrae, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas, Regis magni?* Cuius certe templum caelum est, astan-

CAELVM templum dicitur

Psal. 10. ℣. 4.

Isai. 14. ℣. 13.

Psal. 47. ℣. 13.

Ezech. 28. ℣.

tes Cherubini astra, vel igniti carbones; vt à Propheta nostro alibi notatum est. Et quidem mons testamenti mons templi dicitur ab Hebraeis, vt testis est Sanctus Hieronymus, vnde merito *templum tabernaculi testimonij in caelo* constituitur à Sancto Ioanne Euangelista; & à Beato Paulo. *Et veri*, inquit, *tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo*. Tabernaculum, inquit Athanasius, dicit caelum, quod non curauit homo, velut in terra facere solent Ecclesiarum templa. Absque manibus factum est, vtpote quod fabricatum, confirmatumque sit verbo Dei. Est aliud etiam caelum Ecclesia Christi, quam ipse Rex, & Dominus omnium Christus IESVS hoc nomine saepe vocauit, in terris nusquam antea B audito: quam tamen futurum saeculum appellauit Isaias, & Christum eius Regem Patrem futuri saeculi: quia nimirum Ecclesiae sanctae leges, ordo, hierarchia, proportio, & harmonia à futuro pendent saeculo, eique sunt haec omnia quàm simillima. Quae omnia particulatim examinanda iam sunt.

S. Hierony. super Isaiam. Apocalyp. 15. ℣. 5. Hebr. 8. ℣. 2. S. Athanasius quaest. 106.

ECCLESIA *dicitur regnum caelorum.*

Isai. 9. ℣. 6.

DE ISRAELIS C

CIRCA TABERNACVLVM *castrametatione, militum copiis, & ducum insignibus.*

Cap. XXIX.

MOS est Architectis antiquus, maximi alicuius aedificij structuram aggressuris, vt eius ideam, & imaginem, ductis in tabula lineis, primum D exprimant sub modica quadam forma, quae delineamenta postmodum maius quoddam, & exactum magis, atque ex solidiori materia confectum sequatur exemplar. Quem morem tenuisse videtur Dominus in Ecclesiae Catholicae sumptuosissimo aedificio construendo, cuius lineamenta quaedam tabulis illis tabernaculi expressa à Moyse produci mandauit: quae lineamenta, aedificij deinde exemplar, & imago consequeretur duplicatis dimensionibus, solidiori materia, maiori sumptu, & apparatu. hoc autem est, templum a Salomone constructum, eo- E dem ipso Architecto, infinitae sapientiae Deo, exemplaris magistro, qui prius fuerat delineationis auctor. Necesse erat, inquit Philo, vt qui templum manu factum Patri omnipotenti condere instituerant, sumerent aliquid essentijs simile, ex quibus mundus est conditus. Sic igitur tabernaculum ad templi modum fuit adornatum. Haec ille. Quibus facile confirmari posse, quae diximus, arbitramur.

TABERNACVLVM *templi descripta forma est, hoc Ecclesiae exemplar.*

Philo lib. 3. de vita Mosis.

Atque vt Ecclesiae sanctae ordinem, mirabilemque dispositionem inuestigare possimus, examinanda inprimis est tabernaculi, & templi similitudo, quae ab omnibus facile admittitur, atque in promptu est ex ijs, quae perspicua sunt omnibus: verum cum ignota fuisset adhuc atriorum forma, ac figura, ignota quoque fuit eorum in tabernaculo obumbratio: itaque quàm breuissime nunc insinuare illam statuo.

Fuit quidem, quasi primum atriorum templi schema, castrorum Dei circa tabernaculum dispositio. Populum enim Dei ex Aegypto primum egressum exercitum appellatum fuisse, compertum est: *Eadem*, inquit, *die egressus est exercitus Domini de terra Aegypti*. Et quidem merito hoc nomine censetur populus, in quo infinitae propemodum militum copiae recensentur, & quae castrorum more semper ordinatae procedunt. Filij vero Israel in Exodo computantur, *sexcenta fere millia peditum*. At in Numeris cum castrametati iussi sunt, atque ordinem exercitus accuratius obseruare: *Hic numerus*, inquit, *filiorum Israel, per domos cognationum suarum, & turmas diuisi exercitus, sexcenta tria millia, quingenti quinquaginta. Leuitae autem non sunt numerati inter filios Israel: sic enim praeceperat Dominus Moysi*. Quibus addendos fuisse putat Tostatus eos, qui propter adoratum vitulum iussu Domini, Moyse vrgente occisi sunt. hi autem fuerunt viginti fere tria millia virorum. quot nimirum computantur in Exodo. nobis autem Vulgate nostrae auctoritas omnibus alijs praeferenda est, quamtumuis reluctentur Hebraei, aut Graeci codices. Leuitae porro à trigesimo anno vsque ad quinquagesimum numerati sunt octo mille quingenti octoginta, vt habetur in Numerorum libro: omnium igitur bellatorum numerus, qui in castra redigebatur, fuisse deprehenditur centum triginta supra sexcenta triginta quinque millia.

ATRIA *templi quomodo in tabernaculo primum fuerint insinuata*

POPVLVS *Israel exercitus appellatur.*

Exod. 12. ℣. 41.

Exod. 12. ℣. 37.

Numer. 2. ℣. 32. & 33.

Abulensis.

603550
23000
8580
635130

Exod. 32. ℣. 28.

AVCTORITAS *Vulgatae omnibus codicibus praeferenda est.*

Num. 4. ℣. 48.

Quod si vniuersam multitudinem Aegypto egressam, ea ratione, quam ingeniose inuentam, & numeris omnibus absolutam tradidit noster Pererius, computare velimus, egressarum ab Aegypto animarum facile computabitur numerus fuisse decies & quinquies centena millia, & octoginta septem millia, ac praeterea octingenti viginti quinque. Aggregatum praeterea his est promiscuum vulgus innumerabile quod, vt Sanctus Hieronymus arbitratur, Aegyptiorum, Aethiopum, & variarum gentium fuisse putandum est, quae à falso idolorum cultu ad veram Dei creatoris omnium religionem, & cultum cum Hebraeis ipsis translatae, eos propterea consectabantur. Itaque si egredientium multitudo vniuersa plus, minusue computetur, minime improbanda videtur illorum sententia, quam nec ipse, quem ante laudaui, Pererius improbauit, qui vniuersam illam multitudinem peruenisse arbitrantur ad tricies centena millia hominum.

Pererius Disput. 17. in Exod.

1587825

NVMERVS *animarum Aegypto egressarum.*

S. Hierony. Nahum. 3.

QVOD *vulgo diceremus, tres millones de almas.*

Quod si admirabilis est tanta militum copia: multo certe admirabilior erit castrorum ordo, ac descripta dispositio à summo omnium Imperatore, fortissimo Deo Israel, qui exercitum quadrato schemate fieri praecepit à Moyse, militiae praefecto. *Singuli*, inquit, *per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filij Israel per gyrum tabernaculi foederis*. Sed quia longum esset singula persequi, quae in textu habentur expressa; ea summatim huc referam, quae particulatim poterunt in sacris Biblijs legi. Ad Orientem Iudas figebat tentoria, & iuxta eum tribus Issachar, & Zabulon. Ad Meridiem Ruben cum Simeone, & Gad.

Numer. 2. ℣. 2.

DISPOSITIO *tribuum circa tabernaculum.*


& Gad. Ad Occidentem Ephraim, Manasses, & Beniamin. Ad Aquilonem denique Dan, Aser, & Nephtali, vt subsequens castrorum Israel figura demonstrat. Ex ijs autem quatuor principes Iudas, Ruben, Ephraim, & Dan, in angulis fixere tentoria: latera vero complebant binae illae numeratae ordine suo tribus.

Singuli porro duces exercitus vexilla sua in aëra sustulerunt, ac parentum, maiorumque stemmatis insignia: quod illis verbis videtur à sacro Textu indicari: *Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum.* Vel, vt habent Hebraea: Vnusquisque super vexillum suum in signis domus patrum suorum castrametabuntur filij Israel. Sed inter omnia vexilla, A illa potissimum eminebant, quae in quatuor castrorum angulis à quatuor primis principibus, quos enumeraui, erigebantur. Ad Orientem super tabernaculum Naasson primogeniti Iudae vexillum effulgebat viridis coloris: in viridi namque lapillo, qui smaragdus appellatur, parentis sui nomen descriptum erat in rationali iudicij, quod summus Sacerdos gestabat in pectore: in quo, quasi in Pontificia bulla, Israeliticae nobilitatis antiqua iura continebantur. In vexillo autem Iudae insigne nobilitatis erat Leo: leoni enim comparauerat illum Israel, seu Iacob pater eius, quando nimirum tanquam omnium parens, & princeps singulis propria stemmata distribuit: vnde ex hoc reliqua licebit rimari.

SIGNA, ET vexilla Ducum.

Genes. 49. ℣. 9.

CASTRA TRIBVVM ISRAEL CIRCA TABERNACVLVM FOEDERIS.



IACOB quippe summus Imperator duodecim filijs suis propria distribuit nobilitatis stemmata.

Ad Meridiem deinde eminebat supra tentorium Elizur filij Ruben rubrum colore vexillum, quod referebat sardium rationalis lapillum, quod illi obtigerat: eius autem insigne fuit humana facies, vt pote qui primogenitus esset, & veluti caput totius domus Israel.

Ad Occidentem supra tentorium Elisama filij Ephraim vexillum collucebat aureum, chrysolithum referens rationalis, in quo descriptus erat: habebat vero pro insigni nobilitatis vitulum, cui comparauerat eum Moyses, cum tribus prophetice benedixit, haud secus quàm fecerat prius illorum parens Iacob: *Quasi primogeniti tauri*, inquit, *pulchritudo eius* &c. *Hae sunt multitudines Ephraim* &c. Denique ad Aquilonem super tentorium Ahiezer filij Dan effulgebat diuersi coloris vexillum, ex albo nimirum, & rubro colore permixtum, iaspidem referens eiusdem rationalis. Hunc sic interpellat parens Iacob: *Dan iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Quae ad ingenij acumen, & bellicam fortitudinem, atque industriam singularem referenda esse merito putarunt Doctores illi, qui cum Sancto Hieronymo arbitrati sunt ad fortissimum Samsonem referendam esse huiusmodi prophetiam. Quae duo cum maxime in aquila sint conspicua, propterea creditum est ab aliquibus, Dan, quòd cerastem in vexillo pingere recusaret, aquilam effinxisse pro serpente. Aquilarum autem plura genera facit Plinius. Melaenaetos, inquit, a Graecis dicitur, eademque valeria, minima magnitudine, viribus praecipua, colore nigricans: sola aquilarum foetus suos alit, ceterae, vt dicemus, fugant: sola sine

Deuteron. 33. ℣. 17.

Genes. 49. ℣. 17.

S. Hierony. de trad. Hebraic. in Genes. Euseb. Emissenus Strabus. Honcala. Pererius in Genes. Bellarminus lib. de Rom. Pont. cap. 12. Plinius lib. 10. cap. 3. & 4.

BENEDICTIO Dan ad Samsonem refertur
AQVILARVM pluria genera.

clangore, sine murmuratione conuersatur autem in montibus. Hanc cum ceruis pugnam esse tradidit: Nec vnus, inquit, hostis illi satis est, acrior est cum dracone pugna, multaque magis anceps etiamsi in aëre. Qua hic consectatur aquilae auiditate malefica, at illa ob hoc rapit vbicumque visum. ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans vt simul decidat. Hanc porro pugnam, & aquilae astum eleganti versu descripsit Ouidius:

Ouid. lib. 4. Metam.

Vtque Iouis praeceps vacuo cum vidit in aruo,
Praebentem Phoebo liuentia terga draconem,
Occupat aduersum, neu saeua retorqueat ora,
Squamigeris auidos figit ceruicibus vngues.

Quae omnia apte, si conferantur, in vnum Samsonem conueniunt. sed multo magis in eum, B quem Patriarcharum omnes prophetiae respiciebant. Ac propterea attentius audiendus est Beatus Hieronymus, qui praedictam Israelis prophetiam sic exponit: Videns ergo, inquit, nomine Iacob loquens, tam fortem Nazaraeum tuum, quod & ipse propter meretricem mortuus est, & moriens nostros occidit inimicos, putaui, ô Deus, ipsum esse Christum Filium tuum: verum quia mortuus est, & non resurrexit, & rursus captiuus ductus est Israel; alius mihi Saluator mundi, & mei generis praestolandus est, vt veniat cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. Quae sane Samsonis mortui, nec resurgentis collatio cum Christo, qui mortuus est, & resurrexit, si in C aquilae persistamus allegoria: huius quidem renouata est *vt aquilae iuuentus*, illius non item.

S. Hierony. vbi supra.
CHRISTVS Patriarcharum benedictionibus indicatur.
Psalm 102. ℣. 5.

Verum hanc Christi, & aquilae similitudinem persequitur Sanctus Ambrosius, tum in multis alijs, tum vero in ea, quam dixi, draconis pugna: Et vt aquila, inquit, serpentes deuorat, & eorum venena calore concoquit interno ita & Christus Dominus noster dracone percusso, idest, diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tamquam perniciosum virus extinxit. Sicut Apostolus ait: *Et de peccato damnauit peccatum in carne sua.*

S. Ambros. 2. lib. de Salomone cap. 2.
CHRISTVM refert aquilae, & draconis pugna.
Ad Roman. 8. ℣. 3.

Quae omnia facile suadent, quam dixi de D aquila in vexillis conjecturam. quamue postea aemulatae sunt gentes, Romani praesertim, de quibus haec scribit Iosephus: Et post hos circum aquilam signa alia, quae omnibus apud Romanos agminibus praeest, quod vniuersarum auium regnum habeat, & sit validissima. Itaque illam & principatus insigne putant, & omen victoriae. Haec ille. Cuius exempla plurima licuit Romae videre in arcu maxime Constantini. Haec autem omnia in hac prima castrorum dispositione quadruplici ostenduntur Cherubinorum facie, de quibus saepe alias locuti sumus. Sed ad castrametationis seriem absoluendam veniamus.

AQVILA Romanorum insigne.
Ioseph. 3. belli. cap. 5.

Fuit in castrorum medio Regium illud Dei Is- E rael, ac Domini exercituum fixum tentorium: super quo quasi vexillum Regium, quod omnis exercitus sequeretur, ignea noctu splendescens columna, interdiu vero obumbrans nebula conspiciebatur, quam nec tenebrae noctis occultarent, nec Solis radij videntium oculos ita perstringerent, vt impedimento essent, quo minus in illam intendi perpetuo possent, quasi illius iussa singulis quibusque horis, atque momentis expectantes. Huiusmodi Regium tentorium, hoc est, tabernaculum foederis, propius ambiunt quatuor illae electae, ac diuino cultui deuotae, dicataeque phalanges, omnes ex tribu Leui. In Orientali e- A nim angulo Moses, & Aaron: in Meridiano filij Caath, in Occidentali filij Gerson, in Septentrionali denique filij Merari. Quae omnia suprapositae figurae attenta meditatione multo facilius percipientur, quàm longioris commentarij lectione.

DEI OPTIMI, summique Imperatoris fuit columna ignis, & nubis.

TEMPLVM HIEROSOLYMITANVM CASTRIS praedictis, & tabernaculo, sicut mundus hic vniuersus, referebatur.

Cap. XXX.

IAM vero in praedicta castrorum dispositione nihil temere, nihil omnino sine magno consilio decretum est: quippe cum ipsam mundi fabricam infinita Dei sapientia in principio conditam ipsa prima facie repraesentaret. Inea enim primum videmus sublunarem hunc mundum C sectum in quatuor simplicia corpora, aut elementa, a caelestibus orbibus contineri, ac cingi duodecim Zodiaci signis, haud secus quam in castris deuota Deo, Deique cultui perpetuo dicata Sacerdotalis tribus in quatuor, vt dixi, veluti phalanges distributa, à duodenis reliquis tribubus cingebatur, quarum duces quatuor, ipsorum signorum nomina, & insignia gestasse videntur, qui tamen in vexillo Aquilam depinxit, vt aliàs dixi: Iudas videlicet Leonis, Ruben Aquarij, Ephraim Tauri, Dan Scorpij. nam & reliquis tribubus cetera signa tribui possent, singulis nimirum singula, vt mox ostendam.

MVNDVS qua ratione in castris repraesentaretur.

Et quidem fuit acies haec miro, ac diuino or- D dine insignis, viribus potentissima, pulchritudine admirabilis: quippe quam iniquus ille Propheta Balaam admirans non potuit non laudare, dum dixit: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel: vt valles nemorosa, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quae fecit Dominus, quasi cedri prope aquas.* & quae sequuntur. Sed certe parum admodum esse videtur, quod exercitus hic vni Balaamo homini nequam placuerit, cum Deo ipsi, ac Domino exercituum ita cordi fuerit, vt dux esse voluerit, & amanter ab eo dici dux, & appellari dedignatus non fuerit: *Ergo*, inquit, *saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meae tu es*: Vel, vt habent He- E braea, dux adolescentiarum meatum, qui me vt parens optimus & genuisti, & educasti: cumque ad virilem aetatem peruenissem, primus me deduxisti vt antesignanus, & imperator meus, & contra aduersariorum incursus armis omnibus instruxisti.

Numeror. 24. ℣. 5.
CASTRORVM laus.
Ieremiae 3. ℣. 4.
DEVS DVX appellari petit.

Ad horum igitur castrorum, & tabernaculi similitudinem Salomon Dei iussu templum, eiusque atria construxit, vt in subiecta ad finem capitis huius figura poteris contemplari. Statuit igitur primum in medio atriorum templum tabernaculo simile, mensura tamen duplo maius, cui adiacet atrium interius, & ipsum quidem priori duplo etiam maius tum longitudine, tum

TEMPLVM tabernaculo simile.

laeua-

latitudine, superficie vero quadruplo maius: cuius quatuor angulos castella quatuor muniuit, haud secus, quàm olim quatuor Leuitici generis phalanges tabernaculi cornua tenebant. Et in his quidem castellis parem tribuit latitudini longitudinem, nimirum quinquaginta cubitorum, ne à sacro Mosis quinquagenario discederet. Atque, vt olim inter Leuitarum castra vnum intercessit tabernaculum, centum ipsis cubitis longum, latum vero quinquaginta: ita pari longitudine, ac latitudine porticus inter bina quaeque castella effecit.

Extra hunc ambitum duodecim castella aedificauit duodecim tribubus Israel, aut earum tentorijs respondentia, pari mensura, pari distantia, qua priora, paribus interpositis inter ea porticibus, & eiusdem mensurae, qua priores Leuiticas, vt dixi, constituerat. Porticuum vero altitudinem ipsius turris altitudine subduplo minorem fecit, vt vidimus. Qua in re ipsam quoque tabernaculi proportionem retinuit. Hoc enim, inquit Philo de tabernaculo scribens, decorum iudicauit opifex, dimidio contractiorem esse altitudinem atrij, vt tabernaculum duplo altius esset in conspicuo. Haec ille. Cuius rei rationem aliam ex ipsa mundi huius similitudine petitam obseruare licet in templo. cuius exterior facies centum viginti cubitos erigitur, quantus nimirum caelorum diameter esse putandus est, quorum circumferentia diuiditur in partes trecentas sexaginta, propter Solis motum, quo viginti quatuor horarum spatio orbem vniuersum conficit. qua ratione solent Astrologiae, & Mathematicae professores illas propterea gradus appellare. Sed moris esse sacrae Scripturae tertiam circumferentiae partem diametro tribuere, aliàs ostendimus: quod alienum esse ab historia censuerint Scriptores etiam sacri, exactiores supputationes recensere. Domus itaque centum viginti cubitos alta est, quot gradibus constaret ipse caelestium orbium diameter.

Philo lib. 3. de vita Mosis.

ALTITVDO turris dupla porticuum.

Ex qua vna re satis aperte indicaretur hanc esse domum Dei, qui, licet omnia repleat, & contineat, nulla tamen re continetur, aut circumscribitur: *Ergone putandum est*, inquit Salomon, *quòd vere Deus habitet super terram? si enim caelum, & caeli caelorum te capere non possunt, quantò magis domus haec, quam aedificaui?* Quod indicare videtur, domum, ipsa saltem partium enumeratione, non vno contineri hemisphaerio, sed vtrumque ab ipsa complecti. quod contra in atrijs accidit, quorum frontes sexaginta cubitos eriguntur; quippe quae humanae habitationi deputantur, cui terra data est, dimidiarum vero caelum quasi tabernaculum, aut extensum tentorium, quo operitur. Rem vtramque indicasse videtur Psaltes: *Caelum*, inquit, *caeli*, hoc est, caelum caelis supereminens, *Domino* celsissimam praebet habitationem: *terram autem*, demissam, atque infimam, *dedit filijs hominum* habitandam.

3. Reg. 8. ℣. 27.

DOMVS DEI quam late pateat.

Psal. 113. ℣. 16.

Illam porro caelestium signorum, ac tribuum similitudinem neque nouam esse, neque à nobis excogitatam, confirmari potest ex eo, quod disertis verbis scribit Philo: Perfectus autem, inquit, numerus duodenarius: quod testatur Zodiacus, in caelo circulus, illustratus tot sideribus: testatur etiam Solis ambitus. Nam intra duodecim menses circuitum suum peragit, & in totidem horas diurnas, nocturnasque tempus diuidunt homines. Moses quoque non parum laudat hunc numerum, descripta sua natione in tribus duodecim, & institutis duodecim propositionis panibus, & totidem lapillis cum suis sculpturis, qui in Pontificali veste talari circum rationale, quod vocant, intexerentur. Haec ille.

TRIBVS, ET signa caelestia similia sunt.

Philo lib. de profugis.

DVODENArius numerus.

Iam vero ne quis ipsas signorum configurationes denuo confictas arbitretur, aut sine firma aliqua, & naturali ratione, is audiat doctissimum & Sanctissimum Augustinum, qui cum impijs Manichaeis, qui suas blasphemias confictis quibusdam falsisque rationibus quasi ex Astronomia petitis contegebant, sic disputat: Quod si etiam locus ille siderum aries vocari posset, propter aliquam figurae congruentiam, neque huiusmodi timeret sermo Diuinus aliquam Sacramenti similitudinem ducere; sicut de alijs, non solum caelestibus, sed etiam terrestribus creaturis, sicut de Orione, & Pleiadibus &c. Haec ille. Hinc si ex figuris stellarum in caelo dispositione quadam indicatis, similitudines assumere Diuinus sermo non refugit: quis non videat ex caelestium signorum figuris, quatuor, quos enumeraui, principibus eandem datam fuisse vocum similitudinem, nimirum, Leonis Iudae, Aquarij Ruben, Tauri Ephraim, & Scorpionis, siue Cerastis Dan? in reliquis enim ordine dispositis tribubus non sunt omnino absimiles translationes, quarum nonnullas, breuitati consulens, in ipsa figura tantum adnotaui. plures enim possent ex alijs sacrae Scripturae locis, ipsis etiam signis assimilari.

S. August. Epist. 119.

SIGNA ex caelesti configuratione desumpta.

Nam Beniamin quidem plusquam effraenata libido, quae vsque ad foeminae internecionem efferbuit, equino monstro repraesentatur: quod scelus tueri non destitit, donec viginti millia coëgit expeditorum militum: *praeter habitatores Gabaa, qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, vt dextra praeliantes: & sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur*. Quae quis non videat omnia ad viuum exprimi Sagittario? Denique Zabulon, qui decimus fuit, ordine generationis, filius Iacob, decimum sortitus est signum: habitationemque, & stationem illi pollicetur parens in maris littore; ac si statione sua imum solstitium indicaret. nam ipsa signorum solstitia coniunxit in medio Orientali latere, aequinoctia in eadem recta linea collocauit, vernum à Meridie, hybernum à Septentrione, sicut etiam solstitia collocauerat, aestiuum ad Boream, hybernum ad Austrum.

LIBIDO Ephraim equino monstro indicata.

Iudic. 20. ℣. 15. & 16.

Verum inter castella, quae caelestia signa denotant, & ea, quibus elementa indicantur, interiacent porticus, quae columnarum multitudine, multiplicique, ac vario ornamentorum genere, & pulchritudine admirabili omnem rerum inferiorum harmoniam, & miram consensionem referunt. Atria vero septem nullus est qui non videat totidem indicare posse errantes stellas, quas planetas vocant Astrologi. Quaenam vero area, cui planetae assignetur, ex eo poterit constare, quòd ijdem, quos laudaui, Astrologi tradunt, singulos planetas singula signa in proprio domicilio sibi vendicare, nonnullos vero planetas bina signa, vt bene notatum est a nostro Clauio. Vt inter Capricornum, & Aquarium locetur Saturnus, Iupiter in Piscibus, Mars in Ariete, Venus in Libra, Mercurius in Virgine, Sol in Leone, Luna in Cancro.

CASTELLA duodecim signa denotant, & quatuor elementa.

ATRIA SEptem planetas indicant.

Clauius in Sphaeram.

At quoniam supercaelestis mundus Ecclesiae hoc

SOLIS LOcum sibi vendicat Dei sedes.

Ecclesiastes 1. ℣. 6.

Iacob. 1. ℣. 17.

Malach. 4. ℣. 2.


SOL IVstus, idest, iuste faciens discernere.

hoc ipso aedificio repraesentatur, in planetarum medio non est sol ille: *Qui oritur, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens gyrat per Meridiem, & reflectitur ad Aquilonem*: sed verus ille luminum parens, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Sol*, inquam, *iustitiae*: hoc est, Sol iustus, cuius lux iuste facit discernere, nec ei potest vlla oculorum obesse aut hebetudo, aut aegritudo, quippe cum radijs suae misericordiae omnes sanat languores, *& sanitas in pennis eius*. Hic igitur verus A Sol Christus, septem splendens luminibus septiformis gratiae, quam effudit in nos abunde, tanquam in medio duodecim signorum, sic olim in medio tribuum populi Israelitici visus est in figura, vt cum in medio duodecim Apostolorum visus fuisset in Iudaea Deus, adoraretur vt verus creator caeli noui, nouaeque terrae: quatuor stipatus veluti Cherubinis, Euangelistis ad quatuor mundi plagas euangelizare transmissis. Quae omnia, qua ex parte poterit, subsequens figura indicabit.

ECCLESIA Christi his omnibus signis indicatur.

EORVNDEM CASTRORVM DISPOSITIO, MVNDVM referens, & Templum.

Genes. 48. ℣. 5. & Cap. 49. ℣. 4. 7. 9. 13. 14. 17. 19. 21. Deut. 33. ℣. 26.



Neque vero in hoc aedificio humanis commodis, & vtilitati dicato humana deesse potuit similitudo, quasi minoris cuiusdam mundi, qui ex quatuor conflatur humoribus, vt elementis mundus, & duodecim stellis deducitur per septem vitae huius aetates. quarum prima, & in imbecilliori Lunari scilicet peracta, si ad dexteram dirigatur, non Mercurij inconstans, variaque conditio, lubrici

lubrici incertique mores, & ingenium sese of-
HOMO offerti sui hac dispositione admonetur. fert, vt extra hanc domum adolescentiae solet;
sed Solis *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Haec vero lux
Ioan. 1. ℣. 9. in domo Iudae apparet: nam cum olim *coram Ephraim, Beniamin, & Manasse* ad Occidentem
Psal 79. ℣. 3 manifestaretur, iam *Oriens* est *nomen eius*. *Repu-*
Zacch. 6 ℣. 12. *lit* enim *tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montem Sion,*
Ps. 77. ℣. 67 *quem dilexit*. Quae omnia ex ipsa figurae, quam proposuimus, contemplatione esse poterunt perspecta, in qua tribuum dispositio domum complet, quam reliquit Dominus, vt verum incole-
Ioan. 4. ℣. 23. ret Sionis montem in spiritu, in quo, & non in Ierusalem, adorant veri adoratores.

EX HVMANAE
FABRICAE SYMMETRIA
vniuersa templi dispositio desumpta est.
Cap. XXXI.

AD ipsam templi considerationem denuo redire compellimur, vt vnde exorta sit tam admirabilis structura, pensemus. Fuit quidem omnis templi structura ex antiqua castrametatione desumpta, vt propterea ipsum quoque templum castrorum nomine censeretur. *Ezechias autem*, inquit sa-
2. Paral. 31. ℣. 2. cer Historicus, *constituit turmas Sacerdotales, & Leuiticas &c. vt ministrarent, & confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini*. hoc est, templi. Quod sane nomen templo debetur, non
TEMPLVM castrorum nomine censetur. tamen propter antiqua Israelis castra, quae referebat, sed multo etiam magis propter Christi maiora, & pulchriora, quae in Catholica Ecclesia continentur. *Pulchra* est enim *vt luna, electa vt*
Cantic. 6. ℣. 3. *sol, terribilis vt castrorum acies ordinata*. Ex quo
ECCLESIA quoque castrorum nomine commendatur. factum esse videtur, vt huius militiae ductor Deus tanto eius amore caperetur, vt antiquum illud nomen, quo maxime gaudebat, Deus Israel, in nouum permurasse videatur, quo & antiquum respueret Israel, & nouum assumeret Deus dictus exercituum, Deus Sabaoth. Quod quidem no-
DEVS Sabaoth. men tamquam gloriosissimum, ac multa complectens plerumque ab Hebraeis mutuata est Latina lectio, alias enim varijs exercituum, virturum, ornamenti, militiae conuertit nominibus. Eis igitur vniuerse praelibatis, ad aliqua particulatim examinanda descendamus.

Omnem igitur architectandi rationem ex hominis symmetria, tamquam ex perfectissimo naturae aedificio, desumptam fuisse affirmat Vitruuius: atqui sublimioribus, atque certioribus ducimur
TEMPLVM ad hominis formam vniuersum conditum est. rationum momentis, ac testibus vt vniuersum hoc templi aedificium ad hominis formam, mores, officia, exactum esse non dubitemus, quod perfectis-

A simae creaturae inhabitandum dederit sapientissimus rerum omnium Opifex, & architectus Deus. Cuius quidem rei non pauca possemus in medium proferre exempla: plura tamen adinuenire poterit lectoris industria. quapropter pauca quaedam indicare decreui, & illa tantum, quae ad reliqua peruestiganda viam facilem, & expeditam possint aperire. A notioribus igitur exordiendum est. Et quidem saepe à Propheta nostro repetitum vidimus portae latitudinem fuisse quinque & viginti cubitorum, longitudinem vero quinquaginta, cui latitudine respondent atriorum, interioris, & exterioris porticus omnes. Vidimus etiam primum columnarum ordinem
B quinque & viginti cubitis fuisse dimensum, eiusque columnam cubitis celsam viginti.

Homo igitur labori, & quasi oneri deferendo HOMO labori ferendo idoneus 20. aetatis suae anno.
censetur idoneus vigesimo aetatis suae anno. qua quidem aetate Israëliticae militiae nomendabat, & Dei tabernaculo, vel templo censum pendebat dimidium videlicet siclum, siue didrachmum. At vigesimo anno nondum perfectam attigisse videtur aetatem, cum adhuc viribus excrescat, atque robore, & corporis magnitudine, quae vsque ad quintum & vigesimum aetatis annum completur: maneatque velut in statu vsque ad annum quinquagesimum, ex quo vires decrescunt, & fere deficiunt. Propterea à Domino con-
C stitutum est, vt Ecclesiasticae militiae, quae perfectior est saeculari, ante quintum & vigesimum annum minime adscribantur, neque post quinquagesimum seruiant. *Haec est lex*, inquit, *Le-* AETAS A Deo constituta saeculari, & Ecclesiasticae militiae Num. 8. ℣. 24. & 25.
uitarum. A viginti quinque annis & supra, ingredientur vt ministrent in tabernaculo foederis. Cumque quinquagesimum annum aetatis impleuerint, seruire cessabunt. Ipsius autem templi area, tamquam praesens vita, percurritur, atque adeo vitae symbolum haberi merito potest. Quapropter in primo ingressu portae quinque & viginti cubitorum latitudinem inuenies, veluti ingredientium ad ministeria aetatem; longitudinem vero quinquaginta, hoc est, egredientium annos. eadem-
D que est ipsa porticuum latitudo, in quibus vsque ad quinquagesimum annum ministeria peragunt. Columnarum porro altitudo tanta est, quanta & Israelitarum aetas, saecularis militiae pondus sustinere valentis: at perfectus ordo quinque & viginti cubitos altus est, citra quem annorum numerum nullus caelesti, hoc est, Ecclesiasticae disciplinae idoneus reputatur.

Est igitur, vt omnia compendio dicam, omne LEVITIcum ministerium in portis templi exercetur.
Leuitarum ministerium in portis atriorum, vel castrorum Domini exercendum, quae quinque & viginti cubitis latitudine, & altitudine, longitudine vero quinquaginta definiuntur, quoniam id omne ministerium intra quinque & viginti
E annos continetur, à quinto & vigesimo vsque ad quinquagesimum computatos. Qua etiam ratione Mosaici tabernaculi atrium, quod porticibus caruit, hoc eodem numero definiebatur. Non me latet maius quoddam, sublimiusque huius numeri sacramentum à Domino indicatum esse in Leuitico: *Sanctificabisque*, inquit, *an-* QVINQVAgenarij numeri sacramentum
num quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae: ipse est enim iubileus. Reuertetur homo ad possessionem suam, & Leuitic. 25. ℣. 10. & 11.
vnusquisque rediet ad familiam pristinam: quia iubileus est, & quinquagesimus annus. Hoc ergo indulgentiae numero dimensa est remissionis antiqua domus, quippe cum in lege quoque remissio

QVANTVM praestet remissionis gratia in Ecclesia anti quae Synagogae.

missio fieret peccatorum, non tantum vsque septies, sed etiam vsque septies septies, & eo amplius. quod indicat quinquagenarius numerus, qui vnitate superat septenarij quadratum neque vltra extenditur tabernaculi latitudo, quoniam nondum effusa erat in nos abunde gratia, & misericordia Christi. tunc enim praedicare licebat Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus peccatorum purgationem. At cum Rex pacificus aduenit, non praedicare solum statuit, sed & *purgationem peccatorum faciens* ostendere *supereminentem scientiae charitatem*: hoc est, eam, quae omni scientiae supereminet. Petro mandat vt ignoscat, *non vsque septies, sed vsque septuagies septies*. Et quamuis hic numerus indefinitam multitudinem peccatorum remittendam à Petro denotet, cuius in Ecclesia Catholica remittendi facultas, nulla vel peccatorum multitudine, vel magnitudine potest coarctari: tamen adhuc in ipso Salomonis templo, quòd propius hanc denotat Ecclesiae sanctae potestatis latitudinem, & longitudinem, ipsis quoque numeris voluit indicari, ita vt, facta cum tabernaculo collatione, quantum Ecclesia Synagogae praestet, facile dignoscatur. Fuit legis indicata remissio quinquagenario, quasi dicas septies septies, & adhuc semel remittebantur peccata: at in Ecclesia septuagies septies, & praeterea non semel, decies, hoc est, quingenties. qui quidem numeri omnes, ac singuli indefinitam quamdam multitudinem denotant, vt propterea praeceperit Deus Salomoni, vt atrium Israel quingentis cubitis longum construeret, & quingentis itidem latum, cuius exterior peribolus quingentis calamis vndique absolueretur, vt vidimus. Hac autem numerorum mira conformitate cum alijs omnibus, in quibus duplam quoque numerorum proportionem asseruari voluit Dominus, hoc ipsum indicari posse censuimus quod maxime attendendum, ac considerandum est, nimirum non aliam esse Ecclesiam nostram ab illa, quae tunc temporis erat sanctissimis quoque legibus instituta, sicut non alius, sed idem atque vnus omnino est huius, atque illius Ecclesiae Deus, ac Dominus, in eadem manens Deitatis, ac Diuinae naturae forma, quamuis *in similitudinem hominum factus* sit, *& habitu inuentus vt homo*.

Heb. 1. ℣. 3.

Ephes. 3. ℣. 54.

VSQVE septies, & septuagies septies quid denotet.

Matth. 18. ℣. 22.

NVMERVS quingentorum quid denotet.

Haec autem suauitate plena est humanitatis à Deo assumptae profunda consideratio, quae vna singulis fere templi partibus, atque mensuris indicatur. Nam si quamlibet porticum quinquaginta cubitis latam, centum vero longam consideres, eiusque latitudinem in tres diuidi ambulationes animaduertas, longitudinem praeterea in octo intercolumnia, siue vestibula partiri, attenta cogitatione contempleris: inuenies procul dubio partitiones has vniuersas humanae staturae mira proportione conformari, vt in subiecta licet imagine contemplari. Homo enim, vt auctor est cum multis alijs Vitruuius, sex pedibus altus est, tantumdemque extensa brachia protenduntur: quod si brachia in medio pectore ita complicentur, vt apex longioris digiti dexterae manus apicem etiam medij digiti sinistrae manus attingat, certe à cubito ad cubitum, tres pedes latus erit homo; quorum medius pes pectori datur, reliqui vtrinque brachijs ab humeris ad summos cubitos assignantur. qua ratione porticus diuiduntur in tres aequas ambulationes, pectori, & brachijs respondentes.


ASSVMPTA à Verbo humanitas singulis fere templi partibus indicatur.

Vitruuius.

HVMANI corporis symmetria.

Sed inprimis perpendenda est porticus longitudo in octo partes aequales distributa; vt in earum singulis columnarum centra collocarentur quia nimirum hominis caput à mento ad summum verticem, octaua est ipsius hominis pars: neque id tantum, sed vniuersa illius altitudo in aequales quodammodo partes, praecipuis quibusdam membris diuiditur, vt ea quae sequitur columnarum dispositio cum humana forma satis aperte indicat.

SINGVLARVM PORTICVVM, ET HVMANAE STATVRAE SIMILIS DISTRIBVTIO.



In omnibus denique fenestris, & portis, luminis altitudo ad latitudinem duplam seruat proportionem, propter similem hominis, quàm assignaui, dispositionem, quippe qui per eas ingreditur & egreditur, prospicit, atque in eisdem ab alijs spectatur.

QVID

QVID CALAMO SIGNIFICETVR, *qui aedificium omne partitur.*

Cap. XXXII.

DVM admiranda templi persequimur, in eius rei considerationem incidimus, quae B omnium est admirabilior; quippe quae vna illuminatae mentis oculis cernitur, ab aliorum vero omnium aspectu se subtrahit. agit enim de omnium, & singularum partium distributione, proportione, & ornamentis. quae, etiamsi alterius, ac multo longioris considerationis, & loci videantur esse propria tamen hic aliqua resumenda censuimus, & ea tantum, quae ad ipsius aedificij rationes, & reliqua ornamenta dignoscenda conducere summopere videbuntur. Illud autem inprimis sese nobis offert, quod omnium mensurarum, & partium modus esse videtur, & norma nimirum calamus, quem manu gestabat Angelus, Ezechielis ductor, eiusdemque, C ac nostri etiam doctor. Is enim calamus, haud secus, quàm Vitruuij modulus, quamlibet templi faciem, vel frontem in aequas partes distribuit: neque id tantum praestat, quod illi est cum praedicto modulo commune, sed etiam illud, quod est huius mensurae proprium; vt scilicet vniuersum aedificium interius, exteriusque, tum longitudine, tum latitudine, tum etiam, quod magis admirandum est, altitudine in aequas partes distribuat. Nam atrium Israel quingentorum cubitorum octoginta plene calamis vndequaque exaequatur area vero huius vnaquaeque in sexdecim calamos distribuitur. porticus praeterea latitudo in octo, quot scilicet calamis atrium gen- D tium continetur. huius vero atrij Gentium cum suo pariete porticum septem calamis dimetiuntur. denique exterior templi peribolus centum viginti calamis ab vtroque latere dimensa, atque descripta reperitur, quod quater ea, quae saepius diximus, Angeli mensura testatur. Accedit etiam quod ductis rectis lineis per huiusmodi calamorum terminos, area vniuersa templi in aequalia quadrata diuiditur, vt dixi quorum angulicolumnarum centra, latera vero medias portas, medias fornices, mediasque porticus contingunt, postremo ipsa quadrata parietum crassitudines, ac tandem omnes, quas radices vocant, aedificij construendi necessarias lineas exhibent. E

CALAMVS omnis distributionis est norma.

IDEM LONgitudinem, latitudinem celsitudinemque partitur.

Vidimus lib. 4. cap 70. huius.

COLVMNArum centra, parietum crassitudines, & mediae apertiones quomodo inueniantur.

Haec porro calami mensura non modo aream distribuit, vt dixi, sed erectam etiam porticuum, & domus vniuersae celsitudinem. nam primus atriorum ordo quatuor constat calamis, secundus tribus, primus ordo turris octo calamis exaequatur, secundus vero sex; ac demum omnia, & singula aedificij huius membra hoc vno calamo dimensa esse videntur. Hoc enim maxime decuit Deum Optimum, Maximumque, eundemque sapientissimum rerum omnium opificem, & huius aedificij Architectum, in quo rerum omnium imago quaedam, ac similitudo continetur. Quae A vna mensura facile nobis indicare poterit, à Deo omnia, pondere, numero, atque mensura eadem condita fuisse, & aeque librata, mensurisque omnibus absoluta, nimirum Diuina sapientia. Et quidem à Deo architectatum aedificium non alia decuit siue proportione, siue symmetria dimetiri, quàm hac tam concordi plurimarum partium differentia, ac rerum diuersissimarum mira concordia.

IN HOC aedificio rerum omnium imago quaedam continetur.

CONCORS differentia rerum.

Illud vero maxime animaduertendum est, quod aurea haec calami mensura, quae caritatem denotat, qua dimensum legimus templi vestigium, siue cursus terrenae huius habitationis, illa eadem metitur futurae illius celsitudinem: *Caritas enim*, Apostolo attestante, *numquam excidit.* Atque adeo atriorum ordo quater calamum continet, qui corona donatos iustos quoslibet significat, vt mox ostendemus. Ipsa vero sempiternae gloriae participatio, qua *Diuinae consortes naturae* efficimur, quod patriae futurum est praemium, ipsa Dei domo, ac singulis eiusdem mensuris, & partibus pene describitur. quae octonario, hoc est, pleno, perfectoque calamorum numero continetur ex parte, hoc est, ordine primo: at vniuersa domus omni quodammodo caret mensura, ac si infinita res esset. vtrumque enim aeque promissum est, & dimensum. *Qua mensura*, inquit Dominus, *mensi fueritis* amorem vestrum, & caritatem Dei, *eadem remetietur vobis*, non ad mensuram modo, etiamsi *confertam, & coagitatam, & supereffluentem*: sed ad eam, quae quippe *aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* hoc enim totum numero centum viginti cubitorum celsitudinis indicatur; quem numerum calamus ille non dimetitur. Neque vero praemium solum dicetur immensum, sed ipsum etiam Christi meritum, quo mediante illud à nobis acquiritur.

CARITAS terrenae, & caelestis habitationis est mensura

1. Corinth. 13. ℣. 8.

2. Petri. 1. ℣. 4.

Marc. 4. ℣. 24.

Lucae 6. ℣. 38.

2. Cor 4. ℣. 17.

ALIQVOS numeros calamus non metitur, & quare.

Verumenimuero a summis iterum descendamus ad ima, vt hinc iterum altius subleuemur ad summa. Non semel, sed saepius indicauimus mensuris his omnibus hominem ipsum referri. Et quidem constat primus atriorum ordo calamis quatuor, tot humoribus homo, totidem elementis mundus. idem praeterea ordo cubitis quinque & viginti, postium vero stylobatae sunt cubitorum quinque. quorum omnium ratio reddenda nunc est. Elementarem quamlibet quadratam naturam summo rationalis naturae gradu superat homo, vt apte quinario repraesentari posse videatur, non quidem simplici, sed in se ducto: quinquies enim quinque efficiunt quinque & viginti, primi scilicet ordinis altitudinem.

TEMPLI, & hominis collatio.

Sed praestat fortasse quaternarium elementaris naturae homini tribuere, quinarium vero Christo, qui humanam naturam Diuinae copulauit in Verbo, atque adeo Christianum hominem, vel, vt proprie magis loquar, viuum Christi membrum vicenarius repraesentabit, qui ex ducto quinario in quaternarium resultat, quanta nimirum est omnium columnarum primi ordinis celsitudo. At cum Christi Domini auxilio, ac singulari gratia victoriae palmis, suauique operum suorum fructu coronabitur homo, quintus accedet coronae quinarius qua ratione vniuersa ordinis celsitudo ad quinquies quinque pertinget, hoc est, ad quinque & viginti, quanta videlicet est primi ordinis atriorum celsitudo.

DVCTVS quaternarij in quinarium quid significet.

Quod si quinario accedat trina dimensio, hoc est, si quinarius bis in seipsum ducatur, quinquies quinque efficiunt quinque & viginti: qui

numerus

numerus iterum in quinarium ductus complet A centum viginti quinque, cubum scilicet quinarij, eandemque turris cum fastigio celsitudinem designat: hoc est, totum Christi corpus, quod est Ecclesia, *compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis: donec occurramus omnes in virum perfectum*, hoc est, vt ex omnibus componatur perfectus vir *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*, in mensuram pleni Christi, perfecti scilicet Christi aetate perfecta. Quod quidem Ecclesiae perfectum corpus ipso Christi corpore, tamquam capite perficitur; hoc est, quinario frontispicij, *ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. De quo nos infra.

CVBVS quinarij vniuersam denotat turris celsitudinem

Ephes. 4. ℣. 12.

Ephes. 2. ℣. 20.

Cap. 34. huius libri.

Sed priusquam ab ipsa calami consideratione B recedamus, expendendum est, & quidnam senarius cubitorum numerus in eo denotet, quidue illis superaddita quarta pars cubiti. Est quidem senarius perfectus numerus perfectione quadam sibi à natura indita, verum perfectior multo esse videtur ex eo, quod rerum vniuersitatem dierum senario conditam denotat, & hominem praecipue, in quo rerum creatarum species omnes perfectissime continentur. Porro hic numerus senarius denario multiplicatus, qui est numerorum vltimus, naturali quadam perfectione auctus sexagenarium complet; hoc est, tres ordines atriorum. Quod si hic homo Christo Domino, & fidei, & caritatis vinculo vniatur, quasi no- C uus euadet homo, priorem quidem non deserens perfectionem; quam facile indicabit numerus duodenarius. Quod si fideles omnes in vnum Christi, veluti aptentur corpus quasi denario aucti, ad centum viginti cubitos ascendent, quanta erat celsitudo turris. Quae omnia ex integris sex cubitis calami videntur constitui.

DE SENArij numeri perfectione.

At quid est, inquies, quod Dominus quartam illam cubiti partem, vel numerum illum, quem vocant fractum, calamo superaddi constituerit? numquid non potuisset alium quemcumque numerum integrum eligere, qui numeros omnes partiretur, si non eos, quos elegit Dominus, saltem alios, quos eligere potuisset? Potuisset qui- D dem: verum haec ipsa numeri fracti electio mysterio non vacat suo: peccatores in spem erigit, atque solatur. Nam si per integros calami numeros eos iustos intelligas, qui, quam semel à Christo, & per Christum gratiam consequuti sunt, numquam amiserunt: illi quidem numerum turris centum viginti cubitorum complebunt, At Christi calamus peccatores per poenitentiam iustificatos etiam metitur: confracti sunt illi quidem, sed Christo Deo gratiam suam largiente fient integri, & fiet ex omnibus quinarius: ac sanguine Christi ex quinque praecipuis fontibus manante instaurabuntur, vt fiat multo solidior, ac dignior numerus, quàm fuisset antequam rumperetur. E

QVID DEnotat quarta pars cubiti sex calamis superaddita.

Verum hanc Diuinae domus celsitudinem, qua tum iusti per gratiam, tum peccatores per poenitentiam iustificati ex gratia recipiuntur, indicauit Dominus celebri illa conuiuij parabola, quam particulatim descripsit, & ad rem, de qua agimus, satis apte explicauit Sanctus Lucas Euangelista. Seruus enim ille, cui iniunctum à Rege fuerat, vt ad conuiuium vocaret omnes, etiam *pauperes, ac debiles, & caecos, & claudos* vt hac ratione nullus fere ab huius conuiuij participatione, praeter illos, qui venire noluerint, videatur excludi, dicit nihilominus: *Domine, factum est, vt imperasti, & adhuc locus est*. Quae quidem occasio fuit explicandi Diuinae caritatis latitudinem immensam. *Exi*, inquit, *in vias, & sepes: & compelle intrare; vt impleatur domus mea* siue donec impleatur domus mea.

Lucae 14. ℣. 21.

PARABOLA conuiuij effusam Christi in nos caritatem denotat.

Huc etiam referri potest, quod paulo ante afferebamus ex Paulo: *In mensuram aetatis plenitudinis Christi*. ac si dicat, Donec componatur ex iustis, qui non amiserunt gratiam, quam semel habuerunt a Christo, & ex peccatoribus iustificatis in Christo per poenitentiam, ac per sanguinem Christi, vnum perfectum corpus Christi, vnus plenus, atque perfectus Christus.

Ephes. 4. ℣. 13.

Sed nihilosecius aliam inuenire licet rationem, propter quam calamo quarta pars cubiti fuerit superaddita: quia nimirum senarius cubitorum numerus quinquagenarium indulgentiae numerum explere minime potuisset, aut centenarium vniuersitatis, aut quingentesimum, qui, vt dixi, perfectum mysticum Christum repraesentat. Id quod de alijs quoque numeris huius aedificij proprijs dicendum esse perspectum est. Sed à calamo ad ipsum aedificium expendendum, gradum tandem aliquando faciamus.

QVOD CHRISTVS DOMINVS VNIVERSO *templi aedificio repraesentetur.*

Cap. XXXIII.

VNIVERSO hoc aedificio Christi corpus repraesentari, decreuit, & voluit Deus, vt omnibus vbique fidelibus esset vsquequaque perspectum. Primo enim Iudaeis signum petentibus potestatis, ac iurisdictionis, qua fretus Christus Dominus ementes, & vendentes de templo eijceret, respondit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Iudaeorum vero in- scitiam redarguere videtur Sanctus Euangelista Ioannes, quòd illa de templo illo marmoreo intelligerent, dum subdit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Praeterea falsitatis conuincuntur a Sancto Matthaeo Euangelista duo illi falsi testes, qui nouissime venerunt Christum Dominum accusaturi, dicentes: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reaedificare illud*. Hi cum verba referre videantur illis similia, quae à Christo dicta fuerant, quid sit certe, quòd falsi dicantur testes hi, inquirunt Doctores Sancti, Hieronymus, & Chrysostomus, alijque permulti, necnon Origenes, Beda, Theophylactus, Euthymius. Et huius falsitatis tres potissimum assignant

Ioan. 2. ℣. 19.

TEMPLO corpus Christi significatur.

Matth. 26. ℣. 61.

QVARE dicantur falsi testes, qui verba Christi videntur referre.

S. Hierony.
S. Ioann. Chrysostom.
Beda.
Theophylactus.
Euthymius.

assignant rationes, quòd malo animo, quòd diuerso sensu, quòd alijs verbis retulerint. Beatus Anselmus autem. Falsus testis, inquit, est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui.

S. Anselmus hic.

Sed quid mirum, inquies, si difficile quoddam aenigma Iudaei non intellexerint, quod ipsi etiam Discipuli Christi tunc solum intellexisse dicuntur, cum Christus à mortuis resurrexit, hoc est, non prius? Cui dubitationi non alia ratione videtur posse responderi, quàm si dicamus, Dominum ita perspectum esse voluisse omnibus templo illo manufacto corpus Christi non manufactum designari, vt cum absolute, nullaque addita ferè explicatione de templo loqueretur, id primario de vero corporis sui templo locutus fuisse intelligeretur. Ac nisi malus animus, peruersaque tum Pharisaeorum, tum testium voluntas intercessisset, iam facile cognouissent de templo corporis sui locutum fuisse Christum, non de lapideo illo templo sex & quadraginta annis aedificato.

Et cum in omnibus quidem tum partibus, tum mensuris haec corporis Christi repraesentatio facile dignoscatur, in ipso potissimum templi vestigio, illa eadem fidelium oculis sponte se obijcit. Nam si in ipso vestigio extensum Christi corpus, vt in cruce positum fuit, imagineris: deducet quidem manum dexteram ad portam Meridianam, sinistram vero ad Aquilonarem, pedem denique vtrumque ad Orientalem. vt indicetur per manus quidem Christi, perque eius pedes non minus amoris, quam ferreis doloris clauis apertos. tanquam per ostia quaedam perpetuo patentia facilem nobis ad Patrem accessum patere, & aditum ad reconciliationis domum adeundam, ac denique ad felicissimam patriae quietem consequendam. Non enim casu, aut temere factum est, vt in tribus his portis medius postis, quem radices lineae exigere videbantur, vt dixi, sublatus sit, sed consulto, vt nimirum sacratissimae illae portae clauis in carne Christi pro totius mundi salute patefactae repraesentarentur. Sed vlterius in dicta similitudine progrediamur.

IN VESTIgio templi exemplar corporis Christi obseruatur.

PER MAnus, & pedes Christi patet aditus ad Patrem.

Supra lib. 3. huius partis. cap. 29.

Caput vtique Christi ad Sanctum Sanctorum pertinebat, vbi sedes est Dei: *Caput* enim, vt ait Sanctus Paulus, *Christi Deus*. Altare autem holocaustorum in medio Christi pectore manebit, in quo oblatum est illud sacrificium laudis, cuius meminit apud Prophetam Dominus: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter*, ipse enim Christus Dominus est via, & aditus, *quo ostendam illi salutare Dei*. hoc est, Saluatorem Deum. Iesum videlicet, à salute sic dictum. Hoc est enim sacrificium in Cruce oblatum, de quo idem Psaltes dixerat: *Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas*. Vel, vt habent Hebraea: Placebit Deo plusquam oblatus taurus, cornutus, ac bifidus. Quo vno sacrificiorum maximo, atque gratissimo omnia antiquae legis sacrificia sustulisse videtur Deus, eisque omnibus hoc vnum praetulisse summi, & aeterni Sacerdotij Christi, qui *per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, aeterna redemptione inuenta*. Cum enim omnia legis sacrificia, immo etiam cuncta filiorum hominum holocausta conceptam in corde Dei indignationem aduersus humanum genus peccatis obnoxium, sedare minime potuissent, ideo venit Fi-

1. Corinth. 11. ℣. 3.

ALTARE holocaustorum quid referat.

Psal. 49. ℣. 23.

Psal. 68. ℣. 32.

Hebr. 9. ℣. 12.

ANTIQVA sacrificia Deum placare minime potuerunt.

A lius Dei factus per assumptam humanitatem filius hominis, qui vnus potuit pro omnibus abundantissime satisfacere. Quod sane argumentum mirifice persequitur Paulus: *Impossibile est enim*, inquit, *sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata ideo ingrediens mundum dicit. Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi* &c. *Aufert primum vt sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*. Non enim, inquit Anselmus, reuera talibus hostijs delectatus est Deus: sed praecepit eas ad significandam veram hostiam Christi. Ideo enim altaris illius aenei oblationes, sacrificia, & holocausta Deo olim placere

B potuerunt, quòd offerendum referebant, vt dixi, in corde Christi sacrificium immaculatum.

Hebr. 10. ℣. 4. & 9. & 10.

Psal. 39. ℣. 7.

S. Anselmus.

Manet denique à latere altaris dextro vas illud aeneum, immensam propemodum capiens aquarum copiam, qua de causa ab Hebraeis mare dictum est: cuius quidem locum disertis verbis exposuit liber Regum, vt eadem singula & immutata referenda fuerint ab auctore libri Paralipomenon. *Mare autem posuit*, inquit, *ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem*. Ac si dicat, In interiori atrio, quod erat coram templo: in angulo Meridiano, & Orientali. vt in vniuersali vestigio templi, & in vestigio atrij interioris perspectum esse poterit intuenti.

MARE AEneum quid denotet.

3. Reg. 7. ℣. 39.

2. Paral. 4. ℣. 10.

LOCVS MAris aenei in atrio interiori.

C Sed quid causae fuerit cur Salomon non in eodem loco mare constituerit, quo Moyses olim in tabernaculo suum labrum, quod huic nostro mari Salomonis vsu respondebat, materia, & forte etiam ornamentis, ac forma, non vsquequaque constat cum de illo scriptum sit. *Ponesque illud inter tabernaculum testimonij, & altare*. Nisi forte hoc ipsum, quod modo inquirimus, mysterium magis proprie in templo repraesentatum fuisse dicamus, vt maris ingens aquae copia ad purificandos Sacerdotes deputata, sanguinem, & aquam è Christi dextro latere manantem referat, quo vniuersum humanum genus ablui, & super niuem dealbari valuisset. atque adeo Do-

D mino vota sua in cordis altari reddere, & in domum propitiationis admitti libere, ac licite potuisset. Quamuis enim ab eruditis viris adhuc in dubium reuocari videatur, dextrumne, an sinistrum Christi latus fuerit lancea punctum, quibus tamen antiquissimus, & Ecclesiasticus pingendi mos potuisset omnem dubitationem auferre, licet omnino non abstulerit, nulla nihilominus dubitandi ratio subesse potuit venerabili Bedae Presbytero, qui cum Ecclesiae fide coniunctam fuisse eiusmodi pingendi consuetudinem arbitratur, nostram maxime confirmat sententiam. Is ergo locum illum libri Regum exponens: *Ostium lateris medij in pariete erat domus dextrae*.

Exod. 30. ℣. 18.

CHRISTI sanguine ablui, Deo & hostiam, & gratas preces offerre facile possunt.

LATVS Christi dextrum fuit lancea perforatum.

Beda lib. de templo cap. 8.

3. Reg. 6. ℣. 8.

E Qui nimirum locus, inquit, proprie ad corpus Dominicum, quod de virgine assumpsit, respicit. Ostium namque lateris medij in parte erat domus dextrae, quia defuncto in cruce Domino, *vnus militum lancea latus eius aperuit*. Et bene in parte domus dextrae, quia dextrum ei latus à milite apertum sancta credit Ecclesia. &c. *Et continuo exiuit sanguis, & aqua*. Aqua scilicet, qua abluimur in baptismo. Haec ille. Qui iterum Vigilanti, inquit, verbo Euangelista vsus est, vt non diceret, latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud, sed *aperuit*: vt illic quodammodo vitae ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiae manauerunt, sine quibus ad vitam, quae

Ioan. 19. ℣. 34.

Beda in Ioannem.

vera

vera vita est, non intratur. Haec ille. A

Et quidem iure optimo ostium domus dextrum cum vulnere Christi dextro contulit, à quo omnia effluxere sacramenta, quae mari ad dexteram constituto plane indicantur, praecipue si maris finem, & vsum attentius expendas. *Et missa aqua*, inquit de illo priori liber Exodi, *lauabant in eo Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino*. In libro autem Paralipomenon eadem referri de mari Salomonis videntur, dum subditur: *Porro in mari Sacerdotes lauabantur*. Quae omnia ad Ecclesiae sanctae Sacramenta indicanda referri videntur; sine quibus nulli fas est, vel ad Deum propius accedere, vel illi dignam aliquam offerre seruitutem. B

MARIS vsus Sacramenta Ecclesiae denotat.

Exod. 30. ℣. 19.

2. Paralip. 4. ℣. 6.

Quod si ab ipso interiori atrio ad intima quaeque, ac penetralia sanctae domus animo penetremus, ac Sanctum Sanctorum peculiari consideratione contemplemur, in quo arca quidem fuit visibilis, quaedam tamen inuisibilis Dei sedes erat, Cherubinis quasi caelestibus aulicis stipata, ibi quoque, vt aliàs dixi, visibiles palmas licuit aspicere, easque non alias, sed omnino similes illis, quibus & atria templi exornantur, & homines in Ecclesia commorantes designantur. vt vel hoc vno symbolo in contemplationem adduceremur summae illius benignitatis Diuinae, qua Verbum aeternum, hoc est, Deus increatus, & aeternus, quem laudant Angeli, atque Archangeli, Cherubim quoque, ac Seraphim, caro factus est, & homo, nostrae particeps naturae, & conditionis, vt nos efficeret Diuinae, caelestisque naturae consortes. Quo vno argumento agnoscet facile homo, dignitatem suam degeneri vilitate minime foedandam esse: quippe cum qui Deum ipsum adorat, Christi Iesu humanitatem adorare teneatur, in cuius sanctissimi nominis IESV venerationem, & honorem, omne genu flectitur *caelestium, terrestrium, & infernorum*. C

PALMAE hominum symbola, & in Sanctuario humanitatis Christi.

NOMINIS dignitas degeneri vilitate non foedanda.

Philip. 2. ℣. 10.

Atque hinc etiam perpendat homo quantum Christo debeat: siquidem, vt ait Paulus, *consedere nos fecit Deus Pater in caelestibus in Christo IESV*. Membra enim cum simus capitis Christi, sedente iam ad dexteram Patris Christo, eius quoque membra pariter cum illo sedere censenda sunt. Hoc est enim, quod testatum iam olim à Propheta fuerat, dum Christum illis verbis alloqueretur: *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus*. Ius quoddam nobis comparans sedendi cum ipso in gloria. D

Ephes. 2. ℣. 6.

QVOMODO sedeant fideles in caelestibus.

Psal. 67. ℣. 19.

Porro domus Sancti Sanctorum perpetuo duraturam sedem hanc gloriae aptissime repraesentat: est enim par eius longitudo latitudini, & altitudini viginti cubitorum: cubica, inquam, solidaque figura octo millium cubitorum. Hic enim octonarius proprius esse videtur ad gloriam repraesentandam numerus, vt Ambrosius, atque alij tradiderunt. Haec est enim noua ciuitas, quam descendentem de caelo vidit Sanctissimus Ioannes Euangelista: *cuius longitudo, latitudo, & altitudo aequalia sunt*. Quibus omnibus vel leuiter expensis, mirum omnino est, si in sui conditoris, & assertoris Christi IESV amorem, & laudem assidue non excitetur homo, cui datum est huic aedificio coaedificari, cuius caput Christus est, ipsumque totum imago est Christi, quem se non toto retulit tantum, verum etiam singulis prope partibus. E

CVBICA Sanctuarij forma perpetuam patriae durationem denotat.

S. Ambrosius

Apocal. 21. ℣. 2.

TOTVM templum, & singulae illius partes Christum referunt.

CHRISTVS LAPIS EST, QVI AB *aedificantibus reprobatus, factus est in caput anguli.*

Cap. XXXIV.

COGIT nos breuitatis studium ab omnibus templi partibus explicandis abstinere, & vnam breui percurrere, quae reliquarum caput est, ornamentum, & firmitas. Vineae parabolam cum ita exposuisset apud Matthaeum Christus; vt impij Sacerdotes in suam perniciem conuertendam esse cognoscerent, neque tamen id aliquando futurum esse crederent: aliam aggressus est parabolam, antiquae prophetiae testimonio roboratam. *Numquam legistis*, inquit, *in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*. Quae sane verba ex Psalmo desumpta nullus Catholicorum de Christo non intellexit; ita vt in eum vnum respiceret Psaltes, dum Psalmum componeret. Id quod ipsa Christi attestatione perspectum est, & Petri Apostolorum, Ecclesiae sanctae principis: qui dum publice ad Hebraeos sermonem de Christo Domino faceret: *Hic est*, inquit, *lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli*. Neque solum ab ipso Christo, eiusque amicis, & seruis gloriosum hoc illi adscribitur Prophetae testimonium, verum ab ipsius etiam Christi hostibus infensissimis idem testatum est, atque receptum. Nam Rabbi Salomon exponens verba illa Micheae ad Bethlehem: Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Est, inquit, Messias Filius Dauid, sicut dictum est: *Lapis, quem reprobauerunt aedificantes* &c. Quibus verbis, dum vtramque prophetiam connectit, Scribarum, & Pharisaeorum perfidiam accusare videtur, qui cum huius prophetiae verbis adducti, Magos Christum adoraturos deduxissent, ipsum Christum non modo, contempserunt ac adorare noluerunt, sed etiam cum Herode turbati, animam pueri simul cum illo quaesierunt.

Matth. 21. ℣. 42.

Psal. 117. ℣. 22. & 23.

PSALTES ad Christum respexit, cum lapidis angularis meminit.

Actor. 4. ℣. 11.

R. Salomon. Apud Iustinian in Psalterio linguarum.

Miche. 5. ℣. 2.

HEBRAEORUM impietas a suis Rabbinis reprehenditur.

Quae quamuis vera sint, vt certe verissima, tamen adhuc inter Doctores non constat, quanam verborum translatione ex angulari lapide desumpta veritatem hanc proponat Psaltes, eamque referat Christus, atque Apostoli. Qua in re erudite post alios noster Pineda ex pluribus sacrae Scripturae locis colligit verum quendam loci huius sensum, & ad ea, quae de Christo Domino sub lapidis angularis symbolis dicuntur, perue stiganda non ineptum. Verum cum assidua huius nostrae lucubrationis exercitatione, experimento didicerimus, adverbis, aut templi huius aedificia respexisse Scriptores Sacros, tum in veteri, tum in nouo Testamento, quoties aedificij, aut aedificationis mentionem fecerunt, aliam nos decuit ingredi viam, qua primum in ipso

Ioan. de Pined. in Iob Cap. 38. ℣. 6.

AD AEDIficium Salomonis respiciunt Scriptores sacri, quoties aedificij meminere.

templi

templi aedificio lapidem illum inquireremus, cui haec omnia in figura conuenirent, quae de Christo Domino sub hac translatione referuntur. Id quod vt facile fuit, ita proficuum; siquidem ipsae voces Hebraicae, atque aliae res vocibus designatae, ipsaque aedificij facies, atque structura, vnum lapidem nobis indicat, qui ea, quae à Christo in Ecclesiam promanant merita praeclara, demonstrat.

Atque vt à re ipsa exordiamur, quae nos ad voces, & signa cognoscenda deducat, ad tria potissimum capita reuocari possunt infinita propemodum dona, quibus Ecclesia propter Christum fruitur. Primum est, vt ex varijs, diuersissimisque patribus, gentibus, ac nationibus cum constet, B in Christo, & per Christum omnes inuicem sint ita connexae, vt vnum, idemque componant aedificium. Secundum est, vt firma sint omnia, & perpetuo duratura. Tertium denique, vt nobilissimum componant aedificium. Quae omnia quamuis sub fundamenti nomine, vel summi lapidis, vel capitis anguli, varijs locis significentur; ea tamen vno, eodemque lapide, quem ostendemus, facile possent indicari. Is autem est, qui omnibus alijs supereminet in summa facie Orientali vestibuli templi, quem facile contemplari licebit lectori in dissecti templi vniuersali orthographia, quam decimo quinto loco supra posuimus; & sub maiori forma in Orientali facie vestibuli, quam quarto loco designauimus. Hunc ergo lapidem C iam oportet considerare, quanam ratione in sacro textu indicetur.

CONNEXIO, firmitas, dignitas a Christo in Ecclesiam promanat singularis.

Supra in fine lib. 2. Isagogies.

Ac in Psalmo Hebraice habetur: Lapis, quem contempserunt *aedificantes, factus est* לראש פנה *leros pinah, in caput anguli*, in summum angulum: ראש *ros*. enim & caput significat, & quod summum est in qualibet re. Sic in Exodo ad Iosue Moyses: *Cras ego stabo* על ראש *ghal ros*. super caput, *super verticem montis*. & iterum ad Moysen Dominus: *Esto paratus*, inquit, *mane, vt ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum* על ראש *gal ros*, super caput, *super verticem montis*. Vocem ipsam ad verbum retulit in Canticis Vulgatus: *Veni de Libano sponsa &c.* מראש *meros*, de capite, hoc est, de D vertice montis Amana, sicut mox ipse interpretatus est מראש *meros. de vertice Sanir, & Hermon.* Iuxta quam quidem interpretandi rationem, lapidem hunc summum vocauit Apostolus: *Ipso summo angulari lapide Christo* IESV. ac si dicat, lapide, qui est in summo, editissimoque omnium loco, qui caput est totius aedificij, vt Christus Ecclesiae. At locum lapidis huius, in quo constitutus est, indicat vox altera פנה *pinah*, à verbo פנה *panah*. deducta, quod aspicere significat, vel conspicuum esse: vnde sic dictum angulum aedificij putant, vel quòd prostet, & sit in conspectu, vel quòd ad diuersa loca respiciat. Hinc deducta videtur Latina vox pinna, quae non angulos signi- E ficat, sed eminentia in summis muris propugnacula. Vnde Gellius muralem definiens coronam: Idcirco, inquit, quasi muri pinnis decorata est. Sacrae tamen Literae morem Hebraicae linguae sequentes, pro angulo eam vocem vsurpant plerumque pro summo. *Melius est*, inquit in Prouerbijs Salomon, *sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa*. Angulum vero domatis, illam eius partem intellige, quae in medio eminet, quo facilius effluant vtrinque pluuiae. Hispani diceremus. Mas vale estar sobre el cauallete del tejado; vbi asperitate loci maxime graueris, & caeli iniu-

CAPVT PRO vertice montis vsurpatur. *Exod. 17. ℣. 9. Exod. 34. ℣. 9.*

Cant. 4. ℣. 8.

Ephes. 2. ℣. 20.

LAPIS ANgularis summus.

PINNA AB Hebraea voce deducta quid significet. *A. Gellius lib. 5. noct. Attic.*

Prouerb. 25. ℣. 24. & c. 21. ℣. 9.

A rijs pateas; *quàm cum muliere litigiosa*. Qua ratione si vocem anguli in Psalmo interpretemur, caput anguli, siue pinnae, intelligemus summum fastigium domus, nempe lapidem, qui in Orientali facie contegit, exornat, & continet omne aedificium, quem vulgo Itali, Hispanique vocaremus, frontispicio.

LITIGIOSA mulier quam grauis sit, & molesta.

Est autem alia vocis huius notio, sacris Scripturis non infrequens, qua angulorum nomine turres censentur, quòd hae in angulis aedificij ad munimentum constituantur. Sic apud Sophoniam Dominus: *Dies irae dies illa &c. super ciuitates munitas, & super angulos excelsos*, id est, turres excelsas. vt cum Chimchio locum illum interpretantur Hebraei, & Latinorum quàm plurimi. Qua ratione si lapidis huius nomine caput turris, vel summam turrim accipiamus, cum sit vestibulo domus superstructa celsissima turris; huius turris summum lapidem indicabunt haec verba. quae, ne vllus superesset dubitationi locus, in Biblia Chaldaea Collegij Maronitarum haud inepte translata sunt vocibus, quae Latine sic redduntur: Lapis, quem contempserunt aedificatores, ipse factus est caput ipsius aedificij. Ab eodem enim Hebraico verbo בנה *bana*, deducitur vtraque vox aedificatorum, & aedificij. Et certe, vt hoc etiam obiter adnotemus, si cetera non obstant, dignum magis fuit, & rationi consentaneum, vt lapis qui Christum Ecclesiae caput refert, toti potius emineret aedificio, quàm alicui parti, angulo, aut recessui. Sed examinandum iam est, num cetera conueniant.

ANGVLI pro turribus. *Sophon. 1. ℣. 16.*

QVAM SIT conueniens lapidem, quo Christus repraesentatur, statuere in summo.

Et primum facile erit agnoscere, qua ratione huic lapidi nomen angularis conueniat, cum hoc nomen, si vim vocis Hebraicae consideres, commune sit lapidibus omnibus, qui à latomis sunt elaborati, vt in aedificijs construantur, siue ij in angulis, siue in medijs parietibus, siue in imis fundamentis collocandi sint, siue in summis turribus. Vox enim, in angulis, & superficie dedolatum fuisse lapidem denotat, vt cum summis, imis, lateralibus, atque interioribus alijs lapidibus apte conueniat. Nam quod ad vocem originis, quam dixi, spectat, tum angularem lapidem possemus conuertere, tum etiam facierum: quippe quem plures terminent superficies, sese ad angulos contingentes, atque ad varias partes conuertentes. Neque ex his licet conijcere quòd anguli eiusmodi directi sint, aut quòd obliqui esse non possent, cum & hi plerumque aedificiorum lapidibus sint necessarij. Ex quo patet perperam philosophari eos, qui, quòd lapidem angularem aliquando in fundamento constitui animaduerterint, non alibi, quàm in fundamento collocari posse angularem lapidem existimant. Scio in aedificiorum angulis angulares lapides constitui, qui vno sui angulo angulum aedificij componant: qua etiam ratione lapides angulares dici potuissent, haud secus quam anguli, siue angulorum porta dicitur quaedam Hierosolymitana, quòd in angulo muri Aquilonari, & Occidentali aperiretur, vt alibi dixi.

LAPIS ANgularis quare sic dictus.

ANGVLI EX vi vocis recti non indicantur.

Dixi Tom. 3. Appar. par. 1. lib. 3. cap. 12.

Et quamuis, quod ad firmitatem spectat, quam aedificio praestat hic lapis, facile posset existimari, illum fuisse in quolibet parietum angulo constitutum: tamen si reliqua expendantur, quae ad lapidis excellentiam pertinent, vix posse admitti videtur, vt quae vnius lapidis esse debent propria, cum multis alijs sint communia.

Quapropter cum in caput anguli factus esse dicatur hic lapis, reprobatusque ab aedificatori-

bus primum referatur, eiusque demum dignitas loci humanis oculis visa sit admirabilis: lapis certe vnus exquirendus in aedificio fuit, qui haec omnia Christi merita singularia, aliqua saltem ex parte, referre posset. Isque est lapis ille turris, quem dixi, summus. In quo primum licet obseruare, illum esse in vniuerso aedificio vnum, cui nullus similis magnitudine, forma, ornamentis in toto hoc aedificio reperiatur; vt contemplanti descriptiones vniuersas est perspectum.

QVAE EXquirenda fint angularis lapidis propria.

Voco autem vnum lapidem eum triangularem, qui tympanum totum continet cum sua corona, & ornamentis, extenditurque secundum totam latitudinem domus fere ad sexaginta cubitos. quae tam immensa longitudo nulli videbitur incredibilis perpendenti ea, quae de lapidum magnitudine & à sacris Historicis, & à Iosepho traduntur. Et quidem in ipso lapide, facili coniectura inueniuntur, quae de lapide ab aedificatoribus reprobato primum tradit Regius Propheta: nam si hic lapis in Libano excisus, dedolatusque fuit cum reliquis, iuxta praeceptum Salomonis: isque vnus, vt dixi, forma, ornamentis, magnitudine fuit à ceteris omnibus longe diuersus, aliarusque cum alijs suo tempore Hierosolymam. fueritque, vt in aedificio apparet, post omnes alios aedificij lapides collocandus, quis fabricae, tam ignarus sit, qui non videat quoties reprobatus esse potuerit ille lapis ab ipsis aedificatoribus? positus enim saepe ante alios lapides, ipsum oportuit hinc inde permutare, ne alijs transuehendis esset impedimento. quod toties factum fuisse crediderim, vt facile censeri possit, plerumque aedificatores ira percitos lapidem voluisse in frusta conterere: donec tandem aliquando, omnibus alijs lapidibus iam ordine suo collocatis, hic vnus lapis sortitus sit locum illum suum: quem perpendite, quaeso, quàm dignissimus ille sit, quàm tutissimus, quam magis omnibus conspicuus. qui sit veluti caput, ornamentum, robur, gloria toti fabricae, ac singulis eiusdem partibus. Quae omnia nemo non videat aptissime vni Domino ac Redemptori nostro Iesu Christo aptissime conuenire? praesertim si audiat principem Apostolorum Petrum in concilio ad Principes Sacerdotum Annam, & Caiphato respondentem, & huius loci proprium sensum, ac genuinam expositionem afferentem.

LAPIS QVOmodo fuerit ab aedificatoribus reprobatus.

3. Reg. 5. ℣. 17. & 18.

QVOMODO Christus fuerit à Iudaeis reprobatus.

Attestabatur enim in nomine Iesu Christi a Iudaeis crucifixi, & a Patre aeterno ad vitam, & gloriam reuocati, claudo integram redditam fuisse sanitatem. & subdit: *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus:* quippe quem nolueritis inter honore dignos Israelitici populi ciues computari, quando impie dixistis: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & daemonium habes?* neque inter infimae plebis homines, etiam miserrimos deputari passi estis. cum enim illum flagris pene infinitis affectum, spinea corona punctum, summo ludibrio habitum, hominem compellari audissetis: ECCE HOMO: plusquam inhumaniter clamastis, *Tolle, tolle*, ac si diceretis, ab istius nominis participatione sublatum *crucifige eum.* Ac demum neque inter hominum sordes, ac lustramenta (sic enim iniquos homines appellari, alibi me ostendisse memini) illum degere permisistis: siquidem *petistis virum homicidam donari vobis, Auctorem vero vitae interfecistis*, cruci illum affigentes, vt nec mortuus quidem super terram extare posse videretur, deponendus siquidem erat è cruce, eodem ipso die, iuxta praeceptum legis. Hic igitur idem *lapis à vobis reprobatus*, , vitace, contemptus, reiectus, improbatus, refutatus, ablegatus: vbi vox est in textu Arabico eius loco, quae tum de moneta dicitur, quando falsificata est; cum pondere, metalli bonitate, aut proprio signaculo deficiens, ab omnibus reijcitur: tum etiam de mercatore deficiente, cui nihil deinde fiditur, Italice *fallito*, vocis sono ab Arabica non valde diuersa. Hic, inquam, lapis à vobis reprobatus *factus est in caput anguli*. Hoc autem quid sit, mox exponit subdens: *Et non est in aliquo alio salus*, quae corporum, animorumque simul succurrat aegritudinibus, quaeque felicem, atque omnium bonorum accessione cumulatam vitam praestet. Quae sane mutatio dexterae excelsi est, vt propterea illam contemplatus Propheta dicat: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Actor. 4. ℣. 11.

PRIMA REprobatio

Ioan. 8. ℣. 48.

SECVNDA reprobatio.

Tom. 3. Apparat. part. 3. lib. 2. cap. 9

Act. 3 ℣. 14.

TERTIA reprobatio.

CHRISTVS factus est in caput anguli.

Iam vero ipsam lapidis dignitatem propius contemplemur: *Iam non estis*, inquit ad Christianos Paulus, *hospites*, vt olim, *& aduenae*, nulla gaudentes dignitate, nullis priuilegijs, nullis immunitatibus ciuium: *sed estis ciues*, Graece ... sympolitae, conciues *Sanctorum, & domestici Dei.* Transit autem Paulus statim ab allegoria familiae, & ciuitatis ad allegoriam aedificij, & domus; facili quidem transitu Hebraeorum, qui eadem voce בית beth, hanc atque illam domum, significant: *Superaedificati*, inquit, *supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo* IESV. Fundati estis super Apostolos, & Prophetas, existente Christo in summo, vt capite totius aedificij, à quo vno habent Apostoli, & Prophetae vt fundare vos possint, & vos vt fundari ab illis possitis. Nam & *fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus* IESVS. Illud vero, quod fundamenti proprium esse videtur, nempe totum aedificium continere, ac sustinere, suo iure sibi vendicat hic lapis, praeter id, quod est huius proprium, nempe illustrare, & insignes reddere cum toto aedificio singulas eius partes: vtrumque enim coniunxisse videtur Isaias Propheta, a Beato Petro Apostolo illustratus. Ille enim sic habet: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum qui crediderit, non festinet.* Ex Hebraeo sic vertit Regius codex: Ecce ego fundator in Sion lapidis, lapidis arcis, anguli, pretij, fundamenti fundati. credens non festinabit. Non quidem sine causa Interpres vocem בחן bochan, quam *probatum lapidem* vertit Hieronymus, lapidem arcis, aut munitionis conuertit: quam sic dici putat Rabbi David, quòd aduersus oppugnatores probata sit. Cuius rei exempla licet occurrant multa, ea tamen afferre non vacat: satis enim est ad praesens institutum, si obiter insinuem, ea voce lapidem indicari, de quo est nobis sermo, qui in summo constitutus loco, munus subit imi fundamenti. id quod ex ipsa Beati Petri, quam dixi, interpretatione liquido constat. *Propter quod*, inquit, *continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum*, quem vocauit Isaias fundamentum summum, vocat Apostolus *angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.*

Ephes. 2. ℣. 19.

DIGNITAS lapidis angularis in reliquos lapides effusa

DOMVS & familiam, & aedificium significat.

1. Cor. 3. ℣. 11.

SVSTINERE, quod proprium fundamenti est, hunc etiam lapidi commune est.

Isai. 28. ℣. 16.

LAPIS ARcis, aut munitionis.

1. Petri. 2. ℣. 6.

Quod ergo Isaias dixerat, *non festinet*, Apostolus, Septuaginta interpretes secutus, *non confundetur* dixit. Vtrumque eadem voce proferimus Hispani, *no se corra*: proprium enim est confusi, & erubescentis gressus accelerare. Quis

FESTINARE & confundi pro eodem.

Ibid. ℣. 7.

GLORIOSUM valde est esse Christianum.

se. Quis autem hic honos sit, quibus vero confusionem pariat, exponit subdens: *Vobis igitur honor credentibus non credentibus autem: Lapis, quem reprobauerunt aedificantes* &c. Ac si aperte dicat, tantae dignitatis est lapidem esse huius aedificij, vt nemo merito dedignetur, tanquam lapis, huic aptari aedificio: satis enim ei esse debet, quod sit in eo aedificio lapis hic summus. cuius gloria, & dignitas tanta est, vt inde in omnes, ac singulos lapides promanet honos, dignitas, & gloria.

Zachar. 4. ℣. 7

MONS TUMENS, aedificetur Ecclesia, deijcitur.

LAPIS PRIMARIUS, vel capitis.

Hanc omnem aedificij allegoriam persequitur eleganti oratione Zacharias: hic Zorobabelem inducit templi instauratorem, & alium quendam huius sanctae aedificationis hostem acerrimum, B qui tamquam mons magnus in aedificij loco tumens, vniuersae aedificationi totis viribus videatur obstare. *Quis tu mons magne*, inquit, *coram Zorobabel? in planum*, vtique redigeris, demisso omni tumore tuo ac, vel te renuente, & inuito, ponet fundamenta, fabricam eriget, & ad perfectum vsque perducet. *Et educet lapidem primarium, & exaequabit gratiam gratiae eius.* Vel, vt habent Hebraea: Proferet lapidem capitis eius, eruntque plausus, & acclamationes ei. Lapidem capitis, vel primarium vocat culmen, seu fastigium summum, quòd omnibus indicet absolutum iam esse aedificium omne, atque perfectum & tunc omnes, qui viderint, acclamabunt ei, Gratia, gratia C illi, fausta sint omnia, atque felicia huic lapidi exaequabit gratiam lapidis huius, qui priori successit gratiae, pulchritudini, ac felicitati prioris. Quibus non minus faustam, atque felicem futuram indicat instaurationem templi, quam fuerat olim eius prima exaedificatio. Hunc enim esse proprium loci sensum indicant sequentia Domini verba: *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam.* Ac tandem in eandem sententiam subdit: *Et laetabuntur, & videbunt lapidem stanneum*, vel perpendiculum *in manu Zorobabel*. Quasi sub initium erigendae fabricae Zorobabel princeps fabrilia, vel caementaria instrumenta artificibus praestiterit, sibi D iterum absoluto opere restituenda.

Ibid. ℣. 9.

LAPIS stanneus in manu Zorobabel absolutum denotat aedificium.

HAEC NULLA ratione de Zorobabele sunt intelligenda, sed sub eius nomine de Christo.

Sed miror Interpretes quosdam huius loci nimio zelo permotos, huiusmodi expositionem damnare, quasi antiquis Ecclesiae Catholicae contrariam, immo & Synagogae doctoribus aduersam, qui lapidem primarium Christum intellexere. Hic enim ipse de Christo sensus tam est Prophetae proprius, vt mutatis tantum Zorobabelis, & lapidis nominibus, ac similitudine, omnia haec ad Christum referenda sint, nulla ratione ad Zorobabelem, quem scimus numquam tanta gratulatione templum perfecisse, quanta olim Salomon. vt conferenti vtriusque historias apertum esse poterit. Et mons quidem ille tumens, super- E biae nimirum parens diabolus tunc optime deiectus fuit, cum Christum *in Ierusalem* duxit, *& statuit eum super pinnam templi*, seu vt habet Matthaeus *super pinnaculum templi*, hoc est, super hunc lapidem, qui caput pinnae, vt dixi, appellatur. & dixit illi *Mitte te deorsum*, quasi vt iuri suo cederet, neque amplius summo illo lapide repraesentaretur. Sed nostis quam gloriose Christus celsitudini insisterit sacrarum Scripturarum diabolus vero misere deiectus abierit.

Luc 4. ℣. 9. Matth 4. ℣. 5.

QUARE E pinnaculo templi, hoc est, ab hoc lapide diabolus Christum voluerit deijcere.

P. Pineda in Iob cap 38. ℣ 6. nu 11.

Sed tandem huius lapidis proprium est, vt Doctores Sancti a Pineda relati tradunt, vtrumque connectere parietem. Quam dicendi rationem

A aliqui respuunt, quòd nulla domus duplici tantum constet pariete. Contra vero noster Pineda erudite disputat, indefinite loqui Prophetam de quocumque angulo, in quo duo, quicumque illi sint, parietes coniunguntur. Et quoniam eiusdem rationis est quilibet angulus ex singulis quatuor, quibus domus continetur, Christus autem vnicus est, tantum debuit dici in singulari, lapis angularis. cuius virtus, & firmitas infinita cum sit, & vniuersam Ecclesiam contineat, vnicus ipse satis est ad aedificandam domum, & arcem fortissimam, & omnibus suis angulis, & partibus absolutissimam. Haec est Pinedae sententia. qua satis accurate, & prudenter satisfacere conatur B difficultati illi certe numquam satis exhauriendae, si de quolibet angulo, aut anguli lapide indefinite loquatur Propheta.

QUOMODO lapis hic faciat vtraque vnum.

UNUS Christus totam potest sustinere Ecclesiam.

At certe sicut duos tantum populos, Iudaeorum scilicet, & Gentilium connectit Christus, rei vmbra, veritati symbolum multo magis conueniunt, si duo tantum parietes reperiantur in domo, vno tantum angulari lapide inuicem connexi. Id quod inuentu, atque explicatu haud difficile erit, si primum, quod dixi, Ecclesiae Sanctae exemplar, nempe tabernaculum, attentius contemplemur. Duos tantum parietes praecipuos licet in eo computare, Meridianum alterum, alterum vero Aquilonarem. Orientalis enim nullus C est, quippe cum velo claudatur ex ea parte domus, ex dissitis columnis pendente Occidentalis vero paries minus est principalis, & magnitudine quidem cum praedictis duobus minime conferendus. Et quidem hi duo parietes cum ipsa re, quam significant, valde consentiunt. Nam ad Aquilonem mensa posita erat, duodecim panibus superpositis quibus populus ille Hebraeorum, qui totidem constabat tribubus, indicaretur. Ad Meridiem vero aureum statuebatur candelabrum septem lucernis, ac totidem ignibus, siue luminaribus perpetuo coruscans, quo dona Sancti Spiritus, & Ecclesiae Sacramenta septem indicarentur, populo ex gentibus assumpto primum data. D At in templo duo itidem parietes, easdem caeli regiones prospicientes, eosdem tabernaculi ex asseribus erectos parietes referebant. lapis vero hic angularis in summo fastigio constitutus, extensis vtrinque ornamentis, quasi quibusdam brachijs, vtrumque complectitur parietem, Meridianum scilicet, & Aquilonarem, ipsos muniens, exornans, illustrans. Qui quidem duo parietes, interiacentibus Orientali & Occiduo, semper à sese sunt inuicem dissiti, donec in hoc vno lapide sibi inuicem occurrant. Extant certe nec pauca, nec contemnenda Sanctorum testimonia, quae hos duos parietes haud aliter, quàm nos fecimus, exponunt ex quibus vnum, aut alterum in medium E proferre, operaepretium esse duximus.

UMBRA, ET res maxime conuenient, si duo tantum parietes in vno copulentur angulo.

DUO PARIETES tabernaculi.

LAPIS ANgularis Meridianum, & Aquilonarem parietem connectit.

Audiendus inprimis est Sanctus Augustinus Angulus, inquit, duos parietes copulat de diuerso venientes. quid tam diuersum, quam circumcisio, & praeputium habes vnum parietem de Iudaea, alterum parietem de gentibus sed angulari lapide copulantur. Lapidem enim quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Angulus in aedificio non est, nisi cum duo parietes è diuerso venientes in vnum conueniunt, & quadam vnitate iunguntur. Et iterum super illud Osee *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel in idipsum & ponent sibimet principem vnum, & ascendent a terra.* Recolatur, inquit, lapis

S. Augustinus Serm. 18. in Matthae.

Osee 1. ℣. 11.

Lib 18. de Ciuit cap 28.

ille angularis, & duo illi parietes, vnus ex Iudaeis, A alter ex gentibus: ille nomine filiorum Iuda, iste nomine filiorum Israel, eidem vni principatui suo in idipsum innitentes, & ascendentes agnoscentur in terra. Non super terram, inquit Hilarius, non super fluxam, & dilabentem arenam initianda, sed fundamentum eius super Prophetas, & Apostolos collocandum lapidibus viuis augenda est, angulari lapide continenda, & mutuae connexionis augmentis in virum consummatum, & in mensuram Christi corporis extruenda, specie quoque, ac decore gratiarum spiritualium adornanda. Haec ille. Nobiscum quoque sentire videtur Tertullianus, qui abominationem desolationis ita conuertit: Et destruet pinnaculum B vsque ad interitum. Quasi vero huius lapidis ruina, quo regnum Christi significabatur, populi illius interitum denotaret, qui vana spe futuri delusus nolebat agnoscere praesens.

B. Hilarius super Psalm. 126.

Vide in Notat. Codicis Latini Septuaginta super Daniel. 9. ℣. vltimo.

Sed non est, opinor, cur in huiusmodi symbolis, ac rerum vmbris exactius, ac scrupulosius quàm par sit, oporteat inquirere significandi rationem, nisi velis praeter rerum omnium naturam corporis lineamenta omnia, figuras, atque colores in vmbra exquirere, haud secus ac in viua ipsius corporis imagine. Sed audiant, quaeso, religiosi hi rerum omnium inconcinni peruestigatores Patherum, Romanae Ecclesiae Notarium, Gregorij Magni sententiam de hoc lapide proferentem: C Iam, inquit, per diuinam gratiam omnibus liquet, quem Scriptura sacra lapidem, qui in anguli caput factus sit, vocet, illum profecto, qui dum in se hinc Iudaicum, illinc gentilem populum suscipit, in vna Ecclesiae fabrica, quasi duos parietes iungit: illum de quo scriptum est: *Fecit vtraque vnum*. qui angularem lapidem non solum in inferioribus, sed & in superioribus exhibuit: quia & in terra plebi Israeliticae nationes gentium, & vtramque simul Angelis in caelo sociauit. Eo quippe nato, clamauerunt Angeli: *In terra pax hominibus bonae voluntatis*. In ortu enim Regis nequaquam pro magno offerrent hominibus pacis gaudia, si discordiam non haberent. D Haec ille. qui sapienter duplicem connexionem enumerauit, & duplicis terreni populi, & huius vtriusque cum caelesti populo copulationem.

NON SVNT vmbrae velut res ipsae examinandae.

Patherus in Psalm. Cap. 119. ex S. Gregor. lib. 28. cap. 9. in Iob.

Eph 2. ℣. 14.

ET POPVLOS iunxit, & cum Angelis coniunxit hic lapis.

Luc. 2. ℣. 14.

Quae omnia Christi Domini in suos promerita singularia quamuis eodem nomine, eodemque lapide possent omnino repraesentari; satis tamen prouisum nostrae eruditioni fuisset, si pluribus repraesentarentur. Neque enim dubitandum videtur, hanc eandem membrorum Ecclesiae copulationem aptissime pastoris symbolo repraesentari, dicente Domino: *Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*: &c. *& fiet vnum ouile, &*, hoc est, sicut ego *vnus pastor*. E

EADEM est parabola pastoris gregem conseruantis, & lapidis vtrumque parietem nectentis.

Io. 10. ℣. 16.

Vtramque parobolam coniunxit Eucherius, illud apprime confirmans quod negare videntur aduersarij, nimirum anagogen historiae non repugnare. Et reuera stultum est, inquit, id quod in typo dicitur, eo quod Christi Sacerdotium finem non habeat, & ipse Rex, & Sacerdos nobis vtrumque donauerit, vt simus genus Regale, & Sacerdotale, & quasi angularis lapis vtrumque coniunxerit parietem, vt de duobus gregibus bonus pastor vnum efficeret gregem, sic quosdam referre ad anagogen, vt historiae auferant veritatem. Haec ille. Nos vero, vt anagogis veritatem magis, ac magis confirmaremus, post alios illud praestare conati sumus, vt vnum proferremus in aedificio lapidem: in quo si non omnia, quod difficile videbatur, Christi symbola, aedificij lapidibus expressa continerentur; tamen quàm plurima, vel saltem multo plura, quàm aliquo alio aedificij lapide significarentur.

Eucher. in 2 Genes lib. 2. cap. 17.

DE NONNVLLARVM AEDIFICII *partium, & ornamentorum significatione. Cap. XXXV.*

QVAE hactenus proposuimus, omnia eo spectare videntur, vt praecipuas Ecclesiae partes, caelestisque aedificij membra nobis referant, nempe iustos, eos nimirum, qui non fide tantum Christo coniuncti sunt, verum etiam caritate eos, inquam, qui Deo grati sunt, non propter fidem tantum, verum etiam propter opera, facta scilicet in statu gratiae, & caritatis. Quid ergo de peccatoribus? quid de illis, qui Deum, quem credunt, iusto obedientiae, ac seruitutis obsequio non colunt? de illis, inquam, qui à vera, rectaque fide non recedunt, verum commissa peccata non deflent, sed in illis persistere delectantur? De his igitur nunc est agendum, & quantum ab illis distent, indicandum. Cuius rei gratia de iustis aliquid est praemittendum.

Apparent in hoc aedificio variae palmarum species, copiosa plantarum multitudo, arborum diuersa genera, artificio singulari insculpta, pulchritudine incredibili: quarum rami, frondes, folia tam admirabili artis subtilitate exprimebantur, vt Iosepho de alijs inferioribus attestante, agitari quodammodo ad motum aëris viderentur. Neque vero aspectui solum pulcherrimae videbantur, verum etiam gustui suaues, quippe quae ita copioso fructu veluti graui pondere onustae deprimi viderentur, vt earum quamlibet appellauerim: D *Lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet*, atque etiam illud Prophetae nostri encomium vnicuique ex his arboribus videretur proprie congruere: *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua, quia aquae eius de sanctuario egredientur*. Cum his ergo, atque his similibus arboribus contulit Propheta iustum: *Iustus enim*, inquit, *vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur*. Palmae, ac cedro similes esse perhibentur iusti: in illa enim arbore perpetuum virorem, fructus suauitatem, incredibilem constantiam licet admirari, quippe quae E pondere pressa non succumbat, sed in contrarium renitatur, attestante Gellio: ac denique diu viuat, & quidem per multa saecula. In cedro vero suauissimum odorem possumus intueri: abscissa enim nunquam putrescit: folia non abijcit: rectissime semper assurgit: palmae aemulatur celsitudinem: ac denique gratissimam, ac salubrem praestat animantibus vmbram. Quae omnia, & singula, si percurrere per tempus licuisset, laudes iusti, atque officia ipsius quamplurima indicare demonstrassem.

IN QVO fideles iusti à peccatoribus etiam fidelibus distent.

Psal. 1. ℣. 3.

Ezech. 47. ℣. 12.

Psal. 91. ℣. 13.

A. Gellius.

Vt palma florebit. Hebraice יפרח iaphrech, à verbo פרח parach, quod est florere, oriri, emergere, pullulare, existere, apparere, diffundere. Cuius exem-

exempla non aliunde petenda esse duxi, quàm ex A hoc eodem Psalmo: in quo iucundissimam licet obseruare antithesim. *Ibid. ℣. 8.* *Cum exorti fuerint peccatores*, idem verbum habetur: ideoque Hebraea, atque Chaldaea verti possunt, Dum germinauerunt impij: *sicut foenum*, pulcher flos, egregia celsitudo, duratio tamen exigua: *vt intereant in saeculum saeculi*, miser exitus. *Iustus* vero, *vt palma florebit*, *sicut cedrus Libani multiplicabitur*, augebitur, excrescet. Vt autem notum sit quas palmas, aut cedros intelligat, aut potius quos iustos significare velit, subdit: *Ibid. ℣. 14.* *Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, florebunt*: quo in loco certe illud idem est verbum, cuius paulo superius meminimus.

IVSTVS assimulatur palmae & cedro plantatis in domo Domini.

B At inquies, in atrijs domus Domini nullae fuerunt plantatae arbores, eius enim pauimentum, vt vidimus, vniuersum fuerat *stratum lapide*; cuius desolationem, & pene obliuionem deplorat Iudae exercitus: *Et in atrijs virgulta nata, sicut in saltu*. At nihilominus sicut palmae in omnibus fere parietibus, & columnis templi, atque aliarum pulcherrimarum arborum rami, frondibus, floribusque erumpentibus, ac fructibus similiter onustae, cum ipsa rerum procreatrice natura decertantes. Quae omnia iustos quidem denotare facile possunt, eos praesertim, qui iuxta eas aquas plantati sunt, quae ex sanctuario manarit, quas vltro offerebat Christus in die solemnitatis magnae, clamans: *Ioan. 7. ℣. 37.* *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* C Sunt praeterea in hoc aedificio arbores quamplurimae aliae, pretiosa quidem materia, nempe cedro, sed tamen aridae, infructuosae, emortuae: quippe quae trabes, asseres, & tigna sunt tabulatorum omnium. Hae autem symbola sunt eorum, qui peccatis, ac sceleribus obnoxij cum sint, vere mortui sunt, sed bonum fidei odorem non amiserunt, suntque ex pretiosa quidem materia è caelo allata, infusa nimirum, Dei dono, ac beneficio, fide. Et hi quidem, qui sibi ipsis vna spe prosunt, vel, vt verius dicam, prodesse possunt dum reuiuiscere sperant, iustis quidem maxime proficui sunt, sine quibus vix possent hi ad suprema conscendere: Sanctissimo enim Gregorio attestante: Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet.

PECCATORES licet fideles arbores sunt aridae, infructuosae, emortuae.

PECCATORES si non sibi, saltem iustis proficui sunt.

S. Greg. Hom. 9. lib. 1. in Ezechiel.

Atqui in libro Regum: *3. Reg. 10. ℣. 12.* *Fecit Rex*, inquit, *de lignis thyinis fulcra domus Domini*. Fulcra vocat trabes, & antepagmenta portarum. Septuaginta interpretes ὑποστηρίγματα vocant, fulcra, fulcimenta. At liber Paralipomenon: *2. Paral. 9. ℣. 11.* *De quibus*, inquit, lignis, *fecit Rex gradus in domo Domini*. Hoc est, scalas, quibus ad suprema conscenduntur. Iniquorum enim peccatis, atque sceleribus iustorum aliqui ascendunt, persecutionibus probati, vel cautiores illorum periculis effecti, vel maiores, atque promptiores Deo gratias referentes; quod ab eiusmodi venantium laqueis animae eorum ereptae sint. E alij vero descendunt, vel exemplo peruersi, vel occasione scandalizati, vel suasione permoti. Sed *necesse est*, inquit Dominus, *vt scandala veniant*. Necessitate finis exposuit Angelicus Doctor, quia, inquit, vtilia sunt ad hoc, vt qui probati sunt, manifesti fiant. *S. Thom. 2. 2. q. 43. ar. 2. ad 1.* Sed Doctorum Parens, & Magister Augustinus rem pressius exposuit: *S. Aug. super Psal. 54.* Non putetis, inquit, gratis malos esse in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur. Hactenus ex Augustino.

INIQVORUM sceleris & sceleribus Iusti ascendunt quasi per scalas.

PECCATORES scalae sunt, quas Iusti ascendunt, & descendunt.

Sed notandum est maxime distare arida huius aedificij ligna, ab alijs omnibus aliorum aedificiorum similibus lignis: haec enim carent omni ope vitae; nisi forte in hoc aedificium aliquando transferantur, atque adeo sunt ignibus perpetuis comburenda. at illa quamuis dum mortua sunt, ab eodem igne tuta non sint, manet tamen adhuc in illis spes quaedam firma redeundi ad vitam, & pristinum recipiendi virorem, ac frondes, flores, ac fructus per gratiam Christi suo tempore producendi. Cuius quidem spei viuum exemplar, quo eadem excitetur, neque vnquam derideat, erat Virga illa Aaron, quae iuxta legem Domini asseruabatur in adytis templi; quae postquam diu emortua aruit, ac in templo arida iacuit, tandem aliquando reuixit. Quod disertis verbis testatum est in Numerorum libro. Assumptas enim virgas tribuum cum virga Aaronis *Cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij: sequenti die regressus, inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, folijs dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* *Numer. 17. ℣. 7. & 8.*

INFIDELES in quo differant a peccatoribus fidelibus.

SPES MORtua in peccatore potest reuiuiscere per gratiam Dei.

Denique non alienum ab instituto nostro fore censuimus, aliquot ornamentorum rationem iuxta institutam disputationem reddere, quorum tractationi nullus hactenus locus patuerat. Huius rei gratia morem illum nostrum antiquum, & ab initio diligenter obseruatum referre necessarium duximus. Is est, vt numquam exquirendae alicuius rei finem faceremus, quae ad aedificij partes, mensuras, vel ornamenta spectaret, quin illud ipsum inuenisse arbitraremur, quod esset in eo genere perfectum, & omnibus suis numeris absolutum. Nam id vnum huius aedificij, Dei sapientia architectati, proprium fuisse semper credidimus, idque ipsa experientia duce, quamplurimis etiam allatis rationibus, atque exemplis, ita fore confirmauimus. Quod si aliquibus in locis eo vsque minime peruenisse deprehendemur; ibidem ingenue fatebimur, nos veri specie fuisse deceptos. Quapropter enixe precamur lectorem, qui sapienter, quae diximus, deprehenderit, vt D id humanae tribuat imbecillitati, nec moleste ferat nos, qui illum eundem libenter sequemur ducem, è tenebris ignorationis ad veritatis lucem deducere. Sed eundem lectorem admonitum velim, ne facile audeat de re aliqua iudicium ferre, quin prius cognita re tota, de ea censere prudenter possit. Nam hoc vnum pro certo agnoscimus, esse partem quamlibet cum reliquis omnibus, & cum toto aedificio valde connexam, & colligatam, ita vt qui vnam submoueat, plures, immo totum etiam aedificium submouisse credatur, ne dicam subuertisse.

QVAELIbet pars templi cum reliquis omnibus, & cum toto aedificio connexa erat.

Sed vt, vnde digressi eramus, reuertatur oratio: huiusmodi legibus ita astrictum me esse perpetuo duxi, vt nullum, vel leue ornamenti genus, huic insererem aedificio, quin illud, aut ratione aliqua, aut exemplo, aut probati auctoris testimonio comprobaretur: satius enim esse existimaui, partem aliquam debitis ornamentis carere, quam peregrino aliquo, & minus conuenienti, quasi corniculam suffuratis plumis, conuestiri.

Huius igitur rei gratia inter omnia semicolumnarum, vel parastadum capitella, quasi ex volutis pendentes corollas quasdam appendimus, quas vulgo, voce ab Italis mutuata, appellamus *festones*. Hi autem varijs composita sunt

ORNAmenta illa, quae Itali festoni appellant, in templo Salomonis.

A sunt quasi pomis, ac fructibus inter virentes arborum ramos, & frondes pulcherrimo quasi naturae artificio reconditis: quod ornamenti genus ab Hebraeis primum obseruatum fuit, deinde à Gentibus. Hunc autem gentium ritum retulit, & reprehendit Tertullianus. In quorum, inquit, & antiquitatibus, & solemnitatibus, & officijs conuenitur. Ipsae denique fores, ipsae hostiae, & arae, ipsi ministri, & Sacerdotes eorum coronantur. Id tamen multis rationibus confirmat nulla ratione esse Christianis imitandum. Quod quia tamdiu Christianis fuit inhibitum, quamdiu pessimi alicuius idololatriae ritus speciem aliquam referre potuit, non multo post à Christianis in suis solemnitatibus libere, & licite obseruatum est.

Tertul. lib. de corona milit. cap. 10. & 13.

ECCLESIAS floribus, & coronis ornare, quondam vetitum Christianis timore idololatriae.

B Laudat Hieronymus Nepotianum, quòd basilicas Ecclesiae, & Martyrum conciliabula, diuersis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit. Quod quidem obsequium Martyribus exhibitum gratum Deo inprimis fuisse testantur subsequuta miracula, eritque omnium instar, quod à Sancto Augustino relatum est illis verbis: Caeca mulier, vt ad Episcopum portantem pignora sacra, reliquias nimirum protomartyris Stephani, duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admouit, protinus videt. Haec Sanctus Doctor. Sed ad coronas reuertamur.

S. Hierony. ad Heliodorum Epist. 3.

S. August. lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 8.

Has porro coronas marmoreas tandem fecerunt gentes in superstitiosis suorum Deorum templis. Eiusmodi vero consuetudinem cum priori, ex qua desumpta est, ex aemulatione veri Dei, templi, & antiqui cultus desumptam esse facile licet conijcere: de hac enim auctorem libri Machabaeorum locutum fuisse existimamus, cum instaurati templi retulit historiam, & subdit: *Ornauerunt faciem templi coronis aureis*: coronas enim illas lapidibus insculptas, quas auro obtexerant primi instauratores, aurum sitientes euersores turpiter foedauerant, easdem nunc pristinae restituunt pulchritudini, aureis deinde bracteis illas operientes, quas licuit coronas aureas

1 Machab. 4. ℣. 57.

D appellare. An vero ex antiquo coronarum in sacris vsu huiusmodi aedificij ornamenta desumpta fuerint, an vero quia condecens visum sit architecto hoc ornamenti genus, non est integrum statuere, praesertim cum idem, quem laudaui, Tertullianus, omnino templo Dei, tabernaculo, aut eorum instrumentis famosas coronas neget. Sed certe Tertullianus, vt inhibitas ostenderet fuisse Christianis coronas illas, quibus publica fieret idololatriae attestatio, nullum vellet vsquam eiusmodi coronarum exemplum reperiri.

Tertull. ibid. cap. 9.

FESTA fronde portas templi coronare licitum, & praeceptum Hebraeis.

E At cum eiusmodi sceleris nulla nunc subesse videatur suspicio, & portas festa fronde coronare iam liceat, exquirendum est diligentius, num idem antiquis illis temporibus etiam licuerit. Verum enimuero non modo licuisse, sed etiam lege praeceptum fuisse videtur in Leuitico: *Sumetisque vobis*, inquit, *die primo fructus arboris pulcherrimae, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & laetabimini coram Domino Deo vestro*. Hos autem ritus, qui proprij videbantur esse festi tabernaculorum, ad omnes etiam festiuitates pertinuisse putauit Abben Ezra, qui verba illa Psalmi: *Constituite diem solemnem in condensis, vsque ad cornu altaris* verba esse arbitratur, quibus Sacerdotes sequentis diei quamcumque festiuitatem populo denuntiabant. Quamuis Hebraea in alium sensum conuertant

Leuit. 23. ℣. 40.

FESTVM tabernaculorum.

R. Abben Ezra Exod. 23.

Psal. 117. ℣. 26.

A interpretes, Ligare festum funibus. Quod ex notione vocis *mazgaboth*, originem ducit, quippe quae implexum significat, siue condensatum: nonnunquam de funibus implexis dicitur, vt in libro Iudicum, & apud Prophetam nostrum. Sed aliàs saepe vsurpatur pro folijs, ramisque perplexis, vt praeallato Leuitici loco, & apud Nehemiam, vbi eiusmodi ligni densarum frondium fit mentio. Quapropter apte Sanctus Hieronymus locum Psalmi conuertit, Frequentate solemnitatem in frondosis, vsque ad cornu altaris.

Iudicum 16. ℣. 12. & Ezech. 3. ℣. 25. Nehem. 8. ℣. 15.

Sed lubet referre Genebrardi sententiam, quae mihi cum aliàs, tum vero hoc loco maxime placet. Septuaginta, inquit, sequuntur dumtaxat

Genebrardus in Psal. 117. ℣. 26.

B sententiam, & allusionem vmbrae ad veritatis lucem vertunt, quod in Euangelio victimae illae cruentae puro essent, & incruento cultui cessurae. *Diem solemnem* festumque proprie. *In condensis* frondium, & ramorum, in ramosis, in frondosis, ramis densis, & perplexis. Die tam laeto, & fausto redimite atria templi, immo vero totam vrbem, & loca, quae Dominus ipse vectus asina pertransibit, & frondibus, & corollis, iuxta morem festi tabernaculorum: ornate vrbem, & templum, vt solemnitas sit celebrior, & magnificentior. Hactenus ille. Sed in libris Machabaeorum testatum habemus huiusmodi frondium, at-

2. Machab. 10. ℣. 7.

C que ramorum vsum: *Propter quod Thyrsos, & ramos virides, & palmas praeferebant ei, qui prosperauit mundari locum suum*. Haec enim laetitiae signa fuerunt, vt olim mos erat. parta enim victoria castrorum tabernacula hedera, lauro, ceteraque fronde, aut cespite, laetitiae causa ornabantur, vt Plutarchus testatur, & Appianus.

Plutarch. in Aemilio & Mario. Appian. lib. 3. belli ciuil.

Sed quidquid sit de origine huiusmodi ornamentorum, illud vnum omnibus debet esse perspectum, omnes, ac singulas templi partes, omniaque instrumenta templi folijs, frondibus, floribus, fructibus fuisse exornata; vt suis locis ostensum est, & vbique poterit esse manifestum. Sed illud inprimis ad praesens institutum mirifice facit, quod maxime notandum est; coronas huiusmodi aureas dici: quippe cum ex capitellis palmarum spatulis exornatis eiusmodi coronae pendeant, victores enim iusti in patria, & palmas in fronte gestant in modum coronae, & fructibus operum suorum fruuntur, quos caritatis feruor decoxit, eosque in aurei decoris substantiam conuertit, ac pretium.

CORONAE in templo victorias iustorum significant.

Florum item, ac frondium fasciculis summum templum vndique exornauimus, hos autem fasciculos vasis contineri finximus vtriusque enim rei exemplum nobis suppeditat, vt vidimus, aureum templi candelabrum. Scyphi enim in nucis modum, siue amygdalati referuntur fuisse, ac etiam lilia. Accedit quod Iosephus inter ornamenta templi haec enumerat: Exterior autem facies nihil, quod animus, aut oculi mirarentur, non habebat. Crustis enim aureis grauissimis vndique tecta, vltra primos ortus igneo splendore lucebat, vt cum intuerentur, contendentium oculi, quasi Solis radijs auerterentur. Hospitibus quidem aduentibus procul monti niueo similis videbatur: nam vbi deauratum non erat templum, candidissimum erat. In summo autem aureis veruibus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur. Huiusmodi porro veruibus ordinem, ac dispositionem, qua certe non caruerunt, tribuere dum cogitamus, non aliam iucundiorem, & ad vsum magis accommodatam inuenire potuimus, quàm si floribus insererentur, vt veluti ex occultis insidijs incautas auiculas ado-

FLORIBVS ac frondium fasciculis summum templum coronatum fuit.

Supra lib. 4. cap. 56. huius part.

Ioseph. 6. Belli cap. 6.

las adorrentur. Sed ea videtur esse huius floridi ornamenti potissima ratio; quòd nullum aliud magis deceat templum illud, quod propriè, vt dixi, Christum referebat: & lapidem imprimis illum angularem, cui tres imponuntur fasciculi, vt magis, ac magis posset referre Christum Iesum, qui & *Nazarenus* vocatur, idest, floridus, *idemque flos campi, & lilium conuallium*, ac tandem *fasciculus myrrhae* merito appellatur. Sed adhuc extat Hierosolymis huius rei exemplum, minime contemnendum. Quod enim sibi fecerat Absolon monumentum in valle Regis, quam vocant, Iosaphat, & stat vsque in hodiernum diem cum nomine sepulchri Absolon, vt oculati testes affirmant: floribus in summo exornatur, vt à temporibus Salomonis compertum sit, in vsu semper fuisse, aedificia floribus desuper exornari.

TEMPLVM floribus ornatum Christum significat Nazarenum florem campi. Matthaei 2. ℣. 23. Cantic. 2. ℣. 2. & cap 1. ℣. 13. 2. Reg 18. ℣. 18.

ABSOLONIS sepulchrum floribus lapideis exornatum. Zuallardus lib. 3. suae peregrinati. Die 2.

Tandem in metopis praeter Cherubinorum capita peltas etiam adiecimus, siue scuta; quod ea in libris Machabaeorum adiecta fuisse notentur. *Ornauerunt*, inquit, *faciem templi coronis aureis, & scutulis*. Quae aliquibus visa sunt in illorum locum suffecta esse, quae ex auro, & maximi ponderis fecerat Salomon, quibus sublatis, Roboam aerea fecit: Machabaei denique, qui aurea scuta adhibere nequierunt, adhibuere scutula. Sed cum scuta à Salomone facta, vt supra ostendi, in alios deputarentur vsus, atque in domo saltus Libani asseruarentur, haec scutula in ornamentum templi deputata fuere, vt hic locus aperte testatur, neque maiora illa fieri oportuit, quàm quae à metopis possent contineri.

SCVTA aurea, seu scutula ad ornamentum templi. 3. Reg 10. ℣. 16. & cap. 14. ℣. 27.

Sed extat aliud quoque Iosephi testimonium, asserentis omnes templi porticus barbarorum spolijs fuisse exornatas. Circum templum affixa erant, inquit, spolia barbarica, quae omnia Herodes denuo dedicauit, additis etiam recentibus Arabicis. Et merito eiusmodi spolijs exornabatur templum, quod totum ex spolijs barbarorum constructum, locupletarumque fuit: quod sacrae testantur historiae. Tum vero maxime, quod idem ipsum aedificium Christianae Reipublicae symbolum est, quam eiusdem Princeps, & summi Regis vicarius populum acquisitionis appellare non dubitat: hoc est, populum, quem acquisiuit sanguine suo Rex Optimus, Dominusque vniuersorum Christus IESVS.

PORTICVS templi spolijs barbarorum ornatae erant. Ioseph 15. antiq. cap. vlti.

TEMPLVM spolijs barbarorum ornatum, Ecclesiae typus fuit. 2. Reg. 8. ℣. 8. & 11. 1. Petr. 2. ℣. 9.

Accedit quod hoc proprium est effugij domus, quasi asylum in quo non modo tecti, ac tuti ab hostibus manere solent milites Christi, sed & armaturam fidei assumere possunt; vt possint stare *succincti lumbos in veritate*. Veritas pro iure accipitur. Iustitia enim quod verum, rectumque est, denotat: sit ergo balteus, quo accingimini ad bellum, firmum propositum faciendi, atque dicendi, quod rectum est. Quod Hispanice diceremus, vna resolucion firme de hazer razon. *Et induti loricam iustitiae* factis exequentes, quod voluntate statueratis. Loricam, inquam, omnium virtutum assidua exercitatione, quasi aureis annulis contextam. *Et calceati pedes in praeparationem Euangelij pacis*. Sicut enim discalceatus incedere formidat, ita calceatus intrepide per spinas, tribulos, & saxa progreditur. Haec autem praeparatio est ad Euangelium, cuius proprium quasi cognomen est, pacis, atque adeo ab hostibus pacis maxime oppugnatum. quae pax & denotat exequenda omnia, quae ab Euangelio praecipiuntur, quamuis ardua, & plerumque difficilia, & ea, quae ad defensionem necessaria sunt, ne scilicet timeatis si quando à vobis ratio exigatur fidei. In omnibus, vel super omnia, *sumentes scutum fidei*, prae oculis semper habentes, non quae ab hostibus proponuntur, vt vera, & delectabilia bona, sed quae à fide. *in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Nequissimus enim hostis, & fallax est, occultans missilium venena ignea, varioque stratagemate, quasi ex insidijs, eiaculans. Sed omnia detegit fides, & ita extinguit telorum venena, vt tanquam inutilia abijciat deinceps manifestatus insidiator. *Et galeam salutis assumite*, obnubilate caput salute IESV, gratia Christi, & spe in illum fixa, in quo vno salus est, non in vobis. *Et gladium Spiritus*, quo spiritus nequam percuti, & caedi possunt, *quod est verbum Dei*, exemplo ducis nostri, qui hoc eodem gladio iniquissimum tentatorem deiecit.

ARMA militis Christi quae sint.

Ephes. 6. ℣. 14 15. 16. 17.

S. Ioann. Chrysostom. Homil. 24 in Epist. ad Ephes.

CALCEI pedis Christiani militis.

GALEA salutis quae sit.

GLADIVS Spiritus quis sit.

Quae omnia ad templum propriè spectare putanda sunt, quod Ecclesiam repraesentat, quam amanter alloquitur Christus, cum ait: *Collum tuum sicut turris Dauid*, sic dictam putant nonnulli huius aedificij turrim. neque immerito, cum Dauidis potius sit hoc aedificium; qui, partis de hostibus victorijs, effusoque sanguine, opes acquisiuit, ingenti solertia ligna, & lapides praeparauit, ac tandem Dei manu, ac beneficio singulari descriptiones eius, ac leges accepit, & filio cuncta opere exequenda distribuit: quàm ipsius Salomonis, qui iussa paterna exequutus est. *Turris*, inquam, *Dauid, mille clypei pendent, ex ea, omnis armatura fortium*. Sed de ornamentis iam satis superque dictum est.

Cantic. 4. ℣. 4.

DE

DE TEMPLI OPIBVS DISPVTATIO TERTIA.

DE VASORVM NOMINE, ET AENEA MATERIA.

Cap. XXXVI.

QVAE de templo diximus, omnia eo spectare videntur, vt eius magnificentiam, & opes ob oculos studiosorum proponamus, quas nisi cum nostrae aetatis opibus conferre voluissent, omnino perspectas habere potuissent. Sed eiusmodi collatio, quae infinitis pene partibus has nostras ab illis superari demonstrat, fidem lectoris adhuc videtur exoptare: proteruus autem fidem ne sperare quidem potest: tot enim effingit effugia, tot figmenta, tot somnia, ne veritati oculos aperiat, aut manus det; vt ne longissima quidem oratione illum persuasum fore speremus, nedum hac nostra, quam breuissimam fore decernimus. Atque adeo summa tantum capita persequemur, ex quibus reliqua cognoscere prudens lector, veritatisque studiosus facile possit. Ac primum de templi vasis, quae pretio, aestimatione, pondere, ac numero sunt propemodum infinita. Eadem vero, quae hoc capite percensenda suscipimus, persequitur auctor historiae Regum, quae licet forma, vsu, magnitudine, atque materia longe fuerint diuersa, omnia tamen vasis nomine comprehendit. *Omnia vasa*, inquit, *quae fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini de aurichalco erant.* Et post pauca subdit: *Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis auream: & candelabra aurea*, & quae sequuntur. Quibus verbis duo sese nobis offerunt exponenda: primum, quid sit, quòd tam varia instrumenta vasis nomine comprehendantur: deinde, quaenam sit haec aeris materia, quae aurichalcum dicitur.

3. Reg. 7. ℣. 45.

Ibid. ℣. 48.

NOMINE vasis multa, ac varia in scriptur. significantur.

Ac primum vasa Hebraice habentur כלים kelim, plurale vocis כלי celi, quae vox tam late patet, quàm Graecis σκεῦος sceuos, & fortasse latius, complectitur enim omnia vtensilia, instrumenta, ornamenta, vestes, supellectile, arma, quidquid denique in humanos vsus paratur, consumitur, & perficitur. Hoc enim denotat origo, & vox כלה calah, à qua deducitur. Vt propterea Ecclesiasticus Solem maxime laudet illis verbis: *Sol in aspectu* in ortu suo cum primum spectandum orbi sese praebet. *annuncians in exitu, vas admirabile*, epithetum est Solis; quasi admirans exclamet *vas admirabile*, quod Hispanice diceremus *rica pieza, opus excelsi.* Quasi dicat, exoriens Sol, in ipso ortu suo annunciat admirabile opus Dei, quippe qui splendidissimum, pulcherrimum, ac maximum luminare creauerit. vel, cum primum luce sua mundum illustrat, eidem admirabile Dei opificium annuntiat, & creata omnia patefacit, quae tenebris, & caligine noctis pene sepulta iacebant.

Ecclesi. sic. 43. ℣. 2.

SOL IN Scripturis cur vocetur vas admirabile.

COPIAE militares vasa in Scripturis vocantur.

Huc etiam referuntur castra, & militares copiae vasis nomine appellatae, tum quòd instrumenta sint ad bellandum, tum vero quod ordine, dispositione, ac pulchritudine sint consummatae, atque perfectae. *Vas castrorum*, inquit idem Ecclesiasticus, *in excelsis, in firmamento caeli resplendens gloriose.* gloriose, inquam, splendens in excelsissimo firmamento caeli, castris, militiaque stellarum. Quod autem sub aenigmate obscuriore protulerat, explicat subdens, *species*, pulchritudo, decor, ornamentum *caeli*, est *gloria stellarum*, illustris splendor astrorum, quem castris similem esse dicit ordine, stabilitate armorum, quasi splendore, ac multitudine, vt propterea stellae caeli militia saepius appellentur in sacris Literis. Quae omnia propterea retuli, vt ostenderem hoc eadem voce, ac nomine omnia comprehendi templi instrumenta: tum vero ea sic dici, quòd perfecta fuerint, atque omnibus suis numeris absoluta.

Ibid. ℣. 9.

Ibid. ℣. 10.

STELLAE in Scripturis militia vocantur.

Quod ad vasorum materiam spectat, quaenam fuerit, & vnde parta, expressum quidem habetur in sacris Literis: qua de re vnà cum pretiosa aeris materia me supra sermonem fecisse memini. Sed quoniam aes Corinthiacum eiusmodi metallum referre posse arbitrati sumus, illud in eam sententiam magis confirmandam afferri posse censuimus, quod in textu Arabico, Collegij Maronitarum, quod Romae est, legitur. ibi enim aere Graeco, vel, vt alij exponunt Cretico, sed pressius in Syro eiusdem Collegij textu *Neboso corinthinoco*, legitur: hoc est, aere Corinthio. Cuius rei expositionem praeferunt lexica. Aes, inquiunt, Corinthium, siue Graecum, & ipsum est aes, in quo est pars aurum, pars argentum, & pars aes. At in Chaldaica nostra paraphrasi

Supra Cap. 34 huius libri.

EX QVAnam materia vasa templi fuerint.

phrasi legimus, aes bonum, quod in idem recidit. Accedit Vulgatae nostrae auctoritas, quae aurichalcum legit, pro aere.

AVRICHALcum, & orichalcum quid sit.

Scio Grammaticos contendere legendum esse orichalcum, quasi aes montanum, satis tamen nobis videri debet, quod neque ab illis aureus color metallo huic negetur, quem satius fuit voce referre, quidquid apud Poëtas syllabarum quantitas refragetur. De vasorum porro templi pretiosa materia nihil est omnino dubitandum: cum Esdras Propheta nihil minus de eius laudibus dixisse videatur ab eo, quod Iosephus dixerat: *Et vasa*, inquit, *aeris fulgentis optimi duo, pulchra, vt aurum*. Hebraice: desiderabilia, vt aurum. Hebraice quidem legitur נחשת nechoseth, cuius vocis duplicem notionem erudite persequitur noster Pineda, quippe quae plerumque aes significet, quod nos bronze appellamus, nonnumquam etiam chalybem, ex quo arma fiunt acuta potissimum, ad feriendum. Quod intelligemus, quamuis igne liquatum fundatur, & in vasa etiam formetur; tamen nihil aliud ad praesens institutum facere posse arbitramur. Scit enim optime sacra Scriptura ferrum ab aere distinguere, vt plene distinxit eodem plane versu, quo metalla templi recensentur. *Aeris*, inquit, *& ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine*.

Esd. 8. ℣. 27.

Pineda in Iob. cap 2. ℣. 24. nu 4.

Huc merito referet aliquis, quae de Moysis labro scripta leguntur: *Fecit*, inquit, *& labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi*. Hebraice: Et fecit concham aeris, vel aeneam, eadem vox habetur נחשת nechoseth, & basim eius נחשת nechoseth aeris, במראות bemaroth in speculis. quam vocem, eiusque notionem supra à nobis explicatam, iterum nunc resumere non oportet, satis enim est affirmare, illam ab omnibus fere interpretibus in specula conuerti, in speculis, inquam, exercentium, quae conueniebant, ad ostium tabernaculi. Septuaginta: Et fecit labrum aeneum, & basim eius aeneam, de speculis ieiunantium, quae ieiunauerunt apud ostia tabernaculi testimonij. Chaldaeus: De speculis mulierum, qui, pro quae, veniebant, vt orarent in ostio tabernaculi foederis. Cum eodem sentit Chimchius, praeterquam, quod, quae veniebant, vel congregabantur, legit, ad ostium tabernaculi. Aben Ezra locum hunc apte videtur exponere: Vocantur, inquit, proinde specula illa, ex quibus conflatum est lauacrum illud aeneum, specula mulierum, quod haec peculiariter pro capitum suorum compositione ijs vti solebant: sicut & apud Isaiam, luxus ille filiabus Sion improperatur. Mulieres vero, quae à se saeculi vanitatem reiecerant, & soli Deo placere studebant, portabant huiusmodi specula, & in ministerium Domini offerebant & per singulos dies certo tempore veniebant ad tabernaculum, Dominum adoraturae. Haec ille. Quibus nil praeterea addendum censui, quod attinet ad mulieres specula offerentes.

Exod. 38. ℣. 8.

Supra lib. 3. huius part. cap. 4.

LABRVM aeneum de speculis mulierum quidnam fuerit, & quomodo factum.

R. D. Chimchius.

R. Aben Ezra.

Isai. 30. ℣. 17. & deinceps.

MVLIERES quae se Deo dicabant, specula Deo in templo offerebant.

Illud certe difficultatem mihi diu fecit non modicam, tum quod speculorum materia minime videretur mihi aenea esse, & tamen sacrae Literae, vt vidimus, & aeneam materiam appellent, & ex speculis factam tum vero maxime, quod minus apta videretur materia ad vasa fundenda. Vtrique tamen difficultati mihi iam pridem experientia ipsa satisfecit, additis etiam scriptorum magnae auctoritatis testimonijs.

A Ac primum: Optima specula, inquit Plinius apud maiores fuerant Brundusina, stanno, & aere mixtis. Et de stanno iterum. Specula quoque, inquit, ex eo laudatissima, vt diximus, Brundusij temperabantur, donec argenteis vti coepere & ancillae. Sic Plinius. At Vitruuius, & speculorum vsum in aedificijs fuisse testatur, & quae materia, & qua ratione sit aptior, breui oratione demonstrat. Quemadmodum enim, inquit, speculum argenteum tenui lamella ductum incertos, & sine viribus habet remissiores, remissionis corrigo, splendores: quod autem e solida temperatura fuerit factum recipiens in se firmis viribus politionem, fulgentes in aspectu, certasque considerantibus imagines reddit: sic tectoria, & cetera quae sequuntur. B Negat igitur argentum aptam esse speculis materiam, quod minus solida materia cum sit, minus recipit politionem, id autem vnum à frigida stanni materia aeri admixta praestari cognoscimus, vt firmiori sit temperatura, atque adeo ad specularem politionem magis apta.

Plin. lib. 33. cap 9 & lib. 34. cap. 17.

SPECVLA ex qua materia aptiora fiant.

Vitruu. lib. 7. cap. 3.

Quod vero ad speculorum vsum attinet, idem exposuit Vitruuius illis verbis: Ipsaque tectoria, inquit, abacorum, & speculorum diuisionibus circa se prominentes habent expressiones. In cuius loci expositione non possum cum Adriano alioqui erudito consentire, qui, Diuisiones abacorum, inquit, in tectorio prominentes vocat formas quadratas, speculorum rotundas, inhaesit in duobus nominiC bus. Haec ille. Ego vero non solum nomina, aut formas prosequutum fuisse Vitruuium crediderim, sed rem etiam ipsam: quippe cum specula aliquot ego ipse habuerim ex aedificijs antiquis desumpta, quae quadrata forma inter abacos porphireticos, & abacos etiam aliorum specularium lapidum mirum in modum exornasse creduntur aedificia: nunc vero vetustate, & aerugine attrita vix formas referebant cominus intuentibus.

VSVS speculorum in aedificijs Vitruu. ibid.

Adrian Turnebus aduersar. lib. 26. cap. 3 & lib. 2. cap. 3.

SPECVLA ex varia metalli materia.

Haec eadem specula superaddito metallo eiusdem plane substantiae, quo à nostris cymbala funduntur, in quasuis formas facillime efformantur, quae expolita postmodum admirandam D praeberent aspectui pulchritudinem, astantium rerum formis pene exornatam. Qua ratione expolitum illud vas aeneum à Moyse conflatum incredibili fuisse credendum est venustate, atque decore. Accedit quod ipsa speculorum crassitudo, ipsumque pondus facile suadet tantam aeris copiam facile congeri potuisse, quae ad magnum illud vas quinque cubitorum cum basi sua sufficeret: quippe cum speculum longum, ac latum palmum vnum Romanum, viginti & eo amplius libras penderet. Quo etiam referri potest, quod quia nitore, ac splendenti candore conspicuum hoc metallum enses ex chalybe, aut puriori ferro cusos, & expolitos referret, eadem aeris voce E ferrum eiusmodi significaretur, haud secus quàm vulgo tum Italis, tum Hispanis contingit, vt specula illa appellent d'acciaio vel deazero, quibus nominibus ferrum illud appellant. Qua in re non crediderim Salomonicum vas ab illo Mosaico fuisse superatum, quin quod exsculptum non esset, perpolitum fuisset, vt de eo vere dici potuisset, quod de suo opere tectorio dixit Vitruuius: non modo fiunt nitentia, sed etiam imagines expressas aspicientibus ex eo opere remittunt.

LABRVM Moysis quam pretiosum, ac pulchrum.

LABRVM Salomonis pulchrius labro Moysis.

Illud quidem silentio praetereundum non est, quod idem vas, quod aquam praebebat maculis abluendis copiosam, ipsum munditia, ac nitore suo extergendas maculas ostendebat.

Hanc

Seneca lib. 1. natur. quaest. cap. 18. Hanc enim putauit Philosophus ille inueniendorum speculorum fuisse causam: vt homo ipse se nosceret, formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset. Sed magis ad rem sapientissimus alter Philosophus, qui non minus factis docuit, quam verbis, Sanctus Gregorius: *S. Gregor. Hom. 17 in Euang.* Specula mulierum sunt, inquit, praecepta Dei, in quibus se sanctae animae semper aspiciunt, &, si quae in eis sunt foeditatis maculae, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt, &c. Quibus si diligenter intendimus, internae nostrae imaginis maculas videmus: videntes autem maculas, in poenitentiae dolore compungimur: compuncti vero quasi in labro de speculis mulierum lauamur. Haec Sanctus Doctor. Quae de aeris materia dicta sufficient.

SPECVLA quem ad finem inuenta sint.

DE AENEI ALTARIS, ET COLVMNARVM *sumptibus, ac de harum pondere.*

Cap. XXXVII.

AD rem igitur propius accedamus: inter vasa aenea, primum locum obtinet altare illud aeneum, quod apposita figura, ac longiore commentario supra ita exposuimus, vt de eo nihil praeterea addendum sit, quod ad praesens institutum facere videatur. Nam praeter materiae incredibile pretium, quippe quam auro praetulerit Iosephus, ac praeter operis affabre, & artificiose facti venustatem, ac varias sculpturas: quis non videat haec eadem in infinitum prope augeri? expensa, vt alias ostendi, viginti millium talentorum multitudine. Sed haec cum alijs multis lectoris considerationi perpendenda dimittimus.

VAS AEneum ex qua materia factum, & quanti valebat.

Secundum locum in his obtinent aeneae illae columnae, quarum materiam eandem esse cum materia altaris paulo superius ostensum est: harum porro magnitudinem, ornamenta, partium mensuras, proportiones, & formam tam longa oratione persequuti sumus, vt huic loco nil praeterea addendum videatur, nisi forte aliquid exoptandum esset, quod ad earundem commendationem faceret. Sed ab his quoque consulto abstinemus, quia in promptu esse poterunt ei, qui Ieremiam ob oculos posuerit, eiusque lacrymarum vim profusam, acerbumque dolorem, quo deplorat facinus illud indignum, cum scilicet. *Confregerunt eas Chaldaei, & tulerunt omne aes eorum in Babylonem.* Qui cum iterum, ac tertio sermonem ibidem de huiusmodi columnis fecisset, quasi dolori habenas laxare vellet, enumerat

Ierem. 52. ℣. 17.

A earundem magnitudinem, mensuras, ornamenta, & partes.

Harum porro columnarum diu, multumque desiderauimus, praeter magnitudinem, ac reliqua, quae satis expensa sunt, & explicata, rationem aliquam ponderis habere: quod vnum ad earum aestimationem perpendendam maxime conducere posse videatur. Id quod haud difficile fuit inuentu, cum eandem ingressi simus viam, quam olim in exquirenda metallorum proportione tenueramus, & sicut ibi paratum cubum habuimus, sic in praesenti columnam quandam ligneam, cum sua trabeatione, fieri curauimus, cuius altitudo tota esset cubiti vnius, habereque

MODVS mensurandi, & ponderandi columnas aeneas.

B eas omnes partes, proportiones, & ornamenta, quae vnam quamque illarum aenearum habuisse ostensum est. Deinde ex eadem ligni materia fieri mandauimus corpus quoddam regulare, cuius mensura facili negotio, & exacte haberi posset, & pondus, quo mediante proportionem adinuenimus, quam lignum illud habet ad aes, quod in nostris tabulis est expensum. Est autem illa proportio eadem, quam habet numerus 11079. ad numerum 190399 [illegible].

QVAE PROportio sit ligni ad aes.

C His igitur sic comparatis, ad reliqua peruestiganda progressi sumus. Ac primum, quoniam, vt dixi, columna lignea nobis parata, (sic enim liber deinceps eam appellare) erat cubiti vnius cum sua trabeatione: aenea vero columna cum sua trabeatione ostensa est fuisse quinque & viginti cubitorum, necessario sequitur illius altitudinem esse huius partem quintam & vigesimam. Cum autem huiusmodi altitudines sint duo latera homologa similium columnarum, erit vnius ad alteram columnam illa eadem proportio, quae est cubi vnius cubiti ad cubum viginti quinque cubitorum, hoc est, vnitatis ad hunc numerum. 15625. si tamen eodem modo considerentur, nimirum vt sicut parata illa columna è ligno solida est, sic etiam aenea solida fuisse nunc existimetur, cauitas enim illius postea ex inuento pon-D dere subducetur.

Appendimus demum paratam illam ligneam columnam partibus vnciae sexcentis quadraginta, ex quibus columna pendit 39040. Et quia paratae columnae ratio, vt dixi, ad solidam columnam templi est eadem, quae vnitatis ad 15625. per regulam trium, columna templi, si ea lignea fuisset, ac solida, pendere debuisset ex eisdem partibus vnciae partes 610000000. Atque adeo cum proportio ponderis ligni ad pondus aeris, vel puri cupri sit vt 11079. ad 190399. [illegible]. per eandem regulam trium colligemus columnam vnam templi aeream, si solida ea fuisset, partes pendisse 10296419514 [illegible]

PONDVS vnius ex columnis templi aene, si ea tota solida fuisset, quantum esset.

E quae per partes vnciae 640 diuisae efficiunt vncias fere 16088155.

Verae demum columnae pondus ex inuento pondere facile quis rimabitur. Fuit enim columnae crassitudo palmi vnius, hoc est, quatuor digitorum. Quapropter aliam oportuit imaginari columnam solidam, & interiorem cauae illi columnae templi, quae esset exteriori omnino similis, cuius diameter minor sit diametro exterioris columnae duobus palmis: hoc est, sit palmorum decem, fuit enim exterioris columnae diameter duodecim palmorum, hoc est, duorum cubitorum, Et propter imaginariam, quam dixi, interioris, & exterioris columnae similitudinem, erit vnius ad alteram proportio eadem, quae cuborum la-

terum

terum homologorum. Nemque vt cubus duodenarij ad cubum denarij, vel, vt cubus senarij 216. ad cubum quinarij 125. quae eadem est, Atque adeo si fiat vt 216. ad 125. inuentum pondus solidae columnae vnciarum 16088155. ad alium numerum quaesitum, inueniemus vncias 9310275. pondus nimirum interioris columnae. Quod pondus si ex pondere totius columnae subtraxeris, relinquetur inanis columnae pondus vnciarum 6777880. hoc est, talentorum 4518. ac librarum 73. & vnciarum quatuor. quem numerum si duplices, habebis talenta 9027. libras 21. vncias 8. vel decem talentorum millia; quoniam probe scio interiorem illam columnam non potuisse similem omnino esse exteriori, sed multo minorem. Nam cum centro propinquior fuerit, non potuit omnia complere exterioris columnae ornamenta: quae res in vestigio ipsius columnae, quod super eius basi supra apposuimus, perspecta cuiuis esse poterit. In quo interiores striae multo minus sunt excauatae, quam exteriores, & eodem modo, eademque ratione licebit de reliquis ornamentis conijcere.

Vidimus cap. 25 huius lib.

Sed quoniam inter ea, quae de his columnis retulit Eupolemus, vt vidimus, illud constanter affirmauit, eas auro puro contextas fuisse digiti crassitudine: vt propterea auri expensi summam colligere volens, eius inprimis meminerit, quod in columnas expensum fuerat, libuit etiam huius auri pondus inuestigare. cuius rei gratia eius columnae, quam hactenus expendimus, diametrum fecimus duorum cubitorum: cum tamen supra ostensum à nobis sit, diametrum aenearum columnarum fuisse digitorum quinquaginta: quia nimirum duo digiti duobus cubitis sunt superadditi. Est ergo inprimis inuenta columnae quantitas aerea ad aurum reuocanda. Id quod facillimum erit per regulam trium ex proportione, quam suo loco ostendimus, aeris ad aurum.

COLVMNAE duae templi tectae auro puro.

Deinde per eandem regulam faciendam, vt sicut se habet cubus numeri 24. ad cubum numeri 25. sic inuentum auri pondus ad aliud: quibus perfectis, numerus, qui quarto loco est inuentus, dabit pondus columnae exterioris aureae, si ea solida esset. ex hoc igitur maiori numero minorem subduces, & sic inuenies crustam illam crassam digito vno cubiti sacri pendisse vncias 4318631. Talenta nimirum 2879. libras 10. vncias 11. atque adeo in vtraque columna auro tegenda expensa fuisse auri talenta quinque millia septingenta, quinquaginta octo, libras, vnam supra viginti, vncias decem, quae nonagesies quinquies decies centenis millibus, nongentis quinquaginta tribus millibus, centum vigintiquatuor exaequantur scutis monetae Romanae.

AVRVM quod columnas aereas contegebat, quantum ponderis habuerit.

Tal. lib. vnci.	
5758 21.10.	
84150000	
11781000	
36830	
2356	
2692	
224	
21	
950 3124	

Neque cuiquam incredibilis haec auri summa videbitur, si legerit Salomoni legata fuisse auri talenta centum millia, quae plusquam septies & decies priorem illam summam excedunt. An autem propterea summa fides habenda sit Eupolemo, non est mihi in animo statuere: liberum enim esse statuo cuiquam, vt id, quod volet, opinetur.

QVOT TALENTA auri Salomoni legata fuerint.

Ea, quae sequitur accurate delineata maris aenei figura eius prope incredibilem magnitudinem, subiecta cubitorum mensura, indicabit: maris porro admirabilem formam, ornamenta praeclara, quod basi duodecim bobus aereis suffultae imminebat, in eadem figura contemplaris. In qua etiam peluis aenea sub boum pedibus in crucis modum efformata est; quòd terni quique boues singulas caeli regiones prospectarent: totum vero hoc opus subiectis gradibus propter rei dignitatem suspendebatur. Quae omnia cum aeris, quo constabat, pondere is, qui sequitur commentarius, indicabit.

MA-

MARE AENEVM QVOD ERAT IN ATRIO TEMPLI INTERIORE VBI SACERDOTES LAVABANTVR



DE MARI AENEO EIVSQVE ORNAMENTIS, *vsu, & pondere.*

Cap. XXXVIII.

AENEI maris formam huic capiti praemittendam duxi, vt, quae supersunt de mari dicenda, breuius à me exponi possint, & à lectore, ea perspecta, percipiantur caetera facilius. Quae vna causa fuit, cur conchae formam eidem adiungeremus, de qua similiter in hoc capite agendum est. Quod vero ad maris Hemisphericam formam pertinet, eiusque mensuras, satis à nobis alibi confirmatum est, vt nihil praeterea addendum esse censeamus. De ornamentis vero disputatum quoque satis est, cum de basi columnarum ageremus. ea vero omnia hoc loco oculis, animoque peruoluat lector, vt facilius intelligat aliam quamdam loci Paralipomenon interpretationem hic apponendam. locus autem sic habet: *Et decem cubitis quaedam extrinsecus coelaturae, quasi duobus versibus, aluum maris circuibant.* Quae verba ad basis formam, & ornamenta ibidem retulimus, cui mare media sui parte insistit nullo alio intercedente ornamento: haec autem basis mare inter boues est, à quorum dorsis praedicta basis sustinebatur, vt in figura. Quam certe sententiam confirmare videtur ipse contextus, qui verba te[illegible] illis interposuit, quibus boum expressa fiebat commemoratio. *Similitudo quoque boum erat subter illud, & decem cubitis quaedam extrinsecus coelaturae, quasi duobus versibus aluum maris circuibant boues autem erant fusiles.* Aliam vero tribui posse textui expositionem indicant Latina nostrae Vulgatae verba, dum sculpturas has sub labio vbique maris fuisse testantur. cuius rei gratia duos illos coronarum ordines ita disposuimus, vt tres corollae essent in vnoquoque ordine: cumque maris circumferentia triginta cubitis definiatur, singulae corollae erant cubitorum decem, quot certe exigere videbatur Textus.

MARE AEneum hemisphaericum.

Tom. 2. Appar. par. 2. lib. 3. cap. 18.

Cap. 24. huius libri

2. Paralip. 4. ℣. 3.

MARE AEneum à dorsis boum sustinebatur.

2. Paralip. 4. ℣. 4.

DVO COronarum ordines in mari aeneo.

Aliud praeterea exponendum superest, quod ad maris vsum pertinet. Et primi quidem Mosaici labri vsum exposuit ipse contextus Exodi. *Et missa aqua,* inquit, *lauabunt in eo Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur.* De Salomonis vero mari sic scribit liber Paralipomenon. *Porro in mari Sacerdotes lauabantur.* Hebraice: Et mare, inquit, ad lauandum se Sacerdotes in eo. sic etiam Septuaginta. Sed ne quis quasi litterae inhaerens arbitretur Sacerdotes ipsum vas ingressos pedes, aut manus abluisse legendus est Hebraeus textus Exodi citati, & lauabunt ex ea, vtique aqua, Aaron & filij eius manus. Bene cum Caietano Lipomanus sensit. Non ergo in ipsa concha, inquit, sed ex ipsa lauabant manus, & pedes. Modus autem non est aliter scriptus, sed hinc insinuatur, quod per fistulam, quae claudi poterat, & aperiri, fluebat ex concha aqua ad abluendas manus, & pedes. Haec ille. Quod si in concha illa Mosaica, quae cum hac Salomonica comparata minima certe videbitur, nullus hominum arbitratus est Sacerdotes laua[ri] debuisse, quanto minus in hoc mari, cuius aquae infinita propemodum copia horrorem incuteret ingredi volentibus? erat enim quinque cubitorum ipsius aquae profundum, quanta nimirum erat cubiculorum circa templum altitudo, vt vel ex hoc colligas, quantum humanam excesserit altitudinem maris altitudo, vel aquae profunditas. Accedit quod aqua, in qua iam abluti essent pedes Sacerdotis alicuius, minus apta censeri debuisset ad abluendum alterius pedes, ad polluendas potius perquàm aptissima.

VSVS MOsaici labri.

Exod. 30. ℣. 19.

VSVS VASIS aenei Salomonis.

2. Paralip. 4. ℣. 6.

QVOMODO sacerdotes lauabant in mari aeneo pedes ac manus.

Caietan.

Lipoman. in Catena.

Quibus certe rationibus victi, quae satis firmae viderentur, neque vlla ex causa contemnendae, sub boum pedibus polubrum quoddam iam inde ab initio depingi curauimus, quod facile aqua per canales è superiori vase emissa repleretur, vt se vnusquisque lauare commode posset Sacerdos; mox vero effusa per occultos canales impura illa aqua, purior de denuo infunderetur, statim, ac alius accederet Sacerdos abluendus. Et quidem hoc ipsum, quod, coniectura tantum duce, olim depingi, aere incidi, excudique mandaueramus, luculentissimo Eupolemi ab Eusebio laudati antiquissimi scriptoris testimonio confirmare iam licet. Praeterea, inquit, labrum aeneum longum cubitis decem, sic enim legendum est, vt aliàs notaui, [la]tum denque [l]atum, quinque altum condidit. & coronam fecit ad eius basim eminentem, vt Sacerdotes conscendentes, pedes demersos abstergerent, & manus abluerent.

CORONA in basi maris aenei, in qua plena aqua pedes lauabant sacerdotes

Eupolem. supra allat. cap. 15. huius libri.

Est fateor nostrae coronae altitudo minor cubito, sed si ad coronae altitudinem gradibus exterius adiunctis peruenit existimemus, à vero forte non longe aberrabitur. Neque gradus sine ratione, aut testimonio fecisse videbimur, si Eupolemi verba attentius expendantur, qui conscendentes Sacerdotes affirmat, demersos intra coronam pedes abluisse.

AD ABluendos pedes ascendebant Sacerdotes per gradus

Porro sacrificia, & eorum ritus, & caeremonias à Patriarchis, & a lege deriuatas fuisse ad gentes, probare contendit hoc exemplo Lipomanus: siquidem Hesiodus Nunquam, inquit, mane Ioui, aut alijs dijs libes ardens vinum illotis manibus. Non enim audiunt, sed abominantur preces, videlicet si ad sacra irreuerenter accesseris. Quod profecto ex hoc loco, & non aliunde in morem venisse etiam gentibus credendum est. Haec ille, qui omnia ad exteriorem, publicamque honestatem merito retulit quippe quae interioris, quae maxime exquirenda sit, symbolum quoddam sit, & exemplum.

Lipoman. in catena.

Hesiod.

CAEREMOnia lauandi manus ante sacrificia deriuata etiam ad gentes.

Illud tandem exoptari posse videretur, vt boum altitudinem, quam sacra Scriptura non retulit, aliqua ratione definiamus. quam tamen disertis verbis expressit Eupolemus. Labri porro bases fecit teretes. Graece τορευτὰς, tornatiles posses vertere, aut terebratas. Haec enim omnia significat verbum, à quo vox illa deducitur. sed magis ad rem nostram fortasse facit ex Hesichij sententia consimile verbum, τορεύει interpretatus γλύφει, hoc est, sculpsit. quasi sensus sit, sculptorio opere factas fuisse bases has. Sic enim appellat boues, quos sacrae historiae referunt opere fusorio duodecim statuae nomine altitudinem. Statuitque eas sub labrum à dextris altaris. Verum de loco altaris supra à nobis disputatum est, cui consonat Eupolemus.

Hesichius.

ALTITVDO & magnitudo boum, qui erant basis maris aenei.

Maris pondus expendere haud difficile fuit cum fuisse ostensum sit semiorbis figura. quare maximi in sphera circuli diameter fuit cubitorum decem, semidiameter quinque, & haec fuit sphaerae interioris soliditas. Hanc Mathematicis rationibus ad palmos cubicos Hebraeorum reuocauimus,

MARIS AEnei diameter cubitorum decem.

mus, & adhibitis exactioribus, & maioribus quibusdam numeris, examinauimus, quo veritati esset computatio propinquior. atque inuentum hac ratione numerum seorsum asseruauimus. Aliam deinde dimidiatam sphaeram eadem ratione examinauimus, cuius diameter prioris Hemisphaerij diametrum duobus palmis excederet: tanta enim assignata est à sacris historicis maris crassitudo ex vtraque parte computata, ex alterutra enim parte mare palmo vno erat crassum. sublata igitur ex hac posteriore prius inuenta Hemisphaerij magnitudine, reliqui sunt palmi cubici quinque mille octingenti quadraginta quinque, cum quadam fractione, qui numerus multiplicatus per vncias septingentas viginti octo, quas in tabula ponderum quinta pendit palmus cubicus aeris, dabit vncias crassitudini maris 4255492 ⅕. hunc porro vnciarum numerum si diuidas per mille quingentas talenti vncias, agnosces maris pondus fuisse talentorum duorum millium octingentorum triginta sex, librarum centum viginti quatuor, vnciarum quatuor.

QVANTI pondebat totum mare aeneum.

Sed placuit aquam etiam expendere, cuius capax erat mare, vt videre possemus, quam haberet cum vase, à quo sustinebatur, proportionem. Et cum in tabula ponderum decima batus maior aqua plenus libras pendat centum octoginta, hunc numerum multiplicaui per bis mille batos, quos nimirum capiebat mare, & comperi aquam maris habuisse pondus librarum trecentarum se- A xaginta millium: hoc est, bis millium octingentorum octoginta talentorum: qui numerus inuentum prius aeris pondus tribus & quadraginta talentis superat, & vncijs octo, Quod si hanc ponderis differentiam aeri quoque tribuas propter extantes sculpturas, & prominens maris labium, facile credes, aequali proportione aquae pondus aeris ponderi respondisse, à quo continebatur; nisi forte aeris maius fuerit pondus, propter admixtam pretiosiorum metallorum portionem, quod maxime est verisimile. Interim tamen nos eam aequalitatis proportionem in reliquis vsurpabimus, quae certioribus inuenta est supputa- B tionibus.

QVANTI pendebat aqua quae erat in mari aeneo.

180
2000
360000

2880

PONDVS aquae quantum superauerit pondus aeris maris aenei.

Quod vero ad basim spectat, quae ex bobus duodecim constat, & basi, ac demisso prolubro; eius pondus breui, ac facili coniectura poterit esse perspectum si videlicet illud assumamus, quod ipsa ratio firmitatis videtur exigere, basim hanc pondere maiorem esse debuisse, quam vas ipsum super impositum aqua plenum, aut saltem tantundem pendisse, alias enim tam immensa moles in sublime erecta quolibet, vel leui, impulsu acta facillime caderet. quod à sapientissimo Architecto debuit esse praeuisum, atque adeo ne eueniret, prouisum, si ergo duplex basis pondus ponderi C maris adijcias vel quod in idem recidit, si praedictum maris pondus ternario multiplices, facile inuenies pondus maris cum basi sua fuisse talentorum octo millium sexcentorum quadraginta. Atque haec de mari dicta sufficient.

QVANTI pondebat basis maris aenei.

2880
3
8640

EX CAPITE SEPTIMO
LIBRI TERTII REGVM.

XXVII. *ET fecit decem bases aeneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis.*

XXVIII. *Et ipsum opus basium, interrasile erat & sculpturae inter iuncturas,*

XXIX. *Et inter coronulas & plectas, leones & boues & Cherubim: & in iuncturis similiter desuper: & subter leones & boues quasi lora ex aere dependentia.*

XXX. *Et quatuor rotae per bases singulas, & axes aeres: & per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se inuicem respectantes.*

XXXI. *Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: & quod forinsecus apparebat, vnius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat vnum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variae caelaturae erant: & media intercolumnia quadrata non rotunda.*

XXXII. *Quatuor quoque rotae, quat per quatuor angulos basis erant, cohaerebant sibi subter basim: vna rota habebat altitudinis cubitum & semis.*

XXXIII. *Tales autem rotae erant, quales solent in curru fieri & axes earum, & rady, & canthi, & modioli, omnia fusilia.*

XXXIV. *Nam & humeruli illi quatuor per singulos angulos basis vnius, ex ipsa basi fusiles, & coniuncti erant.*

XXXV. *In summitate autem basis erat quaedam rotunditas dimidy cubiti, ita fabrefacta, vt luter desuper posset imponi, habens caelaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa.*

XXXVI. *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quae erant ex aere, & in angulis, Cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, vt non caelata, sed apposita per circuitum viderentur.*

XXXVII. *In hunc modum fecit decem bases, fusura vna, & mensura, sculpturaque consimili.*

XXXVIII. *Fecit quoque decem luteres aeneos: quadraginta batos capiebat luter vnus, eratque quatuor cubitorum singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit.*

XXXIX. *Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram.*





BASIVM ACPELVIVM AENEARVM QVIBVS SACRIFICIA LA
VABANTVR ACCVRATA DELINEATIŌ.

DE

DE CONCHIS DECEM, EARVMQVE *basibus, sculpturis, & pondere.*

Cap. XXXIX.

LONGIOREM certe commentarium exigere videtur haec tam accurata luterum descriptio, in qua ab aliquibus exponenda certe merito dubitatur, diffusene, an confuse magis id fiat. Nos vero apposita figura, illis omnibus difficultatibus satisfecisse putabimur; praecipue item illius explanatione superaddita: quae enim difficilia videri possent, in textu alibi à nobis explicata sunt. Erant certe vasa patentia, quorum formam expressit liber Paralipomenon: *Fecit quoque*, inquit, *conchas decem*. Quae vox vas fuisse indicat patens, nec valde profundum, marinae conchae instar; quod forte vas exterius striis exornaretur, vt à natura solent praedictae conchae exornari. Hebraice, & in libris Regum, & in Paralipomenis vbique habetur vox כיר chiir, vel כיור chior, quam propriam radicem esse putant nonnulli, cuius notio ignoretur: alij vero à radice כור cur, deducunt, quae fodere significat, aut excauare, quasi dicant fossam excauatam, vel concauam. Hac voce appellatum est in Exodo vas illud, cuius aqua, vt superiore capite ostendi, lauabantur Sacerdotes. Est autem alia quoque huius vocis notio, quae in primo Regum libro indicatur. Cum enim filiorum Heli peccatum grande indicaretur: *Habebat*, inquit, *fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem* בכיר bachir, vel vt alia exemplaria, בכיור bachior, in concham. In hoc loco, inquit Rabbi Dauid, non est vas, in quo iugiter erat aqua, sed in quo lauabatur caro. In priori lauabant Sacerdotes manus, ac pedes, & habebat ora, foramina intellige, vel fistulas, è quibus egrediebatur aqua, quando Sacerdotes lauabant manus, pedesque: in altera lauabatur caro, & non habebat ora, nec iugem aquam. Hactenus ex Rabbino. Ex quibus licet colligere, praeallato loco sacrum Historicum ad conchas respexisse, harum certe, de quibus hactenus agimus, quam simillimas, quod si non forma, saltem vsu; nondum enim tunc templum Salomonis fuerat extructum. Quapropter Salomonem arbitramur conchas quidem fecisse ad lauandas carnes, illis certe similes, quas fecerat primum Moyses: quamuis eas magnitudine, ornamentis, mensuris fecerit multo praestantiores, atque illustriores, quibus etiam & ad apparatum, & pompam bases supposuerit, & rotas. Nam & de filijs Heli prospectum esse poterit, non in ollas modo, aut cacabos misisse fuscinulas, in quibus iam iam immissa caro coquenda esset, verum etiam in lebetes, conchas, aut luteres, in quibus carnes lauabantur, priusquam offerrentur, aut earum adeps adoleretur: quod denotat immolantium responsum, qui dicebant: *Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua.*

DECEM conchsrum formae
2. Paral. 4. ℣. 6.

CONCHAE aeneae decem in templo structae fuisse videntur.

1. Paralip. 2. ℣. 13. & 14.

R. Dauid in libro radic.

AQVA, quae erat in conchis, non erat perpetua

VSVS CONcharum erat ad lauandas sacras carnes

1. Reg. 2. ℣. 16.

CONCHAE decem basibus superpositae quadrangulis

Has autem conchas basibus superposuit, quarum pulchritudo, magnificentia, & sculptura adeo fuit insignis, vt singularum pene partium enu-

A meratione ab historico debuerit exornari. Eas describit Iosephus: quamuis in aliquibus numeris, codicum certe vitio (quod Graecis frequentissimum est) a sacra Scriptura, atque adeo ab ipsa veritate deflectat. Fecit, praeterea, inquit, labrorum decem bases aereas quadrangulas, harum quaeque longitudine fuit cubitorum quinque, quatuor legendum, substitutum enim est y, oscitante librario, pro, z. latitudine quatuor, altitudine trium. Huius operis partes seorsim fabricatae sic compingebantur. Quatuor erant columellae per totidem angulos dispositae quadrangulae, quibus latera basium vtrimque inserebantur. Hae autem quatuor columellae extensis desuper, & infra aeneis crassioribus laminis colligari debuerunt, vt composito B ex illis inani quodam, firmiorique parallelepipedo, eidem deinde coaptarentur tabulae, quam dixit Iosephus, has autem laminas veluti firmiora basis ossa, ornamentis distinximus, quae basis integra videbantur exigere, vt in ipsa figura apparet. Erat autem haec tripartita. Quod ipsa ratio postulare videbatur, ne oblongiori intercolumnio tabulae illae minus viderentur decorae. id disertis verbis testatus est Iosephus, quem imitati, duas alias interangulares finximus columellas intermedias, medio relicto spatio, aut pluteo quadrato, dupla latitudine extremorum.

Ioseph. 8. ant. cap. 2.

BASIS QVAdrata columellis pluribus distincta erat.

In intercolumnijs fuerunt ornamenta quaedam, quae enarrans proprijs vocibus interpres, C difficultatem attulit legenti, & non satis percipienti, quid eiusmodi vocibus significetur. Voces autem duae sunt, quae difficilius percipiuntur. prima est כלבם chelabim, à radice שלב salab, deducta, cuius notio similiter ignoratur. Eam tamen aptissime conuertit Vulgatus in Exodo: *In lateribus tabulae*, inquit, *duae incastraturae fient, quibus tabula alteri tabulae connectatur*. Et iterum: *Binae incastraturae erant per singulas tabulas, vt altera alteri iungeretur*. Quibus locis, quamuis omnes tum Hebraei, tum Latini consentiant in re, quae significatur, nimirum clausura, vel incastratura, tamen vix duo consentiunt in eius incastraturae modo assignando, quare nostrum etiam D interponere sensum minus videtur fore proficuum, satis enim erit indicare, Sanctum Hieronymum iuncturas conuertisse hoc loco, quem exponimus. *Et sculpturae*, inquit, *inter iuncturas, & inter coronulas, & plectas, leones, & boues, & Cherubim*. Iuncturarum igitur nomine intelligimus columellas illas, quibus aeneae basium tabulae inuicem connectebantur, vt à Iosepho testatum est.

INTERCOlumnia basis conchae ornamentis plenissima.

3. Reg. 7. ℣. 28. & 29.

LEONES, boues, Cherubim sculpta in tabulis basis concharum

Vox autem altera saepius repetita est מסגרות misgeroth, quam vocem exposuit Pradus, & nos supra multis exposuimus, cum simile ornamenti genus in mensa exquireremus. Vocem aptissime conuertit Vulgatus, *& inter coronulas*, inquiens, *& plectas*. coronulas autem ideo vocat huiusmo- E di ornamenta, quia cingerent, *plectas* vero posuit, aut plenas, quod est proprium coronae epitheton, vt videre est apud Lucretium.

Tum caput, atque humeros plexis redimete coronis.

Prad Tom. 1. in Ezech. cap 21 ℣. fol. 267 B 2.
Supra cap 55. huius lib.

CORONAE insculptae in conchis aeneis.
Lucret lib 5.

Quae sic appellari consueuerunt, quod arborum ramis, & floribus essent implexae. qua etiam ratione coronae in aedificijs insculptae, varijsque distinctae floribus, aut frondibus plectae dicerentur. aut etiam, quod sicut vndulatum opus dicebatur, quia referret maris vndas; ita etiam perplexum diceretur, quoniam non esset tectum, sed incuruum. Sed rem ipsam, quam persequimur, optime exposuisse videtur Vatablus. Abacos, inquit, habuerunt intra

Vatablus.

limbos conclusos. atque in abacis illis intra limbos inclusi leones erant, boues, & Cherubim: A hunc enim versum exposuisse videtur dum subdit: *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quae erant ex aere, & in angulis, Cherubim, & leones, & palmas. Et in angulis.* Hebraice habetur eadem vox ועל ומגרותיך veghal vmuggerotheca, & super clausuris eius; vt sensus sit, in abacis illis, siue tabulatis insculptos fuisse Cherubinos, & similiter in summa basi. Sed quoniam in angulis basis erant insculptae eiusmodi figurae Cherubim, ideo rem ipsam perpendens Vulgatus, angulos scripsit pro clausuris.

CHERVBInos leonum, boumque nominibus appellantur.

Supra cap. 43. lib. 4 huius partis.

De forma Cherubinorum, & quare ijdem ipsi Cherubini leonum, boumque nominibus appellentur, & in similitudinem hominis stantis fuisse dicantur, satis à nobis explicatum est. Itaque opus non est, in re satis confirmata diutius immorari. Est tamen hic animaduertendum, quod aquilae formam, quam coniecturis ibidem exquirebamus, cum eius mentio aperta in textu non fieret, hic retulit Iosephus: Et inter iuncturas, inquit, caelaturis distincta, alibi leonis effigie, tauri alibi, aut aquilae. Et iterum, Qua parte, inquit, effigies leonum, & aquilarum, sic erant adaptatae, vt connatas putares, interuenientibus inter eas, palmarum arbusculis. Graece φοίνικες τετορνευμένοι, id est, palmae tornatiles, seu teretes. Idem enim retulit Iosephus, quod textus ipse, quem paulo ante retulimus: vt haec palmarum inter Cherubinos dispositio ostenderet, nihil in sacris historijs, aut etiam alijs de Salomonis fabricis referri, quod sit alienum ab illis fabricae imaginibus, quas retulit Ezechiel, in quibus nihil est magis expressum, aut pluries repetitum, quam haec Cherubinorum, atque palmarum mutua connexio, & mirabilis dispositio, cuius etiam mentio fit in libris Regum.

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

AQVILARum forma à Iosepho relata.

B

C

CHERVBIM & palmae apud sacros historicos, & Prophetas

3. Reg. 6. ℣. 29.32.& 35.

Est certe in mystica, symbolicaque Theologia mirabilis consensio Cherubinorum cum palma: si enim illi caelestes spiritus indicant. (caelestes autem voco vel natura, & diuina participatione, vel caelesti consuetudine spirituum ad diuina tendentium) quonam aptiori coniungentur arbusculo, quàm palmae? Est enim, vt inquit Philo, arborum praestantissima, quae aspectu pulcherrima, fructum quoque fert optimum, & vitalem vim habet, non in radicibus defossam, vt ceterae, sed in summo, quasi cor, sitam in ramorum medio, à quibus circumquaque stipatur, ceu Princeps à suis satellitibus. Cuiusmodi natura est etiam mentis, quaecumque sanctitatem degustauit. solet enim haec sursum spectare, & in sublimibus versari, occupata contemplandis diuinis pulchritudinibus, nauci faciens terrena, & haec lusus reputans, illa seria. Haec ille. Sed palme symbola, in rem nostram accommodata, disertis verbis persequitur Sanctus Augustinus: qui verba illa Iobi exponens. *Sicut palma multiplicabo dies.* Aetas mea, inquit, senescit sicut arbor palmae: multo viuam tempore; prolongabitur enim, & ero, sicut arbor palmae, in honore sempiterno, & celsitudine, & rectitudine. Quae omnia quis non videat ad felicitatem patriae pertinere? Cuius quidem beati ciues Diuinae astantes maiestati, & gloriae, in penetralibus his similes sunt, qui puris quoque mentibus eidem astant maiestati, & eas, quas Deo offerre cupiunt, sacras oblationes aquis adhuc amplius lauant, mundant, sanctificant. Sed ad reliqua progrediamur.

QVAE consensio Cherubinis, & palmae.

Philo lib. 1. de vita Mosis.

D

PALMAE natura cum homine spirituali congruit.

S. August. Annot. in Iob.

E

Iob 29.℣.18.

ARBOR palmae diu viuens.

A

3. Reg. 7. ℣. 29

AVDIENS PAternam legem corona dignatur.

Describit praeterea aliud quoddam ornamenti genus, dum ait: *Et subter leones, & boues, quasi lora ex aere dependentia.* Quae Vulgatus lora vocat, Hebraeus sermo appellat, לוית liuoth, plurale vocis לויה liuiah, quae additamentum significat, id nimirum, quod ornamenti causa superadditur. Eius vsus est in Prouerbijs, vbi praemium proponitur audientibus paternam disciplinam, nec dimittentibus legem maternam: *vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*, quia לוית liuiath, accessio, copulatio, societas gratiae capiti, subaudiennt Septuaginta στέφανον χαρίτων, coronam gratiarum, suscipies, hoc est, gratissimam, & qua mediante apud Deum, & homines gratia augearis. Et iterum inter sapientiae dona haec numerat: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Septuaginta haud aliter, quàm superiora conuertunt haec verba. Vt det, inquiunt, tuo capiti coronam gratiarum, corona autem deliciarum protegat te. Chaldaeus: Et ponet in capite tuo pulchritudinem gratiae, corona splendoris erit super te. Vatablus, additamentum gratiae conuertit. Quae omnia simul collata in eam me sententiam adduxere, vt existimem hoc loco significari illud ornamentum, quod in ima basi luterum inter rotas pendet: in quo & lora, & corollas licet obseruare, ex leonum, aut boum, aquilarum, aut humanis capitibus dependentia, & additamenta videntur esse, quae locum illum exornarent, quem nulla ratione decuit suis ornamentis caruisse. Has autem, quas dixi, quatuor animalium facies in ima basi finximus, atque etiam in summa: nam tribus potissimum basis partibus insculptos fuisse Cherubinos indicat textus. *Et inter coronulas, & plectas, leones, & boues, & Cherubim.* Ecce primum locum in pluteis, aut tabularis, vt ostendi. *Et in iuncturis similiter desuper.* Ecce secundum: cuius formam mox indicat, cum humerulos illos appellat, similitudine, & positione. *Et subter leones, & boues quasi lora ex aere dependentia.* Ecce tertium, quod est Cherubinorum cum loris, additamentis, vel coronis coniunctum, vt paulo ante ostendi.

Prouer. 1. ℣. 9.

B

Prouerb. 4. ℣. 9.

CORONA gratiarum.

Vatab.

COROLLAE ex animalium capitibus pendentes.

C

3. Reg. 7. ℣. 29.

CHERVBINI in ima, & in media basi insculpti.

D

Superest vt de humerulis nonnihil dicamus. *Et per quatuor partes, quasi humeruli subter luterem fusiles contra se inuicem respectantes.* Et iterum: *Nam & humeruli illi*, inquit, *quatuor per singulos angulos basis vnius, ex ipsa basi fusiles, & coniuncti erant.* Hos autem humerulos facilius in figura posse considerari existimaui, quàm longa oratione describi. Quamuis eos recte definiat Iosephus, quem, post explicatas mensuras, & formas indicatas ipsius luteris, mox referam.

3. Reg. 7. ℣. 30.

Ibid ℣. 34.

HVMERVLI fusi super basim.

PES, SIVE basis luteris.

Describit igitur sacer Historicus pedem conchae, quem basim quoque licet appellare, aut cum Iosepho, spiram, quod tota esset in orbem ducta: sed ne idem basis nomen, quo hactenus vsi sumus, confusionem pariat, pedem luteris eam in sequentibus appellabo. Fuit autem pes hic summae tabulae praedictae basis coniunctus, hoc est, eadem fusura compositus, atque seorsum concha. Quod significauit textus dicens: *Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate.* hoc est, habuit luter ipsum quoddam foramen summae basi respondens, cui copulabatur, ita vt foramen, aut eius vestigium aliquod extrinsecus minime videri posset. *Et quod forinsecus apparebat vnius cubiti erat in summo, totum rotundum, pariterque habebat vnum cubitum & dimidium.*

E

3. Reg. 7. ℣. 31.

FORAMEN erat in concha, vt basis congeretur.

Pes

A Pes quidem luteris in imo latus erat secundum dimetientem lineam, quippe rotundus sesquipedem, in summo pedem, contrahebatur enim, vt solent similes vasorum pedes. Huius autem pedis altitudinem, atque vsum exposuit, subdens: *In summitate autem basis erat quaedam rotunditas dimidij cubiti, ita fabrefacta, vt luter desuper posset imponi, habens caelaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa.* Quo in loco mendum irrepsit Latino Vulgatae textui, qui habetur in Regio codice, vbi legimus, vnius & dimidij cubiti. vt propterea merito Sixtianus codex dimidium tantum cubitum scripserit, sublato addititio cubito. In Hebraeo vero, quae sit haec mensura testatum est: nam dimidij cubiti altitudine scribi- B tur, sicut & in Chaldaeo: quamuis in Graeco dimidij cubiti magnitudo eius legatur.

Ibid. ℣. 35.

REGII CODICIS MENDUM.

Sed & huius pedis formam disertis verbis exposuit Iosephus: Angulos autem, inquit, superne continebant fusiles humerali manuum extensarum: his imposita erat spira, cui labrum inserebatur, ita vt manibus sustineri videretur. si humeros pro manibus substituas, & Ioseph, & Scripturae sacrae textum facilius percipies, vt ex figura colliges, in qua ab illis quatuor animalibus alas suas inuicem coniungentibus sub pede luteris, quasi humeris luter sustineri videbitur: qua parte effigies leonum, & aquilarum sic erant adaptatae, vt connatas putares, interuenientibus inter eas palmarum arbusculis.

Ioseph. 8. antiq. cap. 10.

FORMA pedis, qui ab animalibus sustentabatur.

C Rotas denique, quibus haec omnis machina (sic lubet nunc eam cum Vatablo appellare) suspendebatur, disertis verbis describit contextus, earumque vsum, mensuram, materiam, & partes ita recenset, vt eo, quem supra apposui, contextu perlecto, vix quidquam addendum esse videatur, nisi vt verba illa attentius expendamus, quia aliquid innuunt praeter id, quod sonant. *Tales autem rotae erant, quales solent in curru fieri.* Hebraice: Et opus rotarum sicut opus rotae currus. מרכבה merchah. Vox est, quae currum, quadrigam significat, illam potissimum, quae ad pompam, & apparatum à Regibus solet comparari, sicut ab Absalone Regni paterni ambitioso fa- D ctum legimus. Sed eiusdem vsus est in libro Paralipomenon: *Aurum purissimum dedit* Salomoni Dauid, *vt ex ipso fieret similitudo quadrigae Cherubim.* Ac si sensus sit, rotas has basis conchae forma, & ornamentis similes fuisse rotis illius currus, cui insistebat arca, cui Cherubini astabant. Consonat autem haec expositio contextui, qui similitudinem currus in eo videtur constituere, quòd omni ex parte fuerint fusae rotae. *Tales autem rotae erant, quales solent in curru fieri, & axes earum, & radij, & canthi, & modioli, omnia fusilia.* In vno vero illo curru Cherubim huiusmodi rotae ex auro fusiles erant: in reliquis autem curribus, qui fieri solent, ligneae E fiunt eiusmodi partes, non vero ex aere fusae. Accedit his Chaldaea paraphrasis, quae sic legit: Et opus rotarum erat, sicut opus rotarum currus gloriae. Nomine autem gloriae arcam testamenti intelligi solere, pluribus supra exemplis indicatum à Prado est. Sed de his hactenus.

ROTAE basium luterum.

3. Reg. 7. ℣. 33.

ROTAE currus.

2. Reg. 15. ℣. 1.

1. Paralip. 28. ℣. 18.

ROTAE basis & currus gloriae, hoc est Cherubinorum, similes.

P. Prado Tom. 1 Comm. de 1. Vis. Sec. 4. & in cap. 1. Eze. ℣. 1.

Pondus vnius conchae cum basi sua ita examinauimus, vt ea, quorum notae essent mensurae, tantummodo expenderentur in minima, qua esse possent, mensura: ne exaggerare quidquam videremur: reliqua vniuscuiusque arbitrio statuenda dimitterentur. Iam vero concham ipsam mensuris sacrae Scripturae examinare A non fuit difficile: cum nota sit quantitas aquae, quam capiebat, quadraginta nimirum batorum: cumque eius etiam diameter fuerit quatuor cubitorum, atqui bati cubicumlatus fuerit semicubitus, vt alibi a nobis ostensum est. Quod si circa aquae corpus aliud imaginemur aereum, aeque vndique crassum semipalmo, hoc est, duobus vtrimque digitis: erit corporis ad corpus proportio eadem, quae cuborum laterum homologorum. qua ratione perspectum fiet, quot digitis cubicis constiterit concha. Digitorum autem cubicorum pondus in tabula ponderis quinta inuentum, per inuentum digitorum numerum multiplicauimus, & inuenimus conchae pondus talentorum vnius B & viginti supra sexcenta librarum quinquaginta duarum vnciarum sex. Pedem deinde luteris similem ei, quem metitur sacra Scriptura, è ligno fecimus, & appendimus: & ligni proportionem ad aes rimati sumus, iuxta ea, quae diximus in Apparatu, & tandem inuenimus, concham cum suo pede talenta pendisse sexcenta quadraginta, libras quadraginta octo, vncias vndecim. De modiolis, & Cherubinis suis, ac de ornamentis sub basi pendentibus, quae lora dicuntur, nihil agimus, quòd ea nulla certa ratione à nobis percipi, nedum expendi potuerint.

Tom. 3. Appar. par. 2. lib. 2. cap. 18.

PONDVS praecise conchae Tal. 621. lib. 52. vnc. 6.

In Apparat. par. 2. lib. 1. cap. 5.

CONCHA cum pede Talent. 640 lib. 48. vnc. 11.

De basibus ergo cetera, quae supersunt, dicenda sunt. Quamuis autem certo sciremus co- C lumnis duodecim fuisse exornatas, atque basium latera singula in tres partes fuisse diuisa; easque columnas palmum vnum ratione proportionis fuisse latas, ac tantundem, propter firmitatem basis, fuisse crassas; superiorem quoque coronam, atque inferiorem basim tantundem fuisse crassas sesquialtera latitudine: tamen quo facilius, atque expeditius rem totam consequeremur, parallelepipedum longum, ac latum cubitos quatuor dimensi sumus, altum vero tres cubitos, ac similiter aliud huic simile inde subtraximus, quod priori erat palmo vno minus, tum longitudine, tum latitudine, tum etiam altitudine: quoniam tabularum crassitudinem fuisse statuimus duorum di- D gitorum, ac tandem rotas ad cylindricam formam reuocantes, atque interiores cylindros ab exterioribus subtrahentes, rotarum canthos, & modiolos, & radios perscrutati sumus, illas expendentes mensuras, quas ipsa figura demonstrat. Quibus rationibus (eas enim tantum insinuasse sufficiet) deprehendimus, luterem cum basi, & omnibus, quas enumeraui, partibus habuisse pondus mille septingentorum triginta duorum talentorum, librarumque septuaginta nouem, atque vnciarum quatuor. Quod si reliqua ornamenta, sculpturas, ac partes, quarum mensurae, ac pondera ignorantur, existimes fuisse talentorum ducentorum sexaginta septem, librarum E quinque & quadraginta, vnciarum octo, affirmabis in singulis luteribus duo talentorum millia fuisse expensa, in decem vero ipsis luteribus cum basibus suis, viginti millia; quot certe in altari aeneo fuisse expensa indicauimus.

BASIM quomodo simus dimensi.

ROTARVM pondus quomodo sit adinuentum.

1732	79	4
267	45	8
2000	0	0

LVTERES cum basibus pendent Tal. 20000.

DE

DE AERE, QVO TECTA TEMPLI OPERIEbantur, ac de reliquis aeneis vasis templi.

Cap. XL.

CVM primum has nostras templi descriptiones Philippo Secundo Regi optimo, infinitis propemodum nominibus Domino meo, quem identidem honoris causa nomino, ante annos quatuordecim, astante Rege item maximo, ac Domino Philippo eiusdem nominis Tertio, euoluissem, aderat tunc quoque parenti optimo religiosissima filia Isabella Austriae Archiducissa, Comesque Flandriae: quae cum benignissime, attenteque omnia, quae exposueram, & audisset, & percepisset; illud vnum à me expetijt, quod certe quemadmodum tunc temporis nondum praemeditassem, ita de eo, eidem petenti satisfacere plene minime potuerim. Id autem fuit, Ecquonam operimenti genere templi tecta à caeli iniurijs protegerentur? Quae res à tanta Celsitudine proposita, nulla ratione fuit silentio praetermittenda, cum ea, & ad templi opes, & magnificentiam explicandam, non parum videatur posse conducere. Habemus autem eius rei locupletissimum testem Eupolemum supra à me allatum, cuius haec sunt verba: Tectum autem aeneum fecit ex tegulis aeneis, conflato scilicet aere, atque fuso. Sed nostri muneris esse existimauimus, tectum huiusmodi summatim expendere, quotnam aereis talentis nimirum potuerit operiri.

OCCASIO exquirendarum in templo tegularum.

Eupol. relatus supra lib. 4. cap. 25. huius libri.

Scio Eupolemum laminarum crassitudinem voluisse indicare, cum ex aere fuso conflatas eas fuisse dixit, non autem ex ductili. At nos nostrum morem secuti, non eas crassiores constituemus, quàm ex tertia digiti parte: ita vt duodecim tegularum crassitudo palmum vnum sacrum compleat, tegulae vero duae & septuaginta cubitum sacrum. Quod si quis eas tenuiores fortassis exoptaret, aut alius quispiam crassiores, vtrique liberum erit ratam partem ab inueniendo numero vel demere, vel addere, nihil enim ex eis, quae studiosorum causa proponimus, proterue tueri constituimus. Quae etiam causa fuit, cur non squamato opere factas tegulas expenderemus, vt fuisse arbitramur, cum is modus grauiores exigat laminas, & alias alijs superpositas, sed planas, ac si vna perpetua lamina singula tecta fuissent operta.

TEGVLAE crassae ex tertia digiti vnius crassitudine.

His ergo constitutis numeros oportet colligere cubitorum, quibus templi porticus omnes, atque ipsa domus Domini operiretur. Atque in dissecti templi orthographia metiemur tecti vniuscuiusque latitudinem in porticibus atrij Israel, cuius altera pars cubitos lata est septem & viginti, vtraque vero quatuor & quinquaginta: nam tum propter tecti accliue, tum vero propter coronarum vtriusque partis proiecturas tantundem, & fortasse nonnihil amplius excrescit. Computemus deinde quatuor porticus, duas Meridionales, ac totidem Aquilonares, singulas longitudinis quingentorum cubitorum. His addamus sex alias porticus, quarum singulae centum cubitorum erant, quibus Orientales tres areae concluduntur; ac praeterea quinque aliae eiusdem longitudinis, quibus areae Occidentales terminantur, & erit omnis longitudo porticuum cubitorum ter millium & centum. Quem numerum si per quatuor & quinquaginta multiplicaueris, comperies porticus templi interioris cubitis opertas fuisse centum sexaginta septem millibus, quadringentis.

LATITVDO tecti ex vtraque parte inclinati super porticibus interioribus, 54. cubitorum.

500
500
500
500
1100.
3100
54
12400
155
167400

Porticus vero atrij gentium vniuersa fuit operienda super inferiori contignatione, ac deinde super summa item contignatione: nam cum vndique pateret pluuijs domatum, ambulatio vniuersa debuit pari ratione protegi, ne ab stillicidijs polluerentur trabes, atque distorquerentur, & tandem tecta corruerent. Est autem inferior latitudo cubitorum octo & quadraginta, superior octodecim: quos duos numeros si inuicem colligas, erit omnis latitudo porticuum cubitorum sex & sexaginta. Longitudo autem interior cuiuscunque porticus est sexcentorum cubitorum; hunc ergo numerum si quater sumas, habebis bis mille quadringentos cubitos, quos si per sexaginta sex multiplicaueris, habebis hunc alterum cubitorum numerum centum quinquaginta octo millium, quadringentorum. Huic adde quadrata angulorum quatuor, numeri quadraginta octo, hoc est, nouem millium, ducentorum sexdecim. ac praeterea duodecim quadrata numeri decem & octo superioris porticus, tot enim sunt, vt in vestigio apparent, & habebis hunc alterum numerum trium millium, octingentorum octoginta octo. quos omnes numeros si in vnam summam collegeris, domum Domini ita licet computare, ac si vno perpetuo tecto fuisset operta. Huius autem tecti latitudo in porticu minima fuit cubitorum sex & quinquaginta, quem numerum si per centenarium longitudinis numerum multiplices, habebis quater mille sexcentos cubitos, quibus operiretur domus. Hos tandem numeros, qui quadratos cubitos referunt, simul colliges, & habebis hunc numerum trecentorum quadraginta trium millium, quingentorum quatuor. qui numerus idem omnino est cum numero cubitorum cubicorum, si crassitudo tegularum intelligatur vnius cubiti. Atque adeo si hunc numerum per septuaginta duo, hoc est, per veram crassitudinem tegularum diuidas, habebis cubitos aeris cubicos quater mille septingentos septuaginta, ac praeterea octo nonas partes. At in tabula proportionum quinta pondus aeris vnius cubiti cubici est librarum tredecim millium centum quatuor. hunc numerum si per illum duxeris, inuenies pondus aeris tectorum templi fuisse librarum 62517728. quem si ad talenta reuocaueris, erit pondus talentorum 500141. & librarum praeterea 103.

CVBITI quadrati, quibus porticus omnes Israelis operiuntur.

48
18
66

2400
66
14400
14400
158400
9216
3888
167400
4600
343504.

18
18
144
18
324
12
648
324
3888
46
100
4600

Ac ne quis putet tantam aeris copiam, quae omnem superare videtur fidem, indicium esse has tegulas, quibus templum operiebatur, communi ex aere conflatas, non autem ex illo, quo mare aeneum, ceteraque templi vasa fusa, conflataque fuisse, superiori capite fuse probauimus; is animaduertat nulla id ratione stare posse cum reliquis templi totius opibus, ac singularum partium, vasorumque magnificentia, & ornamentis. Qui enim fieri potuit, vt tectum illud, quod vetubus aureis, ijsque pluribus, vt ostendimus, fulciebatur,

ciebatur, ac per gyrum singulari decore ornabatur, quaeue summum templo splendorem, ac venustatem afferebant, aere communi, ac nullius fere pretij tegeretur, & non potius ex illo aere, quod, si non esset aurum, colore saltem rubiginem penitus non admittente, auro esset, aureisque verubus, quae tegulis ipsis infigebantur, quàm simillimum.

Neque certe Salomoni deesse potuit tanta huius metalli copia, cum aeris huiusmodi pondus nullum fuisse dicatur à sacro historico: vincebatur enim numerus magnitudine.

Accedant nescio qui Neoterici, qui Pantheonis tectum, tegulis argenteis opertum fuisse de nono confingunt: testem certe nullum ex antiquis proferre possunt. quod si id, quod confingant, veri speciem aliquam habere contendant, hi certe nihil de templi Hierosolymitani magnificentia, adducta alterius templi similitudine minuunt. cum tectum Pantheonis argenteum minimae proculdubio parti Hierosolymitani templi, aere solum cooperti, vix aequipolleat.

Ijs vero, qui interiorem eiusdem Pantheonis testudinem argento conuestitam fuisse certe sine fundamento iactitant, millenos auri palmos pro singulis argenteis assignare facili negotio possumus.

PONDVS aeris, quo operitur templum tal. 500141 lib. 103

3. Reg. 7. ℣. 47. & Paralip. 4. ℣. 18.

VASORVM pondus vix potest prae multitudine computari.

Sed hanc metalli copiam propemodum infinitam maxima ex parte superare videtur vasorum pondus, quae in altaris vsum, atque adeo culinarum facta fuisse referuntur in libris Regum, & Paralipomenon: *Et posuit Salomon*, inquit, *omnia vasa propter multitudinem autem nimiam non erat pondus aeris*. Et in Paralipomenis: *Erat autem*, inquit, *multitudo vasorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus aeris*. Ac ne cuiquam exaggeratio haec nimia videatur, is animo reuoluat vsus omnes, in quos aenea templi vasa deputabantur, quae in altaris vsum deseruiebant, & ea, in quibus carnes sacrificiorum à populo, & à Sacerdotibus edendae, simul coquebantur. Et quidem vnius diei sacrificia recensentur in eadem historia sacra, boum videlicet viginti duo millia, & ouium centum viginti millia, quorum carnes, demptis holocaustis, coquendae fuerunt. Sed genera vasorum, quae altari deseruiebant, recensentur in Exodo: *Faciesque in vsus eius lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes atque fuscinulas, & ignium receptacula: omnia vasa ex aere fabricabis*. Lebetes Hebraice dicuntur סירות siroth. Quae vox apud quosdam interpretes deducitur à radice סור sur, quae recedere, declinare, abijcere significat, indeque deducta vox illa ollas significat, quod ab igne remoueantur; quae tamen longe petita videtur denominatio: ego vero hac vna ratione subscriberem veritati, quod praecallato Exodi loco ad suscipiendos cineres fieri praecipiantur huiusmodi lebetes, hoc est, vt ex altari educti in locum ad id deputatum asportarentur; qua etiam ratione electionis portam Sur dictam fuisse suo loco ostendimus. Alij vero interpretes, qui radicem esse propriam existimant, vocis notionem se ignorare aperte fateotur, praeterquam quod ollae nomen plerumque conuertitur in Biblijs sic in Exodo: *Quando sedebamus*, inquiunt obmurmurantes Israelitae, *super ollas carnium*.

3. Reg. 7. ℣. 63.

Exod. 27. ℣. 3.

MVLTIPLEX vasorum genus.

LEBETES, & eorum vsus.

PORTA Sur, & electionis eadem.

Exod. 16. ℣. 3.

Verum ad lebetum vsum in templo respexit Zacharias Propheta, cum Ecclesiae Christi sanctitatem antiquae Synagogae praeferre vellet: *Et erunt*, inquit, *lebetes in domo Domini, quasi*

Zachariae 14. ℣. 20. & 21.

A *phialae coram altari*. Numero pares illis interpretatur cum Chaldaeo Paraphraste Chimchius. Sed parum id esse videtur, vt non pauciores in templo fuerint lebetes, quàm phialae; quin potius ad nitorem, & auri fulgorem referenda haec esse existimamus. Quod neque nouum est, neque inauditum; cum de his ipsis altaris vasis Iosephus referat auri fulgorem, & pulchritudinem retulisse. Et Nehemias adinuenit Babylone post septuaginta, & eo amplius annos, *vasa aeris fulgentis optimi duo, pulchra vt aurum*.

R. D. Chim. super Zachar.

Ioseph 8. antiq. cap. 2.

Nehem. 8. ℣. 27.

Et erit omnis lebes in Iuda, & Ierusalem sanctificatus Domino exercituum. Sanctus, id est, purus, nitidus, nullis fumi aut antiquae, & vnctuosae pinguedinis, aut aeruginis reliquijs contaminatus, vel sanctificatus Domino, cum non ad alios vsus assumeretur, quàm ad gloriam Dei, etiam lebetes illi, quorum vsus aliquando solebat esse profanus.

AVRI FVLgor metalli vasorum.

B

Et venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis, libere, ac licite & non erit mercator vltra in domo Domini exercituum in die illo: qui semel oblatas carnes diuendat, vel qui pretio corruptus, muneribus, aut precibus, hunc prohibeat coquere, ad quem spectat, aut illum faciat praecedere, qui subsequi debuisset. Quae omnia, vt dixi, Ecclesiae sanctae, eiusque Principum, & Sacerdotum indicant aequitatem, puritatem, & sanctimoniam.

MERCATOR in domo Domini.

C

Recenset autem secundo loco *forcipes*. Hebraice יעים iaghim, à radice יעה iaghah, quae semel tantum legitur in Biblijs apud Isaiam, cuius verbi notionem ex ipsius nominis notione deducunt, ויעה veiaghah & euerret, scopis domum mundabit, sordes auferet, auertet proprie Vulgatus: *Subuertet grando spem mendacis*, hoc est, spem mendacem, quam mox explicat, foedus esse initum cum morte, & pactum cum inferno. Quam quidem spem haud aliter perdendam esse praedicit, quàm cum ager virenti segete vndique conuestitus, qui fruges polliceretur vberrimas, turbine, atque grandine repente percussus, solet omnem pulchritudinem momento fere temporis amittere, ac si segetes illas omnes terra absorbuisset. Id enim significat grandinis allata translatio, ac notio verbi יעה iaghah. Quapropter eandem hanc vocem in Numerorum libro Vulgatus vertit *batilla* sicut Chaldaeus Paraphrastes vbique fecerat. At in libris Regum Vulgatus vertit *scutras*, in Paralipomenis vero conuertit *creagras*. Quae tam multiplex eiusdem vocis interpretatio instrumentum quidem notum fuisse demonstrat, cuius multiplex esset vsus: vel, vt rectius loquar, quod instrumenta illa essent *creagris* similia, quibus caro educitur ex olla: Hispanice cucnara, ò, paletta, & barillum, Hispanis badil, quo prunae colligunrur, aut cineres. Cuius vsum praeclarum enarrat Plinius. Batillis ferreis candentibus, inquit, ramento argenti imposito, quod candidum permanet, probatur. Quod si *forcipes* cum priori textu legamus, eos non minus necessarios fuisse intelliges ad altaris vsum, si eiusmodi forcipes accipias, qui Italice, dicuntur, molle, Hispanice muelles.

FORCIPES qui dicantur.

Isai. 28. ℣. 17.

SPES MENdacis quae.

QVOMODO vana spes pereat.

D

Num. 4. ℣. 14.

3. Reg. 7. ℣. ℣. 40.

2. Paral. 4. ℣. 11 & 16.

BATILLA, scutrae, creagrae, forcipes, eadem.

E

Plin lib. 33. cap. 8.

BATILLVS ignitus argentum probat.

Succedunt his in Paralipomenis *phialae*. Hebraice מזרקים mizrakim, à radice זרק zarak, quae spargere significat, aut effundere. Cuius proprius vsus fuisse videtur in effundendo sanguine super altare, vt in Exodo videre est. Quapropter nomen hoc esse putant instrumenti, aut vasis cuiusdam,

PHIALAE pro vasis vniuersalis nomine ...

Exod. 24. ℣. 6. & cap. 29. ℣. 16. & 20.

iusdam, ex quo spargitur sanguis, vel alius liquor, quasi aspersorium dixeris, vel infusorium, vel, vt ab alijs dicitur gutturnium, aut peluis. Ar Vulgatus in Paralipomenis *phialas* substituit huic voci, in libris vero Regum *amulas* vertit. Esse autem hoc, aut saltem vsurpari pro vasis nomine in vniuersum, vel ex eo constare poterit, quòd liber Paralipomenon aurea mensae instrumenta, quae, vt ostendi, non eiusdem fuerunt, aut formae, aut vsus, tamen hoc eodem nomine vniuersa recensuit dicens: *Phialas quoque aureas centum*.

2. Paral. 4. ℣. 11. & 16.

De his supra lib. 4. cap. 57. huius partis.

FVSCINVLAE.

Quartum instrumenti genus fuscinulae appellantur, Hebraice מזלגות mizlagoth, cuius vocis origo pene ignoratur, si vox deducatur à זלג zalag. Ita vt propterea subtiliores quidam vocum indagatores ad radicem גזל gazal, eam vocem reuocent, quae rapere significat, aut diripere. Et certe si huius instrumenti vsum, aut potius abusum in memoriam reuocemus, cuius meminit historia Regum, haud incongrua videbitur vocis origo. *Veniebat*, inquit, *puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem* &c. *& omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi.* Neque ab his multum dissidet, quod in eodem libro Exodi haec instrumenta vncini dicuntur; quippe qui ad extrahendum aliquid, aut capiendum compararentur. Quare, vt vtramque interpretationem complectantur doctores quidam, existimarunt instrumentum hoc aduncos habuisse dentes, vt nimirum victimarum adeps facilius caperetur, & super altari adolendus imponeretur.

1. Reg. 2. ℣. 13. & 14.

Exod. 38. ℣. 3.

THVRIBVLA aenea quos vsus haberent. *Supra lib. 4. cap. 61 huius partis.*

Tandem ignium receptacula, aut thuribula, recensentur, quae Hebraice dicuntur מחתות machthoth, cuius vocis notionem, & vsum supra inter candelabri instrumenta declaranda exposuimus. itaque nil praeterea addendum esse censuimus: nisi quod instrumenta quaedam fuerint ad ignem suscipiendum parata, quae an eadem in Sanctum inducerentur aliquando, vt ignis in aureo altari effunderetur; an ex aeneo altari aeneis item huiusmodi instrumentis eductum ignem aureis alijs thuribulis, aut argenteis exciperent, in templum inferendum, non est huius loci peruestigare. Vasa denique altaris enarrat illis verbis Iosephus. Fecit item vasa eius ex aere omnia, lebetes, & amulas, renacula, & harpagines, & reliqua auri fulgorem, & pulchritudinem referentia. Haec ille. quae de altaris instrumentis dixisse sat erit.

Iosephus 8. Antiq. c. 2.

Supererat vt de culinarum quoque ollis, cacabis, caldarijs, atque alijs ageremus, quae aenea fuerunt, deque alijs instrumentis ferreis, quae ad sacros templi vsus deputata cum fuissent, à Salomone facta initio fuisse creduntur: verum prae nimio absoluendae huius partis desiderio, ab illis omnibus supersedemus, commodiorem alium locum eiusmodi tractationi fore sperantes. Illud vnum forte exigit huius capitis epilogus; vt, quoniam omne pondus aeris colligere nulla ratione potuimus, hic summatim referamus id omne, quod hactenus fuit expensum.

PONDVS aeris expensum in templo.

9027	*Altaris aenei pondus talentorum.*	20000
8640	*Columnarum Iachim & Booz.*	9027
17667	*Maris aenei.*	8640
	Decem labrorum cum basibus suis.	200000
	Tecta templi operiebantur talentis.	500141
		557808

Pondus vero columnatum, & labri ab Eupolemo videtur confirmari. Aeris vero, inquit, in columnas, & labrum, & porticum talentorum duodeuiginti millia & quinquaginta expensa fuere. quae enim desunt talenta ad numerum à nobis inuentum, ea in porticu fuisse expensa significat. Qui quidem talentorum numerus cum vix excedat dimidiatum numerum talentorum auri, atque argenti, qui in sacris historijs computatur, in quibus aeris, & ferri pondus numero, ac pondere, prae multitudine eius pene infinita, caruisse dicitur, facile suadebit praedicta supputatione verum, numerum nos ne minima quidem ex parte assequi potuisse, nedum excessisse: quod facinus ab aliquibus putaremur exaggerandi desiderio incurrisse.

VIX MINIMAM talentorum aeris partem consequi potuimus.

DE VASIS TEMPLI AVREIS, ET argenteis.

Cap. XLI.

AENEIS templi vasis recensitis, ad aurea referenda accedit historia Regum: *Fecitque Salomon*, inquit, *omnia vasa in domo Domini, altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream*. In Paralipomenis vero eadem referuntur verba, & additur: *& mensas, & super eas panes propositionis*. Hebraice, Mensas, & super eas panis facierum: vsus quippe fuisse videtur Hebraeus sermo eleganti illa numerorum permutatione, cuius supra memini, vt non pauciores mensae referantur hic factae, quàm quae alibi denario numero recensentur. *Candelabra quoque cum lucernis suis, vt lucerent ante oraculum, iuxta ritum, ex auro purissimo, & florentia quaedam, & lucernas, & forcipes aureos omnia de auro mundissimo facta sunt*. De his vero mensis, & candelabris nihil hoc loco nobis agendum est: suo enim loco copiose de illis disseruimus.

3. Reg. 7. ℣. 48.

2. Paral. 4. ℣. 19.

NVMERI Hebraico sermone permutari. *Supra cap. 5. huius Libri. 2. Par. 4. ℣. 20 & 21.*

Illud certe in dubium posset reuocari: num praeter decem aurea candelabra, quae fuerunt in Sancto, alia quoque fuerint in alijs templi locis, atrijs, gazophylacijs, aut porticibus. Et sane argentea candelabra, quae in Paralipomenis numerantur, Dauidis iussu, & expensis facta, à nemine, quod videam, proprijs statuuntur locis, aut deputantur ministerijs. Qui enim vellet ea in templum inferre, vim inferre videretur sacro Textui asserenti: *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur*. *Sed & in candelabra*, inquit, *aurea, & ad lucernas eorum aurum*, dedit Salomoni Dauid: *pro mensura vniuscuiusque candelabri, & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum pro diuersitate mensurae pondus argenti tradidit*. Quibus verbis illud

AN CANDELABRA aliqua aurea, & argentea fuerint in atrijs.

3. Reg. 6. ℣. 22.

1. Paral. 28. ℣. 15.

etiam

CANDELAbra non eiusdem fuere mensurae, aut ponderis.

etiam aperte significatur, quod Abulensem minime latuit, candelabra nimirum haec non eiusdem fuisse mensurae, aut ponderis, siquidem diuersas mensuras ipse sacer textus proposuit. quae variae candelabrorum mensurae, varios quoque eorum vsus indicant, quos facile conijciet quicunque animaduerterit non interdiu tantum Sacerdotes, atque leuitas sacris in templo operatos fuisse, verum etiam noctu. Cuius rei vnum tantum libuit ocularum testem Iosephum proferre.

Ioseph. 6. belli cap. 12.

NOCTV quoque in templo sacris operabantur ministri.

Festo autem die, inquit, quam Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quendamque strepitum senserunt, postea vero subitam vocem audiere, quae diceret: Migremus hinc.

Et quo maior lucis, & candelabrorum copia necessaria fuisse cognoscatur, non Sacerdotes modo in quibusdam solemnitatibus noctu interfuisse putantur, sed frequens populi multitudo, vt ipse Iosephus auctor est: Ad diem festum Azimorum, inquit, populo conueniente, octauus autem dies erat Aprilis mensis, nona hora nocturna circum aram, templumque templum tantum lumen effulsit, vt clarissimus dies putaretur. Eadem quoque retulit Hegesippus, illud addens, quod non semel acciderit: Ipsis autem, inquit, Paschae diebus. Xantici mensis octaua die, & per singulas noctes hora circiter nona, templum & ara eius ita lumine refulgebat, quasi dies esset, per dimidium ferme horae quotidie manens. Haec ille.

LVX MAxima in templo apparens.

Hegesippus lib. 5. Excidij. cap. 44.

NONA HOra noctis populus in templo aderat.

Quae omnia simul collata fidem afferunt eidem Iosepho asserenti candelabrorum millia decem à Salomone fuisse confecta, iuxta praeceptam Moysi. Quamuis in eo fide omnino dignus non sit, quod affirmat vnum tantum in templo fuisse dedicatum, cum decem fuisse in templo, sacra Scriptura testetur. *Et candelabra*, inquit, *aurea quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram contra oraculum ex auro puro. & quasi lilij flores, & lucernas desuper aureas, & forcipes aureos.*

3. Reg. 7. ℣. 49.

CANDELAbra templi decem.

In eadem porro sententia persistere videtur Iosephus, dum aurea enumerat extra domum candelabra similia ijs, quae erant in templo: Ijsdem autem diebus, inquit, etiam Sacerdotum vnus filius Thebuthi nomine, Iesus, accepta fide salutis a Caesare, vt de sacris donarijs quaedam traderet, egreditur. ac tradit ex fani pariete candelabra duo, his, quae in templo erant posita, similia, mensasque, & crateras, & pateras, omnia ex auro solido, & grauissimo facta. Haec ille. Ex quibus liquido constare videtur mendi coarguendos esse eos, qui mendum irrepsisse Iosepho arbitrantur, quasi is decem tantum candelabra scripserit, cum Graece μυρίας scribatur, & constans sit in ea sententia Iosephus, vt vidimus. Sed ad textum reuertamur. Allatis quidem verbis de candelabris, eorumque instrumentis egit sacer Textus, nam sequens vasorum commemoratio ad alia respicit templi ministeria, atque adeo longe diuersa enumerat instrumenta. Quare, cum de candelabri vasis disputatum à nobis suo loco sit, reliquum est, vt cetera vasa breui oratione perstringamus.

Ioseph. 7 belli. cap. 15.

CANDELAbra, & mensae extra templum.

Ibid. ℣. 50.

HYDRIAE quae dicantur.

Et hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula de auro purissimo. Hydrias Hebraice legimus ספות siphoth, voce à radice סף saph, deducta, quam late supra exposuimus, & ostendimus, ea postem, aut limen portae significari, vt propterea vasa ministerij, praesertim sacri, ea voce appellari ab aliquibus existimentur, quod ad limen, siue postem domus asseruarentur. Sed certe praeterquam quod longe petita videtur denominationis ratio, nihil habet versimile quod ad templi limina vasa, vel asseruarentur, vel essent in vsu. Vocem tamen, quamuis illius notio ignoretur, in Latinam, scyphi, conuertunt nonnulli, quod haec ex Hebraica in Latinam linguam videatur translata. Eam vero non semel sanctus Hieronymus hydriam conuertit, existimans, & merito, quod esset vas ad aquam, vel vina portanda deputatum. *Verum tamen*, inquit sacer Textus, *non fiebant ex eadem pecunia hydriae templi Domini*. Ad quae vasa respexisse videtur Iosephus, dum οἰνοχόας. Cantharorum autem vinariorum, inquit, octoginta millia Rex confecit.

SCYPHVS latina vox ex Hebraea Siph deducta.

4. Reg. 12. ℣. 12.

CANTHARI vinarij

Ioseph 8. antiq. cap. 2.

B *Et fuscinulas* מזמרות mezamroth, vox est à radice זמר zamar, deducta, quae propter multiplicem notionem, varie ab interpretibus exponitur. Triplici enim ratione vsurpatur, quarum quaelibet ab alia longe diuersa est. Significat enim in primis putare vineas, vt in Leuitico, *Sex annis putabis vineam tuam*. Secundo significat quod optimum est in vnoquoque genere, vt in Genesi, ad filios suos Israel: *Sumite*, inquit, *de optimis terrae fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera*. sed frequenter magis vox haec ab eodem verbo deducta, Psalterium significat, instrumentum musicum, siue ipsam cantionem, vt in Exodo. *Fortitudo mea, & laus mea*, psalterium, vel laus, quam ad psalterium elata voce canam, *Dominus*. Qua ratione apud Ieremiam locum conuertisse videtur Hieronymus: *Psalteria, & phyalas, & mortariola*. Ad quod vasis genus respexisse videtur Iosephus, sic scribens: Instrumentorum praeterea musicorum, quae nabia, & cinnyrae vocantur, in vsum Hymnodiarum ex electro confecit quadraginta millia. Et nomen videtur satis cum Hebreo congruere זמר zimar, & Cinnyra.

FVSCINVlae aureae non eaedem sunt quae aereae.

Leuitic. 25. ℣. 3.

Genes. 43. ℣. 11.

Exod. 15. ℣. 2.

LAVS ET psalterium pro eodem

Ierem. 52. ℣. 18.

CYNNYrae ab Hebraea Zimar videtur deducta.

Ioseph. 9. antiq. cap. 2.

Sed quid est, inquies, quod sanctus Hieronymus his hanc vocem fuscinulam conuerterit? Cui dubio cum à nemine videam responderi, ex animi mei coniectura respondebo, sic dici potuisse eiusmodi instrumenta, vel quia aliquam fuscinulae similitudinem tota compositione referrent, vel quia fuscinulae imaginem, vt ab alijs distinguerentur, praeseferrent.

INSTRVmenta musica fuscinulae appellantur.

D *Et phyalas* מזרקות mizrachot, vocem hanc paulo ante exposuimus, cum phyalas inter aenea vasa computaremus, estque haec ab illa vna tantum re diuersa, quod scilicet illa masculinam sequatur vocis terminationem, haec vero foemininam, quamuis nihil propterea vocis notionem immutet. Sed certe harum, atque illarum vsum non eundem fuisse, immo neque harum omnium, probare videtur harum, atque illarum materia diuersa, quam non immutare potuit, vel auri penuria, vel cupiditas, aut auaritia. Harum vero diuersitatem probat Iosephi testimonium mox afferendum, quo semel phyalas cum pateris sacris mensis imponit, fere significans in his sanguinem, in illis similam, atque alia eiusmodi offerri consueuisse iterum vero phyalas vinarijs cantaris annumerat, quippe quibus vinum libaretur, sed harum, atque illarum numerum mox cum alijs vasis colligemus.

Cap. praecedenti.

PHYALAE aureae vsu diuersae ab aeneis.

PHYALAE cum pateris adnumerantur ad sacrificia pertinentes.

PHYALAE vinarijs vasis adnumeratae ad liba spectant

Et mortariola Hebraice כפות caphoth, deducta vox est, à verbo כפף caphaph, quod incuruare significat. Atque, vt alias ostendi, nomen inde deducitur כף caph, mensurae genus quoddam significans, quae à curuitate sic dicitur. Sed mensuras certe percensuit Iosephus, etiamsi non eam,

MORTAriola.

quam

quam praedicto nomine appellari confirmauimus, sed mensuram Nin, aut Assaron, cuius in sacrificijs vsus erat frequentior, quasi vero accuratiore sic dictam mensuram eiusmodi arbitratus sit linguae, & sacrificiorum apprime edoctus Iosephus. Porro de harum mensurarum numero post pauca: de magnitudine vero nihil dicam, cum ea satis superque ostensa sit in prima potissimum, in quinta, & sexta proportionum tabulis.

TABVLAE habentur in fine apparatus.

TVRIBVLA.

Et thuribula מחתות machtoth, à verbo חתה chachal, deducta, quod proprie significat capere, & accipere ignem: quamuis ad alia capienda deinde transferatur. Vt in prouerbijs: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius*. Sanctus vero Paulus: *Hoc enim faciens*, inquit, *carbones ignis congeres super caput eius*. Cyprianus Martyr: Carbones viuos superfundes super caput eius. Qui, haud secus, quam viuens animal, assidue illum sollicitent, ad poenitudinem de collata iniuria, ad reddendam satisfactionem, ad rependenda beneficia, tum gratitudine, tum dilectione, tum beneficijs. Haec enim sunt beneficiorum propriae flammae, haec incendia caritatis. Hinc fit, vt vox ab hoc verbo deducta vas significet, quo capitur ignis, id est, turibulum, acerram, ignis receptaculum, his enim nominibus appellatur a Vulgatae interprete. Horum porro instrumentorum duplicem vsum, ac numerum recensuit Iosephus, duplicem quoque earum formam fuisse indicans, vt mox videbimus.

Prou. 25. ℣. 21. & 22.

Rom. 12. ℣. 5. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum.

QVAE BONA praestent beneficia in inimicos collata.

Haec eadem fere vasa, quae à Salomone facta fuisse referuntur, à Dauide primum constituta fuisse, dato auri, & argenti pro singulis pondere, testatur liber Paralipomenon. *Ad fuscinulas quoque*, inquit, dedit aurum Salomoni Dauid, *& phyalas, & thuribula*, vt fierent, *ex auro purissimo, & leunculos aureos, pro qualitate mensurae, pondus distribuit in leunculum, & leunculum: similiter & in leones argenteos diuersum argenti pondus separauit*. Pro leunculis Hebraice legimus כפור cephor, a radice כפר caphar. quae notione multiplex est: significat enim operire, abscondere, vel auferre, immunditiem, sordes, erratum, vel offensam, vt propterea quamplurimis Latinis verbis vix eius notio exhauriatur. Eius vsus est in Genesi. *Dixit enim* Iacob, *placabo illum* Esau *muneribus*. Sed frequentius vsurpatur ad expiationem significandam, & iram Dei precibus, supplicique oblatione placandam.

1. Paral. 28. ℣. 17.

QVAE VASA fecit Salomon constituerat ipsius Dauid.

LEVNCVLI aurei & argentei.

Genesi 32. ℣. 26.

Ad quam verbi notionem forte respiciens Primus linguae interpres Adam Leonem, vel leonis catulum כפיר chephir, appellauit. Quod huius Regij animalis ira, precibus, ac supplici demissione placetur, vt alias ostendi.

Hac eadem voce crateram significari, certum est, cum non semel eadem vox à Vulgatae interprete Hieronymo pro vase vsurpetur. Sic apud Esdram. *Scyphi aurei triginta* computantur, *& scyphi argentei secundi quadringenti decem*. Et iterum: *Crateres* inquit, *aureos viginti*. Sic autem dici putant Hebraei, vel quod in illis abstergeretur culter à sanguine, vel quod esset vas operimento tectum, cum ex eadem radice deducatur vox, quae propitiatorium, quod est arcae tegumentum, significat, vel (quod mihi magis arridet, & est verisimile), quia in huiusmodi vasa sanguis expiationis reciperetur, aut alia eiusmodi: qua ratione expiatoria appellantur haec vasa in Regio codice, & lances à Iosepho appellari, conijcio, propter harum vsum infra explicandum.

LEO QVARE dicatur Chephir quasi placabilis.

Esdrae 1. ℣. 10. & cap. 8. ℣. 27.

VASA TEMPLI leunculi dicti.

Ibid.

Sed quid est inquies, quod Sanctus Hieronymus leunculos appellat haec vasa? An quia Cherubinorum leoninis iubis, vnguibus, aut capitibus distincta exornataque fuerint. An quia leonibus fuerint conspersa vasa, quippe illorum formam referentia, quae primo, primi altaris expiationis die primus Nahason filius Aminadab de tribu Iuda obtulerat, quasi proprijs insignibus insculpta. An quod vasa ipsa toto corpore, & dispositione referrent leonem; vt, vel hac ipsa figura indicarent, nulla ratione posse, aut veram criminum expiationem obtineri, aut Dei iram placari, nisi per catulum leonis Iudam, hoc est, per IESVM Christum Dominum nostrum Dei filium, & filium Dauidis de tribu Iuda. Verum siue hac, siue illa, siue alia quauis ratione interpreteris, illud certe nulli licitum existimabis, in quo Abulensis, pij alias, eruditique viri, in reprehendendo modestia desideratur. Hic nescio quorum interpretum expositiones sequutus, negat aureos, vel argenteos leones fuisse conflatos, & haec verba subiungit. Istud procedit ex errore litterae, propter aequiuocationem nominis Hebraici. Et infra. Transtulit Hieronymus leonem, & fuit in hoc facilis error. Haec ille. Ego vero praeter Vulgatae nostrae Latinae auctoritatem, cui maxime deferendum est, tantum vni Hieronymo tribuo, vt potius existimem, errasse omnes Rabbinos, & Hebraicarum vocum interpretes, quam ipsum Hieronymum in Hebraicis litteris apprime versatum, & in sacris historijs plusquam omnes, à quibus suam expositionem sumpsit Abulensis.

Num. 7. ℣. 12.

QVARE vasa leunculi dicantur.

Abulensis quaest. 5. super 1. Paralip. 28.

VVLGATA defenditur.

SANCTI Hieronymi laus.

DE VALVARVM TEMPLI AVREIS ORNAMENTIS, & de vasorum numero, & magnitudine.

Cap. XLII.

INTER instrumenta templi aurea clauos enumerare videtur liber Paralipomenon, qui, cum domum Sancti Sanctorum, quasi sexcentis talentis inauratam fuisse dixisset, haec verba subiungit *Sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent*. Pondus autem tam ingens clauorum, de eorum forma, & vsu diligentius inuestigare nos cogit. Et in libris quidem Regum clauis huiusmodi laminas affixas fuisse parietibus, videtur indicare: *Domum quoque*, inquit,

2. Paralip. 3. ℣. 6.

CLAVI vncias pendentes singuli quinque & viginti.

3. Reg. 6. ℣. 21.

quit, *ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis*. Et vtrumque hunc locum contulit glossa, vt ex eorum collatione plures, & mysticos inuestigaret sensus. Et quinquagenorum siclorum, inquit, erant singuli claui, quibus laminae aureae affigebantur in parietibus domus Domini, quia verba coelestia, quibus in amore bonorum operum proficimus, & conseruamur, veniam nobis promittunt peccatorum, & gratiam Sancti Spiritus, & Sabbathismum in futuro aeternum.

Eupolemus allatus supra cap. 25. huius lib.

Eandem opinionem tenuit Eupolemus, qui & clauorum formam indicare simul voluit: Templum autem inquit, intrinsecus laterculis quinque cubitorum aureis, opere fusorio deaurauit, atque quaternis argenteis clauis confixit, talenti pondere, in papillarum speciem ordine dispositis. Haec ille: qui singulis prope verbis aliquid proponit, quod, an veritati consonet, esset examinandum. Ac primum verosimile non est, tam magnis laterculis domum inauratam, cuius quilibet paries laterculis sexdecim operiretur, ac clauis quatuor & sexaginta: at clauos argenteos faciens sacrae Scripturae non consensit. Nisi forte ab aliqua exteriori domo, vel coenaculo, sic auro, argentoque distincta, eiusmodi ornamentum in interiora templi, contra ius fasque, inuexerit. In eo quoque à sacra Scriptura recessit, quod clauis talenti pondus attribuit, nisi forte huc accedat aliquis Grespsius, qui nouum confingat talentum, ex ignoratione Eupolemi, aut librariorum errore productum. In eo forte à vero non recessit, quod clauos in papillarum speciem fuisse formatos, affirmat.

CLAVIS huiusmodi laminae affigebantur.

CONTRA ius fasque argentei claui in templum inducuntur.

Stanisl. Grsep lib. de mulis. siclo & tal.

Sed & vox Hebraea מסמרות misineroth, clauos significans à סמר samar, deducitur, quae horrere, hirsutum esse, aut asperum significat, varijs nimirum foliorum, aut florum sculpturis exornatum. Harum similes licuit obseruare in aeneis foribus templi sancto Adriano, olim Saturno, sacri, ac praeterea in foribus templi Sanctorum Cosmae & Damiani, olim certe Castoris, & Pollucis: sicut etiam in foribus omnium maximis, quae Romae extant, Pantheonis, quibus iniuria temporum pepercisse videtur, vt aliquod extaret antiquitatis monumentum. Sed plura recentiora exempla licuit in nostra Hispania obseruare, vel in templorum, vel in priuatis nobilium domibus, hac vna re Romanis, quos dixi, dissimiles, quod hi minores, illi multo etiam sculpturis asperiores sunt. Quibus perspectis verisimile omnino fiet, clauos aureos quinquaginta siclos pendisse, vncias nimirum quinque & viginti, vt ex tabula numismarum prima constare poterit. Ex quo licet conijcere, flores illos, atque ornamenta, quae in parietibus, & camera Sanctuarij in figura exprimuntur, capita fuisse clauorum, vna cum clauo fusa, qui & laminas, & flores ipsos tabulis affigebat.

CLAVI caelaturis aspera.

CLAVI sanctuarij in eiusdem imagine assignantur.

Tabula habetur in Apparatu fol. 426.

Neque à veritate alienum videri debet, fores quoque templi, & oraculi, quae aureis etiam ipsae laminis regebantur, huiusmodi grauissimis clauis affixas similiter, atque exornatas fuisse: nam, vbi nos legimus. *Et affixit laminas clauis aureis*. In Hebraeo legitur, & vectauit, transire fecit, vel traduxit, repagula, pessulos, vel catenulas auri ante oraculum. Vt serae, vectes, & repagula omnia fuisse intelliganrur ex auro purissimo. Sed *& cardines ostiorum domus interioris Sancti Sanctorum, & ostiorum domus templi ex auro erant*. Hebraice פתות baporhoth: vox est, cuius notio non est in promptu, sed ea solet cardines significare, angulos, vel posteriora, quae omnia in eam me sententiam inducunt, vt existimem hac voce proprie significari illud ornamenti genus, quo valuarum superiores, atque inferiores cardines arctius constringuntur, ab exteriore ad interiorem partem reflexum, & vulgo ab Hispanis appellantur abraçaderas, solentque fieri multiplici ornamentorum genere insculptae; ita vt quae in foribus templi nostri Cordubensis, & Hispalensis nunc apparent, singulae aereae sint, & quinquaginta libris grauiores. Atque adeo haec, quae de clauis, cardinibus, ac pessulis dicta sunt faciliore ratione nostro sermone possent indicari, la clauazon, aldauas, cerrojos, y abraçaderas eran de oro fino.

3. Reg. 7. ℣. 50.

CARDINES aurei qui dicantur.

Sed iam tandem operae precium erit Iosephum audire, qui vnus numerum recensuit praedictorum vasorum. Exorsus autem est à mensarum multitudine, quarum etiamsi numerum non expresserit, significauit tamen earum vsum, ad sustinendas phialas fuisse deputatum: & vasa aurea, argentea, mensas quoque multas, inquit, dedicauit Rex, & in his vnam magnam auream, in qua ponebantur Dei panes, reliquae vero non multo deteriores diuerso modo factae, sustinebant phialas, & pateras aureas vigesies mille, argentearum quadraginta millia, candelabrorum item fecit decem millia, secundum praeceptum Moysis; ex quibus vnum in templo dedicauit, vt interdiu luceret secundum legem &c. cantharorum autem vinariorum octoginta millia Rex fecit, & phialarum aurearum millia centum, argentearum vero bis totidem, lancium vero aurearum ad offerendam in eis similam maceratam ad altare octoginta millia, duplum vero argentearum, craterarum quoque, in quibus similam oleo subigebant sexaginta millia aureorum, & bis totidem argenteorum. Mensurarum vero quales Moysi Hin, & Assaron, aurearum erant viginti millia; & duplicatus numerus argentearum, acerrae quoque aureae, quibus odoramenta in templum inferri solent, erant numero viginti millia, & aliae quibus deferretur ignis à magno altari in paruum intra templum situm, quinquaginta millia.

NVMERVM vasorum aureorum, & argenteorum censet Iosephus.

Iosephus 8. antiq. cap. 2.

V A S A

	Aurea.	Argentea.
Paterae	20000	40000
Candelabra	10000	20000
Canthari	80000	160000
Phyalae	100000	200000
Lances	80000	160000
Crateres	60000	120000
Mensutae	20000	40000
Acerrae	20000 50000	
Tubae		200000
Instrumenta		400000
	440000	1340000

Et post pauca: Stolas autem Sacerdotales, inquit, ex bysso fieri curauit, cum decies mille zonis purpureis, & tubarum, quales Moyses praescripserat ducenta millia, item alias stolas byssinas Leuitis, Hymnorum Cantoribus numero ducenta millia. Instrumentorum praeterea Musicorum, quae Nabla, & Cinnyrae vocantur, in vsum Hymnodiarum, ex electro confecit, quadringenta millia. Quae omnia Salomon ad honorem Dei magnifice parauit, nullis parcens sumptibus. Haec ille. Qui aurea retulit candelabra, cantharos, quos appellat choas, & phyalas, eorumque singulis numeris

STOLARVM ducenta millia, & vndecies mille.

meris recensitis, subiungit: Argentearum vero bis totidem, vt ad ea, quae retulerat sermo referatur, quod in Graeco sermone magis est perspicuum: cum candelabra, canthari, & phialae eiusdem sint generis foeminini.

CANDELABRA argentea referuntur in sacro textu.

Et de candelabris quidem dubitandum non est, cum in Paralipomenis, vt vidimus, argentea candelabra in templo a Salomone fieri praecipiantur. De acerris vero, quamuis idem facile posset quis opinari, nihil tamen statuere decreui. Instrumenta denique Musica ex electro confecta, argenteis vasis annumeraui. Nam, quamuis auro refulgeat eiusmodi materia, & maioris plerumque fuerit aestimationis, quam aurum, tamen quoniam permixto argento deterioris esse videatur temperaturae, illud, vt dixi, argento adnumeraui, quod forte auro non immerito adnumerare potuissem. Colligamus igitur in vnam summam omnia enumerata vasa, & affirmabimus aurea vasa fuisse quadringenta quadraginta millia, argentea vero mille millia, & trecenta quadraginta millia. Et certe si auri & argenti copia expendatur, quae à sacris historijs relata est, vix posset intelligi quanam ratione ea posset expendi, si minor vasorum numerus recenseatur.

VASA TEMPLI prope infinita.

Sed opponunt sese his omnibus extenuatores quidam mirabiles rerum sacrae Scripturae, cum legant apud Esdram, *Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quae tulerat Nabuchodonosor de Hierusalem* &c. *& annumerauit ea Sassabasar Principi Iuda. Et hic est numerus eorum. Phialae aureae triginta, phialeae argenteae mille, cultri viginti nouem, schyphi aurei triginta, schyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille. Omnia vasa aurea, & argentea quinque millia quadringenta: vniuersa tulit Sassabasar cum his, qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.* Ecce inquiunt omnia vasa templi quae tulit Nabuchodonosor de templo, atque adeo omnia, quae fecerat Salomon in eodem templo. Egregium sane commentum, quo moueant, si queunt, eos, qui sacras literas neque summis, vt aiunt, labijs degustarunt: nam eiusmodi argumentis imponere vix possint ijs, qui vel semel sacra Byblia perlegerint. Nam ne singula persequamur, quae cuiuis in promptu esse poterunt, vnum aut alterum exemplum afferam, quo eius argumenti vis, tota infirma esse videatur.

Esdrae 1. ℣. 7. & 9. 10. & 11.

QVID quod Esdras quinque millia quadringenta tantum enumeret?

Anno Artaxerxis post Cyrum regnantis, septimo. *Appendi* inquit Esdras, *vasa consecrata domus Dei nostri quae obtulerat Rex, & Consiliatores eius* &c. *vasa argentea centum, auri centum talenta, & crateres aureos viginti* &c. *& vasa aeris fulgentis optimi duo*; quae de templo Hierosolymitano fuisse sublata, dubitandum non est: & tamen illo numero quinque millium quadringentorum non fuisse comprehensa certum omnino est, cum haec iam fuissent Hierosolymam relata, illa vero nunc deferenda traderentur: ex quo fit, vt non omnia templi vasa illo numero comprehendantur.

1. Esdrae 8. ℣. 25. & sequentibus.

Sed age attentius veritati insistamus, nunquid, si omnia vasa templi à Nabuchodonosore inuenta praedictus numerus complecteretur, nulla alia praeter ea fecisset Salomon? quis igitur tam religiosus tamdiu superstes fuit omnium vasorum custos, vt ne vnum quidem desideraretur? Sed amens profecto sim, si ab eo, qui amens non sit, haec existimem posse affirmari, nam, qui

OMNIA templi vasa numero quinque millium non comprehendun tur.

aliter antea senserunt nihil huiusmodi perpendisse videntur. At si eiusmodi notae labem, vt in suo sensu quisquam abundet, non vereatur, vereatur saltem sacris se opponere oraculis asserentibus, multis ante captiuitatem saeculis thesauris suis fuisse spoliatam domum, à Sesac Rege Aegypti, deinde ab Asa Rege Iuda, qui aurum, & argentum domus Domini misit ad Benadad Regem Syriae, vt eius ope liberaretur de manibus Baasa Regis Israel: & ab alijs sexcentis.

SAEPE FVIT domus Domini spoliata

3. Reg. 14. ℣. 25.

2. Paral. 16. ℣. 2. & sequent.

Sed longior certe fuerim, quam par esset, si omnia, quae suppetunt exempla simul colligere velim, vnum tantum proferam, quod instar omnia esse poterit. In libris Regum sic legimus. *Tulit Ioas Rex Iuda omnia sanctificata, quae consecrauerant Iosaphat, & Ioram, & Ochozias patres eius Reges Iuda, & quae ipse obtulerat. & vniuersum argentum, quod inueniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio Regis, misit Hazaeli Regi Syriae, & recessit ab Ierusalem.* Et haec de numero vasorum templi dixisse satis sit.

4. Reg. 12. ℣. 18.

De aureorum vasorum pondere, atque adeo de magnitudine eorum, pauca quaedam proponi possunt, ex quibus reliqua perscrutari facile possit quiuis ingeniosus. Et fateor quidem in primis multa vasa in templo minima quidem fuisse; aliàs enim vix videretur templum omne tam immensam vasorum multitudinem capere potuisse. Minima enim fuisse videntur primo mortariola illa aurea, pendentia singula siclos denos. Neque his multo maiores fuerunt *crateres*, illi aurei, *viginti*, quos Sarabiae, & socijs dedit Esdras Sacerdos, *qui habebant solidos millenos* Hebraice לאדרכנים laadarconim, Graece δραχμῶν drachmon, drachmarum mille. Satis enim multis argumentis allatis in Apparatu ostendi, non aliud esse potuisse solidi pondus, quam drachmae. mille igitur drachmae in partes viginti tributae, quinquaginta drachmas vnicuique crateri dant. Cuius numeri quarta pars siclos dat duodenos cum dimidio. In cultris praeterea conficiendis, qui ab Esdra inter pretiosa vasa enumerantur, parum admodum auri vel argenti in eorum videlicet manubrijs, aut etiam vaginis exornandis impendi potuit cum cultri ferrei faciendi fuissent, aut certe aerei.

VASA AVREA quam magna, & quanti ponderis singula.

1. Esdrae 8. ℣. 27.

Apparat. par 2. lib. 2. cap 33.

Num. 7. ℣. 14. & alibi saepe.

Sed mirabitur fortasse quispiam quod cultros appellem aereos: Id etiam mihi ante annum fuisset nouum, & inauditum, sed cuiusdam è nostra societate solertia factum est, vt afferretur mihi vnus denuo circa aram effossus, duorum fere palmorum longitudinis, qui quam plurima praeferebat antiquitatis monumenta; nec non argumenta non pauca subfurati à barbaro effossore aurei ornamenti. Huius vero vsum in sacrificijs fuisse indicauit, praeter alia argumenta, locus, quo fuerat inuentus, nimirum circa prophanum altare Plutonis, aut alterius infernae cuiuscunque furiae, eius formam apposui. Illud conijciens quod pluribus argumentis saepe confirmatum est, gentes videlicet ex aliqua Hebraeorum consuetudine, ac familiaritate aereorum cultrorum vsum fuisse mutuatos, quos forte vsurpa-

CVLTRI aerei.

AERAEI CVLTRI antiquum monumentum.



A vsurparunt hi, ne circa altare sacrum cultris operantes, ferro contingerent altare, atque polluerent, quod nefas esset execrandum. Sed ad institutum redeamus.

PHYALAE maximae aureae.

Tabula propor. in fine Appar.

HIN ET Assaron quae mensurae sint.

Fuerunt etiam alia quamplurima vasa maiora, & de Phyalis mensae, quae profundiores erant cubito, nihil praeterea dicendum est, his vero non minores esse debuerunt, sed fortasse etiam maiores, illae, quibus sanguis iugulati tauri in altaris crepidine effundendus, excipiebatur: neque enim verisimile videtur pluribus phyalis excipiendum eum. Sunt praeterea apud Iosephum mensurae Hin, quae mensura in tabula proportionum quinta aequalis est duobus Romanis congijs. B At congij magnitudo in nostro apparatu habetur expressa, vt ex eius proportione conijcere ingeniosus possit illarum magnitudinem, atque etiam earum, quae Assaron vocantur, quippe cum hae in tabula proportionum sexta septem habuisse dicantur sextarios, cum quinta insuper sextarij parte: atque adeo congio illa mensura maior est quinta huius parte.

Num 7.℣.13

ACETABVLI, & Phyalae pondus.

Argenti & auri proportio habetur in Apparat. par. 1. lib. 1. cap. 5. propos. 16.

ACETABVLI, & Phyalae aureae pondus.

Sed certior quidam modus sese nobis offert, aurei cuiusdam vasorum generis expendendi. Nam in libro Numerorum singuli tribuum duces obtulisse dicuntur munera, in quibus erat *Acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum; phyala argentea habens septuaginta siclos*. C Et cum ad idem omnino ministerium acetabula, & phyalae aureae factae fuisse à Salomone credantur, esse minimum debuerunt, sicut eiusdem capacitatis, ita eiusdem crassitudinis auri: quare si per regulam trium ex proportione argenti ad aurum, à nobis exposita, numerum quartum inueniamus, affirmabimus acetabulum aureum fuisse siclorum ducentorum triginta quatuor, hoc est, librarum nouem, vnciarumque totidem: phyalam vero fuisse siclorum centum viginti sex, hoc est librarum quinque, & vnciarum trium, id est quartae vnius librae partis.

DE EXPENSIS TEMPLI.

Cap. XLIII.

VASORVM computatam multitudinem, aedificijque relatam desuper magnificentiam, quasi iure suo consequi videtur eiusdem templi expensarum tractatio aliqua, quae, quo fuerit exactior eo fiet legenti iucundior, & discendi studioso vtilior. Sed ingenue fateor de expensis templi vix minima quidem ex parte nos quidquam statuere posse, cum tamen plurima nobis insinuet sacra Scriptura, ex quorum cognitione solertia studiosorum hominum ingenia in reliquorum considerationem deuenire facile possunt. Et vt à certioribus, ac maximis exordiamur, extat sacris monumentis consignatum denarium quoddam, quod nostro loquendi more, pium legatum, appellaremus. Hoc autem huiusmodi est: *Ecce ego in paupertate mea praeparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: aeris vero, & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna, & lapides praeparaui ad vniuersa impendia*. Iterum autem haec eadem referens: *Ego autem*, inquit, *totis viribus meis praeparaui impensas domus Dei mei: Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, aes in aenea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides, onichinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissime*. Expensas vocare videtur Dauid materiam omnis generis, quam ad tria veluti capita licet reuocare, vt aliquid de singulis dicamus, nisi temporis angustijs praepediemur, nimirum metalla, ligna, & lapides.

1. Paral. 22. ℣. 14.

1 Paral. 29. ℣. 2.

Et quod ad primum spectat, id quoque bifariam subdiuidi potest, scilicet in pretiosa magis, & viliora, de his, neque verbum praeterea addendum, censui, de illis vero ipsemet Dauid suae erga Deum, eiusque Domus aedificandae piam quandam propensionem, & voluntatem testatur subdens: *Et super haec, quae obtuli in domum Dei mei, de peculio meo, aurum, & argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quae praeparaui in aedem sanctam: Tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi*. Quae ex Hebraeo sic possunt conuerti: Et adhuc, propter voluntatem meam in domum Dei mei, est mihi סגלה segulah, peculiare aurum, & argentum, vel asseruatum, clausum, id enim omne significat vox illa, quod dedi domui Dei mei propter excellentiam, gradum, למעלה lemaghelah, sic enim interpretes exponunt eandem vocem, quam domui ipsi tribuit idem Dauid, *Domus enim*, inquit, *talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur*. Hebraea sic conuertit Regius codex· Et domus ad aedificandum Domino ad magnificentiam למעלה lemaghlah, ad excellentiam, ad nomen, ad gloriam.

Ibid ℣. 3. & 4.

1. Paral. 22. ℣. 5.

D Verum enimuero, cum omne aurum, & argentum in tabulis nostris expensum, vt dixi, perfectissimum sit, & ratio breuis, ac facilis exposita sit illud ad quamcunque propositam perfectionem reuocandi perfectionis metallorum, nulla nobis deinceps habenda est ratio.

DONA Principum ad aedificandum templum ex auro, argento, aere ferro, & gemmis.

Verum vt ad institutum reuertamur, his tam magnificis donarijs, quae omnem videntur humanam fidem superare, nondum sibi satisfecisse visus est Rex ille pietatis, ac religionis studiosissimus· quapropter his ipsis non ad pompam, sed ad exemplum recensitis, Principes, proceres, tribunos, & centuriones hortatur, vt sponte offe-E rant, sanctae Domui aedificandae munera: *Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia, argenti talenta decem millia. & aeris talenta decem & octo millia ferri quoque centum millia talentorum. Et apud quemcunque inuenti sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini*· Hos vero omnes numeros, si in vnam colligas summam, affirmabis auri talenta legata fuisse Salomoni centum & octo millia, cum solidis praeterea decem millibus, hoc est, siclis bis mille quingentis Argenti vero talenta septemdecim millia supra decies centena millia.

1. Paral 29. ℣. 7 & 8.

Auri talenta 108000 Argenti talenta 1017000.

Quae libuit ad Romanum & Hispanicum scutorum numerum reuocare, vt vtrique nationi facilis sit huius infiniti propemodum thesauri computatio, & aestimatio, atque ex his cuicunque etiam nationi. Cuius rei gratia contemplati primo loco sumus nostram illam primam ponderum, & numismatum tabulam, & inuentis in vltimo prioris lineae loco centum talentorum millibus, numerum inuenimus, quem vides in hac prima numerorum linea. Deinde sursum ascendendo, in eadem talentorum linea, conquisiuimus secundum numerum octo millium talentorum, cui in tabula respondent Romana scuta monetae, quae in secunda linea apponuntur Bis mille, ac quadringentos praeterea siclos in linea siclorum conquisiui, quoniam hic proxime minor est examinando numero bis mille quingentum, & inuentum è regione scutorum monetae numerum tertio loco apposui, ac tandem è regione quinquaginta siclorum inueni scuta ducenta octoginta: & hunc numerum bis apposui vt complerem, quem praecedenti operatione praetermiseram centenarium numerum.

AVRI ET argenti talenta cum nostris nummis conferuntur.

Auri Tal.	Drach	Argenti Tal.
100000	10000	1000000
3000	10000 Sicli	7000
		10000
108000	2500	1017000

SCVTA ROMANA.

Auri	Argenti.
1683000000	1440000000
134640000	14400000
13464	10080000
280	1464480000
280	
1817654024	
1464480000	
3282134024	

SCVTA HISPANICA.

Auri	Argenti.
2485000000	1188000000
118800000	11880000
11880	8316000
247 1/2	1208196000
247 1/2	
1603812375	
1208196000	
2812008375	

C

Atque his omnibus numeris in vnam summam collectis, secundam numismatum tabulam aggressus sum, vt argentum pari ratione examinarem, tribusque numeris in vnam summam collectis, hanc supposui priori summae, & vtraque collecta, affirmaui relicta fuisse à Dauide Salomoni tricies bis millies, octingenties semel & vicies centena, triginta quatuor millia, ac insuper quatuor & viginti scuta monetae Romanae. Nimirum migliones ter mille ducentos octoginta duos, ac praeterea scuta quatuor, & viginti supra centum triginta quatuor millia. Atque eadem prorsus ratione Hispanicum ducatorum numerum collegi, & affirmo legata fuisse, bis millies octingenties duodecies decies centena millia, praeterea octo millia trecentos septuaginta quinque. Quod vulgo diceremus. Dos mill y ochocientos y doze millones y ochomill y trezientos y setenta y cinco ducados.

SVMMA legatorum Dauidis pro templo extruendo.

D

Non negauerim certe numerum hunc tam magnum esse, vt omnem humanam superet fidem: est tamen ille cum ijs omnibus, quae de aedificij gloria perstrinximus, maxime consentiens. Nam, quod is ex sacris Scripturis plane colligatur, satis à nobis demonstratum est, si non Mathematicis rationibus, illis certe, quibus aduersari, vel rerum ignorationi videretur tribuendum, vel proteruiae: proteruiae autem neque obsistere posse

E

speramus, neque nitimur, neque curamus, illi nihilominus, vt aliqua ex parte subueniremus, in hunc locum, quasi in propria sede collocandum, ex illa disputatione numismatum, ac ponderum, quasi consulto praetermissum, asseruauimus Eupolemi locum. Antiquissimum eum licet appellare, & laudatissimum scriptorem, cui nulla potuit inesse suspicio exaggerationis, quasi vellet sibi, gentisque suae laudi indulgere potius, quam veritati operam dare, cum ille genere, religione, & aetate a Salomone, & Dauide fuerit alienus. Is ergo sic scribit: Porro auri summa,

QVANTVM auri impensum fuerit.

A

quod in duas columnas fuerat, templumque collatum, fuit quadragies sexies centena millia talentorum. In clauos vero, ac reliquum apparatum argenti talenta mille ducenta triginta duo. Haec ille. Ea sic Hispani proferremus: Quatro milones de talentos, y seiscientos mill talentos.

4600000

Cuius quidem computatio tunc facile cum numero sacrae Scripturae conferetur, cum perspectum erit apud Graecos, argenteum talentum in vsu fuisse, aurei vero talenti nullam factam fuisse à Graecis Historiographis mentionem. Et talenta quidem Attica computasse existimamus, & omnem expensarum summam auri nomine compellasse. Quibus statutis numerus talentorum auri sacrae Scripturae duodecies multiplicetur, vt fiant talenta argentea; & producto numero addatur numerus talentorum argenti sacrae Scripturae, & tota summa bis accipiatur, vt fiant ex sacris Attica talenta, & habebis numerum Eupolemi quadragies sexies centena Atticorum talentorum millia respondentia talentis à sacra Scriptura computatis nam viginti sex millia talentorum, quae in supputatione supersunt, praetermissa fuisse videntur ab Eupolemo, vel tanquam minima pars tam magni numeri, vel quod publica fama, secundum quam eiusmodi summam posuerat, minores illos numeros contempserat.

COLLATIO talentorum sacrae Scripturae cum talentis Eupolemi.

108000
12
216000
108
1296000
1017000
2313000
2
4626000

Quod vero praeterea subiungit in clauos, ac reliquum apparatum argenti talenta expensa fuisse mille ducenta triginta duo, ad illud referendum videtur, vt computarit clauos, quos, vt supra ostendi, enumerauerat, quaternos in singulis laterculis quinque cubitorum. Ita vt in singulis parietibus, tecto, & pauimento Sancti Sanctorum, vt dixi, claui computarentur quatuor & sexaginta. Iam vero computare oportet in vniuersa domo superficies huiusmodi quadratas vicenum cubitorum, quarum in pauimento Sancti sunt duae, totidem in tecto, in singulis parietibus longioribus, qui alti sunt cubitos triginta, sunt ternae, in reliquis duabus simul ternae, vnaquaeque enim habet vnam & dimidiatam. Itaque sunt omnes superficies computatae tredecim. In Sancto Sanctorum denique sunt omnino sex. atque adeo vniuersae erunt nouendecim. has si per sexaginta quatuor multiplicaueris, inuenies clauos mille ducentos sexdecim, totidem talenta pendentes, iuxta Eupolemum, nam sexdecim talenta, quae supersunt in reliquo apparatu, expensa fuisse significat.

1232

SVMMA talentorum in clauos templi impensa

64
19
576
64
1216
1232
16

Quod sane Eupolemi testimonium multa suppeditat nobis contra sacrarum rerum extenuatores argumenta satis firma, ex quibus vnum proponam, aut alterum, quae reliquorum esse possint exemplum. Quis enim sanae mentis non admiretur, huic homini Graeco, vim veritatis Diuinae penitus ignoranti, bene tamen conscio Regni Salomonici, eiusque ditionis, & Imperij, quod pene non esset prae sua tenuitate cum Graecorum Imperio conferendum, huic, inquam, homini credibilia videri sacrarum litterarum testimonia, quae ipsis etiam Christianis vix credi posse videantur? vnde factum est, vt sacris historijs illatam

EVPOLEMVS quis nam fuerit.

tauisſent quam maxima ad ſuos vniuſcuiuſque ſenſus veluti ad amuſſim exactiſſime redigantur. Huc igitur in iudicium vocamus figmenti illius inuentores, qui putarunt centum millia talenta auri ſacrae Scripturae totidem ſiclos, nec quidquam praeterea propter Eupolemi auctoritatem, fuiſſe exiſtimandos. Hos certe, ſi audiſſet Eupolemus, iniquos ſui ſenſus expoſitores proculdubio appellaſſet; qua enim ratione ex centum ſiclorum millibus quadragies ſexies centena talentorum millia conficient? niſi forte haec etiam, vt illa ad nihilum redigantur talenta.

Sed quamuis aduerſus proteruiam, & inſcitiam hanc pene incredibilem tam multa proferamus argumenta, non tamen propterea quis exiſtimet B velle nos communia quaeque proferre, aut quae, & quanta illa ſint, quae proferimus, ignorare; nam praeter aureorum numerum, quem paulo ante propoſui, libuit ipſam auri, & argenti molem immenſam, quam talentis computauimus, Geometrica dimenſione expendere; numeros enim facile proferimus, rem vero aliquam, cuius partes tam immenſo numero computauerimus, vix vnus aliquis reperiatur, qui viderit at cubitis, vel palmis cubiculum aliquod metiri, quod huius molis eſſet capax, cuius eſſe poterit in promptu. Aurum ergo facile ad formam cubicam potuit reuocari. Nam in tabula ponderum prima cubitus cubicus Hebraeorum auro C plenus pendet talenta ducenta ſexdecim, per quem numerum ſi diuiſeris numerum talentorum auri inuentum, habebis quingenta cubica talenta auro impleri potuiſſe. Ex quo colliges, quod ſi cubiculum componas decem cubitorum quadratum, altum quinque: vel decem longum, quinque latum, decem altum illud auro ſolido impleretur. Itaque quotieſcumque quacumque ratione numeros compoſueris tres, quorum inuicem multiplicatio quingenta reddat, ij numeri menſuras cubiculi tibi dabunt.

CVBITVS Cubicus Hebraeorum plenus auro quanti penderet.

108000 | 500
216

Sed longe melius eſt, ad cubicam rationem numerum reuocare, extracta enim Arithmetica ratione à praedicto numero radice cubica tanta erit in cubitis ſacris longitudo, latitudo, & profunditas maſſae auri: Haec autem moles auri ſummae perfectionis eſt, quae perfectio auro vni- D uerſo tribuenda cum minime ſit, pro rata parte, qua illud à perfectione ſumma deficiet, hoc latus excreſcet, vt facile liceat conijcere latus cubicum auri minimum fuiſſe octo cubitorum. Hunc autem cubitorum numerum placuit ad palmos Romanos primum reuocare. Nam in tabula proportionum ſeptima cubito Hebraeorum reſpondent palmi Romanorum tres cum octingentis octoginta vna milleſimis quem numerum octies cum multiplicaueris, affirmaris octo Hebraeorum cubitos palmis Romanis aequales, fuiſſe octo & viginti, cum octoginta & vna ducenteſimis parti- E bus. Itaque tam longum, latum, & altum fore affirmabis cubiculum molis aureae ſolidae cuius haec eſt dimenſio capax. Pari quoque ratione inuenimus in eadem tabula palmos Hiſpanorum, quibus praedictae menſurae reſpondent, triginta cum trecentis ſexaginta duabus, trecenteſimis ſeptuageſimis quintis.

$7\frac{94}{100}$

OCTO CVbiti cubici quot palmos Romanos efficiant.

$3\frac{881}{1000}$

$28\frac{81}{200}$

$30\frac{362}{375}$

OCTO CVbiti cubici quot palmos Hiſpanicos efficiant.

Ab his vero non longe diuerſa fuit ratio inueſtigandae dimenſionis argenti, quamuis oportuerit talentorum numerum ad vncias reuocare, quod ex tabula numiſmatum ſecunda facile praeſtari potuit, in ea enim ſeorſum tres illos nu- A meros cubitorum inueniam mille millium primum, deinde decem millium, ac tandem ſeptem millium, quibus in tabula reſpondent vnciarum numeri, qui in margine poſiti ſunt. Eorumque ſummam collegi, ac tot argenti vncias affirmaui à Dauide Salomoni relictas. Deinde in tabula ponderum quarta, in qua argenti moles expenditur, notaui digito cubico Hebraeorum tredecim vncias reſpondere, per quem numerum partitus quoque ſum eum, quem collegeram, vnciarum numerum, & affirmaui maſſam illam argenti tot digitis cubicis contineri. Huius denique poſtremi numeri radicem extraxi, quae eſt maior digitis quadringentis octoginta nouem, mi- B nor vero digitis quadringentis nonaginta. quam demum ad cubitos reuocaui, & fuerunt cubiti viginti & digiti nouem, vel digiti decem. Ex quo mox liquet totam domum oraculi argento ſolido compleri potuiſſe, ſiquidem argentum omne non fuit ſumme perfectum, quanto à perfectione defuit, tanto praedictae domus capacitatem exceſſit. Hunc porro cubitorum numerum ad noſtras menſuras reuocaui, fuitque aequalis palmis Romanis duobus & ſeptuaginta, cum vndecim trigeſimis, qui numeris reſpondet palmis Hiſpanicis triginta cum trecentis ſexaginta duabus trecenteſimis ſeptuageſimis quintis.

310700. Tabula numis. habetur in Apparatu, fol. 430.

1500000000
150000000
105000000
1755000000

$127346153\frac{11}{13}$

DIGITO cubico Hebraeo tredecim vnciae reſpondent.

Digiti 489. vel 490.

Cub. 20. dig. 9. vel 10.

TOTA DOmus Oraculi eo argento ſolido compleri potuit quod expenſum eſt.

$72\frac{11}{30}$
$30\frac{362}{375}$

Haec porro tam ingens auri, argentique copia C eo maior eſſe videbitur, quod licet tota ad templi apparatum, & ornamenta parata fuiſſe exiſtimetur, ad impenſas tamen templi fere nihil fuiſſe videatur, quippe cum in alendis operis, atque ſoluendis, in extruendis machinis, in ſubuehendis oneribus, atque in alijs innumeris rebus, quae in aedificijs ſunt neceſſariae, nihil ex huiuſmodi auri, vel argenti ſumma imminutum ſit. Nam in Paralipomenis ſic legimus: *Intulit igitur Salomon omnia, quae vouerat Dauid pater ſuus*: Hebraice: ſanctificationes Dauid patris ſui: Septuaginta: Sancta Dauid patris ſui. Haec vero quae fuerint indicat ſubiungens. *argentum, & aurum, & vniuerſa vaſa poſuit in theſauris Domus Dei.* Ea vero, quae Sancta ſunt, nefas eſſet in manus artificum, aut mercatorum dare, ac prophana reddere. Quapropter ea omnia oblata illata qui- D dem fuere, ibique conſeruata, donec templi cultus, & religio prophanata non fuit. Quibus tam ampliſſimis, atque inauditis pene donarijs cumulus acceſſiſſe videtur gemmarum, quarum minima moles precio, atque aeſtimatione plerumque maior eſt alia auri, & argenti ſumma quantumuis maxima. De his vero, quarum certa ratio reddi non poteſt, nulla reddetur.

NIHIL DE tota auri & argenti ſumma, quam obtulit Dauid, extruendo templo erogatum fuit.

2. Paral. 5. ℣. 1.

Sed quid, inquies, expendendum ſupererat Salomoni, cum de Dauide magnitudinem aedificandae domus cogitante haec verba legantur: *Et ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes praepa-* E *rauit impenſas.* Multa expendens Lyranus, quae à Salomone leguntur huic operi adiuncta fuiſſe, ſic locum expoſuit: Omnes, id eſt, aliquas de omnibus, inquit, quia Salomon multas addidit: ſicut dicitur, omne animal fuit in arca Noe, quia de ſingulis ſpeciebus fuerunt aliqua indiuidua, vt habetur in Geneſi. Senſus igitur Lyrani eſt omnis generis praeparaſſe impenſas. Sed omnem abſtulit difficultatem Hebraicus ſermo, qui ſic habet. Parabo nunc ei, dixerat prius, & ſubiungit: & parauit Dauid in multitudine לרב larab, quae vox ſignificat multa, aut multiplicata, qua Deus etiam appellatur in Pſalmo: *Ciuitas regis magni.*

2. Paral. 22. ℣. 5.

Nicolaus de Lyra.

QVOMODO intelligatur Dauidem praeparaſſe omnes impenſas domus Domini.

Geneſ. 6. ℣. 19. & 20.

Pſal. 48. ℣. 3.

1 Paral. 21. ℣. 15. Num. 16. ℣. 3.

Significat etiam satis, sufficientia: vt in Paralipomenis: *Sufficit iam, cesset manus tua*: & in libro Numerorum: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est*: Vt propterea bene verterit Vulgatus, *omnes impensas*, quasi sufficientia diceret, quae possent sufficere, cum viribus, & potentiae Dauidis collata, non vero cum domus magnificentia, & gloria, cuius paulo ante meminerat, propterea subdit Haec praeparata fuisse לפני liphne, ad facies mortis suae, *ante mortem suam*, quasi morti proximus, vt propterea nondum potuerit votis suis, ac desiderio satisfacere. Quibus ipse Dauid Prophetice subscribere videtur, quippe qui relatis centum millibus talentis auri, & reliquis, quae obtulerat, Haec verba in Regio codice Hebraico subdit: Et super haec addes: Septuaginta & ad haec adde.

DAVID praeparauit omnes, impensas, pro viribus suis.

QVID SVperfuit praeparandum Salomoni.

Sed quid opus est immorari in ea te confirmanda, cuius sunt plenae sacrae historiae, quae totae videntur positae in recensenda propemodum infinita hominum multitudine, lapidum magnitudine, & perfectione lignorum, atque alijs huiusmodi quamplurimis à Salomone comparatis? Sed quo plura referuntur, quae huius aedificij incredibiles thesauros confirment, eo magis inardescit animus cupidus mirum in modum cognoscendi, vnde nam Dauid potuerit thesaurum cogere, qui certe plures prouincias, ditiones, & regna locupletare potuisset, & quo tandem abierit, & pene extinctum recesserit, vt fere nullum extet rei tam memorandae vestigium? Cui tamen dubitationi, vt plene satisfaciam, sequentibus, provt doctrinae ratio postulabit, respondete curabo.

THESAVrus, quem legauit Dauid Domino locupletare potuisset plura regna

QVA RATIONE
POTVERIT DAVID TAM *immensum thesaurum in tam exigua ditione coaceruare. Vbi de magnificentia regni Salomonis.*

Cap. XLIIII.

SI quidem per tempus licuisset propositae quaestioni pro meritis respondere, plane sperassem nulla alia in re plenius satisfactum iri. Verum epilogi angustijs, ac finis iam diu desiderati, à quo non longe absumus, contemplatione permoti, cogimur summa tantum capita attingere, in quibus veritatis lux quaedam effulget, quae ex sana mente, acutioribusque ingenijs omnes dubitationum tenebeas facile discutiat, propellat, illustret. Ostendam igitur, facilius fuisse Dauidi Regi toti Israel dilectissimo, ex diuite, prompto, alacrique populo, & in votis Deo promittendis, ac soluendis paratissimo, ac praeterea ex muneribus, ab exteris etiam Regibus oblatis, hostiumque praeda, tantam auri, argentique copiam cogere quàm sub hos saeculi veluti fines, rerumque omnium angustijs, summaque inopia fidem illis ipsis sacra auctoritate firmatis fidem habere. Insinuabo igitur, & quantum fieri poterit, demonstrabo, quibusnam vijs, quibus auxilijs, & vnde tantam auri, diuitiarumque copiam aggregarit. Thesauri igitur coaceruantur subditorum tributis amplissimis,
B regionum vectigalibus certis, ijsque maximis; Regum, & amicorum muneribus cumulatissimis, ac tandem hostium spolijs, praedaque opulentissima. Quae omnia bona à maximis orbis imperijs desiderio tentata potius, quam vsu, & exercitatione tractata, in vnum Dauidis imperium, quasi in proprium locum confluxisse videntur. Siquidem Dauidis Regnum opulentissimum fuisse testantur etiam sacrae literae pluribus in locis: adeoque gloriose de eo loquuntur, vt nusquam melius. Ac primo felicem Dauidis regis discessum è viuis enarrans sacer textus, haec verba subiungit: *Et mortuus est Dauid in senectute bona,*
C *plenus dierum, & diuitijs, & gloria*. Quantas autem diuitias cumulauerit Dauid, vel ex eo cognosci potest, quòd sub finem vitae testamento legauit tantam auri, argenti, preciosorum lapidum, aeris Corinthiaci, ac ferri copiam, vt omnium hominum conceptus superare videatur: & ansam nonnullis dederit, vt quod certe negare non audent, perperam saltem interpretari conentur: ac praeterea nos pro sacrarum literarum defensione, eiusque certissima, firmissimaque veritate tuenda, atque non minus ab ignorationis incursibus, quàm a malignitate proteruorum vindicanda, arma sumere coegerint.

A (margin letter at start of "tiat, propellat")

REGNVM Dauidis, & Salomonis diuitijs cumulatissimum.

1. Paralip. 29. ℣. 28.

Initio tamen animaduertendum est nos Daui-
D dis Regnum cum Salomonico iure optimo coniunxisse. Siquidem huius vberiorem rationem reddunt sacrae litterae: Ac primum in Paralipomenis. *Auri pondus*, inquit, *quod afferebatur Salomoni per singulos annos sexcenta sexaginta sex talenta auri: excepta summa, quam Legati diuersarum gentium, & negociatores afferre consueuerant, omnesque Reges Arabiae, & Satrapae terrarum, qui comportabant aurum, & argentum Salomoni.* Et infra: *Omnia quoque vasa*, inquit, *conuiuij regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo, argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur, siquidem naues Regis ibant in Tharsis cum seruis Hiram, semel in annis tribus,*
E *& deferebant inde aurum, & argentum, & ebur, & simias, & pauos.*

2 Paral. 9. ℣. 13 14.

SVMMA tributorum quae Salomoni soluebantur singulis annis.

DIVITIAE Salomonis, & ciuitatis Ierusalem tempore Salomonis.

Porro auri summam retulit primum historia Regum. *Sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem*. Deinde vero liber Paralipomenon: *Tuleruntque inde*, inquit, *quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem*. Haec vero quae diuersa videtur esse talentorum supputatio nulla ratione contraria esse, infra suo loco ostendetur. Allati porro argenti summam neuter Historicorum retulit, tametsi perspectum sit in ipso contextu, argentum pariter allatum fuisse, vt vel hac ipsa ratione ostendatur, argentum ea tempestate nullius fuisse

3 Reg. 9. ℣. 28.

2 Paral. 8. ℣. 18.

pretij,

pretij, aut aestimationis: quod saepe retulit historia sacra.

Ipse quoque liber Paralipomenon: *Magnificatus est igitur*, inquit, *Rex Salomon super omnes Reges terrae prae diuitijs, & gloria.* Et iterum. *Exercuit etiam potestatem super cunctos Reges à flumine Euphrate vsque ad terram Philisthinorum, & vsque ad terminos Aegypti. Tantamque copiam praebuit argenti in Ierusalem, quasi lapidum, & cedrorum, tantam multitudinem, veluti sycomororum.* Haec eadem retulisse videtur historia Regum. *Salomon autem*, inquit, *erat in ditione sua, habens omnia regna à flumine terrae Philisthym vsque ad terminum Aegypti, offerentium sibi munera, & seruientium ei omnibus diebus vitae eius.* Vnde factum est, vt merito ex his omnibus veluti summam collegerit ipsemet Salomon dicens: *Coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias Regum, ac prouinciarum.*

2. Paral. 9. ℣. 22 & 26.
IMPERIVM Salomonis quam late patuerit
Ibid. ℣. 27.
3. Reg. 4. ℣. 21.
Eccl. 2. ℣. 8.

Quae omnia sacrae Scripturae testimonia quamuis certam aliquam copiae, diuitiarumque rationem continere videantur, tamen nullus erit tam habes ingenij, qui non videat aliquid magnum, & excellens, eiusmodi magnifica commemoratione contineri. Illud certe perspicuum est triplici ratione diuitias à Salomone partas, qua etiam ratione omnia replentur Principum, siue Rerumpublicarum aeraria, mercium comportatione, agrorum cultura, & fructibus, ac denique pascuis, salinis, & id genus alijs. Ad quae tria capita Reipublicae prouentus retulit Cicero, dum damna à proximo bello illata recenseret. Cum hostium copiae, inquit, non longe absint, pecora relinquuntur, agricultura deseritur, nauigatio conquiescit. ita neque ex portu, neque ex decimis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest.

QVA VIA diuitiae tot tantaeque à Salomone comparatae fuerint
MODVS comparandi diuitias à Regibus.
Cic. pro lege Man.
BELLORVM damna.

Verum enimvero licet adhuc prouentus Regios in tres partes cum Asconio distribuere canonem, oblationem, indictionem. Canon in vniuersum significat omnia constituta vectigalia, quae Regum imperijs coaeua sunt, quod Hispani appellaremus, las tercias Reales. Oblatio vsurpatur pro solutionibus tertiae, aut quartae, vel cuiuscumque partis in mercimonia staturae, quod diceremus, alcauala, Itali gabella. Indictio denique est, quàm veteres collationem vocabant, sic dicta quod à Principe populis indicitur, ab eisque exigitur, Graeci συμβολλώ, nos impositionem, vulgo pecho. Quae omnia quàm breuissime examinanda sunt, vt videre possimus, num aliquid hac ratione inuenire possimus, quod cum praedicto thesauro consentiat.

Asconius.
OMNES prouentus Regij ad tria capita reuocati.
QVID CAnon, quid oblatio, quid indictio significet.

Nos vero in his recensendis ordinem sequemur, quo nos deducent sacrae Scripturae testimonia, quae haec eadem referant, & in primis Indictionem, siue triburum indicare videtur liber Paralipomenon: *Auri pondus*, inquit, *quod afferebatur Salomoni per singulos annos*, ac si dicat indictum populis ratione tributi *sexcenta sexaginta sex talenta auri*. Vbi animaduertendum est maxime auri pondus dici, non autem aestimationem, aut valorem, vt recta via nos incedere comprehendamur, cum talenta sacra semper ad pondus reuocamus. Tabulam igitur numismatum primam aggressi, comperimus tributum hoc, vndecies decies centena millia, ducenta & octo scurorum Romanorum millia, & septingenta octoginta scuta exaequasse; volumus

2. Paral 9. ℣. 13.
INDICTIO, tributi species Salomonis.

10098000
1009800
100980
11208780

A tamen prius lectorem admoneri ex hac summa detrahendam esse illam eius partem, qua à perfectissimo auro allatum aurum defecisse putabitur, vt in Apparatu significatum est.

Tom. 3. Appar. Par. 2. lib. 2. cap. 35.

Huiusmodi vero tributum quibusnam potissimum populis fuerit impositum, indicat inquit, Paralipomenon liber. *Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethaeis, & Ammorrhaeis, & Pherezaeis, & Heuaeis, & Iebusaeis, qui non erant de stirpe Israel, de filijs eorum, & de posteris, quos non interfecerant filij Israel, subiugauit Salomon in tributarios, vsque in diem hanc.* Tributarios Hebraice מס mas, quod tributum significat, censum, aut vectigal, quod corpore soluitur, aut substantia; vtrumque enim ex aequo significat vox. Primum enim apud Isaiam contra Assur prophetantem: *Et iuuenes eius vectigales erunt*: Foteirus bene conuertit, & electi eius in contributionem erunt. sed certe substantiae tributum frequentius vsurpatur. In Threnis: *Princeps prouinciarum facta est sub tributo*. Et iterum. *Rex Assuerus*, inquit, *omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias*. Hoc enim, quod nunc fecisse dicitur Salomon, non ipse primus, aut sine antiquorum exemplo fecit; cum in libro Iudicum legamus: *Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, & delere noluit.* Sed quod genus tributi huiusmodi gentibus fuisset impositum non ea solum voce, quam exposuimus, significauit liber Paralipomenon, sed alia quoque superaddita עבד ghobed, vt propterea Regius codex, tributum seruile, interpretetur. Ab hoc vero seruitutis tributo liberos fuisse Israelitas Salomonis beneficio, & benignitate, tradit liber Regum, qui cum hanc eandem extraneorum seruitutem retulisset, subdit: *De filijs autem Israel non constituit Salomon* עבד ghobed, *seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces, & praefecti curruum, & equorum*. Cuius loci vberiorem expositionem interposuisse, ac iustum loci commentarium scripsisse videtur Iosephus illis verbis:

2. Paral. 8. ℣. 7. & 8.
QVIBVSnam populis impositum fuerit tributum Salomonis Indictio.
Isa. 31. ℣. 8.
Foteirus ibid.
Threno. 1. ℣. 1.
Esther. 10. ℣. 1.
Iudicum. 1. ℣. 28.
B
C
FILII Israel liberi ab Indictione tributi seruilis.
3 Reg. 9. ℣. 22.
FILII Israel bellatores, Principes, Duces, & praefecti curruum, & equorum Salomonis.

D Salomon autem Rex reliquias Chananaeorum, quae Libanum montem vsque ad vrbem Amathen incolebant, & imperium eius detrectabant, sub ditionem suam redactas, tributa pendere coegit. Hoc est quod voce מס mas, significatur, & per singulos annos certum numerum seruorum, & colonorum, nimirum qui voce עבד ghobed, significabantur, qui per agros distribuerentur, exegit. Hebraeorum enim nemo ad seruiles operas adigebatur, nec erat aequum, vt cum tam multas gentes Deus sub eorum imperium subdidisset, ex his potius, quam de victis eiusmodi conditionis homines conferentur sed omnes arma, & currus, atque equos, & rem militarem potius tractabant, quam seruiebant. Ex dictis colliges quaenam fuerit indictio illa operariorum ex omni Israel, de qua: *Et erat*, inquit historia Regum, המס hammas, *indictio triginta millia virorum*. Scilicet honoraria, non seruilis haud alia certe quàm militaris, cui nimirum stipendia, & alimenta ministrarentur, & tempus aptum eorum commodis, & quieti relinqueretur, vt ex eadem historia plane manifestum esse potest.

Iosephus 8. Antiq. c. 2.
EX Hebraeis nemo seruiebat, nec ad seruilia operà adigebatur,
E
3 Reg. 5. ℣. 13.
INDICTIO operariorum ex Israel honoraria, non seruilis.

Iam vero de oblatione secundo loco aperte loquitur liber Regum, qui cum eadem sexcenta sexaginta sex auri talenta retulisset: *Excepto eo*, inquit, *quod afferebant viri, qui super vectigalia erant*. De his, demum qui ad canonem pertinere videntur, postremo loco differemus, de quibus longior aliquanto erit disputatio. De secunda vero oblatione, quam dixi ab

3. Reg. 10. ℣ 15.
CANON Tributi species.
OBLATIO Tributi species.

Italis

Italis appellari gabella, à nostris Alcauala, haec verba subiungit: *& negociatores, vniuersique scruta vendentes.*

Ibidem.

In Paralipomenis vero post legatos, *negociatores* referuntur, Hebraice חסוחרים hassochanm, negociatores: in libris vero Regum מסחר הרוחלים mischar harochlim, & à negociatione institorum. Prima vox circumire, circumambulare significat, quae negociatorum nomine optime explicatur, horum quippe mores indicat. Secunda vero significat deferre ex vna in alteram partem, vel merces, vel alterius dicta, ac responsa, quare delatorem significat, eum scilicet, qui altero nomine diceretur susurro, qui blandiendi studio aliorum dicta defert, & institores, qui lucri cupiditate merces transuehunt.

IN QVO differat negociator ab Institore.

Inter negociatores vero, & institores hoc solet esse discrimen, quod illi ab alijs negociatoribus merces in magna copia emunt, hi vero à negociatoribus minutiores quasdam, ac minoris precij merces accipiunt, quas alio transferentes, aliquid lucrentur: Hos aptissime vocauit Vulgatus scrurarios, cuius vocis interpretationem alibi à me fuisse expositam memini:

Tom. 3. Appar. par. 1. lib. 3. cap. 22.

NEGOCIAtores, & Institores tributa Salomoni soluebant.

Et hi, atque illi statutam quandam diuenditarum mercium pecuniam Regi soluebant: quàm Historici sacri referre noluerunt, atque adeo nulla nobis suppetit eius exquirendae via, quamuis ex quadam proportione tributorum ea facile posset à studiosis inuestigari.

Ad canonem denique reuocari posse videntur vectigalia, quae duplici ratione videntur computari à sacris Historicis nimirum ea, quae ab Israelitico populo soluebantur, & ea quae à regibus, dinastis, atque principibus exterarum gentium.

CANON Salomonis duplex.

3. Reg. 10. ℣. 15.

2. Par. 9. ℣. 14.

De priori sic scribit liber Regum, *excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant.* Septuaginta: Absque tributis subditorum. At liber Paralipomenon: *Excepta summa quam legati diuersarum gentium afferre consueuerant.* Vtrobique in Hebraeo vox legitur תרים tharim, à verbo תור thur, deducta, quod indagare, inuestigare, inquirere significat, & plerumque vox illa pro exploratoribus vsurpatur.

Numeror. 13. ℣. 33. & cap. 14. ℣. 34. & 36.

3. Reg. 4. ℣. 7.

DVODECIM Principes vectigalibus regis praefecti.

Hi fortasse fuerunt duodecim illi praefecti, *super omnem Israel, qui praebebant annonam Regi, & domui eius, per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant.* Quorum Principum nomina, atque ditionem recenset Historicus, illud subiungens, quod singulorum poterit commendare potentiam, de Bengaber enim qui sexto loco computatur,

Ibid ℣. 13.

QVAM LAte patuerit Ditio vniuscuiusque ex praefectis vectigalium.

Ipse, inquit, *praeerat in omni regione Argob, quae est in Basan sexaginta ciuitatibus magnis, atque muratis, quae habebant seras aereas.* Quem ciuitatum numerum liceret quodammodo duodenario multiplicare, si non pari ciuitatum numero, pari certe soluendorum vectigalium pretio, quippe cum in menses singulos singulorum principum vectigalia distributa paria illa fuisse testantur, quae vna huius Imperij laus, plurima alia, quae maxima tamen fuisse censentur, quippe in vastissimas regiones diffusa, subditorum multitudine, ac copia, prouentuumque magnitudine, & opulentia antecellit.

DE CANOne Regum

3. Reg 10. ℣. 15.

2. Paral. 9. ℣. 14.

QVOT REges soluerint tributa Salomoni.

De canone Regum, ac principum sic loquitur liber Regum: *Et omnes Reges Arabiae ducesque terrae* liber vero Paralipomenon. *Omnesque Reges Arabiae*, inquit, *& Satrapae terrarum, qui comportabant aurum, & argentum Salomoni.* At liber Regum allatorum munerum causas recensuit, & munerum diuersa genera. *Et vniuersa terra*, inquit, *desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, vestes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per annos singulos.*

3. Reg. 10. ℣. 24. & 25.

DONA PRINcipum quae dabantur Salomoni.

Qui autem fuerint Reges hi, quiue Satrapae in ipso eodem libro Regum habetur expressum; vbi & Regni Salomonici magnitudo describitur, & id, quo multis alijs ditionibus, ac regnis praestabat quippe quod esset totum simul:

3. Reg. 4. ℣. 21.

REGNVM Salomonis quam late patuerit.

Salomon autem, inquit, *erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine terrae Philistym vsque ad terminum Aegypti offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitae eius.* Et infra: *Ipse enim obtinebat omnem regionem, quae erat trans flumen Euphratem, à Thapsa vsque ad Gazam, & cunctos Reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Iuda, & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua à Dan vsque Bersabee cunctis diebus Salomonis.*

Ibid ℣. 24. & 25.

PAX TEMpore Salomonis.

PROPHETIA Imperij Israelitarum completa tempore Salomonis.

Genes. 15. ℣. 18. 19. 20. & 21.

Tunc enim opere completum fuisse arbitrantur interpretes sacri, quod Abrahamo primum à Domino fuerat promissum dicente. *Semini tuo dabo terram hanc à flumine Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, Cinaeos, & Cenezaeos, Cedmonaeos, & Hethaeos, & Pherezaeos Raphaim quoque, & Ammorrhaeos, & Chananaeos, & Gergesaeos, & Iebusaeos.* Eademque Israeli deinde promissa fuere sub Moyse. *Ponam autem*, inquit, *terminos tuos a mari rubro vsque ad mare Palaestinorum, & a deserto vsque ad fluuium.*

Exod. 23. ℣. 31.

REGNVM Salomonis figura Regni Christi.

Regnum Christi Dei, & hominis eisdem fere limitibus, ac terminis, quibus Salomonis Regnum continebatur, definiuit Psaltes, vt nullis omnino finibus contineri indicaretur, quippe quod completurum esset terrarum orbem vniuersum: *Et dominabitur a mari vsque ad mare*, non alia certe haec, duo maria intelligenda esse videntur ab ijs, quae exposuerat liber Exodi. Rubrum scilicet mare ad meridiem situm, & mare Palaestinae, hoc est, Mediterraneum pertingens montis Libani partem Aquilonarem. *Et a flumine magno Euphrate, vsque ad terminos orbis terrarum*, ad oras videlicet Mediteranei maris, quas vltra terra non extenditur ad Occidentem, vt propterea subdat: *Coram illo procident Aethiopes*, transmarini, *& inimici eius terram lingent* supplices veneraturi Regem suum. *Reges Tharsis, & insulae munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes seruient ei.*

Psal. 71. ℣. 9.

Quae omnia, vt dixi, ad regnum Christi proprie, ac vere respiciunt, quem omnes omnium gentium Reges adoraturi sunt: vt recens natum adorauerunt Magi, qui *Ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes. vbi est, qui natus est Rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.*

Matthaei 2. ℣. 1.

S. August. lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 8.

SALOMON figura Christi.

Tamen, vt sanctissimus Augustinus affirmat, & ipsius psalmi titulo optime confirmat, In Salomone, figura certe qualiscunque adumbrata est, in Christo autem ipsa veritas praesentata. Nam praeter ea, quae de Regni limitibus iam diximus, Salomoni veluti in figura *Reges Tharsis* mittebant aurum de Ophir, *Et insulae*, quas infra ostendemus. *Reges Arabum*, vt supra vidimus ex libro Paralipomenon, *& Saba*, cuius Regina aurum, & aromata detulit Salomoni.

2. Paral. 9. ℣. 14.

SALOMON cum Aethiopibus matrimonio coniunctus, figura Christi.

Aethiopes quoque Salomonem venerati sunt, cum quibus foedere, & matrimonio

con-

coniunctus fuit, non sine magno Christi, & Ecclesiae sacramento. Quae omnia laudem hanc vnam, ac maximam Regno Salomonis tribuunt, quod sua amplitudine, maiestate, & gloria Regnum potuerit significare Iesu Christi Regum Regis, & dominantium Domini, toto terrarum orbe diffusi.

PALAESTINA, Samaria, Syria, Chaldaea, Arabia Salomoni seruiebat.

Et certe illud cuius perspectum satis esse crediderim, ex dictis colligi latiorem multo fuisse Salomonis ditionem, quam quae Palaestinae terminis contineretur. quippe quae praeterea, Samariam contineat, & Syriam, Idumaeam, & Chaldaeam, Arabiamque fere vniuersam desertam, Petream, & Foelicem. Cuius Imperij magnitudinem agnouit etiam Eupolemus singulis regionibus affirmans iniunctum fuisse, vt operarijs templi necessaria ad victum in singulos menses suppeditarent. Scripsi quoque, inquit apud eundem Eupolemum Salomon, in Galilaeam, & Samaritidem, & Moabitidem, & Amonitidem, & Galaaditidem, vt eis ex regione necessaria suppeditent in singulos menses: enumeratisque tritici, ac vini Coris. Oleum vero, inquit, & alia suppetent eis ex Iudaea, Victimae vero in esum carnium ex Arabia. Hactenus ex Eupolemo. Sed haec altioris sunt considerationis, ac studij. Nunc enim nihil exquirendum est aliud, quam de reditibus, aut prouentu huius Imperij, quod sequenti capite aggrediemur.

Eupolem. supra relatus cap. 25. huius libri.

EPISTOLA Regis Salomonis.

DE ANNVO CENSV SALOMONIS, REGNI *vbertate, & opibus.*

Cap. XLV.

OPERAE precium esse existimaui, aliquam inire rationem, quatum auri, tum argenti summam quotannis allatam expendere, probabili saltem coniectura, possimus. Et quidem tributis praetermissis, quae, vt ostendi, vndecim excedunt, quos vocant *milliones*; ipsos prouentus canonis & oblationis hac fortasse via non erit difficile inuestigare. Perspectum quidem est in sacris literis Hiramum Salomoni centum viginti auri talenta misisse. Ea vero singulis annis fuisse missa indicare videtur ipse contextus: *Aedificauerat Salomon*, inquit, *duas domos, id est, domum Domini, & domum Regis, Hiram Rege Tyri praebente Salomoni ligna cedrina, & abiegna, & aurum, iuxta omne, quod opus habuerat*. Et post pauca subdit, veluti exponens hanc auri summam, quam retulerat: *Misit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri*. quae ne quisquam putaret semel tantum fuisse missa, & non singulis annis, haec, quae sequuntur verba subiungit: *Haec est summa expensarum, quam obtulit Rex Salomon ad aedificandum domum Domini, & domum suam, & Mello, & murum Ierusalem, & Hesen, & Magedo, & Gazer*. Vatablus locum hunc explanare conatus, sic primum illum conuertit: Et haec summa est vectigalis, quod Salomon Rex exegit cum aedificaret aedem Domini, & aedes suas, deinde cum & Mello &c. Deinde in notationibus. Hebraice, inquit, & haec est res, quam ascendere fecit Rex Salomon, cum &c. Vel. Haec est res tributi, propter quam exegit Rex Salomon &c. nempe vt aedificaret, id est. Haec est autem causa ob quam tributum exegit, id est, vt aedificaretur. Vel potius haec est ratio tributi, quod indixit Chananaeis Salomon, nempe vt aedificaret. Iste pertinet ad versum sequentem, cuius initium est: Omnibus populis &c. Haec ille. qui varias loci interpretationes ex Rabbinis mutuatus fuisse videtur, quorum omnium constans sententia est, tributi, vel, vt rectius dicam, vectigalis mentionem fieri. Id quod ipsa Hebraica lectio plane complectitur. וזה דבר המס vezeh debar hammas: Et hoc verbum tributi, vel vectigalis, vocem enim מס mas, paulo superius exposuimus, & ostendimus in quo differat à seruitutis tributo exteris nationibus imposito Huiusmodi enim Israelitis impositum fuisse videtur, atque amicis, qui foedere potius, quam belli subiectione iungebantur. Septuaginta in Complutensi: Haec summa distributionis, quam obtulit Rex Salomon &c.

TRIBVTVM Regis Hiram Salomoni.

3. Reg. 9 ℣. 10. & 11.

Ibid. ℣. 14.

Ibid. ℣. 15.

Vatablus.

CAPITE superiore.

A

B

C

Id vero, quod distributionis nomine indicare voluerunt Septuaginta, expressit magis Chaldaeus Paraphrastes: Et haec est ratio tollentium tributa, quos praeposuit Rex Selomoh, ad aedificandum domum Sanctuarij Domini, & domum suam, & aggerem, & muros Ierusalem &c. Ac si dicat, hac eadem ratione, hoc eodem talentorum numero, indixit Salomon tributorum praefectis, quibus aedificia domorum, aggeris, siue Mello fuerant commissa, vt exigerent singuli suae ditionis tributa. Hac enim fere eadem phrasi vsus est liber Paralipomenon, vbi omnes Reges terrae affirmat munera attulisse Salomoni, vasa aurea, & argentea דבר שנה בשנה debar sanah basana. verbum anni in anno. aptissime sensum conuertit Vulgatus, *per singulos annos*.

2. Paralip. 9. ℣. 24.

D

Tributa porro ad aedificationem Mello, quibus fuissent imposita, & à quibus exigerentur indicat ipse liber Regum. Qui cum Ieroboami futuri Regis Israelis facta percensere aggrederetur: *Et haec est*, inquit, *causa rebellionis aduersus eum*, nempe Roboam, *quia Salomon aedificauit Mello, & coaequauit voraginem ciuitatis patris sui Dauid*. At cum deinde ipsa rebellionis series enarraretur, vniuersum Israel nuncium misisse ad Roboamum Salomonis filium his verbis refertur: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis. tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi*. Iugum vero, & imperium hoc Salomonicum ad tributa spectasse domui Israel imposita, nemo non intelliget. Componamus igitur iam simul vniuersa, & certe comperiemus imposita tributa ad aedificandum aggerem, vel Mello tot, ac tanta fuisse; vt propterea rebellauerit Israel aduersus Salomonis domum. Quippe quem ad eiusmodi iusta tributa admittenda, & persoluenda, aedificandae scilicet, & amplandae domus Dei ratio impulerat, Salomonis deinde

3. Reg. 11. ℣. 27. & 28.

CAVSA rebellionis Israel aduersus Roboam 3. Reg. 12. ℣. 4.

E

AMOR, ET Reuerentia Israelis in Salomonem.

inde sapientissimi Regis amor, studium, ac reuerentia in officio continuerit, vt etiam aedificijs absolutis, atque perfectis, à solutione tributi non cessarent, quibus causis deficientibus subsequuta Salomonis morte, Roboamum deprecantur primum, vt ab exigendo tributo cessaret, quo non audiente, hostiliter ab eo decem tribus recesserunt, Ieroboamum secuti, qui partem quandam eiusmodi tributorum exegerat.

POST MORtem Salomonis Rebellio.

Sed cum huiusmodi tributorum ratio centum viginti aureorum talentorum fuisse dicatur, videre iam oportet, an ab omnibus, an vero à singulis tribubus haec eadem exigeretur? Namquod Hiramus tributi, aut vectigalis nomine tantundem persoluerit, vel ex eo colligi videtur, quod ab Eupolemo fuerat olim memoriae proditum. David filium Cis, a quo Syros euersos, qui ad Euphratem fluuium habitantes, & Comagenem, & Assyrios, qui in Galadena, & Phoenices: exercitum quoque duxisse in Idumaeos, & Ammonitas, & Moabitas, & Ituraeos, Nabataeos, & Nabdaeos. Item bellum intulisse Suroni Regi Tyri, & Phoeniciae, quos etiam coegit tributa Iudaeis pendere. Ecce, iam inde à Dauidis temporibus tributa soluerat Tyrius; vt facile liceat conijcere summam illam centum viginti talentorum fuisse tributi nomine datam, quippe cum tantundem ceteris tribubus, aut subditis regionibus fuisset imperatum. Huc fortasse respexit Regina Sabba, ipsa quoque prudentiae studiosissima, quippe quae centum, viginti talenta auri vltro obtulerit, inter donaria Salomoni, vt se veluti subiectam fateretur, eandem per soluens summam, quae subiectis regionibus fuerat imperata. Quae omnia in eam nos sententiam facile inducent, vt arbitremur singulis tribubus tantundem fuisse imperatum, quarum vnaquaeque certe non multo minor esset, vt inferiora Tyrio principatu.

HIRAM Salomonis Tributarius.

Eupol. supra relatus cap. 25. huius.

3. Reg. 10. ℣. 10.

REGINA Sabba voluntar e soluit Salomoni, quasi tributum.

Et quidem cum rebellionis fit mentio quae tributorum grauissimum pondus est consecuta, Ieroboamus commemoratur eiusdem defectionis caput, & auctor, qui non totius Israelis collegisse tributa dicitur, sed vnius tantummodo tribus. *Vidensque Salomon, Ieroboamum adolescentem bonae indolis, & industrium, constituerat eum praefectum super tributa vniuersae domus Ioseph.* Longe autem diuersa haec ratio tributi fuit ab ea, quam duodecim alijs praefectis iniunxerat, vt praeberent annonam Regi, & domui eius. Primus enim horum *Benhur* enumeratur *in monte Ephraim*, quae ditio eadem est, quae domus Ioseph appellatur, & Ieroboamo tradita fuisse narratur, vt aliae quoque prouinciae ibidem enumeratae totidem principibus traditae fuisse intelligantur, qui quotannis colligerent similem talentorum summam, quam ipsi quoque singuli mensibus singulis in thesauros Regis inferrent.

IEROBOAM defectionis auctor.

3. Reg. 11. ℣. 28.

3. Reg. 4. ℣. 8.

Haec autem tributi ratio incredibilis certe non videbitur ei, qui in memoriam reuocauerit Principes tantum, Proceres, & Tribunos, ac Centuriones populi sponte semel obtulisse *auri talenta quinque millia, ac solidos decem millia, argenti talenta decem millia*. praeter alia metalla, ac dona quam plurima, eximij valoris, & precij. Nam si argenti talenta ad aurea reuocentur, diuisa nimirum summa decem millium talentorum per numerum duodenarium fient auri talenta octingenta triginta tria cum tertia talenti parte. Qui numerus si priori talentorum aureorum numero addatur, fient oblata talenta triginta tria A supra quinque millia octingenta, cum quinque duodecimis talenti partibus. Quod si tributum duodecim tribuum in vnam summam colligamus, cum singulae tribus soluerint centum viginti argenti talenta, fient talenta quadraginta supra mille quadringenta. qui numerus certe minor est, quàm quarta pars talentorum, quam sponte Principes obtulerant. Quare cum eisdem populum vniuersum hanc, quam dixi, summam singulis Salomonici Regni annis facillime soluisse, credendum est.

1. Paralip. 29. ℣. 7. & 8.

Auri talenta 5000. Argenti 10000.

QVOT TAlenta soluerit aureorum tribus Salomoni.

10000 / 12 / 833 1/3 / 1833 1/3

1440.

ANNVVS census Salomonis.

Quae si vera sunt, vt multis sane coniecturis videntur esse probata, esse quidem hic census annuus Salomonis mille quingentorum sexaginta talentorum aureorum, ex multiplicatione B collectus duodecim tribuum, & Regis Tyrij.

120 / 13 / 360 / 120 / 1560.

Qui felicissimi Imperij tam immensi prouentus facile posse confirmari videntur, ex prouentu cuiusdam partis eiusdem Imperij, eo tempore, quo in summam miseriam redactum fuisse refertur a Iosepho, tum propter Aegyptiacam seruitutem, tum vero maxime propter auaritiam, sordidissimosque negligentiae mores, Oniae pontificis illius antiqui Oniae liberalibus, honestissimisque moribus aduersi. Nam cum Iosephus alter eiusdem Oniae ex sorore nepos pro eodem Onia, & Israelitico populo Hierosolyma ad Ptolomaeum Ephiphanem legatus accessisset, sexdecim talento-C rum millia se daturum tributi nomine pollicitus est, & opere compleuit. Sed de hac re praestat historicum audire Iosephum de illo altero Iosepho quem dixi loquentem: Cum dies, inquit, auctionis venisset, qua addicenda erant vectigalia, licitabantur ea nobiles, suae quisque patriae: & cum ad octo millia talentorum colligerentur e vectigalibus Coelesyriae, Phoeniceesque, & Iudeae, ac Samariae, accedens Iosephus culpabat illos licitatores, tanquam de composito tam paruum Regi pretium promitterent. Se enim paratum duplum numerare, vel eius Regi damnatorum confiscationibus, quae prius publicanis solebant accedere. Haec ille.

IOSEPH Oniae legatus ad Ptolomaeum.

Iosephus 12. antiq cap 4.

IOSEPHI legati industria, ac solertia

Ex quo facile licet conijcere legatum hunc, qui probe nouerat, mille quingenta sexaginta D auri talenta ab eisdem prouincijs cum quibusdam alijs superadditis, fuisse olim Salomoni tributa, quae si decies ad rationem argenti multiplicata reuocarentur, fere sexdecim efficerent talentorum millia probe etiam nouisse totidem talenta se posse ex illis quatuor prouincijs colligere, quae eo minoris pretij, & aestimationis essent, quo Aegyptio talento maius erat Hebraicum. ex quo etiam talentorum discrimine sperabat sibi, suisque sumptus, atque prouentus facile suppeditari potuisse. Neque eum spes sua fefellit, aut promissa Regi defuerunt, horum enim soluta, seruataque fides gratiam Regis maximam promeruit, & patriae felicitatem: Vsus si-E quidem est, eodem Iosepho teste, ea prosperitate Iosephus per annos duos & viginti.

HEBRAIcum talentum maius Aegyptio.

26254800.

Sed quanta sit vectigalium Salomonis multitudo ad nostram rationem exigamus. Et primum in nostra numismatum tabula prima aduuenimus praedictum censum fuisse scutorum Romanorum vigesies sexies decies centena, ducenta quinquaginta & quatuor millia, octingenta. Eademque paria fuisse ducatis Hispanorum ter & vigesies decies centenis, centum sexaginta sex millibus. Et quoniam tabulae illae summam computant auri perfectionem, neque existimamus aurum census summae fuisse perfectionis, ab eadem summa duodecimam partem eiusdem

Tabula numis 1. habetur in Appar fol 426.

QVOT SCVta Romanae monetae fecerunt vectigalia Salomonis.

23166000

QVOT DVcati Hispanorum faciunt vectigal Salomonis.

eiusdem summae sustulimus. Itaque, aurum existimamus duorum & viginti graduum esse potuisse, vt sunt aurea fere omnia Hispanica nostra, supersunt igitur, duodecima parte sublata, Romana scuta monetae quater & vigesies mille millia, & sexaginta sex millia nongenta. Hispanici vero ducati semel & vicies millies milleni, & ducenti triginta quinque mille, & quingenteni.

24066900

21235500

Sed cum adhuc multa supersint in hunc censum redigenda, illud certe omnem humanam fidem superare videtur, quod ad loci adhuc, finiumque Imperij Salomonis angustias pertinet, quae certe angustiae si cum Assyriorum, vel Romanorum finibus, & amplitudine conferantur, tanto ab his illae superari videntur, quanto illius prouentus horum redditus, & vectigalia superauerint. Cui certe dubitationi vel vnus Cicero facile poterit satisfacere, cum id quod ille de vniuersa Asia dixerat, dum illam reliquis praeferret Romani Imperij prouincijs, id omne vna Palaestinorum regio quasi suo iure sibi vendicet. Ceterarum prouinciarum vectigalia quirites, inquit, tanta sunt, vt his ad ipsas prouincias tutandas vix contenti esse possimus. Asia vero tam opima est, & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat.

REDDITVS ac census Salomonis pinguiores Imperio Romano

Cicero pro lege Manil.

Quibus sane verbis duo prudenter proponit nobis Cicero in conferendis regionum prouentibus, ac fructibus maxime animaduertenda: Primum est, vt ratio sumptuum, & expensarum ex ipsis prouentibus accurate deducatur in primis: alterum est, vt regionis vbertas maxime attendatur. Et primum quidem, si diligenter expendatur, haud difficile ostendet Salomonis Imperium mirabili sapientia, perpetuaque pace administratum, facile opibus antecelluisse ipsum Romanum Imperium, quod vi, belloque partum, vi, belloque, tum externo, tum maxime intestino perpetuo fuit in officio continendum. Cuius rei qui testes exquiret, facile indicabit, se nullas Romanorum historias vel à limine salutasse.

EXPENSARUM ratio ab ipsis prouentibus deducenda.

IMPERIVM Romanum vi belloque partum, vi belloque administratum.

Ego vero meo muneri fecisse satis existimabor, si vnum tantum proposuero huius rei argumentum. Illud erit ex Strabone de Hispania nostra loquente. Reliqua autem, inquit, Iberiae pars à Betica, haec autem est plurima, à Consulari viro regitur, memorabilem exercitum habens ad tres circiter legiones. Haec ille. Quod si haec Hispaniae pars soli, terraeque latitudine ceteris sane non maior, quamuis bonitate, & vbertate omnium fortasse maxima, militum tamen octodecim millibus munienda fuit, nec paucioribus potuisset in officio contineri: quid quaeso de ceteris Imperij prouincijs sentiendum est? Plurima certe fuit Romani Imperij affluentia, sed quae plerumque expeditionibus exhausta, ipsum coegerit Romanum populum tributis subijcere. Id quod haud obscure significauit idem Cicero, quem iterum libenter appello, quippe cum in vno Cicerone Senatus populique Romani vniuersi testimonia contineantur, cum illius testimonia audiente, atque probante Romana Republica fuerint confirmata. Vbi est, inquit ille, septies millies sestercium, quod patet in tabulis, quae sunt ad Opis? funestae quidem illius pecuniae, sed tamen quae nos, si ijs, quorum erat, non redderetur, à tributis posset vindicare. Haec ille. Ego vero quae de vno Imperio populi Romani in exemplum adduxi, de omnibus alijs orbis Imperijs similiter sentiendum esse existimaui. Quorum immensa propemodum vectigalia, non modo necessariae in hostes expeditiones absumebant, sed plerumque etiam voluntarij luxus, prodiga bonorum temerariaque profusio, portentosae erectae moles, colossi, thermae, amphiteatra, porticus, scissae rupes, perfossi montes, aequatae valles, deducti fontes, deflexi fluuij, & cum immenso mari structurae contendentes, vt nil omnino placere posse videretur, nisi quod confici posse non putaretur. Qua in re contendente aduersus naturae vires hominum pertinacia, vna deerat diuitiarum affluentia, cum ipsum mare, si aureum esset, pertinaci hominum conatu absumeretur. Quod longe aliter in eo Imperio, de quo est nobis sermo, accidisse compertum est, quod summa sapientia quippe à Deo indita administrabatur, cuius Rex, & regnum de hac vna re decertare potuissent, de qua olim etiam cum Moyse decertatum fuisse ab eodem populo cognoscimus, quod populus plura praestare ad templi, aut tabernaculi aedificationem conaretur, quam ipse rex, aut dux accipere vellet. *Iussit* enim *Moyses praeconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat vltra in opere Sanctuarij.* Neque in alendis suis ministris, equitibus, equis, militibus, aut operarijs quidquam ex huiusmodi vectigalibus impendisse, infra patebit. His enim omnibus necessaria suppeditabant Regis praefecti.

Strabo lib. 3.

Ciceronis laus.

Cicero Philip. 2.

ROMANA Respublica tributis aliquando subiecta.

NIMIA prodigalitas, & luxus, Rerumpublicarum ruina.

LIBERALITAS populi Hebraei in Templum, & in tabernaculum.

Exod. 36. ℣. 6.

3. Reg. 4. ℣. 27.

Nam, quod ad regionis vbertatem spectat, non est opinor, cur pluribus persequar, cum plena sint sacra eloquia. Hanc enim terrae bonitatem, & vbertatem proposuit, populo illi pluribus argumentis, & exemplis Deus, vt illum induceret ad promissam primis illius gentis parentibus terram, dimissa vberrima quoque Aegypto, perquirendam. Hanc terram merito cornu filium olei, duplici pene aenigmate vsus, vocauit Isaias. *Vinea*, inquit, *facta est dilecto meo in cornu filio olei.* Cornu vocat montes regionis huius propter eminentiam, & propter excellentiam potissimum, filium olei propter pinguedinem. Cornu, inquam, quod oleo plenum pingue sit, & fere semper oleo manans. Quae omnia ad Ecclesiae Catholicae vbertatem, & caelestium honorum affluentiam indicandam referenda esse, potissimum videntur, quae tamen terrena illa soli vbertate significabatur.

VBERTAS, & bonitas terrae promissionis.

Isai. 5. ℣. 1.

ECCLESIAE vbertas significata per vbertatem terrae promissionis.

Sed ne nihil intactum à dubijs remaneat, illam ipsam regionis huius vbertatem in dubium quodammodo reuocare videntur nonnulli, ea potissimum ratione, quod nunc funesta admodum terrae illius facies, pristinam illam deformem quoque fuisse manifesto indicio comprobet. Quorum dubitationi pluribus possem sacrae Scripturae testimonijs satisfacere, quae cum non vacet expendere, praetermittere potius statuo, quàm vt minus honorifice rem grauissimam, ac pro meritis tractem. Quod si quis forte velit omnem dubitandi occasionem omnino à se amouere, is legat attentius Isaiae Prophetae caput trigesimum secundum, in quo post enumeratam Regis Christi iustitiam, sapientiam, prouidentiam, ceterasque generosi principis virtutes praeclaras, & admirabiles, ac principatus sui affluentiam, & coelestis scientiae

ADVENIENTE vbertate Ecclesiae, cessaure vbertas terrae promissionis.

vberta-

vbertatem, ad terrenae illius vbertatis perditionem explicandam accedit, vt indicaret, propterea eam vbertatem olim regioni illi concessam fuisse, quod haec noua esset successura, qua adueniente illa tanquam ad finem non amplius necessaria, cessaret. *Obstupescite*, inquit, *opulentae*, vel vt alij vertunt, trepidare tranquillae, *conturbamini confidentes, exuite vos, & confundimini: accingite lumbos vestros*, saccis addunt merito Septuaginta: *super vbera plangite*. quotum deerit vbertas tum in hominibus, tum in iumentis. Daturus enim erat eis Deus *Vuluam sine liberis, & vbera arentia*, vt ait Oseas. *Super regione desiderabili*, de agro desiderabili Septuaginta, ac si dicat, qui desiderari posset, quod omnia ferret, quae possent desiderari, *super vinea fertili, super humum populi mei spina, & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis*? Itaque omni eo priuandam fuisse regionem praedixit, quod illi laudi esse potuisset, aut commodis. Vt longe diuersa foret regio ab illa eadem, quae olim fuerat, nullo propemodum antiquae felicitatis vestigio in ea superstite. Qua in re nil opus est noua exquirere miracula, cum hoc exigat Diuina prouidentia sibi à pia mente tribui, vt potuerit tunc, cum opus fuit, regionem illam plusquam alias omnes orbis regiones vbertate, atque opibus cumulare, eamque iterum Hebraeorum hominum hoc postulante ingrati animi vitio, rerumque diuinarum serie, illam excellentioribus illis bonis destituere. Dicamus igitur, quod re uera est, & iuxta Ciceronis praescriptam rationem, huius regionis vbertatem, & opes cum reliqua Asia conferamus, ac inueniemus tanto Asiam à Palaestina tum soli vbertate, tum diuitijs, tum gloria, Salomonis potissimum aetate, superatam fuisse, quanto Palaestina soli amplitudine, locorum multitudine, & varietate ab Asia superabatur.

Isai. 32. ℣. 11. 12. & 13.

ISAIAS praedixit desolationem terrae promissionis.

Oseae. 9. ℣. 14.

CVR NVNC Palaestina antiquae vbertatis signa non retineat.

DEVS Palaestinam vberrimam prius fecit deinde omni vbertate destitutam reliquit.

PALAESTINA vberior quam Asia.

DE CLASSIBVS

SALOMONIS AVRVM, *argentum, gemmas, aliasque merces ex Ophir afferentibus.*

Cap. XLVI.

QVIDQVID de auro refertur, quod ex Ophir Salomoni Regi maximo nauibus ex Aegyptiaco sinu missis afferebatur, plurimi certe faciendum est. Id enim sacrae literae tanti faciunt, vt magnificentiae Salomonis, & opum pene innumerabilium hanc vnam quasi potissimam rationem assignare videantur.

OPHIR Indicam nauigationem magnifaciunt Scripturae sacrae.

OMNIA vasa Salomonis aurea.

A Ait enim sacer historicus: *Et omnia vasa, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & vniuersa suppellex domus saltus Libani de auro purissimo non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis*. Huius vero opulentiae rationem reddit, *quia*, inquit, *classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum*. Et in libris Paralipomenon *Omnia quoque*, inquit, *vasa conuiuij Regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur*. Huius item magnificentiae rationem reddens subdit, *siquidem naues Regis ibant in Tharsis cum seruis Hiram*
B *in annis tribus, & deferebant inde aurum*. Quae omnia iisdem fere verbis retulit Iosephus, Sed & pocula, inquit, ex auro solido parauit, & ex lapide pretioso, & in vsum conuiuij singulari arte fabrefacta, reliquamque omnem supellectilem regiam ex auro fieri curauit, nullum enim argento in commercijs erat precium. Porro effectum illius Indicae nauigationis assignare volentes sacrae literae concludunt, *Magnificatus est igitur Salomon super omnes Reges terrae prae diuitijs, & gloria*.

3 Reg. 10. ℣. 21.

Ibid. ℣. 22.

2. Par. 9 ℣. 20. & 21.

ARGENTVM diebus Salomonis pro nihilo reputabatur.

Iosephus 8. antiq. cap. 2.

Ibid. ℣. 22.

Igitur ex hoc capite facili negocio rimari possumus Indicam nauigationem praecipue ad tantam auri, opumque copiam, Salomonem euexisse. Res autem tota describitur in libris Regum.
C *Classem quoque fecit Rex Salomon in Asiongaber, quae est iuxta Ailath, in litore maris Rubri, in terra Idumaeae*. Quod Iosephus exponit factum fuisse in Aegyptiaco sinu in quodam loco ad Mare rubrum, qui nominabatur Asiongaber. Hic autem Berenice vocatur, non procul ab Ilana vrbe. *Misitque Hiram in classe illa seruos suos viros nauticos, & gnaros maris cum seruis Salomonis*. Qui serui Hirami qualesnam fuerint, explicat Idem Iosephus, & in hac quoque classe, inquit, magnificentia Hirami Regis amici fuit visa; viros enim gubernatores, & nauticae rei peritos ei misit, quotquot voluit. Imo vero non modo nautas, sed quod magis expendendum est, *misit autem*, inquit sacer liber, *et* Salomoni, *per manus seruorum*
D *suorum naues*. vt scilicet maior hac vnione esset nauium numerus, & magis ac magis augerentur copiae, tum ad maiorem opum, aurique copiam exportandam, tum vt se facilius ab hostium incursibus, si opus esset, tuerentur. *Qui cum venissent in Ophir*. quam regionem sic describit Iosephus: qui nauigantes cum Regijs procuratoribus in regionem Indiae olim Sopheram, nunc auream terram nominatam &c. Talentorum autem numerum explicat liber Regum: *sumptum*, inquit, *inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Regem Salomonem*.

INDICA nauigatio praecipua causa opum Salomonis.

3 Reg. 9. ℣. 26.

Ioseph. 8 antiq. cap. 2.

OPHIR VBInam gentium sit

Ibid. ℣. 12.

Iosephus Ibidem.

HIRAM etiam naues Salomoni misit.

Iosephus ibidem.

OPHIR idem, quod terra aurea.

Ibid ℣. 28.

Haec eadem Indica nauigatio in libris Paralipomenon sic habetur. *Tunc abijt Salomon in*
E *Asiongaber, & in Ailath ad oram Maris rubri, quae est in Terra Edom*. Quo in loco illud animaduertendum est tantam fuisse duorum Regum classem, vt ad eam inuisendam, & in extremos vsque terrarum fines emittendam potentissimus Rex vsque ad ipsum Mare rubrum, ad fines scilicet Imperij sui accedere dedignatus non sit. Ex quo patet apertissime classem illam ob magnam auri, rerumque preciosarum copiam, quam inde afferebat, cordi Salomoni fuisse mirum in modum. Subdit autem sacer textus, *misit autem ei Salomoni, Hiram per manus seruorum suorum naues, & nautas gnaros maris, & abierunt cum seruis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadrin-*

2 Paral. 8. ℣. 17.

SALOMON ad viderdam classem ad Mare rubrum profectus est.

Ibid ℣. 18.

QVOD talenta auri attulerint ex Ophir naues Salomonis.

dringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad Regem Salomonem. Vbi illud est etiam obiter adnotandum quod in libris Regum auri pondus ex Ophir allati dicitur fuisse quadringentorum viginti talentorum, In Paralipomenis vero quadringentorum quinquaginta. Iosephus denique ait allata fuisse Salomoni ex Ophir talenta circiter quadringenta, eandemque classem paulo post affirmat attulisse auri talenta sexcenta sexaginta sex, non annumerato, quod priuati negociatores mercati sunt.

3. Reg. 9. ℣. 28.
2. Paral. 8. ℣. 18.

Sed certe si rem omnem suo pondere, iustaque trutina perpendamus, nihil est quod nos faciat haesitare. Siquidem illa ipsa sapientia Salomonis *quae praecedebat sapientiam omnium Orientalium, & Aegyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus: nam dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quae est in littore maris*: Illa, inquam, ipsa sapientia argumento nobis est non contemnendum diuitiarum, & opum sapientissimi Salomonis. Nulla enim res magis ad diuitias acquirendas, easque in immensum augendas conducit, quam sapientia. Salomon ergo cum praepediri se videret, quo minus singulis quibusque annis eam, quam cuperet, posset cogere auri summam, seu propter viarum, & itineris immensi longitudinem, siue propter negociationis difficultatem nisi tertiam quoque rationem addas, quam assignat Eupolemus, quod scilicet effossores etiam in nauibus miserit Salomon, paterno fortasse exemplo ductus, qui aurum ex Indicis illis fodinis effoderent, quae res longius profecto tempus exposcebat ad maiorem lucri certitudinem, vberioremque opum affluentiam asportandam, non vna tantum classe contentus, plures etiam fabricasse conijcitur, easque singulis quibusque annis misisse, quarum vnaquaeque tertio quoque anno rediret. Vnde factum esse putamus, vt prima classis, quae tertio anno à sui discessu rediJt, attulerit auri talenta illa quadringenta viginti. secunda vero classis, quae item tertio anno à sui discessu reuersa est, attulisse etiam credatur auri talenta illa quadringenta quinquaginta. tertia vero classis, quae similiter tertio quoque anno rediJt, protulerit illa auri talenta sexcenta, sexaginta sex. qua ratione crescente hominum industria, effossorum multitudine, auri cupiditate, ac negociatorum dexteritate, creuit etiam auri copia, lucrorumque prouentus.

SALOMONIS sapientia maior sapientia omnium hominum.
3. Reg. 4. ℣. 30.
3. Reg. 4. ℣. 29.
SAPIENTIA multum facit ad diuitias acquirendas & augendas.
SALOMON misit in Indiam etiam effossores auri.
SALOMON plures classes diuersis annis in Ophir misit.
3. Reg. 9. ℣. 28.
SACRA Scriptura conciliatur.
2. Paral. 8. ℣. 18.
Ioseph. 8. antiq. c. 2.

Qua in re Iosephus eundem ordinem tenuisse videtur, quem sacra Scriptura seruauit, in referendis iJs, quae à Regina Saba dicta, gesta, donataque sunt Salomoni Regi, & inuicem à Rege accepta. Itaque locum Scripturae sacrae ita exposuisse videtur, vt putet sacram historiam, quam occasione lignorum a Regina Saba allatorum historiam instituerat, eandem de lignis etiam à classe ex Ophir allatis, post absoluta ea, quae ad Sabeam Reginam spectabant, resumpsisse, illis verbis: *erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri.*

OPINIO Iosephi de talentis sexcentis sexaginta sex Salomonis.
3. Reg. 10. ℣. 14.

Sed certe huic Iosephi interpretationi sese opponit quod à sacro textu non semel relatum est, & ab eodem Iosepho vsurpatum: naues nimirum tertio quoque anno rediJsse: vnde cogimur vnum è duobus necessario affirmare aut veram esse eam coniecturam, quam paulo ante diximus de tribus illis classibus in Ophir tribus diuersis annis missis, aut hoc Regum textu sermonem fieri de tributis Salomonis, vt à nobis paulo superius explicatum est: a Iosepho autem alia ab iJs fuisse relata, quamuis numero eaqualia.

3. Reg. 9. ℣. 28.
2. Paral. 8. ℣. 18.

Iam vero illud hoc loco in primis notandum est in hac vniuersa auri summa, quae certe maxima est, nullam omnino mentionem factam fuisse de argento, de preciosissimis gemmis, de lignis aestimationis non minimae, de aliJs denique mercibus precij, & valoris immensi: quae omnia quemadmodum infinita propemodum fuere, ita maxime faciunt ad Salomonis magnificentiam, ac gloriam, ac diuitiarum vbertatem fusius indicandam.

Res sane ita describitur à sacro historico: *Sed & classis Hiram, quae portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas preciosas.* Et in libris Paralipomenon, *sed & serui Hiram cum seruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas preciosissimas.* Quae ligna quam preciosa fuerint patet ex eo, quod in libris Regum subditur: *fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiae, & cytharas, lyrasque cantoribus, non sunt allata huiusmodi ligna thyina, neque visa vsque in praesentem diem.* Et in Paralipomenis idem fere repetitur. *de quibus*, inquit, *fecit Rex, de lignis scilicet thyinis gradus in domo Domini & in domo regia, citharas quoque, & psalteria cantoribus: nunquam visa sunt in Terra Iuda ligna talia.* Et Iosephus quasi explicans quae nam ligna ex Ophir allata fuerint, & quam preciosa, sic loquitur, per idem tempus allatis ex aurea, sicut vocant, terra gemmis, & lignis pineis, ex hac materia Rex fulcra templi, ac regiae fecit, eiusque parte vsus est ad instrumenta musica, cynneras, & nablas, quibus Leuitae diuinos hymnos solent accinere; nunquam autem ante hac tam elegans apportata fuerat. Sed nemo sic cogitet, quae nunc pinea ligna vocantur, quaeque ad alliciendos emptores hac appellatione mangonizant negociatores, illis esse similia, illa enim aspectu ficulneam materiam referunt, nisi quod candidiora sunt, & fulgentiora: id quod admonere officij nostri duximus, ne quis per ignorantiam in his discernendis fallatur. Haec ille.

3. Reg. 10. ℣. 11.
2. Paral. 9. ℣. 10.
QVAS merces alias attulit ex Ophir classis Salomonis.
3. Reg. 10. ℣. 12.
2. Paral. 9. ℣. 11.
Ioseph. 8. Antiq. c. 2.
QVAE LIGNA pinea attulit ex Ophir Salomonis classis.

Neque solum haec ligna, & gemmas ex Ophir Regi Salomoni allata esse putemus, quin etiam alia, quae plurimi aestimabantur, de quibus in Paralipomenis sic habetur. *& deferebant*, inquit, *aurum, & argentum, & ebur, & simias, & pauos.* Et Iosephus saepe a nobis hoc capite citatus eadem fere enumerat, nisi quod mancipia etiam ex Ophir allata fuisse dicat his verbis: multa enim nauigia Rex in mari, quod vocatur Tharsicum habuit, quae ad remotas gentes merces varias deferre iussit, pro quibus exportatis aurum, & argentum Regi deferebant, multumque eboris, & mancipia Aethyopica, & simias.

2. Paral. 9. ℣. 21.
SIMIAS & pauos, & mancipia ex Aegypto attulit Salomonis classis.

Postremo loco non est silentio praetereundum quod ita haec Indica nauigatio aestimabatur, ob lucri nimirum commoditatem, maximas, ac praeciosissimas merces allatas, vt non modo spacium trium annorum in itu, & reditu, vt Iosephi verbis vtar, ac multae itineris difficultates non retardarint homines alioqui praediuites, de quibus haec dicit sacra Scriptura: *Habitabatque Israel, & Iuda absque timore vllo vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, a Dan vsque Bersabee* verum etiam post multos annos Iosaphat Iudae Regem extimularint, vt eandem nauigationem resumeret: sperabat enim Salomonis imitatione maximam

3. Reg. 4. ℣. 25.
IOSAPHAT, Rex classem in Ophir mittendam curauit.

auri copiam, & eximij valoris gemmas, & ceteras preciosissimas merces consequuturum. Rem sane his verbis expressit historia Regum, *Rex vero Iosaphat fecerat classes in mari, quae nauigarent in Ophir propter aurum.*

3. Reg. 22. ℣. 49.

NAVFRAgium classis Iosaphat.

2. Paral. 20. ℣. 37.

Verum longe aliter res sortita est euentum, quam Iosaphat cogitarat, siquidem *ire non potuerunt*, inquit sacer textus *quia confractae sunt in Asiongaber*. Huius autem infelicis, ac miserandi naufragij genuinam veluti caussam assignat Eliezer propheta ad Iosaphat dicens: *quia habuisti faedus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaeque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis*. Inierat enim faedus Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia impijssimo *Rege Israel, qui & particeps fuit vt facerent naues, quae irent in Tharsis*, iametsi admonitus à propheta, atque cautior effectus est, cum enim *ait Ochozias filius Achab Regis Israel ad Iosaphat: vadant serui mei cum seruis tuis in nauibus, noluit Iosaphat*. Quod factum argumento est Indicam illam nauigationem ob quam tanta auri, opumque aliarum copia Salomon ditabatur, non Salomonis tantum sapientia adhibitam, & ad finem vsque perfectam, absolutamque fuisse: sed Dei Optimi Maximi singulari prouidentia, qua, vt dictis staret suis, quibus vere regiam Salomonis in Deum pietatem, ac Religionem opibus, ac sapientia cumulare decreuerat, modum etiam, viamque Salomoni ob oculos, & praescripsit, & incedentem in ea adiuuit, & ad finem vsque felicissime perduxit.

2. Paral. 20. ℣. 36.

3. Reg. 22. ℣. 50.

INDICA nauigatio non humana solum sed diuina etiam sapientia feliciter effecta.

DE TRIBVTIS, ET DONARIIS

Salomonis in vniuersum.

Cap. XLVII.

INSTITVTI nostri ratio postulat vt annuos redditus Salomonis cum aliorum Principum redditibus conferamus. Sed antequam id praestemus, in vnam veluti summam redigendum est quicquid collegimus Salomonis aerario singulis quibusque annis accessisse. Primo igitur loco sacrae literae testantur ex gentibus Salomonis Imperio subiugatis tributi seruilis nomine, *aurum, quod afferebatur Salomoni per singulos annos sexcenta sexaginta sex talenta auri.*

2. Paral. 9. ℣. 13.

EX GENTIbus tributum talentorum 666.

Secundo loco ex historia Regum annumeranda sunt ea talenta auri centum viginti, quae Salomoni misit Hiramus Tyriorum Rex: quae supra probauimus singulis item annis ab eo Salomoni tributi nomine fuisse soluta vsque ab ipso Dauide, à quo Tyriorum Regnum tributarium effectum est, vt auctor est Eupolemus.

3. Reg. 9. ℣. 10.

AB HIRAmo tributum talentorum 120.

His tertio loco adijcienda sunt tributa omnia, non quidem seruilia, sed honoraria, quae Salomon Duodecim tribubus Israel indixerat, vt Mello aedificaretur: patet id ex historia Regum. Hoc autem tributum fuit talentorum auri quadraginta supra mille quadringenta. Singulae enim tribus soluebant auri talenta centum viginti: quod tributum vsque ad Salomonis obitum perseuerasse patet ex eadem Regum historia. His praeterea addenda essent illa talenta auri, & argenti, & quidquid ex Indica nauigatione Salomon acceperit, Sed de his inferius suo loco dicemus.

3. Reg. 11. ℣. 27.

EX DVODEcim tribubus tributum talentorum. 1440.

Ibid cap. 12. ℣. 18.

Itaque si vniuersa Salomonis tributa in hac triplici serie relata in vnam summam redigantur inueniemus ad Salomonis aerarium singulis quibusque annis accessisse auri pondus immensum: nimirum, talenta auri viginti sex supra duo millia ducenta, quae aequiualent argenti talentis Hebraicis viginti sex millibus septingentis duodecim, talentis nimirum Atticis quinquaginta tribus millibus quadringentis viginti quatuor.

SVMMA talentorum. 2226.

TALENTA Attica argenti. 53424.

Hoc autem loco tria nobis in primis annotanda sunt. Primum est in tota hac tributorum serie nullam omnino argenti fieri mentionem, sed auri tantummodo: cum tamen compertum sit, tum ex sacris literis, tum etiam ex Iosepho argenti pondus annuum Salomonis immensum fuisse. Equidem ex sacris literis, dum de Indica nauigatione loquuntur haec habemus. *Classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum.* Pondus autem auri ex Ophir allati, ait, fuisse talentorum quadringentorum viginti, vel quadringentorum quinquaginta, argenti autem pondus non numerat; redditque rationem: *Non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis*: Ac si apertius diceret, maximam quidem argenti copiam ex Indicis illis fodinis fuisse relatam, argenti tamen pondus ideo non describi, quia Salomonis aetate argenti precium nullum erat. Cuius tam vilis aestimationis ratio assignatur in libris Paralipomenon, vbi post debellatos, ac imperio suo subiugatos *cunctos Reges a flumine Euphrate, vsque ad torrentem Philisthinorum, & vsque ad terminos Aegypti*: subditur, *tantamque copiam praebuit Salomon argenti in Ierusalem, quasi lapidum*. Quòd si argenti ratio aliqua babenda esset, decuplo maior computanda esset, quam auri: vt vel hac ratione tributa responderent aerario, & annui redditus Dauidico legato, in quo auri centum millia talenta recensentur, argenti vero mille millia talentorum.

1. Reg. 10. ℣. 22.

2. Paralip. 9. ℣. 26.

ARGENTI tributa Salomonis decuplo maiora, quàm auri.

Sed illud Iosephi testimonium mirum in modum sententiam nostram confirmat. Multa nauigia, inquit, Rex in mare, quod vocatur Tharsicum, habuit, quae ad remotas gentes merces varias deferre iussit, pro quibus exportatis aurum, & argentum Regi deferebant. Quod aurum explicans quantum fuerit, eadem, inquit, classis attulit Regi auri talenta sexcenta sexaginta sex: quantum vero argenti fuerit, ne verbum quidem facit. Cuius admirandi silentij, quasi rationem assignans, subdit, nullum enim tum argento in commercijs erat precium.

Ioseph. 8. Antiq. c. 2.

QVANTA argenti copia sub Salomonis imperio.

Sed forte luculentius est alterum eiusdem Iosephi testimonium, in quo de Templo, ac domo Regia Salomonis aedificatis loquens. Haec omnia, inquit, Salomon viginti annis perfecit, conferente magnam vim auri, maiorem argenti Hiramo Tyriorum Rege. Auri deinde ab Hiramo Tyriorum Rege Salomoni soluti tributi nomine summam enarrans, ait, fuisse talentorum centum viginti, praetermisso item argenti pondere, eoque sub silentij tenebris obuoluto.

Ibidem.

Secua-

Secundum vero silentio praetereundum non erat in tota hac auri vectigalis summa nullam etiam eorum triburorum a nobis fieri mentionem, quorum explicatam summam ex sacris literis non habemus: tametsi eam maximam fuisse non sit negandum. Sacer Historicus rem tantum innuit his verbis. *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, & negociatores, vniuersique scruta vendentes, & omnes Reges Arabiae, ducesque terrae.* Qui locus triplicis hominum generis mentionem facit, eorum scilicet, *qui super vectigalia erant*, negociatorum, & Regum ac principum, qui dona offerebant Salomoni.

VECTIGAlia & donaria non numerantur.

3. Reg. 10. ℣. 14.

B

Ac primo sciri certe non potest quot, quantaque fuerint vectigalia, tametsi multa putanda sint in tam opulento Regno, ac latissime diffuso. *Negociatores* etiam quot fuerint multo minus scire possumus, conjici facilius, ex eo quod sacrae literae testantur de equorum solummodo mercatoribus. Liber enim Regum, *Negotiatores*, inquit, *Regis emebant de Coa, & statuto precio perducebant egrediebatur autem quadriga ex Aegypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta atque in hunc modum cuncti Reges Hethaeorum, & Syriae equos venundabant.* Ecce quot negociatores fuisse credendi sunt in Aegypto, Palaestina, Syria, & alijs regionibus, ac prouincijs. Et in Paralipomenis, *adducebantur autem ei equi de Aegypto, cunctisque regionibus.* & iterum. *Adducebantur autem ei equi ex Aegypto de Coa a negociatoribus Regis, qui ibant, & emebant precio quadrigam equorum sexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta: similiter de vniuersis regnis Hethaeorum, & à Regibus Syriae emptio celebrabatur.* haec de equorum emptionibus. quid de reliquis mercatoribus, ac negotijs dicendum esset?

NEGOTIAtores Regis quot fuerint. 3. Reg. 10. ℣. 28. 29.

C

2. Paralip. 9. fine. & 2. Paral. 1. fine.

Quod autem addit Iosephus, sententiam nostram mirifice confirmat. Mirandum autem, inquit, in modum per id tempus auctae sunt res Hebraeorum & tribus Iudae, populo ad agrorum colendorum studium conuerso. Pace enim fruentes, & nullis bellicis tumultibus distracti, adhaec optatissima libertate auide perfruentes, in hoc potissimum erant intenti, vt suas quisque facultates augeret, & maioris precij faceret. Quae verba Iosephi ostendunt Salomonis tempore vniuersam pene populi multitudinem negociatores fuisse, nisi eorum vnumquemque malis ditissimum Principem appellare. Principum autem maximam multitudinem, qui Hierosolymis degebant, aperte describit historia libri Paralipomenon. Quod totum sapientiae Salomonis certe tribuendum est, qui vniuersis modum acquirendarum, augendarumque opum praescribere nouisset, quosque etiam exemplo alliceret suo. Deinde dum de auro Salomonis ex Ophir allato mentionem fecisset idem Iosephus; Eadem classis, inquit, attulit Regi auri talenta sexcenta sexagintasex non annumerato, quod priuatim negociatores mercati sunt. Ecce iam apud Indos etiam Iudaei negotiatores erant. quotnam fuisse credendi sunt in ceteris regionibus?

NEGOTIAtorum multitudo. Ioseph. lib. 8. antiq. c. 2.

D

2. Paralip. c. 8. & 9.

SALOMOnis sapientia

E

Ioseph. 8. antiq. cap. 2.

Tertio loco illud erat adnotandum, principum dona ex vniuerso terrarum orbe Salomoni oblata in singulos annos multa, & maximi valoris fuisse. Testantur id sacrae literae. Ac de Sabaea quidem Regina: *Venit in Hierusalem*,

3. Reg. 9. ℣. 1. 2.

A

inquiunt, *cum magnis opibus, & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasque preciosas.* & paulo post. *Dedit autem Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas preciosissimas; non fuerunt aromata talia, vt haec, quae dedit Regina Saba Regi Salomoni.*

De donis vero, quae à Regibus, ac Principibus terrae Salomoni offerebantur, mira sunt, quae sacrae literae testantur. *Vniuersa terra*, inquit Historia Regum, *desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, vestes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per annos singulos.* Quo textu quot verba sunt, tot praecipuas animaduersiones desiderarent: quas tamen temporum angustijs praepediti lectoris studio, atque prudentiae committimus. Et in Paralipomenis. *Magnificatus est igitur*, inquit sacer textus, *Salomon super omnes Reges terrae prae diuitijs, & gloria: omnesque Reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde suo, & deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, vestes, & arma, & aromata, equos, & mulos per singulos annos.*

3. Reg. 10. ℣. 24. 25.

2. Paralip. 9. ℣. 22. 23. & 24.

Eadem fere Iosephus affirmat de Sabaea Regina loquens. Nec, inquit, contenta verbis indicasse, quanti Regem faceret, etiam muneribus suam erga illum obseruantiam testari voluit. Viginti enim auri talenta ei donauit, & aromatum vim immensae aestimationis, lapillorumque preciosissimorum. Et paulo post. Fama, inquit, celeberrima per omnes circumquaque regiones de Salomonis virtutibus, ac sapientia diuagabatur: qua exciti plerique Reges, quo certiores de iam dictis fierent, visendi eius cupidine flagrabant, & exquisita munificentia studiosos eius se declarabant mittebantur vasa tam aurea, quam argentea, & vestes purpureae, & omne genus aromatum, equi praeterea, currusque, & muli subuehendis sarcinis, qui vel robore, vel pulchritudine Regi placituri videbantur. Haec ille. Vtque hoc melius cognosceretur hunc equorum numerum maximum fuisse subdit. Quae omnia manifesto argumento sunt, eos vectigales redditus, de quibus sacra Scriptura certum numerum non assignat, ac praeterea Principum, ac Regum terrae dona innumera ad supremum diuitiarum apicem Salomonem euexisse. Itaque non immerito censent aliqui hanc incertam opum summam multo maiorem fuisse ea, quae paulo ante annuo tributo soluta fuisse probata est. Quae causa fuit, cur Salomon post erogatam infinitam auri, & argenti massam extruendo aeterno numini templo, & sexcentis alijs aedificijs, de quibus ipse testatur: *magnificaui opera mea. aedificaui mihi domos* &c *& extruxi mihi piscinas.* quarum vnam Nehemias grandi opere constructam vocat, adhuc tamen dixerit *coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias Regum, & Principum.*

Iosephus 8. antiq. cap. 2.

Eccl. 2. ℣. 4.

Nehem. 3. ℣. 16.

SALOMONIS CENSVS ANNVI CVM *Assyriorum, Persarum, Graecorumque redditibus conferuntur.*

Cap. XLVIII.

ENVMERATIS iam annuis Salomonis tributis, reliquum est aliorum Regnorum, atque Prouinciarum tributa breuiter examinare. Qua re cognita facilius deinde cum his alienarum nationum tributis nostra illa Salomonis comparabimus. Et quoniam quatuor potissimum Imperia à Daniele propheta recensentur, futura à prima Hebraici Regni inclinatione vsque ad illud Imperium toto terrarum orbe diffundendum, quòd a Christo Domino iam institutum est, ac toto iam orbe diffusum, hoc est Assyriorum Imperium, Persarum cum Medis coniunctum, Graecorum, ac denique Romanorum, cum omnium horum tributis tributa item Salomonis conferemus.

QVATVOR imperia Assyriorum, Persarum, Graecorum, Romanorum.

Sumatur igitur exordium ab Assyriorum Imperio, quod certe quemadmodum fuit omnium antiquissimum, sic etiam ditius, vt suo loco probabimus, ac permultas Asiae praesertim regiones latissime diffusum. Vt enim sacrae litterae testantur, *Assuerus omnem terram, & cunctas maris Insulas fecit tributarias, & regnauit ab India vsque Aethiopiam super centum viginti septem Prouincias.* Hoc igitur Imperium, quantum per singulos quosque annos tributi nomine aerario Regio intulerit, incertum omnino est: cum in toto Assyriorum Regno nulla fiat certa vectigalium, tributiue mentio. Primus enim, vt auctor est Herodotus Halicarnassaeus, qui tributa stata, fixaque indidit, fuit Darius Hystaspis filius, Persarum Rex: Qua de re ob hanc tributi formulam institutam, Capelus, verbo Graeco, id est, Institor vocatus est. Etenim sub Cyro, atque deinde sub Cambyse, nihil dum fuerat circa tributa institutum, sed munera offerebant, inquit Herodotus.

Hesth. 10. v. 1.

Herod. lib. 3.

DARIVS primus tributa instituit Persarum imperio.

Ibidem.

Transeamus igitur ad tributa Regni Persarum, quae primus Darius adinuenit, & viginti Prouincias, quas Graeci Satrapias vocant, Plinius Praefecturas, constituit, earumque singulis Praesides praefecit, taxato, quod penderetur tributo per nationes. Has ergo Herodotus Satrapias ab Hellesponto ad Indiam vsque sigillatim percensens, & quicquid vnaquaeque quotannis pensitaret enarrans, tandem summam colligens. Quibus in vnum contractis, inquit, ad Euboicum computum exigebantur in summam annui tributi a Dario talentorum quatuordecim millia, quingenta, & sexaginta.

Plin.

Herod. ibid.

EX VIGINti Satrapiis Persici imperii tributi nomine talenta 14560.

Aethiopes praeterea, & Colchos, aliosque populos munera in Persidem quotannis afferre consueuisse, tradit Herodotus, inter quos insignis erat pensitatio Arabum, qui millena quotannis talenta turis offerebant. Turis autem optimi pretium Romae, Plinio teste, nummorum sexdecim erat in singulas libras. Nummum autem Atticae dragmae, vel denarij Romani quartam partem fuisse compertum est ex nostris Commentarijs. Itaque si millena turis talenta per sexaginta duas libras cum dimidiata, quas pendet talentum Atticum multiplicaueris: inuenies allati turis fuisse libras quingentas supra sexaginta duo millia, Quas iterum si per quatuor denarios multiplices, inuenies illud pretium fuisse denariorum ducentorum quinquaginta millium. Hos si per sex millia dragmarum diuiseris, efficies talenta attica quinquaginta duo cum duabus item talenti tertijs.

Plinius lib. 12. cap. 14.

TVRIS pretium Romae. *Plin.*

TALENTVM Atticum libras pendit $62\frac{1}{2}$.

TALENTVM Atticum dragmas continet 6000.

Ex quibus omnibus illud vnum, quod praecipuum erat, in animo facile colligimus, vniuersa Persici Regni tributa computando talenta Euboica, quae Budaeo minora sunt, ac si Attica essent, fuisse talenta Attica, quattuordecim millia sexcenta duo cum duobus praeterea tertijs.

TRIBVTA Persici Regni talenta Attica $15011\frac{1}{3}$. *Bud. lib. 4. de Asse.*

Collatio autem reddituum Salomonis cum redditibus Regni Persarum facile fiet, si in memoriam reuocemus annua tributa Salomonis fuisse aurea Hebraica talenta, duo millia ducenta viginti sex. quae si per tredecim multiplicaueris, iuxta morem Herodoti, fient talenta argenti Hebraica viginti octo millia nongenta triginta octo. Haec si duplices, fient Attica talenta, quinquaginta septem millia octingenta septuaginta sex, quae fere quadruplo plura sunt, quàm talenta annua Darij. Quod si argenti ratio haberetur, quod in singulos annos Salomoni soluebatur, essent quadragies fere plura, quam haec omnia Persarum tributa.

COLLATIO tributorum Salomonis cum tributis Persarum.

TRIBVTA Salomonis talenta Attica argenti 57876.

Iam vero quid de Alexandri magni Imperio dicemus, qui celerius aleae iactu, vel fulgetrae potius emicantis in modum inusitatum, & in gradum nulli alij imitabilem, Regnum Persarum inuasit, certe in tam breui temporis spatio sciri vix potest, quot quantaque annua tributa Alexandro rependerint infinitae propemodum subiectae nationes, amplissima Regna, prouinciae remotissimae, nulli antea, praeter vnum fabulosum Herculem aut Bacchum accessibiles. Indiae enim maiorem partem peragrauit Alexander, vt ipse idem Aristoteli praeceptori scripsit. Quare multo latius patuit Alexandri Imperium, quam Darij: adiecit enim ad Persarum Regna Indiae partem; adiecta Macedonia paternae haereditatis regno, Graecia ipsa, alijsque prouincijs, etiam sponte Alexandri Imperio subiectis.

IMPERIVM Alexandri breuissimum.

IMPERIVM Alexandri quam late patuerit vsque in Indiam.

IMPERIVM Alexandri maius Persico.

Hanc rem multis iam persequitur Iustinus, Quinctus Curtius, Plutarchus, & quicumque de Alexandri rebus gestis scripserunt. Tanta enim fuit Alexandri modestia, tanta comitas, & morum facilitas, vt haec vna potentissimos alioqui Sogdianorum populos facili negotio vicerit, qui neque potentiae fama territi, neque Macedonum armis victi, cesserant aliquando. Tantus erat terror in omnes Asiae, & Indiae populos, vt vna eademque die ad duo legatorum millia receperit, qui nomine eorum, à quibus mitterentur, duorum item millium vrbium claues ei obtulerunt: multo antequam in eorum finibus Graecorum arma conspicerentur. Hinc non immerito Scytharum populi, vt auctor est Herodotus, qui Cyrum potentissimum Persarum Regem & vicerant, & interfecerant, & caput illius humano sanguine totum obruerant, Alexandro libentissime manus dederunt. Itaque gentes vniuersas vel potentia, & armis vicit, vel comitate & modestia deuicit.

Iustinus, Curtius, Plutarchus in Alexandro.

Herodotus in Alexand.

Iustinus quidem, qui res ab Alexandro gestas dili-

A diligentissime perse cutus est, sub mortem eius varia animorum sensa subsecuta esse percenset: lugentibus nimirum alijs optimum parentem, alijs contra exultantibus, ac si hostem amisissent, seueritatemque morum euitassent. Principes, inquit Iustinus, regna, & imperia, vulgus militum thesauros, & grande pondus auri, velut inopinatam praedam spectabant. Erant enim in thesauris centum millia talenta, & in annuo vectigali tributo trecenta millia. Haec ille.

Iust. lib. 13.

VECTIGALIA Regni Alexandri talenta 300000

Codicis vero fides, quod ad annua vectigalia spectat, atque tributa, haud immerito suspecta esse videtur Budaeo, tum quòd Historicorum nullus thesauri nomine dignam censeret annui redditus tertiam partem, tum vero maxime B quòd triginta talentorum millia potius, quàm trecenta cum enumeratis Alexandri opibus, & sumptibus magis viderentur congruere. Verum licet mendoso Codici fidem praestemus plenissimam: nihilominus multo pauperiorem Salomone facimus Alexandrum. Ille enim tenuiore redditu vberiores potuit cumulare thesauros illos, quos sacrae litterae testantur, hic vberiori prouentu vix minimam illius thesauri partem potuit conseruare. Neque id mirum, cum in alendis, ac pretio conducendis vsque ab ipsa Graecia ducentis fere millibus peditum, quadraginta millibus equitum, duobus millibus curruum, nauigijs actuarijs duobus item millibus, C triremibus trecentis supra duo millia, tanta prouentuum vbertas vix satis esse potuerit, vt vel mediocriter in huiusmodi rebus bellicis erudito apertissime patet. Quod ex eo confirmari potest: quod cum infinitam propemodum auri, argenti, aureorum vasorum, purpurarum vestium, ac gemmarum copiam congessisset, nihilosecius sub Alexandri mortem centum tantummodo talenta millia in thesauris reperta sunt. Cur tam exigua pecunia in tam pingui tributo? quia nimirum multo maior erat expensarum summa, quàm tributorum prouentus.

Bud. de Asse lib. 4.

ALEXANDRO ditior Salomon.

ALEXANDRI exercitus.

Quòd autem immensa fuerit thesauri copia, quae è deuicto Persarum Regno in Alexandri potestatem redacta sit, patet ex Quinto D Curtio, qui de gaza solius Damasci loquens post deuictum Darium: Iacebant, inquit, totis campis opes regiae, illa pecunia stipendio ingenti militum praeparata, ille cultus tot nobilium virorum, tot illustrium faeminarum, aurea vasa, aurei fraeni, tabernacula regali magnificentia ornata, vehicula quoque à suis destituta, ingentis opulentiae plena, &c. & paulo post, quippe tot annorum incredibili & fidem excedente fortuna cumulata. Et alibi de praeda Susis loquens. Vt vero, inquit, vrbem intrauit, incredibilem ex thesauris summam pecuniae egessit, quinquaginta millia talentum argenti non signati forma, sed rudi pondere. E Addit Plutarchus purpurae hermoniacae talentorum quinquaginta millia. Et iterum. Alexandro traditur Arbela regia supellectili, Darijque gaza repleta; quatuor millia talentum fuere, praeterea preciosae vestes, totius exercitus opibus in illam sedem congestis. Et de Persepolis praeda loquens ait: Multas vrbes refertas opulentia Regia, partim oppugnauerat, partim in fidem acceperat: sed vrbis huius diuitiae vicere praeterita; in hanc totius Persidis opes congesserant Barbari, aurum, argentumque cumulatum erat, vestis ingens modus, supel-

Q. Curtius lib. 3.

PRAEDA thesauri Susiani

Idem lib. 5.

PRAEDA thesauri Arbelae.

A lex non ad vsum modo, sed ad ostentationem luxus comparata. Et infra subdit: Ingens pecuniae captiuae modus traditur, prope vt fidem excedat: ceterum aut de alijs quoque dubitamus, aut credimus in huius vrbis gaza fuisse centum, & viginti millia talenta.

Strabo item de thesauris Ecbathanae vrbis loquens, ait: Alij autem vniuersas vndique coactas pecunias centum, & octoginta talentum millia dicunt Ecbathana exportata fuisse.

Strabo lib. 15.

Hos omnes thesauros ex tribus tantum vrbibus congestos legimus, quos de ceteris vrbibus congesserit, diuinare quis posset? maximos eos fuisse putare & possumus, & debemus.

B Accedit Alexandri profusio potius, quàm liberalitas, Nam apud Plutarchum legimus Alexandrum in Hephaestionis amici funere curando decem talentorum millia profudisse, Arrianus vero post apparatum funeris descriptum ad extremum haec addit. Aiunt numerum consumptae pecuniae maiorem duodecim millibus talentorum fuisse. Auctor etiam est cum Plutarcho Diodorus Alexandrum in nuptijs Statyrae Darij filiae, quam sibi Susis matrimonio iunxit epulum nouem millibus conuiuarum fecisse: vnicuique ad libamina peragenda auream phialam donasse. Et Arrianus Alexandrum deinde sibi maximam natu filiarum Darij accepisse, C nomine Barsinen, & cum ea Parysatim minimam natu Regis Ochi, & datis etiam primoribus ad octoginta vxoribus ex Persidis & Mediae principibus omnibus dotes dedisse. Mox omnibus alijs, qui vxores Persides, & Asianas duxissent, fuerunt autem decem millia, donationem elargitus est; in quibus viginti millia talentum consumpsit. Postremo vt Chares historicus apud Athenaeum auctor est, post conuiuium, decem millibus, qui in Macedoniam redibant, stipendium non modo in praeteritum tempus persolutum est; sed etiam in id tempus, quod ad reditum consumpturi erant, & pro corollario talentum vnicuique. Et cum militibus iret in exemplum, eisdem fuit inopiae causa, quae & Principi. Cum enim in Persidem D ex India regressus intellexisset, inquit Curtius, milites suos iam veteranos consumptis per luxum Orientis spolijs, insuper etiam aere alieno obstrictos esse &c. mensas totis castris poni iussit, & decem millia talentum proferre. tum demum fide facta professio est, nec amplius ex tanta pecunia, quàm centum & triginta talenta superfuere. Adeo ille exercitus tot ditissimarum gentium victor, plus tamen victoriae, quam praedae reportauit ex Asia. Haec ille. Quae omnia in eam me sententiam adducunt, vt immensam illam militum copiam, bellorum perpetuos tumultus, profusiones innumeras, totam illam E & thesauri immensitatem, & tributorum annuorum vbertatem, sic exhaurire potuisse, vt sub mortem illius vix centum talentorum millia quae sunt tertia annui redditus pars reperta fuerint in thesauris Alexandri. Et quidem de Graecorum Imperio satis.

Plutarch. ibidem.

PROFVSIO Alexandri in funere Hephaestionis

Arrianus

Diodor.

Arrianus.

Chares.

Q. Curtius lib. 9.

Plutar. in Alexandro.

ANNVA REIPVBLICAE ROMANAE

tributa tenuiora fuisse Salomonicis ostenduntur.

Cap. XLIX.

IMPERIVM Romanorum omnium diuturnius, potentius, & patentius.

GRADVM igitur faciamus ad Romanorum Imperium, quod B Graecorum Regno multo diuturnius, atque potentius, ac procul dubio longe, lateque patentius fuisse compertum est, vno tamen Regno Salomonis neque ditius thesaurorum magnitudine, neque tributorum vbertate opulentius. Sane difficile admodum est rem omnino tangere, cum non semper eadem ratio tributorum Romanis fuerit, sed alia, atque alia pro conditione temporum. Aerarium enim Romanum ex tributis, & ex vectigalibus constabat: quae decimas ex agrorum cultu, portorium ex mercium traiectu, & scripturam ex pascuis, ac praeterea auri fodinas C toto terrarum orbe diffusas, & legem Capitationis complectebantur, qua vnusquisque annuum censum Capitolio soluere tenebatur, & sexcentos alios extorquendae pecuniae modos, qui tametsi noti sint, quantum tamen ex eorum impositione solueretur, incertissimum est.

AERARIVM Romanum ex quibus constabat.

Pauca igitur exempla proponam in vnoquoque genere, & veluti summa tantum capita delibabo, facta in singulis cum Salomonicis collatione. Sed duo inprimis animaduertenda sunt, in tota hac de Romanis tributis disputatione notanda. Primum est, Populum Romanum ne signato quidem argento ante Pyrrhum Regem deuictum vti consueuisse, vt auctor est Plinius, quod fuit anno Vrbis quingentesimo octogesimo, quinto anno ante primum bellum Punicum. Aureum vero nummum post annum sexagesimum secundum percussum fuisse, quam argenteum. Secundo notandum est Romanum item Populum victis gentibus in tributo semper argentum imperitasse, non aurum, quod etiam Plinius disertis verbis affirmat.

ROMANI ante Pyrrhum deuictum argento signato non vtebantur. *Plin. lib. 33. cap. 3.*

ROMANI nunquam pro tributo aurum imperitarunt, sed tantum argentum.

His ergo praenotatis ad tributa propius accedamus. Auctor est Plutarchus ante Pompeij Magni triumphalem honorem, praelatum titulum, qui literis indicaret ante quidem vectigalia quinquagies decies centena millia fuisse. Cum his vero, quae Populo Romano ipse quaesiuit, octuagies & quinquies decies centena millia. Ex quibus colligi videtur ante Pompeij de Asia victoriam, vniuersa Populi Romani tributa summam illam priorem non excessisse. Quod certe sua probabilitate non caret. Id enim fuit eo tempore quo Romanus Populus Imperij fines, ac vires nondum obfirmauerat: necdum aurea Augusti saecula, qui res Romanas mirum in modum auxit, in Romanam Rempublicam penetrauerant. Iuxta hanc itaque sententiam vniuersa Populi Romani tributa, cum tributis Salomonis comparari nulla ratione possunt, nam praedictus sestertiorum numerus, à Pompeio auctus, si per

Plut. in Pompeio.

TRIBVTA Romanorum post Pompeij triumphum HS. 8500000.

A quatuor & viginti millia attici talenti sestertium diuidas, efficies talenti attici quinquaginta octo supra tria millia nongenta. At Salomonis tributa erant minimum quinquaginta tria millia quadringenta viginti quatuor.

ASIA minor soluebat Romanis talenta. 3918.

Et demus tamen de Asia in Plutarcho sermonem fieri, illa nimirum, quam Populo Romano Attalus Rex testamento legauerat, intra quam Lydij Regni fines circumscribuntur, vnde Craesi circumfluentes diuitiae in prouerbium cesserunt, & in qua Craesus, vt auctor est Plinius, aurum infinitum possederat, demus etiam vero similius esse, de hac Asia locutum fuisse Plutarchum. In ea enim dum Persis pareret, tres Praefecturas Herodotus ponit, quae millena ducena sexagena talenta Babylonica annuo tributo pensitabant, quae item processu temporis creuisse affirmat: vt hac ratione censeatur Romanorum tempore, quotum in extorquendis tributis summa diligentia erat, ad illam summam peruenisse Asiae tributa. Et certe negandum non est difficile admodum videri, vniuersa tributa Romanorum summam illam non excessisse: cum eo tempore, quo Pompeius triumphum gessit, iam Romani in Asia minore imperarent, de qua Darius mille ducenta sexaginta talenta colligebat: Praeterea imperabant in Graecia tota, totaque Macedonia Persicarum victoriarum insigni, & Asiaticarum opum praediuite: ex qua Macedonia deuicta, vt auctor est Plinius, tantum diuitiarum, & opum Romani collegerunt, vt desierint iam esse sub tributo: & ex quo item tempore argento in commercijs vsus maximus esse caepit. Imperabant praeterea Romani in Epyro, Thessalia, Illyrico, tota Italia, Sicilia, Sardinia, Africa, superi, inferique maris Insulis, Alpinis populis, Gallia Narbonensi, & quod maius est, citeriori, vlteriorique Hispania, auri, argentique fodinis opulentissima. Itaque credi vix potest ex tot, tantisque Prouincijs tributum summa diligentia exactum non fuisse plusquam octo & quinquaginta supra tria millia nongenta talentum. Stet igitur haec esse Asiae tributa, & ad cetera progrediamur.

Plin. lib. 33. cap. 3.

IN ASIA minore tres Satrapiae soluebant talenta annua 1260. Persis *Herodotus lib. 3.*

ANTE Pompeij triumphum Romani quibus prouincijs imperitarint.

ROMANI post victam Macedoniam sub tributo esse desierunt. *Plinius.*

Plin. lib. 3. cap. 3.

Aegyptus praeterea vna erat ex Romani Imperij prouincijs ab Augusto post insignem de Marco Antonio, ac Cleopatra partam victoriam, Imperio adiunctis. Haec quantum tributi nomine Romanis soluerit, patet ex eo, quod Cicero apud Strabonem dicit, tametsi locus hodie inter illius volumina non extet. Auletae, inquit, patri Cleopatrae quotannis duodenum millium, & quingentum talentorum tributum afferri solitum. Et subdit: Quare cum is, qui pessime, & segnissime Regnum administrabat, tantos redditus haberet, qualia putanda sunt praesentia, quae cum tanta diligentia a Romanis administrantur, Indicis, Troglodyticisque emporijs adeo adauctis. Siquidem superiori tempore ne viginti quidem nauigia Arabicum sinum penetrare ausa sunt, at nunc & classes ingentes in Indiam vsque vela faciunt ad extrema Aethiopiae, ex quibus merces copiosissimae in Aegyptum importantur, & inde rursum in alia loca transmittuntur: Ita duplex inde vectigal cogitur, mercibus scilicet importandis, & exportandis. Haec ille.

AEGYPTVS vna ex prouincijs.

Strabo lib. 17.

AEGYPTVS Auletae soluebat 12500 annua talenta.

Totum id optime confirmari potest ex ea, quam habuit Agrippa Rex ad Iudaeos oratione, quae apud Iosephum extat, vbi de Aegypto loquens

AGRIPPAE Regis oratio ad Iudaeos.

Ioseph lib. 2. belli Iudaic. c. 16.

loquens, Populo Romano stipendiaria. Tributorum vero, inquit, multo amplius per singulos menses infert, quam vos toto anno penditis, & praeter pecuniam, quatuor mensium Romanae plebi annonam ministrat. Quantum autem Iudeae regnum omne Romanis

Ioseph lib. 2. cap. 4.

penderit, patet ex eodem Iosepho, qui Herodis regnum post illius mortem hac ratione à Caesare diuisum fuisse commemorat. Mediam, inquit, Regni partem sub Ethnarchiae nomine dedit Archelao, etiam Regem, si se dignum praebuisset facturum esse pollicitus: reliquam vero dimidiam in duas Tetrarchias diuisit, duobusque alijs Herodis filijs attribuit, vnam Philippo, alteram Antipae. Et paulo post, enumeratis Tetrarchiarum Prouincijs Antipae Tetrarchiam ducenta talenta pendisse affirmat, Philippi vero partem centum talenta, Archelai vero Ethnarchiam quadringenta, quarta tributorum parte leuatam: Quae quarta pars si adijciatur, diuisis, nimirum, quadringentis in tres aequas partes, adderet talenta centum triginta tria cum duabus talenti tertijs. Salomae eorumdem sororis in partem Regni adscitae, tributum erat talenta sexaginta. Vniuersa igitur tributa Regni Iudaeorum efficiebant summam talentorum trium supra octingenta nonaginta, cum duabus item tertijs talenti partibus. Quam summam si per duodecim anni menses multiplicaueris, efficies tributa annua Aegypti fuisse talenta decem millia septingenta sexdecim. Quae summa minor quidem est illa, quam Cicero apud Strabonem assignat: at meminisse debemus verba Iosephi fuisse haec: Tributorum multo amplius per menses singulos infert, quam vos toto anno. Et haec de Aegypti, & Iudaici regni, Romanis penso tributo.

[Margin: DIVISIO Regni Herodis post illius mortem in Tetrarchias. — Talenta 200. — Talenta 100. — Talenta 400. — Talenta 133⅔. — Talenta 60. — TRIBVTA Regni Iudaeorum Talenta. 893⅔.]

Velleius. Hist. lib. 2.

Gallia, quae item ipsa Populi Romani tributaria fuit, quantum tributi nomine soluerit Velleius explicat, dum de auctis finibus Imperij, ac prouincijs adiectis loquitur. D. Augustus, inquit, praeter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum eius praenitet, poene idem facta Aegypto stipendiaria; quantum pater eius Gallia, in aerarium redditus contulit. Haec ille. Sed nos eamdem tributorum summam à Gallia solutam fuisse ponamus, quam olim Aegyprus soluerat.

[Margin: GALLIAE tributum tal. 12500.]

Vnius Siciliae decimas easque ex frumento tantum, & quidem tenuiter aestimatas (ait Cicero) fuisse nonagies sestertium, non numeratis decimis hordei, aluminum, vini, olei, salis, casei, portorijs, pastionibus.

[Margin: TRIBVTVM decimarum frumenti ex Sicilia nonagies HS.]

Appian. lib. 5 Plut. in M. Antonio.

Asia certe quantum soluerit Populo Romano facilius est inuestigare. Explicat enim Appianus, & Plutarchus, qui Marcum Antonium Triumuirum in Asiam profectum, vt ex ea prouincia pecuniam extorqueret, sic facit cum Asiano Magistratu loquentem. Pecunia danda est in vsum militum, nec ea maxima, sed qua audita libenter acquiescatis. Dedistis hostibus nostris Cassio, & Bruto in duobus annis tributa decem annorum, ea suffecerint & nobis, nisi quod danda sunt in vno anno. Haec ille. Quantum vero Asia Cassio, & Bruto dederit describit Plutarchus, ducenta millia, inquiens, talentorum. Hanc summam, si per decem annos diuiseris, inuenies tributa annua Asiae fuisse viginti millia talentum.

[Margin: ASIA pendebat annua talenta 20000.]

Possidonius praeterea auctor est Marcum Marcellum exegisse tributum ex Celtiberia ad talenta sexcenta.

[Margin: CELTIBERI soluebant talenta 600.]

Et quidem ex his sex prouincijs haec omnia tributa soluta Populo Romano fuisse probamimus. Quantum vero ex ceteris prouincijs extorserit ingluuies illa, incertissimum est: cum praesertim Romani etiam rupes, & saxa in quibus quidam tantum pauculi piscatores habitauerint, habuerint sub tributo. exemplum habetur ex Strabone de Gyaro Insula cuius viculum, legatum ad Caesarem misisse, ait, deprecatum grauitatem tributi · nam impositos sibi centum quinquaginta dragmas querebantur, cum aegre centum possent pendere.

[Margin: Strabo lib. 10.]

Sed lucem in tantis tenebris praeferre videtur Seneca; qui Caligulae ingluuiem detestatus, centum sestertium absumpsisse, ait, vt prouinciarum tributum vna caena fieret. Ex quibus patet minimum vnamquamque ex reliquis prouincijs pendisse Romanis eam summam. Atqui reliquae sunt prouinciae triginta. Si ergo centum per triginta multiplicaueris, inuenies ceteras prouincias omnes simul pendisse singulis annis tricies sestertium: quae si per quatuor & viginti sestertium millia attici talenti diuiseris, comperies fuisse talenta centum viginti quinque.

[Margin: CALIGVLAE ingluuies. — RELIQVAE prouinciae omnes soluebant singulis annis HS. tricies.]

Haec de tributis annuis Romanorum, quae vt alias notauimus talenta argentea fuisse, non aurea, sciendum est ex Plinio. Sunt autem tributa omnia talenta vnum & quinquaginta supra quinquaginta millia trecenta. Summa certe maxima est, sed ea minor, tributis Regni Salomonis. Huius enim tributa fuerunt, vt paulo ante probauimus, talenta argentea quinquaginta tria millia quadringenta viginti quatuor. Haec sunt quae ex scriptoribus probabili coniectum colligere potuimus. nam de vtriusque Imperij vectigalibus nihil dum licuit pari coniectura probare. De metallorum vero fodinis, atque annona mox suis capitibus agemus.

[Margin: Plin. lib 33. cap. 3. — OMNIA TRIbuta talenta. 46493 — OMNIA tributa talenta 50351. — TRIBVTA Salomonis annua sunt talenta argentea. 53324.]

PLVRA METALLA
SALOMONI ALLATA
quotannis fuisse, quàm Romanae Reipublicae.
Cap. L.

EXAMINANDVM est modo, quid ex metallorum fodinis habuerint Romani, quae toto terrarum orbe diffusae erant, & quidem plurimae, in quibus (inquit Cassiodorus) intrant homines caligines profundas, viuunt sine superis, exulant a sole, & dum sub terris compendia quaerunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt. Quot autem hae aurifodinae vbique gentium fuerint, auctor est Plinius: Reperitur, inquit, aurum in omnibus fere prouincijs, sed in Hispania pulcherrimum. & infra.

[Margin: AVRI FOdinas multas habebant Romani. — Plin. lib. 33. cap. 4. — AVRI FOdinae vbique gentium.]

Italiae,

Italiae, inquit, parcitum est vetere interdicto A patrum, alioquin nulla faecundior erat tellus. Sed vt de ceteris taceatur, quot in vna Hispania fuerint, & quanto auri, ac ceterorum metallorum pondere Romanos ditauerint, patet ex eo, quod

Strabo lib. 3.

HISPANIA auri, & argenti ferax.

Strabo scribit: Cum vero, inquit, supradicta regio tot bona suppeditet, maxime tamen admiratione digna est ob metallorum copiam, quibus vniuersa Hispaniae regio scatet. & infra. At vero Turdetania, & finitima ei regio rationem nullam commendandi sui eo nomine remittit scribere de ea re volentibus, vsque adeo numeros omnes laudis in metallis impleuit, nihil vt ei absit, quod quidem memoratu dignum sit. Neque enim aurum, neque argentum, neque B aes, neque ferrum, alibi terrarum, aut tantum, aut tam eximium nasci, adhuc compertum est, quàm in Turdetania nascitur. Ac ne aurum quidem solum effoditur, sed etiam trahitur deferunt enim aurum amnes, & torrentes auream arenam. Haec ille.

Polybius.

Plin. lib. 33. cap. 4.

Quantus vero hominum numerus in his fodinis operam excauando, & in lucem educendo auro, argentoque nauarint, constare potest, ex eo quod de vnius Carthaginis, illius videlicet, quae in Hispania est, fodinis scribit Polybius, non minus quadraginta millia hominum assidue in eis versari. Et lege Censoria cautum esse, vt inquit Plinius, in Ictimulorum aurifodinis in C agro Vercellensi, ne plus quàm quinque millia hominum in opere Publicani haberent.

CARTHAGINES nouae fodina argenti quotidie dabat dragmarum 25000.

Argenti autem quantum pondus haec vna Carthaginis fodina Romanis subministrauerit explicat Polybius; ait enim in dies singulos vicena quina dragmarum millia Populo Romano retulisse. quas dragmas, si per trecentos sexaginta quinque dies, quibus annus constat, multiplices, inuenies pondus illud argenti fuisse dragmarum nouies decies centena centum viginti quinque millia. quas si per sex millia diuiseris efficies talenta attica mille quingenta viginti cum quinque-sextis talenti partibus.

SINGVLIS annis dragmarum 9125000

Plin. lib. 3. cap. 3.

Idem lib. 33 cap. 6.

BEBALO singulis annis argenti pondo 109500.

De Baeticae autem fodinis Plinius loquens, D affirmat eam prouinciam cunctas diuite cultu, ac quodam fertili, ac peculiari nitore praecedere, metallis scilicet plumbi, ferri, aeris, argenti, & auri. Et alibi. Mirum, inquit, adhuc per Hispaniam ab Annibale inchoatos puteos durare, sua ab Inuentoribus nomina habentes, ex quibus Bebalo appellatur hodie (haec autem in Aquitania est) trecenta pondo Annibali subministrabat in dies, hoc est, in singulos annos argenti pondo centum nouem millia quingenta. quae si per duas & sexaginta cum dimidiata attici talenti libras diuiseris, efficies talenta attica duo & quinquaginta supra mille septingenta.

ASTVRIA, Gallaecia, Lusitania quotannis auri pondo 20000.

Ac denique Plinius auctor est, vicena millia E pondo auri Romanis annis singulis Asturiam atque Gallaeciam, & Lusitaniam praestare. quae si per duodecim multiplicaueris, quanta scilicet esse solet auri ad argentum analogia, efficies argenti pondo ducenta quadraginta millia. haec si per sexaginta duas cum dimidiata attici talenti libras diuiseris, efficies attica talenta quadraginta supra tria millia octingenta.

De Galliae auri, argentique fodinis multa etiam dicenda essent, vt etiam de fodinis Aegypti, Illyrici, Pannoniae, Thraciae, Macedoniae, aliarumque Prouinciarum: at quoniam quantum A ex eis auri, vel argenti pondus educi quotannis consueuerit, aliquid certi sciri non potest, certi nihil dicere de eis possumus.

VNIVERSA talenta, ex fodinis Hispaniae Attica argenti 6136.

TALENTA Salomonis ex Ophir ad argenti aestimationem redacta sunt Attica talenta 10800.

Itaque vniuersa argenti talenta, quae ex fodinis Hispanicis Romani singulis annis extrahebant, si in vnam summam redigamus, sunt talenta argenti Attica septem millia centum duodecim. Atqui supra ostendimus ex sacris literis Salomonis classem attulisse ex Ophir talenta quadringenta auri, ac quinquaginta, quae efficiunt talenta Attica argenti decem millia octingenta. Igitur duplo maior est summa talentorum quae Salomoni ex fodinis Indiae afferebantur, quam quae ex Hispaniae fodinis Romani extrahebant. B In qua quidem summa, vt alias dixi, non numerantur argentum, gemmae, aliaeque merces preciosissimae, quae vna cum auro Salomoni afferebantur, vt etiam sacrae literae testantur.

SALOMONIS

FRVMENTATIONEM *pinguiorem, fuisse Romana.*

Cap. LI.

FRVMENTATIONEM Salomonis, quae domui, familiaeque suae, operis Templi, ac Tyrio, Aegyptioque Regibus curabatur in singulos annos, Romanorum Principum frumentatione & pinguius, & liberalius, ac vberius erogari solitam probandum nobis est; ac simul etiam ostendendum hanc quoque fuisse quamdam in vtroque Imperio tributi speciem.

ANNONAE Romanae origo

Liuius lib. 11.

Plin. lib. 18.

Primum ergo de Romana frumentatione dicendum: quae antiquissima apud Romanos fuit, vnde Liuius statim post Reges electos adhibitam facit; Plinius vero ad Manium Marcium Aedilem refert circa annum vrbis quingentensimum sexagesimum.

Liuius lib. 34.

GRACCHVS frumentationem fecit perpetuam.

CLODIVS sustulit precium annonae.

Ea frumenti largitio, neque omnino gratuita fuit, dabant enim Aediles curules binis aeris in modios, aut auctor est Lucius, tametsi saepius precium variatum sit: neque perpetua, donec Caius Gracchus Tribunus plebis lege lata perpetuam statuit, Publius Clodius precium omnino sustulit, tulitque legem, vt frumentum Populo, quod antea semisse aeris, ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.

Asconius in Miloniana.

Salustius.

Seneca Epist. 81.

IVLIVS Caesare restrinxit annonam

Sueton. c. 41.

AVGVSTVS auxit annonam

Lex autem illa frumentaria apud Sallustium menstruum definiebat in capita non plus quinque modios, quidquid Tribunus opposuerit auctore Seneca. Hoc deinde Romam Principes institutum accurate tenuerunt, sed numerum frumentantium alius minuit, alius auxit. Iulius Caesar Suetonio teste ex viginti, trecentisque millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit Augustus, qui inter firmamenta Imperij habuit annonam, vt Tacitus ait, militem

Tacitus lib. 1.
Dio.
TIBERIVS auxit annonam.
Tacitus lib. 5. Annal.
LIBERTIS frumentum erogatum.
Dionys. Hali.

tem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocij pellexit: vnde illam auxit, & ad paulo plura, quàm ducenta millia reduxit, vt ex lapide Ancyrano, & ex Dione constat. Augustum secutus Tiberius ad eum numerum aliquid addidit: quantum, ignoratur, gloriatus certe est, vt Tacitus refert, maiorem Augusto rei frumentariae copiam aduectasse. Alij demum Imperatores auxerunt annonam, nam deinde libertis etiam frumentum erogatum. Vnde Dionysius auctor est, multos seruos manumitti solitos, vt frumentum, quod publice dabatur, accipientes in menses singulos, & si qua alia liberalitas Principum in pauperes fiat, id totum Dominis ferant, à quibus facti sunt liberi. Quod idem confirmat Suetonius.

Suetonius in Augusto.
IVDAEI ad frumentationem admissi.
Philo in legat. ad Caium.
Plin. in Paneg.
PVERI ET puellae frumentantes.
Spartianus in Seuero.

B Mox Iudaeos etiam, qui Romae erant ad frumentationem admissos tradit Philo. Hi autem ad octo millia Romae erant, sub Traiano. additi etiam pueri, quorum numerum Plinius expressit, paulo minus quinque millibus fuisse. Hadriano placitum id exemplum, qui etiam puellas addidit. Itaque adeo paulatim creuit frumentantium numerus, vt sub Seuero, cuius liberalitas in hoc praesertim genere maxime omnium commendatur, ad quadringenta quinquaginta millia peruenerit, vt ex Spartiano colligitur, ait enim, fecisse canonem septem annorum, ita vt quotidiana quinque, & septuaginta millia modiorum expenderentur. C Hos si per triginta dies multiplicaueris, efficies modios singulis mensibus erogatos vicies centena ducenta quinquaginta millia, quos iterum si per quinque modios diuiseris, quantum videlicet erat vniuscuiusque recensum, inuenies eo frumento ali potuisse hominum capita quae dixi quadringenta quinquaginta millia.

SVB SEVERO frumentantes, 450000.
Ioseph. lib. 2. bell. c. 8.

Verum in contrarium esse videtur, quod ex Agrippae Regis verbis apud Iosephum quidam deducunt, non egenam modo plebem, sed vniuersos item Romanos ciues continua frumentatione acceptos. De Africae enim tributis loquens: Praeter fruges, inquit, annuas, quibus Romanam multitudinem octo mensibus pascunt, alia quoque vectigalia pendunt. D Et paulo post de Aegypti item tributis sermonem faciens idem Agrippa: praeter pecuniam, inquit, quatuor mensium Romanae plebi annonam ministrat. Itaque vna Aegyptus, & Africa totam Romanam multitudinem pascebat. Accedit id quod de suo aeuo Seneca dicit: frumentum publicum, inquit, tàm fur, quàm periurus, & adulter accipiunt, & sine delectu quisquis ciuis est. Romanorum autem ciuium sub Claudio, cui Agrippa Rex coaeuus fuit, sexagies nouies centena sexaginta quatuor millia fuere. Quare multo vberior fuisse videtur Romanorum frumentatio, quam quadringentorum quinquagintamillium.

Seneca de beneficijs c. 27.
Tacitus in Claudio.
ROMANI ciues sub Claudio 6964000.

E Sed huic dubitationi facile respondetur id quod apud Iosephum legitur de Aegypti, Africaeque annonario tributo non negari: totam tamen illam frumenti copiam in Romanos ciues erogari consueuisse omnino nego. Nusquam enim auditum est frumentationem Romanam ad vniuersos ciues se extendisse. Itaque frumenti illius pars in frumentantem plebem egenam erogabatur, reliquum precio venundari solitum. Id vero quod de Seneca refertur, nullius momenti est: quotquot enim fuerint, qui frumentum acceperint, bene de ijs dici potuerit, & fures aliquos, aut adulteros frumentum accepisse, imo vero hoc pro nobis est; ex plebe enim A facilius fures, & periuri sunt, quam ex nobilibus. Haec de Romana liberalitate.

ANNONA Salomonis vberior, pinguior, liberalior.

Porro Salomonis annona multo vberior, pinguior, ac liberalior fuit, quod tum sacrae literae testantur, tum Eupolemus, & Iosephus. Fuit enim vberior, quia ad multo plura hominum capita extendebatur. Pinguior, quia non frumentum tantummodo, quod item Romani fecerunt, sed carnes etiam, vinum, oleum, aliaque omnia tum ad victum necessaria, tum etiam ad delicias & pompam abundantissime Salomon erogabat. Fuit denique liberalior, quia maiorem frumenti quantitatem singulis elargiebatur, quam Romani Principes.

QVOSNAM aluerit Salomon.
Eupolemus.
ANNONA operariorum qualis.

B E quidem Salomon tria hominum genera summa liberalitate pascebat: Operarios nimirum Templi, Aegyptium, Tyriumque Reges, familiam denique suam. Erant operarij mille nongenti supra quadringenta millia, vt probatum est, quorum octoginta millia Tyriorum erant, totidem ex Aegypto, reliqui ex proselytis & Hebraeis. Hos omnes non regijs impensis, sed subditorum tributis ad id muneris destinatis aluisse Salomonem probatur ex Eupolemo, apud quem Salomon cum Tyriorum Rege loquens: Porro, inquit, scripsi quoque in Galilaeam &c. vt eis ex regione necessaria suppetant in singulos menses, tritici coros decies mille, vini coros totidem, C oleum vero, & alia suppetent ex Iudaea, victimae vero in esum carnium ex Arabia. Hanc autem annonam à Salomone petierat idem Hiromus. Porro, inquit, de rebus necessarijs, ac de seruis, qui ad te transmittuntur, recte egeris, si praefectis locorum per literas imperaueris, vt quae sunt illis necessaria suppeditentur. Haec ille. Quod ita factum esse, vt fuerat consultum, Eupolemus tradit. Gentes autem, inquit, egerunt, quae antea dicta sunt, ac duodecim Tribus Iudaeorum, quae tribus etiam res necessarias centum illis sexaginta millibus (Tyrijs nimirum & Aegyptijs) praebebant, singulae in singulos menses. Hoc idem ex sacris literis aperte colligitur. D Salomon enim cum Tyriorum Rege per literas loquens. *Praeterea*, inquit, *operarijs, qui caesuri sunt ligna seruis tuis dabo tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia.*

ISRAELITAE, & Gentes operarios alebant.
2. Paral. 2. ℣. 10.

Quo loco difficilis admodum insurgere videtur quaestio: Eupolemus enim affirmat in singulos quoque menses coros decies mille seruis Hirami à Salomone fuisse missos: atqui sacrae literae non plusquam viginti millia videntur assignare in singulos annos, quae summa quinque sextis partibus minor est illa Eupolemi. Verum quaestio facile soluitur si in mentem reuocemus id quod etiam sacrae literae videntur innuere: E omnes scilicet Tyrios operarios in sex veluti classes fuisse discretos. quarum vna lignis è Libano monte caedendis dicata erat, vt ab Hiramo Salomon petierat *Praecipe igitur*, inquit, *vt praecidant mihi serui tui cedros de Libano*. Et Hiramus ad Salomonem: *Nos autem*, inquit, *caedemus ligna de Libano, quot necessaria habueris*. Altera classis ijsdem lignis dedolandis, artificioseque poliendis, ac varijs caelaturis, ornamentisque insculpendis, vt aliàs adnotatum est, operam dabat. Hos etiam Salomon ab Hiramo petierat: *Scio enim*, inquit in Paralipomenis, *quod serui tui nouerint caedere ligna de Libano*. Et in libris Regum: *Scis enim*, inquit, *quomodo non est in populo meo*

3. Reg. 5. ℣. 6.
2. Paral. 2. ℣. 16.
2. Paralip. 2. ℣. 8.
3. Reg. 5. ℣. 6.

meo vir, qui nouerit ligna caedere sicut Sidony. A Tertia item classis eadem ligna è Libano monte deponebat: *Serui mei* inquit Hiramus ad Salomonem *deponent ea de Libano ad mare, & ego componam ea in ratibus in mari vsque ad locum, quem significaueris mihi, & applicabo ea ibi*. Quarta classis lapidibus caedendis in Libano item monte erat intenta, vt mox patebit ex Iosepho. Quinta classis eosdem lapides dedolabat, & artificiose insculpebat, hos caementarios sacer textus appellat: qui de lapidibus illis agens, *quos dolauerunt*, inquit, *caementary Salomonis, & caementary Hiram*. Sexta denique classis eosdem lapides conuehebat, de his postremis tribus classibus perspicuum est Iosephi testimonium: ijs profectus, inquit, mandatum fuerat, vt saxa praegrandia excaederent in vsum fundamentorum templi: haec est quarta, quam dixi, classis: eaque in monte prius in quadrum dedolata: quod praestabat quinta classis: ita demum in vrbem conueherent, quod erat sextae classis munus idque non modo indigenis, sed missis etiam ab Hiramo opificibus erat iniunctum. En quomodo Tyrij etiam in omnibus his tribus classibus operam nauabant.

3. Reg. 5. ℣. 9.

OPERARII omnes in sex classes diuisi.

3. Reg. 5. ℣. 8.

Ioseph. lib. 8. Antiq. c. 2.

His ergo adnonatis, quando Salomon apud Eupolemum Tyrijs assignat tritici coros decies mille in singulos menses, centum videlicet viginti millia in annum, de omnibus octoginta millibus Tyriorum in praedictas classes distinctis id accipiendum est. Quando vero sacrae literae dicunt vicies mille tritici coros assignatos à Salomone fuisse, non de omnibus Tyrijs, sed de ijs tantum accipiendum est, qui ligna caederent in monte: quae erat sexta Tyriorum pars. Quod satis expressum est in sacrae Scripturae textu. *praeterea* inquit Salomon Hiramo, *operarys*, non quidem omnibus, sed *qui caesuri sunt ligna, seruis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem* &c. Ex quo facili supputatione conijcitur multo liberalior fuisse Salomonis frumentatio. si enim coros decies mille, quos Tyrijs omnibus in mensem erogabat per quadraginta quinque multiplicaueris, efficies quadringenta quinquaginta millia modiorum: hos si per octoginta Tyriorum millia diuiseris, reperies singulis operarijs datos in mensem fuisse modios quinos cum quinque praeterea octauis modij partibus, ac totidem modijs hordei pro alendis fortasse iumentis, quibus singulorum sarcinae ferrentur: quae vna supputatio satis, superque confirmat eam coniecturam, qua nos Tyrios omnes in sex classes diuisimus, quippe cum constet illis congrua alimenta donata fuisse; alias enim non fuisset satis id, quod Salomon assignabat.

2. Paral. 2. ℣. 10.

HORDEVM dabat etiam Salomon operarijs.

Iam vero quod Aegyptijs etiam operarijs dederit eiusdem generis cibaria totidem, expresse testatur Eupolemus: Tribus etiam inquit res omnes necessarias centum illis sexaginta millibus praebebant, singulae in singulos menses.

Eupolemus.

Quod si frumento, quod sacrae litterae testantur ali potuerant assignata hominum capita, ergo cum tantumdem hordei à Salomone Tyrijs datum affirment, si id in duas aequas partes diuidatur, vt tritici precio respondeat, ali potuisse comperiemus ducenta millia nongentos quinquaginta: Quod autem hordei modius aequiualeat dimidiato frumenti modio, apertissime patet ex eo, quod dixit Eliseus propheta: *in tempore hoc cras modius similae vno statere erit, & duo mody hordei statere vno in porta Samariae*. & quamuis vnus de ducibus per summam incredulitatem dixerit:

HORDEO quod operis dabat ali potuerunt si in frumentum reducatur homines 200950.

4. Reg. 7. ℣. 1.

Ibid. ℣. 2.

Si Dominus fecerit etiam cataractas in caelo, numquid poterit esse quod loqueris? reuera tamen, *factumque est secundum sermonem viri Dei, factusque est modius simile statere vno, & duo mody hordei statere vno*. Ex quo etiam loco tritici, & hordei precium Samariae in summa rerum omnium copia expressum habemus. vnus enim tritici modius statere vno, siue vno siclo, hordei vero modius dimidiato siclo stetit. vbi autem Vulgata legit modius, in Hebraeo habetur, סאה seach, latine satum. & haec mensura sesquimodio Romano aequalis est, vt ex alias dictis cuilibet poterit esse perspectum.

Ibidem ℣. 18. & ℣. 16.

Ecce iam in alendis tantummodo templi operarijs vberiorem multo frumentationem Salo- B mon fecit, quam Romani. Hos enim in summa Principum liberalitate quadringenta quinquaginta egenorum millia aluisse accepimus. Salomon autem sexcenta duo millia octingentos quinquaginta homines alere sua frumentatione potuit. Verum adhuc eam multo vberiorem fuisse ex ijs, quae dicenda sunt, comprobabimus.

FRVMENTATIO Salomonis alere potuit operas 602850

Ne quis ergo putet annonam hanc mercedis totius nomine datam operarijs, Regibus vero Tyrio, & Aegyptio, a quibus missi sunt, nihil omnino fuisse solutum, in libris Regum Salomon cum Hiramo Tyriorum Rege loquens *mercedem* C *autem*, inquit, *seruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris*. & apud Iosephum mercedis autem quanta operarijs persoluenda sit, te arbitrum facio: quam mercedem deinde sacer historicus expressit, *Salomon*, inquit, *praebebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui eius*. addit liber Paralipomenon in Hebraeo frumentum fuisse contusum, ac contritum, in farinam nimirum redactum: *& viginti coros purissimi olei. Haec tribuebat Salomon Hiram per singulos annos*; quibus annis fabricae seruierunt. Quidquid enim post absolutas Templi, ac domus suae fabricas vtrique Regi misisse legitur, non mercedis, sed muneris sponte oblati nomine obtulit Salomon. D Hanc autem mercedem Hiramus à Salomone arbiter constitutus, petierat: *praebebisque*, inquit, *necessaria mihi, vt detur cibus domui meae* & apud Iosephum: tu vero hanc mihi gratiam repones, vt nobis frumentum suppedites, quo, vt pote Insulares, indigemus.

3. Reg. 5. ℣. 6.

Ioseph. 8. Antiq. c. 2.

3. Reg. 5. ℣. 11.

QVAM mercedem Salomon Tyrijs dederit.

3. Reg. 5. ℣. 11. Iosephus loco citato.

Iam vero si Hiramo pro octoginta millibus Tyriorum hanc mercedem Salomon in singulos annos persoluebat, multo amplius Aegyptio Regi, qui totidem operarios misit, persoluisse putandus est: tum quia Tyrij Salomonis erant tributarij, non Aegyptij, tum etiam quia à Libano monte longius aberant Aegyptij, quàm Tyrij. ponamus nihilominus tantumdem mercedis dedisse, certe frumentum non credimus suppedita- E tum, quo abundat Aegyptus, sed vel illius precium, vel alia, quae frumento, quod Tyrijs dabatur, aequiualuerint, si non excesserint. Ex eo autem, quod apud Eupolemum Vaphri Aegyptio Regi misit Salomon, oleum, dactylos, mel, merito conijci posset eiusdem generis etiam fuisse annuam mercedem.

TANTVMDEM mercedis Aegyptijs operis dedit Salomon, quantum Tyrijs

Porro quadragies mille tritici cori in annos singulos, quos Salomon vtrique Regi dabat, si per quadraginta quinque multiplices, efficies modiorum octingenta millia supra decies centena millia. hos si per duodecim diuiseris, reperies erogari potuisse in singulos menses modiorum centum quinquaginta millia. Hos iterum si per quinque diuersis, inuenies eo frumento ali

potuisse

FRVMENTO quod Regibus dabat, alere potuisse homines 30000.

potuisse hominum triginta millia, vt cuique dati fuerint in menstruum modij quini, quanta scilicet erat Romana liberalitas.

3. Reg. 4. ℣. 22.

CVIVSNAM munus fuerit mensae Salomonis necessaria subministrare

3. Reg. 4. ℣. 7.

Ibid. ℣. 27.

Procedamus ad familiam Salomonis: cuius annona erat *in singulos dies triginta cori similae, sexaginta cori farinae, decem boues pingues, viginti boues pascuales, excepta venatione ceruorum, caprearum, bubalorum, & auium altilium;* quibus addit Iosephus pisces. Hanc adeo pinguem annonam qui nam curauerint, explicat eadem historia sacra: *habebat autem Salomon*, inquit, *duodecim Praefectos super omnem Israel, qui praebebant annonam Regi, & domus eius: per singulos enim menses in anno singuli necessaria subministrabant.* & paulo post, *sed & necessaria*, inquit, *mensae Regis Salomonis cum ingenti cura praebebant tempore suo.*

Ioseph. citato loco.

ETIAM Gentes cibos Regibus curabant in singulos dies.

Iosephus praeterea enumeratis illis ijsdem Praefectis, quos super Israel Salomon constituerat, & mensae Regis curabant annonam, subdit: erant praeterea Regi alij Praefecti, qui Syrorum, ceterorumque Barbarorum Euphratem inter, & Aegyptum incolentium, gubernabant regiones, tributa ex eis colligendo: Hi extranei conferebant in quotidianos Regiae mensae sumptus similae coros triginta, farinae sexaginta, saginatos boues decem, & pascuales viginti, & saginatos agnos centum, praeter capturas venationum, quae constabant ceruis, ac bubalis, praeterque aues, & pisces. Ex quibus verbis apertissime constat duplicatam esse Salomonis annonam, quam tum Israeliticae tribus, tum gentes Imperio Salomonis subiectae ministrarent.

CIBVS Christi salus generis humani.

Ioan. 4. ℣. 34.

Actor. 10. ℣. 10. 11. 13.

Et certe ita facto opus fuit non solum vt Salomonis magnificentia latius appareret, verum etiam, vt Christi Domini typum, & imaginem, quam praeseferebat, melius efformaret: Christi enim cibus, quem ipse idem restatus est esse, vt faceret voluntatem eius, qui misit illum, cuius voluntas est generis humani sanctificatio, ac Gentium ad fidem conuersio, non Hebraeorum tantummodo diligentia, sed gentium etiam curari debuit. quod manifeste significatum esse comperimus Apostolorum Principi: nam *cum esuriret*, inquit historia sacra, *voluit gustare. Parantibus autem illis cecidit super eum mentis excessus: & vidit caelum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de caelo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terrae, & volatilia caeli.* per quas carnes gentes significari ad fidem vocatas eodem plane contextu indicatur. Sed ad institutum reuertamur. Duplicata Salomonis annona frumenti coros facit in singulos dies centum octoginta, hos si per quadraginta quinque multiplicaueris, efficies modios octo millia centum, qui per triginta dies multiplicati efficiunt in singulos menses modiorum ducenta quadraginta tria millia, hi per quinque diuisi dabunt quinos modios in singulos menses hominibus quadraginta octo millibus sexcentis. Haec de frumento familiae Salomonis.

FAMILIA Salomonis homines 48600.

3. Reg. 4. ℣. 26.

2. Paral. 1. ℣. 17.

3. Reg. 10. ℣. 29.

OMNES equi Salomonis 57600.

Habebat praeterea Salomon quadraginta millia praesepia equorum currilium, inquit historia Regum, *& duodecim millia equestrium, & facti sunt ei mille quadringenti currus*, quos quadrigas Paralipomenon liber appellat, *egrediebatur autem*, inquit, *quadriga ex Aegypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta:* quorum omnium summa est quinquaginta septem millium sexcentorum praeter mulos, aliaque iumenta, quae Salomoni vna cum equis dono mitti solebant a Regibus vniuersae terrae.

Polybius apud Lypsium lib. 5. c. 16. de militia.

Tot igitur equi sunt alendi quibus hordei non plus assignabimus, quam Romana Respublica assignare solebat. Haec autem equitum iumentis alendis medimnos hordei septem per singulos menses erogabat. medimnus autem senos modios continet, vt alias adnotatum est. in menstruum igitur equites iumentis alendis hordei duos & quadraginta modios accipiebant. Itaque equitibus duodecim millibus assignasse potuit Salomon in menstruum quingenta quatuor millia modiorum, quos si per medium diuiseris, vt hordeum frumenti precium attingat, erunt tritici ducenta quinquaginta duo millia modiorum mensibus singulis. quibus per quinque diuisis, alere poteris eo frumento homines quinquaginta millia quadringentos, vt quinos quis modios in singulos menses accipiat.

HORDEO, quod equitibus Salomon dabat in frumentum redacto ali poterant homines 50400.

Ibidem loco citato.

3. Reg. 4. ℣. 27.

Supersunt equi iam quadraginta quinque millia sexcenti, quibus etiam alendis a Rege constituta erant propria subditorum tributa. *nutriebantque eos*, inquit historia Regum, *supradicti Regis Praefecti*, & infra, *hordeum quoque, & paleas equorum, & iumentorum deferebant in locum vbi erat Rex in Ierusalem.* Verum his equis multo minus assignabimus quam supradictis equestribus iumentis, modius enim hordei in dies singulos vnicuique satis est. Erunt igitur totidem hordei modij quadraginta quinque millia sexcenti, hos si per medium diuiseris, vt frumenti precio aequipolleat hordeum, efficies tritici modios viginti duo millia octingentos. qui per triginta dies multiplicati efficiunt frumenti sexcenta octoginta quatuor millia modiorum: qui per quinque etiam diuisi alere poterant homines centum triginta sex millia octingentos, vt quinos tritici modios in menses singulos quis accipiat.

HORDEO quod equis dabat Salomon in frumentum redacto ali poterant homines 136800

EQVISONES 14400.

Equorum porro cura ita distribuenda est; vt alendis quatuor equis, vel singulis quadrigis singuli famuli stabularij, siue equisones praeficiendi sint. equorum igitur omnium curam gerebant famuli quatuordecim millia quadringenti. quibus annona frumenti, ac ceterarum rerum, quae ad victum necessariae sint, est assignanda.

Haec autem tota annona, vel equorum, vel equitum, vel equisonum de cibo mensae Salomonis deducenda non est, tum quia, equites currus, equos, non Hierosolymis constituerit Salomon, paucis exceptis, nimirum equitum sex millibus, curribus quadringentis, sed *in vrbibus quadrigarum:* tum etiam, quia *nutriebantque eos*, inquit sacra Regum historia, non Rex, sed *supradicti Regis praefecti*: praefecti autem toto Hebraeorum regno diffusi erant. Quare annona his assignanda est ex vrbium, oppidorumque quadrigarum, in quibus alebantur tributis.

Iam non equos solum, & currus habebat Salomon, sed equites, qui duodecim millia fuerunt, quorum media pars Hierosolymis circa Regem, reliqui sparsim per agros regios degebant: & qui Regis impensis praeerant ijdem etiam equis necessaria subministrabant, inquit Iosephus. His igitur, saltem ijs sex millibus, qui in agris degebant, alendis annona danda est, eaque non pinguior, quam Romani Duces equitibus in exercitu erogassent. Romani autem pedites in Romanorum exercitibus quaternos modios in menses accipiebant: duplum centuriones, triplum equites, duodecim scilicet modios in mensem. dabat

igitur

Polybius apud Lypsium lib. 5. c. 16. de militia.

igitur sex millibus equitum frumenti septuaginta duo millia modiorum. quos si per quinque diuiseris, ac cuilibet quinos modios assignemus, eo frumento ali potuerunt homines quatuordecim millia quadringenti.

FRVMENTO quod 6000. equitibus dabatur, ali poterant homines 14400.

Itaque vt vno verbo omnia perstringamus, si ex vniuersis annonae classibus vnam constituas, facile apparebit Salomonis frumento, modo in singulos menses quini saltem modij vnicuique hominum dati fuerint, ali potuisse capita hominum octingenta nonaginta & vnum mille quadringenta quinquaginta. tametsi operis templi liberaliorem frumenti annonam erogasse Salomonem ex sacris literis colligitur. Si enim vt fusse probauimus ex Eupolemo Tyriorum octoginta millibus in singulos menses tritici coros erogabat decies mille, modiorum nimirum quadringenta quinquaginta millia. si hos per octoginta millia diuiseris, inuenies singulis in menses singulos euenisse modios quinos cum quinque octauis modij partibus. Itaque ex his omnibus constat numerum eorum, quos Salomon alebat, duplo fere maiorem fuisse, quam Romanorum frumentantium numerum, quod superuacaneum est pluribus explicare.

SVMMA hominum quos Salomon pascebat 891450.

ANNONA Salomonis in operas liberalior, quam Romana.

In hac summa tamen frumentationis, & annonae nihil de paleis equorum dictum est; multo minus de mulorum alimentis, aliorumque iumentorum, quae dono Salomoni in singulos annos mittebantur. Praeterea ne verbum quidem fecimus de horum iumentorum famulis, & equisonibus alendis. Quin etiam impensas vehendis sarcinis, hordeo, paleis equorum eo loci, *vbi Rex habitabat, iuxta constitutum sibi*, silentio praeterimisimus: & quod his omnibus maius est, impensas eorum iumentorum, quae infinitam propemodum lapidum, lignorum, ceterarumque rerum necessariarum materiam templo quotidie portabant, silentij tenebris obuoluimus & sexcenta alia; tum quia explicatam eorum summam habere non potuimus: tum quia ijs etiam impensis non adnumeratis, adhuc id, quod intendebamus, iam consecuti sumus. frumentationem enim Salomonis Romana multo vberiorem, atque liberaliorem fuisse multis probatum est.

Quod vero fuerit pinguior partim ex sacris literis, partim ex Iosepho, & Eupolemo probatur. Salomon enim adeo se in operas Templi liberalem, ac profusum semper ostendit, vt Tyrium Regem arbitrum constituerit ad annonam sibi, & operis eligendam. Illis igitur, vt Eupolemus auctor est, vini copiam ex Galilaea, Samaria, Moabitide, Ammonitide, & Galaaditide abunde suppeditari curauit, oleum, ac reliquum obsonium, ceteraque omnia ad humanum victum necessaria, ex Iudaea, carnes vero ex Arabia praeberi per literas mandauit: quae omnia si aestimare velimus, longius, quam voluntas est, à proposito digrederetur oratio, & quam temporis angustiae patiuntur. Ex eo certe conijci potest, quod indies experimur, quotidianam nimirum panis mensuram multo viliori precio emi solere, quam quotidianam, vel carnis, vel vini, vel ceteri item obsonij mensuram quamlibet. Deinde Tyriorum, & Aegyptiorum Regibus non modo frumentum ratione mercedis erogabat, sed oleum etiam, vt ex sacris literis aperte constat, ac praeterea vinum, vt auctor est Iosephus.

Eupolemus.

QVAM PINGUIS fuerit annona Salomonis in operas templi.

3. Reg. 5. ℣. 11.

Iosephus loco citato.

Familiae demum Salomonis quam pinguem annonam, & quam magnificum, ac sumptuosum A epularum apparatum Praefecti subministrauerint expressum est: dabat enim bouillas carnes, & arietinas, excepta venatione ceruorum, caprearum, syluestrium bubalorum, exceptis item auibus altilibus, seu, vt ex Hebraeo vertit Regius codex, caponibus saginatis, & piscibus; eisque in singulos dies. Adde nunc vinum Regia sane mensa dignum, adde ceterum obsonium Salomonis magnificentiae, ac liberalitati consonum.

QVAM PINGUIS fuerit annona familiae Salomonis. *3. Reg. 4. ℣. 22.*

Illud certe ad capitis huius calcem animaduerti licet, vnum ex duodecim Praefectis, quos super Israel ad annonam Regiam, & lautos epularum sumptus procurandos Salomon praefecerat, sexaginta ciuitatibus magnis, atque muratis praefuisse, B exceptis oppidis, quae colonis adeo plena fuisse refert Iosephus, vt in vna Galilaea, quodlibet oppidum quindecim saltem colonorum millia habuerit. Itaque binae ipsae ciuitates in singulos dies, & illae quidem magnae cum oppidis, ac villis suis innumeris Salomoni Regios cibos summa diligentia procurabant; vt vna prandium parare potuerit, altera caenam. Videte quaeso admirabilem Regis magnificentiam cum nullo certe Principum, aut Regum omnium in toto terrarum orbe, & quocumque vel aeuo, vel aetate comparandam. Certe iure Optimo sacrae literae dum de Salomone loquuntur: *magnificatus est*, inquiunt, *Salomon* C *super omnes Reges terrae prae diuitijs, & gloria*. quia reuera Salomon non vna tantum in re, quod mirum non esset, sed in omnibus excelluit, neque vnum, aut alterum Regem, sed vniuersos superauit, neque solum aetatis suae principes; sed cuiuscumque aeui, ac temporis, neque vnius regionis, sed totius terrarum orbis; tum diuitijs, tum gloria, tum ceteris rebus Regio splendori consonis longe omnes, multumque superauit.

3. Reg. 4. ℣. 13.

Iosephus lib. 3. excid. c. 2.

BINAE CIVITATES quotidianos Regiae mensae cibos parabant.

SALOMONIS laudes.

Quae omnia ideo in vnum Salomonem confluxisse voluit Deus, vt vnius etiam Christi Domini infinitos sapientiae thesauros, *inuestigabiles diuitias, & aeternum gloriae pondus*, praesignaret. In Christo enim, vt inquit Diuus Paulus *sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei; & diues est in misericordia in omnes, qui inuocant* D *illum*. Hoc enim proprium est Dei, vt etiam cum omnium misereatur, & effundit copiosos misericordiae suae thesauros, adhuc ditissimus sit, & nihil amittat eorum, quae in alios liberaliter elargitur: in eos maxime, *qui inuocant illum*. Inuocare autem Christum est, non modo illius opem implorare, sed Christi etiam nomen proprio nomini ita praeferre, vt nomen suum nuncupare nequeat, quin Christi Domini nomen praenunciet. Quod Christianae Ecclesiae Christi sponsae proprium est. Quam inuocationem in Isaia innuunt mulieres illae, quae sponsum sibi deposcentes, *tantummodo*, inquiunt, *inuo-* E *cetur nomen tuum super nos*. Hoc idem in primo hominis coniugio factum est. Adam enim איש is, vir vocatus est, a quo sponsa etiam אשה issa, dicta est a viro Virago, ac si sponsi nomen super sponsam inuocatum esset. In hoc autem praestat Christi, & Ecclesiae sacramentum quod haec omnes etiam filios ex Christi nomine Christianos denominat, efficit enim, vt nomen Christi super omnes Ecclesiae fideles inuocetur, vnde & Christiani omnes appellamur vt hac ratione vniuersis vbique gentium populis notum sit, eos, qui extra Ecclesiae fines viuunt, sicut à diuitijs gloriae Christi, ita etiam a vera, ac diuinitus insita

SALOMON Christi Typus. *Ad Ephes. 3. ℣. 8. 2. Cor. 4. ℣. 17. Coloss. 2. ℣. 3. Ephes. 2. ℣. 4. Rom. 10. ℣. 12.*

INVOCARE Christum quid sit.

Isa. 4. ℣. 1.

sita earundem cognitione repelluntur.

Denique ad gloriam pertinet, quòd Christus
Dominus in capite suo Dei nomen ineffabile
1. Cor. 11. ℣. 3. gestet: *caput enim Christi Deus:* quod in Christo
summum & maximum est: nam quod est in eo
minimum, est diuitijs, & gloria magnificati su-
per omnes Reges vniuersae terrae. Id sane innuit
in diuina Apocalypsi Ioannes: *cum in vestimen-
to, & in femore* Christi Domini, hoc est, in ora
vestimenti, quae ad femur vsque protendebatur,
Apoc. 1. ℣. 5. scriptum, esse dixit: *Rex Regum, & Dominus Do-
Matth. 28. ℣. 18. minantium*. Christus enim est *princeps Regum
terrae*, cui à Patre *data est omnis potestas in caelo,
& in terra*.

DE MAGNIFICENTIA SALOMONIS CIRCA *equos, & currus.*

Cap. LII.

NON erat silentio praetereun-
dum, quod sacrae literae de
Salomonis equitatu dicunt;
cum mirum in modum faciat
ad illius magnificentiam ple-
nius explicandam. Eo enim
tempore quo vniuersus Hebraeorum populus, &
REGIS SAlomonis magnificentia. circumquaque Reges omnes Salomonis imperio
subiecti, quietis, ac tranquillitatis ocio frueban-
tur: quo tempore Salomon, vt inquit Historia
Regum *habebat pacem ex omni parte in circuitu,
habitabatque Iuda, & Israel absque timore vllo,*
3. Reg. 4. ℣. 24. & 25. *vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua à Dan vs-
que Bersabee cunctis diebus Salomonis*. quo tem-
PAX SALOMONIS tempore pore erant *Iuda, & Israel innumerabiles, sicut are-
na maris in multitudine comedentes, & bibentes,*
2. Reg. 4. ℣. 20. *atque laetantes*: quo tempore, vt inquit Iosephus,
Ioseph 8. Antiq. c. 2. pace fruentes & nullis bellicis tumultibus distracti, adhaec
optatissima libertate auide perfruentes in hoc potissimum
erant intenti, vt suas quisque facultates augeret, & maioris
precij faceret: eo inquam tempore, *habebat Sa-
lomon quadraginta millia praesepia equorum
3. Reg. 4. ℣. 26. currilium, & duodecimmillia equestrium:* Eo
tempore, *congregauit sibi currus & equites,*
2. Paral. 9. ℣. 25. *& facti sunt ei mille quadringenti currus*, quorum
summa est quinquaginta septem millium sexcen-
torum. Videte Regis magnificentiam.

Ex quibus verbis tria sunt ex multis quae prae-
cipuam animaduersionem requirunt, equi, cur-
rus, equites, eorumque omnium decor, ornatus
& opulentia.

Quales equi, & quanta illorum pulchritudo
fuerit, vel ex eo sciri potest, quod vel à remotis-
simis quibusque regnis emerentur, vbi optimi ha-
beri potuerint, vel dono Regi Salomoni ab Regi-
3. Reg. 10. ℣. 28. bus missi consueuerint: *Et educebantur equi*, in-
quit historia Regum, *Salomonis de Aegypto, & de
Coa: negociatores enim Regis emebant de Coa, &*
Ibid. ℣. 29. *statuto precio perducebant*. & paulo post *atque in
hunc modum cuncti Reges Haethaeorum, & Syriae*
2. Paral. 1. ℣. 17. *equos venundabant*. Idem in Paralipomenis ha-
betur: nisi quòd illud additur, quod ad equo-
rum aestimationem indicandam facit: *similiter*

A inquit, *de vniuersis Regnis Haethaeorum, & à
Regibus Syriae emptio celebrabatur*.

Non enim immerito facit historicus in equo-
rum emptione Syriae mentionem facit. Syriam
enim equis abundasse ex Strabone cognouimus: Strabo lib. 16.
Tradit enim iuxta Pellam vrbem Syriae, quae
postea Apamia dicta est, locum esse campestrem,
quem Orontes fluuius cum lacu quodam cherso-
nesum efficit, ibi fuisse Hyppotrophium pulcher- HYPPOTROphium pulcherrimum in Syria.
rimum, hoc est, locum equitio alendo destina-
rum, in eo equarum Regiarum supra triginta
millia, admissarios autem equos trecentos, ibi-
dem & equisones fuisse, seu domitores equorum,
& bellici ludi magistros, ac quicumque ad arma
B tyrones instituunt. Ex quibus merito conijcimus
quales nam Salomonis equi fuerint, tum quia
à diuersis regionibus educti, ijs praesertim, in
quibus optimi quique gignerentur, tum quia à
certis hominibus à Rege missis summa cum dili-
gentia perquisiri. Haec de equis precio à nego-
ciatoribus conductis.

Iam vero aliorum, qui Salomoni Regi dono
mitti solebant, multo facilius pulchritudo, &
aestimatio conijci potest: equi enim illi non à EQVI DOnon mittebantur Salomoni à Regibus.
quolibet Salomoni offerebantur, sed à Regibus
vniuersae terrae; vt enim ait liber Paralipome-
non: *omnesque Reges terrarum desiderabant vide-* 2. Paral. 9. ℣. 23.
re faciem Salomonis &c. & statim subdit: *& defe-*
C *rebant ei munera* &c. inter quae equi erant. Quo
loco illud videtur animaduersionem exquirere,
non modo à Regibus sibi subditis munera offerri
solita, sed à cunctis terrarum Regibus: Sic enim
sacrae literae testantur, *omnes Reges terrarum*.
Fama enim Salomonis per vniuersum terrarum
orbem diuagabatur, quod etiam Ecclesiastici li- Eccles. 47. ℣. 17.
ber expressit de Salomone loquens: *Et replesti*,
inquit, *in comparationibus aenigmata, & ad In-
sulas longe diuagatum est nomen tuum*. Et certe
Regina Saba, à finibus terrae venit, vltroque 3. Reg. 10. ℣. 1.
preciosissima munera ad eum attulit. Quod de 2. Paral. 9. ℣. 1.
alijs etiam regibus Iosephus disertis verbis affir- Ioseph 8.
mat. Fama, inquit, celeberrima per omnes circumqua- Antiq. c. 2.
D que regiones de Salomonis virtutibus, & sapientia diuagaba-
tur, qua exciti plerique Reges, quo certiores iam de dictis CVNCTI Reges terrae munera Salomoni offerebant.
fierent, visendi eius cupidine flagrabant, & exquisita muni-
ficentia studiosos eius se declarabant. Deinde dona ab
ijsdem Salomoni oblata referens, inter illa equos
numerat: equi praeterea, currusque, & muli subuehendis
sarcinis & paulo post, quales equi fuerint, quos
Reges Salomoni dono mittere solebant, expo-
nens: Hi cum pulcherrimi fuere, inquit, tum ad cursum
exercitatissimi, vt collati ad ceteros, omnes post se relinque-
rent. quibus verbis exponere videtur verbum il-
lud sacrae Scripturae, *equorum currilium*.

Denique precium equorum tum qui ex Aegy-
pto, tum ex alijs regionibus emebantur, manife-
E stum est in libris Regum. *Egrediebatur*, inquit, 3. Reg. 10. ℣. 29.
quadriga ex Aegypto sexcentis siclis argenti. Et vt
apertius exprimeretur, quanti nam quilibet e-
quus staret: *Et equus*, inquit, *centum quinqua-
ginta*. ac subdit *atque in hunc modum cuncti Re-
ges Syriae equos venundabant*.

Sed notandum hic est Romanos minori sane
precio equos emere consueuisse, quam Salomo- Liuius lib. 1.
nem. Liuius enim de Romano Principe lo- EQVOS Romani vilius emebant.
quens, Ita pedestri exercitu inquit, ornato, di-
stributoque Equitum ex primoribus ciuitatis
duodecim scripsit centurias, ad equos emen-
dos dena millia aeris ex publico data &c.
Ex quibus verbis duo colligimus. Primum

EQVITES Romani duos equos habebant.

est, equitum quemlibet duos equos habuisse, vt ex verbis Liuij manifeste patet: quod ita facto opus erat, tum ad maiorem equitum commoditatem, tum ad eorundem magnificentiam exprimendam. Secundum est, in singulos equos emendos quinque millia aeris erogata, hoc est, drachmas quingentas, siclos videlicet centum viginti quinque. Atqui Salomon in singulos equos centum quinquaginta siclos erogabat, quinque scilicet, & viginti siclos, amplius quàm Romani consueuerunt: Indicium ergo est, & equos Salomonis Romanis fuisse praestantiores, & diuitiarum copiam multo maiorem Hierosolymis fuisse, quàm Romae.

SALOMON pluris equos emebat, quam Romani.

B

CVRRVS Salomonis quot fuerint. 3 Reg. 10. ℣. 26.

De curribus demum Salomonis multa dicenda forent, si temporis angustiae permitterent: breuibus tamen omnia perstringemus. Numerum curruum expressit sacer historicus: *facti sunt ei* inquit, *mille quadringenti currus*. quadrigae nimirum, vt alibi adnotauimus: quibus curribus equas adiungi solitas indicat Septuaginta Interpretum lectio Fuerunt, inquit, Salomoni quatuor mille feminae equae ad currus. Curruum certe vsum ad pompam, & honorem praesertim indicandum multo ante Salomonis aetatem apud Aegyptios, à quibus currus & equites emebat Salomon, viguisse constat ex eo, quod Iosephum Aegypti seruatorem Pharao Rex currui suo secundo adiunxerit: *fecitque*, inquit sacra Genesis, *ascendere eum super currum suum secundum*. & alibi de eodem Iosepho loquens: *quò cum venisset* inquit, *iuncto Ioseph curru suo ascendit obuiam patri suo*. & iterum post obitum Iacob procedens Ioseph ad patrem suum sepeliendum *habuit quoque in comitatu suo currus, & equites*. Et de hoc curruum genere Iosephus loquitur, dum de equitibus Salomonis sermonem habens: Hi armati inquit, & pharetris succincti Regium currum stipabant, quo sublimis inuectus, & amictus veste candida mane solebat vrbem egredi. quod alij deinde Reges fecerunt, vt passim in tota sacra historia manifestum est.

CVRRVVM vsus antiquissimus. Genes. 41. ℣. 43. Genes. 46. ℣. 29. Genes. 50. ℣. 9. Ioseph. lib. 8. Antiq. c. 2.

C

Iam curruum in bellis vsus expresse in sacris literis habetur, isque fuit per antiquus. Cum enim Pharao fugientes Hebraeos insequi vellet: *iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit*. Certe Pharao sexcentos currus electos habuit: Salomon vero mille quadringentos. Hos autem Pharaonis currus plurimi faciunt sacrae literae. *Glorificabor*, inquit Deus in libro Exodi, *in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & equitibus illius*; quando scilicet, *currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare*. Quales autem hi bellici currus fuerint, & quàm varia eorum genera, non est huius loci enarrare.

D

Exod. 14. ℣. 6.

SALOMON plures currus habuit, quam Pharao. Ibid. ℣. 18.

Exod. 15. ℣. 4.

CVRRVS vbi meliores. 3 Reg. 10. ℣. 29. Ioseph. citato loco.

Currus ergo vnde meliores habuerit Salomon, videtur innuere sacer Textus *egrediebatur* inquit, *quadriga ex Aegypto* &c. ac dono praeterea Salomoni a Regibus mitti solitos expresse notat Iosephus: vt ad eum inquit, equorum, ac curruum numerum, quem iam ante habebat, ex donarieijs quadringenti currus accederent. Vrbes praeterea alendis, custodiendisque curribus destinatas idem Iosephus expressit distribuitque, inquit, oppidatim curribus, & in singula certo numero ad alendum praefinito, circa se quidem paucos reseruauit, loca vero, vbi alebantur curruum oppida appellauit. Haec pauca de multis, quae de equis, ac curribus Salomonis dici potuerant. Quod restat de equitibus, sequenti capite absoluemus.

E

DE SALOMONIS EQVITIBVS, EORVMQVE *admirabili opulentia, & pulchritudine.*

Cap. LIII.

EQVITVM Salomonis qualis fuerit conditio, qualia ornamenta Iosephus exponit, His, inquit, equis, decus addebant equites flos Iuuentutis, procera ceteros longe superemmenti statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicis e sarrana purpura induti: adhaec ramentis auri capillum quotidie spargebant, vt ad solarium radiorum contractum fulgor e capitibus eorum resplenderet. Quod vero ex primoribus fuerint, idem exponit, cum eos florem iuuentutis appellat, vbi tum aetatem floridam, tum nobilitatem notauit. Horum praecipua ornamenta sacer historicus describit. *Fecit quoque*, inquit, *Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos siclos auri dedit in laminas scuti vnius. Et trecentas peltas ex auro probato, trecentae minae auri vnam peltam vestiebant*.

Ioseph. 8. Antiq. c. 2.

MIRA equitum Salomonis pulchritudo.

3 Reg. 10. ℣. 16 & 17.

Quem ad finem haec ornamenta facta fuerint, Textus explicat. *posuitque*, inquit, *eas in domo saltus Libani*. equitum enim munus erat Regem comitari, cum vel in Templum ascenderet, vel ad regios hortos descenderet. & tunc clypeos aureos, ac peltas ex regio saltus Libani armamentario sumptas, sinistris aptabant, vt Regi obsequerentur; mox Regiam reuertentes, ad locum vnde sustulerant, reportabant. Testatur id Scriptura sacra: nam post sublatos a Roboamo Salomonis filio clypeos aureos, & peltas, ceteraque ornamenta, vt Sesac Aegyptiorum Regi obsidionem soluenti daret. *pro quibus*, inquit, *fecit Rex aeneos: & tradidit illos Principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatij. Cumque intraret Rex in domum Domini, veniebant scutarij, & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum*. Vbi equitum munus apprime explicatur.

SCVTA AVREA, & peltae aureae Salomonis equitibus suis factae.

2 Paral. 12. ℣. 10. & 11.

Sed notandum est non omnes hosce Equites Hierosolymis perpetuo egisse: ait enim historia Regum: *posuitque eos in vrbibus quadrigarum, & in Ierusalem*. Quot in Ierusalem posuerit, expressit Iosephus: quorum media pars Hierosolymis circa Regem versabatur: Equitum nimirum sex millia. Ecce quot, & quales Salomonis equites fuerunt: flos iuuentutis, serrana purpura fulgentes, capillis vsque admiraculum decori, equis pulcherrimis, ac pulcherrime exornatis insidentes, scutis aureis, aureis peltis, pharetris item aureis donati: Regio denique currui adiuncti, ac proximi, vt non minus ab Rege decus acciperent, quam eidem praestare viderentur.

Ioseph. ibid.

QVALES fuerint equites Salomonis.

Sed antequam ad cetera progrediamur, soluendae sunt difficultates nonnullae, quae mirum in modum vrgere quosdam videntur. Affirmat enim sacra Regum historia scuta aurea, quae Salomon fecit, ducenta fuisse *Fecit quoque*, inquit, *Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo sexcentos auri siclos dedit in laminas, scuti vnius*. Atqui liber Paralipomenon non scuta, sed hastas dicit. *Fecit igitur Rex Salomon*, inquit, *ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum*,

3. Reg. 10. ℣. 17.

2. Paral. 9. ℣. 15.

rum, qui in singulis hastis expendebantur. Duplex A igitur occurrit quaestio: Prima est, cur in Paralipomenis Interpres vertit hastas, in libris vero Regum scuta cum vtrobique eadem vox Hebraice צנה *tsinah*, sed certe nihil nos faciat haesitare. Vox enim haec à verbo צנן *tsanach*, deducitur, quod & frigescere significat, & vt recentiores exponunt, quicquid acutum est, & penetrat, siue acuminatum illud sit, siue non. Quoniam igitur frigus penetrare dicitur, propterea eadem voce appellatur & frigus, & id, quod acutum est. Aliquod scutorum genus in medio vmbilico vmbonem, & cuspidem habet, ac si quaedam hastula esset, de hoc scuti genere Polybius, aptatur, inquit, illi & ferB reus vmbo, qui vehementiores ictus auertit lapidum, & sarissarum, & vniuersae violentiae cuiusque teli. Haec ille. est enim vmbo media illa scuti pars quae protuberat, & exseritur cum rotundo tumore in modum coni. Ideo vmbo, quod Graecis est ἄμβων, montes, & eminentias saepe significat. est autem vsus alter eiusdem vmbonis, siue hastulae; auertit enim hostes: nam in conflictu, & pugna comminus vtebantur eo ad impulsum. Suetonius de Acilio animoso milite loquens: abscissa dextera, inquit, transiliuit in nauem vmbone obuios agens. & Curtius totam aciem, inquit, pauore suo fluitantem vmbonibus posse propelli. & Liuius: vmbonibus incussaque ala sternuntur hostes: & iterum ala deinde, & vmbonibus pulsantes. C hinc factum est, vt cum in vtroque Textu eadem vox habeatur Hebraice, Graece, & Chaldaice, in Paralipomenis interpres verterit hastas, per Synecdochen hastas pro ipsis scutis acuminatis accipiens, quae scuta in medio vmbonem, & hastulas, siue cuspides habent; in libris vero Regum scuta clarius expresserit, non tamen quaecumque, sed quae acuminata in medio sint. Sed quia frequentius illa vox Hebraica scutum significat: ideo quando in Paralipomenis hastas legimus, non quaslibet hastas intelligere debemus, sed eas, quae lanceolae sunt, & hastulae in scutorum medio infixae.

CVR QVAE in Paralipomenis hastae vocantur, in libris Regum scuta dicta sint

1. Parte Historicae.

Suetonius in Iulio c. 68.

Curtius l. 3.

Liuius. l. 10. l. 30.

In pondere autem vniuscuiusque scuti consentit vterque Textus: nisi quòd sexcentos aureos appellat liber Paralipomenon, quos Regum In- D terpres merito interpretatus est, auri siclos: illud scilicet innuens, quod sacrae Scripturae moris est, saepe aureos, vel argenteos solere scribere, subintelligendo siclos; cuius rei exempla multa alias notauimus. Faciunt autem aurei sicli sexcenti Romanas auri libras quinque, & viginti; quas si per ducenta scuta illa multiplicaueris, reperies in ducentis scutis aureis conficiendis Salomonem libras auri Romanas erogasse quinquies mille, talenta scilicet auri quadringinta.

IN SCVTIS aureis ducentis erogata sunt auri talenta quadraginta.

Altera quaestio est, eaque difficilior de peltis, quas item Salomon fecit, *trecentas Peltas*, inquit historia Regum, *ex auro probato, trecentae minae* E *auri vnam peltam vestiebant* in libris vero Paralepomenon: *trecenta quoque*, inquit, *scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta*. Vbi scuta dicuntur, quae in libris Regum peltae appellantur Pelta autem scutum quoddam breue significare videtur. Quaestio igitur est, quomodo in singulis peltis, seu breuioribus scutis conflandis trecentae minae auri sint erogatae, cum adeo magnum pondus conficiant, vt vix robustus humeris ferat. In scutis autem conficiendis erogarit non plusquam viginti quinque libras, quod pondus longe minus est, vt infra pa-

3. Reg. 10. ℣. 17.

2. Paral. 9. ℣. 16.

A tebit: cui difficultati post assignatum minae pondus facilius respondebo. Sed eandem difficultatem auget quod Hebraica, Chaldaea, & Graeca exemplaria in libris Regum legunt tres, non trecentas: Graece enim sic habetur τρεῖς μναῖ χρυσίου ἐνῆσαν τῷ ὅπλῳ τῷ ἑνί. tres minae auri inerant in singulis scutis. Et certe si quamlibet peltam ex minis trecentis facimus, tametsi non plusquam quindecim siclos demus cuilibet minae, ad huc pondus videtur esse supra vires.

Nos autem Vulgatae auctoritatem tanti facimus, vt nihili ducamus argumenta omnia, quae contra illam adduci possunt. arbitramur enim primo Beatissimum, ac vere doctissimum Hiero- B nymum, in ijs praesertim, quae ad sacrorum librorum versionem spectant, multo puriora Hebraeorum exemplaria prae manibus habuisse, quam eos, qui contra sentiunt. Id quod manifeste probatur ex eo, quod in libris Paralipomenon tum Hebraice, tum Graece conscriptis trecentos auri legamus, non tres, minas subintelligendo, quas prius expresserat liber Regum. Primo igitur statuendum est peltas hasce ad pompam, non ad necessitatem: ad honorem, non ad defensionem: ad magnificentiam indicandam, non ad bellicos incursus propulsandos praeferri solitas ab equitibus Salomonis. Itaque non fuerunt ad eam iustam trutinam ponderandae, vt non plus auri in C singulis impenderetur, quam possint a quolibet gregario milite ociose, & oscitanter portari, ad eum finem, vt bellorum tempore sinistra scutum facile versare valeat. Nihili igitur faciendum est pondus, modo tanti peltam quamlibet pendere faciamus, vt ab equitibus iuuentutis flore portari potuerint, ad pompam, & magnificentiam plenius indicandam. Quam ob rem dicendum omnino est, & cum Vulgata sentiendum, peltas trecentas fuisse, & in singulis conflandis trecentas item minas erogatas. Vt igitur difficultatem vniuersam exhauriamus, sciendum in primis est minarum quadruplex esse genus. Alia enim mina siclos continet quindecim, alia viginti, alia viginti quinque, alia denique sexaginta. Quod alias probatum est ex Ezechiele qui dum queritur de tam D multiplici minarum varietate: *Porro* inquit, *viginti, sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli mnam faciunt.* Vbi Chaldaicus Paraphrastes, tertia pars mnae, inquit, viginti silos habet, mna argentea viginti & quinque siclos, quarta pars mnae quindecim siclos habet. Omnes sexaginta sunt mna magna: mna sancta erat vobis. Harum vero minarum quaenam hoc loco accipienda sit, sacrae literae videntur innuere: Statim enim post enumerata sexcenta sexaginta sex auri talenta quotannis allata Salomoni, subdit *fecit quoque Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo* &c. quod idem repetitur in Paralipomenis. Qui- E bus verbis videtur innuere talenta sexcenta sexaginta sex in scutis illis, peltisque conflandis fuisse consumpta. Quod est à Iosepho expresse positum. post enumerata enim talenta sexcenta sexaginta sex aurea, statim subdit: ex eo fecit ducenta scuta fusilia &c. Illam igitur ex dictis minis eligemus, quae nos ad illa sexcenta sexaginta sex talenta exhaurienda proxime faciat accedere. Ea autem est, quae viginti siclos continet; itaque trecentae peltae exhauriunt pondus sexcentorum talentorum: si enim trecentas peltas per trecentas item minas multiplicaueris, efficies minas nonagies millies. hae per viginti siclos multiplicatae,

S. Hieronymus laudatur.

PELTAE Salomonis ad pompam factae.

Ezech. 45. ℣. 12.

MINARVM quadruplex genus in sacris literis.

3. Reg. 10. ℣. 16.

EX QVO auro conflata sint scuta aurea & peltae aureae Salomonis.

Iosephus loco citato.

dabunt centum octoginta millia siclorum, quos si per tria millia diuiseris, efficies talenta aurea Hebraica sexcenta. Quibus si addamus talenta quadraginta, quae in scutis erogata esse supra demonstrauimus, habebimus talenta sexcenta quadraginta. supersunt talenta viginti sex ad praedictam summam talentorum exhauriendam: sed ea in aurificum, ac fabrorum mercede soluenda consumpta fuisse, negare quis audeat? si ea scuta mirabili artificio, ac Regia Salomonis maiestate digna, vt par est, facta censeamus.

Ad illud autem quod obijciebatur peltas esse breue quoddam scutum: responderi facile potest, Hebraice haberi eo loco מגנים magginim, à verbo גנן gannan, quod protegere, circumcludere, septo, vel scuto ad defendendum significat.

PELTAE Salomonis maiores scutis.

Quod indicium manifestum est peltas has, quas Salomon fecit, non modo breuia, ac minora scuta non fuisse, sed potius alijs multo maiora: continet enim quaelibet ex his peltis decuplo maius auri pondus, quàm quodlibet ex scutis illis. quia factae nimirum erant ad protegendum, & circumclaudendum. Ex quo licet conijcere eos equites peltam portare solitos, qui essent inter ceteros nobiliori gradu insigniti, ac Regi in comitatu propinquiores. Hanc autem peltam quae totum militem protegebat, conijcimus fuisse scutum quoddam maximum, in superiori quidem parte lanatum, in inferiori vero, vel acuminatum, vel similiter lunatum, in modum antiquorum ancilium Romanorum.

Dedimus iam Equitibus scuta, & peltas: danda sunt arma cetera, & ornamenta tantis equitibus digna, quae aurea similiter fuisse negandum non est: cum ad scuta illa aurea, ac maximi ponderis, minus decens videatur pharetras ligneas, vel aeneas adiungere, & non potius aureas. cum praesertim arma cetera, quibus Equites Salomonis vterentur, munera, ac dona fuerint Salomoni in singulos annos à Regibus missa, vt alibi diximus. Hi enim Reges cum ad Salomonem Regum maximum, vt apud Eupolemum illum appellat Vaphres Aegyptiorum, & Suro Tyriorum Reges, dona mitterent, tantis Regibus digna fuisse censeri debent. Adde quod inter cetera vasa aurea, & argentea, quae ijdem Reges mittere solebant, haec arma numerentur. quod indicium est ipsa quoque arma re vera, vel aurea fuisse, vel saltem argentea.

OMNIA equitum ornamenta erant aurea.

Accedit dona, & arma haec eo sane tempore ad Salomonem missa fuisse, quo tempore Hierosolymis immensa erat auri copia, argenti vero nullum erat precium. Quis igitur Rex in tanta auri, argentique copia ad opulentissimum Regem munera transmittens, ferrea, vel aenea mittere ausus esset? Ac de his controuersijs, & quaestionibus iam satis.

Reliquum est, vt ante oculos proponatur Equitum horum splendor, & pulchritudo, qualem nusquam alias legisse memini, siue martias Imperatorum Romanorum legiones consideres, siue Alexandri Macedonis phalanges inuictas, siue immortales Persarum Regum turmas numerum certe maiorem apud eos extitisse concesserim, pulchritudinem, & splendorem nullo modo. Ceteri enim externi Principes equitum numerum ideo maximum affectabant, quia perpetuis bellorum tumultibus afflictari se sentiebant: vnus Salomon in summa pacis tranquillitate, praeter quadraginta millia equorum currilium, praeter re-

EQVITVM Salomonis splendor.

A gios currus mille quadringentos, duodecim millium equitum phalanges paratas habebat, robore, dexteritate, ornamentis, omnibus praeferendas: quae domesticis securitatem maximam promitterent, amicis praesidium offerrent, hostibus terrorem incuterent, vt hac vna ratione aperte indicaretur Salomonis pacem non indecoram fuisse, non desidiosam, non ignauiam, aut ocio torpentem. sed virtute partam, sed viribus firmam, sed exercitatione munitam.

Qua de causa Christi Domini veri Salomonis pacem aeternam demonstrare potuit Salomonis equitatus. De hac enim, quae exuperat omnem sensum, quippe quam nullo sensu exprimere, aut percipere possemus, loquitur Christus B ipse pacis auctor, & parens: *non enim veni*, inquit, *pacem mittere*, segnem illam videlicet, & ignominiosam, *sed gladium*, bellicae exercitationis aduersus prauos animi motus, ac desideria animorum saluti noxia. *Inimici enim hominis domestici eius*. Nam praesidiarias iustorum Ecclesiae sanctae copias, quas legiones Angelorum appellauit idem Christus, puer Elisei sub equorum, & curruum specie vidit. *Et aperuit Dominus*, inquit historia Regum, *oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei*.

SALOMON Christi Domini typus. Matth. 10. ℣. 34. Ibid ℣. 35. 4 Reg 6. ℣. 17.

Ad hoc certe respexisse videtur sponsus in C Canticis dum inquit, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*. Ex Hebraeo, equae meae, vertunt nonnulli, sed melius Vulgarus, *equitatus* vertit; vt nimirum pompam equitum Salomonis exprimeret. Hebraea illud indicasse videatur, quod ex Septuaginta supra retulimus, currui Salomonis adiungi solitas equas, tum quia pulchriores, tum quia delicatiores esse viderentur, tum quia equae insitam quandam ferociam habeant, quae illas mirum in modum reddit amabiles. *In curribus Pharaonis*, quos magno precio ex Aegypto educi curabat, vt Ecclesiae pulchritudinem, ordinem, & firmitatem apprime denotaret. Ecclesiam enim Christus Dominus ab D Aegyptiaca seruitute liberatam, fracto scilicet peccati iugo, *non corruptibilibus auro, vel argento, sed precioso sanguine* suo redemit. Ponendus certe ob oculos est Salomon in curru illo Pharaonis, quem quatuor equae trahebant, veste candida indutus, equitum turmis stipatus, quorum alij aurea scuta, alij peltas aureas haberent, aureis armis ornati, aureo capillitio decori, prominenti supra ceteros statura, & in eo Christus Dominus agnoscendus, qui ascendit super equos suos, cuius *quadrigae saluatio*, qui curru gloriae suae vehitur, & a Sanctis Ecclesiae Catholicae ciuibus, tanquam fortissimis equitibus stipatur, qui in omnibus *scutum fidei, galeam salutis, gladium E spiritus, loricam iustitiae assumentes*, auro caritatis praenitent. Horum certe ordinem admirabilem Dionysius stupebat, dum de Ecclesiastica Hierarchia loqueretur. Denique firmitatem licet etiam in hoc mystico Salomonis equitatu considerare. est enim Ecclesia Christi *terribilis, vt castrorum acies ordinata*, contra quam *portae inferi non praeualebunt*, vniuersa nimirum spirituum Infernorum potestas, exercitatissimae, inquam, copiae, veterani milites, & ad omne audax facinus perpetrandum paratissimi quales ad portas munitissimarum vrbium tuendas solent deputari.

Cantic. 1. ℣. 9. ECCLESIA Christi, Salomonis equitatui comparatur. 1. Petr. 1. ℣. 18. SALOMON Christi Domini figura. Habac. 3. ℣. 8. Ad Ephes 4. ℣. 16 17. Dionys de celesti Hierarc. Cant. 6. ℣. 3. Matth. 16. ℣. 18.

EX

EX TRIBVTIS, VECTIGALIBVS, FODINIS, *immensum Dauidis thesaurum aggregari facile potuisse.*

Cap. LIIII.

VRGET adhuc nos argumentum illud initio disputationis huius propositum. Vnde nam tantam opum, diuitiarumque copiam, in tam exiguo Regno, si cum Persarum, vel Romanorum potentia conferatur, Dauid Rex potuerit comparare, cum praesertim, vt in ceteris rebus, sic in tributis etiam imponendis, & hostibus agrorum parte mulctandis non iustitiae solum iura, sed pietatis etiam seruasse, credendus sit.

2. Reg. 8. ℣. 15.

Faciebat quoque Dauid, inquit historia Regum, *iudicium, & iustitiam omni populo*. Plena sunt certe sacra volumina & iustitia, & pietate Dauidis Regis. Qui fieri potuit igitur, vt moriturus praeter auri talenta tria millia, & argenti septem millia de peculio suo Deo dicata, praeter dona principum, quae auri talenta quinque millia fuerunt, solidi decem millia: argenti talenta decem millia: praeter infinitam aeris, ferrique copia, quorum summam non expressit, vincebatur enim numerus magnitudine, praeter lapides preciosissimos, onychinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemque preciosum lapidem, & marmor parium abundantissime quorum multitudo quantanam fuerit, ex eo cognosci potest, quòd *apud quemcumque inuenti sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini*. vt in libris Paralipomenon habetur: praeter haec omnia, inquam, legauerit etiam Deo in paupertate sua, auri talenta centum millia, argenti decies centum millia?

1. Paral. 29. ℣. 4.

QVAM opulentum thesaurum Deo legauerit Dauid.

Ibid. ℣. 3. Ibid. ℣. 8.

1. Paral. 29. ℣. 8.

Verum si rem vniuersam attente consideremus, facili negocio argumenti vis omnis eludetur. Primo enim statuendum est, pientissimum Regem Dauidem prae oculis semper habuisse Dei Optimi Maximi cultum, & religionem. Quam ob rem sub initium principatus sui fere Deo templum dicare decreuit: sed diuina illi voluntate vetitum est, ne id aggrederetur. quod sub mortem apertis verbis Salomoni filio suo manifestauit: *fili mi*, inquit in Paralipomenis, *voluntatis meae fuit, vt aedificarem domum nomini Domini Dei mei*. Sed multo expressius alibi eadem historia narratur: *Cum autem habitaret Dauid in domo sua, dixit ad Nathan prophetam: ecce ego habito in domo cedrina, arca autem foederis Domini sub pellibus est*. Et paulo inferius: *Factus est sermo Domini ad Nathan dicens: vade & loquere Dauid seruo meo. haec dicit Dominus: non aedificabis tu mihi domum ad habitandam*, & mox, *suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam Regnum eius: ipse aedificabit mihi domum*.

PROPOSITUM Dauidis aedificandi, templum.

1. Paral. 22. ℣. 7.

Ibid. cap. 17. ℣. 1.

Ibid. ℣. 3. 4. & 11.

DEI VOluntate prohibitum Dauid, ne templum aedificaret.

Qualem vero domum aedificare decreuerat Dauid ipse testatur: *domus autem* inquit, *quam aedificari volo Domino, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur*. Ad quam à Salomone perficiendam: *praeparabo*, inquit, *ei necessaria & ob hanc causam ante mortem suam omnes praeparauit impensas*. Itaque *praecepit*, primo, *vt congregentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad caedendos lapides, & poliendos*. Deinde *ferrum quoque plurimum*. mox, *aeris quoque pondus innumerabile*: postremo, *ligna quoque cedrina non poterant aestimari, quae Sidonij, & Tyrij deportauerant*. & super haec omnia immensum illum auri, & argenti thesaurum.

1 Paral. 22. ℣ 5.

Ibid. ℣. 2 3 4.

QVAS IMpensas parauerat Dauid templo construendo.

Ostendam igitur tria capita, ac veluti perennes omnino fontes, ex quibus tanta diuitiarum copia in vnum Dauidem effluxit. Primus est, tributa, vectigalia, fodinae. Secundus, hostium spolia, praedae, manubiae. Postremus, lex Capitationis, decimarum primitias. quorum fontium quilibet satis, superque fuisse probandus est ad tantam auri, argentique copiam effundendam, etiamsi ceteri non adessent.

TRES FONtes ex quibus Dauidis thesaurus effluxit.

Ac primo de tributis probatum à nobis est auri talenta viginti sex supra duo millia ducenta in singulos annos ad aerarium Salomonis accessisse. ac proinde Dauidis etiam aetate, à quo populis, ac Regibus deuictis tributa fere omnia imposita fuisse in sacra historia aperte leguntur. Dauid enim, vt ex Regum, & Paralipomenon historia patet, statim, ac se constitutum a Deo Principem agnouit: *& quoniam confirmasset eum Dominus Regem super Israel, & quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel*, vniuersos circumquaque Reges Imperio subiugauit suo, eorumque prouincias, & annuo tributo, & agrorum parte mulctauit. Quare si eam tributorum summam per tres & triginta annos, quibus toti Israel imperauit, multiplicaris, efficies auri talenta quinquaginta octo supra septingenta triginta quatuor millia.

TRIBVTA Salomonis talenta 2226.

TRIBVTA Dauidis per 33 annos multiplicata efficiunt talenta 73458.

Simili modo satis à nobis ex Eupolemo probatum est, Indicam nauigationem a Dauide prius inuentam, & vsurpatam, à Salomone vero exemplo patris adhibitam fuisse. Atqui ex ea nauigatione quadringenta quinquaginta auri talenta exportari solebant: tametsi plura censeant nonnulli. Igitur si ea per tres item, & triginta annos multiplices, efficies auri talenta quinquaginta supra quatuordecim millia octingenta. Quorum omnium summa thesaurum efficit talentorum octo supra octoginta octo millia trecenta.

EX INDIAE fodinis habebat Salomon talenta auri 450.

SVMMA thesauri ex tributis, & fodinis collecti talentum 88308.

Videtis quam proxime accedat summa haec talentorum auri ex tributis solum, & fodinis collecta ad ea centum millia talentum auri. quae Deo legata sunt? Quid si explicatam auri summam haberemus, quod ex vectigalibus etiam colligebat? Quid si sciremus aurum, quod ex ijs, qui super negocijs erant, extrahebat? Quid si nobis aurum notum esset, quod ex portorijs, pastionibus, ceterisque vectigalibus colligebatur? Nonne tributorum massam illam multo maiorem efficerent? Similiter neque hic numeramus tributa omnia, in septem illis annis, quibus in Hebron regnauit collecta, quia explicatam eorum summam non habemus.

Certe tot tantique thesauri Dauidis erant, vt non vnus Princeps, sed plures Regijs aerarijs, praeficiendi forent neque in vna Hierosolyma seruari debuerint, sed etiam in pluribus alijs vrbibus, neque in his solum, sed in oppidis, ac viculis. Testatur id expresse sacra Paralipomenon historia: *Super thesauros autem Regis*, inquit *fuit Azmoth filius Adiel, his autem thesauris, qui erant in vrbibus, & in vicis, & in turribus, praesidebat Ionathan*. Haec de thesauris Regijs. De thesauris enim sanctis, Deoque dicatis, infra dicemus.

THESAVRIS Dauidis multi principes praefecti erant.

1 Paral. 27. ℣. 25.

Iam vero praeter regia vectigalia, multum auri,& argenti regijs aerarijs inferebant in singulos annos Principes illi, qui super pastiones, & Scripturam constituti a Rege in Paralipomenis erant. Nam cum enarrasset historia sacra Principes, quos ad cetera munia Regis obeunda praefecerat Dauid, hos etiam Principes enumerat: *Operi rustico*, inquit, *& agricolis, qui exercebant terram, praerat Ezri filius Chelub, vinearumque cultoribus Semeias Romathites: cellis autem vinarijs Zabdias Aphonites. Nam super oliueta, & ficeta, quae erant in campestribus, Balanam Gederites: super apothecas autem olei, Ioas. Porro armentis, quae pascebantur in Saron, praepositus fuit Serrai Saronites: & super boues in vallibus Saphat filius Adli: super camelos vero, Vbil Ismahelites, & super asinos, Iadias Meronathites: super oues quoque Iaziz Agareus.* Quibus enumeratis concludit. *omnes hi Principes substantiae Regis Dauid.* Quaeso vos quantam auri copiam decem hi Principes ex tot hominum classibus, tot fructuum generibus, armentorum copia, Dauidis aerario procurabant? erant enim super omnes homines, qui agros vniuersos exercebant, qui tributi nomine à Regibus Imperio subiugatis mitti solebant, vt innuit sacra Regum historia. *de filijs autem Israel non constituit Salomon seruire quemquam.* Et Iosephus hunc quasi textum exponens, post subiugatas a Salomone gentes, & impetata eis tributa: per singulos, inquit, annos certum numerum seruorum, & colonorum, qui per agros distribuerentur, exegit, & paulo post: Chananaeis vero, quos ad seruitutem abduxit, sexcentos praefectos praeposuit, qui procuratores essent Regij, & sua cuique opera, atque negotia praescriberent. Itaque videtur Salomon exemplo Patris Dauidis hos Principes, & praefectos constituisse, alios nimirum super omnes vineas, oliueta, ficeta, alios super cellas vinarias, & omnes apothecas olei, alios postremo super boues, camelos, asinos, oues, quae in toto, eoque amplissimo, ac ditissimo, vberrimoque Israelitico Regno erant. ecce quantae operariorum, seruorumque classes, quot fructuum genera, & quanta armentorum copia.

1. Paral. 27. ℣ 26.27.28. 29. 30.

PRINCIPES possessionum, & substantiae Dauidis.

Ibidem. ℣. 31

EX HEbraeis nemo seruiebat.

3. Reg. 9. ℣. 22.

Ioseph. lib. 8. Antiq. c. 2.

Argenti autem summa, quam ex tributis, fodinis, & vectigalibus similiter educebat, certo sciri minime potest: cum argento tunc temporis nullum esset pretium. conijcimus ex eo thesauro, quem Dauid Deo legauit. cum enim decuplo minus argenti pondus, quam auri legauerit, argumento est, ex fodinis, tributis, & vectigalibus, decuplo plus argenti in annos singulos extraxisse. quemadmodum ergo thesaurus auro conflatus proxime accessit ad legatas Deo opes. ita argenti thesaurus proxime etiam accessisse credendus est ad legatam argenti summam.

ANNVA argenti tributa quot erant Dauidis Regno.

At inquies, tota haec tributorum, opumque copia in milites erogari consueuit, quorum duodecim saltem turmae erant cum Rege in Ierusalem. & in earum singulis quatuor, & viginti millia hominum alebantur, de quibus historia Paralipomenon aperte loquitur. quibus addendae sunt etiam copiae, quae toto fere Dauidis Imperio ad hostium incursus propulsandos paratae erant. Alendis autem, & stipendio militatu conducendis ducentis octoginta octo millibus, qui in duodecim illis turmis erant, maxima thesauri copia consumi debuit. Praeterea in alenda cibo regio familia, quae magna fuisse credenda est, cum multum tantus numerus fuisse legatur; quanta auri, argentique massa impendi potuit? Itaque non immerito tributa, & vectigalia illa, ac fodinae omnes, ad tot, tantaque munia obeunda, vix satis fuisse credenda sunt.

MILITES Dauidis in 12 turmas diuisi. 288000

1. Paral. 27. ℣. 1.

Verum longe aliter se res habet, quam ab aliquibus existimetur. Primo enim militaribus copijs alendis nihil de tributis assignatis erogabatur. Non enim Rex, sed Tribus ipsae copias illas, & alebant, & stipendio conducebant. tametsi fortasse, neque stipendium Hebraeis militibus solueretur, cum nusquam in sacris literis stipendij militaris mentio fiat. Igitur alendis copijs Tribubus curae fuit: idque colligitur ex eadem historia. *filij autem Israel*, inquit, *secundum numerum suum principes familiarum, tribuni, & centuriones, & praefecti*: & addit: *qui ministrabant Regi iuxta turmas suas, ingredientes, & egredientes per singulos menses in anno.* Deinde duodecim eos Principes recenset, quorum singuli viginti quatuor millibus praerant: ex quorum verborum contextu colligitur Tribus vniuscuiusque munus fuisse, ad Regem turmam suam singulis mensibus mittere, rebus omnibus ad id muneris necessarijs instructam. Extra Ierusalem autem cum bella vigerent, militares copiae praeda solum contentae libentissime Regi seruiebant: quod in tota non modo Regum historia, sed in omnibus fere sacrae Scripturae libris habetur.

MILITIBVS alendis nihil de tributis erogabatur.

1. Paral. 27. ℣. 1.

Cibos autem regiae mensae non alia certe via in Ierusalem aduectos fuisse crediderim, quam ea, qua Salomoni, qua de re alias locuti sumus. Nihil igitur ad victum Regis procurandum de tributis, ac vectigalibus assignatis deducebatur. Quam ob rem cum praedicta tributa omnia aerario singulis annis accederent, ex quo nihil educeretur, certe mirum videri non debet, si tantus fuerit Dauidis thesaurus.

Supra c. 51. huius libri.

IN CIBVM Dauidis nihil de tributis erogabatur.

Dicendum hic foret, vnde nam Hebraei populi, ceteraeque nationes Dauidi Regi tributariae, tantam auri, argentique copiam habere potuerint, Regi quidem in annos singulos soluendam, ab Rege autem nullo vnquam titulo repetendam. Sed de hoc paulo inferius suo loco fusius agendum est. Haec de Thesauro ex tributis, & vectigalibus, atque fodinis aggregato.

EX HOSTIVM SPOLIIS, PRAEDIS, MAnubijs opes suas Dauidem comparasse.

Cap. LV.

ALTERVM Dauidici thesauri fontem praedas, manubias, spolia fecimus. Haec autem quot, quanta, & quam opulenta fuerint, ex sacris literis aperte colligitur. Primo enim plurimas bellorum expeditiones Dauidem suscepisse certum est: in quibus omnibus prospere semper, feliciterque processit,

cessit, deditque illi Deus hostium omnium perfectam, absolutamque victoriam. *Seruauitque Dominus Dauid*, inquit historia Regum post enumeratas Dauidis victorias, *in omnibus ad quaecumque profectus est*. & in Paralipomenis: *adiuuitque eum Dominus in cunctis, ad quae perrexerat*. Adeoque feliciter, Deo semper adiuuante, res gessit, tantamque diuitiarum copiam ex praeda semper reportauit, vt, si liceat aliqua ratione *inuisibilia Dei, per ea, quae facta sunt intellectu* conspicere, non immerito censendum sit, eo sane consilio Deum Optimum Maximum Dauidi Regi victorias semper effecisse, vt nimirum ex diuiti hostium praeda, opes illae praepararentur ad templum vni, veroque Numini solemni pompa dicandum. Atque ideo fortasse Dauid quotiescumque bellum aggrederetur, Dominum prius consulebat, vt solet miles, tribunus, equitum magister, Imperatorem suum. Itaque cum quadam die Deum consuluisset, respondit Dominus Deus exercituum: *tunc inibis praelium quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, & percutiet castra Philistym*. cuius belli Dauid executor tantum esse visus est, non Imperator: *fecit itaque Dauid*, inquit historia sacra, *sicut praeceperat ei Dominus, & percussit Philistym*. Quod fortasse consilium, templi scilicet locupletandi, Regem pientissimum non latuit: aurum enim omne, argentum, aes, ferrum, pretiosos lapides, & si quid erat Deo dignum, ex captiuorum spolijs, hostium castris, vrbibus depopulatis, sacro numini, exercitus Imperatori, libentissime deuouebat: neque id semel, sed millies fecisse mox ostendam.

2. Reg. 8. ℣. 7. — *1. Paral. 18. ℣. 6.* — DAVIDIS felicitas in bellis. — *Ad Roman. 1. ℣. 20.* — CONSILIUM Dei de fabricando templo. — *2. Reg. 5. ℣. 24.* — DEVS EXERcitus Dauidis Dux, & Imperator. — *Ibid. ℣. 25.* — DAVID aurum, & argentum ex spolijs, Deo deuouebat.

Vt igitur ad rem propius accedamus, commisit aperto marte Dauid, quantum ex sacris literis colligi potest, bella ferme viginti, parta de omnibus felici, solemnique victoria. Primo enim Philistaeos nouies superauit, vsque dum imposito graui seruitutis iugo tributarios efficeret; Moabitis deinde superatis tributa similiter imposuit. Mox Idumaei, Syri, Damasceni, Ammonitae, Amalecitae, aliaeque gentes post multa bella iugum Imperij Dauidici recepere. Nemini autem puto in mentem venire posse, qui in sacris literis, vel mediocriter versatus sit, leuissima caprae-lia fuisse, quae commisit Dauid, & militum numerum perexiguum. Congressus enim Dauid cum Adarezero filio Rohob Rege Soba, iuxta Euphratem, quem Sobanorum Regem Iosephus appellat, edita ingenti hostium clade Regem superauit. Adarezeri autem exercitus quantus fuerit ex ijs, qui in eo conflictu occubuere, conijci facile potest: Nam *captis ex parte eius mille septingentis equitibus* vt in libris Regum habetur: caepit *septem millia equitum*, quod in Paralipomenis est: *& viginti millia virorum* quos viros pedites appellat liber Regum. moris est enim sacrarum literarum, pedites Viros appellare, & viros pedites, cuius exempla plurima suppetunt. *Cepit* praeterea *Dauid mille quadrigas eius*, quibus captis, *subneruauitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reseruauit sibi* quod praecipui inter omnes haberentur. Age iam demus singulis quadrigis non plus quam decem milites, vt Asiaticis mos erat, & fuse probat Lyranus quid quid Tostatus opponat, certe habebimus ex occisis, & bello captis triginta octo millia septingentos. Quaeso vos quantus fugitiuorum numerus? Et paulo post, *Syria Damasci*, & Adadus Damasci, & Syrorum Rex, inquit Iosephus cum valido exercitu in auxilium eius properat, *vt praesidium ferret Adarezero Regi Soba, & percussit Dauid de Syria viginti duo millia virorum:* reliqui fuga saluti consuluerunt. Hic autem Adadus, quantum exercitum conduxerit, innuere videtur Nicolaus quidam historicus apud Iosephum, dum ceteris Regibus potentiorem Adadum appellat. Idumaeos per legatum suum Abisai cum subiugasset, commisso praelio occidit ex eis octodecim millia virorum.

VICTORIAE Dauidis. — *2. Reg. 5. ℣. 19. 25. c. 8. ℣. 1. c. 22. ℣. 15. 18. 19. 20. c. 23. ℣. 11. 12.* — *2. Reg. 8. ℣. 2.* — *Ibid. 8. ℣. 14.* — *2. Reg. 8. ℣. 3.* — *Ibid. ℣. 5.* — *2. Reg. 10. ℣. 13. 14. c. 12. ℣. 1. c. 12. ℣. 50.* — *1. Paral. 18. ℣. 11.* — *2. Reg. 8. ℣. 4.* — *1. Paral. 18. ℣. 4.* — *Nicolaus Lyranus.* — *Tostatus.* — EX ADAREZERI exercitu deleta fuit. 38700. — *2. Reg. 8. ℣. 5.*

A

Iosephus 7. Antiq. c. 5. — EX AVXILIARI Syro 22000. — *Nicolaus historicus apud Ioseph citatum.* — *2. Reg. 10. ℣. 4. 6.* — *1. Par. 19. ℣. 4. 6.*

Et iterum cum Hanon Ammonitarum Rex veritus ne Dauid iniurias vlcisceretur, quas violato Gentium iure legatis eius intulerat. vt habetur in vtraque historia sacra, populum suum vniuersum ex vrbibus aggregauit. qui quantus fuerit conijci potest ex eo, quod cum aliquot ante annis Naas pater eius vrbem Iabes Galaad obsidione cingere vellet, cum magno, & forti exercitu ingressus, vrbes eorum subiugare caepit. Ad quam obsidionem soluendam egressus est Saul Hebraeorum Rex cum trecentis triginta millibus armatorum, vt in Regum libris habetur. Iosephus autem auctor est septingenta millia fuisse, absque tribu Iuda, quae sola armauit septuaginta millia. forte sacrae literae non nisi praecipuorum militum mentionem faciunt tacent autem reliquum bellatorum vulgus: Atqui mos erat Hebraeis, qui armis mirum in modum supra gentes floruerunt, nunquam maiores copias adducere, quam inimici conduxissent, vt patet ex Madianitarum victoria, quos aggressi sunt duodecim tantum Hebraeorum millia cum innumera pene esset hostium multitudo, & sexcentis alijs praelijs, tum ante Dauidem, tum deinceps vsque ad Machabaeos, qui in hac re praecipuam laudem meruerunt, quod paucissimi in infinitum agressi sint hostium numerum, & saepe fugauerint. Si igitur Saul tot, tantasque copias adduxit, quantus esse potuit Ammonitarum exercitus? Nos autem vt omnes praecidamus calumniarum occasiones, ponamus illum non plures adduxisse, quam sacrae literae testantur, fuisse Saulis exercitum & ad reliquos Ammonitarum apparatus tanti belli procedamus. Conduxit praeterea Ammonitarum Rex mercede mille talentorum argenti *Syrum* Regem *Rohob*, *& Syrum* Regem *Soba cum viginti millibus peditum, & regem Maacha cum populo eius*, seu *mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum. & de Mesopotamia, & de Syria, & de Maacha, & de Soba currus, & equites*. Equitum certe numerum non expressit, colligitur tamen ex eo, quod in bello quadraginta equitum millia interfecta sunt. *& triginta duo millia curruum*. in quorum singulis decem saltem milites imponendi sunt, videtis quantum exercitum? Minimum fuerunt septingenta triginta quinque bellatorum millia, cum senis Regibus, nimirum, Ammonitarum, Syriae Rohob, Syriae Soba, Mesopotamiae, Maacha, & Istob. Has autem omnes exercitus copias plurimi fecit Ioabus Dauidis Dux, alioqui strenuus ac fortissimus, nam *elegit*, inquit Paralipomenon historia, *viros fortissimos ex vniuerso Israel, reliquam autem populi partem dedit sub manu Abisai fratris sui* dicens, *si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superauerint te filij Ammon, ero tibi in praesidium*. quasi pauidus de euentu, & prouidus in dubio bellorum marte quid facto opus esset, tametsi vterque Dauidis Dux absolutam de tanto exercitu victoriam reportarunt.

B

Ioseph. 6. Antiq. c. 5. — *1. Reg. 11. ℣. 1.* — *Ioseph. 6. Antiq. c. 6.*

C

Num. 31. ℣. 34. — Ammonitae 330000. — *2. Reg. 10. ℣. 6.* — *1. Paral. 19. ℣. 7.*

D

Syrus vterque 20000. — Rex Maacha. 1000. — Istobitae. 12000. — Equites. 40000. — Currus. 32000. — Milites. 320000. — Totus exercitus 735000.

E

1. Par. 19. ℣. 10. — *1. Par. 19. ℣. 12. 14.* — *Ibid. ℣. 14. 16.*

Qui cum denuo plenіorem exercitum, maioresque

1. Paral. 19. ℣. 20.

resque copias reparassent; ne Hebraeorum viribus se impares esse declararent, Hanon Ammonitarum Rex, *misit nuncios, & adduxit Syrum, qui erat trans flumen*, Eupharatem: *Sophach autem Princeps militiae Adarezer erat Dux eorum.*

Ioseph. cita. to loco.

& Iosephus. missis nuncijs ad Calamam Syriorum Transeuphratensium Regem, eius auxilia mercede conduxerunt. Huius vicem in exercitu gerebat Sabecus, qui constabat ex octoginta millibus peditum, equitibus vero decem millibus. Haec ille.

AVCTVS exercitus. 825000.

Ecquis ergo leuissimum praelium, perexiguum militum numerum appellet, in quo Transeuphratensium sint nonaginta millia, Ammonitarum trecenta triginta millia, ceterorum Regum quadringenta quinque millia, omnium octingenta viginti quinque millia? Exceptis Mesopotamitarum copijs, quarum numerum ignoramus.

Et certe hunc tot, tantorumque Regum exercitum ingentem fuisse ex hoc etiam capite conijcimus, quod, cum Equitum quadraginta millia occubuissent, & totidem virorum peditum, currum vero septem millia, quorum summa est centum quinquaginta millium; adhuc ex vno Adarezeri exercitu quinquaginta octo millia transfugerint ad Dauidem, & facta deditione ei seruierint. quot nam fugerunt ex Ammonitis, Syris, Mesopotamis, alijsque auxiliaribus copijs, si ex vno Adarezeri exercitu post eam cladem, tot superfuerunt? Hoc autem ex Dauidis apparatu ad tantum bellum propulsandum multo magis confirmatur, *quod cum nunciatum esset Dauid*, inquit historia Regum, denuo scilicet aggregasse Ammonitas maiores copias, nolens per legatos suos Ioab, & Abisai, vt paulo ante fecerat, cum eis bellum gerere. *contraxit omnem Israel.* Omnis autem Israel quantus fuerit, sciri potest ex eo, quod etiam pacis tempore ducenta octoginta octo millia bellatorum, qui in duodecim turmas discreti erant, Regiae personae tutelam suscepisse, compertum est. Si enim in summa pacis & tranquillitatis plenitudine, tot armatorum copias Dauid habebat: quid cum contraxit omnem Israel? Omnis autem Israelis numerus in Iudicum libro exprimitur in eo bello, quod contra Tribum Beniamin susceptum fuit: *egressi*, inquit Iudicum liber, *sunt omnes filij Israel, & pariter congregati quasi vir vnus* &c. *quadringenta millia peditum pugnatorum.* exceptis tribus Beniaminiticae viginti quinque millibus septingentis. Idque eo tempore quo nondum in immensum creuerant Israeliticae Tribus, quid de Dauidis tempore dicendum? Leuissimum ergo dicetur illud praelium, in quo ex hostium exercitu, octingenta viginti quinque millia bellatorum fuerint, septingenta septuaginta millia, ex Hebraeis? Res adeo clara est, vt aba probatione non egeat, si cum Iosepho sentiamus ad vnam Saulis Regis vocem septingenta septuaginta armatorum millia in vnum conuenisse.

2. Reg. 10. ℣. 17.

Ioseph. loco citato.

1 Paral. 27. ℣. 1.

Iudic. 20. ℣. 1.

Iudic. 20. ℣. 5

Ibid. ℣. 15.

Et quod caput est, & potissimum intendimus, tanta ex his deuictis Regibus post eas victorias praeda facta est, depopulatis castris, sublatis militum, Regumque spolijs, erectis vbique victoriae trophaeis, vrbibus, ac viculis depraedatis, euersis, deletis, vt post agrorum factas Hebraeis diuisiones, vt auctor est Iosephus, ceteris spolijs onusti iam, & praediuites effecti milites, Deo exercitus Principi, & Imperatori in partem praedae vocato, dicauerint maximam partem auri, & argenti, aeris, & preciolorum lapidum.

Ioseph 7. Antiq c. 5

A Testatur id expresse sacer historicus. Cum enim Dauid Adarezeri copias euertisset, vt paulo ante dictum est, concludit. *Et tulit Dauid arma aurea, quae habebant serui Adarezer, & detulit ea in Ierusalem.* & in Paralipomenis *tulit quoque Dauid pharetras aureas, quas habuerant serui Adarezer, & attulit eas in Ierusalem* Cui loco lucem afferre videtur Iosephus, dum Adadi Damasci, & Syrorum Regis, qui Adarezero Regi auxilio venerat, deuictas copias recensens, & Imperium subiugatum, haec verba subdit. Ceu trophaeum, aureas satellitum Adadi pharetras, reliquamque eorum armaturam Deo Hierosolymis consecrauit. Quibus verbis plane testatur eosdem milites, & auream habuisse armaturam, quam retulit liber Regum, & aureas pharetras. B *Et de Bete*, inquit sacer textus, *& de Beroth ciuitatibus Aderezer*, quas praecipuas Iosephus appellat: *tulit Rex Dauid aes multum nimis.* Et Iosephus, & in his magna auri, & argenti copia reperta est: & praeter haec aeris genus, quod auro preciosius est habitum. Et in libris Paralipomenon *necnon de Thebath, & Chun vrbibus Adarezer aeris plurimum, de quo fecit Salomon mare aeneum, & columnas, & vasa aenea.* Et in Paralipomenis cum terram filiorum Ammon per Ioab exercitus ducem vastasset. *tulit autem Dauid*, inquit historia sacra, *coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema.* Et subdit. *manubias quoque vrbis plurimas tulit.* C & in libris Regum: *sed & praedam ciuitatis asportauit multam valde.* Et liber Regum, cum de Adoram filio Thou Regis Hemath sermonem faceret, qui suo, & patris nomine ad Dauidem venerat, congratulaturus ei de Adarezero communi hoste superato: *& in manu eius*, inquit, *erant vasa aurea, & vasa argentea, & vasa aerea quae & ipsa sanctificauit Rex Dauid Domino cum argento, & auro, quae sanctificauerat de vniuersis gentibus, quas subegerat de Syria, & Moab, & filijs Ammon, & Philisthym & Amalec, & de manubijs Adarezer.*

2. Reg. 8. ℣. 7.

1 Paral. 18. ℣. 7.

Ioseph. 7. Antiq. c. 6.

Ibid ℣. 8.

Ioseph 7 c. 7.

1. Paral 18. ℣. 8.

1. Paral. 20. ℣. 2.

OPVLENTA spolia de victis gentibus

Ibid. ℣. 3.

2 Reg. 12. ℣. 30.

3 Reg 8. ℣. 10 11 12.

AVRVM, ET argentum de victis gentibus Deo dicabat Dauid.

Res adeo clara est vt nihil in expositione sit im- D morandum. Expendatur iam, quot Reges victi, quot vrbes euersae, quot regiones depopulatae, & quoties id factum sit. Quantum auri, quantum argenti ex ditissimis, ijsque plurimis regionibus collectum fuerit, penditote. Si enim ex Adarezeri, & Adadi exercitibus tot arma, & pharetras aureas exportauit; quornam ex ceteris bellis, in quibus maior exercitus numerus erat? Tanti certe hoc fecit sacra Paralipomenon historia, vt plures super thesauris Deo sacris praeposuisse Principes Dauidem faciat, eosque in multas etiam classes distinxerit: *Achias erat*, inquit, *super thesauros domus Dei, & vasa Sanctorum.* Ecce pri- E mam thesaurorum classem & paulo post, *filij Iehieli, Zathan, & Ioel fratres eius.* &c. *super thesauros Sanctorum, quae sanctificauit Dauid Rex, & Principes familiarum, & tribuni, & centuriones, & Duces exercitus de bellis, & manubijs praeliorum, quae consecrauerunt ad instaurationem, & suppellectilem templi Domini.* Ecce alteram. Quin addit sacra historia, quod maxime notandum est, non à Dauide solum spolia Deo consecrata fuisse, sed a Samuele etiam, qui tot annis Hebraeorum Iudex fuerat, sed à Saule Rege, sed à Principibus, & Ducibus. *Haec autem vniuersa* inquit, *sanctificauit Samuel Videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner, & Ioab filius Saruiae, omnes hi san-*

1. Paral 26. ℣. 20.

THESAVRIS sacris plures principes, etiam praeposuit.

SAMVEL, Saul, & alij Duces Deo aurum, & argentum dicarunt.

ANTIQVVS Hebraeis mos consecrandi Deo spolia hostium.

Num. 31. ℣. 11.

Num. 31. ℣. 48. 49. 50.

VICTIS Madianitis Deo munera offerunt Principes exercitus.

Ibidem. ℣. 51. 52.

Ibidem. ℣. 53.

Ibidem ℣. 54.

bis sanctificauerunt ea per manum Selemith, & fratrum eius. Quae verba illud indicare videntur antiquum fuisse Hebraeis morem ab instituta Republica Deo aurum, argentum, ceterasque preciosas opes, spolia ab hostibus sublata dicare. Egressus enim populus ex Aegypto, cum Madianitas vsque ad internecionem deleuissent, occisis iam quinque eorum Regibus, eorumque vrbibus, viculis, castellis depopulatis, flammaque combustis, de quibus praeda ingens facta est, praeter primitias Deo oblatas, *Principes exercitus ad Moysen, tribuni, centurionesque dixerunt* erant autem omnes ad centum triginta duo. *Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra*. Hi autem fuerant duodecim millia, *& ne vnus quidem defuit: ob hanc causam offerimus in donarijs Domini singuli, quod in praeda auri potuimus inuenire, periscelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murenulas*, que mulierum tantum ornamenta fuisse videntur, *vt depreceris pro nobis Dominum*. Ecce iam oblatae Deo hostium opes. & statim subditur. *Susceperuntque Moyses, & Eleazar Sacerdos omne aurum in diuersis speciebus, pondo sedecim millia septingentos quinquaginta siclos, a tribunis, & centurionibus*: qui scilicet efficiunt talenta quinque, ac praeterea supersunt mille septingenti quinquaginta auri sicli, vt ex alias facta ratiocinatione probari potest Haec autem auri copia ex praeda tantum principum, tribunorum, centurionum conflata est: *vnusquisque enim* ex ceteris militibus, inquit sacer textus, *quod in praeda rapuerat, suum erat*: quibus omnibus absolutis concluditur: *& susceptum* auri pondus Moyses, & Eleazar, *intulerunt in tabernaculum testimonij*. Imo vero mos offerendi Deo hostium spolia, multo antiquior Moyse est: Abraham enim Hebraeorum parens hoc institutum videtur inuenisse: Post quatuor enim Reges vno praelio superatos, Melchisedech Regi Salem, qui *proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei*, Abraham ipse dedit *ei decimas ex omnibus*.

Genes. 14. ℣. 18.

ABRAHAM primus legitur obtulisse Deo spolia hostium.

Q. Curtius in Alex. l. 5. & 6.

Plin. lib. 33. c. 3.

Verum molesta admodum insurgere videtur obiectio, nunquid plures fuerunt victi à Dauide, quam subiecti Regi Persarum Dario? aut ditiora eorum aeraria, quam Darij? atqui superato Dario Persa ab Alexandro, collecta sunt ex praeda, teste Curtio, talenta argenti sexcenta supra centum viginti sex millia. Quis autem audebit vniuersos simul Reges à Dauide superatos cum vno Dario conferre? Cuius tantae fuerunt diuitiae, vt pro redimendis matre, & vtraque filia virgine ab Alexandro captis, eidem obtulerit auri talenta triginta millia. Si igitur in aerario ditissimi, ac potentissimi Regis Persarum, in quod omnium Regum diuitiae fuerant per tot secula congestae, ea tantum summa fuit, qui fieri potest, vt ex praeda Chananaeorum, Moabitatum, Damascenorum, & Arabum, tam grandem auri vim collegerit Dauid, quam neque Persarum, neque Romanorum, qui vniuersum terrarum orbem suo Imperio subiecerunt, aequare possit aerarium? Nam Plinius Paulli triumphum narrans sic ait. Intulit & Aemilius Paullus Perseo Rege Macedonico deuicto praedam pondo trium millium. Sed paulo superius dixerat in aerario Populi Romani fuisse prius auri pondo septingenta millia, & viginti septem, argenti vero nonaginta duo millia, & in numerato trecenties, & septuagies quinquies sestertium. Belli vero socialis initio in eodem aerario fuisse auri pondo octingenta millia quadraginta sex. Adriani vero aetate pro bellicis vsibus in diuersis aerarijs comperta fuisse talentorum Aegyptiorum septingenta quinque millia, eodem Plinio auctore. Neque vllo vnquam tempore aerarium Romanum locupletius fuisse legitur, Plinio teste. Quae tamen summa minor est multo ea, quam Dauid Deo legauit. Vnde igitur Dauid ex spolijs praesertim, tantam auri summam collegisse putandus est, vel vt apertius dicam, Vnde nam Reges hi tantam opum copiam comparare potuerint, futuram deinde Dauidis praedam, Deo legatam?

AERARIVM Romanum quando locupletius.

Plin lib. 33. c. 3.

Plin. citatus

AVREVM seculum quando fuerit, & quale.

Plin citatus.

AVREA vellera Tauricae regionis

Diodor. lib. 2.

MACROBII Reges captiuos catenis aureis vinciebant

Vt autem obiectioni respondeamus meminisse debemus aetatem illam, quae Dauidis tempora praecessit, & in qua Dauid etiam floruit, aureum illud saeculum fuisse, toto terrarum orbe, & omnium gentium aetate summa veneratione habitum, & à Sybillis, & Vatibus tali nomine insignitum, vt Plinius auctor est, ob infinitam nimirum auri copiam, quo aetas illa aurea abundauit: quo vniuersa fere domorum laquearia, Diuorum templa, hominum lectisternia, Principum currus, equorum phalerae, bellica militum arma, vestes, vasa, mensae, coronae, in auro effulgebant. Scilicet illud erat seculum vere aureum, quo portentosae Craesi diuitiae, Mydae aurum ingens. Illud erat aureum seculum, in quo aurea Hesperidum poma, aurea Tauricae regionis vellera, & sexcenta alia poetarum quidem figmenta, sed quae in re ipsa fundamentum haberent maximum. Illud erat aureum seculum, quo innumeri poene captiui apud Macrobios Aethiopiae populos, illis ijsdem aureis catenis, & magni ponderis vinciri consueuerant, quorum minima pars nostro seculo, non vincire pedes ad captiuorum dedecus ostendendum, sed collum sibi ipsis circumdare, sed caput ornare consuetum est, ad decus, & ornamentum significandum.

Plin. lib. 33. c. 3.

Herod. lib. 2. Val. Flacc. 5. Argo.

SARDANAPALI opes.

Ctesias Historicus apud Diod. lib. 2.

At inquies augent potius haec argumenta, quam minuunt difficultatem. adbuc enim vrgeri potest, vnde nam non Hebraei solum, sed Asia item tota, in eo aureo seculo tot opes colligere potuerit? Respondemus ex fodinis tota Asia, totaque Africa diffusis. Veteres enim illi nacti sunt virginem terram, vt inquit Plinius, vnde auri plurimum eruisse credendi sunt. Cuius rei argumentum esse potest aurea camera, argenteae trabes, & columnae, & parastatae Sabaucis Samnorum Regis, quas construxit Sesostre Aegypti Rege deuicto. Argumento etiam sunt Sardanapali opes illae portentosae, quas refert Ctesias historicus: ab Arbace enim Maedo oppressus pyram struxit altissimam, in eaque cubilia centum, & quinquaginta ex auro posuit, & totidem ex auro mensas, ac praeterea auri centies centena millia talentum Babylonicorum: argenti vero millies centena millia, seu vt ipse loquitur, myriadas myriadum.

Tot tantaeque erant in Asia, & Africa etiam auri fodinae, vt in vna Lydia populus vniuersus effodiendo auro agrorum cultu remisso totus incubuerit. Vnde Lydiae Regi non modo cubilia, sedes, mensas, & vasa omnia ex auro conflari iussit Regina, verum etiam epulas ipsas, vinum, aquam, & ceteros epulorum apparatus, & iocum serio fingens, & seria ioco illo intendens vt nimirum Regem ab effraenata illa auri effodiendi cupiditate temperaret: qua agrorum cultus, vinea-

vinearumque iacebat, qui necessaria humano victui praebuisset. In Lydia enim praeter auri fodinas, amnes etiam, praesertim Pactolus fluuius fama celeberrimus, aureas arenas vertunt. In quo etiam Regno Platanus illa ex auro, & vitis aurea gemmeis botris ornata, conflata est, Dario deinde dono missa à Pythio Bythiniae Rege, de quibus Sanctus Augustinus. Qua de re auctor est Herodotus, Lydiae populos primum cuso auro in commercijs vsos esse. Vnde tot opes in Lydia esse caeperunt, vt Xerxem cum innumerabili pene exercitu Phrygiae Rex exceperit epulo, stipendium quinque mensium, frumentorumque pollicitus, & pro corollario obtulerit auri quadragies fere centena millia. Aegyptij praeterea vt auctor est Diodorus, omnes criminis damnatos, item ex hostibus captos, siue qui Regem offendisset, ipsum, & totam cognationem auro effodiendo deputabant: quod in ceteris item prouincijs factitatum est.

LYDIAE opes magnae.

Plin. lib. 33. c. 10.

PHRYGIAE populi opulentissimi in Asia.

AEGYPT auri fodinae.

Haec autem omnia eo animo dicta sunt, vt intelligatur, vnde nam Asiae populi tantam auri copiam extraxerint, quam Regibus suis tributi nomine soluerint? Ex fodinis enim hauriebant, cum praesertim tum Asiae, tum Africae populi in hoc vno, potissimam gloriam reposuisse videantur, in cumulandis scilicet thesauris: Quin aurum, & argentum adeo semper Asiani sitiebant, vt milites rem familiarem in aurum, & argentum redigentes, & vtrumque in arma bellica conflantes, conspicui auro, argentoque gloriari consueuerint. Exempla apertissima habemus in exercitu Adarezer Regis. Imo in prophanis etiam historijs Curtius de Alexandro loquens, cogitationes inquit, in bellum Indicum vertit. Diues regio habebatur, non auro modo, sed gemmis quoque, margaritisque ad luxum magis, quam ad magnificentiam exculta. Clypei militares auro, & ebore fulgere dicebantur. Itaque nec vbi vinceretur, cum ceteris praestaret, scutis argenteas laminas, equis fraenos aureos addidit, loricas quoque alias auro, alias argento adornauit: ducenta viginti millia armatorum erant. Haec ille. Ecce iam mos adhibendi in bellis aurea arma, vel argentea. & Virgilius,

ASIAE populi diuitijs cumulandis dediti.

ANTIQVVS mos conflandi arma aurea.

Curtius l. 8.

ALEXANDRI expeditio in Indiam

Indiae opulentia.

EXERCITVS Alexandri aureis, argenteisque armis ornatus.

——— *telumque intorsit in hostem,*
Inde aliud, super atque aliud, figitque, volatque
Ingenti gyro, sed sustinet aureus vmbo.

Tametsi Alexandri exercitus argenteis armis vti soleret, exercitus autem à Dauide debellati aureis: illa ducenta viginti hominum millia si cum ijs quos Dauid de medio sustulit, conferantur, pauci esse videbuntur. Nam in vno Adarezeri exercitu cuius arma, & pharetras aureas tulisse Dauidem sacrae literae testantur, triginta nouem millia septingentos, vel occidit, vel captiuos fecit, vt paulo ante vidimus. In Adadi vero Syrorum Regis exercitu, cuius arma, & pharetrae ex auro similiter erant, duo & viginti millia de medio sustulit. In reliquis vero duobus bellis, quorum numerum supra recensuimus, octingenta quadraginta tria millia superauit. Quorum omnium summa est nongentorum quatuor millium septingentorum. Atqui Dauid vicies saltem bellasse legitur, postquam totius Israelis Rex inauguratus est, quorum victorias multorum millium hostium sanguine reportauit, vt optime Iosephus probat. Vnde in ijs solemnis semper, opulentaque praedae reportata est, detractis scilicet opimis multorum Regum spolijs, compilatis aerarijs, depraedatis, & euersis vrbibus, castris depopulatis.

ADAREZERI exercitus de quo tulit Dauid arma aurea 39700.

ADADI exercitus arma & pharetras aureas habuit 22000.

Ioseph. 7. antiq. c. 4.

Vt vero cognoscatur quanta in illis auri, argenti, ac ceterarum etiam rerum preciosarum praeda facta sit, concludit sacra Paralipomenon historia. *Omnia vasa aurea, & argentea, & aerea consecrauit Rex Dauid Domino cum argento, & auro, quod tulerat de vniuersis gentibus, tam de Idumaea, & Moab, & filijs Ammon*, quos ter superauit, *quam de Philistym*, quos nouies ad internecionem vsque deuicit. *Et Amalec*. addit liber Regum *de Syria*, quam quater debellauit. *& de manubijs Adarezer* de quo bis triumphum gessit. Itaque in quatuor tantum bellis si nongenta quatuor millia septingentos superauit, ac depraedatus est, certe eadem proportione in viginti bellis, quae praedictis non fuisse minora constat, depraedari potuit quadragies quinquies centena viginti tria millia nongentos. Quibus si non aurea quidem arma, & pharetras aureas demus, vt Adarezeri, & Adadi exercitui merito dedimus, sed tantummodo minima quaedam ornamenta ex auro: siue scuta illa fuerint, siue pharetrae, siue etiam galeae, vel loricae, vel enses, vel quoslibet armaturae, vel ornamenti genus: quod non tanti pendat, quanti scuta illa minora, quae Salomon ex auro conflauit, in quorum singulis sexcentos auri siclos erogauit, sed septuaginta tantummodo siclos auri, qui sunt octaua fere Salomonici scuti pars: fient ex militum spolijs, ac manubijs, talenta auri centum quinque millia quingenta quadraginta octo, paulo plus, quam Dauidis legatum aurum. Quid si scuta aurea, aureas pharetras, arma aurea dedissemus omnibus? quid si singula scuta ex sexcentis auri siclis cum Salomone fecissemus? quanta horum summa fuisset?

1. Paral. 18. ℣. 11.

QVANTAM auri summam ex spolijs collegisse potuit Dauid.

2. Reg. 8. ℣. 12.

SVMMA hostium, quos superauit Dauid 4523900.

EX HOSTIbus potuit Dauid collegisse auri talenta 105548.

His si adnumeres reliquam castrorum praedam, & publica regum in castris ipsis aeraria ad militum stipendia, & annonam comparandam: ac praeterea, quod maius est, in captis vrbibus spolia, Regiarum opes, templorum ornamenta, muliebrem mundum, aurea, & argentea principum vasa, de quibus in sacris literis aperta mentio fit, certe haec omnia facile poterunt aequare legata à Dauide Deo mille millia talentorum argenti.

PRAEDA castrorum, vrbium, templorum talenta argenti 1000000.

Quibus omnibus praemissis ad propositas obiectiones iam facile respondemus. Fodinae enim plurimae in feracissima metallorum terra, tanquam perpetui, perennesque fontes aurum populis subministrabant, populi Regibus suis tributi nomine multum auri soluebant, Reges in aeraria congestum diutissime asseruabant, & singulis annis augebant, Ex Regibus, aerarijs, & populis Dauidica praeda conflata est: Dauid autem Dei aerarium tantis praedis, ac tributis adeo ditauit, vt mirum videri non debeat, si sub vitae suae extremos dies in aerarijs templi infinita illa auri, argentique copia reperta fuerit.

VNDENAM Dauid ex praedis tantas opes colligere potuit.

Id autem quod de Alexandri praeda ex Asia vniuersa refertur, quae a Dauidis thesauro multum recedit, mirum non est: quis enim non videat in eo bello conficiendo Darium Regem ad vires Alexandri confringendas sexcenta millia hominum, & eo amplius mercede conduxisse, aluisse toto ipso belli tempore, & ad extremos Imperij fines adduxisse? Qua in re multa auri, argentique copia erogari debuit. Quis ignoret Alexandri aetate perpetuis excauationibus fo-

dinas

fodinas non tantam auri vim populis edidisse? A quis non videat assignatam praedam vnius Alexandri fuisse? quanta Principum? quanta Tribunorum? quanta militum? quae res in exercitu Dauidis non erat; in quo milites omnes, centuriones, tribuni, principes bonam auri, & argenti partem Deo libentissime offerebant, à quo victorias bellorum omnium agnoscebant.

HEBRAEI milites aurum, & argentum Deo offerebant.

1. Par. 29. ℣. 9.

Laetatusque est populus, inquit historia sacra: *cum vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino*. Itaque Dauid trium, & triginta annorum cursu adeo regiones omnes circumquaque auro, & argento, ac aere sublato compilauit, vt concidere visae sint. quod tum ad eorum superbiam humiliandam factum est, B tum vt occasionem rebellandi victis populis auferrer. Qua de re sacrae literae dum de Dauidis victorijs loquuntur. *Humiliauit eos*, inquiunt. vnde non mirum est, si quadraginta annorum spatio, quibus Salomon regnauit, nullum omnino bellum intercesserit: quia humiliatae prouinciae caput erigere non valebant.

DAVID hostium regiones auro, & argento compilabat.

1. Paral. 18 ℣. 1.

Ne quis autem putet Dauidem Regem opes vniuersas Deo legasse: Salomoni autem, quem Regni fecit haeredem, nihil omnino reliquisse; audiendum est quid hac in re scripserit Iosephus, qui reliquorum Regum, ac Principum historias apprime nouerat, vt Sanctus Hieronymus aduertit: tantas, inquit, diuitias haeredi reliquit Rex Da- C uid, quantas nullus alius Rex, vel Hebraeorum, vel aliarum gentium: sepeliuit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnifice, praeter solemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis diuitijs, quarum magnitudinem facile fit coniectare ex hoc, quod dicemus. Nam post annos mille trecentos Hyrcanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrij filio, volens pecuniam ei dare, vt abducto exercitu obsidionem solueret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorum parte Antiocho annumerata, oppugnationis periculo se exemit. Et rursus, post multos annos elapsos Herodes Rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit, ad loculos tamen, qui Regis cineres continebant, neuter eorum peruenit. D

Iosephus 7. Antiq. c. vlt.

QVANTAS opes Dauid Salomoni reliquerit.

Sed antequam capiti finem imponamus animaduersione dignum est illud, quod de Dauidis testamento sacrae literae testantur. Cum enim Dauid centum & octo millia talentorum auri, decies centena & decem septem millia argenti, aeris infinitum pondus, preciosos lapides, ligna cedrina, & quidquid ad aedificium opus esset, Deo dicaret. *Ego* inquit Dauid, *in paupertate mea praeparaui impensas domus Domini*, cur opes tantas in paupertate paratas affirmat? An quia cum pauperculus fuisset prius ouium pastor, tantam nihilominus auri, & argenti massam congerere potuerit? An quia magno labore comparatae ab eo diuitiae fuerint? quod innuere videntur Hebraea, quae in regio Codice legunt, in afflictio- E ne mea. An quia tanta erat Dauidis magnanimitas, & in Deum religio, vt opes illas, tametsi multas, & maximas, nihilominus minimas, ac veluti in paupertate pararas censuerit? si videlicet animus ad maiora paratus fuisse specterur, id quod confirmat Hebraica lectio Septuaginta Interpretum, qui conuertunt, secundum inopiam meam. & Hebraica item lectio apud Varablum quae vertit, pro paupertate mea. Sed fortasse ea est ratio, quam ipse idem innuit in Paralipomenis: Testamentum enim coram omnibus Regni Principibus, Ducibus, Centurionibus, Prae- A fectis facturus, ita Deum est allocutus: *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus, cuncta enim quae in caelo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, & tu es super omnes Principes, tuae diuitiae, & tua es gloria*. Ob id igitur in paupertate sua legasse opes illas ait, quia opes illae Dei potius dicendae erant, quam Dauidis. Et paulo post: *quis ego, & quis populus meus, vt possimus haec tibi vniuersa promittere? tua sunt omnia; & quae de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Ecce cur in paupertate sua opes praeparauit, quia nimirum, quae à Deo accepisse fatetur, haec Deo iterum dabat. Vnde concludit. *Domine Deus* B *noster omnis haec copia, quam parauimus, vt aedificaretur Domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia*.

1. Paral. 22. ℣. 14.

CVR DAuid tantas opes in paupertate sua paratas dicat.

Vatablus.

1. Par. 29. ℣. 11. 12.

DAVIDIS testamentum conficientis pietas.

Ibid. ℣. 14.

Ibid. ℣. 16.

CAPITATIONIS

LEGEM, QVA SINGVLI *Hebraeorum didrachma soluerent, latam à Deo olim fuisse.*

Cap. LVI.

POstremus fons, & origo Dauidicatum opum, quae Deo in augustissimi templi structuram legatae sunt, lex Capitationis est, quo sanctior, & vniuersalior, hoc ceteris vberior, & di- D tior. Cum enim a singulis Hebraeorum virorum capitibus census colligeretur, quorum infinitus erat propemodum numerus, infinita esse potuit pecuniarum summa. Legem tulerat aliquando Deus cum Moyse Hebraeorum Duce loquens his sane verbis. *Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum*; seu, vt legunt Septuaginta, si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum. vel vt in Hebraeo est: cum leuabis caput filiorum Israel, hoc est, cum numeraueris capita. vel demum, vt Chaldaica, quando susceperis summam filiorum Israel: *dabunt singuli precium pro animabus suis Domino*. In Hebraeo, dabunt quisque expiationem E animae suae Domino Hebraice enim est כפר chepher, quod expiationem significat, id, quod datur in propitiationem, vel precium vnde Chaldaica vertit redemptionem, hoc est, oblationem, qua quis redimebat animam suam. Septuaginta ab Hebraeo vertunt λύτρα τῆς ψυχῆς, pretia redemptionis animae: *& non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti*. Ecce mos Hebraeis censendi, ac lustrandi populum multo Romanis antiquior. Horum enim primus, qui censuit populum, Seruius Tullus legitur fuisse, Moyse mille annis, Dauide sexcentis fere posterior. *Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli*. Septua-

LEX CAPItationis fons opum Templi.

Exod. 30 ℣. 12.

LEX CAPItationis vnde originem habuit.

LVSTRVM & census Hebraeis antiquior Romano.

Liuius lib. 1. Dionys. lib. 4.

Exod. 30. ℣. 13.

ptuaginta, ad visitationem, Scholiastes, ad numeros; quae est phrasis Castrensis Hebraeis communis. Hebraice enim pro ad nomen habetur עלהפקדים gallafcudim, hoc est, super visitatos, vel adnumeratos. Vno verbo, omnis, qui venerit in numerum recensitorum.

In qua lege tria certe sunt ponderanda: Primum est, quid hac lege statueretur, & quinam recenseri tenerentur: alterum est, quid Hebraei Deo soluerent, cum transirent ad nomen: postremum, an singulis annis censeri consueuerint. Primo igitur quid per hanc legem praeciperetur, Deus ipse legislator, & auctor, Moysi, & Aaroni conceptis sane verbis aperuit. *Tollite*, inquit, *summam vniuersae multitudinis filiorum Israel per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum, quicquid sexus est masculini à vigesimo anno, & supra, omnium virorum fortium ex Israel, numerabisque eos per turmas suas, tu, & Aaron*. At quoniam Hebraeorum multitudo maxima erat, nec satis fuisset vnus, & alter Moyses, & Aaron ad populum recensendum, subdit Deus quasi opera vnicuique diuidens: *eruntque vobiscum Principes Tribuum, ac domorum in cognationibus suis*: & paulo post enumeratis ijs Ducibus, quibus curae erat populum regere, ac iudicare: *Hi nobilissimi Principes multitudinis*, inquit textus, *per Tribus, & familias suas, & capita exercitus Israel, quos tulerunt Moyses, & Aaron cum omni vulgi multitudine*. quae res iuxta Dei praeceptum effecta est: Nam prima vice, recensiti sunt in deserto, *fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos, & familias suas a vigesimo anno, & supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta*.

Num. 1. ℣. 2.

CAPITA-tio Hebraica qua ratione fieret.

Num. 1. ℣. 4.

Ibid. ℣. 16.

Numer. 1. ℣. 45.

Vbi illud est diligentius animaduertendum, Leuitas omnes censui non obligari. Testatur id expresse Numerorum liber: *Leuitae autem in Tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis*. cuius exemptionis lex statim subditur: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filijs Israel*: Septuaginta: vide, Tribum Leui ne simul recognoscas, & numerum eorum ne sumas in medio filiorum Israel. *sed constitue eos super tabernaculum testimonij*. De quibus tamen Leuitis hanc aliam legem tulit Deus: *haec est lex Leuitarum; à viginti quinque annis, & supra, ingredientur, vt ministrent in tabernaculo faederis. cumque quinquagesimum aetatis annum impleuerint, seruire cessabunt*. Leuitae enim, inquit Iosephus, sacri erant, & immunes a militia. Cuius etiam rationem videtur assignasse ipse Deus. *Eruntque Leuitae mei. Ego sum Dominus*. Et propter eandem caussam Leuitas Deus dicari voluit sibi non solum à vigesimo anno, sed eorum numerum ferri ab vno mense, & supra.

LEVITAE censui non subijciebantur

Numer. 1. ℣. 47.

Ibid. ℣. 49. 50.

Num. 8. ℣. 24. 25.

Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 11.

Num. 3. ℣. 12. 41.

Illa vero lex non censendi in vsum militiae eos, qui vigesimum aetatis annum non attigissent, seruari semper ab Hebraeis consueuit. Nam cum Dauid ex Israelitis duodecim bellatorum turmas elegisset, quarum singulae quatuor, & viginti armatorum millibus constarent, qui Regiam maiestatem, vt militum numero, sic decore stiparent, & armis etiam tuerentur. *noluit Dauid, numerare eos a viginti annis inferius, quia dixerat Dominus, vt multiplicaret Israel, quasi stellas caeli*. Et Iosephus de Moyse loquens. Indicit igitur censum Tribuum, excepta Leuitica Tribu, eius-

ANTE vigesimum annum nemo censebatur.

1. Paral. 27. ℣. 23.

Ioseph lib. 3 Antiq. c. 11.

A que cura Principibus demandata numerum eorum, qui militari aetate essent, diligenter ad se referari iubet. quibus verbis illos explicasse videtur, quos sacer textus modo *virorum fortium* nomine insignire videtur, modo nomine eorum, *qui poterant ad bella procedere*. Ante annum enim vigesimum non censuit Deus posse viros fortes appellari, nec armis ferendis aptos esse, nec militiae idoneos. Qua in re iustior, ac mitior multo Diuina lex erat, quam Romana: Romani enim, vt auctor est Vegetius, incipientem pubertatem ad delectum cogebant, & omnes quot quot de disciplina militari libros ediderunt, statim post septimum, & decimum aetatis annum militiae adscriptos Romanos volunt. Idque à Seruio Tullo vetere Cen-
B sore primum cautum fuit: & vt auctor est Gellius, aeuo subsequente à Caio Graccho sacrata lege sancitum. quod etiam Liuius, Plutarchus, & Seneca confirmant. Nec mirum, cum Romani Hebraeis multo pauciores essent, Hebraei vero prae multitudine innumerabiles.

CENSVS Hebraeorum aequior, & mitior Romano.

Veget. de re milit. lib. 1. c. 4.

CENSVS Romani institutor.

Gellius lib. 10. c. 28.

Liuius l. 25.

Plutarch. in Gracchis.

Senec. lib. de breuit. vitae c. vlt.

Mos denique non censendi eos, qui annum aetatis quinquagesimum excessissent, ab Hebraeis initium sumpsit, vt mox indicabitur ex Iosepho: à quibus deinde Romani mutuarunt, tametsi aliàs variatum. Nam legem fuisse probat Lypsius, & Crinitus, quae militem liberaret anno demum aetatis quinquagesimo. Non omittam hoc loco, quod Macrobius ait: nonnullarum, inquit Rerum publicarum is mos est, vt
C post sextam ad militiam nemo cogatur, in pluribus detur remissio iusta post septimam. Vbi auctor ille per sextam, & septimam, hebdomadas annorum intelligit, in quibus singulis ponebant annos septem. Itaque alijs post secundum, & quadragesimum, alijs post nonum, & quadragesimum aetatis annum immunitatem a militia praestabant. Et de Romanis agens Censorinus: in tertio gradu, inquit, qui erant, vsque quinque & quadraginta annos iuuenes appellatos, eo quod Rempublicam in re militari possent iuuare.

POST annum quinquagesimum nemo censui subijciebatur.

Iustus Lypsius ad annales Taciti.

Petrus Crinitus lib. 8. de honest. discipl in c. vlt

Macrob. lib. 1. in somn. Scip.

Censorinus de die natali. c. 14.

Itaque a censu septem hominum genera ex-
D cludebantur, Leuitae, adolescentes ante annum vicesimum, senes post quinquagesimum, faeminae, ad bellum inepti aduersae valetudinis causa, qui seruitutis iugo tenebantur, & exteri à fide. Et reuera si haec ad eum primarium legis sensum reducamus, quem Spiritus sanctus legis auctor intendit: comperiemus ad nostram etiam doctrinam fuisse conscripta. Leuitae quidem eminentiori quodam, & excellentiori gradu, quasi emeriti milites stipendia iam meruerunt. Adolescentes, qui delitijs dediti, ab omnibus mundanis illecebris non abstinent, Deo militare non possunt. Vnde Tertullianus, nemo miles cum delicijs ad
E bellum venit, nec de cubiculo ad aciem procedit. Qui autem in via mandatorum Dei, veluti senio quodam confecti, & animi vigore destituti ocio marcescunt, vt inquit Sanctus Augustinus, minus diuinae militiae sunt apti. Effaeminati vero homines, vt Sancti Cyrillus, Hieronymus, Gregorius Nyssenus recte exponunt, minus Dei arma tractare possunt. Qui morbis animi lethalibus sunt impliciti, à Christi Domini militia repelluntur: huiusmodi enim accipere detrectant *armaturam Dei, vt possint resistere in die malo aduersus insidias Diaboli*, non stant *succincti lumbos in veritate*, non *induti loricam iustitiae*, non *calceati pedes in praeparationem Euangelij pacis*;

QVOTVPLEX hominum genus à censu excludebatur.

LEVITAE non censebantur.

Tertull. ad Iudae.

SENES NON censebantur.

S. August.

FOEMINAE non censebantur.

Cyrill. l. de Spiritu sancto.

Hier in Isa.

Greg Nyss in Moyse.

MORBIS impliciti non censebantur

Ephes. 6. cap. 11.

non

SERVI NON censebantur.

non sumunt *scutum fidei*, non *galeam salutis*, non *gladium spiritus*. Vnde mirum non est, si armis omnibus exuti, hostium ictibus obijciantur, ac lethalibus morbis multo maioribus in dies impleantur: nam vt optime Sanctus Gregorius ait, peccatum, quod per paenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Serui autem libertatis minime participes qua Christus nos donauit, eiusdem nobilitate, & ingenuitate non sunt digni. Denique multo minus Deo militare possunt, qui exteri sunt à recta fide, vel Christiana religione sunt alieni.

S. Greg.

EXTERI a fide non censebantur.

Verum ad id quod secundo loco propositum est, reuertamur. Acto censu quid exercitum Principi Deo, quasi tributi nomine
B soluetur, Deus ipse decreuit. *Media pars sicli offeretur Domino*. Quam paruo contentus est Deus, vel ob grati animi significationem indicandam, vel ob vitam in singula quaeque momenta seruatam? *Dabunt*, inquit Deus, *precium pro animabus suis Domino*: vbi anima pro vita sumitur, vt moris est sacrarum literarum. Quod autem medium sicli tantummodo solui Deo iussus sit homo, mysterio non caret; innuunt id ea verba: *Diues non addat ad medium sicli; & pauper nihil minuat*. An quia vita est omnium hominum anima, siue Craesus fueris, siue Irus? An quia non pluris sunt apud
C Deum diuitiae, quam paupertas? An quia aeque preciosa est Deo vniuscuiusque vita, & anima, pro quibus singulis redimendis Dei filius preciosum sanguinem in ara Crucis effudit? An denique quia homo, quicumque ille sit, aequas Deo, quantum in se est, gratias rependere debeat, siue diuitias ab eo acceperit, siue laboret inopia? Cuius aequitatis exemplum sese exhibuit Sanctissimus Iob. Nam vbi a summo diuitiarum apice ad summam item rerum omnium inopiam, & egestatis velut abyssum se decidisse vidit: gratias nihilominus Deo rependens erupit in ea verba; *Dominus dedit*: munificum se, ac liberalem ostendens: *Dominus ab-*
D *stulit*, quod suum erat, cum mihi minus proficuum fore iudicasset, ac si apertius diceret: Diues eram, pauper sum, quid ergo vtroque tempore copiae, & inopiae soluendum Deo est in gratiarum actionem, & vitam, & animam ab eo inter tot mortis pericula seruatam? dabo didrachma sacrum, precium animae meae: *Sit nomen Domini benedictum*.

Exod. 30. ℣.

DIDRACHma in censu Deo soluebatur.

DIDRACHma precium animae, & vitae.

CVR NON plus daretur in censu, quam didrachma, nec minus.

AEQVITAtis animi exemplum in Iob

Iob. 1. ℣. 21.

Sed illud obiter animaduertendum est hominem pro seruata à Deo vita dimidiatum siclum soluisse, non integrum: rem nimirum imperfectam, non omnibus numeris absolutam. Quia reuera nos pro nostra infirmi animi lassitudine nunquam Deo tantum rependere possumus,
E quantum ille meretur. Quidquid enim facimus, imperfectum est quibus dici potest: *quasi pannus menstruatae vniuersae iustitiae vestrae*. Contra vero Deus ijs, cum quibus pactus est laboris mercedem in Euangelio, quando eos in vineam suam misit, tum ijs, qui prima, tum qui nouissima hora venerunt, singulis denarium diurnum soluit, integrum certe, non dimidiatum: quo maxima quaedam merces in caelo danda, non exigua monetula significatur, de qua Deus Abrahamo dixit: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. sed ad institutum redeamus.

MINVS Deo soluimus quam debeamus

Isai 64. ℣. 6.

Matt. 20. ℣. 9.

Gen. 15. ℣. 1.

Examinandum superest tertio loco, an singulis annis censum Deo, & didrachma soluerint

A Hebraei, & quonam tempore recenseri consueuerint. Lex enim cum dixit: *quando tuleris summam filiorum Israel*: rem statuit, tempus non videtur decreuisse. Numerorum libro recensiti plures sunt Hebraei bellatores à Moyse, & Iosue. nimirum alibi, *sexcenta tria millia quingenti quinquaginta*: alibi vero, *sexcenta millia, & mille septingenti triginta*. Ex quibus deducimus, in morem quidem fuisse Israeliticis Principibus, quibus hoc munus à Deo demandatum fuerat, populum recensere: Verum an singulis annis, sua difficultate non caret. Romani quidem antiquiores quinto quoque anno lustrabant populum: vnde illa annorum intercapedo, lustrum
B appellabatur. Polybij vero aetate singulis annis id fiebat, vt ipse idem auctor est. Cum vero, inquit delectum habituri sunt Consules, publice diem prodicunt, qua die Romanos omnes adesse oportet, quibus aetas sit militatis: faciunt hoc pene quotannis. Deinde desitum est à more lustrandi populum propter bellorum ciuilium importunitatem: Nam in Liuio Augustus Imperator sic de se: In Consulatu sexto censum populi collega Marco Agrippa egi, lustrum post annum alterum, & quadragesimum feci, legi: quo lustro censita sunt capita quadragies centum millia, & sexaginta tria. Quibus verbis aperte colligitur inter duo posteriora lustra inter-
C capedinem fuisse annorum duum, & quadraginta. Haec de Romano censu.

Num. 1. ℣. 4. 6.

Ibid. 26. ℣. 51.

ROMANI quando censum, & lustrum conficerent.

Polyb. lib. 1.

AVGVSTI lustrum, & census.

Hebraei autem qua ratione ad censum etiam venerint, certo definiri non potest. Certum est enim primo, cum iussu principis vniuersus virorum populus nomen dare iubebatur, didrachma à singulis Deo fuisse persolutum, id enim Lege diuina cautum erat, vt paulo ante probatum est. Cui illud Iosephi de Moyse loquentis testimonium addi potest: Posthaec, inquit, conuocato populo imperauit, vt rursum contribuerent virilim dimidium sicli & paulo post: Conferebant id argentum soli ingenui aetatis annorum viginti, & supra, vsque ad annum quinquagesimum. Vsus ergo censendi hac ra-
D tione populum frequens Hebraeis non videtur fuisse, tot nimirum adhibitis caerimonijs, conuocato toto Israel, adstantibus Moyse, & Aarone, in eorumque loco Rege, Summoque Sacerdote, cum Ducibus, ac Principibus omnium Tribuum, familiarum, ac domorum. Patet ex tota sacrarum literarum serie.

Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 9.

POST ANnum quinquagesimum non censebantur Hebraei.

Verum enimvero illud est omnino certissimum, Hebraeos, etiam cum nullus bellorum timor ingrueret, sed pace, summaque quiete ruerentur, pro eorum tamen singulari erga Deum pietate, non modo non raro, verum etiam singulis annis censum Deo, ac didrachma soluisse, vt Dei gratia ad Hebraeorum po-
E pulum tam mirabiliter multiplicandum, prout Patribus promiserat, saepius agnosceretur, & vt magis, magisque gens illa gratior Deo fieret, vtque ordo populi elegantior appareret. hebraeos enim Deus saepius recensebat, ac numerari volebat, tanquam Pater optimus carissimos sibi filios, tanquam Dominus Sabaoth, exercituum Imperator strenuos bellatores, tanquam vigilantissimus pastor lectissimas oues. Vnde omnibus innotesceret cordi Deo fuisse populum illum, cuius numerus, & nomina singulorum exigeret tametsi multo maior eiusdem Dei in Christianos amor appareat quorum *nomina scripta sunt in caelis*. & in terra eorum *capilli capitis omnes numerati sunt*.

HEBRAEI singulis annis didrachma soluebant.

Lucae 10. ℣. 20.

Luc. 12. ℣. 7.

CENSVS cuinam die fieret.

Hic obiter est adnotandum hunc tam insignem, & annuum Hebraici populi censum stato etiamdie fieri consueuisse, vt huius loci expositores aliqui recte sentiunt: nimirum in festo Expiationis, idque ex eo duxisse videtur originem, quod in ipsa lege, vbi nos habemus, *dabunt singuli precium pro animabus suis*: in Hebraeo habetur, dabunt expiationem animae suae. Qui dies Expiationis erat mense septimo, prima die mensis, eratque dies ille Expiationis celeberrimus vt patet ex ea lege, quam Deus pro hac die tulit in libro Leuitici, vbi maxima celebritate, ac caeremonijs dies ille ducebatur.

Matt. 17. ℣. 24.

Ioan. 4 ℣. 9.

Iam vero in morem fuisse soluendi singulis annis sacrum hoc tributum, ex eo colligi videtur quod veniente Christo Domino cum suis in *Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma?* hoc est, vt bene exposuit noster Maldonatus, non solet soluere. Est enim verbum non actionem, sed consuetudinem significans, qualia in Scriptura multa notantur. Vnum satis erit exemplum Ioannis. *non enim*, inquit, *coutuntur Iudaei Samaritanis*: id est, couti non solent. Quibus respondet, vel inconsulto Domino Petrus, *etiam*. quasi dicat, imo vero consueuit soluere. Cuius responsum verum esse confirmauit Dominus edito etiam miraculo, vt tributum solueret, de quare nos alias. Sed quid inquies causae est, cur Euangelistae huius tantum anni solutionem retulere, reliquorum annorum nullam? An quia, vt auctor est maximus Euangelista Ioannes, *non omnia, quae fecit Iesus scripta sunt*? an quia satis, superque id ipso huius Euangelistae contextu indicari arbitrati sunt, Christum Dominum à tributi solutione nunquam desijsse? cum praesertim eadem vitandi scandali ratio Christum Dominum ad soluendum hac vice tributum impulit, alijs annis ad idem impulisset. Id quod ab omnibus quoque religiosis Hebraeis praestitum fuisse dubitandum non est: cum testem habeamus non Iosephum modo, qui soluerit, sed & Titum Romanum Imperatorem, qui & soluere permiserit, & aliquando in Capitolium transtulerit. Qui cum apud eumdem Iosephum ingratitudinem Hebraeorum improperaret, haec ait. Quodque maximum est, tributum capere Dei nomine, ac donaria colligere permisimus, eaque offerentes neque monuimus, neque prohibuimus, vt hostes nobis efficeremini ditiores, nostraque pecunia vos contra nos instrueretis. De quo item tributo Iosephus. Iudaei, inquit, freti locorum natura, sacrum didrachma, quod Deo ex more solent offerre, ceteramque vot[i]uam pecuniam in his vrbibus, Neerda scilicet, & Nisibi, tanquam communi aerario, vnde suo tempore transmitterent Hierosolyma, reponebant. & alibi de eodem Tito loquens, post Hierosolymitanum excidium. stipendium vero, inquit, vbicumque degerent, Iudaeis indixit, binasque didrachmas singulis annis deferre in Capitolium iussit, ita vt ante hac Hierosolymarum templo pendebant. Quod ijsdem pene verbis confirmat Xiphilinus. Itaque Titum nullum Iudaeis nouum tributum ea lege videtur imposuisse, sed tantummodo Hebraei illud idem, quod prius vero, aeternoque numini alacriter, & ingenue persoluebant pro conseruata a Deo in singula quaeque momenta vita: posteaquam Dei filio vitae auctori vitam per summum nefas eripuerunt, non Deo Optimo parenti, sed

Tom. 3. App. par. 2. lib. 2. cap. 32.

Ioan. 21. ℣. 25.

Ioseph lib. 2. bell. cap. 13.

Ioseph lib. 7. excid. c. 26.

Xiphilinus in Vespasiano.

TITVS Hebraeis nouum non imposuit tributum didrachma, sed translulit.

Daemonijs, sed falsis Dijs, sed iniquissimis Tyrannis, à quibus vita, libertate, omnique bono erant expoliati, infamis tributi, ac durae seruitutis nomine persoluere coacti sunt.

DIDRACHma soluebant Deo annuatim vbicunque essent Hebraei toto orbe.

Nemo autem putet Hebraeos dumtaxat qui vnam Palaestinam incolerent templo Hierosolymitano annuum didrachma soluisse: ceteros autem, qui extra terrae promissionis fines toto terrarum orbe sparsim degerent, fuisse ab hac tributi lege solutos. Nam praeterquam quod lex illa non vrbes, & agros, qui stati, ac fixi sunt (super hos enim leges decimarum, ac primitiarum erant), sed capita hominum, quae vbicunque sint, tributo capitis obligari possunt: aperte colligitur ex ea lege, quam diximus, Vespasiani. nam vbicumque degerent Iudaei didrachma Capitolio soluere coacti sunt, quod prius Templo soluebant. Idque confirmatur ex eo, quod tributum hoc sacrum erat, non profanum, quod religioni vertissent Hebraei, alioqui pij, ac liberales, non soluere. Haec gens inquit Philo de suis agens, Sacerdotibus debitam pecuniam libens, gaudensque deponit, quasi non daret, sed acciperet; addens faustas acclamationes, & gratiarum actiones populariter, atque quotannis: & paulo post alacritate spontanea, quanta nullis verbis exprimi potest. Sed multo clarius id confirmatur exemplo, & vsu soluendi Deo primitias. Nam vbicumque essent Hebraei decimas, & primitias Sacerdotibus soluebant, nullis parcentes sumptibus, nullis periculis. testatur id apud Philonem Petronius Iudeae Praeses comperrum habebat, inquit, quod singulis annis sacra pecunia mittaretur inde, hoc est, ex Transeuphratensibus copijs, & Babylone, & multis alijs Satrapijs, quae a Iudaeis tenebantur, vt paulo ante dixerat, in templum primitiarum nomine, quamquam per vias difficiles, & asperas, quae tamen illis regiae viderentur, ad pietatem recta properantibus. Et de Romanis Iudaeis loquens idem Philo: sinebat eos, nimirum Caesar, collectas primitiarum nomine mittere Hierosolyma, & post multa de pietate Augusti Caesaris erga templum Hierosolymitanum agens: cognitum, inquit, quod negligerentur sacrae primitiae, per literas mandauit prouinciarum Asiae procuratoribus, vt sinerent Iudaeos solos in Synagogis caetus facere, & paulo post: primitias vero quotannis conferri, vnde fiant sacrificia: missa in hoc sacra legatione ad templum Hierosolymitanum, edicit, ne quis se impedimento Iudaeis caetus, collectasque facientibus, aut Hierosolyma eas mittentibus more patrio. Et de literis eiusdem Augusti agens, deinde subdit: Flaccus Proconsul Ephesiorum Magistratibus salutem. Caesar mihi scripsit Iudaeos vbicumque sint, antiquo more suo caetus facere, conferreque pecunias, quas mittant Hierosolymam, hoc nunc vult vetari. & alibi etiam saepe.

HEBRAEOrum liberalitas in Deum. Philo de Sacerdot.

LIBERALItas Hebraeorum in primitijs, & decimis Deo soluendis. Philo legat. ad Caium.

Ibidem.

VBICVNque essent Hebraei primitias, & decimas Deo soluebant. Ibidem.

Itaque si vbiuis terrarum essent Hebraei didrachma Templo soluebant, cum hi vbique fuerint, vt paulo post probabimus, tota scilicet Europa, tota Asia, tota Africa, & in earum quibuslibet vrbibus, oppidis, villis: Examinandum diligentius est, quanta nam pecunia singulis annis aerario Diuino potuerit inferri, tum ex Palaestina, tum ex alijs toto orbe diffusis Hebraeis. Quae res cognita in eam sententiam lectorem inducet, vt meridiana luce clarius videat, pecuniam ex ea Capitationis lege collectam Dauidis opes Deo legatas aequare facillime potuisse. Duo igitur sunt in examen adducenda: Primum est, quantus esse potuit Hebraeorum virorum numerus à viginti annis, &

nis, & supra, vsque ad quinquagesimum aetatis annum in toto Israelitico regno: Alterum est, quantus nam esse potuit eorumdem numerus, qui erant in reliquo terrarum orbis tractu. At quoniam haec paulo longiorem disputationem requirunt, sequentibus capitibus absoluemus.

QVANTVSNAM ESSE POTVIT ISRAELITICO *tractu Hebraeorum numerus circa centesimum annum Exodi.*

Cap. LVII.

PRIMO quidem statuendum est Dauidis, ac Salomonis aeuo, quo aeuo nullum experti sunt Hebraei seruitutis iugum, aut aduersae fortunae casum; imo potius vel victoriarum praedis, vel pacis ocio fruerentur, Eam gentem in immensum creuisse, ita vt fuerint *Iudas, & Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine*. Vnde non immerito Salomon sub initium Principatus sui cum Deo Optimo Maximo religiose loquens, de se dixit: *Seruus tuus in medio est populi, quem elegisti populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest prae multitudine*. & paulo post: *quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum*. & in Paralipomenis: *tu enim me fecisti Regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, sicut puluis terrae*. Ad quam multitudinem clarius exponendam, & distinctius agnoscendam, facere potest id, quod de Iosaphati aeuo legimus: quando certum est, Hebraeos non magis, quam Dauidis, ac Salomonis aetate floruisse; qui Iosaphatum centum circiter annis praecessit. Hoc igitur aeuo erant in vna Hierosolyma vndecies centena sexagena millia virorum bellatorum, vt alias ostensum est, *exceptis alijs, quos posuerat Rex in vrbibus muratis in vniuerso Iuda*. Ecce iam vnius vrbis viri bellatores a vigesimo vsque ad quinquagesimum aetatis annum: quantus item populus in ceteris eiusdem Hierosolymae oppidis, villis, agris? quantus in reliqua Tribu Iudae? Cuius ingentes, & innumeras vrbes, oppida, & villas fuisse mox probabitur: quod Philo etiam notauit de decimis Sacerdotibus solutis agens: quanta vero, inquit, hinc prouenerat copia, licet ex numerosissimae gentis frequentia coniecturam facere. Et ne videamur semper auctoritate Hebraeorum scriptorum res nostras confirmare, Xiphilinus audiendus est, qui dum de Hebraea gente loquitur, Haec gens inquit, à Romanis saepe numero imminuta, ita tamen creuit, vt legem sua libertate vicerit.

Sed vt ad rem accedamus, hac fortasse via Hebraeorum bellatorum Palaestinae fines incolentium numerus innotescet. Duodecim erant Principes à Salomone toti Israeli in partes aequas diuiso praefecti: quorum vnus *sexaginta ciuitatibus magnis, atque muratis* praefuit, vt sacrae literae testantur. Neque ea Iudaeae pars ceteris nobilior, aut agri pinguedine, & soli vbertate, aut populi frequentia. Haec autem pars Galaad dicebatur; in quarum ciuitatum numero non includuntur innumera pene oppida, vici, villulae. Harum ciuitatum mentio fit etiam in Paralipomenis, vbi cum de Segub filio Hesron, sacer Textus loqueretur: *possedit*, inquit, *viginti tres ciuitates in terra Galaad, ceperitque Iessur, & Aaron oppida Iair, & Canatht, & viculos eius, sexaginta ciuitatum*. Oppidorum vero, & viculorum multitudo in terra Israel tanta erat, vt de vna Galilaea Iosephus loquens haec dixerit: Regiones totae optimae, ac fertiles sunt, omniumque generum arboribus consitae, vt etiam minime agriculturae studiosos vbertate sua prouocent: deinde excultae sunt ab Incolis totae, nec pars vlla est earum ociosa, quin & ciuitates ibi crebrae sunt, & vbique multitudo vicorum propter opulentiam populosa, vt qui sit minimus, supra quindecim millia colonorum habeat.

Quibus positis sic argumentari possumus, minimus vicus quindecim millia colonorum habebat, quaeso vos, quotnam habuisse potuit mediocris? nonne viginti millia? quot maximus? num minus quam triginta? atqui vrbs mediocris, nonne quadraginta? quid si magnae vrbi demus colonorum quinquaginta millia? Sed hac omni ratiocinatione praetermissa, ponamus vrbes Galaad, quas sacer Textus magnas appellat, duplo tantum maiores fuisse quolibet vico paulo maiori minimo, qui nimirum non plures habeat, quam sexdecim colonorum millia, nec plures, quam quatuor vicos, eosque minimos ad quamlibet magnarum vrbium attribuamus: erunt igitur in qualibet vrbe magna, atque murata nonaginta duo virorum millia: hos per sexaginta ciuitates magnas multiplices, efficies in qualibet duodena Praefectura quinquagies quinquies centena viginti millia. Eam Colonorum summam si per duodecim Praefecturas multiplicaueris, efficies in toto Israele, Hebraeorum virorum sexcenties sexagies bis centena quadraginta millia.

Vlterius alia etiam via Hebraeorum numerum rimari possumus. In vna Hierosolyma, quam longe clarissimam vrbium Orientis, non Iudaeae tantum Plinius appellat, testantur sacrae literae fuisse Iosaphati Regis aetate vndecies centena sexagena millia bellatorum, *exceptis alijs, quos posuerat in vrbibus muratis, & in vniuerso Iuda*. Quid igitur censendum est de reliquis vrbibus, vicis, ac villis eiusdem Tribus? cuius Tribus vrbes liber Iosue sigillatim recensens, ait fuisse centum quindecim, praeter vicos, villas, & villulas earum, quarum vrbium plurimae, sedes fuerant prius Regum, quos Iosue vicerat, ac deleuerat. Ab hoc ergo numero non longe absunt sortes ceterarum Tribuum. nam Iosue viros gnaros miserat, qui terras, vrbes, & agros diligenter aestimarent, diuiderentque in nouem partes, quibus diuisis, sorte obtigit Tribui Iudae ea, quam diximus, vrbium multitudo. Argumento igitur est, ceteras item partes, licet fortasse vrbium numero minores, magnitudine tamen vrbium eiusmodi fuisse, vt occasionem non dederint ceteris Tribubus accusandi Iosue, quod minus iuste, & aeque singulorum necessitati consuluisset. Nos vero omni fere proportione praetermissa, quod à nullo cordato

Margin notes and section letters (left column): A; 3. Reg. 4. ℣. 20.; HEBRAEI innumeri tempore Salomonis; 3. Reg. 3. ℣. 8.; Ibid. cap. 10. ℣. 18.; 2. Paral. 1. ℣. 10.; HEBRAEORUM numerus Iosaphati tempore; 2. Par. 17. ℣. 15.; Tom. 3. Appar. part. 2. lib. 2.; Ibid. ℣. 19.; Philo lib. de praemijs Sacerdot.; Xiphil. in Pomp.

Margin notes and section letters (right column): 3. Reg. 4. ℣. 13.; IN GALAAD erant ciuitates magnae 60; 1. Paral. 2. ℣. 22.; B; GALILAEAE fertilitas.; IN GALILaea quilibet vicus supra 15000 colonorum habebat.; C; IN DVOdena qualibet portione virorum 5520000.; D; TOTVS ISrael virorum 66240000.; Plin. lib. 5. c. 14.; 2. Paral. 17. ℣. 19.; IN TRIBV Iuda vrbes 116 praeter vicos, & villas.; E; TRIBVS omnes aequales.

HIEROSOlyma quinta pars totius Tribus Iudae.

IN TOTO Israel virorum 6600000.

viro negari potest, statuamus Hierosolymam quintam fere totius Tribus Iudae partem aluisse: ita vt in vniuerso Iuda computentur virorum quinquagies quinquies centena millia, eos per duodecim Tribus multiplices, & reperies in vniuerso Israele fuisse virorum sexagies sexies centena millia.

DVARVM Tribuum reduces Hebraei ex Babylonia 4628000.

Iosepb lib. 11. Antiq. c. 4.

EX BABYlonia egressi 5553600.

Postremo, alia etiam via Hebraeorum numerum qui in Palaestina erat, inuestigabis. auctor est Iosephus, dum de reduce populo ex Babyloniae captiuitate loqueretur: fuisse pubertatem egressorum quater mille millia & sexcenta viginti octo millia, seu vt in Graeco est, quadringentas sexaginta duas myriadas, dumtaxat ex vna Tribu Iuda, & Beniamitica, sub Zorobabel Duce: excepta item reliqua multitudine: hic enim numerus erat tantum pubertatis. neque ea pubertas tota erat: nam certus numerus, inquit Iosephus, e singulis cognationibus electus proficiscebatur, quos Duces Hierosolymitanae profectionis ex sua quisque Tribu elegerunt, comparatis iumentis, quae vxores, ac liberos veherent. Quibus verbis, probatur etiam reliquos fuisse quamplurimos, qui didrachma soluerent; eos tamen ponamus quintam huius militiae partem non excessisse; erunt igitur qui proficiscebantur quinquagies quinquies centena quinquaginta tria millia sexcenti. Et paulo post: prosequente per lusum, & laetitiam reliqua Iudaeorum multitudine. Certe singula verba essent ponderanda. Si tantus numerus eorum, qui e pubertate selectus est, in aliena terra, inter hostes nutritus, qui neque totus erat, quanta reliqua virorum item multitudo? Adde neque totum vtriusque Tribus populum in Babylonem profectum prius fuisse, multi enim in Iudaea remanserant, vt sacrae literae testantur? Deinde non modo vniuersus captiuorum populus ex Babylone non discessit: verum vna tantum eorum pars. Testatur id disertis quidem verbis Iosephus: atque in hunc modum, inquit, Sacerdotes, & Leuitae, & pars quaedam populi Iudaeorum, qui tum apud Babylonem erat ad habitanda Hierosolyma sunt deducti. Quanta autem horum multitudo in Babylonia remansit, ex eo deduci potest, quod Philo de illis loquitur: ait enim maiorem Babyloniae partem ab Iudaeis habitari, vnde iure Petronius Iudaeae Praeses Transeuphratenses copias timebat: igitur si pars vna Babylone egressa est, altera pars nonne est saltem huic aequalis? erunt igitur duarum Tribuum ex ijs, qui egressi sunt, & qui in Babylonia remanserunt centies vndecies centena quadraginta septem millia ducenti, qui didrachma soluere potuerint. Atqui decem alias Tribus eadem proportione numeratas, multiplicato nimirum duarum Tribuum numero per senarium, si ijs addas, efficies vniuersi Hebraeorum populi viros sexcenties octies sexagies sexcenta octoginta tria millia ducentos. Quid si huic numero recenseremus illos, qui ex Iudaea in Babyloniam captiuitatem profecti non sunt, sed colendis agris remanserunt, quorum maximam item fuisse multitudinem, ipsa ratio docet: tot enim vrbes, tot oppida, tot villas, tot agros, pauci certe habitasse, & coluisse non potueruut.

EX BABYlone non omnes discesserunt. Ioseph. 13. cap. 3.

MAIOR Babylonis pars a Iudaeis colebatur.

DVARVM Tribuum viri 11114700.

HEBRAEOrum populus 66883200.

Neminem autem qui in sacris literis vel mediocriter versatus sit, obijcere nobis posse reor, frustra nos duodecim Tribuum numerum collegisse, cum vndecim tantum fuerint, quippe cum Tribus Leui numerari non potuerit, lege Diuina id prohibente, vt paulo ante vidimus. Certum est enim sublata de medio Israel tribu Le-

Iosue 13. ℣ 31.

A ui, Ephraim in illius locum subintrasse, eodem Deo iubente. Nam Ioseph tribus, in duas item tribus diuisa est. Iacob enim sub finem mortis eius vocatis ad se Iosepho filio suo, & Ephraim, ac Manasse nepotibus, haec ait. *Duo filij tui qui nati sunt tibi in Terra Aegypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi.* Et in diuisione, terra Chanaan nouem Tribubus, & dimidiae tribui diuisa est, *duabus enim Tribubus & alteri dimidiae dederat Moyses trans Iordanem possessionem absque Leuitis, qui nihil terrae acceperunt inter fratres suos, sed in eorum successerunt locum filij Ioseph in duas diuisi Tribus, Manasse, & Ephraim.*

IN LOCVM Leui subintrauit Ephraim. Genes 48. ℣.5.

Iosue 14 ℣. 3. 4.

B Neque propterea putandum ob hanc vnius tribus factam diuisionem, alterutram dimidiam tribum minorem numero fuisse, quam ceteras. Nam aequalis sors in diuisione Terrae sanctae, & a Deo Israelitis promissae, ostendit eas non minores fuisse, quam ceteras. Tanta praeterea erat Ephrataeorum multitudo, vt vno tempore ciuili bello ad quadraginta millia eorum ab Galaaditis interficerentur, Deinde tum dimidia tribus Manasse, tum Ephraim viginti quatuor bellatorum millia stato mense in Ierusalem ad Regem Dauidem mittebat, quot scilicet ceterae Tribus mittere solerent. Rectius tamen id probari potest ex ea ciuitatum assignatione, quae Leuitis facta est.

DIMIDIAE Tribus alijs non minores numero. Iudic. 12. ℣.6.

C Cum enim Numerorum libro Deus his sane verbis legem tulisset: *ipsaeque vrbes dabuntur de possessionibus filiorum Israel. Ab his qui plus habent, plus auferentur, & qui minus, pauciores, singuli iuxta mensuram hereditatis suae dabunt oppida Leuitis.* Videri potest quae nam Tribus plures, quae pauciores vrbes habuerit. *Dederuntque filij Israel*, inquit liber Iosue: *de possessionibus suis iuxta imperium Domini, ciuitates, & suburbana earum.* & paulo post assignatae sunt vrbes quadraginta octo cum suburbanis suis ex decem Tribubus, & dimidia Tribu Manasse, & dimidia item Tribu Ephraim. Ita qua assignatione duae Tribus Iuda scilicet, & Simeon dederunt vrbes nouem. Ne-

Numer. 34. ℣ 8.

Iosue 21. ℣.3.

D phthali tres, reliquae Tribus septem dederunt, singulae vrbes quatuor, totidem dimidia Tribus Manasse, & totidem similiter dimidia Tribus Ephraim. Itaque vtraque dimidia Tribus non modo nulli fuit inferior, excepta fortasse Tribu Iudae, quae quinque vrbes dedit, verum etiam maior Tribu Nephthali: & tamen Tribus Nephthali virorum numero maior erat Tribu Ruben, Gad, Beniamin, & Aser. Imo vero Tribus Ephraim numero item virorum maior erat Tribu Beniamin. vt patet in libro Numerorum. Quid plura? sexcentis argumentis probarem, si res probationem pereret, & temporis angustiae non obstarent.

Num. 1. ℣. per totum.

E Verum cum haec omnia eum ad finem adducta fuisse videantur, vt probent infinitam hanc Hebraeorum multitudinem census Capitis obligaram breuissimo annorum spatio mille millia talentorum argenti soluere facillime potuisse: Antequam eo deueniamus soluenda est non leuis illa difficultas, quae alicui fortasse insolubilis omnino videri posset. quonam anno ab egressu filiorum Israel ex Aegypto ad eum, quem dixi, numerum accessisse potuerit Hebraeorum gens? cum constet egressos inde fuisse eos, qui didrachma soluere potuerint, non plures, quam sexcenta tria millia quingentos quinquaginta.

HEBRAEI Palaestini breui potuerunt opes Dauidis Deo soluisse.

Cui difficultati iactis quibusdam quasi fundamen-

damentis facili negotio respondemus. Ponamus A igitur in primis, quod à nemine, vt reor, negari potest, non pauciores promissam à Deo Terram ingressos esse, quàm ex Aegypto egressi sunt.

Num. 32. ℣.12.

Hi enim omnes, qui à viginti annis, & supra egressi sunt, in deserto cesserunt è viuis, praeter Iosue, & Caleb, reliqui non irem.

CVR HEbraei faecundissimi fuerint. *Philo lib. de Sacerdot.*

Constat praeterea Hebraeorum gentem faecundissimam praesertim virorum numero fuisse: tum quod Hebraeis caelibatus vsus non erat: tum quod vxorum à Deo permissa pluralitas, multorum etiam filiorum ingens seminarium erat. Tum maxime quod Deus id aliquando pollicitus Abrahamo Hebraeorum parenti fuerat: *multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur prae mul-* B *titudine*: & alibi · *faciam te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur*: & alibi cum eodem Abrahamo loquens: *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas caeli, & velut arenam, quae est in littore maris.*

Genes. 16. ℣. 10. Ibid. 17. ℣.6. Ibid. 22. ℣.17.

Age nunc ponatur ea gens non in aliena terra Aegypti, sed in Terra promissionis lacte, & melle manante, non iugo seruitutis oppressa, sed multorum regnorum dominio praestans; non inclusa iam intra paucula quaedam oppida Aegypti, sed in latissimis regionibus Chananaeorum, non laterum conficiendorum labore per summam angustiam defatigata, sed plurimis hostium victorijs, & praedis opulenta, non mutilata saepius, C ac diminuta omnium pene filiorum internecione, sed potius ex multarum vxorum felici, laetoque coniugio tenellos pueros delicatissime nutriens. Quantum gens illa alioqui faecunda augeri potuisse credenda est? Sane qui daret cuilibet Hebraeorum ex innumeris vxoribus filios non plusquam decem genuisse, multo pauciores daret, quam par esset Testis est *Abdon filius Illel Pharathonites, qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum.* Testis Ierobaal filius Ioas, *qui habuit septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius.* Nos vero more nostro hac in re minimo contenti, non quidem decem, sed tres dumtaxat superstites filios vnicuique Hebraeorum dabimus · cum plurimi eorum multo plures, quam tres genuisse credantur, pauciores vero fere nul- D lus credendus sit.

Iud. 12. ℣. 13.

MODVS INuestigandi numerum virorum Hebraeorum.

Atque eadem ratione quatuor tantum generationum progressiones computabimus, in quarum prima vir vnus tres habeat filios, quibus in secunda generatione nouem nepotes supersint, ijs in tertia item generatione viginti septem pronepotes, quibus demum in quarta vnus & octoginta abnepotes: quibus supeuixisse dubium non est, saltem parentes, vt ex vno in quatuor huiusmodi generationibus extare potuerint viri superstites centum octo.

Harum autem generationum tempus integrum sit vnicuique quodcumque praescribere. E Nobis enim satis rationi consentaneum videtur id, quod ex Hieremia alias probatum est, generationem quamlibet fuisse annorum quatuordecim atque adeo intra duos, & quadraginta annos superstites esse potuerunt ij, quos dixi, parentes, & filij centum octo.

GENERAtionis vnius tempus. Intra 42. annos superstites Hebraei parentes & filij 108.

Quod si filijs adhuc demus annos viginti, vt didrachma soluere teneantur, intra annos duos & sexaginta essent, qui sacrum tributum soluerent, filij vnus & octoginta, quorum quilibet sit aetatis annorum viginti, horum vero parentes, viginti septem, aetatis item annorum A triginta quatuor omnes vero sint centum octo.

Quod si numerum praedictum multiplicaueris per eum numerum, quem dixi, virorum, qui ingressi sunt promissionis Terram, erunt omnes sexcenties quinquagies, & vnum millie octoginta tria millia quadringenti. Qui numerus videris quam bene confirmat eum Hebraeorum numerum quem supra alijs item vijs rimati sumus.

HEBRAEOrum numerus 65183400.

Itaque sexagesimo secundo anno ingressus filiorum Israel in Palaestinam, nimirum centesimo secundo ab egressu ex Aegypto tot fuisse potuerunt viri, quos dixi, qui didrachma soluerint. Supersunt autem vsque ad Templum aedificatum anni trecenti septuaginta octo, qui quatuor ab his de- B tractis finem dabunt vitae Dauidis.

CENTESIMO secundo anno ab egressu ex Aegypto Hebraei 65183400.

Iam vero si sexcenta hominum millia dederunt vt dixi centum argenti talenta, praedictus Hebraeorum numerus dabit singulis annis decem millia octingenta sexaginta tria talenta, atque adeo centum ipsis primis subsequentibus annis solui potuerunt talenta millie millia octoginta sex millia trecenta. vt hac ratione probatum sit ducentesimo septuagesimo quarto anno ante obitum Dauidis ex Capitatione colligi potuisse argenti talenta à Dauide Deo legata, & eo amplius, vt reliqua vna cum ceterorum annorum supputatione in sartis tectis, & alijs rebus ad Tabernaculi ministerium necessarijs expensa fuisse C facile credantur.

Intra 100 annos lege Capitationis soluta Deo talenta argenti 1086300.

Nostras hasce ratiocinationes vniuersas non deerit fortasse, qui huiusmodi argumento conetur infirmare: si creuisse tantum credatur Hebraeorum numerus ab ingressu eorumdem in promissam à Deo Terram lac, & mel manantem vsque ad ducentesimum septuagesimum annum ante Dauidis tempora: Potuit igitur Hebraeorum numerus eadem ratione supputatus ita creuisse, vt Dauidis aetate superstites Hebraeos vix totus terrarum orbis capere potuerit, ne dum angustissimi illi Hebraeorum fines. Sed animaduertendum est, quod experientia ipsa compertum facit: non plus hominum in singulis quibusque regionibus ex multis, qui nascuntur, superstites esse, ac virilem aetatem attingere, quam quot terra ipsa eorundem hominum diligentia, D ac labore culta, ac caeli clementia faecundata, alere possit: tametsi plures multo nascantur. reliqui enim quos terra non alit, vel finibus egressi aliunde sibi victum quaeritant, vel si intra maternos terrae fines commorantur, fame, quam fere semper consequitur pestis, pereunt Praeter eos, quos bella, vel alia multa naturae incommoda, de medio tollunt. Itaque mirum non est, si Hebraeorum multitudo in infinitum non creuerit, sed saepe propter eorum scelera à Deo, vel fame, vel pestilentia, vel hostium gladijs perierit. Nam qui huiusmodi incommoda euaserunt, fines E Palaestinae deserentes, totum pene terrarum orbem repleuerunt, vt sequenti capite demonstrabimus.

CVR Hebraei in infinitum non creuerint.

HEBRAEORVM GENTEM FVISSE TOTO *orbe diffusam etiam ante Dauidis tempora.*

Cap. LVIII.

HEBRAEORVM gentem faecunditate mirabili supra reliquas omnes, suis Palaestinae finibus minime contentam, quasi quaedam nouella apum examina toto terrarum orbe diffundi solitam hoc loco probabitur. Ac praeter illa quae diximus alibi de Hierosolymitanae vrbis dignitate loquentes, vbi vrbem illam non solius Terrae sanctae, sed multorum etiam populorum, & gentium caput fuisse demonstrauimus: aliqua hic dicenda sunt, quae & illa confirment, & ad praesens faciant institutum. Et quidem Philo eandem fere materiam pertractans, quam nos prae manibus habemus, haec verba subnectit. Iudaeos vna regio non capit propter hominum multitudinem, quapropter plurimas, ac fortunatissimas vrbes in Europae, Asiaeque prouincijs, ac insulis colunt. & alibi: de Flacci Aegypti Proconsulis tyrannide dum queritur. Nec enim obscurum erat, inquit, quod fama occupatarum Proseucharum apud Alexandriam exorta spargenda esset per omnes Aegypti Praefecturas, inde propaganda ad gentes Orientales, pariterque ab ora maritima, & Mareotide, quod est initium Lybiae vsque Occidentem, & nationes, tractusque illius. Ecce iam Hebraeos tribus orbis terrae portionibus diffusos, vultis eosdem in singulis cuiuslibet portionis regionibus propagatos? Agrippa Rex Caio Romanorum Principi cum scriberet Hierosolymam facit non vnius Iudaicae regionis, sed multarum etiam caput: propter colonias olim inde deductas. vel in finitimam Aegyptum, Syriam, Phoeniciam, Caelesytiam, vel longius in Ciliciam, Pamphiliam, plerasque Asiae partes vsque Bithiniam, & Ponti fines intimos: Pari modo in Europae Thessaliam, Macedoniam, Aetholiam, Atticam, Argos, Corinthum, Peloponnesi partes praecipuas. Neque vero tantum continentis prouinciae colonis Iudaicis plenae erant, verum etiam Insularum celeberrimae, Euboea, Cyprus, Craeta. Imo Transeuphratenses eorum copias maximas fuisse tradit Iudaeae Praeses Petronius. excepta enim parua parte Babylonis, & aliquarum Praefecturarum omnes vrbes, quae bonum agrum habent, à Iudaeis incolebantur: Vnde merito concludit Agrippa Hebraeorum vrbes fuisse plurimas, easque sitas in diuersis orbis tractibus, Europa, Asia, Africa, Iusulares maritimas Mediterraneas.

In apparatu. part lib. 2. c. 22.

HEBRAEI toto orbe diffusi. *Philo in Flaccum.*

HEBRAEI per omnes Aegypti praefecturas. *Philo legat. ad Caium.*

HIEROSOLyma caput multarum regionum.

OMNES vrbes quae bonum agrum habent, Iudaeis plenae.

Et Petronius Iudaeae Praeses prudenti sane consilio ante bellum Iudaicum cogitabat, quam populosa esset haec natio, non vt aliae, comprehensa vnius regionis spatio, sed totum terrarum orbem pene complectens. Diffusa enim erat per continentis prouincias omnes, atque Insulas, vtque erat summae sagacitatis vir, tam multas hostium myriadas in se prouocare non est ausus. Cuius timoris ratio illa erat, ne forte Iudaeis per omnes terras conspirantibus & ad vim arcendam certatim in vnum confluentibus bellum exoriretur Romanis insuperabile. Nam Transeuphratensium Iudaeorum copiae Babylonem, & multas alias Satrapias tenere, non auribus solum, sed oculos compertum habebant Romani: quarum tamen aliquae Satrapiae Romano imperio non parebant.

HEBRAEI diffusi tota Europa, Asia, Africa.

Vidimus Iudaeos non in singulis tantum tribus orbis partibus diffusos, sed in earum etiam omnibus pene regionibus. Ne quis vero putet pauculos quosdam Hebraeos in hisce terrae tractibus habitasse. Compertum est vnam Aegyptum, alioqui innato, auitoque, & peranti quo Iudaeorum odio flagrantem, tot Iudaeorum nihilominus myriadas aluisse, vt sub Caligulae tempora non minus, quam decies centena millia Iudaeorum habitarint Alexandriam, totamque regionem quanta patet a Catabathmo Lybiae vsque ad terminos Aethiopiae. Haec de vna Aegypto. Quid de multis alijs, tum Africae, tum Asiae regionibus ducendum est. In quibus non habitabant solum Hebraei, sed Praefecturas etiam administrabant. Transeamus ad ciuitates. In vna Alexandria constat fuisse quinque vrbis regiones denominatas à primoribus literis, quarum duae dicebantur Iudaicae, quod in illis plurimi Iudaei habitarent: quamuis & in alijs non pauci. Atque Alexandriam populo plenissimam fuisse constat dimensione quindecim milliarium vnde Diodorus eam facit post Romam secundam, in eaque ponit liberorum capitum trecenta millia.

IN VNA Aegypto Caligulae tempore Hebraeorum 1000000

Philo in Flaccum.

Plin. lib. 5. cap. 10 Diodor lib. 2.

ALEXANdriae vrbis magnitudo.

Sed illud è re nostra plurimum facit, quod Philo dicit, tot Hebraeos omnibus vrbibus fuisse diffusos, vt non pauciores essent, quam indigenae. Iudaeorum igitur in vna Alexandrina vrbe ad trecenta millia fuisse, tum vrbis magnitudo demonstrat, tum magnitudinis vrbanae duae partes à Iudaeis occupatae, tum indigenis non pauciores Hebraei.

HEBRAEI Alexandriae 300000.

Haec autem omnia Eleazarus quidam Iudaeorum Dux confirmat apud Iosephum vbi post enumeratas Iudaeorum clades, peremptorum multitudinem in Aegypto sexaginta millia excessisse affirmat: & alibi: De vnius Alexandriae clade Iudaeis illata loquens Iosephus. Sanguine, inquit, totus ille locus redundabat, quinquaginta congesta sunt millia mortuorum. Et ne quis putet nullum omnino Iudaeorum post eam cladem Alexandriae superfuisse. subdit nec tamen reliquiae aliquae remansissent, nisi ad preces se conuertissent: quorum qui superfuerunt numerum post eam cladem innuit Philo, vbi ageretur, inquit, de tam multis Alexandrinorum Iudaeorum millibus.

Ioseph. lib 7. excid c. 28.

IVDAEOrum strages Alexandriae.

Phil. legat. ad Caium.

Multa quidem dicenda forent de Hebraeorum numero in reliquis vrbibus totius orbis. quae tamen breuitatis gratia praetermittimus. Aliqua nihilominus quasi digito solum attingam. Iosephus sub initium belli Iudaici in Syria, Phoenicia, alijsque regionibus seditiones aliquas commemorans: Caesarienses quoque, inquit, Iudaeos apud se habitantes trucidauerunt, ita vt vno tempore supra viginti millia caederentur: & paulo post: eos qui fugerunt comprehensos Florus vinctos in arenam deduxit. Vno verbo Iudaeos Scbytopoli ait occisos fuisse tredecim millia. Ascalone duo millia quingentos, Ptolemaidae duo millia, Damasci decem millia: & iterum, octodecim millia, Cyrene tria millia, in Arabia prope Alexandrium octo millia. Antiocheni,

IVDAEOrum strages in ceteris vrbibus.

tiocheni, Sydonij, Apameni Iudaeos occidere non sunt ausi, quia licet numerosissimae, & populosae essent vrbes, multitudinem tamen Iudaeorum in eis habitantium pertimescebant.

IN OCTO vrbibus Hebraei bello cæsi occisi supra 186400. extra fines Palaestinae.

Ecce iam occisos in octo solum ciuitatibus supra centum octuaginta sex millia quingentos Hebraeos, extra Palaestinae fines: neque aperto marte, sed quibusdam dumtaxat seditionibus impetitos, quotnam superfuisse credendi sunt in eisdem ciuitatibus? Age, quot nam in infinitis Asiae, Europaeque vrbibus, in quibus singulis non pauciores Hebraei, quam incolae erant? certe Philo paruam vnius Babyloniae partem ab incolis habitari dixit, ceteram à Iudaeis, atqui

BABYLONIS libera capita 600000

B Plinius auctor est, Babyloniae liberorum capita sexcenta millia fuisse: si ergo tantus erat incolarum numerus in parua vrbis parte, quantus nam Hebraeorum, cuius pars maior erat?

HEBRAEI Transtyberim bonam partem Vrbis incolebant.

De Iudaeis Romanam vrbem incolentibus Agrippa Rex cum Caio Principe loquens, haec ait. Alioqui non passus fuisset Augustus Transtyberim bonam Vrbis partem teneri à Iudaeis, quorum plerique erant Libertini. Transtyberinam autem regionem maximam fuisse constat ex Plinio, Tacito, & alijs: vt quae pene Ostiam vsque porrigeretur. Vnde Seneca de suo aeuo agens, queritur, Romanam vrbem plenam esse Syris, Graecis, alijsque alienigenis: & Marcus Tullius de suo aeuo etiam agens, centum circiter

M. Tullius orat. pro Flacco.

G annis ante Hierosolymitanum excidium, in Laelium, cum oraret ad Iudices pro Flacco Asiae Praeside, illa verba subnectit. Illa turba quaesita est, scis quanta sit manus, quanta concordia; quantum valeat in concionibus? In cetera item Italia Hebraeos habitasse quam plurimos eiusdem Ciceronis auctoritate probatur. Cum aurum, inquit Iudaeorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus vestris prouincijs Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Auctor est Xiphilinus Tyberij Caesaris iussu Hebraeorum Oratorem natione Gallum in Tyberim fluuium fuisse proiectum, quod orans, Caesaris iram concitasset. Stanislaus Rescius Poloniae Regis in Re-

HEBRAEI tota Italia.

Cicero orat. pro Flacco.

HEBRAEI in Gallia.

Stanislaus Rescius.

D gno Neapolitano Legatus, vir eximiae virtutis, & eloquentiae singularis, narrauit aliquando nobis Neapoli commorantibus inuentum in Polonia sepulchrum antiquissimum, in quo cadauer repertum tantae proceritatis erat, vt in indice alterius manus inuentus annulus armillarum in modum brachium ex nostratibus circumdare facile potuerit. In eodem praeterea sepulcro inuentos quinque argenteos siclos, pondere, forma, inscriptione illis ijsdem similes, quos in nostris commentarijs insculpi curauimus. Hunc annulum, & siclos a Rege Poloniae sibi dono datos, & apud se diligentissime asseruatos, cum in

E Italiam attulisset, nobis ostendit. Ex quibus facile conijcimus Hebraeos olim vsque à florente eorum Republica in amplissima ea regna penetrasse. Id quod Agrippa Rex videtur confirmare, dum facit Hebraeos intimos Ponti sinus penetrasse.

HEBRAEI in Polonia.

Itaque si vnam Aegypti regionem quamquam Iudaeis infensissimam, non minus tamen, quam decies centena Hebraeorum millia habitabant; ecquotnam credendi sunt in reliquis octodecim Persici Regni Praefecturis, Asia nimirum, & Africa? Ecquotnam in Europa? quae Plinio Africa, & Asia multo est vberior soli, agro-

Plin. lib. 3. cap. 1.

A rumque vbertate, & longe terrarum omnium pulcherrima: cuius tanta est magnitudo, vt plerique non tertiam portionem faciant, sed aequam, in duas partes ab amne Tanai ad Gaditanum fretum vniuerso orbe diuiso, saltem vrbium frequentia, & hominum multitudine multo alijs maiorem. Si in vna Alexandria ad trecenta Hebraeorum millia numerabantur, ecquotnam in Asiae vrbibus plusquam quinquagies mille? quibus non pauciores Europae, & Africae vrbes erant. quotnam in infinitis earum vrbium oppidis, vicis, viculis, villis, agris, qui Hebraeis scatebant? cum non modo in ijs vrbibus non minor fuerit Hebraeorum multitudo, quam indigena-

ASIAE VRBIS plusquam 50000.

B rum; verum etiam aliquando multo maior. Babilonia testis est, cuius paruam partem Babylonij tenebant, ceteram Iudaei.

IN TOTO orbe non pauciores Hebraei, quam in Palaestina.

Igitur prudenti sane coniectura ex his quae dicta sunt censendum videtur, non plures fuisse Hebraeos, qui Israelitici populi fines incolerent, quam qui in toto reliquo orbis terrarum tractu. quod obiectio sub finem praecedentis capitis proposita plane demonstrat promissam nimirum Hebraeis a Deo regionem, quoddam quasi totius orbis seminarium fuisse, ex quo multa eorum millia in omnes terrae plagas diffunderentur. quae res diuino etiam consilio non caruit. Tunc enim Hebraei veram, synceramque Dei fi-

CVR VOLUIT Deus Hebraeos toto orbe diffundi.

G dem, atque religionem seruabant, & docebant: erant enim Dei haereditas, populus electus, ceterae vero gentes vniuersae longissime à vera fide non errabant solum, verum etiam per auia quaeque, & praerupta Gentilitatis praecipitia festinantes, & nefarias superstitiones, rerumque diuinarum ignorantiam sectantes, obscurissimis Idololatriae tenebris obuolutae praecipiti cursu, lapsuque corruebant. Quare diuinae pietati consonum visum est Hebraeos per tres terrarum orbis partes vniuersas, imo in omnes trium partium regiones, regionum vrbes, vrbium oppida, oppidorum villas, & agros, quasi bonum quoddam semen spargere, ac disseminare: & veluti fermentum, quod totam Gentilium massam corrumperet, vt conficeretur panis diuinae men-

HEBRAEI ante Christum, tanquam bonum semen toto orbe dispersi.

D sae apponendus. Quod si nihilominus fructum ab eis, vel nullum, vel minimum reportatum est, hoc ipsum Gentibus in magno Iudicij die improperandum est: quo die ignorantias suas excusare non poterunt. Verum enim *cum agnouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.*

Ad Roman. 1. V. 21.

In cuius rei confirmationem facit id, quod Gabriel Archangelus Danieli reuelauit. *Princeps autem Regni Persarum*, inquit, *restitit mihi viginti & vno diebus & ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.*

Daniel. 10. V. 13.

E Vbi noster Pererius hac in re, vt in ceteris, nunquam satis pro dignitate laudatus sanctorum Patrum auctoritate fretus, ita allegata verba interpretatur: quia inquit, Persae Iudaeorum institutis, consilijs, & consuetudine plurimi ab impietate ad veri Dei agnitionem, cultumque conuertebantur, aequum fuit, dignumque Dei bonitate, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, etiam Persarum saluti consulere. & quoniam plurimos Iudaeorum captiuitate liberatos in Iudaeam reduxerat, reliquos, qui remanserant apud Persas, ad eorum vtilitatem, atque conuersionem retinere:

Perer. in Daniel. 10. lib. 10.

atque

atque haec quidem erat Principis Regni Persarum dimicatio cum Gabriele, & hunc in finem liberationi omnium Iudaeorum resistebat. Haec ille.

Sed vt ad institutum redeamus, ex assignato externorum Hebraeorum numero tantumdem quotannis Deo sancti Tributi nomine persolutum fuisse credendum est, quantum ex Hebraeis Terrae sanctae fines incolentibus. Itaque si hos illis adiungas, dimidiato tantum tempore, annis scilicet quinquaginta, vniuersas Dauidis opes Hebraei, qui in toto terrarum orbe erant, aggregasse facile potuerunt.

Duplex tamen superesse videtur examinanda difficultas: altera est, an etiam ante Dauidis, & Salomonis tempora alienas Hebraei regiones incoluerint? Altera est: esto ex ea aetate toto orbe diffusi fuerint, an nihilominus sacrum tributum Deo persoluerint? Vtramque difficultatem optimi testis loco peruetustus lapis, si illum producam, facile dissoluet. Saguntum vrbs est in Regno Valentiae citerioris Hispaniae antiquissima: quae regio quantum a Palaestinae finibus distet, nemo non videt. In ea, quae etiam ante Salomonem sapientissimum Regem floruisse videtur, Anno à Christi Domini natali Millesimo quadringentesimo octogesimo tumulus quidam lapideus inuentus est, non longe ab arcis Saguntinae porta, in quo Adoniramus Salomonis Regis Legatus ibi cum occubuisset, olim fuerat tumulo mandatus. In huius ergo Epitaphij inscriptione ea verba Hebraicis characteribus insculpta legebantur.

SAGVNTINae vrbis antiquitas.

SAGVNTIAE monumentum.

זהואקבר אדונירם עבד המלך השלמן שבא לגבת את המס ונפטר יום

Quae Latine sic verti possunt. Hic est tumulus Adoniram famuli Regis Salomonis, qui venit vt exigeret tributum, & mortuus est die. qui dies cum lapis ille vetustatis iniuria non nihil perfractus esset, haberi minime potuit. Equidem Adonirami expressam mentionem facit liber Regum: qui relatis ceteris Principibus, quos Salomon super exercitum, aliaque Regis munia obeunda constituerat: *& Adoniram*, inquit, *filius Abda super tributa*. & alibi, cum de Templi fabrica sermo fieret: *elegitque Rex Salomon*, inquit, *operarios de omni Israel, & erat indictio triginta millia virorum*. & paulo post: *& Adoniram erat super huiuscemodi indictione*. Iam si exigendis sacris tributis primus Salomonis Princeps super tributis constitutus, mittitur in Hispaniam, magna profecto debuit esse tributorum summa, magnus Hebraeorum numerus in vastissimis totius Europae prouincijs diffusus.

3. Reg. 4. ℣. 6.

ADONIRAM seruus Salomonis Tributorum Princeps in Hispania.

Ibidem. 5. ℣. 13. & 14.

Nos certe adhibita summa diligentia, & certis hominibus Societatis nostrae non mediocris auctoritatis, atque eruditionis, qui in eadem Saguntina vrbe essent, re commissa, eum lapidem perquiri curauimus. Et tamen quod non sine sensu possum affirmare: nusquam lapis repertus est. Tametsi ibi sepulcrum illud aliquando fuisse negari non possit: tum quia id expresse affirmat Illustrissimus Franciscus Gonzaga Mantuanus Episcopus in eo libro, quem de origine Franciscanae Religionis, cuius tunc temporis Generalis erat, inscripsit, qui quantae auctoritatis sit, probatione non eget, tum quia Saguntini ciues lapidem quemdam ostendunt prope eiusdem arcis portam, quem fama est illum eumdem esse, quem retulimus. vnde cum appellant lapidem Collectoris Salomonis: qui tametsi idem omnino non sit, ostendit nihilominus famam, ac rumorem prioris lapidis veram esse. Hebraici characteres in hoc lapide illi sunt.

Franciscus Gonzaga de origin. Franciscanae Relig. 3. par.

שארן נבת פקור מרת לשרו קהו יהוה . . . .
ותהדה עד מלך אמצ ח . . . .

qui a supradictis plurimum distant: & ita possumus interpretari, vt prima litera ש dicat שאול seaul, sepulcrum, dictiones duae, quae sequuntur, sint defuncti nomen, & praenomen, vt dicat sepulcrum אורן oran, נבת nabath, פקור pecud, praefecti, מרת merah, qui rebellauit לשרו lesio, principi suo קהו יהוה checho adonai, tulit eum Dominus; in sequenti autem linea haec item erant, ותהדה vehadah, & gloria eius עד מלך gad melech, vsque ad Regem אמצ ח amatsiah, Amasiam.

Verum ex eo confirmantur haec omnia, quod in eiusdem Saguntinae vrbis manuscripto codice quodam per antiquo legitur, folio enim centesimo quarto illa verba reperiuntur. Apud Saguntum in arce Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo plus minus parum, fuit inuentum sepulcrum vetustatis admirandae, intus erat cadauer, quod litum balsamo, hue vsque fuerat seruatum, proceritatis non vulgaris, sed soluto proceritoris, habebat, & hodie habet in fronte lineas duas idiomate, & literis Hebraicis, quarum sensus est huiusmodi hoc est sepulcrum Adoniram serui Salomonis Regis, qui ad hoc venit, vt exigeret illius tributum. Habes tertio Regum quinto expresse Adoniram Salomonis seruum, & expressius eodem libro capite quarto, literae vero Hebraicae Latinis characteribus designatae sic sonant. ZEHVKEBER ADONIRAM EBED HAMELEC SELOMO SEBA LIGBOT ET HAMMAS VONIPTAR IOM & folio centesimo duodecimo in eodem manuscripto haec habentur. Apud Saguntum inuentum anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo in arce ante primam ianuam extat marmoreum mausoleum vetustatis admirandae literis Hebraicis inscriptum, quae ad nostros characteres, reuocatae sic sonant. ZEHV KEBER &c.

SAGVNTIAE manuscriptum de sepulcro Adonirami.

Et ne qua diligentia in re non minimi momenti desiderari potuerit, curauimus quam diligentissime per nostrae Societatis viros industrios alterius cuiusdam manuscripti codicis verba transcribi, qui de eodem sepulcro honorifice loquitur. Itaque Mantuanus Episcopus paulo ante laudatus manuscriptum quoddam volumen ostendit, in quo praeter alia antiquitatis Romanae monumenta, mentio fit huius etiam multo peruetustioris, & Hebraicis characteribus insculpti tametsi ab ijs, quibus neoterici deinde Hebraei vsi sunt, non parum recedant. Hoc autem manuscriptum volumen quantae auctoritatis sit ex eo patet. quod olim dicatum est Excelentissimo Principi, eidemque Duci Segobricae Comiti Emporiatum, Alphonso ab Aragonia dono deinde datum praedicto Mantuano Episcopo à Vespasiano Gonzaga Duce Sabionedae, Valentiae olim Prorege, & eiusdem Alphonsi Aragonensis affine. Hebraica autem lapidis inscriptio in eo volumine relata in vulgare idioma conuersa, haec est. De Adoniram la fossa es esta, que vigne Salomo del Re seruert dia, y mori tribu lo pera rebre, falta la piedra.

MANTVANI Episcopi codex manuscriptus de sepulcro Adonirami.

Ex quibus omnibus aperte demonstrari potest Hebraeos olim vsque a Dauidis, & Salomonis aetate totum pene terrarum orbem repleuisse: eosdemque tributa, nec pauca, nec parui precij quotannis manu supremi tributorum Principis misisse Hierosolymam. Quod Iosephi verbis multo

HEBRAEI toto orbe diffusi vsque a Tempore Dauidis.

clarius

Ioseph lib. 6. excid. c. 6. 3. Reg. 6. ℣. 16. 24. & c. 7. ℣. 10.

DIDRAGMA solutum ab omnibus Hebraeis toto orbe diffusis

Tomo 3. Appar. par. 1. lib. 2.

clarius confirmatur. Siquidem agens ille de magnificentia, & mirabili structura Templi, quod Salomon aedificauit: triplici muro, inquit, colle circumdato spe maius opus extructum est: in quo per longa secula consumpta munera repleuerant. Quibus verbis agit aperte de Mello, quod Salomonem exaequasse nemo est, qui nesciat. Nam cum ibi Iosephus sermonem faciat de aggere exaedificato, quem Mello sacrae literae appellant, & de porticibus superstructis, vt à nobis supra demonstratum est, tum sacrarum literarum testimonijs, tum vero ipsius Iosephi quadruplices item porticus omnes à Salomone fuisse aedificatas, & aggeribus super impositas: dubitandum non est Iosephum de seculis, ac donarijs prioribus fuisse loquutum, quae Salomonis tempora praecesserant. vel saltem si Iosephi verba id non videntur probare; porticus scilicet, & aggeres omnes à Salomone fuisse absolutos; probant saltem donaria, & opes priores in illis aedificijs construendis fuisse consumptas, quas longo tempore, & missa Deo ex toto orbe munera cumulauerant. De argento a Dauide legato iam satis, superque compertum est, quo modo, & quam breui tempore ex Capitatione potuerit aggregari.

Iam de auro aliquid dicendum est. In cuius gratiam meminisse debemus Hebraeos non argentum solum, iuxta legis praeceptum offerre solitos, verum etiam, vt Deo grati animi significationem praeberent, cui opes omnes, substantiam vniuersam acceptam referebant, sponte aurum, vna cum ipso Capitationis didrachmate persoluisse. Cum enim primum legi latae parere caepissent, & paulo plusquam centum argenti talenta ex Capitatione soluissent, obtulerunt nihilominus auri talenta vndetriginta, quae est pars propemodum ponderis tertia argenti assignati.

Quod si quis adhuc inficiari velit non adeo tantam auri summam Deo singulis annis obtulisse, sed processu temporis solutum quidem argentum assignatum, quod lex id praeciperet, auri vero vel nullam, vel minimam quantitatem: negare saltem non potest sin minus tertiam, at D decimam saltem ponderis partem ex auro solui consueuisse: quae tertia pars procul dubio Dauidis centum millia auri talenta secundum argenti proportionem, facile compleuisset.

Hoc praeter aliorum auctoritatem, quas possem adducere, libentius externorum auctoritate confirmabo. Marcus Tullius enim paullo ante citatus auctor est, aurum, Iudaeorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus Romanorum prouincijs Ierosolymam exportari solitum.

Neque propterea dicendum est eam auri, argentique summam ex Capitatione collectam, tametsi maximam, & perennem, totam nihilominus consumi solitam alendis infinitis propemodum Leuitarum, Sacerdotumque copijs, qui tum Hierosolymis, tum in toto Israelitico regno erant, quorum quantus numerus fuerit ex eo probari potest: quod vna, eaque tota Tribus Leui erat. cui agrorum partem nullam Deus attribuit ad vsus vitae necessarios, sed honoris gratia Deum ipsum fore possessionem eorum voluit. *Tribui autem Leui*, inquit sacer Textus, *non dedit possessionem, sed sacrificia, & victimae Domini Dei Israel, ipsa est eius haereditas.* & alibi. *Tribus autem Leui non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius.* Non est inquam hoc affirmandum: Nam praeterquam A quod diuina Leuitarum lex satis, superque prouidit eorum necessitati, ita vt non necessaria solum, sed ea abundantissime suppeditarit expresse negat Deus eam pecuniam, quae sacri tributi nomine à singulis Hebraeorum capitibus tabernaculo impendebatur, in alium vsum expendi, quam tabernaculi posse. *Susceptamque pecuniam*, inquit Moysi Deus, statim ac legem irrogauit, *quae collata est a filijs Israel, trades in vsus*, non Leuitarum, aut Sacerdotum, sed *tabernaculi testimonij*. Vtque ostenderetur in alios vsus non esse consumendam, statim subditur: *vt sit monumentum eorum coram Domino*: vel, vt in Hebraeo est, & dabis illud super opere tabernaculi conB uentus, & erit filijs Israel ad memoriam coram Domino. Siue vt vertant Septuaginta, & dabis illud ad opus tabernaculi testimonij, & erit filijs Israel memoriale coram Domino. Certe si in vsum Leuitarum consumeretur ea pecunia, neque ad opus tabernaculi, seu super opere tabernaculi cessisset, neque fuisset memoriale illius coram Domino.

DIDRACHMA non consumebatur alendis Leuitis.

Iosue 13. ℣. 14. & 33.

DIDRACHMA in vsum tabernaculi conuertebatur

Exod. 30. ℣. 16.

LEVITIS necessaria sim ministrabant leges decimarum, primitiarum, sacrificiorum.

Tantam tamen Leuitis, & Sacerdotibus rerum omnium copiam ministrabant celebres illae leges decimarum, & primitiarum, vt stupori verteretur. Itaque merito Philo Iudaeus: nemo inquit, Sacerdos tam pauper est, quin diues esse videatur. Cum enim illa gens plurimum abundaret rebus omnibus ad C humanae vitae vsus necessarijs, necesse fuit magnam etiam rerum omnium copiam, Diuino id iure suadente, Leuitis offerri. Et vt aliqua breui complectar: longiorem enim multo requirunt haec explanationem, quam Deo iuuante, vitaque superstite edendam fore suo tempore speramus. Lege primitiarum separatae in vsum Sacerdotum, & Leuitarum cedebant primitiae, vinum scilicet in singula torcularia, triticum, hordeum in singulas areas, ex oliuetis oleum, ex alijs arboribus fructus. Quanta ea prouentuum copia in toto, eoque vberrimo, Palaestinae regno melle & lacte manante? Quot primogenita mascula ex omni genere terrestrium, quae in vsum hominum veniunt, ex vniuersis armentis boum, ouium, & caprearum?

LEX PRIMITIARUM quâ pinguis Leuitis.

PECVNIA abundabant Leuitae.

Ac nequis dicat rebus vsu consumptilibus abundasse quidem Leuitas, & Sacerdotes, pecunia tamen caruisse, Praecepit Deus, vt omne immundum animal argenti precio redimeretur. Imo vero & animarum, humanorumque corporum Deus exegit primitias, vt appareret gratam esse Deo illius populi faecunditatem. Ceterum ne filij à parentibus seiungerentur, statim post vnum mensem certa pecunia, quinque nimirum siclis argenti redimi consueuerunt. Reuera si quis attente consideret, mirabile dictu est, quanta hinc pecuniarum summa ex toto, eoque infinito Hebraeorum populo, ex primogenitis E colligebatur, qui in vniuerso terrarum orbe nascerentur.

LEX DECIMARUM Leuitis vberrima

Lege similiter decimarum, vini, olei, frumenti, faeturae pecudum, decimae ex omnibus armentis, & gregibus exigebantur. Qua lege Sacerdotes, tum opibus, tum maiestate Regibus merito comparantur: Siquidem Regibus subditi tributa soluunt, tametsi aliquando gementes, & coacte vix tandem reddunt: Hebraeus vero quilibet Sacerdotibus suis debitam pecuniam libens, gaudensque depromebat, ac si non daret, sed potius ab eis acciperet.

Postremo sacrificiorum victimarumque lege maxi-

maximus Leuitis, & Sacerdotibus prouentus obueniebat: de qualibet enim victima lege Diuina certae quaedam partes in Sacerdotum vsus decisae cedebant, quarum victimarum copia quanta fuerit, licet ex eo coniecturam facere, quod intra paucos dies centum viginti millia pecudum, & viginti duo millia boum ab vno Salomone Deo dicata fuerint: tantusque aliquando erat sacrificiorum numerus, vt mactandis victimis innumeri pene Sacerdotes vix satis esse viderentur. Non enim ex vna Palaestina infinitae Iudaeorum turmae in Hierusalem saepius contendebant, verum etiam ex toto terrarum orbe certi homines singulis annis ab Hebraeis toto orbe diffusis mittebantur, qui eorum nomine, tum sacram pecuniam Deo, tum victimas offerrent. Imouero non Hebraeorum dumtaxat ea religio, ea pietas, ea liberalitas erat, sed externorum etiam Imperatorum, Principum, Regum. Testis est de Ptolomaeo Aegyptiorum Rege sacer Machabaeorum liber. Testis de Augusto, & Liuia matre, alijsque Romanis Principibus Philo Iudaeus.

SACRIFIciorum lex Leuitis vberrima.

NVMERVS sacrificiorum pene infinitus.

SACRIFIcia totus orbis in Ierusalem fieri curabat.

Philo in leg. ad Caium.

Tanta igitur erat harum rerum omnium, quae ad vsus humanae vitae necessariae sunt, & sacrae etiam pecuniae copia Leuitis, & Sacerdotibus Diuino iure impertienda; vt non modo necessitati omnium prouiderit Deus vniuersorum parens, & rector, verum etiam delicias ipsas Leuitis, Sacerdotibus, eorumque filijs, filiabus, & vxoribus abunde suppeditauerit. Testis est idem ipse, qui legem tulit, Deus, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. Cum Aarone enim summo Sacerdote loquens. *Omnis* inquit, *oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato, atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta Sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.* & infra: *Primitias autem, quas vouerint, & obtulerint filij Israel, tibi dedi, & filijs tuis, & filiabus tuis iure perpetuo.* Magna certe liberalitas, & Deo digna. Et quidem ita facto opus fuit. Cum enim Leuitae super Dominum omnem sui curam, cogitationemque conuertissent, atque iactassent: Dei similiter curae esse debuit, cuius liberalitas immensa, cuius magnificentia est infinita, Leuitis dare bonorum omnium *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem.* Quae mensura illis verbis videtur aliqua ratione expressa, quibus Deus cum Aarone summo Sacerdote loquens, *omnem* inquit, *medullam olei, vini, & frumenti, & quidquid offertur primitiarum Domino, tibi dedi. Vniuersa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos.* Quem sensum Hebraica lectio his suauissimis verbis exprimit: omnem pinguedinem vini noui, & omnem pinguedinem musti, & frumenti initium eorum, quae dabunt Domino, tibi dedi ea. Quid quaeso liberalius, quid vberius excogitari potuit? *In terra eorum nihil possidebitis,* dixerat aliquando Deus Aaroni, *nec habebitis partem inter eos.* Cuius prohibitionis ratio statim redditur. *Ego pars tua, & haereditas tua, in medio filiorum Israel* Quota ea pars? quota haereditas? quota merces? *magna nimis*. Quae diuina liberalitas in rebus temporalibus manifestata, in aliam multo vberioris, & pretiosioris cognitionem nos inducit, qua Deus in eos, qui diuino seruitio se perpetuo mancipanrunt, copiosos effundit magnificentiae suae thesauros. Et hoc fortasse est illud centuplum, quod promisit Deus non Leuitis solum, sed omnibus etiam veris Israelitis:

DEVS IN Leuitas liberalissimus.

Nu. 18. ℣. 9.

Ibid. ℣. 10.

Num. 18. ℣. 20.

A *Omnis enim* inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sororem, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet*: quod veteri lege designabatur: additque quod est proprium nouae legis, *& vitam aeternam possidebit*. Matth. 19. ℣. 29.

Aperuimus tres, eosque perennes, & vberrimos opum maximarum fontes: ex quorum singulis eam thesaurorum, diuitiarumque copiam, quam Deo legauit pientissimus ille Rex, haurisse facile potuit. Quod si horum vnusquisque satis superque fuisse probatus est ad tantam auri, argentique copiam effundendam; quantam vnà omnes effundent? quantam profecto ne cogitari B quidem potest, & quae licet vires humanas exsuperet, Deo tamen, & facilis est, & illius magnificentiae consona.

Accedant qui res diuinas, si negare non audent, at saltem extenuare conantur, & haec mentis intuitu, & cogitatione complectantur: fatebuntur, vt reor, Deo *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Psal. 9. ℣. 5. Accedant qui Dauidis auri, & argenti talenta multo minoris faciunt ponderis, quam par est, scilicet quia eorum intuitus, paucis, ac minimis assuetus, ad altiora, & Deo digna conscendere non valeat, & haec sibi ante oculos proponant, attente considerent, ratione, animoque lustrent; fatebuntur Deo *testimonia tua credibilia* C *facta sunt nimis*. Accedant nunc qui proteruae, petulanti, & audaci cuidam facundiae, imo vero ariolatrici, vanaeque coniecturae confidentes, & Cgrepsij nescio cuius vestigijs inhaerentes, scripturae sacrae sensus inuertunt: & hasce multo melioris notae coniecturas, & quae diuinis, sanctorumque Patrum testimonijs innitantur sedulo contemplentur: nam necessario (tametsi permoleste) fatebuntur Deo *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

D

QVONAM ABIERINT DAVIDIS, *& Salomonis opes.*

Cap. LIX.

E POSTREMA omnium in hac disputatione difficultas superanda nobis est, quae nonnullos mirum in modum torquere aliquando visa est. Ecquonam abierint illae Dauidis, & Salomonis opes immensae, quarum comparatione, nec Mydae aurum est aliquid, nec opes Craesi, nec Tantali, vel Pelopis talenta: imo vero omnia Romanorum aeraria, Graecorum, Persarum, vel Chaldaeorum cum diuino Templi aerario comparata nullius momenti fuisse videantur? In quod nam pelagus sese immiserit infinitus ille auri Iudaici

mons?

mons? in quos gurgites sese praecipites dederunt aureae laminae Templi, aurea scuta Salomonis, peltae aureae, aurea equirum arma, pene innumera illa auri, & argenti vasa, claui, tabulae, mensae, & omnia sacrae Domus ornamenta? Quo terrarum aufugerunt argenti cumuli Hierosolymitanae vrbis, qui cum lapidibus platearum, & quantitate, & precij vilitate certabant?

AVRVM corruptioni, & diuisioni sub iacet.

Animaduertendum est aurum, sicut & cetera omnia, quae sub hoc Lunae mutabili cursu complectuntur, corruptioni similiter subiacere: eaque posse contundi, perrumpi, & in minutissima frusta concidi. Quam ob rem si Dauid, aut Salomon, sicut aggregandi aurum potestatem à Deo, scientiamque didicerant, ita similiter impetrassent, ne illud in frusta concidi, vel transferri posset, recte quidem percunctari quilibet posset, ecquonam abijt tota illa, eaque maxima auri massa, cum nusquam gentium appareat? Cui obiectioni nos nulla ratione respondere possemus. Cum vero potuerit aurum in frusta comminui, & alio transferri, mirum est, cur quaestio illa proclametur, quonam abierit? Ego enim idem argumentum in aduersarios retorquere valeo, ecquonam abierunt Craesi, Mydae, Attali, Sardanapali opes? quas maximas, & immensas fuisse non negant aduersarij? Imo vero, quonam se praecipites dederunt thesauri Romanorum, Persarum, Graecorum, & Chaldaeorum è victis innumeris regnis aggregati? Tritum est illud, & sapientissime excogitatum Hispanis adagium, quod videtur quaestionem soluere. *quando el mare se reparte, a royos se haze.* hoc est, vel mare ipsum diuisum in riuulos sese conuertit. Verum ne argumenta maximi ponderis videamur nihili fecisse; sciendum in primis est, infinitas illas, quas diximus opes, & portentosas Dauidis, & Salomonis diuitias, Templi vasa innumera, quin etiam vrbis Hierosolymitanae, totiusque Israelitici regni gazas inuidiae Barbarorum omnium perpetuo patuisse. opes inquam tantas, vt nusquam maiores. tantas, vt in vnam Hierosolymam aureum illud seculum relicto cetero terrarum tractu aufugisse visum sit. Itaque Reges, & Monarchae in Syriae thesauros, opesque immensas conspirarunt omnes, quasi certi iam breui ingluuiem suam, & auri sacram famem satiare posse, si sacrum Templi Hierosolymitani aurum exhaurire permissum sit.

DAVIDIS, Salomonis, & Templi opes omnium gentium inuidiae patuisse.

SALOMON prudentia potius, quam armis regnum administrauit

ROBOAM imminutus a prudentia.

Eccles. 47. ℣. 28.

2. Paral. 12. ℣. 3.

Quapropter Salomon potentissimus Hebraeorum Rex, qui prudentia potius, quàm armis, diuinaque protectione fretus, quam humana sapientia, Regnum administrauit, cum debitum naturae soluens excessit è viuis, & imminutus à prudentia Roboam pro eo regnauit, anno nimirum Regni Roboami quinto, *ascendit Sesac Aegyptiorum Rex in Ierusalem, quia peccauerunt Domino, cum centum viginti curribus, & sexaginta millibus equitum, nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Aegypto, Lybies scilicet, & Troglodytae, & Aethiopes.* acciti fama thesauri Ierosolymitani nec prius obsidionem soluerunt, quam pene exhausto Hierosolymitano thesauro. *Recessit itaque Sesac Rex Aegypti ab Ierusalem, sublatis thesauris Domus Domini, & domus Regis, omniaque secum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon.* Ecce iam quo caeperunt abire thesauri Dauidis, & Salomonis. Quae praeda, quanta fuerit, videtur explicasse Iosephus: *exportata, inquit, innumera auri, & argenti multitudine, ac ne scrupulo quidem relicto; detraxit etiam aurea scuta, & clypeos, quos Salomon Rex fecerat, & ne pharetras quidem aureas reliquit, quas Dauid dedicauerat a Sothone Rege acceptas.* Ecce iam vobis prima Dauidici, & Salomonici thesauri diuisio.

AEGIPTIORUM exercitus innumerabilis.

Ibid ℣. 9.

SESAC AEgypti Rex templum spoliat omnibus opibus

Ioseph lib 8. Antiq c. 4.

ZARAEVS Aethiopum Rex cum 1000000 Ierusalem obsidet.

Procedamus vlterius Anno Regni Asa decimo Zaraeus Aethiopum Rex cum maximo item exercitu venit, ducens peditum nongenta millia, equitum vero centum millia, adiunctis trecentis curribus, vt auctor est Iosephus. Acciti etiam ipsi fama thesaurorum Templi, & vrbis Hierosolymitanae. Quanquam Deo pro Hebraeis hac vice pugnante nulla sacrarum opum diuisio facta sit.

ADADVS Syriae Rex cum aijs 32 regibus Ierusalem obsidet.

Ioseph lib. 8. cap. 8.

Achab paulo post regnante Adadus Syriae Rex contractis è toto Regno copijs, & adscitis vltra Euphratem triginta duobus socijs Regibus contra Israeliticum Regem properauit, eo sane consilio, vt victo Achab facilius Ierusalem occuparet, Templum opibus, & thesauris spoliaret, & diuitem, auctoremque, exercitum in patriam reduceret: quamuis optato fine Barbari frustrari, & mutuis vulneribus sese inuicem inuadentes, obsidionem soluerint. Qua re direptis opulentis praedis, castrisque auro, & argento refertis, captis equitibus Adadi, & curribus, demum in Samariam reuersus est Achab, deletis centum viginti septem millibus hostium.

TEMPLVM iterum spoliatum opibus à Damascenis.

Mox centesimo circiter anno postquam à Sesac Aegypti Rege spoliatum est templum, iterum compilatum est à Damascenis. Nam Azaele Damasci Rege Hierosolymam obsidente conterritus Ioas, omnes thesauros Dei, priorumque Regum exhausit, & cum eis detracta Templo donaria misit in Syriam tanti pacem redimens. Qua ingenti pecunia, extingui vix tandem visa est Barbarorum sitis, quin vrbem etiam exspoliarent. Sennacherib Assyriorum Rex Ezechia regnante vrbem, cum esset aggressus, non prius discessit, quam trecenta talenta argenti, & triginta auri a Rege accepisset. Et haec omnia initia sunt doloris, dispositiones potius appellandae sunt ad futuram Templi, omniumque ruinam.

SENNACHERIB Assyriorum Rex Templi opes aliquas sustulit.

Ioseph. lib. 9. cap. 2.

Postremo tandem ac si nihil huc vsque detractum fuisset à sacro Templo, sacra vrbe, sacra terra, post tot, tantasque praedas: sub Sedechia Rege Nabuchodonosor capta vrbe, expoliato augustissimo orbis Templo, confractis aeneis, aureisque columnis, ferro, flammaque vrbe, ac Templo consumptis, tantam inde auri copiam in Babylonem exportauit, ex tota, eaque opulentissima Syria, tot seculis congestis opibus, vt vix explicari possit: tantisque opibus Babylonios, Chaldaeosque ditauit, tanta auri summa regnum omne compleuit, detractis non à Templo solum maximis opibus, sed a toto etiam Regno, eoque opulentissimo supra cetera omnia: pace enim fruentes, & nullis bellicis tumultibus Hebraei gaudentes, in hoc quisque studium omne posuerat, cumulandis opibus. vt non immerito sanctissimus Vates Daniel post eam praedam Nabuchodonosori dixerit. *Tu es caput aureum*, vbi figurate loquens Regem pro regno posuit, & caput pro summa copia, ac si clarius dixisset tuum regnum Antonomastice aureum dici meruit, ob infinitam auri copiam ab Ierusalem, & Syria reportatam.

NABVCHOdonosor Rex templum spoliat, & incedit.

TEMPLI Hierusalem, & Syriae opes omnes Babylonij sustulerunt.

Daniel. 2. ℣. 38.

CVR CHALdaeorum Regnum dictum sit caput aureum.

Ibid ℣. 32.

Cuius rei gratia proponenda nobis est ante oculos diuina eiusdem Nabuchodonosori Regis visio admirabilis statuae, cuius *statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento:*

VISIO STAtuae Nabuchodonosor Regis.

gento: porro venter, & femora ex aere tybiae autem ferreae, & diligentet similiter attendenda Danielis sanctissimi Vatis interpretatio. Namcum Nabuchodonosore loquens: *Tu es*, inquit, *caput aureum: & post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud aereum, quod imperabit vniuersae terrae: & regnum quartum erit velut ferrum*. Qua explicatione per regnum aureum Chaldaeorum imperium denotari, per argenteum, Persarum Regnum, per aereum Graecorum Monarchiam, per ferreum denique Romanum principatum designari manifestum est, confessione omnium fere Doctorum communi: quare non est in eorum explicatione durius immorandum.

POST CAptã Ierusalem, & Syriam Asia opulentissima facta est.

Plin. lib. 33. cap. 3.

Cyrus in Asiae opes inhiat, & obtinet.

Hinc Asia omnis alioqui diues auri, metallorumque feracissima, ditior supra modum effecta est, hinc Asiani luxus exordium esse caepit. Itaque ex vna Hierosolyma, tanquam ex vberrimo fonte infiniti pene auri torrentes, & amnes totam Asiam inundarunt, hinc deinde in diuitem Asiam totus orbis conspirasse visus est. Et primo quidem Cyrus Persa, qui Chaldaeis regnum eripuit, deuicta Asia auri pondo triginta quatuor millia reportauit, praeter vasa aurea, aurumque factum, argenti vero quingenta millia talentorum, & craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta Aegyptiaca colligebat. Hinc post eam victoriam, praedasque ingentes, tantus item in Persarum Reges luxus irrepsit, vt ad caput cubilis Regij conclaue poni consueuerit pariete vno intersitum, in quo erant auri talenta quinque millia, è regione vero argenti tria millia. Itaque non sine causa Persarum Regnum argento comparatur a Daniele, tum quia Persarum Reges, Herodoto teste, argentum fere semper, aurum raro Satrapijs tributi nomine imperarunt: tum quia cum Chaldaeo regnum Persarum comparatum, non adeo diues auro fuit: sacrum enim aurum totis iam sexaginta annis vsque ad Cyri victoriam in varias regni Chaldaeorum Prouincias dispergi, subdiuidi, ac dissipari iamdiu caeperat.

PERSARVM opes immensae post victam Babyloniam.

CVR PERsae comparentur brachijs argenti.

Curt. lib. 8.

MACEDOnes in Asiae, & Persiae opes conspirant, & obtinent.

Athen. l. 12.

Mox conspirasse in Asianas opes Macedones visi sunt. Victo enim Dario, compilatis aerarijs, vnus Alexander accepisse traditur Curtio teste talenta centum quinquaginta septem millia, absque Babylonica praeda, & Stabo, centum octoginta millia, ac coronas aureas à legatis Gentium missas aestimatione decem millium talentorum auri, vt auctor est Athenaeus, non adnumeratis militum opibus, quae tantae item fuerunt, vt ducenta viginti millia bellatorum armis argenteis vti caeperint, eorumque equi aureis fraenis. Et tamen Graecorum Imperium recte non auro, neque argento, sed aeri comparatur à Daniele: non solum, ob eloquentiam Atticam, vt bene noster Pererius exponit, cuius Hieroglyphicum est aes, verum maxime, quia his opibus praedictis nihil obstantibus ab auro Chaldaeorum, & argento Persarum multum recessit Graecorum thesaurus, quippe quadringentis annis vsque ad hanc Alexandri victoriam iam dissipatum, vix tandem minima illius pars in Graecorum potestatem redacta sit.

CVR GRAECI aeri comparantur.

ROMANI in Asianas opes conspirant, & obtinent.

Demum in Asianas opes Romani conspirarunt. Victo enim magno Antiocho infinitas opes caepit habere Romana Respublica. Ex Asia, vt auctor est Plinius, & Marcus Tullius, & communis est omnium consensus, luxus in Italiam penetrauit. Ante id tempus nullus fere Romanis auri vsus, nulla saltem copia: prisci enim Romani in digitis annulos ferreos gestare solebant, nobilitatis, & bellicae virtutis insigne, vt auctor est Plinius. Vnde propterea forte ferro comparantur à Daniele Romani, praeter alias causas, quas noster Pererius assignat, ob hanc praesertim: quia opes Romanae longissime ab auro illo sacro Chaldaeorum, & Persarum argento recesserant. Itaque victa Asia, depositis ferreis digitorum annulis aureos acceperunt, quibus adeo digitos onerare solebant, vt minimo digito tres addiderint annulos, quibus paulatim addere caeperunt gemmas exquisiti fulgoris. Mox tanta auri, & argenti copia Romanis, alioqui continentibus esse caepit, vt nullum genus officinae non argenteum esset. mensae, vasa coquinaria ex argento primum fecit Caluus orator. Poppaea coniux Neronis delicatioribus iumentis suis etiam soleas ex auro induit. Lecti mulierum non nisi ex argento, triclinia argento conflata, lances argenteas supra quingentas habuit Carulius Pollio centenis libris singulas. Claudij vero Principis seruus Drusillanus quingenarias lances ex argento, comites eius octingentas sexaginta octo librarum. In Triumpho magni Pompeij Asia victa allata Romam argentea Phornacis statua, & Mithridatis Eupatoris currus aurei, & argentei, paulo post aurea item statua, eaque maxima nulla concauitate, & sexcenta alia.

ROMANI olim ferreos in digitis annulos gestabant.

Plin. l. 33. c. 1.

CVR ROmani ferro comparentur.

DEVICTA Asia, Romani ditissimi facti sunt.

ROMANOrum luxus post Asiam deuictam.

Plin. lib. 33. c. 11.

CVRRVS argentei Mithridatis Asiae Regis.

Plin. lib. 33. cap. 4.

IN POMpeij triumpho infinitus thesaurus post victam Asiam.

Vnus Pompeius Magnus Asia victa transtulit Romam alueum cum tesseris lusorum, e gemmis duabus tantis, vt nulla maior, in quibus Luna visebatur argentea pondo triginta, lecti triclinares tres, vasa ex auro, & gemmis nouem, signa aurea tria, coronae ex margaritis tres, & triginta: mons aureus quadratus cum ceruis, & leonibus, & pomis omnis generis circumdatus vite aurea: Musaeum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat. Imago Pompeij e margaritis: datum Reipublicae mille talentum, militibus singulis sena millia sestertium, praeter cetera vasa ex alijs gemmis.

MOS OFFErendi victoribus coronas aureas ex Asia emersit.

Liu. 20 c. 18. in Q. Flaminij triumpho 114.

Liuius lib. 20 c. 14.

Ibid.

Ex Asia similiter emersit ille mos offerendi victoribus aureas coronas: Hinc Gallograecos cum vicisset Manlius, missas accepit a Legatis coronas aureas ducentas duodecim honoris gratia. Cesaris bis mille octingentas viginti duas, easque pondo viginti millium quadringentorum quatuordecim quarum deinde pondus augere caeperunt, & fuerunt aliquae pondo septingentorum, aliae nongentorum, aliae mille, factae nimirum ad pompam.

Tanta diuitiarum & opum in Asia fuit copia, vt bellis Ciuilibus ingruentibus paulo post Pompeij Magni triumphum intra paucissimos annos Cassius Brutus, & Marcus Antonius Triumuir quadraginta millia talentorum collegerint.

EX ASIA tribus annis talenta sublata sunt tributi nomine 40000.

EX ASIA in totum orbem luxus irrepsit.

Quid plura? Ex Asia in vniuersum terrarum orbem praesertim Italiam, Graeciam, luxus, & opes irruerunt, in hanc quidem sub Alexandro primum, in illam post Lucullum, & Pompeij Magni triumphum. vt merito supra omnium diuitias Hebraicas praetulerimus. cum Hebraicas opes & priores, & maiores omnibus fuisse demonstratum a nobis, satis superque sit.

Videtis iam quonam abierint Dauidis, & Salomonis opes? & tamen ac nihil vsque adhuc ex tam diuiti solo sublatum esset a Chaldaeis, Persis, Macedonibus, Romanis, iterum Romana sitis

nedum

nedum satiari potuit. Audite quid de Gabinio, & Pisone duobus Reipublicae Consulibus satis sentiat Cicero. Sat enim alterum haurire quotidie ex pacatissimis, atque opulentissimis Syriae gazis innumerabile pondus auri, bellum inferre quiescentibus, vt eorum veteres, illibatasque diuitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat. haec ille. idque postquam saepius hostium praeda facta est Syria.

Quae cum ita sint quisnam audeat dubitare quonam abierint Templi, & Hierosolymorum opes? Responderi enim vno verbo potest ex Templo, & vrbe auri partem in Aegyptum à Sesac, partem in Aethiopiam à copijs Arabum, partem in Damascum ab exercitu Syriorum, partem in Samariam à Ioas: partem denique in Babyloniam à Nabuchodonosore fuisse translatam. ex his Asiae, & Africae regionibus deinde in Persidem per Cyrum & in Asiam vniuersam: ex Asia in Graeciam ab Alexandro. & in Italiam demum à Lucullo, Pompeio, Cassio, Bruto, Marco Antonio, Gabinio, Vespasiano, alijsque Romanis Ducibus, & Imperatoribus. Quid mirum est igitur si tot annorum spatio transacto à prima Templi praeda ab Aegyptijs facta, vsque ad postremum eiusdem Templi excidium factum à Romanis, aurum illud Ierosolymitanum in tot tantasque regiones dissiparum, & ab his vsque ad nostra tempora vix tandem appateat: cum Romanorum opes, hoc est, Asiae, Persidis, Babyloniae, & Syriae gazas, Hunni, Vuandali, Gothi, Longobardi, & sexcentae barbarae nationes in longissimas quasque regiones abstulerint, ac dissiparint. mirum certe potius esset, si vsquam appareret illius auri vestigium.

2. Paral. 12. ℣. 9 & c. 16. ℣. 2 & c. 21. ℣. 17. & c. 24. ℣. 23. & c. 25. ℣. 24.

QVO ABIERINT opes Templi.

DE VERA TEMPLI GLORIA; QVAE EX VNA CHRISTI DOMINI PRAESENTIA PETITA, OMNEM priorem longe lateque superauit.

DISPVTATIO QVARTA.

SVMMA EARVM RERVM EX QVIBVS PRIORIS TEMPLI AMPLITVDO, ET MAGNIFICENTIA *dignoscitur.* *Cap. LX.*

HACTENVS egimus de Templi gloria, tum temporali, tum figuratiua. Iam reliquum est, vt de vera gloria praesenti disputatione tractemus, quam ei attulit corporalis Christi praesentia: quae sane fuit infinitis partibus maior, quàm prior illa temporalis vniuersa. Verum vt apertius, & clarius tota simul aspici, & facilius cum illa conferri queat, visum est antea summa rerum capita breuiter attingere, atque vnum in locum cuncta conferre, quae varijs horum quinque librorum locis persequuti sumus. Porro nihil hic fere aliud proponetur, nisi Commentarius, quem Anno nonagesimo à Virginis partu supra millesimum, & quingentesimum detuli Regi Catholico PHILIPPO secundo Domino meo: spero enim, vt prudentissimo tantae Maiestatis iudicio tum probata res est, ita cuiuis probatum iri, qui nulla perturbationis nube contegatur, cumque suis locis earum rerum rationes indagaturum, quae hic simpliciter proponuntur. Et quidem, vt à fundamentis fabricae totius considerationem exordiamur, cuius fabricae Architectus, Deus fuit, Salomon executor.

Iecit, ditissimus ac sapientissimus Rex, vt auctor est Iosephus, in altissimam terrae profunditatem fundamenta templi, e saxis validissimis, quae contra omnem temporum iniuriam resistere possent: ita vt cum contigua terra coalita solum, ac firmamentum imponendis substructionibus praeberent, & propter inconcussam soliditatem, facile molem aedificij cum apparatu ornamentorum sumptuosissimo perferrent, non minorem admirationem habitura, quam quae superne ad amplitudinem, pulcritudinem, & magnificentiam operis per artifices elaborata sunt. Hactenus Iosephi sunt verba.

FVNDAMENTA Ioseph. lib 8. Antiq. c. 2.

Huius vero substructionis quilibet paries, tum is, qui ad Meridiem, tum vero is, qui ad Orientem, longus erat prope cubitos mille, vt in facie cernitur, quae Orientalis substructionis inscribitur. Cumque hi singuli cubiti passus communes exaequent, vt à Sancto Hieronymo exaequantur in editione vulgata: duo isti parietes parebunt necessario mille passus Geometricos, seu Italicum milliarium. Erat autem huius parietis crassities in angulis centum cubitorum, atque vbi erat angustissimus, quinquaginta. Longitudo vero vniuscuiusque parietis illorum quatuor, quibus Gentium porticus innitebatur, octingentorum erat cubitorum: qui Romanis palmis adaequantur duobus millibus octingentis triginta nouem cum centum triginta septem millesimis cubiti partibus. Hispanis vero tribus millibus viginti octo cum centum tribus ducentesimis. Erant in hoc aedificio, teste Iosepho, lapides nonnulli quadragenis longi cubitis, ac si diceret, palmis Italicis centum quadraginta & vno cum nongentis quinquaginta septem millesimis: Hispanis autem centum quinquaginta & vno cum quadringentis viginti vna millesimis. Porro alibi ait Constabat autem structura e lapidibus candidis firmissimis, magnitudine viginti quinque cubitorum in longum, octo in altum, latitudine vero cubitorum duodecim. Haec Iosephus. Erant igitur lapides eiusmodi, vt domus intra singulos facile posset exaedificari. Itaque vniuersum aedificium à fundamentis ad tectum vsque ex marmore candidissimo constabat, & quidem pretiosissimo, non quidem scalpris, bipennibusue elaborato, verum serra secundum omnes cuiusque lapidis superficies exaptato, atque compacto. id enim declaratur in se-

PARIES substructionis longus cubitos 1000.

PARIETIS crassities

PARIES porticus Gentium, 2839 $\frac{137}{1000}$.

3028 $\frac{103}{200}$. Ioseph. 6. belli cap. 6. & 15. Antiq. c. 14.

LAPIDVM longitudo 141 $\frac{957}{1000}$. 151 $\frac{421}{1000}$.

LAPIDES candidi & serra secti omnes in monte Libano.

3. Reg. 7. ℣. 9. in sacris voluminibus illis verbis: *Tam intrinsecus quam extrinsecus ferrati erant.* Quocirca non erat in medijs parietibus vllum tumultuarium opus aggestum, verum lapides, qui foris extabant, vniuersum parietem complebant. Lapides in monte Libano caedebantur, atque ibidem componebantur, & expoliebantur, ita vt Solis appulsu, non minus, quam Sol ipse refulgerent. Hinc intelligitur quam facile, ac sine sensu suis eos locis fabri collocarent, vt ne ictus quidem scalpri, aut vllius ferramenti exaudirerur. ita accurate elaborati portabantur, vt ne manus quidem illis admota, ne dum ferramenta viderentur.

COMMISSURAE lapidum. Etant commissurae ita latentes, vt ne oculis percipi possent, & vnus potius lapis è pluribus, quam plures coniuncti viderentur. Nullum enim inter eos intercedebat connectendi causa cementi genus intrinsecus ferreis vinculis, Meridionalibus exceptis, qui plumbo, copulabantur, ne Australi vento ferrum corrumperetur. Praedicta ratione elaborati erant lapides omnes, quos planae superficies finiebant: nam reliqui coronis exornati, aut sculpturis, quippe qui ferrati non potuerunt, longe alia ratione fuerunt elaborati, quàm explicare vix possumus, nisi dicamus pretiosissimo adamante elaboratos fuisse: vt quamplurimi iussu Philippi Regis, me praesente, in augustissimo Templo Sancti Laurentij in Scoriali elaborati sunt. Quae enim artificum industria adamantem ipsum in adamantem exacuit: vt indomita illa naturae vis suis viribus cederet, eisdem omnino quamlibet aliam vim facile superauit.

Columnis vel fulciebatur, vel exornabatur

COLVMNAE hoc aedificium. harum singulae è singulis saxis erant, Pario nimirum marmore candidissimo, quarum quàm plurimae aeneis illis erant pares, ea crassitudine, quam possent tres homines consertis inter se complecti brachijs, altitudine decupla. In toto aedificio nulla columna minor est

COLVMNAE altitudo. altitudine cubitorum quindecim, hoc est, palmorum Romanorum plus quàm tribus, & quinquaginta Hispanorum sex, & quinquaginta. Palm 53. Hisp. 56.

COLVMNARUM numerus 1457. Omnes columnae mille quadringentae quinquaginta tres, non computando dimidiatas columnas parietibus, ac pilis adpactas, numero plus quam duplo plures. Harum vero, atque illarum

CAPITELLA columnarum. capitella insculpta erant opere Corinthio, pulcra vsque ad miraculum: quorum duplo maiora erant capitella, quae Domum ipsam Dei exornabant, subtiliore opere, ac pretiosiore materia.

Praeter fenestras illas, quae in pauimento aperiebantur ad illustrandam hyppogaeam habi-

FENESTRAE 2246. tationem, fuerunt maiores quaedam fenestrae, bis mille ducentae quadraginta sex: quarum cancelli, sin minus aurei fuerunt, cuiusmodi fuisse testatur Iosephus cancellos fenestrarum templi, ac saltem argentei fuisse credendi sunt.

Iam vero a partium numero ad earum mensu-

CALAMVS Angeli. ras gradum faciamus. Opus est autem Angeli calamum expendere. Fuit is quidem palmis Romanis par duobus & viginti cum centum octoginta vna millesimis palmi partibus. Hispanis vero palmis exaequabatur tribus & viginti cum sexcentis quinquaginta nouem millenis. 22 $\frac{181}{1000}$. 23 $\frac{659}{1000}$.

PARIETIS crassitudo. PERIBOLI altitudo & crassities. Quanta erat cuiuscumque parietis minima crassitudo, tanta etiam altitudo, & crassitudo periboli ambientis vniuersum aedificium exterius, & viam, quae inter peribolum iacebat, & atrij Gentium parietem.

Via porro haec lata erat septem & triginta

A cubitos cum dimidiato, hoc est, palmos Romanos, centum triginta tres cum viginti vna ducentesimis quinquagesimis palmi partibus. Hispanos, centum quadraginta vnum cum nonagentis quinquaginta septem millesimis. Eratque in vnoquoque latere via longa calamos tres & viginti supra centum, hoc est, cubitos septingentos sexaginta octo cum tribus quartis cubiti partibus palmos Romanos, bis mille septingentos viginti octo, cum viginti nouem centesimis vicesimis quintis. Hispanos vero palmos, bis mille nongentos decem, cum sex & quinquaginta quingentesimis. VIA inter peribolum & atrium Gentium. 133 $\frac{21}{250}$. 141 $\frac{957}{1000}$. 2728 $\frac{29}{125}$. 2910 $\frac{56}{500}$.

Paries porticus Gentium in vnoquoque latere

B longus erat, centum & decem calamos, cubitos sexcentos octoginta septem cum dimidiato, palmos Romanos, bis mille quadringentos triginta nouem cum octingentis octoginta tribus millenis palmi partibus. Hispanos vero, bis mille sexcentos & duos, cum ducentis septuaginta vna quingentesimis. PARIETIS porticus Gentium longitudo. 2439 $\frac{883}{1000}$. 2602 $\frac{271}{500}$.

Qui paries super altitudine iam dicta periboli erigebatur vsque ad summam domatis coronam, cubitis quinque, & viginti palmis Romanis octoginta octo cum septingentis viginti tribus millenis. Hispanis vero, quatuor & nonaginta cum trecentis nouendecim quingentesimis. ALTITVDO parietis Palmi 88 $\frac{723}{1000}$. 94 $\frac{319}{500}$.

PORTICVS altitudo. Vtriusque porticus altitudo tota erat, cubitorum trium & quadraginta cum tribus

C quartis cubiti partibus qui aequiualent palmis Romanis, centum quinquaginta quinque cum centum triginta tribus quingentesimis, Hispanis, centum sexaginta quinque cum sexcentis septendecim millenis. Latitudo vero huius porticus vniuersa vniuersae altitudini, quam dixi, par erat. 155 $\frac{133}{500}$. 165 $\frac{617}{1000}$.

Atrij Gentium latitudo quinquaginta cubitorum, par erat palmis Romanis centum septuaginta septem, cum ducentis viginti tribus quingentesimis; Palmis vero Hispanis, centum octoginta nouem cum sexaginta nouem ducentesimis quinquagesimis. ATRII Gentium altitudo. 177 $\frac{223}{500}$. 189 $\frac{69}{250}$.

EIVSDEM longitudo. Eiusdem vero in singulis lateribus longitudo sexcentorum cubitorum, palmis

D Romanis exaequabatur bis millibus centum viginti nouem, cum quadraginta quatuor centesimis vicesimis quintis: Hispanis vero, bis millibus ducentis septuaginta vno, cum trecentis & nouem millesimis. 2129 $\frac{44}{125}$. 2271 $\frac{309}{1000}$.

Paries atrij Israel, cuius vnumquodque latus quingentis cubitis fuerat dimensus, palmis Romanis exaequabatur mille septingentis septuaginta quatuor, cum tribus & viginti quinquagenis. Hispanis vero mille octingentis nonaginta duobus, cum trecentis septuaginta nouem quingentesimis. PARIES atrij Israelis. 1774 $\frac{23}{50}$. 1892 $\frac{379}{500}$.

Eiusdem parietis altitudinem triplici columnarum ordine distinctam Angelus sexaginta cubitis mensus est, & frontes appellauit.

E eadem altitudo palmis Romanis par erat, ducentis & duodecim cum centum octoginta septem ducentenis. Hispanis vero, ducentis viginti septem cum centum triginta vna millenis. Cui quidem celsitudini addenda est stylobatae altitudo, quae par erat exteriori peribolo, quem paulo ante calamo vno dimensi sumus, & cum palmis Romanis, atque Hispanis contulimus. 212 $\frac{187}{200}$. 227 $\frac{131}{1000}$.

Super portis deinde ac turribus quartus ordo erigitur, cuius vniuersa altitudo à pauimento atrij Gentium computata, fuit cubitorum octo & septuaginta, cum tribus insuper quartis partibus, quae palmis Romanis exaequabatur, ducentis septuaginta nouem cum quadringentis septua- ALTITVDO parietis Turrium. 279 $\frac{477}{1000}$.

298 $\frac{109}{1000}$ ptuaginta septem millenis: Hispanis vero, ducentis nonaginta octo cum centum, & nouem millenis. Quod si quintus praedictis ordinibus

Castellorum altitudo. adnumeretur castellorum ordo, vniuersa turrium celsitudo cubitorum erit nonaginta: palmis

319 $\frac{403}{1000}$ Romanis aequalis trecentis nouemdecim cum quadringentis tribus millenis: Hispanis vero trecentis quadraginta cum octoginta septem centenis vicenis quinis.

340 $\frac{87}{125}$

Areae atriorum. Singulae atriorum areae quadratae erant centenorum cubitorum, qui sunt palmis Romanis pares,

354 $\frac{223}{250}$ trecentis quinquaginta quatuor cum ducentis viginti tribus ducentenis quinquagenis:

378 $\frac{69}{125}$ Hispanis vero, trecentis septuaginta octo cum sexaginta nouem centenis vicenis quinis. Area vero vniuersa atrij interioris, in cuius medio Domus Dei insidet, proprioque peribolo cingitur, eiusdem latitudinis est cum ceteris areis, longitudine huius dupla sesquialtera, hoc est, palmorum Romanorum,

887 $\frac{23}{100}$ octingentorum octoginta septem, cum tribus & viginti centenis, Hispanorum,

946 $\frac{379}{1000}$ vero nongentorum quadraginta sex cum trecentis septuaginta nouem millesimis.

Turris latitudo. Latitudo turris Domus Dei erat cubitorum quatuor & sexaginta, qui palmis Romanis aequiualent

227 $\frac{131}{1000}$ ducentis viginti septem, cum centum triginta vna millesimis: Hispanis vero, ducentis

242 $\frac{273}{1000}$ quadraginta duobus, cum ducentis septuaginta tribus millesimis.

Turris altitudo. Ab ima turris parte, vsque ad lapidis angularis apicem, qui totius frontispicij est pars sublimior, cubiti intercedebant centum viginti quinque: palmi nimirum Romani quadringenti qua-

443 $\frac{103}{200}$ draginta tres, cum centum tribus ducentesimis:

473 $\frac{19}{100}$ Hispani vero, quadringenti septuaginta tres, cum nouemdecim centesimis.

Vestibuli latitudo. Vestibulum ab altero pariete vsque ad parietem sancti alterum, latum est cubitos duodecim

44 $\frac{361}{1000}$ cum dimidiato: palmos nimirum Romanos, quatuor & quadraginta cum trecentis sexaginta, &

47 $\frac{319}{1000}$ vna millesimis. Hispanos vero palmos, quadraginta septem, cum trecentis decem, & nouem millesimis. Longitudo vero erat cubitorum vi-

70 $\frac{489}{500}$ ginti, qui aequipollent Romanis palmis septuaginta cum quadringentis octoginta nouem quin-

75 $\frac{71}{100}$ gentesimis: Hispanis vero palmis, septuaginta quinque cum vna & septuaginta centesimis.

Latitudo sancti & longitudo. Ea pars sacrae Domus quae Sancta vocatur latitudinem continet eamdem, nimirum cubitos viginti, Longitudinem vero duplo maiorem, si paries interiectus includatur, qui diuidit Sancta Sanctorum. si vero excludatur, continet cubitos triginta septem cum dimidiato, palmos scilicet

113 $\frac{21}{250}$ Romanos, centum tredecim cum viginti & vna

141 $\frac{957}{1000}$ ducentesimis quinquagesimis: Hispanos vero, centum quadraginta vnum, cum nongentis quinquaginta septem millesimis.

Sancti Sanctorum mensurae. Altera pars, quae Sancti Sanctorum nomine insignitur, habuit tum in longitudine, tum latitudine, tum vero in altitudine vsque ad sum-

70 $\frac{489}{500}$ mam coronicem, cubitos viginti seu palmos Romanos, septuaginta, cum quadringentis octogin-

75 $\frac{71}{100}$ ta nouem quingentesimis: Hispanos, quinque & septuaginta, cum septuaginta vna centesimis.

Cubicula. Erant in vniuerso aedificio Cubicula septingenta duodecim, fere quadrata omnia: singulorum vero inane duodecim cubitorum erat: hoc

42 $\frac{587}{1000}$ est, palmorum Romanorum, duorum & quadraginta cum quingentis octoginta septem mil-

45 lesimis: Hispanorum vero, quadraginta quinque cum ducentis tredecim quingentesimis. erantque ex illis aliqua multo maiora, quae tamen nihili ducimus. In quem numerum computatae non veniunt subterranae officinae, & gazophylacia, quae adeo capacia erant, vt in illa intrudi, ac seruari potuerint omnes decimae & primitiae totius Israelis, vsque dum esset tempus diuidendi eas Sacerdotibus, & Leuitis, quorum erant myriades multae. Erat praeterea maximi facienda aula illa quàm maxima, quae Sancto & Sancto Sanctorum imminebat, in qua seruari consueuerunt tabulae, cortinae, ac cetera Tabernaculi instrumenta, & anathemata sacra.

Via inter cubicula vtrinque posita. Via quae inter cubicula vtrinque posita interiacet, habet eamdem cum cubiculis latitudinem. Longitudinem vero cubitorum quadringentorum octoginta septem, qui palmis Romanis 1730 $\frac{49}{500}$

aequiualent mille septingentis triginta, cum quadraginta nouem quingentesimis: siue Hispanis 1845 $\frac{439}{1000}$

palmis, mille octingentis quadraginta quinque cum quadringentis triginta nouem millesimis.

Proportio aedificij. Ea tamen erat huius aedificij partium, ac membrorum omnimoda proportio, vt si quis eam apprime calleret, qualibet illius parte Hierosolymae inuenta, exempli gratia, basi aliqua, capitello, vel trabis alicuius parte, modo non ignoraret, ex quonam ordine esset, demonstrare facillime posset totam aedificij magnitudinem, & omnes illius partes. Cuius rei maximae explicata doctrina, tametsi non vndequaque perfecta, spem nobis ingerit futurum, vt posteritas animaduertat, quam proxime accesserimus ad id, quod iam diu quaerebamus. Ex quo etiam colligi poterit assidua huius aedificij consideratione multo magis, ac melius posse quemlibet Architectonicae praecepta perdiscere, quam si omnia antiquorum aedificia percaleat, atque etiam auctorum libros peruoluat. Cum sacrum hoc aedificium, vt alias saepe dictum est, sit omnium aliorum origo, & fons omnium praeceptorum, quae sparsim in ijs voluminibus continentur. Quidquid enim boni continet aedificium quodlibet, ex hoc vno sublatum, & subfuratum est.

Corinthia proportio & Dorica in Templo. Et quidem hoc aedificium perfectum & absolutum est supra cetera omnia, quae vana iactat antiquitas, siue illius ornamenta spectes, siue partium proportionem admirabilem. perspecta enim membrorum omnium integritate, absque eo, quod vllius coronicis, vel alterius ornamenti pars alicubi intercidarit, totum est vndequaque sculpturis ornatissimum vsque ad singulas basium, & coronarum praecinctiones. Vnde iure optimo Iosephus aedificium hoc augustissimum opus Corinthium appellauit.

Neque propterea dicendum est Doricam illi proportionem defuisse, quae ex triglyphorum distributione nascitur. Haec enim non modo in priori columnarum ordine, vt docuit antiquitas; verum etiam in secundo, ac tertio, & in ceteris

Quo nomine censeatur hoc opus. alijs, si qui sunt, perfecta esse dignoscitur. Quare non debet opus hoc vnico tantum nomine contentum, appellari Corinthium, vel Doricum: sed cum quid perfectius habeat Dorica, vel Corinthia, aut qualibet alia proportione, ac distributione, appellandum est opus vere Diuinum, omnium supremum, omnium primum.

Trigliphi. Trabium magnitudo & numerus. Ex praedicta triglyphorum proportione deduci potest trabium magnitudo, quam similiter posset quilibet enumerare, si vellet. Illud non omittam, quod ad rem summopere facit. Trabes

enim communes minimam longitudinem habeant duodecim cubitorum cum dimidiato, qui aequiualent Romanis palmis, quatuor & qua-
44 $\frac{361}{1000}$ draginta cum vna & trecentis sexaginta millesimis palmi partibus: siue Hispanis, quadraginta
47 $\frac{319}{1000}$ septem cum trecentis nouendecim millesimis: quaelibet earum crassitudinis habebat cubitum cum quarta ipsius parte, nimirum, Romanos
4 $\frac{109}{250}$ palmos, quatuor cum centum nouem ducentesimis quinquagesimis: Hispanos vero, quatuor
4 $\frac{183}{250}$ cum centum octoginta tribus ducentesimis quinquagesimis: Latitudinis vero cubitum cum septem octauis, nimirum palmos Romanos sex
6 $\frac{327}{500}$ cum trecentis viginti septem quingentesimis: vel Hispanos, septem cum quadraginta nouem B
7 $\frac{49}{500}$ quingentesimis.

TRABIVM aliarum magnitudo.

Erant aliae praeterea trabes multo maiori admiratione dignae; illae nimirum, quae Domus Dei vniuersae latitudinem colligabant: longitudinem enim habebant cubitorum quinquaginta quatuor, hoc est, palmos Romanos, cen-
191 $\frac{320}{500}$ tum nonaginta vnum, cum vna, & trecentis viginti quingentesimis: Hispanos vero palmos,
204 $\frac{209}{500}$ ducentos quatuor cum ducentis nouem quingentesimis: Crassitudinem vero cubitorum duum cum dimidiato, qui palmis Romanis ae-
8 $\frac{109}{125}$ quiualent, octo cum centum nouem centesimis vigesimis quintis: Hispanis vero palmis,
9 $\frac{58}{125}$ nouem cum quinquaginta octo centesimis quin- C tis: Latitudinis demum cubitos tres cum tribus quartis: hoc est, palmos Romanos trede-
13 $\frac{309}{1000}$ cim cum trecentis nouem millesimis. siue palmis
14 $\frac{49}{250}$ Hispanis, quatuordecim cum quadraginta nouem ducentesimis quinquagesimis.

TRABES cedrinae.

Omnes hae trabes cedrinae sculpturis, ac caelaturis, ac bracteis aureis erant ornatae, & incisis quibusdam arculis variatae, & insculptae, admotis etiam, atque adpactis auri, & argenti laminis.

PAVIMENTum.

Totius aedificij pauimentum praesertim porticuum, stratum erat lapidibus varij, diuersique coloris admodum pretiosis, adeoque crustis artificiose ad picturae normam tessellato opere D coniunctis erat compositum, vt instar vnius lapidis appareret.

LAMINIS aureis tota sancta Domus operta.

Parietes, tectum, & pauimentum sanctae Domus laminis aureis contecta splendebant, clauis similiter aureis affixis, quorum capita miro artificio elaborata erant, in eorumque singulis auri viginti quinque vnciae consumptae sunt, nimirum librae Romanae duae cum vna vncia. Erant omnes varijs, & artificiosissimis caelaturis insculpti, & encausti loco pretiosissimae, varijque coloris gemmae auro inclusae, suis locis miro ordine disponebantur, quae suo splendore stellatum caelum imitarentur.

VASA AVrea & argentea, eorumque numerus.

Vasa ex auro conflata, quae Templo Salo- E mon dicauit, fuerunt quadringenta quadraginta millia. Ex argento autem decies tercentena quadraginta millia.

EX LEGATO a Dauide auro scuta Romana 2817654024

SCVTA Hispanica 3623812375

Consumpta erogataque sunt in his illa centum & octo millia auri talenta, ac praeterea bis mille quingenti auri sicli. Quae auri summa aequiualet Romanae monetae scutis decies octies millies centies septuagies sexies centenis quinquaginta quatuor millibus viginti quatuor. Hispanis vero scutis decies sexies millies tricies octies centenis duodecim millibus trecentis septuaginta quinque. Argenti vero talenta mille millia aequiualent Romanae monetae scutis qua- A ter decies millies sexagies, quater centenis quadraginta octo millibus: Hispanis vero scutis duodecies millies octuagies & semel centenis vndecim millibus sexcentis. De qua summa auri, & argenti nihil omnino detractum est soluendae operariorum mercedi, vel ijs nutriendis, vel alijs impensis Templi faciendis: sed totum illud aurum, & argentum in Templo sanctificatum fuit.

[illegible] ARGENto legato scuta Romana 1364480000 HISPANICA 1208196000.

AVRVM omne ad formam cubicam redactum.

Quod aurum vniuersum in ea vasa conflanda expensum ad formam cubicam reuocatum, efficit cubitos cubicos quingentos: quam massam vix caperet cubiculum quadratum decem cubitorum, altum vero quinque, vel decem longum, quinque latum, decem altum. Et vt clarius intuearis, cubiculum excogita longum octo & viginti palmis Romanis, cum octoginta vna ducentesimis, totidem latum, totidemque altum. Argentum vero, quod Dauid Deo legauit ad cubicam rationem reuocatum, implere potuit totam domum Oraculi. hoc est, conflaret massam argenti quadratam ex omni parte, cuius latus quodlibet aequale esset palmis Romanis duobus, & septuaginta cum vndecim tricesimis: palmis vero Hispanis septuaginta quinque cum vna & septuaginta centesimis.

ARGENTVM omne ad formam cubicam redactum

MARIS Aenei pondus Tal 8640 Lib 10800.

Maris aenei pondus talentorum est octo millium sexcentorum quadraginta, quae aequiualent Romanis libris decies centenis octoginta C millibus.

TECTA Templi Tal 500141 & Lib 103 Lib 62577728

Tectum vniuersum Templi tegulis aeneis operiebatur, quarum omnium pondus ad minimum est talentorum quingentorum millium centum quadraginta vnius, cum libris praeterea centum tribus hoc est, in vniuersum libris Romanis sexcenties vicies quinquies centenis decem & septem millibus septigentis viginti octo.

AENEAE columnae Tal 19027. Lib 2378375.

In duabus aeneis columnis Iachin, & Booz conflandis, impensa sunt aeris talenta nouendecim millia viginti septem: libris Romanis paria vicies ter centenis septuaginta octo millibus trecentis septuaginta quinque: eisdem vero auro vestiendis, cuius crassitudo erat vnius digiti, expensa D sunt auri talenta quinque millia septingenta quinquaginta octo, & librae praeterea vna & viginti, cum vncijs decem. quae aequiualent scutis Romanae monetae nonagies sexies nouies centenis decem millibus septuaginta octo. Hispanicae vero monetae scutis octuagies quinquies ter centenis, decem & octo millibus octingentis nonaginta tribus cum quatuor quintis scuti partibus. In decem luteribus cum basibus suis talenta ducenta millia expensa sunt, quae aequiualent libris Romanis vicies quinquies millies millibus.

AVRVM quo aeneae columnae operiebantur Tal 5758 Lib 21 Vnc 10. Scuta Romana 969100781 Hispanica 853188937.

Tal 200000 Lib 25000000

OPERARII Templi 401900.

Adhibuit Salomon in Templi fabrica operarios Israelitas, Nathinaeos, Sidonios, Tyrios, Aegyptios: nimirum quadringenties, & vnum E mille nongentos. quorum singulis sub discessum absoluta fabrica, praeter diurnam mercedem, & omnia ad victum necessaria durante fabrica, abunde suppeditata, liberaliter erogauit auri siclos denos, nimirum scuta Romana quinquaginta sex, Hispana, quadraginta nouem cum dimidiato, quorum omnium summa est quadragies centena decem & nouem millia siclorum auri, qui aequiualent talentis auri mille trecentis triginta nouem cum duabus talenti tertijs. Haec autem aequalia sunt scutis Romanae monetae, ducenties vicies quinquies centenis quadraginta sex millibus quingentis nonaginta: Hispanae vero monetae scutis nonagies octies centenis nonaginta

Scuta Romana 56 Hispanica 49 ½ Sicli 4019000 Tal 1339 ⅔ Sc. 1. R. 225246590

ginta quatuor millibus quinquaginta.

REGI TYrio quid Salomon daret

Praebebat etiam Salomon in cibaria domus, Regi Tyrio coros tritici viginti millia, qui aequiualent rubijs Romanis viginti octo millibus quadringentis quinquaginta quinque cum quinque & triginta centesimis vigesimis tertijs : vel Hispanis hanegis centum quadraginta duobus millibus octingentis quinquaginta septem cum vna septima. Vini praeterea mettetas viginti millia, olei coros viginti, hoc est, mettetas ducentas. Aegyptio vero regi dabat earumdem rerum parem vel modum, vel pretium alijs rebus permutatarum.

RVBII Romani 28455 $\frac{35}{123}$

HANEGAS 142857 $\frac{1}{7}$

OPERIS omnibus quã annonam faceret Salomon

CORI tritici 602850

RVB. ROM 857713 $\frac{41}{123}$

HANEG. 1436071 $\frac{1}{14}$

Dabat octoginta Tyriorum millibus in singulos annos coros tritici centum viginti millia, & hordei totidem: atque adeo Arithmetica ratione, operarijs omnibus erogabat in singulos annos tritici coros sexcenta duo millia octingentos quinquaginta: qui aequiualent rubijs Romanis, octingentis quinquaginta septem millibus septingentis tredecim, cum vna & quadraginta centesimis vigesimis tertijs: hanegis vero Hispanis, decies quater ter centenis sex millibus septuaginta & vna, cum quatuor decimis quintis; ac totidem hordei siue rubijs, siue hanegis.

VINI annona operariorum.

BOTTE 52985 $\frac{1}{14}$

ARROBAS. 1695515 $\frac{5}{8}$

Dabat similiter sextae parti Tyriorum operarum metretas vini viginti millia: ergo omnibus Tyrijs, octoginta millibus, mettetas centenas vicies millenas. Igitur omnibus operarijs dabat vini metretas sexcenta duo millia octingentas quinquaginta: quae aequiualent dolijs Romanis, seu vt vulgo botte dicunt, quinquaginta duobus millibus nongentis octoginta quinque cum quatuor decimis quintis. Hispanis, vero arrobis, decies sexies centenis nonaginta quinque millibus quingentis quindecim cum quinque octauis.

OLEI annona operariorum.

Vlterius eidem sextae Tyriorum parti, qui ligna caedebant, dabat olei sata viginti millia, igitur omnibus Tyrijs dabat sata centum viginti millia: ergo omnibus operarijs sexcenta duo millia octingenta quinquaginta, quae aequiualent dolijs, siue vt vulgo Romae dicitur botte, septem & decem millibus sexcentis sexaginta & vna, cum centum quinquaginta nouem ducentesimis quinquagesimis sextis dolij partibus: arrobis Hispanis quingentis sexaginta quinque millibus centum septuaginta & vna, cum septem octauis. Mensuras autem olei ad mensuras vini reuocauimus, proprias enim olei mensuras in nostris tabulis exigere non curauimus.

Et super haec omnia ijsdem operis omnibus abunde suppeditari curauit ex Galilaea, Samaritide, Moabitide, Ammonitide, & Galaaditide, Iudaea, & Arabia carnes, & cetera necessaria in singulos menses.

DONA Salomonis Regibus.

Absolutis aedificijs dono dedit Salomon Regi Aegyptio olei metretas decem millia, quae aequiualent dolijs Romanis, vulgo botte, octingentis septuaginta octo, cum viginti nouem trigesimis secundis. Arrobis, vero Hispanicis viginti octo millibus centum viginti quinque. dactylorum artabas mille, quae pares sunt coris centum sexaginta sex cum duabus tertijs: Romanis scorzijs quinque millibus trecentis septuaginta cum quadringentis decem quinque millesimis: hanegis vero Hispanis, mille centum nonaginta cum decem vigesimis primis. & mellis vasa centum, atque aromata. Tyrio vero Regi praeterea dono dedit viginti oppida in terra Galileae, & auream maximi pretij columnam.

Tom. 2. Explanat. Pars 2.

A Et quamuis tanta esset Gentium & operariorum varietas, & multitudo, quae in hoc aedificio, quam diligentem operam nauabat: quamuis tam abunde copiam rerum omnium ad victum necessariarum suppeditatam operis prouiderit, quamuis ad manus habuerit Salomon infinitam pene pecuniam mercedi soluendae, & operis sustentandis, quamuis maximas impensarum partes paratas a Dauide habuerit, aurum nimirum, argentum, ferrum, aes, pretiosos lapides, abundantissime: lapides grandes è monte Libano, ligna cedrina, & abiegna, & sexcenta alia tanto aedificio necessaria: nihilominus testantur sacrae literae septem ipsos annos cum dimidio B consumpsisse aedificando Templo. Tantae morae in causa erat, Templi magnitudo Quare Iosephus Salomonem affirmat haec tam magna & pulcra opera, ac donaria perfecisse septemnio, non ad opulentiae modo, sed ad celeritatis ostentationem. Quae enim aetatem hominis integram poscere videbantur, tam breui, si ad magnitudinem conferatur, tempore erant absoluta. Fores ex argento fabricatas totum Templum habebat. verubus autem acutis ad expellendas aues, ne tecto insiderent, ex auro vndique horrebat. Nec mirum est haec omnia breui perfecisse Salomonem, cum illius, ac Dauidis annui redditus immensi essent.

Iosephus 8. antiq. cap. 2.

ANNVI redditus Dauidis talenta auri 2226.

SCVTA Romana monetae 37463580

HISPANICA 33056000.

Nam ex duodecim Tribubus tributi nomine colC ligebat talenta auri mille quadringenta quadraginta: ex subiugatis Gentium regnis sexcenta sexaginta sex, ex fodinis Ophir vel quadringenta viginti, vel quadringenta quinquaginta; quorum omnium summa est talentorum duum millium ducentorum viginti sex: quae aequiualent scutis Romanae monetae tricies septies quater centenis sexaginta tribus millibus quingentis octoginta. scutis vero Hispanicis tricies ter centenis quinquaginta sex millibus. Excepto auro quod habebat ex vectigalibus vniuersi Israelitici regni, & aliorum regnorum. Excepto item argento tum ex tributis, tum vectigalibus, tum fodinis, cuius pondus decuplo maius auro erat. D Excepta item abundantissima regiae domus annona, quae tanta erat, vt ex ea sustentari potuerint quadraginta octo millia sexcenti. exceptis item expensis in nutriendis quadraginta millibus equorum currilium, & duodecim millibus equestrium. & mille quadringentis curribus, eorumque famulis stabularijs quatuordecim millibus quadringentis. Exceptis denique, plurimis donarijs ex auro & argento, quae singulis annis à Regibus vniuersae terrae eidem mittebantur.

EX CENSV Capitis talenta argenti 22000.

SCVTA Romana 31680000

HISPANICA 26136000

Templi & tabernaculi vsibus è censu Capitis singulis annis Hebraei dabant talenta argenti circiter viginti duo millia. quae aequiualent scutis Romanis monetae tricies & semel sexies centenis octoginta millibus. Hispanicis vero vicies sexies E semel centenis triginta sex millibus.

TALENTA argenti 70712.

SCVTA Romanae monetae 100825280.

HISPANA 85316000.

Capitationi praeterea addebant aurum pari saltem aestimatione: ex quo fit, vt singulis annis Hierosolymam inferrent argenti talenta septuaginta millia septingenta duodecim. quae aequiualent scutis Romanae monetae millies octies centenis viginti quinque millibus quingentis octoginta. Hispanicis vero scutis octingenties quinquagies ter centenis sexdecim millibus.

Quibus si reliqui prouentus addantur, quorum summa ignoratur, proculdubio summa ascendisset ad Hispanica scuta millies millia, quod vulgo diceremus cien milliones.

PRIMAE DOMVS GLORIA CVM CARIAE MAVSOlaeo, colossis, Babyloniae muris et hortis tribus mundi miraculis collata, magna esse deprehenditur.

Cap. LXI.

PRimae domus gloria si cum mundi miraculis atque celebrioribus alijs Romanae vrbis & vniuersi terrarum orbis aedificijs conferatur, maxima esse videbitur, sed certe minima, si cum secundae domus gloria comparetur. Id quod facili plane negotio a nobis demonstrandum est, atque ita ob oculos ponendum, vt nulla sano lectori superesse possit dubitandi ratio. Primam & nouissimam Dei Domum distinxit Aggaeus propheta, & posterioris quidem gloriam prioris gloriae praetulit. Hanc nostris Commentarijs, sin minus pro dignitate, vtcumque tamen exprimere conati sumus. Et quidem proximo capite crassioribus veluti delineamentis adumbratam simul proponere designauimus. Verum cum nouissimae domus gloria spiritualis sit pene tota, & quae ex collatione prioris pensanda sit, hanc oportuit iterum cum maximis orbis terrarum aedificijs conferre, quo exactior collationis ratio, & modus ante oculos proponatur.

ASSVMPTAE disputationis ratio.

Sileant igitur illa septem decantata toto terrarum orbe miracula, sileant vrbis Romanae prodigiosae moles, Roma ipsa Orbis miraculum sileat, si cum augustistissimo Dei Templo, à Salomone sapientissimo, ac opulentissimo Rege constructo conferatur. Quidquid certe iactat antiquitas, cum Hierosolymitano Templo collatum, tugurium erat, non palatium, breue sacellum, non templum, syluestres belluarum caueae, non amphiteatra, animantium cuniculi, non porticus: vno verbo tenebricosum erat quidquid Salomonica lux non illustrabat, quidquid in monte Moria non extollebatur. Ferunt prisci saeculi narratores fabricarum septem tantummodo appellata fuisse miracula, seu vt Graeci vocant ἐπιφανέστατα ἔργα manifestissima opera Ephesiae nimirum Dianae Templum, Regis Mausoli pulcherrimum monumentum, à quo & Mausolaea dicta sunt, Iouis Olympici simulacrum, quod Phydias primus artificum summa elegantia, ebore, auroque formauit, Cyri Medorum Regis domum a Memnone arte prodiga illigatis auro lapidibus fabricatam, Babyloniae muros, quos Semiramis Regina latere cocto, sulphure, ferroque construxit, Rhodi Solis aeneum signum, quod Colossus vocabatur, Pyramides in Aegypto. Addunt aliqui Turrim in Pharo Alexandriae insula a Ptholomeo Rege excitatam. Verum apud eos solum miraculi nomine digna existimabuntur haec, qui Hierosolymitani Templi notitiam vel nullam habuerunt, vel si habuerunt aliquam,

SEPTEM orbis miracula quae nam fuerint.

CVR GENtes tacuerint Templi Salomonis laudes

A inuidiae stimulis exagitati, vel impietatis, & Idololatriae tenebris obuoluti, nostrum hoc obscurare, illa vero praedicare conati sunt. Gentes enim à cultu veri, ac solius Dei non alienae solum, sed Dei hostes acerrimi, quod suum erat per ora hominum ferebant, aliena sin minus vituperare ausi sunt, silentio certe praeterire non erubuerunt.

Et quidem aedificia omnia à tribus laudari consueuerunt, ab altitudine primum, deinde ab amplitudine, postremo tandem ab ornamentis, ac decore, qui varius est, materia eiusque pretio, artificio, symmetria, & si quid aliquid elegantia, aut peritia amat. In quibus omnibus Templum

AEDIFICIA à quibus laudari possint.

B Salomonis vniuersa orbis aedificia superasse non solum probandum facile est, verum etiam luce clarius ostendendum quamlibet Templi partem miraculum procul dubio fuisse. Vrbem Romam ex bis capitibus, ob illius splendorem, collaudauit summopere Claudianus.

Qua nihil in terris complectitur altius aether:
Cuius nec spacium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit.

Agite iam inquiramus singula. detque Mausolaeum Cariae nobis exordium, quod re vera non tam celebre fuit, & inter septem miracula repositum ob amplitudinem, & maiestatem, quam propter manus industrias quatuor artificum, vt auctor est Plinius, alioqui enim Arthe-C misia vxor Mausolo Cariae Regulo, qui obijt Olympiade centesima Anno secundo, extrui curauit. Patebat totus circuitus pedes quadringentos & vndecim, attollebatur in altitudinem pedum sexaginta duorum, cingebatur columnis triginta sex. Ab Oriente caelauerat Scopas, à Septemtrione Briaxes, à Meridie Timotheus, ab occasu Leochares. Accessit quintus artifex, nam super ptera, seu pteromata, hoc est, adstructos, vicinosque parietes Mausolaei in altitudinem fabricae vtrimque assurgentes, Pyramis altitudinem inferiorem aequauit, vigintiquatuor gradibus, in metae cacumen se contrahens. In summo erat quadriga marmorea, quam fecit Pythis, quae veluti in aere pendere, & suspensis alis, &

MAVSOlaeum Cariae orbis miraculum

Plin lib. 36. cap. 5.

MAVSOlaei amplitudo, altitudo, artifices

D equis volare videbatur: vnde Martialis.

Aere nec vacuo pendentia Mausolaea.

Haec adiecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus concludebat. Proconnesio marmore extructum erat opus, latericijs tamen parietibus. De hoc Mausoleo mentionem facit Strabo, Herodotus, & Cassidorus. Valerius Maximus vocat monumentum vsque ad miracula prouectum. Gellius sepulctum memoratissimum dignumque inter septem terrarum omnium miracula numerari. Vitruuius ita egregijs operibus factum vt in septem spectaculis numeretur. Cicero nobile sepulchrum. Antipater μνῆμα E πέλωρον. hoc est, ingens monumentum. fuerunt autem Cares in Asia minori contra Rhodum, caput Regni Halycarnassaeus, vbi Mausolaeum spectabatur.

Martial lib. 1 epi 1.

Plin lib 35. c. 6.

MAVSOlaei laudes

Strab. lib 14.

Herod. lib 7.

Val Max lib. 4 c 6.

Gell. lib. 10. c 18.

Cic. Tuscul. 3.

Conferam igitur cum hoc Mausolaeo Hierosolymitanum Templum? non sim, si id faciam: satis enim, superque ex ijs quae dicta sunt, patet infinitis partibus maius esse hoc nostrum, pulcrius, & opulentius. Id quod singulis quibusque miraculis contingit vt ne conferenda sint cum Templo, nedum illi praeferenda, quapropter aliqua alia Salomonis opera in medium afferenda sunt, quasi templi corollaria, vt eo magis a Templo ipso su-

CONFERtur Mausolaeum cum sepulcro Dauidis.

so superari posse videantur aliena aedificia, quo à quibusdam Templi additamentis superantur.

MAGNIFIcentia sepulcri Dauidis. Ioseph. lib. 7. Antiq. c. 12. Conferatur ergo cum vno Dauidis Mausolaeo, quod Salomon parenti optimo construxit, ea magnificentia, qua nulla maior. de quo sic Iosephus: Sepeliuit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnifice. Quae magnificentia quanta fuerit, & quam excelso sepulcro, deduci potest tum ex eo, quod in praecipua Hierosolymitanae vrbis parte, nimirum in arce Sion collocatum fuerit, illiusque structura per multa secula vsque ad nostra tempora perseueret, tum quia aliorum Regum Hierosolymitanorum sepulcra, quae adhuc extant, magnifice satis extructa sunt. Hoc autem Dauidis sepulcrum multis descripserat olim Patriarcha Aquileiensis, quem laudat Serlius adiecta etiam illius figura. (Sebast. Serlius lib. 3.) In lapideo enim, ac solidissimo monte ferramentorum vi, olim perterebrato est factum satis amplum hoc aedificium: (SEPVLCRI Dauidis consideratio.) tribus cellis, usque maximis distinctum: quibus imminent testudines superiores scapello in natiuo saxo excisae, vt fere totum aedificium ex vno perpetuo lapide constet. Primo ingressu quatuor delubra sunt, quibus in medio, capaciorique sinu octodecim deinde succedunt, parsque postrema tandem, & intima duo tantum habet delubra: in quibus Regum Hierosolymitanorum corpora condi solebant.

Id autem aedificium omne vestibulum fuisse videtur sepulcri Dauidis, non ipsum sepulcrum, cum per cellas illas, vel earum aliquam occultus pateret aditus, & ad Regum delubra, & ad cellas, quibus immensi thesauri includebantur. vt patet ex Iosepho. (Ioseph. lib. 7. Antiq. c. 12.) Ex cuius etiam verbis constat eiusdem aedificij magnificentia. Nam (DIVITIAE maximae in sepulcro Dauidis.) praeter solemnia, inquit, in Regum funeribus, illa is etiam in monumentum eius maximas diuitias: Et quidem tot tantisque, vt ijs decies aedificari potuerit Reguli Mausoli sepulcrum. Quarum magnitudinem facile sit coniectari ex hoc, quod dicemus, nam post annos mille trecentos Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomento Pio, Demetrij filio, volens ei pecuniam dare, vt abducto exercitu obsidionem solueret, nec valens aliunde sol- (HIRCANVS e sepulcro Dauidis eduxit Romana scuta 50490000) uere, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit. Ecce iam quantae in vna è cellis illis diuitiae, scuta nimirum Romana quingenties quatercentena, nonaginta millia. (Hispanica scuta 44550000) Scuta vero Hispanica, quadringenties quadragies quinquies centena millia. Ac rursus post multos annos elapsos Herodes Rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit. quae cella priori non videtur pauperior fuisse, cum eam maiori siti, & auiditate Rex ille perquisierit. vt vtraque pecunia efficiat (EDVCTA E sepulcro Dauidis Romana scuta monetae 100950000. Hispanica vero 89100000.) scuta Romanae monetae millies millia nongenta octoginta millia, Hispanica vero octingenties nonagies, & semel centena millia. ad loculos tamen qui Regum cineres continebant, neuter eorum peruenit. singulari enim arte ita erant reconditi, vt ab ingredientibus monumentum inueniri nequirent. Tanta igitur pecunia in sumptuosissimo Dauidis Regis maximi Mausolaeo erogata est, vt ex ea quae superfuit, extrahi furtim potuerint ex duabus tantummodo cel- (EDVCTA E sepulcro Dauidis Talent. 6000) lis talenta sexmillia, nostrae monetae plusquam centum milliones, quanti vix forte viuentis Mausoli Regis ditio, regnumque vniuersum aestimaretur nedum emortui sepulcrum.

(IOVIS Olympici simulacrum orbis miraculum) Transeamus ad simulacrum Iouis Olympici, quòd tantae pulcritudinis fuit, vt eo perfecto interrogatus Phydias illius auctor, vnde id lineamentis eboris amplexus fuisset: respondit ex Iliadis primo.

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων (Iliad. α.)
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Hoc est

Haec sub dicta superciliis pater annuit atris,
Ambrosiosque immortalis de vertice crines
Fudit, & ingentem nutu tremefecit Olympum.

Tam artificiose factum opus fuit, vt nemo aemularetur, inquit Plinius: (PHYDIAE laudes. Plin. lib. 35. c. 10.) sancitumque est vt nemo seruus artem edisceret, quam Phydias exercebat, tantus ei honos est habitus, & ob illius excellentiam iactatum Graecis illud Prouerbium [illegible]. hoc est. Phydiam pax (Plin. lib. 34. c. 7.) inuenit. Floruit autem Phydias Olympiade octuagesima tertia circiter trecentesimo Vrbis Anno.

(SIMVLAcrum eburneum Iouis cum Solio Salomonis comparatur.) Verum hoc opus licet ex ebore factum, & auro, infinitis partibus superatur ab eo, quod vere orbis miraculum appellari potuit, nimirum à solio, vel throno Salomonis. de cuius pulchritudine & magnificentia ea verba sacrae literae proferunt, quae omnem praecludunt conferendi occasionem. (3. Reg. 10. ℣. 18. 19.) *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis*, Hebraice מופז muphaz, roborato idest solidissimo. sic dictum aurum optimum putant, quod quo aurum ceteris metallis solidius est, eo purius solidum magis est, quam permixtum. Nisi roboratum aut solidum appelletur aurum, propter laminarum, quibus solium operiebatur soliditatem, & grauitatem. *auro mundissimo*, dicitur in Paralipomenis, (2. Paral. 9. ℣. 18.) *qui habebat sex gradus: quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duae manus*, vel *duo brachiola*, vt inquit liber Paralipomenon. *hinc atque inde tenentes sedile: & duo Leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus, hinc, atque inde.* Videtis quam magnifice describat Spiritus sanctus artificum omnium magister miraculum hoc (SOLIVM Salomonis supra omnia mundi miracula.) non inter septem, sed supra omnia numerandum. Vt autem plenius cognoscatur nec Phydiae simulacrum Iouis Olympici, nec aliud quodcumque opus cum solio Salomonico conferri posse; audite quid idem sanctus Spiritus tanquam solemni decreto, & inuiolabili praecepto statuerit. *Non est*, inquit, *tale opus in vniuersis terris*. Hebraice. לא נעשה כן lonaghasa chen, hoc est, non factum sic, id est, nullum opus ex ebore & auro factum est adeo pulcrum, insigne, ac celebre in vniuersis regnis. De quo nos, Deo superstitem vitam dante, vberiorem commentarium, & exemplar exhibebimus.

(BABYLOnis muri vnum ex septem miraculis.) Babylonis certe muros, & hortos pensiles inter septem orbis miracula numeranda esse non negauerim. cum illi trecenta & octoginta stadia complectantur, milliaria nimirum circiter quadraginta octo, tanta assiduitate elaborati, vt vnum quotidie stadium absolueretur: omnia pene intra vnius anni circulum, vt auctores sunt Alexander, & Chiliarcus, & alij. (Alexand. Chiliarcus. Diod. lib. 2. Strab. lib. 16. Iust. lib. 1. Herod. l. 2. Solin. c. 60. Dionis. de situ orbis.) Hi vero tanti, ac tam magnifici, vt a multis Assyriorum Monarchis sumptu maximo, & labore sint aedificati operarijs trecentis millibus. Altitudo moenium (OPERARII murorum Babyloniae 300000) erat pedum ducentum, latitudo quinquagenum, vt quadrigae sibi occurrentes non offenderentur. Quibus autem cum operibus Salomonis hoc miraculum conferemus? Vix cum sola

Templi

MVRI BAbylonis cum muris Templi conferuntur.

Templi sacri substructione, quae montem Moria circuibat, in quo Templum est aedificatum. Haec enim licet minor circuitu illorum moenium fuerit, altitudine tamen, & impensis, ac pretiosa murorum materia adeo superat, vt nulla fieri possit comparatio. Illorum moenium altitudo erat pedum ducentum: Huius substructionis altitudo pedum mille & quadraginta octo. Illorum fabrica lateritia, huius marmorea, & ijs lapidibus pretiosissimis constans, qui ad viginti quinque cubitos protenderentur, hoc est, pedes sexaginta quinque, vt quilibet lapis ex grandioribus huiusce nostrae fabricae, qui parius est, pretiosior sit toto Babyloniorum moenium aedificio. Illorum porro latitudo pedum quinquaginta, istius in angulis, & saepius in medio cubitorum centum, pedum scilicet ducentorum sexaginta duum, vbi vero angustissimus, cubitorum quinquaginta, pedum nimirum centum triginta & vnius. Illa absoluta sunt a trecentis millibus, haec a quadringentis & eo amplius, illa intra vnius anni circulum, haec breuiori tempore, si septem annis non substructionem tantum, sed etiam totum Templi aedificium fabricatum fuisse consideremus.

SVBSTRVctionis Templi Salomonis laudes.

SVBSTRVctionis altitudo.

Lactant li. 3. de falsa sap. c. 14.
Diod l. 2. c. 4
Strab. l. 3.
HORTI pensiles describuntur.

Hortos pensiles describit Diodorus, Strabo, Lactantius. Eorum haec est summa. Horti, quos quadratos facit Strabo, patebant in singula latera iugera quatuor: accessus montuosus erat, summam murorum altitudinem aequabat: multaque arborum vmbra, & proceritate amoeni. saxeae pilae totum opus sustinebant, super pilas lapide quadrato solum stratum patiens terrae, quam altam injiciunt, & humoris, quo rigant, adeoque validas arborum sustinens moles, vt stipites earum octo cubitorum spatium crassitudine aequent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant. Habebant substructiones alias ex alijs aptas, vt theatri aspectum referrent. sub extructis enim ascensibus aedificatae erant testudines sustinentes totum viridarij pondus, seque inuicem sensim paululum exsuperantes accessu. Fornici supremae, cuius altitudo erat cubitorum quinquaginta imposita erat suprema hortorum superficies. Muri sumptuose firmati & stabilin crassitudinem habebant pedum duorum & viginti: egressus autem quilibet latitudinem habebat pedum decem, culmina tegebantur lapideis trabibus longitudine pedum sexdecim, latitudine sex. Tabulatum trabibus impositum primo substratum habebat calamum multo bitumine illitum, deincepsque laterem coctum gypso colligatum: tertio super iniectum erat tectum plumbeum, ne aggeris humor penetraret. Fornices multae & variae, quarum vna supremam superficiem multis locis incisam habebat, & machinas ad hauriendas aquas, quibus aquae magna vis ex flumine Euphrate, qui totam vrbem interfluit, cui erant horti impositi, sursum attollebatur, quae à nemine externo prospici poterat. Itaque procul visentibus siluae montibus suis imminere videbantur. De ijsdem agit etiam Iosephus, Plutarchus, & alij.

Ioseph. l. 10. Antiq. c. 13.
Plutarch. lib. 2. de fortuna Alex.
HYPPOGEAE Templi structurae Miraculo erant mirabilibus magis.

Sed quis haec omnia magni faciat si Templi hyppogaeas, substructiones vel obiter expenderit, quarum amplitudo non minor vniuersi Templi magnitudine propemodum immensa fuisse, demonstratum est? materia pretiosum marmor, structurae artificium, & symmetria plane diuina, & quae suamet firmitate contenta non egeret arundinum, bituminis, laterum, gypsi, plumbi adminiculis ad sustinenda pene perpetuo effluentia aquarum flumina, quibus & sacrificia lauabantur, & Templi pauimentum ab animalium sordibus expurgabatur, ac speculis ipsis nitidum magis, & purum conseruabatur.

COLOSSVS Rhodi orbis miraculum.
Plin. lib. 34. c. 7.

Celebrant etiam mirum in modum antiqui signa aere fusa: inter quae vnum Appollinis in Capitolio a Lucullo translatum ex Apollonia Ponti vrbe, triginta cubitorum, mille & quinquaginta talentis factum, alterum Tarenti quadraginta cubitorum, & ante omnia Solis colossum Rhodi, quem fecerat Chares Lydius septuaginta cubitorum altitudinis, cuius pollicem pauci amplecti poterant, & cuius maiores erant digiti, quam pleraeque statuae, duodecim annis effectum, trecentis talentis, quae contulerant ex apparatu Regis Demetrij. Colossi autem non nisi Dijs dicabantur, vt hoc obiter adnotetur. Statuae vero, quae intra humanam staturam fiebant, vocabantur signa, & decernebantur bene merentibus, sapientibusque viris: statuae magnae quae intra sesquialteram partem staturae continebantur, Regibus, & Imperatoribus: maiores, quae duplo altiores homine, solis heroibus, maximae denique triplo staturam hominis continentes, vel saepius, primum solis Dijs aedificabant antiqui, & dicebantur colossi à Colosso inuentore, vt sentiunt aliqui, vel melius ἀπὸ τοῦ κολούειν τὰ ὄσσε, ab hebetando visum dictum, quod perstringantur oculi in tanta altitudine spectanda. Quod canit Statius.

COLOSSI Dijs dicabantur.

STATVArum varius visus & differentia.

COLOSSVS vnde dictus.

Statius in Siluis.

—*vix lumine fesso*
Explores, quam longus in hunc despectus ab illo.

Postea Barbari Reges, & Romani etiam Imperatores sibi illas statuas vindicarunt, vt fecit Caligula, Nero, Commodus, & alij. Legendus est Plinius, Cassidorus, Suetonius, Spartianus, Lampridius. Pondus vero totius colossi Rhodij tantum erat, vt eo perfracto circa annum Domini sexcentesimum quinquagesimum victa Rhodo Sarraceni onerarint nongentos camelos, vt auctor est Blondus. atqui ex Plinio, & Diodoro cameli pondus est decem medimni frumenti, ex quo medimnus pendit libras centum & viginti, vt onus cameli sit librarum ducenrarum & mille. Itaque simille & ducenta per nongenta multiplices, habebis pondus totius colossi fuisse librarum decies centena octoginta millia, has si per centum & viginti quinque libras diuisens, habebis aeris talenta Hebraica, octo millia sexcenta & quadraginta.

Plin citat.
Cassid.
Suet in Vesp. c. 8.
Spart in Adriano.
Lamprid. in Commodo.
Blond.
COLOSSVS Rhodiani pondus
Plin.
Diod.
PONDVS Colossi Rhodij librarum 1080000.
AERIS TAlenta Hebraica 8640
COLOSSVS Rhodi cum Altari vel Mare aeneo confertur.
Supra c. 31. huius libri.

Cum hac aenea mole quodnam ex infinitis Templi vasis conferemus? An Altare aeneum, cuius pondus erat talentorum viginti millium? cuius item caelaturas admirabiles fuise supra descripsimus. at ab eo plusquam duplo superatur Colossi pondus. Comparabimus illud cum prodigioso illo aeneo Mari, vere orbis miraculo, de cuius etiam pulchritudine alibi locuti sumus? illius autem pondus erat talentorum item octomillium sexcentorum quadraginta, verum nostrum in hoc maius, quod aere non minus, quàm auro pretioso conflatum esset, vt hac ratione cognoscatur quantum à Mari nostro, vel Altari colossus ille superetur.

Tal. 8640.

EADEM PRIMA DOMUS ILLUSTRIOR CERTE
fuit quam ut cum Persarum domo conferatur.
Cap. LXII.

DOMVS Cyri describitur.

Xenoph. l. 8. Zonar. Anna l. 17. Xenoph. l. 3. Ael. l. 3. cap. 13. Athen. l. 12. Aelian. lib. 10. c. 6.

Herodot. l. 5. Marcell. lib. 23. Diod. lib. 17. Cassiod. lib. 15.

Herod. lib. 1. Cur. lib. 5. & lib. 17.

Iustin. l. 11. Diod. lib. 17.

DOMVS Cyri Persarum Regis inter septem orbis miracula numeratur. Eam ut explicemus animaduertendum inprimis est, Persarum Reges certo loco continuas sedes non B habuisse, sed eas statis temporum vicibus mutasse. Quod institutum imitati sunt alij Reges auctore Xenophonte, & Atheneo. Itaque Persae aestate Ecbatanae, hyeme Susis agebant, vel Parasargae, Persepoli Aeliano. Hae enim tres vrbes Regni Persarum metropolitanae erant. Susa enim certe alias superabat, quippe ab amaenitate, & floriditate sic dicta Atheneo. Persica enim lingua Susum ilium significat. ibi Regiam ponit Herodotus, Marcellinus, & Diodorus, Plinius eam facit à Dario conditam. melius Aelianus à Memnone, vnde Memnonia vrbs tum alijs, tum praesertim Cassiodoro, qui ibi domum eam ponit arte prodiga factam illigatis au- C ro lapidibus. Ecbatanae autem Regia multo spectatior Herodoto, vnde metropolim Persarum vocat eam Diodorus: Caput Mediae Curtius, & praecipuam Regum, satraparumque voluptatem. Parasatgae Regiam ob monumentum victoriae, quòd ibi Astyagem superasset, regia opulentia supra ceteras refertam facit Curtius: & Iustinus eam vocat orbis terrarum spolijs refertam. Eam sic describit Diodorus. Ampla & spaciosa erat, triplici muro cincta, quorum primus immenso sumptu extructus altitudine cubitorum sexdecim, exornatus pinnis, secundus fabrica priori adsimilis, duplo altior. tertij ambitus figura erat quadrilatera: eiusmodi autem murus D altitudinem habebat cubitorum sexaginta, duro lapide, & ad perpetuitatem appositissimo aedificatus. latera singula aeneas habebant portas, quibus adstabant valli aenei viginti cubitorum longitudine. In eadem Regia erant mansiones complures extructae sumptuose, & ad pecuniarum custodiam accommodate fabricatae. Eam Regiam multa cedro aedificatam facit Curtius, & Diodorus. septa erat multis ianuis, & stipatoribus ex Aristotele, quem Latinum facit Apuleius his verbis. Tecta inquit fulgebant eboris, argenti luce flammea, auri & electri claritate, limina vero alia prae alijs erant, interiores fores, exteriores ianuae muniebant, portaeque ferreae, E & muri adamantina firmitate. Arctae fores, viri fortes, stipatoresque regalium laterum, tutela peruigili custodiam per vices fortium sustinebant. erant inter eos diuersa officia in comitatu Regio; armigeri quidam extrinsecus, singuli custodes locorum erant, & ianitores, & atrienses: sed inter eos aures regiae, & oculi, quidam homines vocabantur, quibus vbicumque gererentur omnia discebant. Eam Regiam Philostratus auream domum vocat. An quia illigatis auro lapidibus constructa esset? Aeschilus χρυσεσίλβοις. hoc est, auro fulgentibus iactat. Sanctus Ioannes Chrysostomus vocat αὐλὴν τῶν Ἀσιανῶν

Arist. lib. de mundo. Apuleius.

Philostr. l. 2.

Chrysost. orat. 2. de Regno

A βασιλέων. hoc est, aulam Asianorum Regum. In ea aurea sella, in qua sedebat Persarum Rex auctore Philostrato. Vnde Tetzes Historicus ἐν χρυσῷ θρόνῳ, in aureo throno sedisse meminit Xerxem. imo victa Asia Alexandrum aureo solio impositum tradit Curtius. Vnde Plutarchus voluptate caruisse tradit Graecos illos, qui Alexandrum sedi aureae insidentem non vidissent: qua sella interdictum poena capitis priuatos sedere ex Diodoro, & Curtio. Aureo etiam lecto cubabant Reges Persarum ex Iosepho: & aureo tabernaculo nauem Sidoniam, qua Xerxes vehebatur, instructam fuisse tradit Herodotus. Auream praeterea Platanum, auream arbustiuam B vitem ex Xenophonte, & Atheneo, Herodoto, Plinio, quae vitis gemmis ornata, & lecto superstans ex Atheneo: vuae illius ex pretiosissimis lapillis coagmentatis. Denique Palatio appliciti horti diligenter consiti, in quos animi gratia secedebant Reges ex Xenophonte, & Plutarcho, Hesychio, Polluce: quos hortos Paradisum appellat Xenophon, in quibus conclusae ferae alebantur, quas voluptatis, & exercendi corporis gratia Reges agitabant.

Tetzes chil. 1. c. 32.

Cur. l. vlt. Plutarch. in Alex.

Diodor. l. 17. sect. 2. Cur. lib. 5. Ioseph. l. 20. Antiq. c. 3. Herod. l. 7. Xenoph. l. 7. Athene. l. 7. Plin. lib. 33. c. 10.

Xenoph. l. 1. Plut. in Artax. Hesych. Poll. l. 9. c. 3. Xenoph. l. 3.

Verum ea quae de his Regijs sacrae literae testantur cetera omnia superare videntur. De Palatio enim Assueri Persarum Regis, quod Susis erat, & in quo conuiuium illud solemne celebratum C est, sic scribunt: *Inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susan, a maximo vsque ad minimum & iussit septem diebus conuiuium praeparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbasini, ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque*, super quos recumbentes conuiuia celebrabant, *aurei erant, & argentei super pauimentum smaragdino, & pario stratum lapide, dispositi erant quod mira varietate pictura decorabat: Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis.* Sed certe hanc domum D cum Salomonis domo cordatus homo non conferat, nedum hanc illi praeferat. Nam qui septem annos in extruendo Templo posuerat sapientissimus aeque, ac potentissimus Salomon, idem ipse toros tredecim annos in extruenda domo sua haud immerito collocauit. Atque eadem tributa ad aedificandum Mello imposita, quibus ditissimum populum pene exhausit, tamdiu etiam exegit, quamdiu domus suae aedificatio perdurauit. Cui nec defuit Hiramus, neque alij Reges munera sponte deferentes, vt sumptu propemodum infinito aedificata fuisse domus illa intelligatur. Huius denique tanta est magnificentia, vt stupori vertatur. de ijs consulto silemus, E tum quia in infinitum excedunt Cyri Regiam, tum etiam quia illa omnia simul suo loco recensenda seruamus. Vt autem cognoscamus quàm magnifica fuerit vniuersa domus, sacrae literae attentius perlegendae sunt. *Omnia lapidibus pretiosis*, inquiunt, *qui ad normam quandam, atque mensuram tam intrinsecus, quàm extrinsecus serrati erant, à fundamento vsque ad summitatem, & extrinsecus vsque ad atrium maius.* Magna ne sunt haec? Addit autem sacer Textus id quod maius est, & reliqua omnia superare videtur. *Fundamentum autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem, siue octo cubitorum*: pedum scilicet vel viginti quinque, vel viginti. *Et de-*

Esther. 1. ℣ 5. 6. & 7.

FVNDAMENTa domus Salomonis Libani pretiosa

3 Reg 7. ℣. 9.

Ibid. ℣. 10.

3. Reg. 7. ℣. 11.

Et desuper lapides pretiosi aequalis mensurae secti erant similiterque de cedro.

Iam quae nam Regum omnium, & Imperatorum Regia vllo vnquam tempore fuisse legitur huic similis, vt pro fundamentis habuerit pretiosos lapides magnos? vt singuli lapides hi totidem miracula fuisse censenda sint, ex quibus tam pretiosis fundamentis, quanta totius fabricae magnificentia fuerit colligi potest. Quae enim fabrica poterit cum Salomonis culminibus contendere, quando nec ima huius vnius fabricae possunt similitudinem repetire?

FVNDAmenta saltus Libani incomparabilia.

Quae omnia cùm ad structurae pretiosam materiam explicandam facere tantummodo videantur, ea tamen quae à Iosepho percensentur ad domus opulentiam, & splendorem indicandam facientia fuisse; videntur ex sacris item literis maxima ex parte collecta, Et haec tamen inquit, pro dignitate fortunarum Regis, ac gentis est exaedificata. Enumeratis autem quamplurimis, magnificentissimisque huius aedificij partibus, earumque ornamentis, non minus opera sculptoriae, Phrygionicae, aut picturae artis preciosa, quàm materiae, haec verba subiungit: Praeter haec erant & alia cubicula ad voluptatem facta, & porticus ad ornatum Regiae longissimae, in quibus splendidissima triclinia referta auro, vt quae aurea supellectilis ad omne regij conuiuij ministerium erant instructa. Difficile est eaumerare amplitudinem, ac varietatem aularum tam maiorum, quam mediocrium; cum quae sub terra latebant, quaeue in aerem elegantissime attollebantur. In summa totum aedificium e marmore candido, & cedro, & auro, atque argento constabat; dispositis per parietes, & laquearia varijs lapillis auro inclusis, quemadmodum & in ornatu Templi factum fuerat. Haec certe aurea domus dicetur, aut gemmata potius? cui aurum ad exornandos lapillos auro ipso pretiosiores, superadditum fuisse videbatur. omnia enim domus communia instrumenta, cum ornamentis aurea erant.

Ioseph. 8. Antiq. c. 2.

EADEM PRIMAE DOMVS GLORIA CVM RELIquis mundi miraculis confertur.

Cap. LXIII.

GRADVM itaque faciamus ad eam Turrim, quam Ptolomaeus Aegypti Rex in Pharo insula Alexandriae construxit. non ad alios vsus, quàm ad nocturnos ignes nautarum vsui ostendendos, erogatis in eam fabricam talentis octingentis, & decem, Sostrate Gnidio Architecto. Vnde propterea inter orbis miracula aliqui reponunt. Hanc cum nulla Templi Hierosolymitani parte comparandam esse probat, tam exigua in illius structura erogata pecunia. Octingenta enim talenta Attica, siue Aegyptiaca non excedunt

TVRRIS Pharos inter orbis miracula.

Tal. 810.

A scuta Romana monetae sexcenta millia, Hispanica vix quingenta millia, quae summa quadragies fere minor est illa, quàm Salomon in liberalitatis signum Templi operis, praeter mercedem maximam, erogauit, vt suo loco probauimus.

Maius ergo negocium facescit nobis Ephesianum Dianae Templum. Illud nimirum portentum mundi, aedes miraculosa, orbis spectaculum, Asiae totius impendium, multorum Regum studium. Sed illud cum Salomonico Templo collatum, mus videbitur coram Elephante. Plinium de eo loquentem audiamus. Magnificentiae vera admiratio, Templum Ephesiae Dianae viginti & ducentis annis factum à tota Asia. In solo ideo palustri fecere, ne terrae motus sentiret, aut hiatus timeret. rursus, ne in lubrico,

DIANAE Ephesiae Templum inter septem orbis miracula.

Plin. l. 36. c. 14.

B atque instabili fundamenta tantae molis locarentur, ante calcatis in ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanae. Vniuerso Templo longitudo est pedum viginti quinque & quadringentorum, latitudo viginti & ducentorum. Columnae centum & viginti septem, à singulis Regibus factae, sexaginta pedum altitudine, ex ijs triginta sex caelatae, vna à Scopa: operi praefuit Cresiphon Architectus. Summa miracula epystilia tantae molis attolli potuisse. Haec Plinius. Itaque Templi vniuersi circuitus fuit pedum mille ducentorum & nonaginta, altitudo vero si addantur stylobatae, & coronae, est pedum circiter centum. In eo fano Hecatae si-

COLVMnae in Templo Dianae.

CIRCVITVS Templi Dianae.

Plin. l. 36. c. 5.

C gnum, in cuius contemplatione admonebant in aditu parcere oculis, tanta marmoris radiatio erat. Erant etiam quinque Amazonum statuae, prima a Polycleto, secunda à Phydia, tertia a Ctesyla, quarta a Cydonio, quinta a Pragmone summa aemulatione factae. Et Apollinis statua aenea, quam Augustus restituit sublatam prius à Marco Antonio Triumuiro.

SIGNVM splendidissimum in Templo Dianae.

Plin. l. 34. c. 8.

AMAZOnum statuae in Templo Dianae.

Ibidem.

APOLLINIS statua aenea in Templo Dianae.

Age Conferamus Dianae Templum, non quidem cum toto Salomonico, ne iniuriam Deo inferamus Templi sacri architecto: neque cum porticu Gentium, quae septies maior est fano Dianae, sed cum ea atrij parte, quae complecti-

D tur medium Templum, cingiturque peribolo Sacerdotum, & continet sex porticus, & totidem castella, excluso nihilominus Sanctuario, & Domo Dei. Cui parti si adiungantur porticus, & castellorum columnae, quae murum eumdem ambiunt, quemadmodum forma similis est Ephesiani Templi, ita amplitudine, altitudine, & ornamentis illo est multo amplior. Illius enim circuitus erat pedum mille ducentum & nonaginta, huius vero, pedum bis mille octingentorum octoginta duorum cum quingentis sex sexcentesimis vicesimis quintis: illius altitudo pedum centum, huius centum quinquaginta & septem, vbi mini-

TEMPLVM Dianae confertur cum vno Templi Salomonis atrio.

2882 $\frac{506}{625}$

E ma, vbi vero maxima, nimirum in castellis, est pedum ducentorum. Columnarum ibi marmor non exprimitur, nostrae columnae ex marmore Pario mirabili artificio caelatae omnes, nec numero cedunt, cum fuerint in infimo ordine, si dimidiatas adnumeres quadringentae octoginta sex. Illud Templum vix tandem post ducentos, & viginti annos absolutum est, totum Salomonis Templum, quod illo millies maius est, septem annis illius Architectus Ctesiphon, huius vero Spiritus sanctus. illius epystilia miraculum, horum amplitudo parem non habet. Opere Corinthio insculpta erant huius capitella pulcra vsque ad miraculum. Mirum in eo Templo centum & vigin-

COLVMnae atrij sacerdotum 486.

& viginti septem epistylia potuisse attolli ad eam altitudinem, in nostro Templo maius est miraculum singulos lapides ex infinitis propemodum in altissimum montem Moria attolli in altitudinem, non quidem pedum centum, vt ibi, sed mille & ducentum, quorum lapidum longitudo erat pedum sexaginta quinque, vt totidem miracula fuerint, quot lapides, rursus totidem miracula, quoties singuli lapides attolli visi sunt in eam altitudinem. Illius columnae à centum & viginti septem Regibus erectae, hae ab vnico Rege Salomone, sed Regum maximo, sed sapientissimo, sed ditissimo. Patet ergo quam multis partibus miraculum illud Ephesiani Templi ab vnica Salomonici parte superetur. Addite nunc alia multo plura illius loci decora, innumeras aureas coronas è capitellis pendentes, aureas crustas, & argenteas, parietes ipsos, & lacunaria fere argentea, vasa argenti, & auri, argenteas vel aureas etiam portas, & fenestrarum crates, candelabra aurea, & argentea pene infinita, cedrorum infinitam materiam, & pretium, & sexcenta alia, quae per se parent, quaeque longum esset numerare.

PYRAMIDES Aegypti inter septem orbis miracula

Supersunt Pyramides septem supra cetera omnia celebrata miracula iuxta Memphim extructae, Regum pecuniae ociosa, & stulta ostentatio, circa quas, vt auctor est Plinius, multa vanitas illorum hominum fuit, quae orbem terrarum impleuere fama, conspicuae vndique adnauigantibus. Ita dictae ἀπὸ τῦ πυρὸς, quod in formam ignis ascenderent. Fuerunt enim quadratae moles, atque ab ima, & latissima basi paulatim in apicem decrescendo crescentes. Illae quidem multae fuerunt, sed earum praecipuae tres.

PYRAMIS amplissima ex Arabicis lapidibus. Plin. lib. 32. cap. 12. Herodo lib. 2. Arist pol. 3. Diodor. l. 2. Poly. histor. Dion l. 1. Solin. 3. Plut. lib. 50. PYRAMIdum dimensiones Colum. Epigr l. 4. Ammia. 22. Solin. citat.

Pyramis amplissima ex Arabicis lapidibus constabat, trecenta quadraginta sex millia hominum Plinio annis viginti eam construxisse produntur, priori decennio aduecta fuisse saxa enarrat Herodotus, altero decennio consummatam fabricam. Legendi sunt Aristoteles, Dionisius, Alexander, Polyhistor, Diodorus, Plutarchus, Solinus. quorum aliqui in raphanos, allium, & caepas mille octingenta talenta erogata tradunt. Vna earum paribus interuallis Straboni assurgit stadium vnum, haec autem Columellae, & Plinio, continet pedes sexcentos vigintiquinque, latitudo eadem singulorum laterum. Vnde Epigrammatarius Graecus ait illas sidera contingere. Ammianus Marcellinus Solino consentiens illarum altitudinem ait vltra omnem altitudinem esse, quae manu fieri possit. Alij dant cuilibet pyramidi gradus ducentos sexaginta, singulos sesquitertio pede altos, vt omnium altitudo sit, pedum sexcentorum viginti quinque, quod in idem recidit.

SPHINX lapidea inter Pyramides. Plin. Plut. citat.

Minor pyramis, quae tamen multo spectatior est, Aethiopicis lapidibus, assurgit pedes trecentos sexaginta tres inter angulos. Ante has omnes erat Sphinx, vel magis miranda, inquit Plinius, immani magnitudine, quae admonebat aliquid aenigmatis latere, multaque arcanae sapientiae mysteria ijs molibus contineri. de qua Plutarchus. Amasim regem putant in ea conditum, quem Appion Grammaticus Pharaonem putat Hebraeis infensissimum, at Philoni

PHARAO quisnam fuerit.

Pharao Thermosis fuit, Eusebio Cenchres, Artabano Nechenfres. Amasim enim saeuum, ac crudelem in omnes potentem, ac superbam ab Aethisane Aethiopum rege principatu spoliatum fuisse tradit Diodorus. Erat autem Sphinx saxo naturali elaborata, & lubrica, capitis monstri ambitus per frontem Plinio centum duos pedes colligit, longitudo pedum centum quadraginta trium, altitudo à ventre ad summum apicem centum septuaginta duum.

Diod. lib. 2. biblioth. SPHINGIS dimensio.

Haec sunt Pyramidum miracula: non nego. Earum partes quaslibet, non quidem vt vere fuerunt concauae, & aggesto, & latericio opere refertae verum ac si solido, perpetuoque lapide constarent ita recensuimus, vt ne minimam quidem mensuram, vel millesimam digiti partem omiserimus; tametsi earum quamlibet, imo vero omnes simul cum nostro Templo conferre erubescamus.

PYRAMIDIS maximae dimensiones. Bellon.

Iam ex relata opinionum silua cum Strabone sentimus Pyramidum maximam, longam, latam, altamque similiter fuisse stadium vnum, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque, varijs gradibus distinctam, vt oculati testes affirmant. Et quamuis de numero graduum non omnes consentiant, ex eorum tamen mensura sentimus cum Bellonio gradus fuisse ducentos quinquaginta, quorum singuli sursum ascendendo, aequali detrimento decrescerent. Quadratum in summo cum Plinio posuimus pedum vigintiquinque. Horum igitur omnium quadratorum graduum, quadratas bases, si Geometrica ratione peruestiges continere inuenies quadratos pedes, 4266250. quem numerum si per altitudinem vnius gradus, quae altitudo colligitur fuisse ex dictis, sesquitertio pede, multiplicetur, dabit soliditatem totius pyramidis, pedum cubicorum, 10665625. Hunc numerum si per octodecim diuiseris, quot cubicos pedes continet cubitus cubicus iuxta praescriptum nostrae tabulae proportionum primae, exhibebit eiusdem pyramidis soliditatem cubitorum cubicorum, 592534[illegible].

Vt ergo omnes septem pyramides simul computemus, ponamus id, quod facile a quocumque concedetur, omnes forma, ac poportione fuisse similes. Et minimae altitudinem recenset Plinius pedum trecentorum sexaginta trium: erit ergo proportio pyramidis maioris ad minorem, quae cubi altitudinis maioris, sexcentorum viginti quinque pedum, ad cubum latitudinis minoris, pedum trecentorum sexaginta trium. Atque adeo Arithmetica ratione inueniemus, minorem pyramidem fuisse cubitorum cubicorum, 124511 [illegible]. Ac ne videamur omnia ancta imminuere, ponamus quatuor ex pyramidibus maiori pares fuisse, quod cuique probabile videbitur, vnam vero tantummodo aequalem minori, vt bis sumpto numero minoris, & quinquies numero maioris omnes septem simul pyramides efficiant sacros cubitos cubicos, 2991696[illegible].

PYRAMIdum omnium soliditas.

His ergo positis considerandus est (vt cum aliqua Templi parte conferantur pyramides) angulus vnus substructionis nostrae, is nimirum, qui Orientem, Meridiemque prospicit, praetermissis Anteridum proiecturis, quem vniuersis pyramidibus opponimus. Hic enim angulus longus erat, ac latus cubitos centum, vt quadrati cubiti fuerint in eius summa, atque ima superficie, 10000. Qui numerus per anguli minimam altitudinem cubitorum trecentorum multiplicatus cubicos cubitos dabit angulo praedicto, 3000000. Qui numerus maior est praedicto pyramidum numero cubitis cubicis, 8303[illegible].

OMNES Pyramides cum vno substructionis angulo comparantur.

Qua

Qua in re solum ob oculos proponimus lapidum, & structurae perfectionem, pretium, magnitudinem, compagum subtilitatem, symmetriam, & reliqua, quae alibi persecuti sumus. in quibus infinitis partibus excedit haec substructionis particula pyramides vniuersas, omnemque magnificentiam otiosam, & stultam Aegyptiacam opum, longe, lateque superabat.

OMNIA orbis miracula comparari non possunt cum fabricis Salomonis.

Hactenus iam famosa illa toto terrarum orbe miracula recensuimus, quae non modo sigillatim, sed collectim etiam sumpta cum Salomonis aedificijs comparari nulla ratione possunt, quin multis partibus amplitudine, dignitate, ornamentis, & opibus supecentur.

ROMANAE VRBIS

SVMPTVOSA AEDIFICIA *primae domus gloriam maxime extollunt.*

Cap. LXIV.

VRBIS ROmanae aedificia tondem miracula.

NON defuerunt, qui septem illa orbis miracula cum Vrbis Romanae miraculis conferre vix dignati sint, vt Plinius auctor est: Vrbs enim ipsa, & illius membra pene quaelibet miraculum erant. Vnde idem Plinius de Roma agens: ad Vrbis nostrae, inquit, miracula transire conueniet, & sic quoque terrarum orbem victum ostendere, quod accidisse toties pene, D quod referentur miracula, apparebit. vniuersitate vero coaceruara, & in quemdam vnum cumulum coniecta, non alia magnitudo exurget, quàm si mundus alius quidam in vno loco narretur. Cui consentit Cassidorus: nunc autem, inquit, potest esse veridicum, si vniuersa Roma dicatur esse miraculum. Hinc Constantius Imperator, apud Ammianum, Romam ingressus, cum venisset ad Rostra, perfectissimum priscae potentiae forum, obstupuit perque omne latus quo se oculi contulissent, miraculorum densitate perstrictus, laetitia fruebatur optata. & quidquid erat primum, id inter alia cuncta eminere sperabat, Iouis Tarpeij delubra, lauacra in modum E Prouinciarum exructa, Amphiteatri molem lapidis Tyburtini compage solidatam, Pantheon, Vrbis templum, forum Pacis, Pompeij theatrum, aliaque decora Vrbis aeternae. Haec erant Vrbis Romanae miracula illis septem siue maiora, siue etiam pulcriora non negauerim. Nos vero inter conferendum augebimus potius illorum ornamenta, & maiestatem, quàm diminuemus: sed nihilominus ipsa luce meridiana clarius ostendendum est, omnia Vrbis miracula non sigillatim modo, sed vniuersim accepta, cum vno Hierosolymitano Templo conferri non posse. Nam praeterquam quòd Salomonis aedificia omni-

ROMA VNIuersa miraculum.

Ammianus.

ROMAE praecipua aedificia.

A bus illis antiquiora fuerunt, vt hac ratione primas obtinere facile possint, & ab ijs etiam ceterae gentes exemplum sumpserint, fuit enim Salomonis Templum omnis bonae architecturae primum exemplar: ornamenta etiam, & magnificentia Salomonici Templi multo maior ostenderur.

At cum longum sit vniuersa Vrbis aedificia considerare, sicur neque omnia Salomonis, pauca modo ex multis resumentur, quae vt paulo ante numerata, sic inter cetera eminere visa sunt, eorumque amplitudinem, altitudinem, ornamenta spectabimus. Romanorum aedificiorum altitudinem maximam facit Vitruuius: Cum B recipere, inquit, non posset area plana tantam multitudinem, ad auxilium altitudinis aedificiorum res ipsa coegit deuenire. & Plinius cum de Vrbis magnitudine dixisset: Quo, inquit, si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto extimationem concipiat, fateaturque nullius Vrbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. & expressius Rutilius.

Vitru. l. 2. 1.

Plin. lib. 36.

Rutil.

Exaudi genitrix hominum, genitrixque Deorum,
Non procul à caelo per tua Templa sumus.

Quibus significat altissime in aera surrexisse Romanam Vrbem. Sed quanta ea altitudo? Augustus Princeps cum altitudinem aedificiorum coercere voluisset, & ambitionem, Strabone teC ste, ad septuaginta pedes reduxit. Esto palatia Principum, templa Deorum decretum hoc non seruarint, sint ergo multo altiora, pedes nimirum ducentos, idquod liberaliter concesserim, quid haec tota altitudo cum qualibet altitudine aedificiorum Templi? Nam sola Templi substructio pedes erat alta mille, cui altitudini, si addas turrim, quae pedes trecentos viginti septem alta erat, fiet altitudo pedum mille trecentorum viginti septem, quae decuplo maior est quacumque maxima Romana ambitione.

Strabo.

ALTITVDO Templi & substructionis.

Transeamus ad amplitudinem, & ornamenta, in qua parte Romam plurimum excelluisse, tum auctores dicunt, tum opes, & ambitio Romana persuadent. Quicquid enim artificum insigniorum Graecia, aut Asia habuit, Romam euocabantur, ac praecipuus auctor Augustus fuit Romani decoris, vt iure gloriari potuerit marmoream reliquisse Vrbem, quam lateritiam acceperat, ex Suetonio. Deinde Nero, cuius iussu incensa Vrbe, Vrbis domus, auctore Tacito, non vt post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectae, sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatijs, & additis porticibus à quo tempore vsque ad Traianum Imperatorem ornamenta creuerunt. Vnde Plinius suo aeuo aedificia Romana orbis miracula appellat.

AVGVSTVS Romani decoris auctor.

Sueton. in Augusto.

SVB NERONE Vrbe incensa, ornamenta creuerunt.

A Tarpeio exordiamur vel quia pulcerrimum, E vel quia primarium, & summum, vel quia Dei principis, vel demum, quia multa substructionum mole, & opibus, ac tempore pleraque praeibat. alioqui Plinius vbi magnifica opera recenset, hoc omittit, imo irridet veteres, quod aggeris vastum spatium, Capitolij insanas substructiones mirabantur. Has Lucius Tarquinius Priscus incepit, sed fato sublatus, absoluenda Superbo nepoti reliquit: qui substructiones eas circum collem fecit, dum praerupta eius adaequat, & ab imo solo ingentibus lapidibus muro educto suffulcit, complanat denique in vertice, & fundamenta iacit, facitque eam amplitudinem Iouis templi, quae digna Deo, hominumque

CAPITOlij aedificia & substructio.

Plin. l. 36.

LVCIVS Tarquinius Capitolinae fabricae auctor.

Rege

Liuius. *Diony.*

Rege, inquit Liuius, quae Romano Imperio, quae ipsius etiam loci maiestate esset, Idque ex praeda Suessae Pomaetiae, quae praeda quanta fuerit, Dionysius expressit: tantum, inquit, praedae reperit, vt quinque minae argenti obuenerint singulis militibus, decimae autem Dijs sacratae non minus quadringentorum talentorum: idem dicit Plutarchus.

HORATIVS Puluillus Consul Capitolium ornat. *Cornelius Tacitus.*

Pulsis deinde Regibus Horatius Puluillus Consul dedicauit ea magnificentia, quam immensae postea Populi Romani opes ornarent potius, quàm augerent, inquit Tacitus. Haec de substructione.

CAPITOLII consideratio & symmetria.

Audiamus Dionysium Capitolij amplitudinem paucis perstringentem. Situm est, inquit, Capitolium in alta crepidine, habetque in ambitu octo iugera, sic vt latera singulorum ducentorum fere pedum sint, exigua longitudinis, & latitudinis differentia, nisi quod illam vincit vix pedibus quindenis.

CAPITOLII circuitus.

Qua parte frons eius Meridiem spectat, triplici columnarum ordine circumcingitur, ab alijs lateribus duplici.

CAPITOLII tria Templa. *Plin. lib. 35. cap. 6.* *Idem lib. 36. cap. 15. & 25.*

In ipso sunt tres cellae, media est Iouis Tonantis, quae marmoreos parietes habuit Luculli marmoris ex Plinio, pauimentum scalpturatum, parietes marmoreis solidis glebis politis. Vtrumque vero, cella altera Iunonis, altera Mineruae: omnes sub eodem laqueari, eodemque tecto.

AD CAPItolium 100 gradibus ascendebatur.

Itaque totus circuitus pedum octingentorum. Frons spectabat Palatium, & forum Romanum, frequentissimam Vrbis partem, à qua, ex Tacito, centum gradibus ascendebatur.

Plin. lib. 33. cap. 6.

Columnas Lucius Sylla Athenis aduexit à templo Iouis Olympici ex Plinio. Haec de amplitudine, altitudo aedificij, pedum ducentorum.

Liu. lib. 20. AENEA CApitolij limina & argentea vasa. *Idem. l. 29.* QVADRIgae ex auro in Capitolio, & clypea ex argento inaurata. *Idem. l. 35.* *Idem. lib. 34. cap. 3.* *Plin. l. 33. c. 3.* LAQVEAria Capitolij inaurata, & tegulae aeneae inauratae. *Procopius.*

Ad ornatum pergamus. Liuius, foeneratores aliquot, inquit, militari, & ex eo quod in publicum redactum est, aenea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Iouis. Iouemque in culmine cum quadrigis Aediles posuerunt. Et iterum: quadrigae ex auro eo anno positae in Capitolio ab Aedilibus. Et alibi: Aediles multos pecuarios damnarunt, & ex ea pecunia clypea inaurata in fastigio Iouis Aedis posuerunt.

D

Quae clypea ex argento facta asserit Plinius, additque post euersam Carthaginem laquearia in Capitolio inaurata. Quintus Catulus tegulas aereas Capitolij inaurauit primus, de quibus etiam Seneca pater. fastigiaris, inquit, supra tectis, auro puro fulgens praelucet Capitolium. quas tegulas Gensenius Vuandalorum Rex in Africam detulit, auctore Procopio.

DONARIA Capitolij. *Sueton. in Augusto.* GEMMAE in Capitolio. *Plin. lib. 37. cap. 1.* *Plin. l. 37. c. 2.* POCVLA myrrhina, & christallus in Capitolio. *Plin. l. 37. c. 3.* *Plut. in Publicola.*

Donaria Iouis Capitolini multa, vnus Augustus vna donatione contulit in cellam Iouis sedecim millia pondo auri, & quingenties in gemmis apud Suetonium. Pompeius Magnus ante ipsum eam gemmam dedit, quam Dactyliothecam appellat Plinius, quae fuerat prius Mithridatis Regis. Quo exemplo Caesar sex Dactyliothecas in aede Veneris consecrauit.

E

Sex pocula myrrhina Pompeius Ioui Capitolino, quorum quodlibet octingentis talentis stetit. Lucia Augusta chrystalli tabulam amplissimam librarum circiter quinquaginta. Plutarchus ait in solam in aurationem fuisse consumpta duodecim millia talentorum. Cum Tarquinius impendisset in fundamento templi librarum argenti quadraginta millia, hoc est, talenta quadraginta supra sexcenta.

FORES Capitolij laminis aureis obductae.

fores auratae, & crassis laminis obductae, quae manserant vsque ad Honorij Imperatoris tempora, cum videlicet pecuniae inopia, inquit, Zosimus, mandauit Stylicho Duci, vt fores in Capitolio Romano,

A

quae auro magni ponderis erant obductae, ijs laminis spoliarentur.

Plin. l. 34. c. 2. STATVAE aeneae, & marmoreae in Capitolio. *Idem c. 5.* *Idem c. 7.*

Iuppiter in Capitolio in aede Iouis Tonantis a Polycleto factus ex aere Corinthiaco, ibique etiam omnium Regum Romanorum statuae ex aere, & Hercules aeneus translatus à Fabio Verrucoso Tarento. fecit etiam Spurius Caruilius Iouem in Capitolio victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus è pectoralibus eorum, ocreisque, & galeis. Amplitudo tanta erat, vt conspiceretur à Latino Ioue, ex reliquijs limae statuam suam fecit, quae erat ante pedes simulacri eius; Denique picturis erat Capitolium ornatissimum, & auro, teste Virgilio.

Plin. lib. 35. cap. 10.

Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit

B

Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.

Quae omnia eo animo retuli, ne quis putet nos inuidia ductos contexisse. Tametsi Plinius magnifica Vrbis opera recensens hoc omiserit, cuius causam alibi assignat, quasi irridens antiquos, qui Capitolij insanas substructiones mirabantur.

CAPITOlium comparatur cum domo saltus Libani.

Haec de Capitolij ornamentis, quae maxima fuisse non negauerim. Verum eam molem licet ornatissimam cum aliqua Salomonici Templi parte comparare ne dignamur quidem. Itaque cum vna porticu domus Regiae comparabitur, quam Sacrae literae domum saltus Libani vocant, cujus magnificentia merito stuporem sapientissimae Reginae Saba incussit, vt auctor est

C

Iosephus.

DOMVS SALtus Libani longitudo, latitudo. *3. Reg. 7. v. 1. 2. & 3.*

In qua Domo exponenda non mediocrem diligentiam posuit sacer Textus. vt cognosceretur quanta cum maiestate, symmetria, opumque prodigalitate construeretur. *Aedificauit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis*, inquit, pedum scilicet ducentorum sexaginta duum, *& quinquaginta cubitorum latitudinis*, pedum nimirum centum triginta vnius, vt circuitus fuerit pedum septingentorum octoginta sex, *& triginta cubitorum altitudinis*, pedum videlicet septuaginta quinque.

FVNDAmenta domus saltus Libani pretiosa.

Iam praeterquam quod etiam pro fundamentis lapides pretiosissimos iecit Salomon, Iosephus vocat illud aedificium supra quàm credi potest, celebre, cooperante

D

Deo. licet enim multum magnificentiae cederet Templo, non enim Deo struebatur; facta tamen est pro dignitate Regis, ac gentis, tam magna, & pulchre condita, capax multitudinis, quae eo peteret, opere Corinthiaco, additis postibus cum valuis caelatis ad ornamentum loci simul, ac monumentum:

DOMVS SALtus Libani laudatur.

OMNIA IN domo saltus Libani incrustata pretioso marmore.

omnia erant incrustata pretioso marmore, quod è locis eo nomine celebribus exportari fecit Salomon.

SCVLPTVrae domus saltus Libani.

Sculptorum ibi mirabile artificium ostentabatur, in quo effictae erant variae arborum, ac plantarum species, frondibus, ac folijs tanta subtilitate expressis, vt agitari viderentur, cetera omnia varijs picturis erant ornata.

TRICLINIA auro plena in domo saltus Libani.

In cubiculis, aulis, porticibus multa erant triclinia auro referta, vt quae aurea suppellectile ad

E

omne Regis ministerium erant instructa. vno verbo, totum aedificium è marmore constabat candido, & pretioso, lignis cedrinis, & abiegnis, auro, & argento, gemmisque pretiosissimis, dispositis etiam per parietes varijs lapillis auro inclusis.

GEMMAE IN domo saltus Libani.

P. Radero super Martial. lib. 12. Epi. 15.

Quod vero spectat ad expensa duodecim talentorum millia in Capitolino templo deaurando, cui fiet verisimile? Certe nostro Radero, erudito quidem viro minime visum fuit. Quippe cum assentantium mendacia proposito exemplo Martialis persequeretur, vix tandem admittit tantundem impensum fuisse in vniuerso instaurando Capitolio, quod igne fuerat absumptum. Hic

enim quem dixi Trajani assentator Iouem Domitiani pauperem appellat, Trajani diuitem ac beatum, cum tamen paulo ante Flauiae gentis aurea tecta praedicasset:

Omnes, inquit, *cum Ioue nunc sumus beati,*
At nuper, pudet, at pudet fateri,
Omnes cum Ioue pauperes eramus.

Sed & Virgilius aurea dixit Capitolia propter inaurata eiusdem tecta.

Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.

Sed demus libere Plutarcho, tantundem in deaurando templo insumptum, nec minus quàm à Tarquinio praeterea: quid haec sunt coram illis, quae certo scimus expensa fuisse in domo tegis? Vnius anni tributa sexcentorum sexaginta sex talentorum auri in peltas, & scuta, huius nostrae domus ornamenta, data fuisse ostensa sunt: quae si duodecies multiplicentur, fient argenti talenta duo, & nonaginta supra septem millia nongenta. Haec si duplices fient Attica talenta quindecim millia nongenta octoginta quatuor: quae vtramque summam priorem longe superant. Quod si idem tributum totos tredecim annos, quibus aedificatio domus regiae perdurauit, in eiusmodi fabricae fuit insumptum, vt aliàs ostensum est, cuilibet esse poterit in promptu, quot, & quanta Romanorum aedificia Tarpeiano superaddita ab vna domo Salomonis infinitis partibus superentur, nisi forte & omnia simul.

666
12
1332
666
7992
2
15984

Conferrem haec omnia cum Capitolio, nisi lippis etiam, & tonsoribus pateret, quantum haec fabrica Salomonis antecellat. Quomodo enim pauca Capitolij ornamenta cum infinitis vasis aureis Regiae supellectilis conferri possunt? gemmae ibi multae. Domus haec tota gemmis auro inclusis fulgebat. Tegulae ibi aeneae, sed inauratae: nostrarum tegularum aes, ne auro quidem cedebat, siue valorem, siue splendorem consideres. parietibus Tyburtini lapidis erat extructum Capitolium nostra domus Pario lapide candidissimo. Scuta ibi quaedam argentea inaurata: in aula saltus Libani aurea scuta ducenta, & trecentae peltae aureae, quarum pondus erat immensum. Adde nunc pharetras aureas, aurea item arma, quibus ea Domus munita simul, & ornata existebat.

TOTA SVPELLEX saltus Libani ex auro, & alia ornamenta.

SCVTA ET peltae ex auro domus saltus Libani.

Iam vero Neronis domus aurea bellum Templo nostro inferre videbitur amplitudine, ornamentis, opibus: sed illa omnia nihili faciet quicunque nostra cum illis conferet. Certe Nero excitato Vrbis incendio, aedibusque plurimorum conflagratis, vsus, vt loquitur Tacitus, patriae ruinis extruxit domum à Palatio Exquiliasvsque, & radices montis Caelij. quam primo transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque auream nominauit. Tanta illius amplitudo, vt in ea arua & stagna, in morem solitudinum syluae, & aperta spatia, & prospectus. Illius vestibulum fuit, in quo nunc Amphiteatrum, tunc vero Colossus centum viginti pedum stabat, ipsius effigie. Tanta fuit laxitas domus vniuersae, vt porticus triplices milliarias haberet. Item stagnum maris instar, circumseptum aedificijs ad vrbium speciem: rura insuper aruis, atque vinetis, & pascuis, siluisque varia cum multitudine pecudum, atque ferarum. tanta vt vocari iure potuerit tota Roma. vnde Plinius Bis vidimus, inquit, Vrbem totam cingi domibus Principum Caij, & Neronis, & huius A quidem, ne quid deesset, aurea. Vt merito de ea dixerint quidam:

DOMVS AVREAE Neronis consideratio, *Tacitus l. 15. Ann.*

AMPLITVDO domus aureae.

Sueton in Nerone c 31.

Plin. lib. 36. c. 5.

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites;
Si non & Veios occupet ista domus.

Legendi sunt etiam Cassiodorus, & Tacitus. Confirmantur haec omnia ex Martiale, qui post dirutam eam domum cum Tito loquens ait.

Martial. l. 1. Epigr. 2.

Hic vbi sydereus propius videt astra Colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via,
Inuidiosa feri radiabant atria Regis,
Vnaque iam tota stabat in Vrbe domus.
Hic vbi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic vbi miramur velocia munera Thermas,
B *Abstulerat miseris tecta superbus ager.*
Claudia diffusas, vbi porticus explicat umbras,
Vltima pars aulae deficientis erat.
Reddita Roma sibi est, & sunt te praeside, Caesar,
Delitiae populi, quae fuerant Domini.

Tanta igitur erat amplitudo domus, siue potius Vrbis Neronianae. Ad ornamenta transeamus. Tacitus In qua, inquit, domo, aut perinde gemmae, & aurum miraculo essent solita pridem, & luxu vulgata, quàm arua, & stagna. Et Suetonius: in ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, vnionumque conchis erant, coenationes laqueatae tabulis eburneis versatilibus, vt flores ex fistulis, & vnguenta desuper spargerentur. C Praecipua coenationum rotunda, quae perpetuo diebus, ac noctibus vice mundi circumageretur. In eamdem domum inclusit Nero Fortunae Templum, quod ex lapide Sphengite aedificatum erat. Vnde Plinius Nerone principe repertus est lapis in Cappadocia, duritia marmoris candidus, atque translucens, etiam qua parte fuluae inciderant venae, ex argumento Sphengites appellatus. hoc construxit Aedem Fortunae à Seruio Rege sacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus clausis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio, quàm specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. De eodem lapide Suetonius in Domitiano: Domitianus, inquit, D anxius & sollicitus, ne illorum, quos sua crudelitate offenderat, coniuratione opprimeretur, porticibus constructis, parietis lapide Sphengite distinxit, vt eius splendore, per imagines, quidquid à tergo fieret prouideret. Denique in solarij domus aues ex argento mirabili opere sculptas posuit, quas volare diceres ex Plinio. ex ea domo Nero gladiatorum pugnas spectabat smaragdo. Sceptra, & personas, & cubicula viatoria vnionibus conuestiuit.

ORNAMENTA domus Neronianae *Tacit lib 15. Annalium.*

Sueton. citatus.

FORTVNAE Templum ex lapide Sphengite. *Plin. l. 36. c. 22.*

LAPIDIS Sphengitis claritas.

Sueton in Domitiano cap 14.

Plin. lib. 37. cap. 2.

Age iam, deerit ne nobis aliquid in Templo, quod cum aurea Neronis domo comparetur? imo vero adeo superesse videas, vt multas Neronianas domos complectatur. Ponantur ergo ob E oculos porticus atrij Gentium, quae in rebus omnibus Neronis domum antecellet. Ambitus illius certo scire non possumus. sed domus illa vix milliare complear, pedum nimirum millia quinque: nostra vero porticus est pedum septem millium ducentorum. illius altitudo non exprimitur, nostrae porticus est pedum centum duodecim, cui si substructionis altitudinem adiungas, erit pedum mille centum sexaginta. Illius columnae non numerantur, habemus nos columnas integras in inferiori ordine sexcentas quadraginta octo, praeter illas quae in secundo ordine computantur, & dimidiatas parieti adpactas: omnes ex Pario lapide, cuius pretium alias expendimus. Porticus

COMPARATVR domus Neronis cum Portico Gentium.

ibi

ORNAMENTA vtriusque domus conferuntur.

ibi triplices; in nostro non desunt: Incrustaturae ibi lapidum pretiosorum: hic nulla. Lapides enim pretiosissimi, & maximi parietem totum crassitudine pedum circiter duum & viginti complectuntur. vniones ibi multi, sed nostris multo pauciores lapilli enim preciosissimi auro & argento inclusi totam porticum nostram exornabant. Fortunae templum ibi ex lapide Sphengite, sed licet eximij sit splendoris, exigui tamen est pretij, si cum Pario lapide conferatur. Adde nunc infinitas gemmas praelucentes in tota porticu, aues ibi ex argento in solarijs, quid mirum in nostra porticu, imo tota Hierosolyma argenti

PORTICVS Gentium superat domum auream Neronis.

nullum erat pretium, adeo omnia praefulgebant auro. Smaragdus ibi positus ad spectandum idoneus, hic pretiosissimae gemmae conculcabantur. Iraque omni ex parte vna Gentium porticus a Salomone constituta Neronis domum ita superat, vt, si illa aurea dicta est, haec gemmea dici possit. Et si Nero cum domum illam absoluit, hactenus comprobasse dixit, se hominem tandem habitare caepisse: Salomon cum domum hanc

3. Reg. 8. ℣. 27.

absoluit, Deum in terris habitasse merito gloriatus est. *Ergone putandum est*, inquit, *quod vere Deus habitet super terram? si enim caelum, & caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificaui?*

℣. 10 & 11.

Et reuera ita factum est, *Nebula enim impleuit domum Domini, & non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini Domum Domini.*

Ammian.

THERMARVM amplitudo, & capacitas

Spartia.

Ad Thermas transitum faciamus. quae Romae multae, sed primariae Antonini, & Diocletiani: quarum amplitudo ex ruinis vtcumque apparet. Vnde non immerito Ammianus; Lauacra, inquit, in modum prouinciarum extructa; ac si non vrbes modo, sed prouincias aemularentur, varijs aedificijs. Et Spartianus de Caracalla loquens: reliquit inquit, Thermas sui nominis eximias, quarum celiam soleurem Architecti negant posse vlla ratione fieri, nisi qua facta est: nam ex aere, vel cupro cancellrerant, quibus concameratio tota concredita est, & tantum est

Olympiodorus.

spatij vt ad ipsum potuisse fieri negent docti mechanici. Illas sic breuiter Olympiodorus describit. Λουτρὰ δημόσια παμμεγέθη. τὰ δ' Ἀντωνιανὰ οὕτω καλούμενα, εἰς χρείαν τῶν λουομένων καθέδρας εἶχον παρακειμένας χιλίας ἑξακοσίας, ἐκ μαρμάρου κατεσκευασμένας ξεστοῦ, τὰ δὲ Διοκλητιανὰ ἐγγὺς διπλασίας. Hoc est: erant lauacra publica ingentia, sicut Antonianae Thermae factae in vsum lauantium.

SELLAE IN Thermis Antonini 1600. Diocletiani vero 3200.

Sellas vel solia habebant mille sexcentas è polito marmore factas, Diocletianae autem bis tantum, nimirum ter mille ducentas: vt totidem homines simul inibi lauari potuerint. Sellas autem quas Olympiodorus καθέδρας appellat, alio nomine ἐμβάτας vocant Graeci, quod in eas lauandi causa descenderent. Hoc balneare solium

Suetonius in August. cap. 82.

Augustus apud Suetonium Hispanico verbo duretam appellat. Solia vero huiusmodi, ita magnifice extructa erant, vt in eis fas esset sedere, natare, stare, quorum inuentio à Dione tribuitur Mae-

Dio.

cenati. In ijs, praeter earumdem Thermarum corpus, cellae, piscinae capaces, & longae porticus

Seneca.

THERMARVM ornamenta ex argento, auro, gemmis, & columnis.

xisti, nemora, sphaeristeria consistebant. Ecce tibi dictarum Thermarum magnitudinem, de qua etiam Sidonius, & alij multa dicunt. Et Seneca: Pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis, ac pretiosis orbibus refulserint: nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta

A sint, nisi illis vndique, & in picturae modum variata circumlitio praetexatur: nisi vitro condatur camera: Parius, & Thrasius lapis, quoddam rarum in aliquo templo spectaculum, piscinas nostras circumdederit, nisi aquam argentea epitoria fuderint, & adhuc plebeias fistulas loquor, quid cum ad balnea libertinorum peruenero! quantum columnarum est nihil sustinentium! sed in ornamentum positarum, & impensae causa, eo deliciarum venimus, vt nisi gemmas calcare nolimus. Et Statius.

Statius lib. 1. siluar. de bal. Etrusci.

Nil ibi plebeium, nusquam Temesaea notabis,
Aera, sed argento foelix propellitur vnda.
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat:
Delicias mirata suas.

Plin. lib. 33. c. 12.

SOLIA ARgentea in Thermis.

B Et Plinius: Feminae lauentur, & nisi argentea solia fastidiant, eademque materia, & probris seruiat, & cibis: videret haec Fabricius, & Stratus argento mulierum balneas & cetera. Balneorum autem tantus erat Romae numerus, vt Marcus Agrippa in Aedilitate sua gratuita intra vnius anni spatium construxerit balnea centum & septuaginta, praeter salientes aquas centum & viginti, ac signa aenea, & marmorea in ijs collocata trecenta, & columnas ex marmore quadringentas. Figulinum opus erat, & encausto depictum, in reliquis albaria adornatum. Additque Plinius: quae nunc Romae ad infinitum

THERMARVM infinitus Romae numerus.

Plin lib. 26. c. 25.

Plin lib. 36. c. 15.

C auxere numerum aliquorum arcus, & pauimenta ex vitro fecit Agrippa.

THERMAE singulae, cum singulis atrijs conferuntur.

Age si potes & Thermas hasce vtrasque cum singulis atrijs Israelis, porticibus suis, castellisque einctis confer. Thermarum opus lateritium omne cum incrustaturis marmorum. Atriorum opus omne non marmoreum solum, sed ex lapidibus preciosis, vt parietes omnes nullam admiserint crustae hypocrisim. Columnae in Diocletiani Thermis, ducentae & sexaginta, quarum materiam fere prae oculis habemus, communi è lapide, & exigua magnitudine. Thermis

COLVMNAE in Thermis Antonini, & Diocletiani.

Antonianis columnae similiter ducentae quadraginta quatuor. In quadrata area Orientali D columnae numerantur integrae, & adpactae viginti quatuor supra trecentas, quarum singulae, plures ex illis, ne dicam omnes, & magnitudine, & aestimatione longe, lateque superarent. quibus si reliquas superiorum ordinum addas, facile inuenies illas omnes simul numero etiam superari. Solia ibi, seu sedes ex polito marmore, hic omnes lapides, non politum solum marmor est, sed Parius lapis pretiosus ferratus intus, & foris. Longae ibi porticus, sed nostris omnino cedunt. quid illae argenteae fistulae cum aureis incrustraturis, & argenteis, cum cedri pretiosa materia, cum candelabris, ac vasis reliquis magnitudine immensa, & numero pro E pemodum infinitis argenteis, & aureis nostris? gemmas ibi calcabant, in nostro nullus pene lapis, quin gemma praesertim in pauimentis omnibus, vt alias ostensum est.

GLORIA QVAE CVM RELIQVIS ROMANIS *miraculis collata magna esse videbatur, est certe minima, si cum gloria secundae domus conferatur.*

Cap. LXV.

FORA ROmana 17. praecipua 4.

VERVM omnia Vrbis Romanae ornamenta nihili facit Plinius, dum ea cum foris confert. ea autem in vniuersum septemdecim fuerunt, quorum praecipua, Romanum, Iulium, Augustum, Traianum. Illud Romulus instituit inter Capitolium, & Palatium, sic vt templa vtrimque imminerent, & aliae in ambitu structurae, sub initium nuda planities. Tarquinius Priscus ornauit, & porticibus cinxit, alij varia ornamenta addiderunt. Vnde Strabo cum Campum Martium multum laudasset: quae omnia, inquit, si quis viderit, dicat, censeatque reliquam vrbem, non nisi additamentum huius esse. & idem: Si in forum vetus deinde progressus alia alijs haerentia, & consequentia videat, basilicas, porticus, templa, is facile priorum obliuiscatur. Fora in vniuersum sic Vitruuius describit. Graeci in quadrato amplissimis, & duplicibus porticibus fora constituunt, crebrisque columnis, & lapideis, aut marmoreis epistylijs adornant. & supra ambulationes in contignationibus faciunt: atque haec ipsa Romani; nisi quod non quadrata aequaliter, sed oblonga magis faciant, nec nisi tertia latitudinis parte. sed nec columnas tam crebras interponunt. Haec de amplitudine in vniuersum.

FORI ROmani pulcritudo.

Strab.

B

Vitr. lib 5. cap 1.

FORI PORticus duplices

C

FORA OBlonga aliquantum.

Stat. in equo Domit.

Veniamus ad ornamenta. Statius quaedam recensuit in equo Domitiani, qui ex aere colossaeum illum, & se insessorem constituit in hoc foro. D

Quae super imposito moles gemmata colosso,
Stat latium complexa forum.

FORVM IVlij Caesaris.

Suet in Cesare.

Non quod gemmis ornatus ille colossus, sed quod instar gemmatum nitens fuerit ob aurum. In medio fori aedes Iulij. De Iulio autem foro Suetonius ait: à Caesare adhuc Proconsule Galliae, & priuato inchoatum ex manubijs. Vnde forum Pyramides Regum miramur opera, cum solum tantum foro extruendo sestertium millies Caesar Dictator emerit. Cassius vero pulcrius illud Romano facit. Augusti vero Forum inter maxima operum Plinius collocat, & praeter porticus ex more ad latera in altero ordine omnes Reges Latinos à Principe Aenea posuit, in altera Romanos Reges, vel Duces, inter quos seipsum. Ouidius de Marte in medio foro. E

Plin lib. 36. c. 15.

Cassius.

FORVM Augusti.

Plin.

STATVAE in foro Augusti.

Ouid. 5 Fast.

Hinc videt Aeneam oneratum pondere sacro,
Et tot Iulaeae nobilitatis auos.
Hinc videt Iliadem humero ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris.

Suet. in Augusti c 1.

Velleius l. 2

Pausan.

Et Suetonius: Statuas omnium Ducum triumphali effigie in vtraque fori sui porticu dedicauit. Augustus, inquit Velleius, praeter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum eius praenitet &c. addidit etiam Deorum statuas. Nam Pausanias Mineruae aleae signum, inquit, ex eA bore totum in aditu fori Augusti stetit, eaque occasione ipsum, & reliquos Principes pleraque ornamentorum talium vndique euexisse, & ad opera sua exornanda traduxisse. Et Lampridius, statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres Imperatoribus in foro Neruae locauit, omnibus cum titulis, & columnis aureis, quae gestorum ordinem continerent, exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo è marmore collocauit, additis gestis. Pausanias: Romanis, inquit, forum, quod & magnitudine, & apparatu instar miraculi exhibet tectum, & camerationem aeneam.

Lamprid. in Alexandro.

TECTVS ET Cameratum fori Romani aenea.

Traianum denique forum singularem sub caelo structuram Ammianus appellat, & numinum assensione mirabilem: Gigantaeos contextus nec relatu affabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Et Cassiodorus, Traiani forum, inquit, vel sub assiduitate videre, miraculum est. In cuius medio columna pedum centum viginti octo, quae nunc extat, & praestantissimi principis res gestas mirabili opere insculptas demonstrat. In vestigijs porticuum, quae columnae altitudini non cedebant, ponit Aulus Gellius simulacra circumquaque inaurata equorum, ac signorum militiarum ibi templum, & equum aeneum, vel colossum posuit Publius Victor, de quo etiam Ammianus. Statuarum multitudinē Sanctus Augustinus insinuat, numerari posse negans, Romanorum deos, indigenas, alienigenas, caelestes, infernos, marinos, fontanos, pluuiales, certos atque incertos.

Ammian.

Cassiod.

COLVMNAE in foro Traiano altitudo.

Aul. Gell.

SIMVLAcra inaurata in foro Traiano, eorumque multitudo.

Ammian.

S. August lib. 3 de Ciuit. cap 12.

Iam quid quodlibet ex his foris cum vna Israelis porticu, castelloque sibi adhaerente? quorum circuitus est pedum mille, altitudo pedum ducentorum triginta quinque, columnarum ordines tres ex preciosissimo marmore, quarum crassitudinem nulla fere Romana exaequabat. Quid trecentae statuae marmoreae cum ijs lapidibus, quos pretiosos appellant sacrae literae, quorum longitudo est pedum sexaginta quinque; vt ex eorum vnoquoque colossus maximus fieri potuerit e pario, pretiosissimoque marmore. Quid aenei colossi vel statuae cum infinito vasorum numero, quae altari deputabantur, ac reliquis culinarum ministerijs, quorum quidē materiae pondus, non erat, quippe cum Sacris literis attestantibus numerus magnitudine vinceretur, eius vero pretium ab auri certe pretio, & aestimatione minime vincebatur. Quid si adderes argenteas portas, & fenestrarum crates, candelabra item argentea, quae in his porticibus aliquando poni solebant, vt lumen noctu praeferrent vigilanti, & excubanti vniuerso Israeli? Quid si reliqua enumeres aurea & argentea vasa propemodum infinita, quae ad Sacra peragenda vndique conferebantur?

QVODLIbet ex foris cum porticu & castello cōparatur, & superatur.

ORNAMENta multa in porticibus Israelis.

De Pantheo quod toto orbe celebre est, hodieque Romae extat, etsi ornamentis omnibus expoliatum, ne ideo praetermisisse videamur, quòd nostro formosius sit, aliquid dicendum est. Illud autem à Marco Agrippa Augusti genero, in tertio Consulatu suo, biennio post perfectum, dicatumque Vrbis Anno septuagesimo vigesimo nono, ex Dione, omnibus dijs, vt indicat nomen ipsum: Graece enim πανθεῖον omnium deorum est. Athenis enim simile templum erat, quod vocabatur commune deorum Templum, ex Pausania. & Romae festum commune dijs omnibus, vnde dies pandicularius, & communicatius. qua de re Festus. Praecipuae in eo statuae Iouis vltoris, cui tem-

PANTHEON vrbis Templum a quo extructum.

Diod.

Pausan.

Festus.

Plin.

STATVAE in Pantheo.

Macrob. in Saturn lib 3. c 16.

templum Plinius dicatum facit, Martis item, & Veneris, in cuius auribus appensas, ait Macrobius, margaritas, quarum pulchritudinem describit, quasque Cleopatra in auribus gestabat, monstruosae magnitudinis, pretio ducenties sestertium. Caesaris item Iulij statua, & Augusti, quibus addidit Agrippa suam. Plinius hoc templum inter pulcherrima ponit, & Architecti adeo admirantur, vt vocent absolutissimum opus, & exemplar consummatae Architecturae.

Plin.

PANTHEI symmetria circuitus, altitudo.

Latitudo, longitudo atque altitudo par est, pedum centum quinquaginta octo, crassitudo parietis circularis lateritij, qui tamen nec solidus est, pedum duorum, & viginti cum quinquaginta octo sexagesimis quintis. Itaque linea quae extimam templi superficiem cum porticu ambit, est pedum septingentorum circiter.

COLVMnae Pantheo ex lapide Aegyptiaco 28.

Plin lib. 34. ℣ 3.

Columnae in porticu viginti octo ex lapide Aegyptiaco easdem fere cum nostris crassitudinis, altitudine pedum quadraginta cum triginta sex sexagesimis quintis, Earumque capita Syracusana facit Plinius.

COLVMnae in delubris Panthei.

In interioribus autem delubris columnae totidem minores multo. Ad templum ascendebatur gradibus septem. opertum erat tectum tegulis aeneis praegrandibus, quarum multas vidimus hac nostra tempestate deponi.

TECTVM aeneum.

PANTHEON confertur cum vna porticu Israelis, & superatur.

Iam vero conferre Templum hoc cum aliqua ex nostri Templi porticibus Israelis vix possum vtcumque tamen conferamus. Panthei parietes lateritij, opus nostrum marmoreum secundum totam crassitudinem, quae pedum est paullo plusquam sexdecim. Columnae in nostra porticu centum viginti, praeter parastatas interiores ex pario lapide saepe à nobis laudato. Porticus nostrae circuitus pedum septingentorum quinquaginta, altitudo verò pedum centum sexaginta quinque. Praeter ornamenta infinita saepe à nobis allata, auri, & argenti rerumque pretiosissimarum, quarum ne vestigium quidem fuisse scimus in Pantheo Agrippae.

THEATRVM Scauri opus omnium maximum.

Plin lib. 34. c 7 l 36. c 2 & 15.

Omittimus hic Scauri opus illud inanitatis plenissimum, temporarium nimirum Theatrum, quod vix vno mense futurum erat in vsu, de quo sic Plinius. Marcus Scaurus fecit in Aedilitate sua opus omnium maximum, quae vnquam fuere humana arte facta, non temporaria solum mora, sed etiam aeternitatis destinatione.

THEATRI Scauri consideratio, & partes.

Theatrum hoc fuit, scena ei triplex altitudine, trecentarum sexaginta columnarum: ima pars scenae è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae summae tabulis inauratis columnae, imae duodequadragenum pedum.

SIGNA aenea in theatro Scauri 3000.

THEATRVM Scauri capiebat hominum 80000.

Signa aenea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cauea ipsa caepit hominum octoginta millia, sed & reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque cortagio fuit, vt in Tusculanam villam reportatis, quae superfuerunt quotidiani vsus delicijs, incensa villa ab iratis seruis concremarentur ad sestertium millies. Marmoreos parietes habuit non facile dixerim.

THEATRVM Scauri cum atrio vno vix comparatur, & superatur.

Itaque columnae marmoreae fuerunt centum viginti, totidem ex vitro, totidem ex tabulis inauratis. Praetereo inquam haec omnia, tum quia inanis quaedam omnium rerum profusio potius, quàm liberalitas est appellanda. vitia autem laudanda non sunt, tum quia multis partibus superantur ab vno ex atrijs nostris Israelis, dempta porticu vna, quo pars haec Theatri formam imitetur. Dubitat Plinius an parietes è solido marmore fuerint in scena Scauri. nos certissimum habemus parietem nostrum è pretiosissimo marmore pario fuisse. Columnae ibi marmorae centum viginti: in atrio nostro columnae, quas alias retulimus, quarum vna quaeque vniuersum forte theatri opus aestimatione superat. Quinquaginta è vitro ibi columnae, nullae quidem in nostro fuerunt, cum vitri nullum esset pretium, vbi ne argentum quidem aestimabatur. totidem ex tabulis inauratis, sed trabes nostrae cedrinae pene infinitae, infinitis etiam partibus columnas illas antecellunt, quarum minima longitudo est pedum octo triginta, Statuae ibi aeneae tria millia numero: multo plura nobis ex auro, vel argento candelabra ad nocturnas tenebras fugandas, aliaque vasa aurea, & argentea infinitae magnitudinis, & pretij. Nemo autem putet saepius nos eadem ornamenta iterasse · tot enim, tantaque fuerunt, vt in multas partes diuisa multis locis pleraque eorum aptari potuerint.

AQVARVM ductus Romanos Plinius miracula vocat

Aquarum similiter ductus orbis miracula Plinius appellat. vnus eorum sic ab eodem describitur. Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimum impendium operis inchoati à Caio Caesare, & peracti à Claudio, quippe à quadragesimo lapide ad eam excelsitatem, vt in omnes Vrbis montes eleuarentur. Erogatum in illud opus sestertium ter millies.

AQVARVM ductus mirandi.

Quod si quis diligentius aestimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spacioque aduenientium extructos arcus, montes perfossos, conualles aequatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.

Frontinus.

Frontinus eam excelsitatem dicit in aliquibus locis esse pedum centum nouem.

Eccles. 2. ℣.4.

AQVARVM ductus Salomonici multo mirabiliores.

Magni ducenda sunt haec? non nego, sed ea, quae sacrae literae de aquarum ductibus, & piscinis Salomonis affirmant, tametsi paucis verbis maximi facienda sunt. *Magnificaui*, inquit, *idem Salomon opera mea, aedificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria*, &c. *& extruxi mihi piscinas aquarum.* Quae piscinae, quantae, & quam magnifice fuerint extructae non solum innuunt maximi Regis opes, & sapientia, verum etiam id, quod in Nehemiae libro legimus · vbi piscina vocatur, *quae grandi opere constructa est*. de qua nos suo loco.

Nehem. 3. ℣ 16.

Plura qui desiderat de prodigiosis piscinis, & aquarum ductibus à Salomone, plusquam Regia maiestate constructis, consulat Iosephum, qui passim de ijs agit, & ea, quae nos alibi diximus.

AMPHItheatri Titiani moles maxima.

Cassiod. variar lib. 5. epist. 2.

Plin l 36.

Suet in Caes. et Vespasiano.

Armian.

Publ. Victor.

AMPHItheatrum vnde sic dictum.

AMPHItheatrum ex lapide Tyburtino.

Sueton.

Amphiteatri Titiani confusa facies, & forma vere informis, lacera nimirum, & dirupta egregij operis vmbra, & cadauer esse videtur, vnde nec silentio praetereunda, cum praesertim inter prima Romanorum opera ponant Auctores, qui de eo scripserunt. Locus erat ludicrae voluptatis, ita Graecis dictum, quia gradus circum vndique, & sedilia continenter disposita ambibant in orbem. Arena etiam dicebatur, quia hic locus desabulari solebat, & arena sterni in vsum pugnae, ne lubricus fieret ob nimiam sanguinis effusionem · aliquando ex raso marmore arena fiebat, Nero princeps chrysocolla strauit, minio Caius, vt non modo opes ostentaret, sed calcari etiam faceret illud dementiae monstrum. Structum id fuit media Vrbe, teste Suetonio, solidata Tyburtini lapidis compage, tanta alti-

Ammian. altitudine vt aegre visio humana contingat, inquit, Ammianus. Serlius qui illius partes descripsit excelsitatem facit palmorum Romanorum circiter ducentorum sexdecim, pedum scilicet centum quinquaginta septem. capiebat loca ad centum millia ex Publio Victore: tanta illius magnificentia, vt eruperit Cassiodorus in illa verba. Hoc Titi potentia principalis, diuitiarum profuso flumine, cogitauit aedificium fieri, vnde caput Vrbium potuisset. & Martialis cum mundi miracula laudasset, inquit.

P. Victor. Cassiodorus. AMPHITHEATRI altitudo est pedum 157.

Omnis Caesareo cedat labor Amphiteatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Illius forma rotunda non est, sed porrecta magis paululum, & oblonga, habetque porticus fornicatas eiusdem figurae duas continuas in imo solo, quae aedificium ambiunt vniuersum, totidem in superioribus ordinibus, quarum vna alteri superextructa est, vt omnes sint octo. Consulendus Lypsius hac de re. Eam molem nos, non minoris, quàm antiqui facimus, non tamen dignamur cum vno integro ex atrijs nostris aliqua ratione conferre, siue amplitudinem consideres, siue altitudinem, siue demum materiam, & ornamenta: in his enim omnibus mille partibus Amphiteatri moles ab atrio nostro superatur. Conferatur igitur cum atrio quidem, sed sublatis quatuor castellis angularibus, tametsi ea pars, quae superest, Amphiteatri superbam molem exsuperet. Huius enim materiam Tyburtinus lapis parauit, nostrae fabricae notissimus Parius lapis. Circuitus Ampiteatri pedum circiter mille octingentorum, nostrae pedum duorum millium. illius altitudo pedum centum quinquaginta octo, huius vero est pedum ducentorum viginti quinque, praeter infinita alia ornamenta, quae sicut ibi non sunt, ita si in nostro numerare velimus, longum esset.

AMPHITHEATRI forma oblonga.
AMPHITHEATRI fornices.
I. Lypsius lib. de Amphit.
AMPHITHEATRUM confertur cum quatuor porticibus Israelis, & superatur.
AMPHITHEATRI circuitus.

Absoluimus iam vniuersa orbis miracula, & prodigiosas Vrbis Romanae moles, eorumque altitudinem, amplitudinem, ornamenta, opes accurate considerauimus, & gaudemus mirum in modum luce ipsa clarius innotuisse pene omnia Orbis, & Vrbis prodigia, licet non ab vno, sed multis Regibus, & Imperatoribus constructa, & longissimi temporis interuallo, & totius Asiae, & Europae impendijs, non fuisse nihilominus tanta, quin ab illustrissimo monte Moria comprehenderentur, etiamsi multo maiora fuissent, si amplitudinem consideres, & altitudinem: si vero ornamenta auri, & argenti, lapidum pretiosorum, & gemmarum intuearis, longissime quidem abesse videbis illa à maiestate Templi Salomonis, qui vnus viginti annorum spacio omnia enumerata aedificia persoluit ea magnificentia, vt quidquid toto terrarum orbe magnum, quid quid decorum inueniri potuerit, confluxisse in montem Moriam visum sit. Itaque non immerito quemlibet sacri Templi lapidem magnitudinis immensae, pretij singularis miraculum fuisse censere debemus vt cetera orbis aedificia coram Templo nostro, veluti faculae quaedam splendidissimo Solis splendori oppositae splendere minime videantur.

OMNIA orbis & vrbis miracula à Monte Moria comprehensa.
OMNIA orbis miracula coram Templo quasi faculae coram sole.

Et reuera neque nos omnia aedificia Salomonis spectauimus, omisimus enim Vrbes ab eo aedificatas, quas etiam sacrae literae magnas appellant. Omisimus hortos, & pomaeria, de quibus in Ecclesiaste Salomon gloriatur. Domum etiam Reginae, & multa de domo Regia, vias omnes, quae ex vniuerso Israelitico regno Hierosolymam, Regiam sedem, deducebant, nigra silice stratas, in quibus omnibus construendis thesauri vim immensam profudit. Imo vero in ipso Templo aliqua sunt aedificia, cum quibus nihil ex prophanis habuimus, quod comparare possemus. Sanctam enim Domum, quae complectitur vestibulum, Sanctum, & Sanctum Sanctorum cum aliquo profano aedificio conferre erubuimus, & timore quodam, ac reuerentia permoti ita refugimus, vt in eam, quae diuinae maiestatis index erat, ne mentis quidem aciem intendere, ne dum oculos corporis, illius enim splendore auertebantur, ausi fumus. Quemadmodum de materiali illo Templo Iosephus affirmat, quod adeo splendens erat, vt instar Solis oculorum aciem auerteret. Sileant igitur Barbara totius orbis miracula, vt ijsdem pene verbis concludam, quae huic collationi exordium dederunt, tot saeculis decantata: Romanae Vrbis prodigiosae moles, ne hiscere quidem audeant coram Salomonico Templo.

Ecclesiaste.

Illud postremo notandum est tantam Salomonici Templi magnificentiam, opes, & gloriam, à nobis designatam quidem, non tamen pro dignitate laudatam, & suis numeris absolutam vndequaqua cedere alteri Dei Templo, de quo Aggaeus sanctissimus Vates. Et erit, inquit, *gloria domus istius nouissimae plusquam primae:* Tanta enim est secundi Templi gloria vt ἀδύνατον sit indicare, posse vllo vnquam tempore superari. Itaque haec omnia quae de priori Templo diximus, si quis legerit, dicat, censeatque reliquum orbem vniuersum, non nisi additamentum huius Templi fuisse. At si in secundam, & nouissimam Domum oculos, animumque conuertat, & magnificentiam longe maiorem, quam sequentibus capitibus dicturi sumus, contempletur, is facile prioris Templi obliuiscatur, & omnium, quae viderat in priori, licet augustissimo Salomonis Templo.

EX AGGAEI CAPITE
SECVNDO.

VII. *HAec dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo caelum, & terram, & mare, & aridam.*
VIII. *Et mouebo omnes Gentes:* ET VENIET DESIDERATVS *cunctis Gentibus & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.*
Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. IX.
Magna erit gloria domus istius nouissimae plusquàm primae, dicit Dominus exercituum: X.
& in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

LOCI

LOCI HVIVS DIFFICVLTATE PROPOSITA

Christus Dominus, Desideratus Gentibus dicitur, ad cuius Ecclesiam merito refertur nouissimae domus gloria.

Cap. LXVI.

CVM locus iste de Christi Domini aduentu loquatur, & manifestis signis, quasi digito demonstret Gentium reparationem, & Ecclesiae perpetuam durationem, atque huiusmodi promissionibus, opere iam completis, omnis Iudaeorum conuincatur malitia, quibus illuminati eorum caecitas posset: ipsi, ac qui rebelles sunt lumini, & Spiritui sancto resistunt, varia confingunt figmenta, quibus ab huius luminis manifesto fulgore oculos, animosque eorum, quos caeci ipsimet ducunt, auertant, dum antiqui, aeternique luminis splendorem pro viribus, sed frustra, conantur extinguere. Ex quo fit vt à sacrae Scripturae Interpretibus, dum attentius huius loci singula examinantur verba, quàmplures discutiantur quaestiones, de tempore, quod indicatur, dum dicitur: *Adhuc vnum modicum*, de caelo, & terra commouendis. De eo qui promittitur venturus, quare is Desideratus dicatur Gentibus, de prima gloria domus, de secunda maiori, de argento & auro, cuius Deus dicitur esse dominus, & his similibus aliis sexcentis. Sed vnam de commotione caeli, & terrae, reliquarum exemplum, proponam.

IVDAEOrum caecitas, & pertinacia.

VARIAE huius loci quaestiones.

Sanctorum Patrum varius est de his interpretandi modus. Alij enim ad finem saeculi haec referunt, quando *erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* cui sententiae fauere videtur Sanctus Paulus Apostolus ad Hebraeos scribens. Alij ad commotionem passionis Christi, quando *tenebrae factae sunt super vniuersam terram vsque ad horam Nonam, & petrae scissae sunt, & monumenta aperta sunt.* Alij de commotione caeli Angelici, & Virginalis terrae; quasi eo referentes illud Psalmi: *Veritas de terra orta est, & Iustitia de caelo prospexit*: vt opere compleretur ardentissimum illud desiderium, quo diuinam interpellabant misericordiam Patres dicentes: *Rorate caeli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & Iustitia oriatur simul.* Alij de signis quae Natiuitatem Domini Nostri Iesu Christi praecesserunt haec omnia interpretantur, dum noua quaedam stella Magos ab Oriente duxit, in terra, descriptio orbis à Caesare facta est, in mari, propter cruenta Romanorum bella, terra, marique vbique locorum gesta, quibus pax ipsa comparata fuit, atque ea composita. *Exijt edictum a Caesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*: quidam de com-

COELVM & terra in extremo iudicio commouebuntur.
Lucae 21. ℣. 25.
Hebr. 12. ℣. 26.
Matth. 27. ℣. 45.
IN PASSIOne Christi caelum, & terra commota.
Psal. 84 ℣. 12.
IN PARTV Virginis caelum, & terra commota.
Isa. 5 ℣. 8.
AD LITEram de Natiuitate Christi.
Lucae 2. ℣. 1.

A motione Gentium propter Magos, seu Reges, Gentium primitias, qui *ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudaeorum?* Vnde *turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo* ad quae, & magna aridae commotio consequitur, *ploratus* nimirum, & *vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Sed cum apud omnes constet aduentum Christi eiusmodi praedictione signari, alienum esse duximus à nostro instituto diligentius inquirere, quinam dicendi modus magis probetur. Super illud autem, *Et veniet desideratus cunctis Gentibus*, maxima est cum Iudaeis disceptatio propter variam lectio-

B nem, quam ipsi in Hebraeo produnt, quam licet reddere. Et veniet desiderium omnium Gentium. Septuaginta. Et venient, conuertunt. Electa omnium Gentium. Verumtamen disputationem cum Iudaeis instituere non est animus. Catholicis Vulgatae sensum proponimus, & cum omnium Sanctorum Patrum interpretatione affirmamus intelligenda esse omnia, quae hoc loco à Propheta dicuntur de Christo Domino nostro, neque de alio quoquam posse exponi, aut intelligi. Est enim Christus Dominus desiderium, hoc est, desideratissimus: frequenter enim sacrae literae Hebraeam phrasim imitatae, quasi per auxesim vsurpant abstractum pro concreto, sicut

C vicissim concretum pro abstracto. sic apud Isaiam: *Blasphemauerunt Sanctum Israel* & in Psalmo: *Et sanctum Israel exacerbauerunt.* Hebraice habetur vox. קדש Kados, quam licet exponere sanctitatem, id nimirum omne, quod Sanctum est, & sanctitatem sapit, aut redolet. Et in Canticis: *Media*, inquit, *charitate constrauit.* Alij vertunt: & medium, lecticae inquam Salomonis, amor, siue amores filiarum Hierusalem, id est, amantissimus, dilectus ab omnibus filiabus Hierusalem. Et ad Danielem Gabriel חמודות אתה hamuoth athah, desideria tu. Hoc est, desiderabilis, vertunt nonnulli. sed melius Vulgatus: *vir desideriorum tu es*, Et in Psalmo: *Iustus Dominus, &*

D *iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius.* Id est, iustos diligit, benignoque vultu intuetur. Bene igitur explicatur locus hic, si dicas Christum desideratum à cunctis Gentibus ab Aggaeo promitti, desideratum inquam, id est, desiderium omnium Gentium, non Iudaeorum tantum, sed Gentium omnium, quae sub caelo sunt: seu potius desideria omnia, si minus peruersa voluntate cupita, re certe vera digna, quae toto affectu, super omnia desiderentur. Haec inquam omnia desiderabilia in vno desiderio, siue desiderato Christo ventura promittuntur, & iam venisse videntur ab iis, quibus intelligentiae lumen obortum est. Quae quidem omnia, cum à quàm plurimis Scriptoribus, & post alios à nostro Ri-

E bera, & accurate discussa, & dilucide tractata, ac recte definita sint, longiorem tractationem deuitantes, ea consulto praetermittimus.

Superest tamen vna difficultas a multis siue antiquis, siue recentibus agitata quae nostri instituti ita est propria, vt eam dissimulare nequiuerimus: pertinet enim ad admirandam illam eius, quod adhuc descripsimus Templi gloriam. Ea est qua ratione intelligenda sunt illa verba: *Et implebo domum istam gloria*: quam intelligat Propheta *domum istam* quare quoque addiderit illa verba: *domus istius nouissimae*: atque id genus alia. In quo refellendam esse Iudaeorum insa-

Matth. 2. ℣. 1. & 2.
℣. 3.
℣. 18.
Iere. 31. ℣. 15.
DESIDERatus Gentibus quis dicatur.
CHRISTVS desiderium dicitur hoc est, desideratissimus.
ABSTRACTIS pro concretis vtuntur Hebraei.
Isai. 1. ℣. 4.
Ps. 77. ℣. 41.
Cantic. 3. ℣. 9.
Dan. 9 ℣. 23.
Psal. 10. ℣. 8.
CHRISTVS desideria omnium quare dicatur.
P. RIBERA super Aggaeum.
QVAE SINT a nobis examinanda.

insaniam primo statuunus, qui de tertio quodam A templo a suo Messia, seu potius Antichristo, aedificando interpretantur haec omnia. Qui quidem error facile conuincitur ex ipso contextu, & Dei Optimi Maximi verbis ad Aggaeum dicentis: *Loquere ad Zorobabel filium Salathiel Ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec Sacerdotem magnum, & ad reliquos populi*, qui prima captiuitate soluta Domum Dei, quam primum subuerterant Chaldaei, aedificare aggressi erant, *dicens: Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* & post pauca subdit: *implebo domum istam gloria*, *Magna erit gloria domus istius nouissimae plusquam primae*. Qui quidem contextus vi quadam illata B perperam detorquetur ad aliam domum; ad illam enim eamdem, quam tunc aedificabant, & praesentem intuebantur, necessario deducendus est, vt ipsa verba demonstrant. Cum enim viderent contemptibile aedificium gloriosissimo subrogari, atque ita prioris aedificij memores secundum despicerent, quasi non esset in oculis suis, eos alloquitur Dominus, dicens: nolite timere, *magna erit gloria domus istius nouissimae plusquam primae*.

ERRANT [illegible] Aggaei 2. ℣. 3. ℣. 4. ℣. 8. ℣. 10.

Alij ergo magis ad veritatem accedentes de secundo Templo interpretantur locum hunc: sed cum statim oriatur alia maior difficultas circa C sensum verborum illorum: *Maior erit gloria domus istius nouissimae plusquam primae*, vt effugiant hanc difficultatem in alias incidunt plures, atque maiores, vt propterea singillatim, & veluti per partes res tota examinanda sit.

Tres sunt omnino huius loci praecipuae, ac celebres explicationes. Prima est aliquorum Sanctorum Patrum, qui locum hunc interpretari videntur secundum literam de Ecclesia Christi aedificanda tunc per promissum Christum, nunc autem de iam aedificata per sanguinem eius, in maiori gloria, & splendore, quam esset gloria illius primi Templi: quo consolatur afflictos, quasi erigat eorum animos ad spiritualis D gloriae contemplationem, neue iam in terrestrium auri, & argenti splendore confidant. Sic videtur interpretari Sanctissimus Ambrosius, Doctissimus Cyrillus, Ingeniosissimus Augustinus, & alij ab huius loci expositoribus passim allati.

AD LITERAM [illegible]

S. Ambros. lib. cap. 12. S. Cyrillus lib. 5. Genes. S. August. lib. 18. de Ciuit.

Sed negant haec secundum literam intelligenda esse diligentiores qui se putant esse, ac perspicaciores loci huius peruestigatores: tum quod hic interpretandi modus ad mysticum, spiritualem, seu allegoricum referendus sit sensum, non ad historicum, atque adeo alium oporteat inquirere, qui historicus sit, & per verba significatus, quem semper inquirendum esse, cum nihil E repugnat, docent etiam Sancti Patres, & Doctores omnes: tum vero maxime id negant, quòd haec promissio gloriae futurae si ad literam, & iuxta historicum sensum de Ecclesia aedificanda per Christi merita intelligatur, esse videatur contra id, quod Deus intendit. Nam cum aedificantes Iudaei maererent, atque animis deficerent, quod Templum humile, & impolitum, & cum illo priori, ne minima quidem ex parte conferendum exstruerent, Dominusque eorum animos erigere vellet ad reaedificandum, quid tandem id eos incitandos, & permouendos conduceret, maiorem futuram esse gloriam Ecclesiae, quam Synagogae? deijceret hoc potius eorum animos, quam erigeret. Haec sunt eiusdem argumenti verba. Cum quo & nos sentimus ex ea parte, qua bene supponit sensum historicum eum esse, qui proprie acceptis verbis conuenit, neque a praecedentibus, & sequentibus dissidet, neque aliquod importat inconueniens: atque adeo in sensu historico, & primo per verba significato, intelligenda videtur illa eadem domus, quae tunc exstruebatur, ac de eadem domo accipiendus est locus, propterea que Patres illi omnes meritò existimabuntur loqui in sensu Allegorico: non est tamen cur negemus ad aliquid à Christo praestandum, & locum, & quamlibet eius interpretationem esse referendam, cuius loci finis est, desideratum Gentibus proponere, vt mox ostendemus.

PRIMVM argumentum.

SECVNDVM argumentum.

QVIS SIT historicus sensus.

PATRES illi in mystico sensu loquuti videntur, non in literali.

Secunda vero argumentandi ratio numquam non potuit mihi esse suspecta: quae idcirco Ecclesiam negat intelligi, quod iniqui Iudaei dolerent potius, quàm animarentur, si maiorem futuram gloriam Ecclesiae, quàm primae illius domus intelligerent. Si enim maestorum Iudaeorum animos promissa Ecclesiae gloria non subleuat, sed deprimit, cum locus hic proprie intendat, vt ipsa verba antecedentia, & consequentia indicant, maestorum animos erigere: neque in Allegorico sensu intelligendus esset de Ecclesia locus. Et quidem videtur hoc argumento conuelli sensum de Christo, & Ecclesia, id quod Dialecticorum more ratiocinantibus, esse poterit magis perspectum. Deus intendit erigere, & non deprimere, sensus de Ecclesia deprimit: ergo sensus de Ecclesia non est intentus a Deo. Maior patet ex contextu, minor est concessa, & consequentia est bona. Sed eam piorum horrent aures, & propter alia multa sacrae Scripturae loca, & quod repugnat communi Sanctorum Patrum interpretationi.

LOCVS DE Ecclesia apte potest, & debet exponi.

Verum pro loci explicatione notandum duplici ratione posse Hebraeorum, & animum, & desiderium intelligi iuxta duplicem eorum conditionem, & statum. Primum, vt eos intelligamus, qui obscuratum habentes intellectum, omnes promissiones de Christo, de Ecclesia, eiusque gloria ad temporalia referentes, nihil aliud sperabant, quam gloriam huius saeculi, & temporales diuitias auri, & argenti: qui quidem error aliquo modo Discipulorum Christi corda pulsabat, quando *accessit mater filiorum Zebedaei cum filijs suis adorans, & petens*, vt sedeant, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno: & quidem eiusmodi desiderium numquàm Dominus adimplere statuit, quippe quòd falso niteretur fundamento, & quod adimpletum detrimentum afferret, non commoda, quae Deus volebat. quare Discipulis huiusmodi gloriam ambientibus, calicem passionis proponit, & bibendum pronunciat, vt animum ab his terrenis abducat, & ad caelestia erigat. Sed etsi Dominus Hebraeorum desideria adimplere, & animum deiectum erigere promissionibus intendit, intendit quidem veris, solidis, diuinisque beneficijs, quorum illi tum minime capaces erant. Quare & Christum exinanitum, in forma serui, mansuetum, sedentem super asinam, & pullum eius, cuius Imperium super humerum eius, despectum, & nouissimum virorum, vermem, & non hominem, opprobrium hominum, & abiectionem plebis, vt per alios prophetas promiserat, promittit, etiamsi illi non intelligerent. sed sicut ipsi adhuc sperant,

DVPLEX Hebraeorum desiderium, duplex animus.

Matth. 20. ℣. 20. & 21.

DEVS A terrenis animos subleuat ad caelestia.

CHRISTVS humilis [illegible] Hebraeis.

rant, diuitem, gloriosum, auro & argento fulgentem, multisque militum copijs vallatum, superantem regna, & dominantem populis sperarent, qui quidem non Christus, sed Antichristus potius dicendus esset. Atque adeo cuiuis esse poterit in promptu Deum Optimum, amantissimumque parentem praedictorum Iudaeorum inutilia, & vana desideria adimplere minime voluisse. Sed fuerunt tamen alij vere promissa Dei intelligentes, quorum voces, & desideria caelum, diuinasque aures sollicite compellabant dicentia *Emitte Agnum Domine dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion*. (Isai 16 ℣. 1.) Quod quidem desiderium, licet ab omnibus non explicite possideretur, tamen eiusmodi est, vt illud omnes debuissent habere: hoc est, quod Dominus adimplere disposuerat, hac ex causa mentes subleuare intendebat Deus, & animos, quando ad plorantes propter inglorium praesens aedificium, nuncium, imo & Angelum bonum, bonumque Euangelium mittit, dicens. *Adhuc vnum modicum, & ego commouebo caelum, & terram, & mare & aridam, & commouebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis Gentibus, & implebo Domum istam gloria.* Hoc vnum nuncium, haec vna promissio, quae ex aduentu Saluatoris, & aedificatione corporis Christi, quod est Ecclesia constat, poterat eorum animos maxima afflictione deiectos erigere, & consolari, si sani essent mente, & haec eadem promittitur à Deo: non quae huic contraria. Quae sane promissio si non erigit, non propterea inepta dicenda est consolatio, vt nec inepta *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ex eo quòd *tenebrae eam non comprehenderunt, aut quia dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem:* cum & lux sit, & illuminans, & amabilis. Quare ex hac parte nullum continet inconueniens, si in primo & literali, seu historico Prophetae sensu, de Ecclesia, hoc est, de corpore Christi mystico, per caput eiusdem, quod est Christus Gentibus desideratus, aedificando loqueretur textus, & ita explicaretur à Sanctis.

NON INEPta est lux quam caeci non amant. Ioan 1. ℣. 9. ℣. 5. c. 3. ℣ 19

SPERANTIbus terrena, Deus caelestia promittit.

Hic certe loquendi modus est Deo frequens, & identidem vsurpatus in sacris literis, quippe cum saepe afflictos consoletur Deus, non promittendo quae cupiunt, sed quae cuperent si saperent. Sic apud Marcum paralytico, quem fides portantium per tectum immiserat, vt sanitatem reciperet, dicit: *Fili, remittuntur tibi peccata tua*. (Marc. 2. ℣ 6) & alias saepe. Et apud Isaiam promittens, Achaz liberandum esse à Regibus superuenientibus, ait *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* (Isa 7. ℣. 14.) Quid ad victoriam Achaz promissio Christi nati ex virgine? nisi dicas eum aduentum desiderandum a Rege Israelita fuisse, plusquam de inimicis parta ipsa victoria. Hunc diuinum morem, & intellexerat, & imitatus est Sanctissimus Petrus Theologorum patens, cum Ioanne diuino Theologo, quando intendenti in eos claudo, sperantique se aliquid accepturum ab eis, dixit: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* (Actor 3. ℣. 6) Sed quid inquirimus in alijs locis, quod hoc loco meridiana luce clarius patet Si enim interrogem eos ipsos qui contraria sentiunt, quare Christus dicitur Desideratus cunctis Gentibus? similis huic quoque, imo maior difficultas oritur. Fuit enim regnum Christi, apud Danielem, significatum per lapidem sine manibus excisum,

SANCTVS Petrus speranti pecuniam sanitatem donat.

A comminuentem statuam illam, atque adeo regnum Christi comminuit omnem potestatem, omne impetium Gentium: nec tantum eorum, qui fuerunt, sed & eorum, qui sunt, & deinceps erunt, quare ergo desiderent Gentes, & regum, principumque suorum contritionem, ac Idolorum despectum, & alia id genus quam plurima, quae potius timenda viderentur mala, quam bonum aliquod desiderandum? Cui certe dubio respondebunt, vt nos respondemus, ideo Desideratum cunctis Gentibus dici, quod omnes Gentes illius aduentu, & redemptione maxime indigebant, qua ratione Philosophus: amare, inquit, terram, imbrem, & caelum venerandum plenum B imbre amare cadere in terram. atque ex multis locis sacrae Scripturae probatur, maxime in vsu esse, vt homines nihil tale cogitantes, eum habere iudicentur affectum, quem Vulgus eos habuisse iudicaret, si id quod futurum erat cognoscerent. Hoc ergo ipsum respondemus obijcienti, quomodo maesti, afflictique Iudaei animo, quasi cadentes erigentur? vtique promissione Christi, cuius aduentus, & libertas, & adoptio filiorum, & participatio diuinitatis Christi, & vnico verbo, omne bonum ipsis futurum erat, si eum agnoscerent. Abscissi enim a naturali oleastro, inserti fuissent in bonam oliuam, & Synagoga, quae fuerat prius plantata vinea electa, *omne germen verum*, C & deinceps malitia sua conuersa erat, *in prauum vitis alienae*, nunc insereretur in vitem, vt ferret fructum multum.

DESIDERAtus dicitur Christus quòd si agnosceretur, ab omnibus desideraretur

Aristot. 8. Ethicor. c. 1.

QVANTA bona afferret Hebraeis Christus, si ab eisdem agnosceretur.

Et quidem hic sensus non solum cum textu congruit, sed ita hic vnus, vt eo sublato, neque tam magna Dei promissio intelligatur impleta, neque per eamdem desiderio videatur fuisse & animis Iudaeorum sufficienter prouisum. Non enim satis prouidere videbitur pater filio in regionem longinquam proficiscenti, si quas petit ipse opes non sufficientes, itineris exiguae parti donet, nisi & vltra eas, quas petit, det etiam eas, quibus scit indigere. Vnde licet tunc Iudaei nihil aliud appeterent, nisi restitutum Templum anti- D quum, diuitias, & gloriam, quàm habuerunt tempore Salomonis; tamen cum Dominus, qui & benignus, & misericors est, & praestabilis super malitia, sciret eos magis indigere Templo vero, illo ipso priori indicato, quam ipso priori, magisque futuros felices aduenienre Christo, quam Templo Salomonico restituto, ad id attendit, quòd desiderare debuissent, non ad id, quod desiderabant, & semper plura, & maiora donat, quàm quae petuntur. Quem morem semper tenuit, ac tenet diuina largitas, & magnificentia. Petenti siquidem Ezechiae salutem, respondet per Isaiam Dominus. *Ecce sanaui te, die tertio ascendes Templum Domini: & addam* E *diebus tuis quindecim annos, sed & de manu Regis liberabo te*, id est, Assyriorum, *& ciuitatem hanc &c.* (4 Reg. 20. ℣. 6.) Et tribus Regibus Israel petentibus aquam vt biberent in deserto Idumaeae, respondet Eliseus: *Haec dicit Dominus, non videbitis ventum, neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiae vestrae, & iumenta vestra.* (4. Reg. 3. ℣. 17.) His quidem promissis satisfactum fuerat omni eorum, non solum petitioni, sed & desiderio, quod tunc habebant. sed addit Dominus: *Parumque est hoc in conspectu Domini, insuper tradet etiam Moab in manus vestras.* (℣. 18.)

PROVIDVS pater non quas filius ignarus petit dat opes, sed eas quibus scit indigere.

PLVRA DOna Deus, & maiora, quam petantur.

Sed ad institutum reuertamur, ne communia exempla inquiramus, vbi suppetunt propria, audiendus

Malach. 3. ℣. 1.

diendus est Dominus apud Malachiam. *Ecce ego,* inquit, *mitto Angelum meum, & praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Sanctus Augustinus. Significauit, inquit, etiam Iudaeos secundum scripturas, quas legunt, Christum quaerere, & velle. Et hoc maxime verum est, cum & tunc multi Prophetae, imo & ipse Aggaeus, & alij reperirentur, quibus nihil curae erat de materiali templo, & totum desiderium eorum ad aduentum Christi erigebatur, quos potius consolabatur Deus, quàm caecos, & vltra terrena nunquàm leuantes oculos. Atque adeo quaerere ac velle dicuntur Hebraei id, quod sollicite quaererent, totoque animi affectu vellent, si agnoscerent. Quare negandum omnino non est, Ecclesiae gloriam, solamen Hebraeorum promitti. quippe cum haec vna promissio vere posset eorum animos erigere, ad id omne praestandum, quod Dominus hoc loco volebat. An vero sit hic literalis, seu historicus sensus, nec ne? si quis interroget, iudicarem quidem esse Allegoricum; non quia repugnet esse hunc historicum, sed quia iste idem Allegoricus bene quadrat cum historico loci huius, qui eo tendit, vt hunc Allegoricum confirmet, & stabiliat. Hactenus de prima interpretatione.

S. August. 18. de ciuitat. cap. 35.

SANCTOS potius consolatur promissis Deus, quàm errantes peccatores.

DE ILLA DOMO LOQVVTVS EST AGGAEVS

Propheta, quam ipse à Zorobabele aedificari iusserat, quippe cum aliam futuram fuisse negaret.

Cap. LXVII.

SVNT viri ingenio, eruditione, ac virtute praestantes, qui Aggaei locum, quem interpretamur, ita exponunt, vt eius historicum sensum per verba significatum, & per ipsa etiam à Spiritu sancto intentum, de templo ipso secundo Iudaeorum accipiendum esse contendant: non vt a filijs captiuitatis aedificatum est, sed vt post multos annos reaedificatum est ab Herode. Cuius sententiae duces se sectari iactant Sanctissimum Hieronymum, atque Rupertum. Eam nunc diligentius examinandam suscipimus, qua manente fabulae videntur esse, atque figmenta, quae de Templo primo, eiusque opibus diximus, & de Salomone, quem Regibus vniuersae terrae praetulimus: quippe cum ea omnia a Rege omnium minimo, aegerrimoque nullo negotio potuerint superari. Ego vero apprime noui cuicumque eo, daro vito figmenta mox videri posse haec, A quae de Herodiano templo dicuntur, cum animaduerterit illis esse contraria, quae de Salomonico diximus: illa enim fere omnia firmissimis insistunt sacrae Scripturae testimonijs, haec vnius Iosephi, sed neque antiqui Iosephi, qui minime ausus fuisset coram contribulibus suis similem in Templum Dei proferre blasphemiam. Sed singula examinanda sunt. Atque statuendum est in primis, id quod omnium Doctorum confirmat sententia, tenetque, ac docet Sancta mater Ecclesia, quodque crediderat olim Synagoga, hoc loco Aggaei Christum ita promitti, vt signa etiam dentur eorum, quae eius aduentum, veluti digito commonstrent, & facem veluti praeferant B ijs, qui tenebras non diligunt magis, quàm lucem. Ex quo fit vt locus hic, vel vnus ipse omnem praecidat Hebraicae vanitatis praesumptionem, quippe cum domum illam, quam aedificabat Zorobabel, nouissimam appellet, atque manente illa testetur Christum fuisse venturum. Quod vtinam animaduertissent pij viri, qui res Hebraeorum, atque Antichristi ita magnificant, & exaltant, vt eorum omnium, quae illa infelicissima aetate futura sunt, vnam tantum normam assumant, Hebraeorum libidinem effraenatam, Antichristi superbiam immanem, Daemonis iniquissimi potestatem, ac vires. Quid igitur erit reliquum diuinae prouidentiae, & fidelitati? C numquid non stabit promissis? numquid non prouidebit electis, vt numquam omnino lateat impostoris figmentum, ac vanitas? numquid causam suam non iustificabit cum reprobis, quibus innotescere facile potuisset aliam fuisse superiorem potestatem, quae iniqui illius cohiberet audaciam, ne quid, quid vellet praestaret? Adde his etiam Cyrilli Hierosolymitani testimonium. Non sunt, inquit, Diaboli diuitiae aurum, argentum, quemadmodum nonnulli existimant: fidelis enim hominis vniuersae diuitiae mundi, infidelis vero, ne nummus quidem. Diabolo vero nihil infidelius. Et manifeste per Prophetam dicit Dominus *meum est aurum,* D *meum est argentum.* Itaque ex his Prophetae verbis colligit Cyrillus non datum iri Daemoni diuitias congerere, vt falsissimum diuinae gloriae inuasorem extollat. plures enim ac omnium maiores Deus optimus olim in Templo congesserat, vt gloriam suam, atque omnipotentiam cunctis saeculis vbique manifestaret. Assentitur his Sanctus Ioannes Chrysostomus, qui irato Deo praecipiente, Templum dirutum fuisse confirmat, nec nisi eis placato, quòd numquam erit, instaurandum. Itidem, inquit, nisi ipse esset, qui semel vos deseruit, haud quaquam potuissent ciuitatem vestram diruere, ac Templum vastare, nequaquam huc vsque tanto tempore mansisset solitudinis E calamitas, nequaquam vobis saepe conantibus instaurationem, conatus in vanum cessissent. Hactenus ex Chrysostomo, qui pluribus exemplis, longiorique oratione haec eadem confirmat, & explicat.

DE TEMPLO Herodis aliqui interpretantur locum.

NOBISCVM maxime pugnat haec sententia.

NON QVID quid cupiunt Hebraei praestabit Antichristus, sed nec poterit.

Cyrill. catech. 8.

S. Ioan. Chrysost. orat. 3. contra Iudae.

Sed haec certe clarissima sunt, & quae nulla alia indigent probatione, praesertim cum quae aduersus Iudaeos tertium templum falso sperantes dicturi sumus, eadem omnia cum his ipsis Antichristi magnificatoribus ex aduerso pugnent. Iam vero hoc ipsum, & pariter confirmandum est, & sententiae illi, quae Herodianum templum iactat, opponendum. Ipsa namque Prophetae verba, ipse contextus plane demon-

strat

strat de illa eadem domo, quam tunc aedificabant sermonem fieri. Id plane confirmat Ekius; quia Propheta significanter loquitur de Templo illo secundo, quod aedificabant, non solum per ה he haieda, certificationis, & monstrationis, quod additur in principio voci הבית habait, hoc est, domus istius, sed adiecto simul alio certificante, & monstrante discerniculo הזה hazeh, hoc est, istiusmer. Adde insuper aliam ex ipso contextu. dixerat enim capite primo Propheta: *Ascendite in montem, portate ligna, & aedificate domum*: & subiungit: *& suscitauit Dominus spiritum Zorobabel &c. & ingressi sunt & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui*. Et in capite B secundo retulit Aggaei legationem ad ipsum Zorobabel, cui dixit Dominus *Implebo Domum istam gloria, magna erit gloria domus istius*, istius inquammet, *nouissimae plusquam primae*. quis non videt de eadem hic loqui, quam praeceperat Dominus aedificari, & quam spiritu diuino afflati aedificabant Zorobabel, & Iesus, & ceteri, qui redierant ex captiuitate? Effugiunt huius argumenti vim Hebraei quam maxime, eamdem esse domum affirmantes, quam aedificabit, quem venturum expectant, cum ea quam aedificauerant in eodem loco postliminio reuersi Iesus, & Zorobabel.

DOMUM illam indicat Propheta, quā tunc aedificabant.

Aggaei 1. ℣. 8. ℣. 14.

INEPTUM Hebraeorum responsum.

Verum pro Iudaeis contra nos pugnat illa de Herodiano templo sententia. Nam si in ea domo C quam aedificabant non verificatur hic Prophetae locus, sed in alia ab Herode tunc aedificanda: non minus quam haec opinio à templo Zorobabelico ad templum transtulit Prophetiam Herodianum, possent Iudaei illam transferre ad aliud aedificandum: imo vero melius, quippe cum illa futura sit nouissima domus, vt appellatur a Propheta, Herodiana vero non item.

PRO IUDAEIS contra nos pugnat illa de Herodiano templo sententia.

Norunt quidem illius sententiae propugnatores huius argumenti vim, quam nisi repellant, corruet, mihi credite, à fundamentis Babylonica illa turris, vel Gigantum montes montibus superstructi. Sed se tuentur vt possunt, asserentes, quod licet Templum à Zorobabele aedificatum, euersum fuerit à fundamentis, & ab Herode no- D uis in eodem loco repositis, aliud extructum: tamen quia statim, & sine interruptione, & sine mora euersionem subsecutum est aedificium, ideo non duo templa numerantur ab Auctoribus, sed vnum, atque idem, quod secundum dicitur. Nam ita consuetudo loquendi obtinuit, inquiunt, vt vrbes, ac templa, praesertim continuo in eodem loco reaedificata pro iisdem numerentur. adeo vt de templo à Chaldaeis diruto, & post septuaginta annos aedificari iterum caepto nunc Propheta dicat: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* Afferunt & alia exempla, vt confirment illum, quem dixerunt loquendi morem, quorum E quodlibet non contemnendam inuoluit difficultatem, singillatim quidem, & particulatim examinandam. Ego vero quo magis video firmari eiusmodi loquendi rationem, maiorem agnosco vim Textui inferri, ipsamque Iudaeorum temeritatem fulciri, defendi, confirmari. Quid enim? mos est, vt inibi aedificata domus eadem dicatur, etiamsi post multos annos aedificetur, vt exemplo confirmatur, nonne ibidem aedificata post quantumuis longum tempus ab eo, quem expectant Antimessia eadem domus dicetur? Accedit Iudaeorum peruicacia locum afferens Psalmi. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quae praeterijt*: & sic insuper philosophantur. Mille anni tanquam dies, & tres, siue decem, aut quindecim dies, bene dicentur modicum: multa igitur millia adhuc annorum supersunt transigenda, antequam in tantas angustias redigantur Iudaei, vt ex hoc modico cogantur confiteri Christum venisse: quippe cum eodem plane argumento se tueantur, affirmantes domum aedificandam ibidem post modicum temporis spatium, perinde esse, atque si tunc aedificaretur, eandemque omnino domum dici, quàm indicauit Aggaeus. Et quidem quod ego videre possim, nullum sit reliquum argumentum, quo Iudaei ex hoc loco conuincantur, si dicendi modus, quem tuetur illa sententia, verus esse admittatur. Quod durum valde est, atque difficile, validissimum Ecclesiae deturbare propugnaculum, quo fere Patres omnes, & Sancti Doctores non semel, sed saepe vtuntur contra Iudaeos.

TEMPLUM Herodis idem esse contendunt cum Zorobabelis.

Aggaei 2. ℣. 4.

IUDAEORUM argumenta pro futura Antichristi domo.

Psalm. 89. ℣. 4.

NON SUNT Ecclesiae propugnacula a nostris diruenda.

Verum ad rem ipsam propius examinandam accedamus. Locus hic Prophetae id postulat, vt certa aliqua ratio assignetur, qua domus haec prima, & domus secunda, siue nouissima diuersa esse demonstretur. haec inquam Salomonis prima, & Zorobabelis nouissima, cum contra alia ratio sit assignanda, quae Zorobabelis domum vnam, & eamdem esse ostendat, cum illa Herodis, quam admittit; aliàs enim locus nullo modo intelligetur: quod si haec vtraque ratio tota petatur ex eo, quod secunda domus Zorobabelis post septuaginta annos a prima domus euersione extructa fuerit, tertia vero Herodis domus statim, atque euersa fuit secunda, ea certe satis infirma esse videtur. quare longe diuersam inire nos cogit Textus philosophandi rationem: cum prima domus plena fuisse dicatur gloria, secunda tam longe abfuerit à gloria, vt pene non fuerit, quasi nihili reputata in oculis videntium; tertia vero, quam illa fingit sententia, gloriosior multo fuerit, quàm prima, atque adeo, nisi in vnam, eamdemque domum pariter conuenite, dicamus ignobilitatem secundam, & gloriam tertiam, vix quidem videbimur Textui satisfecisse. Praesertim cum citius, aut tardius post euersionem aedificari domum nihil omnino facere probetur, vt domus tertia eadem dicatur esse cum secunda haec vero diuersa sit à prima. Nam quo se tuetur illa sententia exemplo: aedificata post septuaginta annos domus secunda eadem appellatur à Propheta cum prima: possent quoque se tueri Hebraei, aedificandam fore, sperantes post multa saecula gloriosiorem domum eandem.

DOMUS prima secunda, & tertia, ex gloriae diuersa participatione distinguuntur.

Dicamus igitur id quod est, & quod reuera exigit Textus domum tertiam nullam omnino fuisse, neque futuram esse: Id quod verum adeo est, & certum, vt si ab vno quolibet Sanctorum Patrum diceretur contrarium, propter auctoritatem tamen tanti viri esset ille sano modo interpretandus: si à pluribus alijs Doctoribus, propter communem Sanctorum constantemque sententiam, omnes omnino essent merito reijciendi: Quare non est cur quisquam Sanctissimos viros in contrariam partem detorquere contendat, cum haec sententia sit, vt dixi, constans omnium Sanctorum. Sanctus enim Hieronymus nunquam affirmauit intelligendum esse locum Aggaei de templo Herodis, imo nec templum Herodis in hoc toto Commentario Aggaei nominauit. At

NULLA fuit, nec erit tertia domus.

verba

S. HIERONYMUS nunquam putauit Aggaeum ad templum Herodis respexisse.

verba Hieronymi, inquiunt, indicant se de eo velle loqui. Sed age illa ipsa Hieronymi verba expendamus, quibus se tuentur aduersarij. Tunc implebo, inquit, domum istam gloria maiore, quam prior, & semper vobis addam. Et ne forsitam sponsorem putetis infirmum, meum est argentum, & meum est aurum, & meae sunt cunctae opes. Ego in ornamentum Templi, aurum, argentumque donabo, vt maior fiat huius domus gloria, quam prioris. Haec sunt Hieronymi verba, quae non video, cur magis ad Herodianum, quàm ad Zorobabelicum templum referenda sint, cum ea vera, & certa esse credantur ab omnibus etiam ijs, qui templi Herodiani nullam habuere rationem. Sed liceret pro aduersarijs argumentum huiusmodi componere: cum constet tantam auri, & argenti copiam in templo Zorobabelico non fuisse, quantam in Salomonico: Hieronymus vero affirmet primum Templum superandum a posteriore diuitijs, & gloria, colligi videtur Hieronymum apprime eruditum, ac memorem prioris, & posterioris templi, prophetiam hanc ad templi Herodiani diuitias retulisse. Sed superuacaneum esse censuerim, ac periculosum Sancti viri mentem velle coniecturis interpretari, quam ipsemet Sanctus eodem plane loco disertis verbis exposuit, affirmans omnino oppositum eius, quòd aduersarij contendunt.

ARGVMENTUM pro aduersarijs.

NEGAT S. Hieronymus de auro quod a diuitibus possidetur, esse locum intelligendum.

Non puto, inquit idem Hieronymus, aliquem existimare, quod Aggaeus de argento loquatur, & auro, quae a diuitibus possidentur. Sed adhuc C persistunt in sua sententia, qui Hieronymum vellent a seipso dissentire, vt cum ipsis consentiat. Affirmant enim priorem expositionem de templo, Hieronymum ad verba suae translationis retulisse, quasi literae sensum explicare conaretur: alteram de Ecclesia translationi Septuaginta interpretum adiunxisse vbi spirituales semper sensus edisserit. quod purum putum esse figmentum, & doctissimi Cardinalis, & ipsius Hieronymi non contemnenda auctoritate firmabo.

HVGO CARdinalis S. Hieronymi verba pro nobis exponit.

Hugo quidem Cardinalis dum locum Aggaei interpretaretur super illud verbum, argentum, sic scribit: Argentum, glossa, opes omnes, quas dabo vobis in ornamentum templi, vt sit gloria domus huius maior, quam prioris: videtur quod glossa haec velit intelligere hoc ad literam: sed non est verum, vnde Hieronymus in originali, non puto aliquem existimare, quòd de argento loquatur, & auro, quae à diuitibus possidentur. Haec sunt Hugonis verba, quibus non solum affirmat hanc interpretationem a Hieronymo cum sua translatione, quam originalem vocat, fuisse coniunctam, sed & ipsa verba glossae esse intelligenda secundum hanc Hieronymi interpretationem. Sed ad ipsum Hieronymum veniamus, qui summet optimum aget interpretem: postquam enim dixerat: Ego in ornamentum Templi aurum, argentumque donabo, vt maior fiat huius domus gloria, quam prioris, haec verba subiungit: Et difficile videtur quod polliceor, & humana infidelitas ad maiora promissa semper haesitat, propterea rursum duo qui promitto, dominus omnipotens sum. Porro quia scio ad aedificationem inclytae domus, & quae superatura sit domum pristinam nihil ita facere, vt pacem, idcirco & hanc spondeo: dabo enim in loco isto pacem, dicit Dominus exercituum vt pax, quae exsuperat omnem sensum, custodiat domum meam, & sit in pace locus meus. Nos interim paraphrasticos expositionis lineas duxerim, vt ex his ad sublimiorem intelligentiam eius nobis tacentibus prudens lector ascendat. Haec sunt Hieronymi consequentia verba, quibus certe affirmat se in antecedentibus paraphrastem egisse,

S. Hieronymi verba quae mentem illius exponunt.

A quare in sensu Historico ea omnia tractasse credendum est, & pacem auro, & argento coniunxisse, vt non alia, sed eadem prorsus ratione, & opes, & pacem intelligendam esse significaret, Accedit quod cum Hieronymus neget intelligendum esse locum de auro, & argento, quod à diuitibus possidetur, affirmetque se non credere aliquem existimare, quod de eiusmodi argento loquatur Dominus, quid est quod scriptores hi Hieronymum contendunt existimare, quod à nemine putat ipse Hieronymus posse existimari?

S. Hieronymo iniuriam irrogant, qui illum putant existimare, quod a nemine putat ipse posse existimari.

Sed age cum his ipsis Aggaei, & Hieronymi expositoribus pressius disseramus. Certum est propositis à me Hieronymi verbis, Hieronymum B negare ita esse locum intelligendum, vt aduersarij contendunt, propositis autem ab aduersarijs eiusdem verbis non affirmat esse intelligendum, vt illi volunt, sed verba profert, ex quibus vtrumque posset colligi, quare ergo ita interpretabimur, vt contradicat Hieronymus sibi, non autem vt concordet? At, inquiunt, non sibi contrariatur, quia alteram sententiam dicit, vbi suam solet frequenter afferre, alteram vero, vbi spirituales sensus adiungere solet, rogo, aut spirituales sensus ex sua sententia, aut ex aliena? siquidem ex sua, neque enim aliud potest affirmari, cum nullum referat, imo translationem Septuaginta interpretum paulo ante abiecisset: sententia igitur Hieronymi est locum hunc, qui ad aurum pertinet, & argentum, sicut etiam qui ad pacem, non habere alium historicum sensum, quàm spiritualem ipsum. Id quod confirmare videtur sequentibus verbis. Ego ex ammo, inquit, argentum, quo Domus Dei ornatur eloquia scripturarum, & aurum, quod in oculto Sanctorum sensu, & in cordis versatur arcano. Affertque locum Psalmi, & Pauli, quo idem confirmet de illis qui aedificant super fundamentum aurum, argentum &c. Sancti Hieronymi sententiam tuetur Sanctus Ambrosius cum omnibus illis, qui ab Ekio, atque ab alijs sunt relati.

S. HIERONYMUS existimare videtur hunc locum spiritualem tantum sensum habere.

Psal. 11. 1 Corinth 3. ℣. 12.

Sed ad Rupertum veniamus cuius auctoritate magis videtur inniti aduersariorum sententia, ac ne longam disputationem interseramus, eiusdem verba referre oportet, quae illa sunt. Equidem D Herodes Templum illud, quoniam erat priore minus, deposuit, & in antequam magnitudinem reformauit, multis, & magnis aedificijs decorauit. Hactenus referuntur ab illis sed legisse oporteret, aut non subticuisse, quae sequuntur. Sed nequaquam Dominus exercituum pro gloria reputare sit dignatus, quod homo funestus, rex impius operatus est, exaequari, vel etiam praeferri contendens regi magnae opinionis, & Sapientissimo Salomoni. Haec sunt verba Ruperti quibus Herodem confirmat, etiamsi templum exornasset, exaedificassetque, ita vt prioris quam simillimum fieret, tamen non de eo intelligendam esse prophetiam: neque enim inglorij, & execrandi regis opera, Deum sibi in gloriam adsciscere credendum est, cui odio sunt impius, & E impietas eius. Accedit etiam opus Herodis ex iniqua propriae existimationis, inanisque gloriae cupiditate processisse, quare & iniquum Deo visum fuisse quippe cum de Herode dicta fuisse videantur verba Psalmi. *Quoniam dolose egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium*. & quae sequuntur.

RVPERTVS quoque nobiscum contra aduersarios sentit.

HERODIS iniquum opus, propter inanis gloriae cupiditatem, Deo non placet. Psal. 35. ℣. 3.

Iam vero cum satis, constet hanc nouam interpretandi rationem neque à Hieronymo, neque a Ruperto, quibus innitebantur fulceri, Ingenue mihi fatendum est me non semel, sed saepe, & quanta maxima diligentia fuisse conquisitum,

Nullus est vel ex Hebraeos vel inter nostros scriptor, qui illam sententiam tueatur.

vel

vel inter Hebraeos vel inter nostros Interpretes aliquem vllus eam tueretur, vt illi possem pro virili mea parte satisfacere, & tamen praeter vnum filium Gorionis, & sequaces vix inter Hebraeos, inter nostros ne vix quidem vllum adhuc reperisse: cum contra multos inuenerim illam negantes posse teneri, quos suo loco recensebo. Sed quoniam templum ab Herode constructum, & à Iosepho relatum, vnum fuit oppositae sententiae fundamentum, quid de eo sentiant Scriptores, videndum est in primis, Et quidem Origenes.

Origen. homil. 15. in Matth.

NEGANT Scriptores templum ab Herode fuisse extructum.

Ergo inquit, secundum corporalem circumcisionem carnis, secundum corporales legis festiuitates, & sacrificia consequenter, & templum Dei existimabatur, quod ex lapidibus insensatis erat constructum, primum quidem à Salomone, deinde reparatum ab Esdra, postea vero post Christi aduentum à Romanis destructum, & illa existimabatur domus esse orationis. qua destructa, necesse est, vt Iudaei, quasi non iam habentes domum orationis, iam non habeant priuilegium speculationis Dei, neque possint secundum legem Deo seruire. Et Origenes nullam de templo Herodis mentionem faciendam esse censuit, quippe arbitratus templum ab Esdra instauratum à Romanis fuisse suboersum. Et Lyra super illis verbis. *Et implebo domum istam gloria:* Quia inquit, in Templo per Zorobabel aedificato Christus fuit à matre oblatus. Haec ille. qui nullam putauit Herodiani templi rationem habendam esse. Postmodum Iacobus de Valentia citat Kimchium in haec verba: Item Salomon postea aedificauit Templum, & murauit ciuitatem, sed in vanum laborauit, quia tam Templum, quàm ciuitas fuerunt destructa per Chaldaeos. Item Esdras & Zorobabel iterum reaedificauerunt eam, sed in vanum laborauerunt, quia fuit destructa per Romanos. Item ijdem, idest, Romani, & Christiani, & Sarracaeni multoties voluerunt reaedificare illam ciuitatem, tamen pluries fuit destructa. Ecce Kimchium Christi hostem infensissimum inter aedificatores Templi nullam fecisse Herodis mentionem: quam procul dubio ex instituto fecisset, si Templum existimasset ab eo tam gloriosum fuisse aedificatum, quàm fingit aduersariorum opinio.

Nicol. de Lyra super Aggae.

Iacob de Valent. Psal. 126.

KIMCHIVS non meminit templi Herodiani, cum ex instituto debuisset.

In eadem porro sententia fuisse videntur apud Ioannem Iudaei illi, qui Templi Dominum, & verum templum Christum arguere conantur dicentes. *Quadraginta sex annis aedificatum est templum hoc, & in tribus diebus excitabis illud?* sed & hoc Euangelij testimonium in suam detorquent sententiam, qui oppositam tuentur, id dictum fuisse affirmantes, cum iam illud esset euersum, & alterum aedificatum octo annis. Sed quoniam idem Templum erat, & dicebatur, vt Christum vehementius arguerent de quadraginta sex annorum mora, quam de octo dicere maluerunt, cum vtrumque possent. Haec illi. Qui fateri coguntur quod neque ausi sunt negare, Hebraeos illos nullam existimasse rationem habendam esse Herodiani templi. Quibus idem ipsum potuisset opponi, & longior mora captiuitatis eorumdem imbecilitati tribuenda esse probaretur cum Regulus quidam Herodes octo idem annis potuerit praestare, Iudaeos hic de templo Zorobabelico loquutos fuisse constat, cum Salomonicum septennio fuerit absolutum. Origenis certe sententia nulli probatur, quae

Ioann. 2. ℣. 20.

HEBRAEI nullam rationem habendam esse existimarunt Herodiani templi.

Origenes.

A tempus, quo Dauid Templi opes materiamque praeparauit, aedificationi annumerat. Nullus enim eum aedificasse putabit, cui Dominus ne aedificaret, mandauerat: De templo autem Herodiano cum sic esset, quasi non fuisset, nullus existimauit loquutos fuisse Iudaeos, neque numerus annorum conueniens est. De hoc item templo ante Iosephum nullus vnquam meminit, neque locus aut in Euangelio, aut Actis, siue Canonicis, neque in toto Testamento nouo reperitur, quo illud fuisse ab Herode extructum conuinci possit, imo neque quo indicetur: vnde tota huius historiae veritas ex Iosepho pendet. Is enim quem vna referunt Aegesippus antiquus ille quidem, sed annis aliquot recentior Iosepho, exornatum fuisse putat ab Herode templum, non aedificatum. Tempus porrò, quo fuit extructum id templum, ex eodem Iosepho cognoscendum est, eius haec sunt verba: Absolutoque octo annis reliquo aedificio, tandem etiam Templum ipsum eorumdem sacerdotum opera sesquianno perfecit. Ex quibus constat non vltra decennium aedificationem durasse.

IVDAEI DE templo Zorobabelis loquuntur, cum 46 annis aedificatum dicunt.

NVLLA mentio fit Herodiani templi ante Iosephum.

Ioseph. 14. Antiq. cap. vlt.

Quod si aliquis sibi fingat post absolutam fabricam semper aliquid perficiendum relinqui, vsque dum dimissis operarijs ad perfectum sit opus deductum; idque durasse putet vsque ad annum quadragesimum sextum ab initio extructionis. Id quidem adhuc falsum est: constat enim ex eodem Iosepho hanc aedificationem vsque ad ea tempora perdurasse, quae Christi resurrectionem fuerunt subsecuta, sic enim ait: Iam absolutum erat, & Templi aedificium. Populus igitur cum videret esse inotio circiter octodecim opificum millia solitorum hactenus in Templo ex operarum mercedibus victum quaerere &c. Et post pauca subdit: Rex autem, cuius curae Claudius Caesar fabricam Templi commiserat &c. Cum ergo haec aedificatio Herodiana vltra annos Christi Domini fuerit extensa; nulli credibile videbitur Iudaeos tunc loquutos de aedificatione futura, vel quae nondum fuisset absoluta, cum *aedificatum est*, dicant, non aedificandum. De alia igitur intelligendus est locus, quam constat ex Esdra durasse ab anno primo Cyri vsque ad secundum Darij. inter quos, licet sit varius computandi modus, omnes tamen Classici Scriptores conueniunt quadraginta sex annos intercessisse, si vera dicunt, calumniantes Iudaei. Sic interpretantur locum hunc Toletus, Iansenius, Pereira, Theodoretus, Sanctus Thomas, qui & Alcuinum in eam retulit sententiam.

NON POtest 46. annorum aedificatio ad Herodianum referri.

Ioseph 20. Antiq. c. 8.

Esdrae 1.

AD ZOROBABELIS aedificium referenda sunt Hebraeorum verba apud Ioannem.

Tolet. Iansen. concord c 19. Perer in Daniel. Theodoret. super Ezech. sect. 13. in fine. S. Thom. sup Ioann 2. in catena.

Hoc assumpto quod obijciens concedit Iudaeos loquutos de Templo Zorobabelico, quis nos coget credere fuisse aliud Herodianum? imo potius, hoc est, quod maxime dubitandum est, an vera dicat Iosephus de templo ab Herode constructo, & vt postea ostendam figmentum potius, quam veritatem sapit historia Iosephi, quae multos decepit. Ex hoc item Ioannis loco firmissimum sane contra oppositam sententiam elici posset argumentum. Si enim Iudaei templum hoc dicunt templum Zorobabelicum, & tunc credere tenentur Christiani impletam esse domum illam gloria maiori, quam fuisset prior ergo templum Zorobabelicum impletum fuit illa gloria, sed gloria Zorobabelici templi nunquam fuit in aedificij amplitudine, & diuitijs maior, quàm Templi Salomonici, vt ex historia Esdrae, & omnibus Patribus,

IN TEMPLO Zorobabelico impleta fuit Aggaei prophetia.

tribus, & ipsomet obijciente constat: ergo haec gloria ad aliud, quàm ad diuitias referenda est, quod sequentibus capitibus amplius patebit.

Ioann. 10.

Perstant praeterea in ea sententia confirmanda, quod Herodis templum idem dicendum sit cum Zorobabelico, ex eo quòd porticus Salomonis diceretur illa, quam Herodes instaurauerat; quippe cum priorem Salomonicam Chaldaei iam olim subuertissent. Duplici vero hac in parte errore decipiuntur. Primo arbitrantes porticum illam, quae Salomonis dicebatur, fuisse dirutam: secundo, fuisse ab Herode instauratam, vtrumque enim negat Iosephus qui sic ait: *Suasit regi, Agrippae populus, vt Orientalem instauraret porticum. Ea Templi extima claudebat profundae valli, & angustae imminens, ac proinde substructa muro, quadringentis alto cubitos, saxis constructo quadratis valde candidis, eratque cuiusque saxi longitudo cubitorum viginti, sex vero altitudo, opus Salomonis Regis, qui primus integrum Templum condidit.* Haec ille. Et certe si non falso innitererentur fundamento hoc exemplum plane probaret templum Herodis idem dicendum esse cum Salomonico; non vero cum Zorobabelico, quod aeque pugnaret cum illis, atque nobiscum. Sed haec plene excogitata sunt effugia, non vera. Hoc enim idem, quod paulo ante colligebamus, illo eodem exemplo, quo se tandem tuentur, plane colligitur. Nam apud Esdram. *Nos sumus*, inquiunt, *serui Dei caeli, & terrae, & aedificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quodque Rex Israel magnus aedificauerat.* Nos enim aedificamus, inquiunt, hoc templum, quod erat antea aedificatum, & fuit destructum, aedificamus quidem idem, quod ad locum, situm, & partes aedificij, finem, & vsum spectat: sed longe quidem aliud, quod ad lapides, ligna, ornamenta, & altitudinem, sed tamen eisdem quibus prius nominibus, totum aedificium, eiusque partes nominamus. Atque hoc modo intelligenda sunt omnia, quae afferri possent exempla. est enim idem semper templum situ, distributione partium, & nomine, re autem diuersum, vnde perperam sane existimarunt idem nomine Templum, re vera, & omni ornamentorum genere esse idem. Simili enim argumento dici posset esse idem Templum Salomonicum cum eo, quod gloriosius promittitur. quod quidem ipsimet Prophetae repugnat. Dicamus igitur id, quod verum ac certum est, illam eamdem domum Zorobabelicam gloria implendam fuisse maiori, quoniam nulla alia, vel extructa, vel extruenda fuit.

Ioseph. 20. Antiq. c. 14.

PORTICVS Salomonis quae, & quare sic dicta sit.

1. Esdrae 5. ℣. 11.

IDEM SEMper templum dictum est, quamuis ornamentis & magnificentia diuersum.

HERODIANI TEMPLI AVT VERI,

aut à Iosepho commenti nullam rationem habuit Aggaeus Propheta.

Cap. LXVIII.

VERAM esse omnino censemus sententiam illam, quae Aggaei locum historico sensu, & literali intelligendum esse putat de domo illa, quam Hebraei postliminio reuersi sub Zorobabele principe aedificabant, quorum manus dissolutas roborabat Aggaeus, & animos in spem maioris gloriae erigebat. Ita praecise de illa, vt siue Herodes aedificauerit aliam, siue non, de illa Herodiana nullam faciat haec prophetia mentionem. Haec sententia probatur: Primo, quia vt Sanctus Augustinus ab omni Theologorum schola receptus eruditissime statuit, Is est historicus omnino sacrae Scripturae sensus, quem verba Scripturae proprie accepta enuntiant, si tamen bene cum praecedentibus, & sequentibus cohaeret, & nihil continet à recta doctrina fidei, aut morum integritate discrepans. Hic est quidem per verba significatus, vt late supra probauimus, ex duplici demonstratiuo illius domus. *istius*, istius inquam, quam modo aedificatis, & subdit, *domum istam implebo gloria*. Hic idem sensus cohaeret sane cum praecedentibus, & sequentibus, à quibus longe distat contrarius. Nam exhortabatur aedificantes Propheta ad aedificandam, non futuram, sed illam, quam aedificabant domum; & vt magis excitarentur ad strenue adificandum, gloriam illiusmet domus pollicetur. Quod si ad alteram domum, promissam referas gloriam, vel aedificantes id intelligunt, aut secus. si primum dicas, quomodo possent aedificantes alacri animo opus vrgere, qui libentius aedificationem domus distulissent vsque dum aedificarent domum illam, cuius maior esset gloria futura: alias opus, & operam perdidisse viderentur, dum gloriam sperantes, domum aedificarent absque gloria subuertendam. Quod si non intelligebant, decipi viderentur à Propheta, qui gloriam alterius domus proponeret, vt suaderet domum absque gloria fabricare. Cum sequentibus item bene congruit, si eidem domui promittatur maior gloria, quam prioris fuit: qui enim eam promittit, Dominus Deus omnium, omnipotens est, & quicquid voluit, fecit in caelo, & in terra. neque rectae fidei, aut moribus contradicere potest, quia completum dicitur fuisse prophetiam aduentu Domini Nostri Iesu Christi, de quo tempore absque dubio loquitur prophetia haec vniuersa.

DE TEMplo quod tunc aedificabat Zorobabel, loquatur Aggaeus propheta.

S. August. lib. 3. de doctrin. cap. 10. & 11.

EIVSDEM domus gloriã pollicetur, vt eam alacri animo aedificare prosequantur.

Hanc autem veram & certam esse loci huius inter-

NVLLVM fuit templum ab Herode extructum.

interpretationem demonstrabimus: si negemus cum Ekio doctissimo viro, acerrimoque fidei defensore templum ab Herode constructum. Fabulam quidem esse, merumque Iosephi commentum, nullus siquidem eius meminit ante Iosephum, reliqui ab eo accipientes errant errantem sequuti: tunc enim cum nulla alia domus extet, de qua locus historico sensu intelligatur, de illa vna intelligendus erit, quae deinde Allegorico Ecclesiam Christi repraesentet. Sed objicienti hoc maxime mirandum videtur; quocirca & bonitatem, & prudentiam Ekij requirit, quia vnus post hominum memoriam negauit templum ab Herode extructum: requirat & Sanctissimi doctissimique Augusti- B ni, requirat & Illustrissimi Cardinalis Toleti, requirat & nostram. negauerunt illi quidem, negamus & nos vera dixisse Iosephum, in eo, quod de historia templi Herodiani commentatur.

S. Aug. 18. de ciuit. cap. 45. & 48.

Primum propter rationes Ekij, quarum prima est ex citato loco Ioannis. quippe cum Iudaei ad templum Zorobabelicum quadraginta sex annis aedificatum confugiant, nullam habentes rationem Herodiani templi; de quo nullo modo intelligi potest locus, vt demonstrauimus, atque adeo nullum fuisse eiusmodi templum affirmandum est.

HEBRAEI nihil fecerunt templum Herodis.

Secunda si nouum templum ab Herode extructum demus, dabimus prophetiam Aggaei C non fuisse impletam in templo, quod demonstrabatur, & tunc aedificabatur, neque illa domus, quam aedificabant, nouissima erat; cum ea funditus euersa fuisse dicatur, atque alia in eius locum successerit.

Tertia quia tertium templum nec ipsi Antichristo concedimus, quia tertia aedificatio multis Prophetarum praedictionibus contradicit: cuiusmodi est illa Hieremiae. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*: ter dixit templum, de tribus templi aedificationibus loquutus, mendaces appellauit Propheta eos, qui sibi tertium templum vane promittunt, vt Petrus Nigri contra Iudaeos Ratisbonae indu- D xit. Et Daniel: *Ciuitatem*, inquit, *& Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio* & iterum. *Et vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio*. Si ergo post primam desolationem subsequutam tempora Danielis, statim sequitur desolatio vsque ad finem: ergo falsum est, quod Herodes desolauerit templum, & postea aliud inibi aedificauerit; alias enim, & nunc possent sperare Iudaei post praesentem desolationem, aliam aedificationem, post quam sequatur illa vltima desolatio vsque in finem, & sic frustrabitur Daniel vero sensu, & fine prophetiae, quod ne licet quidem co- E gitare. Huc etiam referri possent, quae late de hoc argumento disputamus in Apparatu. Multis alijs argumentis probat Galatinus, & alij contra Iudaeos disputantes nullo modo fore tertium aedificandum Templum, etiam ex Rabbinorum testimonijs, quae omnia retorquere possumus aduersus hanc sententiam affirmantem nouum Herodis templum fuisse extructum.

Ierem. 7. ℣. 4.

TERTIVM templum Antichristo negatur, nedum Herodi.

Petrus nigri. Daniel 9. ℣. 26.

Tom. 3. Appar. part. 1. lib. 3. cap. 34. Galatinus. & alij contra Iudaeos.

At disputat valide objiciens contra hanc Ekij sententiam, cuius Primum argumentum est: ita ne, inquit, quòd mille quingentis annis nemo A vocauit in dubium, nemo non credidit, leuibus & nullius momenti coniecturis inficietur Ekius? Huic rationi nihil aliud videtur respondendum, quàm quod cum toto eo tempore viuentium nullus ausus fuerit figmentum Iosephi, cum stabili sacrae Scripturae veritate conferre: ideo nullus discussit antea hoc, quod nobis nouam sententiam disputandum proponit. Sed quis vnquam credidit aedificium ab Herode constructum comparandum cum priore? si enim id credidisset Catholicorum vllus, certe in medium protulisset, vt vel hoc argumento Iudaeos conuinceret, ostendens gloriosius templum à Propheta promissum, in aduentu Messiae fuisse constructum, sed hoc nullus induxit: ergo nullus id credidit. Sed quid opus est duci coniecturis leuibus? firmis quidem rationibus, non verborum multitudine legentium mouentur animi: quare ab illis vel referendis, vel refellendis libenter abstinemus.

QVARE nullus antiquorum in dubium reuocauit commentum Iosephi.

Probare item contendit objiciens multos alios praeter Iosephum idem affirmasse. Affirmauit alter Iosephus filius Gorionis, Sanctus Hieronymus, Rupertus, & ante omnes Aegesippus. Primum hos auctores aliquid eiusmodi dixisse nihil facit contra Ekium, qui affirmat ex illis, qui Iosephi aetate vixerunt, vel illum antiquitate praecesserunt, nullum dixisse: idque adhuc stat vnus Aegesippus omnium antiquissimus, quippe qui floruit circa tempora Constantini, vt author est Baronius, templi Herodiani meminit, fateor, sed huius quidem dicta ita nostram sententiam confirmant, vt non possit sententia Iosephi teneri. Hic quidem author in praefatione illius libri, quem de excidio Hierosolymitano scribit, conuincit Iosephum de multis mendis; postea autem, cum de Herode agit: Templum, inquit, ornauit, omnem illum circa templum loci ambitum circumuallauit muro &c. Ecce Aegesippum Iosephi mendum corrigentem: ecce negantem ab Herode nouum templum extructum: ecce non in dubium sententiam Iosephi vocantem, sed omnino oppositam asserentem: ornare enim longe aliud est ab eo, quod ait Iosephus, nouis solutis fundamentis nouum templum aedificauit.

S. Hieronym. sup. Zachar. 11.

Rupertus ibi.

AEGESIPPUS Iosepho contrarius est. *Caes. Baron. Tom. 1. Annal. an. 34.*

Aegesip. lib. 1. cap. 35.

Quid autem exaedificauerit Herodes, dicit ipse Aegesippus, nempe porticus, & non quidem omnes, sed Meridianam atrij Gentium, vt ex varijs locis eiusdem Iosephi inter se collatis liquido constat.

HERODES Meridianam porticum atrij Gentium tantum aedificauit.

Quod ad Hieronymum, & Rupertum, ac alios, quos vocat innumeros, spectat, nihil aliud hi omnes praestant, quàm quod referunt Iosephum, neque eiusdem hac in parte historiae aliquid superaddere authoritatis, vel certitudinis volunt, praeter eam, quam habent à Iosepho: quare veritas, aut fictio in ipso fonte inuestiganda est.

Quod ad filium Gorionis attinet, & ad Kimchium, mirandum est, quod ex eorum sententia aliquid statuatur contra Sanctorum testatam, constantemque sententiam, in his maxime, quae ad Iesu Christi Domini Nostri gloriam attestandam spectant: cum manifestum sit omnium Rabbinorum, praesertim Neotericorum, animos ita in Christum male affectos esse, quem odio habuerunt semper grauis, vt in omnibus scripturae locis, quae de ipso loquuntur, verba mutent, vel de medio tollant, vel saltem

eorum verum sensum conuellere nitantur. Quod vt praestent, fabulas confingunt incredibiles & anilibus quibusdam figmentis libros suos complent, ac mentes, oculosque eorum, quos ducunt, densissimis tenebris obducunt, quasi tenentes eorum oculos, vt non agnoscant: Quare hanc perpetuam legem statuendam putarem, cuilibet pio viro Rabbinos legenti, vt omnes quas ipsi inducunt Scripturae interpretationes, maxime eorum locorum, qui de Christo Domino pressius loquuntur, pro suspectis habeant, ab ipsisque caueant, sicut ab omnibus Diabolicis suggestionibus, etiamsi nihil mali illis subesse prima facie videatur. Quod & fecit Dominus Daemonis non acquiescens consilio suadentis, vt diceret lapides illos panes fieri: Et iterum, non sinens ea loqui, *quia sciebant ipsum esse Christum*. Atque ita quicumque Rabbinos legit, muniens se signo Crucis, saepius Iesu Christi Domini Nostri verba repetat: *vos ex patre Diabolo estis*.

QVOMODO cante legendi sunt Rabbini

Ioann. 8. ℣. 44.

Sed id quaeso reducant in memoriam pij, an Iudaei fateantur gloriam secundae domus, quae ab Aggaeo promittitur praecessisse, & an negent Desideratum cunctis Gentibus, hoc est, Dominum Messiam venisse? & tamen manifeste vtrumque coniungit Propheta, imo & aduentum Messiae praecedere significat glorificationem domus; quid hinc sequitur? nisi quod quae Iudas de eis quodammodo dixit, de eis nos manifeste dicamus: quicquid ignorant, blasphemant, mendacem quippe his dictis facere praesumunt, impie, Prophetam, semper Spiritui sancto resistentes: nec mirum si id filij facere audeant exemplo patrum, qui diuinam accusant veritatem, dicentes: *Testimonium dicis de te ipso, testimonium tuum non est verum*: & iterum: *nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Daemonium habes*. Mirandum etenim maxime est, & deplorandum, viros pios, & eos qui parati sunt cum Christo, imo pro Christo mori, deduci plerumque per inuia, & inaquosa Rabbinorum scripta ad tam periculosa praecipitia, falsa veri specie delusos.

IVDAEI non admittunt gloriam domus ab Aggaeo promissam praecessisse.

Ibid. ℣. 48.

Sed ad rationes aliquas objicientis contra Ekium veniamus. Hoc idem, inquit, dixerunt postea innumeri: ipse potius Ekius vnum proferat, qui negauerit. Haec ille. qui paulo ante protulerat Aegesippum negantem aedificium Herodis, quippe qui ornauit, dixit, non aedificauit. Et licet objiciens interpretetur, forte ornauit, dixit pro aedificauit, non bene commentatur Aegesippum, sed potius credat Aegesippo, & corrigat Iosephum in multis, vt patebit, corrigendum, & dicat, forte aedificauit, dixit Iosephus, pro ornauit.

Pergit objiciens Iosephi commendare auctoritatem. Sed si solus Iosephus dixisset, cuius fidem in historia laudant Eusebius, & Hieronymus, quis Sacerdoti, & erudito homini de recenti historia, & de re maxima, & celeberrima paulo ante suam aetatem gesta in vrbe totius Iudeae clarissima scribenti fidem non haberet? tam demens erat, vt notissimum, & impudentissimum mendacium vniuersis Iudaeis auderet obtrudere? tantumne Herodis memoriae fauebant, vt opus insigne patrum suorum, impio Regi, & omnibus ingrato adscri- A bi paterentur? Sic argumentatur objiciens. Hunc ego rogare vellem, antequam his interrogationibus respondeam: an forte probare contendat tantam fidem Iosepho in hac Templi historia tribuendam, vt omnia sint necessario credenda? si enim hoc probare intendat, parum, aut nihil praestabit, cum in multis, sacrae Scripturae contrarius sit. Sed demus Iosepho fidem Historiographi, maiorem enim nemo exquiret. Ego hic proferam nonnulla ex multis quae veritati manifeste aduersantur apud Iosephum, vt quod mihi responsum fuerit ad ea, id ego respondere possim propositis ab objiciente argumentationibus.

QVANTA sit fides habenda Iosepho.

B Primum de aeneo Altari agens. Ara, inquit, pro Templo quindecim cubitis alta, & longa cubitis quadragenis. de quo Altari liber Paralipomenon: *Fecit quoque Altare aeneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis*. Ecce contradicit in altitudine Altaris, & latitudine, Scripturae sacrae.

Ioseph. 6. belli c. 6.

2. Paralip. 4. ℣. 1.

IOSEPHI mendacia circa Templi aedificium.

Deinde agens de porta Sancti quae aperiebatur ingredientibus à vestibulo in Sancta, sic ait: Ianuae demum fores altitudini parietis proportione conuenientes addidit, latas cubitos viginti, & auro illitas. Hanc portam Ezechiel: *& latitudo portae decem cubitorum erat*. & ratione manifesta C conuincitur Iosephi mendum, quia latitudo domus, & longitudo vestibuli conuenientes inter eosdem parietes viginti cubitis distantes erant, inter quos repugnat dari portam eiusdem latitudinis, alias falso diceretur porta. Et iterum: Prima vero eius porta, inquit, septuaginta cubitis alta erat, & viginti quinque lata &c. ecce manifestum mendum, tum quòd nulla portae debita assignatur proportio, tum quia sibi ipsi contrarius est, vt patet eius verba conferenti: tum vero maxime quod omnes historiae sacrae, quas ipse Iosephus etiam sequutus est, latitudini domus viginti cubitos assignant: quo modo ergo porta erit latior ipsa domo, in qua constituitur?

Ezech. 41. ℣. 2.

Ioseph. ibidem.

D Iterum de ianuis Templi sic habet. Ianuae quidem Templi altitudine cubitorum erant sexaginta, latitudine vero viginti, omnes deauratae, & pene auro puro confectae, has claudebant non minus quam viri ducenti diebus singulis, & relinquere eas apertas nefandum nimis erat. Ecce disputantem cum Appione Iosephum, vt repellat calumniam objecti mendacij non veritur manifestissimo, & impudentissimo se defendere mendacio. Ducenti, inquit, homines claudunt portas viginti cubitorum. equidem si disponantur homines ducenti quocumque ordine, impossibile est, vt omnes ducenti simul tangant spacium viginti cubitorum: licet enim humeros applicent ad portam, cum homo latus sit in pectore ad mi- E nus vno pede, cubitus autem vnus pedem vnum cum dimidiato contineat: & si ad cubitos sacros recurramus ad summum tres homines in vno cubito, possunt humeris, aut manibus pertingere portam. quare si aceruatim in tota latitudine portarum applicentur homines, ad summum non excedent numerum sexaginta, quod si alij sexaginta inter horum capita immittant brachia, vt tangant portam, quid interim facient qui supersunt octoginta, quos impossibile est portas pertingere?

Ioseph. lib. 2. contra Appio.

DVCENTI homines non possunt portas 20 cubitorum contingere.

Sed ad ipsa Iosephi verba veniamus, quibus de templo Herodis meminit mendacium illis interserens omnium impudentissimum.

Ioseph. 8 Antiq cap. 15

FVNDAmentra Templi viginti cubitos decessisse impossibile est.

deinde veteribus fundamentis, & nouis impositis desuper templum extruebat longitudine centum cubitorum, altitudine totidem, & viginti amplius, qui viginti cubiti aliquando post sidentibus fundamentis decesserunt, eosque denuo instaurare decreuerunt nostri Neronis temporibus. Iisdem quibus persuadebit Iosephus hoc de decessu viginti cubitorum, persuadebit etiam illud de nouo aedificio Herodis. Quod vtrumque si alicui ex ijs, qui aedificatoriae artis omnino ignari sunt, videatur credibile, non certe ei, qui aedificatoriam artem à primo saltem limine salutauerit. Impossibile enim est tantam molem tanto motu agi, vt eius altitudinis sexta pars sepulta dehiscat, quin tota moles, aut corruat, aut ita vitiosa supersit, & rimosa, vt destruenda potius, quàm inhabitanda videatur. Sed demus, id quod impossibile est, viginti cubitos decessisse, vtique Sanctum Sanctorum omnino decessetit, quid ergo gloriae maneret in Templo?

Ioseph 6 belli cap 6.

Vtique Iosephus iterum de Oraculo sic loquitur. Intima vero templi pars viginti cubitorum erat, &c. Sanctique Sanctum vocabatur: quae mensura viginti cubitorum intelligenda est iuxta historiam Libri Regum, vbi sic habet. *porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.* Si ergo viginti cubiti infimi recessetunt, totum vtique Sanctum Sanctorum recessit. Quod cui non videbitur impudens figmentum? Et certe diuina permittente prouidentia factum fuisse videtur, vt suis figmentis Iudaeorum conuincatur perfidia, qui ne gloriam domus Domini haeredi, & Domini filio concedant, hoc est, Domino Nostro IESV Christo, eam concedunt Regi alienigenae, & omni vitiorum labe commaculato, non Regi, sed Tyranno, fictis quibusdam commentis, quibus in eo ipso, quod domum, eiusque gloriam commendare conantur, ita vituperant, & blasphemant, vt in gloriam templi emendicatam afferre non erubescant, quod iniquus Rex, aut non potuerit, aut nesciuerit fundamenta, molem aedificij supportantia demittere, sed ita debilia, vt ipsis decedentibus sexta pars decederet aedificij cum omni gloria domus, quae erat in Sancto Sanctorum. Quodque magis incredibile facit figmentum illud, id est, quod inibi eiusdem mensurae domus per mille, & eo amplius annos immota permanserat. Sed pudet his refellendis immorari, & solum Iosephi Lectorem deprecor, vt dum hoc tam manifestum mendum corrigit, corrigat & aliud praecedens, & vbi, aedificauit, dixit, dicat, ornauit. Quod si adhuc responsum exigatur ad dicta, ipse sibi respondeat Iosephus, qui iterum: Ipsum vero Templum, inquit, in medio positum, hoc est, fanum sacrosanctum duodecim gradibus ascendebatur, & a fronte quidem altitudo eius, & latitudo centenos cubitos habebat. Ecce nunc verisimilius scribit ipse Iosephus, centenos tantum cubitos celsitudini tribuens, subiungensque quod duodecim gradibus ascendebatur, alterum locum mendi conuincit nam si vt ibi dixerat, viginti cubiti recessissent, descendendi fuissent gradus, non ascendendi.

3. Reg. 6. ℣. 20.

CERTA IVdaeorum impudentia ex eorumdem figmentis conuincitur.

Sed Iosephi mendis praetermissis videndum iam est, an si libere demus Iosepho Templum Herodis, illud potuerit verbis Aggaei satisfacere? Ego vero in primis non video, cur numerorum exiguo cuidam excessui tantum gloriae tribuendum sit, vt Templum secundum, quod apud Esdram latum fuit cubitis sexaginta despi-

ETIAMSI templum aedificasset Herodes, non illud respexisset Aggaeus.

A ciatur, & Templum Herodis maximi fiat, quod ex filio Gorionis latum fuerit centenis. id, quod apud alterum quoque Iosephum, cuius auctoritas alicuius est momenti, videre etiam licuit, cuius haec sunt verba: Et a fronte quidem altitudo eius, & latitudo centenos cubitos habebat pone autem, quadraginta cubitis angustius erat. aditus enim, velut quibusdam humeris vtrimque vicenum cubitorum producebantur; & quidem si à centum cubitis auferantur quadraginta, remanent sexaginta cubiti latitudinis domus Herodianae, quae eadem est cum latitudine domus Zorobabelicae· nec enim latitudo humetorum vestibuli latitudini domus adijcienda est, in humerulis enim illis cubicula quaedam B extruebantur, parum, aut nihil ad templi gloriam condecentia, vt alias ostendimus.

Ioseph. Gorion. lib. 5. cap 23.

FALSO Maior latitudo Herodiano templo tribuitur, quam Zorobabelico.

Sed gloriam Herodiani templi magnifice videntur extulisse verba illa Discipuli apud Marcum: *Magister, aspice quales lapides, & quales structurae.* Ex quibus sic argumentantur: Impolitos lapides, & ante quingentos annos in aedificio collocatos ostendisse tibi videtur; an recentes, & pulcros, & artificiose elaboratos? addere posset huic argumento maiorem vim, si responsum Domini Nostri Iesu Christi retulisset, qui dixit illi: *vides has omnes magnas aedificationes?* voce quidem ipsius veritatis extructio magnificata est. adde quod de Templo noC uo videtur loqui Discipulus hic cum alijs, vt habetur apud Lucam. *Et quibusdam dicentibus de Templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit &c.* vbi non solum de aedificio, sed & de donarijs loquuntur, quae quidem donaria ab Herode videntur exhibita, non à Salomone. Sed huic tam valido argumento erit facillimum respondere, si possimus ex Euangelio, aut historijs elicere, quos lapides aspexerit Discipulus ille, qui eos admirans ostendit Domino dicens: *Aspice quales lapides.*

Marci 3. ℣. 1.

QVOD templum, & à discipulo Christi, & ab ipso Christo laudetur

Lucae 21. ℣. 6.

Et quidem duo constant ex historia Euangelica: primum, Dominum nostrum haec dixisse, cum iam Templum egressus fuisset· ait enim D Sanctus Matthaeus. *Et egressus Iesus de Templo ibat, & accesserunt Discipuli eius, vt ostenderent aedificationes Templi.* Quare exteriores muros, & lapides, non interiores ostendunt. Secundum quod aperte colligitur ex Euangelio, est, Dominum exijsse versus Montem oliuarum, quia eidem historiae subiungit Sanctus Marcus. *Et cum sederet in Monte oliuarum contra Templum, accesserunt &c.* idemque apud Sanctum Matthaeum habetur. Item aperte constat ex Zacharia Montem oliuarum esse situm contra Hierusalem ad Orientem. Certum quoque est ex historia Paralipomenon, templum supra montem Moria situm, quae omnia late à nobis suis quae E que locis confirmata sunt. Quare necesse est Dominum descendisse de monte Moria ad vallem Henon, vt trans torrentem Cedron ascenderet in Montem oliuarum; atque adeo descendenti Domino de accliui montis Moria non possunt ostendi alij lapides, neque aliae structurae, quàm exteriores muri Templi, qui ad Orientem respiciunt. Quibus perspectis audiendus est Iosephus. Suasi, inquit, Regi, vt Orientalem instauraret porticum, ea templi extima claudebat profundae valli, & angustae imminens, ac proinde subaixa muro quadringentos alto cubitos, saxis constructo quadris valde candidis: eratque eiusque saxi longitudo cubitorum viginti, sex vero altitudo, opus Salomonis Regis, qui primus integrum templum

Matth c. 24. ℣. 1.

Marc. c. ℣. 3.

TEMPLI structurae a Christo laudatae Salomonis fuerunt.

Zachar. 14. ℣. 4.

2 Paral. 3. ℣. 1.

Ioseph 20. Antiq. c 8.

condidit. Ecce respondet Iosephus ad omnes propositas difficultates. A Primum fatetur eam fabricam fuisse celsissimam quadringentorum cubitorum, eius saxa praegrandia viginti cubitorum, & valde alba: licet haec scripserit Iosephus multis annis, postquam Christo ostensi sunt lapides, insuper fuisse opus Salomonis, & non Herodis. quare sicut supra ostendimus, dicebatur porticus muro huic superstructa Salomonis. Quae omnia confirmari videntur ex Historia Actuum Apostolorum quae sic habet. *Petrus autem & Ioannes ascendebant in Templum.* ecce necessarium fuit Christum à Templo regredientem descendere: *ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex vtero matris suae, baiulabatur* B

Actor. 3. ℣. 1.

quotidie, quem ponebant quotidie ad portam Templi, quae dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in Templum. Quia porta

Ibid. ℣. 2.

haec erat in extimo muro Templi, ideo ab ingredientibus in templum petebat eleemosynam: quod confirmant sequentia. *Is cum vidisset Petrum, & Ioannem incipientes introire in Templum*, haec igitur erat prima, & exterior porta

PORTA Templi Speciosa quae.

Templi. cum quo concordat etiam quod qui vidit illum claudum miraculo sanitate donatum, *cucurrit omnis populus ad eos*, Petrum inquam, & Ioannem, *ad porticum, quae appellatur Salomonis.*

Ibid. ℣. 3.

Vbi videtur insinuare Euangelista Lucas, factum hoc contigisse ad portam Speciosam, C quae aperiebatur in muro extimo porticus Salomonis, quae erat Gentium porticus, & Apostolis, &

Ibid. ℣. 11.

claudo paululum procedentibus versus atrium Gentium, & versus Orientalem portam atrij Israel, factus est concursus populi in ipsa porticu Salomonis, vbi factus est numerus credentium ad quinque millia. Constat ergo nihil ex ijs, de quibus sermo Euangelicus loquitur ad Herodem pertinuisse, sed omnia ad Salomonem: quare Salomonis aedificium magnificat Domior testimonium, non Herodis.

Quod vero ad ornamenta pertinet, non negamus ab Herode ornatum templum, maximeque D hanc Salomonis porticum, cuius ornatum egredientes de templo Discipuli admirati sunt, egressi vero fundamenti eius structuram, & lapides. Hoc iterum confirmat Iosephus. Orientale, inquit, latus duplicem habet porticum spectantem ianuam templi sitam in meditullio, eam porticum priores reges adornauerant: circum templum affixa erant spolia Barbarica, quae omnia Herodes denuo dedicauerat, additis etiam recentioribus Arabicis.

PORTICVM Salomonis ornauit Herodes.

Ornamenta quidem & structuram reperimus antiquiora Herode, ab eodem fuisse Templo dedicata.

Ioseph 15. Antiq. c. 14.

Atque ita liquido constat nullam fieri in Euangelio de Herodis aedificatione mentionem; quare neque illud quidquam facere credendum est ad gloriam, quam promittit Propheta: E siquidem omne, quod gloriosum in eo reperitur, antiquius est: quod indecorum, & execrandum, id Herodianum est.

CONSTANS FVIT SEMPER ECCLESIAE

Catholicae Doctorum sententia, gloriam secundae domus ad temporalem referendam non esse.

Cap. LXIX.

ILLIS omnibus de medio sublatis impedimentis iam ratio postulat, vt ad cardinem huius difficultatis veniamus, & examinemus, quae gloria sit haec à Deo per Prophetam domui secundae promissa, quam & maiorem fuisse gloria prioris domus manifestum sit, & certum, ac omnibus exploratum eiusmodi gloria repletam fuisse domum, quam tunc aedificabant Iudaei Zorobabele praecipiente, qui e Babylonica seruitute fuerant vindicati.

QVAE GLORIA sit haec quae maior esse constet, & domum Zorobabelis impleuisse.

Et quidem antequam ad examinandam quaestionem veniamus. Id primum statuimus tanquam certum, nullique in dubium reuocandum, prophetias omnes, quae de Christo sunt, opere completas esse, cum Dominus Iesus Christus seruator noster ante annos mille sexcentos, & eo amplius in terras iam venerit. Atque inter Catholicos ita constat; vt inter eos nulla sit dubitandi ratio circa adimpletam prophetiam, atque etiam circa modum, quo adimpleta est. Haec autem assertio ex eo maxime pendet, quod tenentur Catholici fateri in Ecclesia esse verum sacrae Scripturae sensum, tum in omnibus, tum maxime in ijs, quae ad Christi Domini aduentum pertinent:

VERVS sacrae Scripturae sensus in Ecclesia est.

Sic enim Ecclesiae à Christo promissum est Apostolis dicente. *Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et iterum. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Ioan. 15. ℣. 26. Ioann. 16. ℣. 13.

Hinc fit vt cum sensus, quem Ecclesia tenet, & tenuit sit in Sanctis Patribus repetendus, is quidem verus Scripturae sensus reputandus sit, quem Sancti Patres tenent, & ille omnino refellendus, quem Patres refellendum affirmauerint.

QVI SIT verus sacrae Scripturae sensus.

Sed & hoc ipsum Constantinopolitana sexta Synodo confirmatur cuius haec sunt verba. Sed etsi ad Scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, non aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiae luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt, & maiorem ex ijs laudem assequentur, quam si quae a se dicuntur componant, ne, dum quandoque ad id haesitant, ab eo quod conuenit, excidant.

Synod. 6. Can. 19.

His veluti praeiactis fundamentis triplex est de gloria secundae domus opinio. Prima Iudaeorum, quorum omnium excaecati oculi nihil videor, nisi vmbras, qui de deorsum sunt, nihil nisi terrena sapiunt, & sic omnis eorum opinio in idem recidit, vt gloriam in rebus ponant humanis, atque corporeis.

HEBRAEORVM opinio de gloria temporali.

Varius est tamen inter illos opinandi modus: quidam enim aureos sibi polli-

centur

centur montes in aduentu sui Messiae, quando sperant sibi aedificandum tertium templum in maiori diuitiatum gloria, quàm primum. Huius figmenti autbor fuit Rabbi Salomon, teste Lyrano, Ekio, & alijs. Rabbi Iapber conuinci se putans verbis Propbetae ad credendum de illa secunda domo, quam aedificabat tum temporis Zorobabel cum Iosue, nec inueniens in quo fuerit haec gloria maior, recurrit ad durationem, quam putat excessisse durationem prioris decem annis. Prima enim, inquit, stetit annis quadringentis, & decem, secunda vero viginti & quadringentis, & sic fuit in diebus Herodis, sicut scriptum est, in libro Iosepb, ben Gorion. Rabbi Moses existimat boc dictum sub conditione, si scilicet perfecte iusti fuerint. sicut ait Zacharias: *Si audiendo audieritis me*. Rabbi Dauid Kimchi sic ait: Diuisi sunt magistri nostri bonae memoriae in hoc, aliqui dicunt maiorem gloriam esse in annis, & aliqui dicunt in aedificio, & vtrumque est verum: quoniam domus prima stetit annis decem & quadringentis, secunda vero domus viginti & quadringentis. Fuit etiam domus secunda maior aedificio, sicut scribunt Rabbini in sermonibus eorum, & in libro Ioseph, filij Gorion scriptum est: quoniam aedificium, quod aedificauit Herodes in domo sanctitatis, non videbatur ab aeterno aedificium ita pulchrum, & bonum, sicut ipsum aedificium Templi.

IN DVRAtione maiori decem annorum gloriam ponunt.

SVB CONDItione dictum somniant.

Ioseph. filius Gorionis.

Rab Moses Zachar. ✠. 6.

Rab. Dauid. Kimchi.

TEMPLVM Herodis laudant Rabbini.

Inter Catbolicos omnes vnanimi consensu gloria haec in templo illo secundo ita ad praesentiam Christi refertur, vt omnes omnino negent aliter illo modo intelligi posse; huius enim expresse sunt sententiae Sancti Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, Cyrillus, & Doctores Rupertus, Lyranus, Burgensis, Prochetus, Galarinus, Hadrianus finus, Ekius, Palacios, Hugo Cardinalis, & alij mox referendi.

CATHOLIcorum sententia ad Christi praesentiam referunt gloriam.

Vnus objiciens inter horum sententias mediam tenere volens, ab his discedit, & cum illis omnino non sentit, eius baec sunt verba. Sensum quidem altiorem, & sacratiorem, & quem potissimum Spiritus sanctus intendit, id est, spiritualem, siue Allegoricum, non dubito esse de Ecclesia, quemadmodum Sancti Patres interpretantur: historicum vero per verba significatum, & per ipsa etiam à Spiritu sancto intentum de Templo ipso secundo Iudaeorum. Verum ego non arbitror significari Templum, quale aedificatum est, à filijs captiuitatis, sed quale post multos annos reaedificatum est ab Herode, cuiusque gloriam maiorem fuisse confirmo, quàm eius, quod est à Salomone conditum, & ex Seruatoris maxime praesentia, & ex ipso aedificio, etiamsi numquam Christus Dominus in illud fuisset ingressus. Haec objiciens. Qui dum verbis banc sententiam confirmat, subiungit, vt probet istum esse verum historicum sensum, ijs quae praecedunt, & quae sequuntur nihil aptius adhaeret, imo nihil nisi hic sensus adbaeret.

OPPOSITA sententia proponitur.

Haec certe sententia in eam partem vergit, quae Iudaeorum est, dum affirmat eorum animos potius deijciendos, quàm erigendos, si spiritualia, & non temporalia promittantur. Qua parte tenet gloriam domus ex praesentia Christi intelligendam, concordat cum Patribus, qua vero & ex aedificio, etiamsi Christus non venisset, cum Iudaeis, & non quidem cum omnibus, sed cum duobus, aut tribus Neotericis qua denique parte vtrumque admittit, eam neque

EXAMINAtur.

A Christianorum, neque Iudaeorum vllus affirmauit, imo potius nullus adhuc, quem viderim, qui locum bunc, vel aliqua ex parte interpretetur, ex quo non possit ratio aliqua contra sententiam praedictam colligi.

Sed dum eam discutimus oportet primum in medium proferre, quid Patres sentiant: ne, dum pro se Hieronymum, & Rupertum attulit, ego autem in contrarium eos ipsos attulerim, libere ab vtrisque citari videantur. Mox argumentis huius sententiae pro virili parte satisfaciam, ostendens, & ex aedificio, & ex aedificante maxime, domum illam ab Herode extructam, ignominia, & dedecore dignissimam, indignam esse nomine gloriae, ac demum ad Rabbinorum obiecta ex ipsis Rabbinis respondebo. B

DISPVTAtionis ordo.

Sanctus Augustinus. Postea quam, inquit, gens Iudaea caepit non babere Prophetas, procul dubio deterior facta est: eo scilicet tempore, quo sperabant instaurato Tenplo, post captiuitatem, quae fuit in Babylonia, futuram esse meliorem. Sic quippe intelligebat populus ille carnalis, quod praenunciatum est per Aggaeum prophetam, dicentem. *Magna erit gloria domus istius nouissimae plusquam primae*. Quod de nouo Testamento dictum esse paulo superius demonstraui, vbi ait aperte Christum promittens; *Et mouebo omnes Gentes, & veniet Desideratus* C *cunctis Gentibus*: & deinceps. Propter hoc ergo nec Propbetas ex illo tempore habuit illa gens, sed multis cladibus afflicta est, ab alienigenis regibus, ipsisque Romanis, ne banc Aggaei propheriam in illa instauratione templi opinaretur impletam. Ecce Augustinus arbitratur demonstrare Propheram, gloriam hanc promissam ad nouum Testamentum pertinere, Deumque expresse cauisse, ne Iudaei illam intelligerent in instauratione Templi materiali. Quare ex sententia Augustini plusquàm falsa est opinio, quae affirmat intelligi posse propheriam de gloria promissa in aedificio materiali, etiamsi Christus numquam in illud fuisset ingressus. Totum autem D illud caput impendit Augustinus ostendens successiue calamitates, & abominationes Templi dicens. Non multo enim post adueniente Alexandro subiugata est: quando etsi nulla facta est vastatio, quoniam non sunt ausi ei resistere, & ideo placatum facillime subditi receperunt, non erat tamen gloria tanta domus illius, quanta fuit in suorum Regum libera potestate. Hostias sane immolauit Alexander in Dei templo, non ad eius cultum vera pietate conuersus, sed impia vanitate cum dijs eum falsis colendum putans. Deinde Ptolemaeus Lagi filius, post Alexandri mortem captiuos inde in Aegyptum transtulit: quos ei successor Ptolemaeus Philadelphus be- E neuolentissime inde dimisit. Deinde contriti sunt bellis, quae in Machabaeorum libris explicantur: Post haec capti à Rege Alexandriae Ptolemaeo, qui est appellatus Epiphanes, inde ab Antiocho Rege Syriae multis, & grauissimis malis ad idola colenda compulsi: templumque ipsum repletum sacrilegis superstitionibus Gentium. Non autem multo post Alcimus quidam per ambitionem, cum à genere Sacerdotali esset alienus, (quod nefas erat) Pontifex factus est. Hinc iam post annos ferme quinquaginta, in quibus eis tamen pax non fuit, quamuis aliqua etiam prospere gesserint: primus apud eos Aristobolus assumpto diademate, & Rex, & Pontifex

S. August. lib. 18. de Ciuit. c. 45.

NEGAT. S. Augustinus posse intelligi de temporali gloria.

EX IPSIS historijs confirmat Augustinus non posse locum hunc ad temporalia detorqueri.

fex

fex factus est. Cui successit Alexander etiam ipse Rex, & Pontifex, qui crudeliter in suos regnasse traditur. Post hunc vxor eius Alexandra Regina Iudaeorum fuit, ex cuius deinceps tempore mala sunt sequuta grauiora. Filij quippe huius Alexandrae Aristobulus, & Hircanus inter sede imperio dimicantes, vires aduersus Israeliticam Gentem prouocauere Romanas; Hircanus enim ab eis contra fratrem proposcit auxilium. Pompeius ergo Populi Romani praeclarissimus princeps Iudaeam cum exercitu ingressus ciuitatem capit: templum reserat, non deuotione supplicis, sed iure victoris, & ad Sancta Sanctorum, quo nisi Summum Sacerdotem non licebat intrare, non vt venerator, sed vt prophanator accedit. Confirmatoque Hircani Pontificatu, & subiugatae genti posito custode Antipatro, quos tunc Procuratores vocabant, victum secum Aristobulum ducit. Et ex illo die Iudaei etiam tributarij Romanorum esse caeperunt. Postea Cassius etiam templum exspoliauit: deinde post paucos annos etiam Herodem alienigenam Regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus.

S. August. Ibid cap. 48.

Et iterum idem Sanctus Augustinus: Non itaque prophetia Aggaei, inquit, in templi illius instauratione completa est, ex quo enim instauratum est, numquam ostenditur habuisse tantam gloriam, quantam habuit tempore Salomonis: imo potius ostenditur primum cessatione prophetiae fuisse domus illius gloriam diminutam. deinde ipsius cladibus tantis vsque ad vltimum excidium, quod factum est à Romanis: sicut ea, quae supra sunt commemorata testantur.

DIMINVTA gloria dom. ostenditur.

S. Ioan Chrysost. homil. 35 super 1. Corinth. 15.

Sanctus Ioannes Chrysostomus aduersus eos disputans, qui hoc Aggaei testimonio diuitias commendare studebant, sic scribit: Meum est argentum, meum est aurum apud Prophetam esse scio. dabo cum, & cui volo, non item, sed à plebeis ist.s allatum. & illud idem quo sit à Propheta dictum, exponam. Aggaeus igitur cum assidue Iudaeis denunciasset, post illum è Babylonia reditum, eadem forma templum exhibiturum, quale nuper fuit. & plerique quòd post cineres, & ruinam illam instaurari templum impossibile videretur, fidem verbis non haberent, discussurus dubitationem istam Propheta ex persona Dei in ista verba prorupit, quasi dicat, quid timetis? quid dubitatis? Meum est argentum, meum est aurum, non habeo necesse aliunde mutuatis ornare templum. Esse porro hanc sententiam declarant quae sequuntur. Et erit, inquit, maiestas domus illius posterioris priore maior. Quae Chrysostomi verba ne quisquam cum ipsis Aggaei, ad temporales diuitias detorquere conetur, ad id illata fuisse intelligat, vt probaret eiusmodi diuitias non semper à Deo praestari, non raro malis artibus acquiri: sed & de Ecclesia per Christi mortem non multo tempore ante Chrysostomi aetatem exstructa locum intelligendum iuxta Chrysostomum, vt probant illa verba, nuper extructo.

AD ECCLEsiam Christi retulit ea verba Chrysostomus.

S. Hieron. super Aggae.

Sanctus Hieronymus iuxta Hebraicum. veniet, inquit, Desideratus cunctis Gentibus Dominus noster atque Saluator: tunc implebo domum istam gloria maiore, quàm priorem, & semper vobis addam, dicit Dominus omnipotens, & ne forsitam sponsorem putetis infirmum: meum est aurum, & meum est argentum, & meae sunt cunctae opes: ego in ornamentum templi aurum, argentumque donabo, vt maior fiat huius domus gloria quam prioris: & difficile videtur quod polliceor, & humana infidelitas ad maiora promissa semper haesitat, propterea rursum dico, qui promitto, Dominus omnipotens sum. Porro quia scio ad aedificationem inclytae domus, & quae superatura sit domum pristinam, nihil ita facere vt pacem, idcirco & hanc spondeo, dabo enim in loco isto pacem dicit Dominus exercituum, vt pax quae exuperat omnem sensum custodiat domum meam, & sit in pace locus meus. has interim paraphrasticos expositionis lineas duxerim, vt ex his ad sublimiorem intelligentiam, etiam nobis tacentibus, prudens Lector ascendat. Haec Hieronymus. Et post non multa subdit: Quod autem dicit meum est argentum, & cetera. non puto quemquam existimare quod de argento loquatur, & auro, quae à diuitibus possidentur, & regibus, hoc enim modo non solum aurum, & argentum Dei est, quasi creatoris, sed & cetera metalla, & quod domat omnia ferrum, sed ego existimo, quod argentum, quo domus Dei ornatur eloquia scripturarum, & aurum, quod in oculto Sanctorum sensu, & in cordis versatur arcano. Videat nunc lector si haec omnia Hieronymi verba coniungat, an Hieronymus loquatur de auro Herodis. & insuper si pax, quae exuperat omnem sensum, non quidem temporalis Herodiana, sed spiritualis, complectens omne bonum, magis conducat ad aedificationem domus, quae superatura sit primam, quapropter minus sufficiens plane erit aurum, & argentum, & pax Herodiana. Haec autem ratio manifeste ostendit quid senserit Hieronymus, qui in contrariam partem detorquendus non est. Nam etiamsi aliquando non neget templum ab Herode fuisse constructum, non tamen propterea affirmat gloria dignam fuisse eiusmodi aedificationem, quam paulo ante commemoratione indignam censuerat, scribens *Aperi Libane portas tuas*. templum intelligitur Iudaeorum, quod instauratum, imo aedificatum a Zorobabele, rursum à Vespasiano, & Tito canitur subuertendum. Haec ille. qui non ab Herode, sed a Tito subuertendum fuisse putauit templum, vt contrariam subuerteret sententiam.

NEGAT Sanctus Hieronymus intelligenda verba de auro, quod à diuitibus possidetur.

S. Hieron. super Zachar. 11 c. 1.

TEMPLVM Zorobabelis a Tito non ab Herode subuertendum

S. Basilius super Isai. 2. ℣. 2.

Sanctus Basilius super illud Isaiae. Erit in nouissimis diebus manifestus mons domus Domini, & mons Dei in summitatibus montium, sic ait: Neque enim Israel carnali literae affixus, creationem expectat alterius montis, neque affuturam praestolatur secundae domus fabricam super alias domos. Mons autem Sion, templum quoque etiam num per tempora prophetantis Isaiae in omnium erant prospectu. Itaque quid insinuat sententia haec? non quod conspicua futura haec sint in nouissimis diebus, sed quia admirabilis quaedam, & aperta omnibus Dei dispensatio apparebit erga hominum salutem in nouissimis diebus. Ecce Basilius negat successisse domum secundam gloriosiorem prima, sed quod prophetiae, quae id promittere videntur, vt haec Isaiae, eum habeant literalem sensum, & historicum, quem spiritualem.

NON ERIT in nouissimis diebus aliamonus Domini, quam Ecclesia Christi.

S. Ambros. lib. 3. Epistol. 12.

Sanctus Ambrosius ad Irenaeum scribens Adhuc ego semel mouebo caelum, & terram, & maria, & desertum mouerat ante haec, cum de Aegypto liberaret populum suum, quando in caelo columna erat ignis; terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua. in deserto messis quo-

t d ana

8. AMBROSIUS commotionem caeli, & terrae exponit.

tidiana frugum caelestium multipticabatur, petra subleuabatur in fontes aquarum. Sed mouit & postea in passione Domini Iesu, quando caelum tenebris obductum, Sol refugit, petrae scissae, tumuli aperti, mortui resuscitati, Draco victus, in fluctibus suis vidit piscatores hominum, non solum nauigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus in messem caepit deuotionis, & fidei flauescere; & eo vsque deserti Gentium commotio facta est: vt Apostolorum, quos direxit ad Gentes vocandas, tanta esset, & tam vehemens praedicatio, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum. tanta inquam, commotio deserti, vt plu- B res filij fierent desertae, quam eius quae habebat virum, & floreret desertum, vt lilium, introirent electa Gentium ad residuos populi, quo reliquiae saluae fierent per electionem gratiae. Et replebo,

ARGENTVM & aurum eloquia caelestia

inquit, domum hanc argento meo, & auro, eloquijs caelestibus, quae sunt, sicut argentum igne examinatum, & veri claritate luminis, sicut auro spirituali in Sanctorum occultis mentibus refulgente. Has diuitias confert Ecclesiae suae, quibus intelligibiles thesauri replentur. Et gloria augetur domus super priorem gloriam, quam populus habuit electus | pax enim & tranquillitas animae super omnem domus gloriam est, quia pax exsuperat omnem sensum.

S. Hilar. in Psalm. 126.
SALOMONEM Sanctum.

Sanctus Hilarius super illis verbis Psalmi *Nisi Dominus aedificauerit domum* &c. Volunt plures sanctum Salomonem aedificationi ciuitatis, & templi studentem, in eo ipso molitionis suae tempore euersionem ciuitatis, & templi, quod condiderat, prophetasse. Putant autem propheriam hanc consummatam in ea tempora fuisse, quibus post captiuitatem populi Dario Rege reditum impertiente, & ædificata rursum per Zorobabel, & Iosedech ciuitas fuit quorum inopem sensum ipsa illa posset consummatio aedificationis arguere. Nam per Aggaeum Propheram ita ad hos eosdem instauratores Hierusalem Dominus est loquutus: Adhuc semel, & ego mouebo caelum, & terram, & mare, & aridam, & subuertam sedes Regum. Psalmi ergo virtus non in tempora tantum Salomonis, sed etiam in Aggaei intelligenda est conuenire. Aedificationis enim vtriusque labor inanis est: aedificata namque per Zorobabel ciuitas, solum hodie ex se conflagrationis suae cinerem, & deformium ruinarum praebet faeditatem. A Deo ergo domus est aedificanda quae

DOMVS DEI mansura, est Ecclesia.

maneat, quia nisi a Domino aedificata sit, non manebit &c. ac deinceps ostendit, quae sit domus Dei mansura, nempe Ecclesia Christi, idque significari nomine templi, cumque de eodem intelligat Psalmum, & Aggaei prophetiam, nempe de Ecclesia, non permittit intelligi de aedificatione, Herodis, aut alio corporco, cum iam omnia corruerint.

Theodor. super Aggae.
MAGNITVDINEM aedificij negat.

Theodoretus. Magna erit gloria domus istius nouissimae plusquam primae non magnitudine, & pulcritudine aedificij dicit domum illustriorem fore, sed conditione, & modo conuersionis Gentium, cuius fama quaqua versus peruagans, Dei omnipotentis robur declarauit. Quare commotionem caeli & terrae, & maris id factam appellat, nempe quod omnes metu perterruisset, & rei miraculo excitati fuissent ad laudandum Deum non incolentes solum continentem, & ad Insulas commorantes, sed praeterea inuisibiles

A potestates in aethere, & in caelo versantes, & in hoc ipso dabo pacem &c. non enim modo humanos hostes cessare faciam, sed etiam diuinam pacem eis gratificabor, quae animis conciliat salutem.

Hugo super Aggae.
Prouerb. 10. v. 1.
GLORIA filij Dei praesentia ad literam.

Hugo Cardinalis. Et implebo domum istam gloria, scilicet filij mei praesentia Prouerbiorum decimo, Gloria patris filius sapiens. ad literam ipse multa miracula ibi fecit; & ita ex hoc fuit longe maior gloria domus posterioris, quam primae, sicut maior, & praeciosior est veritas, quàm vmbra. In prima tunc erant arca, mensa, candelabrum &c. quae omnia ipsius praesentiam figurabant, aliàs ad literam numquam domus illa, B quam vidit Aggaeus, tantae gloriae fuit, quantae fuit altera tempore Salomonis, sed neque esse

NON FVIT neque esse potuit maior gloria secundae domus, nisi ad Christum referatur.

poterit; quia olim destructa &c. Et quia magnum est quod promittitur, ideo toties interserit, *haec dicit Dominus exercituum*, qui scilicet omnia potest: ideo etiam dicit, *meum est aurum* &c. quasi dicat, bene possum facere quod promitto, quia omnia mea sunt. *Argentum* glossa· opes omnes quas dabo vobis in ornamentum templi, vt sit gloria domus huius maior quam prioris, videtur ergo quod glossa haec velit intelligere hoc ad literam, sed non est verum. Vnde Hieronymus in originali, non puto aliquem existimare, quòd de argento loquatur, & auro, quae à diuitibus possi- C deatur. Omnia sunt Hugonis verba.

Rupertus hic.
DEVS PRO gloria non vsurpauerit iniqui regis opera.

Rupertus Abbas. Equidem, inquit, Herodes templum illud, quoniam erat priore minus deposuit, & in antiquam magnitudinem reformauit, multis, & magnis aedificijs decorauit, sed numquam Dominus exercituum pro gloria reputare sit dignatus, quod homo funestus, Rex impius operatus est exaequari, vel etiam praeferri, contendens regi magnae opinionis, & sapientissimo Salomoni.

Nicol. de Lyra.
Rabbi Aaquiba.

Lyranus de aduentu Christi interpretatur hanc gloriam, vt supra visum est, & citat Rabbi Aaquiba, de quo dicitur in libro Zanedrin, qui apud Hebraeos authenticus est, qui sic exponebat D locum istum: Adhuc vnum modicum est, scilicet regni venturi Israel post destructionem primae domus, & post illud regnum, commouebo caelum, & terram, & mouebo omnes Gentes, & veniet Messias, quia post paucos Reges de genere Machabaeorum Christus venit tempore Herodis.

ETIAM R. Aaquiba ad Christi praesentiam retulit hanc gloriam.
GLORIA non potest intelligi de aedificijs.

Magna erit gloria domus istius nouissimae, quàm incaepistis reaedificare, plusquam primae per Salomonem aedificatae. Ista vero gloria maior non potest intelligi de aedificijs, nec de ornamentis, seu diuitijs ista enim modica fuerunt in secunda domo respectu primae. Arca enim Testamenti de qua summe gloriabantur Iudaei, fuit in prima, & non in secunda, secundum Catholicos, & He- E braeos, & ideo in nullo potuit dici gloria domus secundae maior gloria domus prioris, nisi ex praesentia Christi.

Dionysius Carthu.

Dionysius Carthusianus. Ecce his verbis Dominus prohibuit ampliorem esse debere eminentiam, & decorem, sublimationem, & dignificationem templi post reditum à Babylone constructi, quam eius, quod Salomon est molitus.

Cum ergo hi Sancti & Doctores non solum secundum literalem sensum interpretentur gloriam hanc de aduentu Christi, sed omnes affirment nullo modo exponi posse de aedificiorum, aut diuitiarum gloria temporali, neque Sanctus, aut Doctor aliquis adducatur, qui id ita

interpre-

interpretetur, vt vidimus late supra: non puto A sententiam illam secure defendi posse, qua parte tenet maiorem hanc gloriam ex ipso etiam aedificio intelligendam, etiamsi numquam Christus Dominus in illud fuisset ingressus.

VNA CHRISTI praesentia domum impleuit gloria.

Actor. 15. ℣. 15.

Qua interpretatione reiecta firma videtur manere illa, quam nos tuemur, sententia, quam licet adhuc amplius confirmare Sanctissimi Iacobi Apostoli simillima quadam alterius, siue etiam huiusmet loci interpretatione. *Huic concordant,* inquit, *verba Prophetarum.* forte & ad locum Aggaei cum alio Amos referri possunt haec Apostoli verba, cum plures referat Prophetas, non vnum, quae est Sancti Hieronymi sententia: Si fixum, inquit, de scriptura posuisset exemplum, B numquam diceret, quod dictum est per Prophetas, sed simpliciter, quod dictum est per Prophetam, nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit se non verba de scripturis sumpsisse, sed sensum. Haec Sanctus Doctor. Cum ergo sit vtriusque Aggaei loci, & Amos idem sensus, pariter refertur vterque. *Sicut Scriptum est. Post haec reuertar, & reaedificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reaedificabo, & erigam illud, vt requirant ceteri hominum Dominum. Reaedificabo, & erigam illud. Magna erit gloria domus istius* Vt requirant ceteri hominum: concordant cum illo Septuaginta interpretum, venient electa omnium Gentium, &c. Locum hunc Amos C interpretatur Theodorus Mopsuestiae illis verbis. Hoc loco reditum è Babylone praedicit, quando Zorobabelem ex stirpe Dauid Regem habuerunt, & subdit. Iacobus vero in Actis Apostolorum hunc locum ad Dominum Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta. Quae quidem interpretatio cum alijs multis similibus eiusdem Theodori damnata est sub anathematis paena à Vigilio Papa in Synodo Romana, vt auctor est doctissimus noster Turrianus.

S. Hieronym. super Matth. 2. ℣. 23.

CVM PROPHETAE referuntur ab Euangelistis, nō vnius, sed plurium verba referuntur.

Amos. 9. ℣. 11.

LOCVM Amos perperam interpretatur damnatus Mopsuestiensis.

P. Turrianus super lib. 2 constitut Apostolic. cap. 5.

Neque vero quis putet locum Aggaei licere aliter interpretari, quàm sancti Patres interpretantur, non autem locum Amos, quod locus Amos sit in nouo Testamento relatus, non autem D Aggaei. Quia & hic idem Aggaei locus ibidem relatus fuisse credendus est, vt dixi sed expresse magis in Epistola ad Hebraeos, vbi partem eius bonam interpretatur Paulus ad literam de aduentu Christi, & permanente Ecclesia. Neque propterea eadem censura notare intendimus interpretationem Aggaei, qua interpretationem Amos notauit Concilium, sed vt ex simili modo interpretandi, qui κατὰ λέξιν dicitur a Theodoro, id est, secundum literam, intelligatur, quàm sit falsum, & periculosum affirmare, quòd ex ipso aedificio, etiamsi Christus Dominus in illud numquam fuisset ingressus, possit intelligi haec tam manifesta, & magnifica Dei de Christo, & E Ecclesia promissio. Discrimen autem, & differentia inter vtrumque modum interpretandi, in hoc consistit: quod Theodorus affirmat locum, qui primario, & in sensu literali, seu historico in Actis exponitur de Christo, intelligendum esse in primo, & literali sensu de Zorobabele, in secundo, & per translationem de Christo, quod damnatum est, & anathemate inhibitum. Haec vero sententia cum qua pugnamus, locum, qui non totus, sed ex parte citatus est a Sanctissimis Apostolis Paulo, & Iacobo, interpretatur quidem, vt Paulus, & Iacobus, ex Seruatoris maxime praesentia, & ex ipso aedificio, quasi minus principaliter. Quòd autem prius dixerat sensum quidem altiorem, & sacratiorem, & quem potissimum Spiritus sanctus intendit, id est, spiritualem, siue allegoricum, non dubito esse de Ecclesia, quemadmodum Patres sancti interpretantur. Historicum autem per verba significatum, & per ipsa etiam à Spiritu sancto intentum de templo ipso secundo Iudaeorum: haec quidem interpretatio, si precise ad templum referatur, ita vt sensus sit, quod loquatur Dominus de illo templo materiali, quod glorificatum fuit, & ex praesentia Christi, & ex aedificio, licet quod ad aedificium pertinet, sit falsa, posset defendi: quod si eadem referatur ad gloriam, quae ex aedificatione resultat, praecise sine praesentia Christi, nescirem illam excusare propter rationes supra allatas.

Hebreor. 12. ℣. 26.

LOCA veteris testamenti quae in nouo exponuntur, non licet aliter interpretari.

OPPOSITA sententia sano modo exponitur.

ETIAMSI HERODES MAIVS ATQVE OPVLENTIVS *templum aedificasse crederetur, de eo verba Prophetae intelligi nunquam possent.*

Cap. LXX.

SATIS iam constare arbitrarer, quòd etiamsi Herodes templum exaedificasset longe maius, atque opulentius: tamen de illo nullo modo intelligi posset haec tam magnifica Dei promissio. Verum quia illa, quam negamus sententia, altas radices, in quorundam animis egisse videtur; idem quod iam satis superque explicatum esse prudens lector censeret, alijs quoque rationibus, & argumentis confirmandum est. Primum ex verbis ipsis Prophetae. *Implebo,* inquit, *domum istam gloria,* locum hunc interpretandum censent simul cum alio capitis primi eiusdem Prophetae. *ascendite in montem, portate ligna, & aedificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus.* Pro glorificabor in origine, אכבד ecabda, à verbo כבד cabad, quod significat honorare, glorificare, inde nomen כבד cabod, Graece δόξα, doxa, Latinis excellentia, praestantia, id omne de quo quis potest gloriari, vt late alias persecuti sumus. Sic in Deuteronomio ad populum Moyses: *Faciet te,* inquit, *excelsiorem cunctis Gentibus quas creauit, in laudem, & nomen, & gloriam suam,* id est, vt laudetur Deus, & nominetur, & glorietur de te: *vt sis populus sanctus Domini Dei tui.* & iterum *Beatus es tu Israel, quis similis tui popule, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui, & gladius gloriae tuae.* quasi dicat, Deus te beatum super omnes populos constituit, cum se exhibeat tibi scutum in

Deuteron 26. ℣. 19.

Ibid cap 33. ℣. 29.

auxi-

auxilium, & defensionem, gladium ad vindictam, & gladium quo glorietis accinctus, est enim gladius gloria militis. Qua etiam ratione testamenti Arca dicitur gloria Domini, quod in ea Deus praesentiam suam populo, a quo glorificabatur, exhibebat, & de qua gloriabatur populus. Sic in Deuteronomio: *Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis*, & in Psalmo. *Dilexi decorem domus tuae, & locum habitationis gloriae tuae*. *Translata est gloria Domini*, inquit historia Regum, id est, Arca testamenti, cuius translationis meminit etiam Psaltes: *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici*; Hebraice, & gloriam eorum in manus inimici.

ARCA TEstamenti gloria Domini dicitur. *Deuter. 4. ℣. 7.* *Psal. 25. ℣. 8.* *1. Reg. 4. ℣. 21. 22.* *Psalm. 77. ℣. 61.*

Ad rem autem nostram accedentes relata verba primi capitis Aggaei Ionathas Chaldaeus Paraphrastes sic vertit: Et complacitum, seu volitum erit ad quiescendum, seu habitandum maiestatem meam in ea in gloria: hoc est, si aedificaueritis mihi domum, complacitum mihi erit, habitare in ea, sicut prius in gloria, ad id enim tendit omnis haec promissio, vt sperent se non minus consolandos, & adiuuandos Dei praesentia, quam prius, quando impleuerat gloria Domini domum Domini. Verum Rabbi Salomon receptus ab Hebraeis affirmat verbo אכבר ecabda, deesse ה he, finalem literam. quod probat ex loco Exodi: *& glorificabor in Pharaone*. vbi est idem verbum אכבדה ecabdah, in eadem significatione habens ה he, in fine. vbi affirmat ipse Rabbi Salomon, quod desuit huic dictioni, qua significat Deus gloriam, quam habiturus esset in secunda domo litera ה, qua numerum quinarium significant Hebraei, propter quinque res, quae fuerunt in domo prima, & defuerunt in domo secunda, nempe, vrim & thumim, hoc est, iudicium, quod ex irradiatione rationalis Sacerdotalis prodibat, quando Sacerdos consultabat Dominum, secunda ignis, tertia maiestas, hoc est, diuinitas, quarta Spiritus sanctus, hoc est, propheticus, quinta arca, sicut in libro Ioma, hoc est, dierum recensetur. Galatinus cum Prochetto, & alijs sic interpretatur ista Vrim & thumim lapides illi duodecim rationalis, quos Summus Sacerdos Sancta Sanctorum semel in anno ingressurus gestabat in pectore, solebant intra adytum mirificum quemdam, & quasi caelestem emittere splendorem, quo Sacerdos Dei clementiam sibi & populo propitiam esse intelligebat, & petita largiri. quem splendorem vocabant vrim, & thumim, hoc est, lumina, & simplicitates, & nunquam visus fuit tempore secundi templi. Ignis caelestis, licet enim ex aqua crassa, quae successerat antiquo caelestique igni, nouus conflagrauerit ignis, vt patet in libro Machabaeorum. tamen illum antiquum acceptationis signum ignis de caelo demissi ad deuorandum sacrificia, numquam apparuit in secundo templo. Fuisse autem in primo constat ex historia Paralipomenon: *Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de caelo, & deuorauit holocausta, & victimas & maiestas Domini impleuit Domum. Nec poterant Sacerdotes ingredi Templum Domini, eo quod implesset maiestas Domini Templum Domini. Sed & omnes filij Israel videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super Domum*. Neque gloria Dei quae in primo templo in Sancta Sanctorum inter Cherubim apparere solebat, in secundo vnquam apparuit. Neque Spiritus sanctus qui in primo Templo ad loquendum cum Prophetis saepissime veniebat, in secundo venire solitus fuerat. Aggaeus enim, & Zacharias, qui propherarunt tempore aedificationis, post aedificatam domum numquam prophetarunt. Quod & in Psalmo iam olim praedictum fuerat, quo conqueruntur filij captiuitatis dicentes: *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: & nos non cognoscet amplius*. cui succedit consolatoria memoria promissionis diuinae. *Deus autem Rex noster ante saecula operatus est salutem in medio terrae* maiorem & vberiorem gloriam atque salutem vniuerso orbi tribuens praesentia Christi. Vltimum quod defuit in posteriori domo, fuit Arca testamenti Domini. In libro enim Ioma sic dicitur. in Sanctuario secundo non fuit Arca. Haec omnia defuisse probantur ex Talmuth Hebraeorum in libro Sanhedrin capite isti sunt captiui, sic dicitur. Ait Rabbi Samuel quinque res defuerunt in vltimo Templo, & numerat eas. Item glosa eiusdem Rabbini super hoc verbum, quod interpretamur, idem affirmat defuisse quinque res, vrim & thumim idest, lumina & simplicitates, hoc est, rationale iudicij, secunda & Arca, tertia & ignis, quarta & diuinitas, quinta & Spiritus sanctus.

DOMINVS se habitaturum promittit in domo illa gloriose. *3. Reg. 8. ℣. 11.* *Exod. 14. ℣. 4.* *QVINQVE res fuerunt in prima domo, quae defuerunt in secunda.* *Galati. Prochet.* *VRIM ET thumim quid sit.* *2. Machab. 4.* *2. Paral. 7. ℣. 1. 2. 3.* *NOVVS ignis de caelo descendit sub Salomone.* *Psal. 73. ℣. 9.* *SIGNA quae defuerunt in secundo templo, maiora habentur in Christo.*

Idem affirmat Rabbi Aha in libro Ioma, idest, dierum, atque etiam in libro Midras Sir hassirim, hoc est, in expositione Cantici Canticorum super illud: Soror nobis parua, & vbera non sunt ei. Isti fuerunt, inquit, ascendentes de captiuitate parua, quia fuerant inopes in exercitibus, & vbera non sunt ei. Haec sunt quinque res, in quibus vltima domus extitit à prima diminuta.

Cantic. 8. ℣. 8.

Hanc certe traditionem nisi negarent, qui contra nos sentiunt, affirmare non auderent Herodiani templi gloriam sed negant ac probris lacessunt, vel propterea maxime, quod Sanctissimus Hieronymus eius non meminerit. Sed o vtinam liceret apud Sanctum Hieronymum omnia quae emendanda, sunt inuenire, at saltem ostendant Hieronymum negasse. Quod cum non possint, permittant nobis cum alijs Sanctis sentire in ijs, quae à Sancto Hieronymo neque negantur, neque affirmantur. Estque nobis vnus pro multis Sanctissimus, doctissimusque vir Ioannes Chrysostomus, aduersus Iudaeos disputans. Ponamus enim, inquit, iuxta vestram sententiam, moenia ab hominibus fuisse subuersa, ciuitatem dirutam, altare deiectum num & illud ab hominibus factum, quod Prophetae cessarunt? num & Spiritus gratiam sustulerunt? num alia quae apud vos fuere magnifica, destruxerunt, veluti vocem de propiciatorio reddi, vim vnctionis, declarationem, quae fiebat in lapidibus Sacerdotum. neque enim Iudaica religio origines omnes habebat ex inferioribus, sed plures, ac magnificentiores superne è caelis. Hoc autem dico. permisit sacrificia fieri, altare quidem erat ex inferioribus, quemadmodum gladius, & ligna, necnon Sacerdos. Ceterum ignis venturus in adyta illa, victimasque consumpturus, è supernis habet originem. Nec enim homo inferebat ignem in Templum, sed flamma è sublimi immissa suo ministerio consummabat hostiam. Rursum si quando cognoscendum erat aliquid è propiciatorio, vox quaepiam è medio Cherubim prodibat praedicens futura. Rursus è lapidibus, qui erant in pectore Summi Sacerdotis, id vocabant declarationem,

NON OMNIA quae S. Hieronymus non scripsit vera non sunt. *S. Ioan. Chrysostom orat. 3. contra Iudaeos.* *IGNIS QVOmodo de caelo descenderet.*

VOLVNTAS Dei erga ante quam ecclesiam multis signis indicata.

tionem, relucebat fulgor quidam futura significans. Praeterea cum esset aliquis inungendus, deuolabat Spiritus gratia, & insiliebat in vnguentum. Haec autem administrabant Prophetae. Quin & nebulae frequenter, & fumus adyta corripiebant. Haec Sanctus Doctor. quibus propositis nemo deinceps licere sibi praesumet sententiam hanc nouum inuentum appellare, à recentioribus Iudaeis, quippe impudentioribus, excogitatum. Sed aliqua ex ijs breuissime expendamus, a caelesti igne exordium sumentes.

IGNIS DE caelo an fuerit in secundo templo.

Fuit vtique in templo illo Zorobabelis mirabilis illa conuersio ignis in aquam crassam, & huius iterum in ignem: at mirabilis illius ac frequentis diuinae voluntatis attestationis descendentis ignis de caelo, & sacrificia deuorantis, quam Abelis, Noe, Salomonis, Eliae temporibus fuerant experti, fuerunt semper expertes: numquàm enim ea visa fuit post primam Templi euersionem. Hunc autem ignem in adyta primum descendere consueuisse tradidit idem, quem laudaui, Chrysostomus, indeque egressum holocausta, & victimas consummasse: non enim in adytis sacrificia cremabantur, vt latè alias ostensum est.

P. Maluenda lib. de Antichristo 11. cap. 11.

Secundo vrim, & thumim vocant qui templi Herodis gloriam inquirunt, lapides ipsos, qui erant in rationali Pontificis. Quod certe falsum est, & à nemine probatum. Nam vt post alios Pater Maluenda, cuius suaui consuetudine fruimur plerumque, ac delectamur, erudite disseruit, duplex est de vrim, & thumim opinio. Prima & communis est, quam paulo ante retulimus ex Chrysostomo, sic appellari existimans splendorem illum, qui ex gemmis rationalis emicabat quo iudicare vere poterant de voluntate Dei erga illos, vel placati numinis per splendorem, vel irati per eius absentiam, vt videre est apud relatos ab eodem Scriptores. Et hunc quidem placati numinis splendorem exposcere videntur a Deo, qui cum Psalte canunt: *Illumines vultum suum super nos, & id est, misereatur nostri* siue per faciem Sacerdotis illuminatam, siue per Sacerdotium Christi, cuius illuminatum, id est, placatum vultum videre desiderant omnes Gentes.

DE VRIM & thumim fuisse gemmarum splendorem.

Psal. 66. ℣ 2.

Ioseph 3. Antiq. cap. 9.

In qua certe sententia fuit etiam Iosephus, hanc gloriam Herodiano templo denegans. Per duodecim gemmas, inquit, quas in pectore Pontifex essen gestat, in bellis victoriam nunciare Deus solebat. Nam priusquam exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facile innotesceret, adesse Deum, opemque, & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Quapropter Graeci, qui a nostra Religione non abhorreat, cum hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita vt negari non possit, essena vocant λόγιον, logion, hoc est, oraculum. Desijt tam essen, quam Sardonix, fulgurem emittere annis ducentis, antequam haec commentaremur, irato Deo propter legum suarum praeuaricationem. Hactenus Iosephus. Ex quibus liquido constare poterit eam gloriam facile concedendam templo Herodiano, vt habuerit nouum rationale Iudicij cum gemmis, huius enim saepe meminit Iosephus: gloriam tamen illi denegandam esse, quippe cum rationalis eiusmodi lapides in tenebris essent, & obscuri, cum ijdem attestante Iosepho in primo templo mirabili quodam, ac pene diuino splendore illustrarentur. Qua quidem ratione contritionem cordis, & animi deiectionem excitarent, nihil laetum, gloriosum nihil videre poterant, quin potius cum Hieremia miseram suam conditionem deplorarent dicentes: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.*

VRIM ET thumim, quando desierint.

Threnor 4. ℣ 1.

VRIM ET thumim fuisse rem quamdam rationali superadditam. ARIAS MONtanus Apparatu Biblico lib. Aron.

Aliter tamen de his sentiunt cum Montano recentiores existimantes rem aliam esse a gemmis distinctam, quae hominum artificio minime facta fuerit, sed diuinitus data Moysi, vel cum lege, & tabulis, vel absoluto opere tabernaculi, eamque fuisse multiplici figura distinctam, simul etiam claram, lucidam, speculique instar tersam ex nominum figura, & numero etiam multitudinis intelligimus. In rationali seruata Sacerdotis haerebat pectori, inde vero proferebatur, quoties diuinum responsum petendum erat.

Sed qui hanc nobis protulit sententiam, adhuc nobiscum sentit, hanc ipsam rem secundo denegans templo, ne dum tertio: sic enim ille: Iam vero si inquiratur, vbi nam quando, & quomodo illa Vrim, & Thumim perierint, & an sublata fuerint diuinitus, hominumque vsibus negata, id de hac re nos referemus, quod in primi templi excidio a Hieremia condita sint, nec vlterius reperta, id agente Deo, vt hominum genus sanctiorum etiam rerum, quae noui Testamenti tempore oblata sunt, desiderio, & expectatione afficeretur. Haec ille. quibus nihil praeterea addendum censui.

QVACVMque ratione interpretemur, vrim & thumim in Herodiano templo defuerunt.

ARCA TEstamenti an fuerit in secundo templo.

De Arca testamenti, an ea fuerit in secundo templo, atque adeo in illo, Herodiano, aut non, aliquid dicendum est. quippe cum huius disputationis cardo in hac vna quaestione verseatur. Cum neminem fore existimem aut ita rationis expertem, aut sacrarum literarum adeo ignarum, vt existimet gloriosum dici posse Templum illud, cui deficiet Arca, quae nomen sibi quasi proprium vsurpauerat gloriae. Fateor tamen ita ab omnibus pro comperto haberi Arcam in secundo templo non fuisse, vt neque ipse contrariae sententiae auctor illud negare sit ausus: tametsi rem apprime notam, in dubium reuocare conetur. Res tamen tota pendet ex historia libri Machabaeorum, quae sic habet. *Veniens ibi Hieremias, inuenit locum speluncae: & tabernaculum, & Arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Hieremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet haec, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur, & sicut cum Salomon petijt, vt locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat haec, magnifice enim sapientiam tractabat: & vt sapientiam habens obtulit sacrificium dedicationis, & consummationis templi: sicut & Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de caelo, & consumpsit holocaustum.*

2. Machab. 2. ℣. 5. & 7. 8. 9. & 10.

DOCTORES qui tenent arcam nondum inuentam, nec inueniendam vsque ad consummationem saeculi.

Ex hoc loco oritur difficultas: non enim certo statuere audent, an expleta sit haec prophetia, an adhuc explenda. Tenent non expletam, ac propterea neque Arcam fuisse in secundo templo, Lyranus, Dionysius Carthusianus in eumdem locum. Genebrardus libro secundo Chronologiae. Accedit authoritas Dorothei martyris atque Episcopi Tyri in Synopsi de vita ac morte Prophetarum. Et Epiphanij, qui in libello de Prophetarum vita ac interitu, in vita Hieremiae affirmat Arcam absconditam ab Hieremia, non apparituram vsque ad finem saeculi. In contrariam

Lyran. Dion Carthus. Genebrard. Dorotheus mart. Epiphan.

rariam

Comestor cap. 3 histor. In dub.
Canus lib. 2. de locis Theologicis.

trariam sententiam afferunt Comestorem, & Canum, quorum ingenia à communi atque recepta discedere voluisse videntur sententia, quo omnium perspicaciora esse sibi, sin minus alijs suaderent. Cum enim inquiunt, Arca fuerit abscondita in ipsa transmigratione Babylonica, & dicat Hieremias *ignota erunt haec, donec congreget Deus congregationem populi, & tunc Deus ostendet haec*: de quo populo nisi de eodem loquetur, & de qua congregatione, nisi de ea, quae soluta Septuaginta annorum captiuitate paulatim rediit Iudaeam? Quibus certe non negamus de eodem populo loqui, qui vt tunc dispergebatur, congregandus postea erat: at non eo tempore, quo illi putant, quando soluta fuit septuagenaria captiuitas, quae neque plena, neque perfecta fuit congregatio, sed de illa, de qua loquitur Paulus dicens: *Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me Testamentum: cum abstulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos: secundum electionem autem charissimi propter Patres. Sine poenitentia enim sunt dona, & vocatio Dei.* Quare & idem Isaias sic ait: *Reliquiae conuertentur; reliquiae, inquam, Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiae conuertentur ex eo, consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.*

QVO TEMpore sit Arca manifestanda.
Roman. 11. ℣. 25.
Isai. 59. ℣. 20.
QVA FACTA Hebraeorum congregatione manifestanda sit Arca.
Isai. 10 ℣. 21. & 22.

Psal. 146. ℣. 2.

Quare in Psalmo dicitur: *Aedificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Et de hac quidem congregatione loquitur Hieremias.

ARGVMENtum negantium apparituram Arcam in fine saeculorum.

Adhuc tamen in sua insistunt sententia: tunc enim soluta Babylonica captiuitate videbatur necessaria manifestatio Arcae ad instaurandam antiquam, siue potius antiquatam religionem; ad praeteritorum malorum leuationem, ad erigendam spem diuinae propitiationis: in fine autem saeculi non videtur vtilis haec manifestatio, cum non oporteat Iudaeos ad Mosaycam legem redire: quod disertis verbis testari videtur Ieremias, qui de tempore Messiae loquens ait. *Cumque multiplicati fueritis, & creueritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent vltra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius: nec visitabitur, nec fiet vltra.*

Ierem. 3. ℣. 16.

ARCA QVAre non fuerit in secundo Templo.

Sed certe res haec longe aliter se habet: non enim decuit Arcam cum reliquis Templi ornamentis soluta Babylonica captiuitate manifestari propter rationes, quas supra retulimus ex Sanctissimo Augustino. Propter hoc enim, inquit, nec Prophetas ex illo tempore habuit illa gens, sed multis cladibus afflicta est ab alienigenis Regibus, ipsisque Romanis, ne hanc Aggaei prophetiam in illa instauratione templi opinaretur impletam. Hactenus Sancti Augustini sunt verba. atque eadem ratione qua ille argumentatur, nos quoque possumus ratiocinari. Non fuit illis manifestata Arca, quae dicta fuerat gloria Domini, ne gloria illa, vel gloriae potius vmbra contenti, à vera, & sempiterna gloria Christi speranda desisterent. Manifestabitur autem in fine saeculorum, vt certius cognoscant conuersi Iudaei se credentes in Christum veteres Patriarchas, & Prophetas imitari, ac veros esse Abrahae filios, & Moysis discipulos, cum videant suo tempore expletam Ieremiae prophetiam, & se Arcam habere, qua patres sui diu caruerant. Etenim Elias, & Enoch in Ierusalem interficientur, vt scriptum est in Apocalypsi. Ibi ergo docebunt, & eo confluent Iudaei tempore Antichristi ex omnibus Gentibus putantes verum Messiam iam venisse, atque in eadem vrbe conuertentur reliquiae Israel, & tunc Arca manifestabitur, vt eis liquido constet, quàm bene concordent cum rebus figurae, cum corporibus vmbrae.

ARCA QVAte manifestabitur circa fines saeculorum.
Apocalyp. 11 ℣. 7.

Quod autem ad eumdem Ieremiam nobis obiectum spectat, non est, cur quemquam moueat, cum loci sensus is sit, quem tradit Sanctus Hieronymus, ad Legalium cessationem spectans: non negans implendam ob alios fines, quos idem ipse protulerat Ieremias, vt in libris Machabaeorum legitur: sed praestat audire Hieronymum, qui dum verba Ieremiae, quae immediate relata praecedunt: *Dati sunt*, inquit, *pastores iuxta cor eius*, Apostoli & Apostolici viri. *Et pauerunt credentium multitudinem*, non in Iudaicis ceremonijs, sed in scientia Christi, atque doctrina, & in toto orbe praedicatione Euangelij seminata: nequaquam in Arca Domini, quae custos fuit legis Mosaycae. *Habebunt fiduciam*, sed ipsi erunt templum Dei, nec iuxta errantes Nazaraeos abolitis sacrificijs inseruient, sed spiritualem cultum sectabuntur. Alij vero hoc in fine temporum intelligunt, quando subintrante plenitudine Gentium omnis Israel saluus fiet. Hactenus Beati Hieronymi sunt verba.

Ierem. 3. ℣. 16.
HIEREMIAS negans Arcam in praetio habendam, legalium cessationem indicat.

Ex quibus luce clarius patet Arcam Dei, nec in secundo Templo vllo vnquam tempore fuisse, nec in Titi triumpho praelatam, multo minus in Vespasianorum arcu insculptam; imo ex quo illam in deserti adytis condidit Ieremias, humanis oculis ad hancvsque diem delituisse, occultandam vsque ad saeculi consummationem.

ARCA NVNquam apparuit nec apparebit vsque ad vltimos dies.

Cuius nostrae assertionis asseclas imo vero patronos habemus Sanctos Epiphanium, Dorotheum, & Thomam. Et ille quidem his verbis expressit, quae Dorotheus retulit. Hic est Ieremias, qui Templum subuertendum praenoscens Arcam testamenti, cum ijs quae in eadem erant tulit, & precibus eam absorberi fecit in petram: petram vero digito designans nomen Dei impressit. Et factum est sigillum in similitudinem Scripturae, quae ferro cauatur. Et ipsum Domini nomen nubis operimento ita caelatum est, vt ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec nomen legere vsque in hunc diem: & vsque in finem, & pristinae figurae instar ignis, & nubis alsae illic sint nocturno tempore, eo quod gloria Domini ab eius lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra inter duos montes, inter quos iacent sepulti Moyses, & Aaron. Dixitque Ieremias praesentibus. Dominus de Sion ascendit ad caelos, inde cum virtute reuersurus, & erit signum praesentiae eius, quando omnes Gentes adorauerint lignum. Dixitque quod Arcam hanc nemo poterit producere praeter Moysen electum Dei Prophetam, & tabulas, quae in ea sunt nullus aperiet Sacerdotum, nullusque Prophetarum, nisi electus Dei Aaron. Et in prima resurrectione exurget haec Arca, & exibit de petra, & ponetur in Monte Sina: & omnes Sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini expectantes: & vt vitent inimicum, qui perdere eos affectabat.

S. Epiphan. in Moysis vita.
Doroth. in Synop.
ARCAM gloria Dei adhuc obumbrat.

Dorothe. in Synopsi. cap. de Ieremia.

Haec Sanctus Epiphanius; cui consonat omnino Dorotheus. Hic inquit, propheta antequam caperetur Templum. Arcam legalem, & quae in illa erant, arripuit, & in petram quamdam abdi fecit, dixitque astantibus: profectus est Dominus Synai in caelum: & iterum veniet Legislator ex Sion cum potestate, & signum aduentus ipsius erit vobis, quando vniuersae Gentes lignum adorabunt. Dixit etiam, Arcam illam nemo arripiet, praeter Aaronem, & tabulas in illa reconditas nemo introspiciet, siue Sacerdotum, siue Prophetarum, praeter Moysen electum Dei. & in die resurrectionis Arca primum resurget, & ex petra prodibit, ponerutque in montem Sina, & congregabuntur ad eam omnes Sancti expectantes Dominum, & fugantes inimicum, occident eum venientem ad hanc petram. Obsignauit autem eam digito per nomen Dei, & facta est scalptura instat scalpturae ferri: & nubes lucida obtexit nomen Dei, nec quisquam locum hunc cognouit, neque obsignationem legere potest in hodiernum vsque diem, & ad consummationem vsque. Est autem petra in solitudine, vbi & primum fabricata est Arca, inter duos montes, in quibus sepulti iacent Moyses, & Aaron, & noctu nubes velut ignis locum hunc obtegit, iuxta quod olim factum est: numquam enim deesse potest gloria Dei à nomine Dei. Propterea gratiam Ieremiae dedit Deus, vt finem mysterio suo ipse faceret, fieretque consors Moysis, & Aaronis, qui & vna coniuncti sunt ad hunc vsque diem: nam & Ieremias Sacerdotali semine prognatus est. Haec totidem fere verbis Angelicus Doctor retulit.

LAVS MAGNA Hieremiae.

S. Tho. 2. Mac. c.2.

Gorondes lib.1.c.17.

Horum fere similia sunt ea quae Gorondes dixit, de secundo Templo agens. Arca non aderat, quia detulerat eam Ieremias Propheta vna cum omnibus cortinis, quas fecerat Moyses seruus Domini in deserto, & posuit eas in monte Debo, vbi inuenit speluncam, in cuius concauitatem posuit eas. Cumque sequerentur Sacerdotes, qui fuerunt in diebus istis, Prophetam, vt aduerterent locum, respiciens Ieremias post se, & videns, iratus dixit. Iurauit Dominus non sciet homo neque cognoscetur locus, donec venero ego, & Isaias Propheta famulus Domini, tunc restituemus Arcam in locum suum Sanctorum subter alas Cherubim. Factum est itaque a die illa, & deinceps, & obtulerunt patres nostri oblationes suas, holocausta sua, sacrificia sua, pacifica sua, & iuge sacrificium suum &c.

AD FINEM saeculorum venturum putant Hebraei cum Isaia Ieremiam.

Ecquis ergo qui haec sedula cogitatione contempletur, Arcam, quam Sanctus Epiphanius, Dorotheus, & Thomas, nec non hostis noster filius Gorionis omnino fuisse negant, in secundo templo audeat collocare? Ne quis autem putet prophetiam hanc impletam iam esse, Arcamque Dei in secundo Templo fuisse, audiat quid Iosephus Hebraicarum rerum scriptor, & obseruator diligentissimus scripserit, qui dum de Pompeiana victoria capto Templo ageret, haec subdit: Laesa etiam est non mediocriter Templi Religio, humanis antehac nec vestigijs penetrari, nec oculis. Introgressus est enim in illud Pompeius, & vna cum eo non pauci alij, & inspexerunt, quod nefas est videre, nisi solis Sacerdotibus. Cumque intus essent ex auro mensa, & candelabrum, & pocula, & odoramentorum magna copia, praeterea in thesauris sacrae pecuniae circiter talentorum duo millia; nihil horum prae pietate attigit.

Ioseph. l. 14. Antiq. cap. 8.

Iam videris quid in Templi adytis fuerit, mensa, candelabrum, pocula, odoramenta: Arcae ne nominata quidem. Sed clarius in descriptione Templi ab Herode constructi. Cum enim diligentia mirabili, atque studio singulas illius partes, mensuras, & ornamenta descripsisset, post accuratam Sancti descriptionem, eiusque instrumentorum enumerationem, subdit: Intima vero Templi pars viginti cubitorum erat, discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilque prorsus in ea erat positum, inaccessa, vero & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur, Sanctique Sanctum vocabatur. Quid clarius dici potuit à Iudaeo homine, & Sacerdote, de aeuo suo agente, & qui saepius in Templo sacris astitisse potuit? Quid quod hic vnus Templum ab Herode constructum, vel finxit, vel plusquam par erat laudare contendit, in ipsa Templi magnificentia negat Arcam in eo fuisse, & nostri contendant in Templum Herodis inferre, quod ipsi Iudaei oculati testes, quique id maxime cuperent, non admittunt?

Idem lib. 6. belli c. 6.

IOSEPHVS negat Arcam in Templo Herodiano fuisse.

Non desunt tamen pij, & eruditi viri, qui aliorum somnijs, & apertis plane mendacijs decepti, duo asseuerant, quorum neutrum, vllam habet veri similitudinem, nedum veritatem. Aiunt primo in triumpho Titi praelatam Arcam, deinde se illam sub arcu Titi insculptam inter cetera Ierosolymitani excidij spolia conspexisse.

Et primum Iosephus oculatus testis, & in Titi triumpho accuratissimus spectator, dum de solemni illius pompa ageret, haec scribit: Erant autem per singula pegmata captae ciuitatis Dux, ita vt captus fuerat, ordinatus, multae etiam naues sequebantur: spolia vero alia quidem passim ferebantur. Eminebant autem ea quae apud Hierosolymam in Templo reperta sunt; quae tria fuisse dicit. Primo loco, mensa aurea ponderis talenti magni. Secundo loco erat, candelabrum similiter quidem auro factum, sed opere commutato ab vsus nostri consuetudine: nam media quidem columna basi haerebat, tenues autem ab ea canaulae producebantur formatae ad similitudinem fuscinae, ad summum quaeque ad lychni speciem fabricatae, erant autem numero septem, septimi diei, qui apud Iudaeos est indicantes honorem. Tertio denique loco, posthaec autem portabatur lex Iudaeorum, nouissima spoliorum. Deinde transibant plurimi victoriae simulacra portantes omnia ex auro, & ebore facta. Vbi est iam in hoc solemnissimo triumpho, Arcae sacrosanctae mentio? Iam si eminebant ea quae ex Ierosolymitano templo translata sunt, quomodo igitur non eminebat ficta illa eorum Arca, quam in triumpho praelatam somniant? An ideo Iosephus Arcae mentionem nullam fecit, quod nullius esset ponderis? atqui maxima Hebraeorum gloria Arca erat. Vnde Heli Sacerdotem quem non terruit funestum de gemina filiorum morte, tremendumque nuncium, non de totius populi internecione, terruit quidem sola cogitatio Arcae. *erat cor eius pauens pro arca Dei.* Cum ergo dixisset nuncius Sacerdoti *fugit Israel coram Philistym, & ruina magna facta est in populo*: ne verbum fecit Heli. *insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni, & Phinees*. non respondit. *& Arca Dei capta est* quid fecit tunc? *cumque*, inquit sacer Textus, *ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est*. Quid simile pene fecit, & nurus illius, vnde vocatus est puer, quem genuit in

Ioseph. 7. belli. c. 24.

ARCA NON fuit allata in triumpho Titi.

1. Reg. 4. v. 13. 14. 15. 16. & 17.


QVANTI fieret ab Hebraeis arca.

ijs mor-

Ibidem ℣. 21. ijs mortis faucibus, *Ichabod dicens, translata est* A *gloria de Israel, quia capta est Arca Dei.* Quinimo & ipsa audito nuncio mortis soceri sui *pro socero suo, & pro viro suo*, hoc est, loco plorandi socerum, aut virum, *ait, translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset Arca Dei.* Quod si Heli & omnis Israel capta Arca Dei translatam gloriam ab Israel arbitrati sunt, & omnium obliti vnicam Arcae iacturam aestimant, & ne ijs quasi intercalari voce vsurpant: *translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset Arca Dei.* quid de

Ioseph lib 14. Antiq. c. 8. Iosepho sacerdote, & Hebraici populi duce strenuo dicendum est? qui se obseruantissimum legum profitetur. & Dei Optimi Maximi eximium B cultorem: Cur Arcae iacturam, & capturam si ea capta est, vt isti commentantur, non lamentatur, imo nec vllam mentionem facit? Iam vero Romani ipsi qui candelabrum, qui legem, qui mensam, ornamenta quidem Templi, non tamen prima, neque ex adytis, ac penetralibus Sancti Sanctorum sumpta ita praeferebant, quid ni praeferrent arcam? Quod si Iosephus delatam Iudaeorum gloriam lamentari posset propter illa templi spolia, quid non idem, imo potiori iure dixisset de Arca, si eam triumpho praetulissent Romani. Quid igitur si Iosephus, vt isti somniant, ne dedecus suae genti tam maximum inferret, de Arca omnino siluit: Romani siluissent? vel propterea maxime non siluissent, & triumpho praetulissent Arcam. Quod autem dicunt sub arcu Vespasianorum insculptam in triumphali marmore inter cetera ornamenta templi Arcam testamenti, egregie decipiuntur.

Propterea marmoream tabulam solerti diligentia efformandam, & aere incisam excudendam, & extremae huic disputationi apponendam *ARCA NON est insculpta in arcu Titi.* B curauimus. Ea tabula est à sinistris in arcu Titi, in qua omnia sunt ornamenta Hierosolymitani Templi extra quam nihil in arcu toto est, quod ad illud Templum pertinere videatur. Eam vero nos antea eiusque partes omnes saepius, adhibitis etiam testibus diligentissime perspeximus. Quare vel ex hac vna tanquam ex fidelissimo teste facile omnes vbique intelligent, quantum à vero aberrent ij, qui non mensam, sed arcam in eo Titi arcu insculptam esse opinantur.



Itaque tabula haec mirifice cum verbis Iosephi C consentit. Titi enim milites laureati tres tabellas praeferunt quadrangulas, titulos nimirum spoliorum. Inter quos primo loco est mensa panum propositionis, extensa, nimirum tabula super teretibus stipitibus, quas columelas vulgo appellaremus super tabulam vero sunt vasa duo, de quorum vsu nos alias disseruimus. è medijs quos dixi, stipitibus, ligneoli quidam eminent, indicantes annulos, quibus vectes inserebantur, illorum similes quibus olim mensa asportabatur. His ligneolis decussatae tubae innituntur, quarum vsus erat in Iubilaeo, quarumque nos aliquando Commentarium Deo dante edemus. Mensam se- D quitur titulus, cui succedit candelabrum, de quo *EXPLICAtur praecedens figura.* alias locuti sumus. Post candelabrum tertius titulus aperte conspicitur, quem sequi debuit legis volumen, quod tamen ideo non insculpserant, quod minus videretur speciosum spolium. Manifestum est igitur Arcam Dei, in secundo Templo non fuisse, in Titi triumpho praelatam, aut in fornice Vespasianorum insculptam nunquam. Qui autem aliter senserunt, aut scripserunt, vel haec eadem numquam viderunt: vel minus attente, considerarunt, vel aliorum dictis plus nimio confisi mendacijs assenserunt, vel quod vero similius est minus intelligentes Arcae, & mensae structuram ac differentiam, Arcam putarunt, quae reuera mensa est, quamque Iosephus auream mensam appellat.

Miramur equidem nonnullos eo peruenisse, vt ex libro Machabaeorum tertio probare conten- *3. Machab. c. 1. ℣. 1. & 3.* dant, Arcam in secundo Templo extitisse. ostendunt enim sese minime in euoluendis libris fuisse versatos, ijs potissimum quos referunt Quis enim non videat in illo capite, in quo ipsi reperiunt Arcam in templo fuisse, in eodem expresse loqui libri auctorem de primo, non de secundo Salomo- *LIBER TERtius Machabaeorum nunquam de arca secundi Templi locutus fuit.* nis Templo. verba enim libri illa sunt cuiuscumque sint ea auctoritatis, aut fidei *Et fecit Iosias Phase in Ierosolymis Domino, &c. & dixit Leuitis sacris seruis Israel, vt sanctificarent se Domino in positione sanctae Arcae in domo quam aedificauit Salomon.* Quis hic non videat Iosiam *Esdr. 3. ℣. 1. & 3.* multis annis praecessisse Templi prioris vastationem.

Sed multo magis admiramur viros alioqui pios, (A) & eruditos probabile putasse Arcam iam diu fuisse repertam. Siquidem Historicus quidam vtinam pius, refert, apud Gallias in vrbe Senonensi partem virgae Moysi repertam tam multa miracula edidisse, vt Rainordi Regis animam in Moysi legem amplectendam impulerint, vt iam non Christianorum, sed Iudaeorum potius Rex appellari voluerit. Hoc enim tantum abest vt probabilis speciem habeat, vt potius apertissimum mendacium sapiat, vel hostium Christiani nominis inuentum. Contrarium est diuinae prouidentiae miracula quaecumque edere, quae hominem auertant a Christianae religionis syncera fide. Hoc enim est mendacem Deum facere, (B) hoc illaqueare animas, & occasionem dare hominibus in dubium reuocandi, sit ne tenenda Iudaeorum superstitio. Itaque nulla ratione credendum est, quod auctor ille dixit, de Mosaicae virgae inuentione & miraculis.

Glaber Rodulphus lib. 3. cap 6.

MENDACium historici de virgae miraculis, & Iudaizante Rege Galliae.

Nemo autem putet Sanctum Chrysostomum nobis aduersari, qui cum Iudaeis agens, Deum inducit cum impijs hominibus loquentem his sane verbis. Atqui ego quidem Templum illud subuerti, & in ruderum aceruum verti, Templum illud venerabile, Templum res verendas, & horrendas continens. vos autem habitacula negotiationum nihilo meliora speluncis latronum colitis. (C) Quibus verbis quaedam veluti commentaria subnectit Sanctus Chrysostomus. Etenim si tunc cum essent Cherubim cum Arca, cum adhuc Spiritus floreret gratia dixit: *Fecistis illam speluncam latronum*. aut vt refert Ioannes: *domum negotiationis*, propter iniquitates & caedes illorum: nunc postquam illos Spiritus deseruit gratia, cunctaque illi magnifica sublata sunt, etiam cum Deo pugnantes impiam istam religionem celebrant & lubdit: Etenim si iam tum erat spelunca latronum, cum statum suum obtineret, nunc etiam si lupanar, si transgressionis locum, si Diaboli speluncam, si animarum exitium dixeris, si totius perditionis praecipitium, ac barathrum, denique quicquid addideris, minus (D) pro rei dignitate dixeris. Ex quibus verbis vnum, aut alterum est expendendum; si tunc, inquit, cum Spiritus floreret gratia &c. Certum est autem eundem Chrysostomum nunquam existimasse tempore secundi Templi gratiam Spiritus in eo floruisse, quippe cum in hac eadem Oratione, cuius verba prae manibus habemus, contrarium omnia pluribus argumentis probet. Itaque loquitur de eo tempore, quo haec omnia florebant, nimirum de primo Templo, de cuius tempore prolata primum Ieremiae prophetia est, & ex qua illa verba sumpsisse creditur IESVS Christus Dominus noster, vt bene Sanctus Hieronymus confirmat. (E) Expendendum deinde est illud alterum verbum. nunc enim si lupanar &c. per quae verba aperte intelligit de tempore superstitionis Iudaicae post mortem Christi Domini, vt compararit summam impietatem praesentem cum pietate, quae erat tempore Ieremiae: quo tempore eximia Templi gloria florebat. Caueant igitur omnes ne putent Chrysostomum dixisse Arcam illam, quam Ieremias sanctissimus Vates in abditissimis petrae speluncis abdiderat, nullo repertore reseruatam in secundo Templo, & in lucem Ierosolymitanam protulisse, quam Deus Sanctorum Spirituum, & Prophetarum ministerio condidit, occlusit ac spississima nube contexit. Qua Arca te vera deficiente, sicut etiam Spiritus gloria, caelesti igne, praesentia Dei, & Vrim & thumim, vt vocant, quid iam gloriae superest in secundo Templo?

S. Chrysost. orat. 4. in Iudaeos fine.

Ierem. 7. ℣. 11. Ioann. 2. ℣. 16.

RESPONdetur obiectioni.

TEMPLVM Iudaeorum absque Deo infame.

S. Hieronym. in Ierem. c. 7.

DEFICIENtibus iis quae in gloriam Templi erant, manet Templum sine gloria.

Non me latet etiam contra id omne quod tradunt Hebraei de litera. ה he, deficiente opponi, quod verbum אכבד ecabda, si scribatur cum ה he, in fine, significat, glorificabo eam: si absque ה he, glorificabor, quod falsum esse patet ex loco Exodi (quem afferunt Rabbini) vbi *glorificabor in Pharaone*, habent Vulgata, cum tamen in Hebraeo scribatur verbum אכבדה ecabdah, cum ה he, quare defectus ille literae, mysterium aliquod indicat. atque ita cum Doctoribus sentiendum est Hebraeis primum, deinde cum Patribus, & Sanctis omnibus asserentibus Deum non ita glorificatum fuisse in domo illa Zorobabelica, sicut in Salomonica propter auri penuriam, ac ignobile aedificium, sed multo magis propter res illas miraculo partas, & conseruatas: quare de eadem glorificatione maiori intelligendus est locus capitis primi, de qua praesens capitis secundi, nempe de aduentu, & praesentia Christi, quae multiplicat gloriam: etiamsi Arca gloriae, desiit, auri, & argenti copia, & reliquarum pretiosissimarum rerum abundantia. Atque adeo cum Herodes neque Arcam gloriae habuerit, neque gloriam praesentiae Dei, aut reliqua miracula, quae Deo erant gloriosa: si in illud Christus non venisset, nihil ad huius gloriae collationem faceret Herodes addito auro, vel argento, etiamsi diuitias superiores, aut plures coaceruasset, quàm Salomon, quod omnino impossibile fuit.

Exod. 14. ℣. 4.

RESPONdetur obiectui.

NIHIL HABVIT TEMPLVM HERODIS *quod gloriae nomine censeretur, vt eo respexisset Aggaeus Propheta.*

Cap. LXXI.

GLORIAM domus Domini pressius inuestigaturi ab ipsius Prophetae verbis, quibus illam pollicetur exordium sumere par est: *Implebo*, inquit Dominus, *domum istam gloria*. nihil inglorium in ea futurum, nihil non gloria plenum significat quid

GLORIA plena futura promittitur domus.

quidquid enim in ea fuisse deprehendatur, id omne omni ex parte gloriosum fore credendum est. Artifex enim materia, forma, finis, omnia denique simul gloriosa, & in maiori gloria, quàm fuerit prior domus esse debuerunt.

HERODES templo quod condidisse, in stituam, non glor am adsci uisse.

Quid igitur vt ab auctore Templi gloriam inuestigemus, nunquid Salomonis paci, sapientiae, sanctitati Herodem praeferemus? nunquid Domino gloriosae erunt opes iniquissimi regis, sanguine, caedibus, latrocinijs, sacrilegijs, parricidijs, & abominandis sceleribus partae? quae illum hominis nomine indignum reddunt, & dignum Regis nomine censebimus, opibus suis iniquis Deum glorificantis, ac operibus manuum suarum, quae sanguine plenae sunt? Legat qui facta Herodis cognoscere cupit, Iosephum, qui quinquaginta Legatos Hierosolyma missos cum alijs octo Iudaeorum millibus Romae degentibus inducit, causam contra Archelaum iniquissimi patris iniquum filium ante Caesarem agentes, & de Herode in hunc modum loquentes:

HAERODIS scelera. *Ioseph 2. bel li c. 4.*

Primum non se Regem, sed omnium qui vsquam fuissent Tyrannorum crudelissimum tolerasse dicebant. Denique multis ab eo trucidatis ea pertulisse superstites moesti sunt, vt beatiores mortuos putarentur. Non enim tormentis solum cum lacerasse corpora subiectorum, sed etiam gentis suae ciuitatibus deformatis exteras ornasse, populisque alienis Iudeae sanguinem condonasse: pro antiqua vero felicitate, ac patrijs legibus nationem suam tanta egestate simul ab eo, atque iniquitate repletam, prorsus vt plures, ex Herode paucis annis clades sustinuerint, quam omni aeuo maiores sui, postquam ex Babylone discessere, perpessi sunt. Eademque iterum idem Iosephus referens subiungit. Silentio enim praetereundas constuprationes virginum, & per contumeliam ereptam matronis pudicitiam; quandoquidem haec patientibus maximum sit solatium, si quam paucissimis sciatur suum dedecus. In summam non aliter ipsis praefuisse Herodem, quam si saeuissimae bestiae in eos commissum fuisse imperium. Itaque cum multis ea Gens oppressa sit cladibus, nullum tamen extare in rerum monumentis exemplum, cum quo conferri possit praesens per Herodem illata calamitas.

Ioseph 17. Antiq. c. 17.

Super addant his sceleribus Christiani, impiam crudelem, atque nefariam Innocentum in Bethlehem, & in omnibus finibus eius internecionem, & videant, an tanto sanguine commaculatas manus eligat Deus templum sibi gloriosius aedificaturas, qui Dauidicas, sanguine ex iusta diuinae vltionis occisione conspersas, repulit, & pacem Salomonicam elegit, ne tumultu bellorum à sollicita Templi aedificatione auocarentur animi. & erubescant, tandem asserentes Deum promittentem pacem, loqui de hac pace Herodiana, cum gens ipsa Iudaeorum nullam aliam cognouerit habuisse ab Herode pacem, quam a Lupo Agni, aut a Leone Haedi.

INNOCENtum sanguine respersas manus non eliget Deus Dauidicas vltionem ad aedificandum. suas.

Sed age diuitias aurum, & argentum Herodis expendamus. *Meum est argentum, meum est aurum*, ait Dominus. & superuacanea quidem videtur aduersarijs aurum, & argenti mentio, si nihil harum diuitiarum exhibeatur domui, quam glorificaturum se promittit Dominus. quapropter aurum, & argentum, quod a diuitibus possidetur, domui Domini donatum fuisse contendunt, quo glorificaretur domus, qua in sententia fuisse putant, vt dixi Hieronymum, & Chrysostomum. At vero Hieronymum iam vidimus affirmantem se neminem credere posse, quòd de argento loquatur, & auro, quae à diuitibus possidentur: vt propterea non leuem videantur, vt dixi, iniuriam Hieronymo inferre, qui quod nullum credit posse intelligere, credunt intellexisse Hieronymum. Neque cum illis sentit Chrysostomus, si eius verba mensque attentius expendatur. Disputans enim contra diuitiarum sectatores hoc loco Aggaei sese tuentes, & probantes diuitias quidem vtiles esse, quippe à Deo datas: Eorum obiectioni respondens subiungit: Aggaeus igitur cum assidue Iudaeis denunciasset post illum è Babylone reditum eadem forma se Templum exhibiturum, quale nuper fuit, & plerique quod post cineres, & ruinam illam instaurari Templum impossibile videretur, fidem verbis non haberent, discussurus dubitationem istam ex persona Dei, in ista verba prorupit, Quasi dicat: quid timetis? quid dubitatis? Meum est argentum, meum aurum, non habeo necesse aliunde mutuatis ornare templum. Esse porro Chrysostomi sententiam nobis minime contrariam, declarant quae sequuntur. Et erit, inquit Maiestas domus illa posterior priore maior. Ne igitur telas aranearum telae regiae attexamus. Si enim qui vili inserto stamine viciasse purpuram deprehenduntur extremam poenam luunt; quanto magis, qui sacra viciant? Hactenus Chrysostomi verba sunt. qui haec omnia adducit, accusans eos, qui hoc loco Aggaei conantur diuitias huius saeculi laudare.

AVRVM quod a diuitibus possidetur, [illegible] domo [illegible] promissum.

S. Chrysostom. homil. 3. super secundam ad Corinth.

Atqui non defuerunt, qui eumdem Chrysostomum adducerent, vt easdem humanas diuitias laudaret, & vsque ad Dei templum induceret, & ad illas diuinam, magnificamque Aggaei promissionem coarctare, seu potius deijcere conaretur, quod ne cuiquam posthac liceat ne cogitare quidem, legat vlterius Chrysostomum ita loquentem ad diuites, se etiam tuentes alio loco, qui sic habet: *Diuitiae & paupertas a Domino*, & subiungit: Sed quia parco vehementer vobis, & tumultuantes cernere, turbatosque non amplius possum, age, & solutionem adducamus, si prius, & quis, & ad quos, & quando haec dixit, ostendamus. Neque enim eodem omnibus modo loquitur Deus, vt neque nos pueris, & viris aeque. A quo nam igitur, & quomodo, & ad quos dictum est? A Salomone in veteri testamento ad Iudaeos, nihil aliud, quam sensibilia ista cogitantes, & ab his diuinam potentiam aestimantes, quales sunt, qui dicunt, nunquid & panem poterit dare? & quod tu signum edis nobis? patres nostri comederunt manna in deserto, quorum Deus venter est, qui quidem cum ab his rebus Deum aestimarent, est & hoc, inquit, possibile Deo diuites facere, & pauperes: non quod omnes omnino faciat ipse, sed quod possit, cum velit. vt cum dicit: qui mari minitatur ipsum exsiccans, & flumina destituens, tametsi nunquam hoc accidet. Cur igitur hoc Propheta dixit? non quod semper quidem ita fiat, sed quod illi sit factu possibile. Haec Sanctus Doctor. Ex cuius verbis & rationibus manifeste colligitur, quod quando Deus se dicit esse Dominum auri, vt gloria replere possit domum posteriorem, non tamen ex eo sequitur, quod dederit aurum, sed quod potuerit dare: quare cum constet terrenum aurum non datum, liquido constabit quid sentiendum sit, quidque senserit, in hac parte Chrysostomus.

S. CHRYSOstomus qui diuitias vituperat, affert in earum laudem.

Ecclesiast. 11. ℣. 14.

NON OMnibus eodem modo loquitur Deus.

Psal. 77. ℣. 20. *Ioann. 2. ℣. 8.* *Ioann. 6. ℣. 31.* *Philip. 3. ℣. 19.* *Naum. 1. ℣. 4.*

Maior tamen adhuc difficultas esse videtur in alio loco Chrysostomi, in quo de ciuitate Hierusalem loquitur illis verbis. Quoniam enim fuit diruta, quoniam radicitus conuulsa, & eius solum propemodum interijt, & desperarunt fore, vt ea in melius mutaretur, adeo vt dicerent, aruerunt ossa mea, lassati sumus, consumpti sumus, nec expectabant fore, vt eam reciperent, eam tamen receperunt, & non talem, qualem amiserant, sed longe meliorem, clariorem atque illustriorem, maiorem, ditiorem, potentiorem & magnificentiorem in aedificijs, in rebus venalibus, in copijs, in facultatibus: erit enim inquit, vltima gloria domus huius supra priorem. Quae quidem gloria Hierusalem, cum nullibi apparuerit corporea, imo potius ex sacris historijs & profanis, vt probauimus, colligatur longe minorem semper fuisse posterioris domus gloriam priore illa Salomonica; necessario affirmandum est Chrysostomum cum alijs Patribus loqui de gloria, & spirituali eadificatione Ecclesiae, in cuius Templi medio suscepimus misericordiam Dei, in Christo Iesu Domino nostro.

S. Chrysostom. homil. super Psal. 47.

GLORIA Hierusalem maior spiritualis est, non corporea.

Si quis forte fortuna superioribus rationibus non acquiescens, adhuc sentiret Templum Herodis operosius & magnificentius fuisse illo Salomonis, vt propterea dixerit Dominus: meum est argentum, & meum est aurum: magna erit gloria domus istius nouissimae plusquam primae. Hic certe sentire videtur contra omnes Patres, & interpretari locum Aggaei, ac si loquatur ad literam de aedificatione materiali. Quae expositio mirifice fauet superstitiosae Iudaeorum expectationi, vt dixi, & tum à Sanctis Patribus, tum vero a Doctoribus refellitur, ac expresse negatur, vt supra probatum est.

Verum antequam ad argumenta, quae pro eiusmodi sententia confirmanda adduci possunt, refellenda accedamus, examinemus hoc loco; Vnde nam potuit tantas diuitias collegisse Regulus alienigena, Iudaeis exosus, Regni vsurpator, Deo infensissimus, homo nouus, Idumaeus, nulla non criminum labe faedatus, siue Idololatriam consideres, siue rapinas, siue caedes, & dolos, siue Tyrannidem, siue obscoenitates, adulteria, siue denique quid quid hominem bestijs viliorem reddit, perpendas homo certe non suis, sed Romanorum viribus regno potitus, apud quos tunc temporis rerum dominos saepe numero delatus, modo fuga, saepe precibus, & donis, non raro dolis, & mendacijs, saepissime caedibus filiorum, & vxoris nefariae vitae consulere coactus sit. Vnde inquam, tantam auri, argenti, gemmarum, lapidum pretiosorum, cedri, eboris, aliarumque rerum pretiosissimarum copiam coaceruare potuit ad fabricam templi, Salomonica praestantiorem, pulcriorem, & opulentiorem? Vnde potuit tantam argenti massam collegisse, quantam & lapidum, quod de Salomonis aetate sacrae literae testantur? Vnde tantam cedrinae materiae, quantam sicomorum? vnde tantum auri, vt vnum Dauidis legatum superarit nimirum plusquam centum millia auri talenta, & argenti mille millia? vnde denique tantam aeris, quod nihil vilius auro erat, & ferri, vt nullum pondus inueniri potuerit?

HERODES non potuit tantas diuitias congerere, quantas habuerat Salomon.

Ioseph. lib. 16. c. 11. Ioseph. lib. 14. c. 17.

An ex tributis? atqui vt ex verbis Agrippae Regis constat, Iudaea, cuius Rex erat Herodes multo minus toto anno soluebat, quàm Aegyptus singulis mensibus, nimirum non plusquam sexaginta, & sexcenta talenta, quae si per octodecim annos qui praecesserunt Herodianae fabricae initium multiplicaueris, vix efficient Attica talenta duodecim millia. Dauidis vero & Salomonis tributa non modo Aegyptiacis superiora fuisse probatum est verum etiam quibuslibet, vel Persarum, vel Macedonum, vel Romanorum Principum maiora multo fuisse leguntur: vt ex ijs, quae ex sacris literis colligimus annua Salomonici Regni tributa, ipsis triginta septem Dauidis annis ad centum millia auri talenta peruenire potuissent. Poterunt ne Reguli illius impia, & exigua tributula ex tam turbato Regno, & alieno per summam iniuriam detracta, cum tributis Salomonis Regum maximi vlla ratione comparari?

MINIMA tribu a Herodis non potuerunt thesauros illi praestare.

660
18
———
5280
66
———
11880

An ex fodinis? atqui vniuersae totius Romani orbis fodinae ipsis Romanis subiacebant, quod nemo ignorat: ex quibus nulla pars Herodi erat reliqua, cum tamen eae ipsae Romanorum fodinae Salomonicis cederent: quod alibi à nobis ostensum est.

FODINIS caruit Herodes.

An ex spolijs Barbarorum? atqui Herodis exercitus omnes, vel ex latrunculis, & vi ad bella pertractis hominibus constabant: vel ex Romanis legionibus, neque ijs multis, vt vix exercitus nomen mereantur, in quo vtroque hominum genere nulla apparere potuisset pietatis species, ad templi ornamenta conseruanda. quod si aliqua Herodi cesserunt Barbarorum spolia, ita pauca esse potuerunt, vt vix numeranda sint. Dauidis vero exercitus, cum copiosissimi fuerint, infinitam barbarorum Regum multitudinem, quae aliquando plusquam decies centena hostium millia superabat, partim interfecerunt, partim in fugam conuerterunt, omnibus pene ornamenta sublata sunt, quae sanctissimo Dei Templo construendo seruarentur. quanta vero horum ornamenta, quanta quoque auri & argenti summa extiterit, consulenda sunt, quae superiori disputatione diximus. Quomodo igitur Regulus hic & latronum ductor eximius ex spolijs Barbarorum multo maiorem auri, & argenti summam, quàm Dauid potentissimus Rex coaceruasse potuit, ad melioris templi aedificationem?

HERODIS spolia nulla, si cum Dauidicis conferantur.

An ex impia sepulcrorum, & cadauerum effossione, ex quibus aurum, & argentum, vel ex ipsis putredinis visceribus eduxerit? Sed certe Herodem impium hominem huiusmodi scelera perpetrasse non negauerim. maiora enim de scelestissimo hominum credere possumus. Verum ex cadaueribus effossis, praesertim ex Sanctissimi Regis Dauidis effracto sepulcro, & perturbatis manibus non tantam opum copiam rapuisse putamus, vt ad Salomonis opes, qui illas recondidit quasi quae superfuerunt ex infinitis thesauris, vel longissime accesserit. Nam praeter quam quod quidquid furtiue rapuit ex Dauidico sepulcro, reliquiae Salomonicarum opum fuerint, id arguit tantam fuisse Reguli istius inopiam, & auri penuriam, vt quasi vilissimus seruus, vt latrunculorum ductor, vt impiorum magister, vt teterrimus vespillonum dux, non erubuerit intempestae noctis silentio, tenebrarum quasi, ac furum velo contectus, abditissimas quasque terrarum foueas, & sinuosos serpentum cuniculos penetrare, mortuorum sepulcra diruere, putrida cadauerum ossa peruertere, quod nec ipsi Barbari homines faciunt: denique scatentes vermibus

IMPIVS mortuorum effossor Herodes, & sepulchrorum inhumanus spoliator.

PAVPERRIMVS Herodes.

latebras

latebras perscrutari, aurum si quod potuit furtim, & per summam violatae religionis iniuriam diripere, cum prius diligentissime cauisset, ne hoc resciret populus, assumptis tantum suorum amicorum fidissimis. Ex quibus latebris, & obscurissimo terrarum barathro, quasi nouus Cacodaemon emergens in indignam tali homine lucem hominum pessimus, imo vix inter nebulones numerandus, cum ibi duos satellites facinoris socios perdidisset erumpente ex adytis flamma, quae progressos temere combussit, impius euasit grauiori seruatus supplicio. Hunc ego concesserim Templum Salomonico augustius, pulcrius, vel opulentius construxisse?

Ioseph. lib. 16. Antiq. c. 16

SEPVLchrorum effossores viuens flamma combusit.

Verum enim vero quid contendimus illud idem tot argumentis confirmare, quod ne ipsi quidem aduersarij negare audent? Quid ergo nihil obstantibus his operosius ne Templum esse potuit Herodianum Salomonico? Ita, inquient, multa enim habuit ex prima, & secunda aedificatione, quibus superadditis ijs, quae adiunxit Herodes multo ditior assurgere potuit posterius templum, quàm prius. Sed de amplitudine vniuersi aedificij neminem credo sanae mentis dubitare posse, cum primum Templum vniuersum montis Moriae ambitum ita occuparet, vt nihil soli reliquerit nouo aedificio superaddendo, aut amplificando. Sed ea omnia quae assumuntur falso nituntur fundamento, ignoratione scilicet Mathematici cuiusdam principij. Vel enim ornamenta, quae super addidit Herodes maiora fuerunt ijs, quae ex prima aedificatione sublata sunt, vel non, maiora extitisse non potuerunt, si consideretur Reguli illius exigua potentia, exiguum Regnum, tributa, & contra diuina auxilia, ceteraque quae in Salomone excelluerunt. Si fuerunt minora vt fatendum reuera est, ablato certe maiori si superadditur minus, semper resultat, & emergit id quod minus est. Quod autem plurima ornamenta multo pretiosiora fuerint in prima aedificatione, quàm in secunda, patet ex sacra historia. Omnia enim quae fuerunt in secunda aedificatione fuerunt minus preciosa, vt pote de lapide impolito, ac rudi. Non potuit igitur compositum ex secunda, & tertia esse maius, & pulcrius, quàm quod in prima. Et confirmatur, quia etiamsi aliquam partem Templi, verbi gratia, vnam porticum adiunxisset Herodes gloriosiorem multo aliqua Salomonica, quod tamen nulla ratione credibile est: nihilominus cum alia minor super fuerit, ex aedificatione Salomonis, & aliae duae multo minores, & ignobiliores ex aedificatione Zorobabelis, totum compositum necessario erit multo minus, & ignobilius, cum ex similibus omnino partibus, & mirabili proportione dispositis constaret aedificium Salomonicum. Accedit quod ad rationem aedificij commendandam magis facit partium inter se, & cum toto symmetria, quam materiae dignitas. Sed neque in hoc excelluit materiae dignitas: summum enim, ad quod ascendit Iosephi laus est, vt marmore candido constructa sit domus: in sacris autem literis habetur, ex Pario marmore vniuersum constitisse aedificium, quod, teste Plinio, pretiosissimum est, & quo incrustari maximae laudi fuit in eisdem sacris literis domui Assueri: sed & alibi dicit Scriptura, fundamenta domus suae extructa fuisse à Salomone, atque omnes parietes lapidibus magnis, lapidibusque pretiosis. quanto magis domus Dei erit pretiosioribus lapidibus extructa?

QVIDQVID addidit templo Herodes, minus fuit ablato, atque adeo minus semper fuit totum.

SIMILITVdo partium, & symmetria decorem attulit templo Salomonis, abstulit Herodiano.

Esther 1. ℣. 6

LAPIDES templi pretiosi

3 Reg. 7. ℣. 9. 10. 11.

Longitudinem porro Templi Salomonis minorem fuisse contendunt Herodiani templi longitudine, quippe cum illius septuaginta cubitorum longitudo fuerit, huius vero centum. Sed omnino falsum est fuisse templum longum septuaginta tantum cubitos. Longitudo enim interior vestibuli Sancti, & Sancti Sanctorum tanta fuit; additis vero quaternis parietum crassitudinibus, binis & binis fere duodenum cubitorum, ac tabulatis, de quibus in libris Regum, & Ezechiele, fit vniuersa longitudo domus centum cubitorum: quod late à nobis ex sacro textu ostensum est.

LONGITVdo templi Salomonis centum cubitorum.

Ezechiel 41. ℣. 13.

Lib. 4 huius par. cap. 30.

Commendatur praeterea Herodis templum quòd in priori templo parietes interiores auro tecti fuissent, in secundo etiam exteriores, ac si in priori templo exterius non fuerint deaurati parietes: legatur liber Regum: *Texit quoque Cherubim auro, & omnes parietes Templi per circuitum sculpsit varijs caelaturis, & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias quasi prominentes de pariete, & egredientes, sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus, & extrinsecus.* Adde etiam quod David dixerat. *Ego autem totis viribus meis praeparaui impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, aes in aenea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea, & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissime. & super haec quae obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum & argentum do in templum Dei mei, exceptis ijs, quae praeparaui in aedem sanctam. Tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi: ad deaurandos parietes templi.* Quibus verbis aduertendum est quod aedem sanctam vocat eam, de qua est sermo, nempe vestibulum Sanctum, & Sanctum Sanctorum, & pro deaurandis reliquis parietibus templi, exhibentur tria millia talenta auri de auro Ophir, eam summam auri nunquam adeptus esset Herodes, quamuis totum patrimonium vendidisset, vt patet ex historijs: Nam vt auctor est Iosephus, totum Regis istius Herodis legatum post illius mortem mille quingentorum talentorum aestimatione fuit. Adde etiam pretiosissimas gemmas, quas affirmat Iosephus ex allato Scripturae sacrae textu auro inclusas, parietes Templi exornauisse: reliqua autem, quae vt magna videantur, singillatim enumerantur, comparet prudens lector cum ijs, quae expresse, & manifeste de eisdem in sacris literis habentur, quaeque à nobis nostris commentarijs sparsim relata sunt.

3. Reg. 6. ℣. 28. 29. & 30.

PARIETES templi Salomonis interius, & exterius auro obducti

1. Paral. 29. ℣. 2. 3. 4. 5.

Ioseph. lib. 17. Antiq. c. 12.

LEGATVM Herodis vix minimam partem attingit Dauidis opum.

Ad portam domus Domini veniamus, quae ornata erat, vt aiunt, quadam aurea vite, quam magnifice extollunt Iosephus, & ille alter filius Gorionis, qui affirmat vitis pondus fuisse mille talentorum aureorum: quod quidem licet verum fuisset, non tamen superare potuisset numerus iste centum millia talenta auri, & argenti mille millia, quae habentur, non apud filium Gorionis, sed in Paralipomenis: hoc est, non apud mendacem, & veritatis hostem acerrimum, sed apud infallibilem diuini verbi veritatem. Quibus superaddenda sunt auri, & argenti talenta, de quibus capite vigesimo nono sequenti in eadem sacra historia tractatur, & insuper illa omnia, quae Salomoni in omni gloria sua, ope, & opibus etiam Hirami, aliorumque Regum adiutus, impositis

VITIS AVrea templi.

1. Paral. 22.

tam

tam magnis tributis, vt ea fuerint rebellionis causa, & alia quàm plurima Sacrae Scripturae loca, quae magnificentiam Templi Salomonici declarant. Quae omnia attentius a pijs viris perpendenda sunt, & non parui facienda ob leue testimonium cuiusdam, Dei & veritatis inimici, nescio cuius filij Gorionis.

VITIS AVREA Templi Tyrio opere picta fuit non vera. *Ioseph. 6. belli c. 6.*

Verum enim vero nec vera, nec verisimilia confinxisse hunc filium Gorionis patet ex alterius Iosephi Flauij loco, qui sic habet: Interior vero porta tota inaurata erat, vt dixi, & circum eam aurantes parietes, desuper autem habebat aureos pampinos, vnde racemi statura hominis pendebant: & quidem cum hic locus alium referat, addens, vt dixi, quemlibet veritatis historicae indagatorem oportet illum alterum inquirere, is autem habetur in Antiquitatum libris, illis verbis: Ianua vero pene ipsi Templo par, & superliminare aulaeis variegatis ornabatur, floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botryonibus, mirandum fane opus, tam manus, quam materiae pretio. Ecce omnem auri gloriam intertextam cum columnis, & vite, vnde quod auream dixit Iosephus, putandum non est illam fuisse ex auro solido factam, sed ex filo aureo aulaeis intexto. Vnde colligitur manifestum alterius recentioris filij Gorionis Iosephi mendacium: de alijs enim scriptoribus nullus afferri poterit praeter Iosephum tantopere res Hebraeorum commendare contendentem: nisi forte eo deueniat ignorationis audacia, vt quae de vite aurea Persarum referuntur ab Scriptoribus, quos supra retulimus, cum hac Herodiana impudenter confundat.

Idem 15. Antiq. cap. 14.

VITIS FILAMENTIS aureis tapetibus intexta.

VITIS AVREA Semiramidis non est confundenda cum Herodis intexta vite. *Supra c. 62. huius libri.*

De candelabro & mensa, vnum annumerat tantum Iosephus in templo Herodis, cum tamen in libro Paralipomenon decem similia candelabra, & decem mensae habeantur, posita à Salomone in Templo: quare in decupla proportione superantur illa Herodiana ab illis Salomonicis: nec verum est illa in triumpho Titi praelata fuisse, commutata tamen forma quaedam illorum imagines, vt expresse affirmat Iosephus, & expressius videtur in arcu Titi, qui hodie Romae extat, cuiusque imaginem commodiori loco apposuimus. Candelabri vero forma nihil fere haber commune cum eo, de quo in sacris literis fit mentio. Vtriusque enim collationem facere poterit in his nostris commentarijs Lector.

His tandem, quae sensim euanuerunt, Herodiani templi laudibus, quas nouae sententiae studium excogitauit, enumeratis, neminem puto posse existimare ad Herodiani templi fabricam referri posse illa Prophetae verba *Magna erit gloria domus istius nouissimae plusquam primae*, aut propter illam dictum fuisse: *meum est argentum, & meum est aurum.* Neminem enim ingenij tam hebetis esse puto, qui quid quam eiusmodi vidisse fateatur, cum omni illa aduersariorum disputatione proposito altero comparationis termino hic ipse alteri ignoto praeferatur: oporteret enim simul cum his, quae sunt de templo Herodis, ab ipsis relata, eadem ostendisse, an fuerint, & qualia in templo Salomonis, aut saltem probasse talia non fuisse in primo Salomonis templo, vt colligere possent haec ab illis superari; sed cum talia non probauerint, imo vero ex historijs sacris constet contrarium, ab omnibus manifeste videbitur falsum omnino esse, quod assumitur. Sed ad ea quae priori aedificatio-

NVLLA AGGAEI verba ad fabricam Herodiani templi referenda sunt.

ARGVMENTI oppositi nulla vis.

A ni superaddita fuisse contendunt, discutienda veniamus.

In atrijs certe Templi gloria maxime enituit, ac illius magnificentia, quod late a nobis tum alibi saepe, tum vero maxime initio huius disputationis ostensum est. Nec minorem gloriae laudem sibi vendicat atrium Gentium propter incredibiles substructiones, quae pene superant humanum captum, nedum fidem. In quibus non negabo erroris ansam dedisse Iosephum sic scribentem: Initio quidem vix Templo, atque arae sufficiebat iacens in summo planicies, quod vndique praeceps erat, atque decliuis. Cum autem Rex Salomon qui etiam Templum aedificauerat, muro eius partem ab Oriente cinxisset, vna porticus aggeri est imposita, & manebat ex alijs partibus

B nudum, quo ad saeculis posterioribus semper aliquid aggeris accumulante populo coaequatus collis latior effectus est. Hactenus ex Iosepho. Ex quo forte colligent, augeri facile potuisse priorem Templi aedificationem huiusmodi populi aggeribus, ac triplici reliqua porticu. Sed certe si de priori aedificatione intelligatur loqui Iosephus, ipse sibi contrarius est, qui alibi affirmat vndequaque factas à Salomone substructiones, & quadruplices porticus, vt ostendimus. Sed parum est si ipse sibi contrarius fuisse ostendatur Iosephus, qui cum ipsa sacrae Scripturae veritate pugnaret, vt pugnant, qui illam perperam interpretantur. Nam

C Meridianam Templi substructionem à Salomone conditam fuisse restatur Historia Regum. *Et haec est*, inquit, *causa rebellionis, quia Salomon aedificauit Mello, & compleuit voraginem ciuitatis patris sui Dauid.* Quem locum ita esse intelligendum vt diximus, late a nobis alibi ostensum est: quare Iosephus sic interpretandus est, ne mendax esse putetur, vt loquatur de aedificatione secunda. Nam cum porticus Orientalis ex priori aedificatione permansisset vsque ad deuastationem Titi, & Vespasiani, reliquas porticus instaurauere Reges reaedificationem Zorobabelis subsecuti. Reges autem licuit appellare eos, penes quos erat imperium, siue Duces essent, siue

D Iudices. Herodes autem extruxit Meridianam tantum porticum, teste Iosepho, quam quidem neque maiorem, neque ditiorem fecit priore illa Salomonica, quod ex mensuris eiusdem Iosephi constat, & ex numero columnarum, quem ipse assignauit, quemque nos demonstrauimus ex ipsa aedificij ratione, & porticibus Salomonis fuisse petitum, vt ne vna quidem aut demi, aut superaddi potuerit, quin ratio, & pulcritudo omnis perturbaretur. Satis multum fecerit, & eximia laude dignus iudicatur ab Historiographis Herodes, quia Meridianam porticum fecerit aliqua ex parte similem ei, quae permanserat ex aedificatione Salomonis: quae quidem Herodis por-

E ticus ita superauit reliquas duas Zorobabelis, aut subsequentium Ducum, vt ea cum illis collata ex- & mirabilis, & omni laude digna videatur porticus Herodiana: non vero cum Salomonica, cuius laudes, & magnificentiam vix attigit, nedum superauit. Iam ergo si perpendat prudens lector has quatuor porticus, ex quibus illa Salomonis ante annos multos extructa, ita ceteras antecelluit, vt Dei, & Domini nostri IESV Christi exaltata sit verbis illis: *Videtis aedificationes has magnas*: in qua re superabit compositum ex his quatuor porticibus compositum ex illis quatuor Salomonicis denuo constructis, & in omni gloria, apparatu, & splendore, quem necessario abstulit

ATRIA templi magnificentissima.

Ioseph. 6. belli. cap. 6.

SVBSTRVCTIONES templi omnes a Salomone extructae fuerunt.

3. Reg. 11. V. 27.

Tom. 3. Apparat part 1. lib 2 cap. 8.

PORTICVS Meridiana Herodis neque maior, neque ditior fuit Salomonica.

PORTICVS Herodis Zorobabeliciis praeferenda est non Salomonicis.

stulit hostium crudelis inuidia, incendij vehemens flamma, & latrocinalis cupiditas effraenata, & furiosa. Vnde licet merito dicat filius ille Gorionis se ne medietatem quidem, imo neque tertiam partem eorum, quae erant in Templo Herodis magna significasse: immerito quidem admirationem in animis legentium effecerint, quòd non attente perlegerint, quae de Templo Salomonis dicuntur magnifica, quaeque hisce nostris Commentarijs speramus aliquo modo fore perspecta, licet ne eorum quidem millesimam partem attigisse putemus. non enim verbis, aut scriptis aliquibus exprimi potest opus diuinae sapientiae, magnificentiae, & potestatis: cuius quidem magnitudine, diuitijs, & gloria, voluit Deus significari inexplicabilem altitudinem diuitiarum Sapientiae & scientiae Dei, quae pro nobis carnem assumpsit, & thesauros gratiarum immensos, quos habet Ecclesia ex sanguine Christi pro nobis effuso. Cuius quidem rei argumento sunt manifesto ea, quae in sacris literis habentur de domo prima, quam aedificauit Salomon. *Domus autem*, inquit idem Salomon, *quam aedificare volo Domino talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur*. Et iterum *Domus enim quam aedificare cupio magna est: magnus est enim Deus noster super omnes Deos*. Et alibi: *Domus enim quam cupio aedificare magna est nimis, & inclyta*. Quibus quidem locis omnibus cum alijs quàm plurimis vim intulit ea, quam refellimus sententia, illisque vim omnem atque efficacitatem quodammodo abstulisse videtur.

LAVDATVR Herodes ab ijs qui prioris Templi laudes ne audierunt quidem

TEMPLI magnificentia quo redundat.

1. Paral. 22. ℣. 5.

2. Paralip. 2. ℣. 5.

Ibid. ℣. 9.

Quid enim magnum praestiterunt Dauid, & Salomon, superatis, & spoliatis quinquaginta Regnis terrae, ex infinitis aureis, & argenteis armis, vasis, aerarijs, templis Idolorum: adiuti à tot potentissimis Regibus, ac Regnis, grauatis, & exhaustis etiam subditis, coaceruatis ex multis annis, imo vero saeculis, tum tributis maximis, tum sacris censibus, quorum summa infinita fuisse pluribus supra probatum est, eductis ex Indicis fodinis auri, argenti, gemmarum, eboris thesauris immensis: si Regulus nescio quis, vnius minimae partis eiusdem Regni Salomonici sine vllo apparatu, sine vllo auxilio exterarum Gentium, imo Romanis principibus plane subiectus, à quibus non accipiebat singulis annis dona, aurea & argentea vasa, & arma bellica, equos, & quadrigas, quemadmodum singulis annis ea Salomon a Regibus vniuersae terrae accipiebat; sed potius ipse Herodes Romanis munera mittebat ad alliciendos eorum animos, vt tutius vsurpato regno potiri, ac in eo conseruari posset, potuit hic, inquam, illa eadem superare gloria, & diuitijs? Nonne illa omnia videntur fabulae, si haec vera sunt, aut haec sunt somnia, quia illa ineffabilis sunt veritatis? Et licet nulla alia ratione constaret discrimen inter hoc, & illud aedificium, vel ex operarijs vtriusque facile constare potest intuenti. Quod enim maximum ausus est Iosephus proferre, vel potius fingere, huiusmodi est: Et ex omni artificum copia peritissimos selegit ad decem millia, & insuper mille Sacerdotes stolis Sacerdotalibus suo sumptu vestitos partim caementariae, partim lignariae fabricae non imperitos, hosque omnes adhibuit operi. Sunt ergo omnes operarij Herodis vndecim millia, qui in templo Herodis operam nauarunt octo annis. Salomon autem adhibuit tum ex Israeliticis populis multos, tum ex Aegyptiacis, & Tyrijs plurimos, non paucos

CONFERtur cum Salomone Herodes.

OPERARIOrum vtriusque Templi collatio.

Ioseph. 6. belli. cap 6.

A ex Proselytis, alijsque Gentibus, quarum omnium summa erat mille nongentorum supra quadringenta millia. Fuitque tempus quod in templo extruendo impendit Herodes anni octo, quos minime constat an expleuerit, Salomon annos expleuit septem cum dimidiato vnde cum horum operariorum numerus contineat illum pluries, quam tricies & sexies, necessarium est opus Herodianum excedi à Salomonico, vel hac vna ex parte pluries item, quam tricies & sexies.

De vasis item Templi obiter aliquid dicamus. Nemo putet nulla vasa defuisse secundo templo ex ijs, quae fuerunt in primo: quoniam, *Rex Cyrus protulit vasa templi Domini, quae tulerat Nabuchodonosor de Hierusalem* &c. vbi oportet aduertisse numerum, qui ibi habetur. *Omnia vasa aurea, & argentea quinque millia quadringenta*. inter quae & cultri numerantur. cum in priori templo fuisse compertum sit aurea vasa quadringenta quadraginta millia. argentea mille millia, & trecenta quadraginta millia. qua de re satis à nobis dictum est supra: sed & illud plane colligitur ex Iosepho, & ex ipsorum aduersariorum confessione, non plura vasa fuisse in templo Herodis ijs, quae recensentur ab Esdra.

Esdrae. 1. ℣. 7. & ℣. 11.

Supra c. 42. huius libri, & sequenis.

Ad calcem huius capitis addatur quasi disputationis summa corona, Sanctissimi Augustini ratio non semel a nobis allata. Propter hoc ergo nec Prophetas ex illo tempore habuit illa Gens, sed multis cladibus afflicta est ab alienigenis regibus, ipsisque Romanis, ne hanc Aggaei prophetiam in illa instauratione templi opinaretur impletam. Atque idem omnino dicemus de auro, & argento, quae ideo Herodi denegata sunt, eo tempore praesertim quando triennio ante hanc instaurationem templi exhaustus Herodes, omnibus consumptis opibus in tantum egestatis deductus est, vt etiam ipsamet religiosa mortuorum sepulcra, quasi emendicans ea, quae Salomoni superfuerunt, auctore Iosepho, eruerit, ne putaret quisquam de auri, & argenti gloria loquutam fuisse Prophetiam, sicut neque antiquorum vllus putauit, donec recentiores quidam antiquae illius miserae conditionis obliti, eam praetulerunt potentissimo Regi, cui loquitur Deus ipse, cuius est aurum, & argentum, dicens: *Diuitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui*. Quae verba qui nimis religiose maxime contrahunt, ad Reges Iudeae coarctant, quibus annumerandus est certe Herodes, nisi forte indignus putetur, qui regis nomine a sacris Sciptoribus censeatur.

QVARE AB Herode pauperrimo, non ab alio ditiore extructum fuerit templum.

2. Paral. 1. ℣. 12.

GLO-

GLORIAM SECVNDAE DOMVS *priore maiorem vna efficit praesentia Christi.*

Cap. LXXII.

ADDITVM vel sublatum aurum nihil addit, aut detrahit gloriae domus, quam ingressus est Christus.

IAM arbitror Lectorem perspicere posse non maiorem gloriam fuisse aedificiorum, & auri huius vltimae domus, plusquam primae, sed gloriam omnem, & dignitatem, quae omne aurum, argentumque superat, & omne quod existimatione dignum est antecellit, illam fuisse; quod ad eam venerit Desideratus cunctis Gentibus, Dominus quidem auri & argenti, cuius quidem dignitati maxime derogat, qui eam augendam esse arbitratur addito auro & argento. Quod si plusquam omne aurum gloriosum fuit primae domui, quod de ea scribitur in libris Regum. *Factum est autem cum exissent Sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam, impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Quam illustrior, & gloriosior fuit domus posterior, quam non nebula obtexit, quae Dei praesentiam indicaret, sed Deus ipse nube carnis obductus adijt, quae diuinam eius vocem dicentis audiuit, quae miracula magna vidit. Haec enim sunt quae gloria implere potuerunt domum Domini; terrena non item. Sed age tantisper immoremur in domus huius posterioris a Zorobabele aedificatae consideratione, in qua veluti in figura expressum comperiemus, si rem diligentius perpendamus, Deum Optimum Maximum nihil terrena curare, neque pro gloria aliquo modo reputare diuitias, sapientiam, honores, & reliqua humana, quae vanitati vanitatum ab ipso Salomone comparantur. Ac primum quidem Zorobabel huius domus secundae auctor nunquam à diuino cultu recessisse legitur, in quo gloriosior multo fuit quàm Salomon, materia laboribus parta est, & strenue ab hostium incursione seruata, aedificatores erant accincti milites, & ad praelium parati, à Deo ipso per Aggaeum tanquam operi instantem excitati; quae res gloriosior multo est, quam quod ab alienigenis, & indigenis pace & otio torpentibus extructa fuerit prior.

3. Reg. 8. ℣. 10. & 11.

DOMVS Zorobabelis sanctior, & illustrior quacumque alia.

Demum quod ad illius ornatum, & formam spectat, Templum secundum lachrymis, ieiunijs, vigilijs, & orationibus tum Deiparae Virginis sanctissimae, quae omnem antecellit dignitatem, & gloriam cuiuscumque hominis, & in quacumque aetate ac tempore, siue id quod praecessit consideres, siue quod futurum est, modo intra purae, & humanae naturae terminos contineatur: tum Annae, Simeonis, & Apostolorum Christi, quin & ipsius Dei, ac Saluatoris nostri praesentia, praedicatione, & miraculis illustratur, omnium, quae excogitari possent clarissima esse ostenditur atque ditissima. Quid enim de gloriosissima, atque optatissima illa oblatione pueruli adhuc & pupuli Christi Domini, dici aut excogitari potest, quem Virgo Sanctissima in Templo hoc secundo vlnis caelo puriotibus gestans, aeterno Patri pro generis humani salute obtulit? Nonne tibi videbitur impleuisse domum hanc vera gloria, non gloriae figura, sole non nube, luce, non vmbra, corpore, non imagine?

GLORIA domus posterioris.

Vnde Simeon iustus quasi totius humani generis nomine, ac si Aggaei prophetiam vidisset adimpletam, quam iam diu expectabat, exclamauit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem Gentium. & gloriam plebis tuae Israel.* Et hic est, nobilissimus, ac dignissimus finis, propter quem haec domus secunda aedificata est: & haec est gloria, quae replet totam domum, non iam ijs, quae sub ipso erant, sed ipsa humanitate, diuinitate, & gloria Christi Dei, & Seruatoris nostri sedentis ad dexteram maiestatis in excelsis. Et haec quidem est gloria magna, non absolute solum magna, sed respectu ac comparatione prioris, quam prima est longe magna & maior: & haec gloria, hae diuitiae merito comparantur auro & argento, quod ita proprium est Dei, vt neque ipsi Salomoni in omni gloria sua concessa sit huiusmodi gloria, quam se minime daturum promisit Deus. Et hic est historicus sensus, quem ipsa prae se ferunt verba: vt propterea neque aurum, neque Prophetas, neque Arcam, aut quidquam aliud exterius gloriosum habuerit illa domus, quod omnis gloria eius ab intus ex vna Iesu Christi Domini nostri praesentia prouenerit.

Lucae. 2. ℣. 29. 30. 31.

QVIS SIT Aggaei verus sensus.

Quae quidem interpretatio maxime quadrat cum celebri illo Isaiae testimonio, qui quidam quasi Commentarius est huius loci, quo ille etiam alioqui obscurus clare intelligitur. *Haec dicit Dominus: Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quae est ista domus, quam aedificabitis mihi? & quis est iste locus requietionis meae? omnia haec manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus.* Ac si dicat, ne puteris me ditari, aut gloriari habitatione domus istius, quam aedificatis, quasi vero domus mihi ad habitandum desit, aut mihi domus ista sufficiat, quippe magnitudine, & potentia in caelo sedens terram pedibus conculcare possum. Nec puteris vestris me diuitijs indigere, qui Dominus omnium sum factor earum, etiam harum, quas affertis in domo ista, neque quidquam vestrum affertis: non enim vos fecistis illa, manus mea fecit ea, à me facta sunt vniuersa, & mea sunt, ego Dominus. neque propterea oculos meos ad se aduocant: *ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos:* sic in praesenti. *Quid videtis hanc nunc, quasi non sit in oculis vestris*, quia diuitijs & splendore auri, & argenti vacans, Ego *implebo domum istam gloria*, qua gloria si rogent, *veniet Desideratus cunctis Gentibus*: ad quem quidem licet *pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos*, aspiciam oculis Paternis, tanquam ad Filium dilectum, *in quo mihi bene complacui*. Quid enim ego de auro, & argento cogitem, *meum est argentum, meum est aurum* ac si diceret: Ista omnia quippe, quorum non indiget domus mea, quasi nihilum reputabo. Et ne quisquam adhuc vim Prophetiae huius non intelligens,

Isaiae 66. ℣. 1 & 2.

ISAIAE LOcus cum Aggaei prophetia confertur.

DEI SVNT cuncta quae Deo offerimus.

putaret

putaret Deum magnis oblationibus, auri & ar- A genti copia placari, & glorificari, & praesertim vt exprimat quàm odibilis fuerit Deo, & quam inglori Iudaeis aedificatio Herodiana, subdit, *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem, qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat, qui recordatur thuris, quasi qui benedicat Idolo: haec omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.*

DEO ODIbiles non gloriosae impiorum oblationes

Isai. 66. ℣. 3.

Postquam autem tot modis negauit fore gloriosam Deo oblationem peccatoris, subdit, quam gloriam promittat, dicens: *Laetamini cum Hierusalem, &c. vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius: vt mulgeatis, & delitijs affluatis ab omnimoda gloria eius: ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis*: alibi: quasi fluuium pacem. haec est quam promisit Aggaeus. *& in loco isto dabo pacem, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium*. haec est gloria, qua implenda erat domus secunda, magna, & maior, quàm fuerit prioris domus gloria. Quod quidem testatur Sanctissimus Martyr Stephanus, citans hunc locum in Actis Apostolorum, & comparans domum Ecclesiae cum priori Salomonica dicens: *Salomon autem aedificauit illi domum, sed non Excelsus in manu factis habitat, sicut Propheta dicit: Caelum mihi sedes est, terra autem* C *scabellum pedum meorum: quam domum aedificabitis mihi dicit Dominus? aut quis locus requietionis meae est? nonne manus mea fecit haec omnia?* Videtur ergo ille genuinus esse Prophetiae sensus, vt omnia ad Christi Domini gloriam reuocentur. Cuius figura erat Templum illud augustissimum, & cuius Templi gloria Christus est: sicut Salomonici Templi quasi quaedam gloria fuit nubes, ignis caelestis, aurum, argentum, pretiosi lapides, cedrina ligna, ebur, gemmae, plurimaque alia ornamenta. Quae omnia quam longe absint, vt cum gloria Christi earundem rerum factoris & domini, aut cum eius Ecclesiae donatijs, & opibus conferantur nemo non videt. Quip- D pe cum domum illam priorem, quam locum requietionis appellasset, quod sublato mobili tabernaculo in ea fixam veluti sedem ac permanentem elegisset, tandem deseruit: vt hanc secundam domum ad quam potissimum illa verba respexerant, demum incoleret, & gloria repleret, quae illi numquam sit defutura. Huc enim respexisse videtur idem gloriae auctor IESVS Christus Dominus noster amanter suos alloquens: *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem saeculi*. Quo denique respexisse videtur haec omnis Sanctissimi Ezechielis Prophetia quod indicant auditae caelestium spirituum voces: *Benedicta Gloria Domini de loco Sancto suo*. & illud eiusdem Prophetae. *Et eleuauerunt Cherubim alas suas, & rotae cum eis. & gloria Dei Israel erat super ea. Et ascendit gloria Domini de medio ciuitatis, stetitque super montem, qui est ad Orientem vrbis* Quae satis ad rem exposuit noster laborum socius, & dux bonae memoriae Pater Hieronymus Prado.

Isai. 66. ℣. 10. & 11.

Act. 7. ℣. 49. 50. & 51.

Matth. 28. ℣. 20.

Ezech. 3. ℣. 12.

Ezechielis 11. ℣. 22. 23.

Nos vero mirum in modum gaudemus extremam tandem aliquando manum nostris hisce in lucem edendis commentarijs imposuisse, peculiari de Christi Domini gloria disputatione. Vt enim vniuersa, quae tot annorum spatio qualiacumque gessimus, meditati sumus, scripsimus, B edidimus, omnia ad Christi Domini gloriam direximus: ita nunc quoque curauimus nostrarum lucubrationum finem esse Christi Domini gloriam, eiusque Ecclesiae Sacrosanctae vtilitatem. Cui me, meaque omnia ita dicata velim, vt eidem quoque ac Sanctissimi Domini Nostri Pontificis Maximi, qui caput illius est, censurae iudicio, & correctioni subijciam libentissime.

FINIS OPEris nostri Christus est.

Atque vt postremus iste labor primo respondeat, & singula singulis connectantur, quemadmodum sub initium tomi primi, noster Hieronymus Pradus Sancta illa Cherubim accurate descripsit, eorumque facies & aspectus ad amussim, quasi penicillo, suisque coloribus ita ornauit, vt vitam illis dedisse visus sit: ita nunc quoque, absoluta hac postrema huius partis tractatione, licet finem dedisse videamur, aequum sit, & rationi consonum cum ijsdem Sanctis Cherubim, tum nostra, tum omnium vice, quantum in nobis situm est Deo Optimo Maximo gloriam, & gratias referre. Audiamus igitur attentius illa, quae die ac nocte non cessant, dicentia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est*. dantque *gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, & viuenti in saecula saeculorum*. Adiecta etiam à viginti quatuor Senioribus, qui etiam ipsi deponentes è capitibus coronas aureas, easque mittentes ante thronum clamant: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem.* quibus vocibus suas subscribit multitudo *Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum*: quorum numerus est, *millia millium dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*. Audiamus denique omnem *creaturam, quae in caelo est, & super terram, & sub terra, & quae sunt in mari, & quae in eo*, omnes audiamus, *dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in saecula saeculorum.*

Apocal. 4. ℣. 7. 8. & 9.

c. 5. ℣. 11. 12.

℣. 13. 14.

A M E N.

INDEX I. LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE QVI HAC SECVNDA SECVNDI TOMI PARTE,

vel omnino vel maxima ex parte explicantur: vel certe ex proximorum interpretatione illustrantur.

PRIOR NVMERVS PAGINAM INDICAT, postremus columnam, littera vero columnae partem.

TESTAMENTVM VETVS, EX GENESI.

EXODVS.

Praecipe

LIBER LEVITICVS.

LIBER NVMERI.

DEVTERONOMIVM.

REGVM III.

ostium

ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur. 368. B. & C. 1. Aulae Sanctae postes, & valuae. 331 B. 1.

3. Reg. C. 7. Et sculpsit Cherubim, & palmas, & caelaturas valde eminentes 311. B. 1.

℣. 35. Et aedificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. 428. E 2. Triplex contignatio 241. D 2 22. D 3.

C. ℣. 71. Domum autem suam aedificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit, &c. 431. D. 1. Domus Regia tredecim annis extructa fuit.

℣. 1. 2. 3. Aedificauit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis Maiestas & Symmestria domus saltus Libani. 561. C. 2.

℣. 2. Centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis. 433 E 1. Eiusdem mensurae.

℣. 3. 4. 5. Et tabulatis cedrinis vestiuit totam cameram, quae quadraginta quinque columnis sustentabatur, &c. 434 A. 2.

℣. 5. Et super columnas quadrangulata ligna in cunctis aequalia, 430 A. 1. Postes quadrati.

℣. 6. Et alteram porticum in facie maioris porticus: & columnas, & epistylia super columnas fecit. 370. A. 2.

℣. 9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam, atque mensuram tam intrinsecus, quàm extrinsecus serrati erant 234. D 1. Norma lapidum dolandorum nunc incognita. 557 E 2.

℣. 10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis octo siue decem cubitorum. Salomonis domus fundamenta. 33 B 6. 557 E 2.

℣. 12. Et atrium maius rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, & vnius ordinis de dolata cedro necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus. 201 B 2 22. D 2. 34. B 3 C 1 242. A. 1.

℣. 13. & 14. Misit quoque Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduae, de tribu Nepthali, patre Tyrio, &c. 462. A. 1. Operis exequutor Hiram.

℣. 15. Decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam. 423. C. 1. Columnarum altitudo.

℣. 17. & 18. Septena versuum retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altero. Et perfecit columnas, &c. 452. D. 1. Retiaculorum numerus.

℣. 17. Et quasi in modum retis, & catenarum sibi inuicem miro opere contextarum. 451 D. 2. Catenae in corona.

℣. 19. ℣. 20. Capitella autem, quae erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum, &c 454. E. 1 Perfecta capitelli forma. 451. C 2.

℣. 20. Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. 453. C. 1. Malogranatorum ornamenta.

℣. 21. Et statuit duas columnas in porticu templi. cumque statuisset columnam dextram, vocauit eam nomine Iachin similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz. 249 C. 2. In Templi porticu duae columnae.

℣. 22. Et super capita columnarum opus in modum lilij posuit, perfectumque est opus columnarum. 450. D. 2. & 455. B. 1 Triglyphi in aeneis columnis insculpti.

℣. 24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitus ambiens mare, &c. 458 A. 1 Mare aeneum.

A versu 27. vsque ad 39. explicantur *bases aeneae* 493. & sequentibus.

℣. 29. Et inter coronulas, & plectas, leones, & boues, & Cherubim 323 B. 1.

℣. 36. Sculpsit quoque in tabulatis illis, quae erant ex aere, & in angulis Cherubim, & leones, & palmas quasi in similitudinem hominis stantis, vt non caelata, sed apposita per circuitum viderentur 323 C. 1. Cherubini humana forma.

℣. 39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram. 229 D 1. Tot luteres quot bases.

℣. 41. Columnas duas, & funiculos capitellorum super capitella columnarum duos, & retiacula duo, &c 452. E. 2 Funiculi

℣. 42. Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis. 453. D 1. Retiacula capitellorum.

℣. 45. Omnia vasa, quae fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant 484 B 1. Vasa templi pretiosa.

Posuit Salomon omnia vasa propter multitudinem autem nimiam non erat pondus aeris 497 C. 1. vasa aenea innumera, eorumque pondus inaestimabile. ℣. 47.

Fecitque Salomon omnia vasa in Domo Domini altare aureum, & mensam, &c. 484. B. 1. Vasis nomine varia comprehenduntur. ℣. 48.

Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream, & candelabra aurea, &c. 333. D. 1 Altare aureum. 493. C 2. ℣. 48. & 49.

Et candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram contra oraculum ex auro puro. 449. C. 1. ℣. 50.

Et cardines ostiorum domus interioris Sancti Sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erant. 368. E. 1 Cardines Hebraeis pethoth. ℣. 50.

Conuenit ad Regem Salomonem vniuersus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus. 201. A. 2. Israel ad orandum Deum conuenit. 225. A. 1. Ordo in deferenda arca. C. 8. ℣. 2. et sequen.

In arca autem non erat aliud, nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb. 344. C. 1. Virgae Aaron non meminit historia Regum, cuius mentionem facit Sanctus Paulus. 292. A. 2. Tabulae in arca ℣. 9.

Factum est autem cum exissent Sacerdotes de Sanctuario nebula impleuit domum Domini. 494. C. 1. Maiestas Dei in Templo. ℣. 10. et 11.

Ergo ne putandum est, quòd vere Deus habitet super terram? Si enim caelum, & caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificaui? 244 E 2. Dignitas domus, in qua habitat Christus, inaestimabilis. 469 D. 1 Dei Maiestas indicatur. ℣. 27.

Aedificauerat Salomon duas domos, &c. Hiram Rege C. 9 ℣. 10. & 11.
Tyri praebente Salomoni ligna cedrina & abiegna
& aurum iuxta omne quod opus habebat. 509 E 1.

Misit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri. 509. E. 1. ℣. 14.

Haec est est summa expensarum, quam obtulit Rex Salomon ad aedificandum domum Domini, & domum suam & Mello, & murum Ierusalem, & Hesen & Magedo, & Gazer. 509. A. 2. Vectigalia Salomonis. ℣. 15.

De filijs autem Israel non constituit Salomon seruire quamquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes & duces, & praefecti curruum & equorum. 507. C. 2. 530 E 1. Hebraeorum libertas atque nobilitas. ℣. 22.

Classem quoque fecit Rex Salomon in Asion gaber quae est iuxta Ailath, in litore maris rubri, in terra Idumeae. 511. C 2. ℣. 26.

Misitque Hiram in classe illa seruos suos viros nauticos, & gnaros maris cum seruis Salomonis. 512. D. 2. & infra. Quantum auri afferrent classes. ℣. 27.

Sed & Regina Saba audita fama Salomonis in nomine C. 10. ℣. 1. & 2.
Domini venit tentare eum in aenigmatibus, & ingressa Hierusalem multo cum comitatu & diuitijs: camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas. 430 E 1 Regina Saba & eius donaria.

Videns autem Regina Saba omnem Sapientiam Salomonis, & domum, quam aedificauerat, &c 431. A. 2. Domus saltus Libani. ℣. 4 & 5.

Gemmae & ligna a classibus allata referuntur, atque laudantur. Versu vero 12. quid ex eis factum sit explicatur. Idemque 2 Paralip. 9. ℣. 10 & 11. continetur. ℣. 11.

Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri 513 E. 1 217. C 2 ℣. 14.

Excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant 507 E. 2. 508. C 1. ℣. 15.

Et omnes Reges Arabiae ducesque terrae. 508. E. 1. Vectigalia Salomonis. ℣. 15.

Fecit quoque Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, &c Et trecentas peltas ex auro probato, &c Ornamenta equitum Salomonis cum armorum aestimatione 526 B 2. ℣. 16. et 17.

Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem ℣. 17. et 18.
& vesti-

REGVM IIII.

PARALIPOMENON I.

pto continentur.

℣. 14. Centum millia talenta auri, argenti vero mille millia talentorum: aeris vero & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine. 179. E. 1. Ingentis molis ingens apparatus.

C. 26. ℣. 14. & 15. Cecidit ergo sors Orientalis Selemiae. Porro Zachariae filio eius, viro prudentissimo, & erudito, sortito obtigit plaga Septentrionalis. Obededom vero, & filijs eius ad Austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium. 218. E. 2.

℣. 16. Sephim, & Hosa ad Occidentem, iuxta portam, quae ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam. 219 B. 1.

℣. 18. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas. 220. E 2.

C. 27. ℣. 1. Filij autem Israel &c. ministrabant necessaria turmis quas ad Regem singulis mensibus mittebant. 530. B. 2.

℣. 23. Noluit Dauid numerare eos à viginti inferius: quia dixerat Dominus, vt multiplicaret Israel quasi stellas caeli 536. E. 1.

℣. 25. Super thesauros autem Regis fuit Azmoth filius Adiel: his autem thesauris qui erant in vrbibus & in vicis & in turribus praesidebat Ionathan. Thesauris Dauid Principes multi praefecti. 529. E. 1.

℣. 26 27. 28. 29. 30. & 31. Principes possessionum & substantiae Dauidis. 530. A. 1.

℣. 27. & 28. Cellis autem vinarijs praeerat Zabdias Aphonites. Super apothecas autem olei Ioas. Promptuarij Regis. 76. B. 1.

C. 28. ℣. 11. Dedit autem Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi &c. Templi effigies. 71 A. 1 et E. 1.

℣. 11. 12. & 13. Necnon & omnium quae cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, &c. 203. C. 2. Atriorum effigies denotatur. 73. B. B. 2.

℣. 15. Sed & in candelabra aurea & ad lucernas eorum aurum pro mensura vniuscuiusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum pro diuersitate mensurae pondus argenti tradidit. 498. E. 2.

℣. 17. Ad fuscinulas quoque, & phialas, & thuribula ex auro purissimo, & leunculos aureos pro qualitate mensurae, pondus distribuit in leunculum, & leunculum. Similiter & in leones argenteos diuersum argenti pondus separauit. Vasorum diuersitas. 500. C. 1.

℣. 18. Vt ex ipso fieret similitudo quadrigae Cherubim extendentium alas, & velantium arcam foederis Domini. 322. C. 2.

℣. 19. Haec enim omnia venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. 415. A. 2. Exemplar templi à Domino datum.

℣. 20. & 21. Dixit quoque Dauid Salomoni filio suo Viriliter age, & confortare, & fac ne timeas, & ne paucas. Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet donec perficias omne opus &c. 412. D 1. Templi aedificandi subsidia.

C. 29. ℣. 1. & 2. Locutusque est Dauid Rex ad omnem Ecclesiam Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum, & tenellum. &c. 413. A 1. Salomoni aedificatio Domus Domini relinquitur.

℣. 2. 3. 4. 5. Ego autem totis viribus meis praeparaui impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea & argentum in argentea &c Praeparationes Dauidis ad Templi extructionem. 591. E. 2.

℣. 5. Et si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit Domino. 413. B 1. Libertas.

℣. 7. & 8. Auri talenta quinque millia, ac solidos decem millia, argenti talenta decem millia. Semel sponte ad aedificium templi oblata. 510. E. 1.

℣. 9. Laetatusque est populus cum vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino. Deuota Deo oblatio ab Israel coram Dauide facta. 535. A. 1.

℣. 11. 12. 14. & 16. Tua est Domine magnificentia & potentia & gloria &c. Deuota Dauidis opum à Deo acceptarum restitutio. 535. A. & B. 2.

℣. 22. Vnxerunt secundo Salomonem filium Dauid. Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in Pontificem. 240 E. 2. Vna cum Rege vnctus Sacerdos.

℣. 28. Et mortuus est Dauid in senectute bona plenus dierum, & diuitijs & gloria. 506. C. 2.

PARALIPOMENON II.

TV enim me fecisti Regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, sicut puluis terrae. Hebraeorum numerus. 539. C 1. C. 1. ℣. 9.

Diuitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in Regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui. 593. D. 2. Promittuntur diuitiae Salomonis. ℣. 12.

Et numerauit septuaginta millia virorum &c. praepositosque eorum tria millia sexcentos. 463. E. 2. Prima operariorum deputatio. 463. E. 2. C. 2. ℣. 2.

Domus enim quam aedificare cupio magna est: magnus est enim Deus noster super omnes Deos. 503. C. 2 593. B. 1. Magnificentia Templi. ℣. 5. & 9.

Praeterea operarijs qui caesuri sunt ligna seruis tuis dabo tritici coros viginti millia &c Liberalitas Salomonis erga operarios Regis Tyriorum. ℣. 10.

Misi ergo tibi virum prudentem, & sapientissimum Hiram patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan &c. 461. E. 2. Hiram templi Salomonici fuit executor. ℣. 13. & 14.

Numerauit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti sunt centum quinquaginta millia. &c. 463. C. 1. & A. 2. Operariorum numerus. ℣. 17. & 18.

Et coepit Salomon aedificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusaei. 22. A 1. 161. A. 1. In monte Moria fuit domus Domini. C. 3. ℣. 1.

Et haec sunt fundamenta, quae iecit Salomon, vt aedificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis viginti. 265 A 1. ℣. 3.

Porticum vero ante frontem, quae tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat. 246 E. 2. Porticus altitudo. ℣. 4.

Fecit quoque domum Sancti Sanctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus cubitorum viginti: & latitudinem similiter viginti cubitorum. 164. B 2. Oraculi dimensurae. 267. B. 2. 307. E. 1. Vtraque pars templi domus dicitur. ℣. 8.

Sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent. 500. E. 2. ℣. 9.

Ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versae ad exteriorem domum. 323. C. 2. Erecti stabant Cherubim. ℣. 13.

Necnon & quasi catenulas in Oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum. 451. B 2. ℣. 16.

Malogranata etiam centum, quae catenulis interposuit. 453. C. 1. ℣. 16.

Ante fores etiam templi duas columnas &c. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, vnam à dextris, & alteram à sinistris: eam, quae erat à dextris vocauit Iachin, & quae ad laeuam, Booz 249. D. 2. ℣. 15. & 17.

Fecit quoque altare aeneum viginti cubitorum longitudinis & viginti cubitorum latitudinis & decem cubitorum altitudinis. 576. B 2. Altaris aenei mensurae. 594. E 1. C. 4. ℣. 1.

Similitudo quoque boum erat subter illud, & decem cubitis quaedam extrinsecus caelaturae quasi duobus versibus aluum maris circuibant. boues autem erant fusiles. 489 C. 1. Corollae & basis maris. ℣. 3. & 4.

Fecit quoque conchas decem & posuit quinque à dextris, & quinque à sinistris, vt lauarent in eis omnia quae in holocaustum oblaturi erant. 229. D. 1. Conchae & luteres idem. 493 B 1. ℣. 6.

Porro in mari Sacerdotes lauabantur. 476. A. 1. Vsus maris aenei D 1. ℣. 6.

Fecit autem & candelabra aurea decem, secundum speciem, qua iussa erant fieri & posuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris. Necnon & mensas decem. &c. Phialas quoque aureas centum. 353. D. 2. Ornamentorum templi magnificentia. ℣. 7. & 8.

Fecit etiam atrium Sacerdotum, & basilicam grandem. 102. D 1. ℣. 9.

Mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem. 475 B 2. Locus maris ℣. 10.

aenei

ESDRAE I.

raẽ cor Regis Assur ad eos, vt adiuuaret manus eorum. &c. Instauratio templi. 34 2 A.

C.8. ℣.25. Appendi vasa consecrata domus Dei nostri, quae obtulerat Rex.&c. Secundo vasa relata Ierosolymam.

℣.27. Crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos 500. E.1. ex 502.C.2. Solidus pro drachma.

℣.27. Et vasa aeris fulgentis optimi duo, pulchra vt aurum. 485 A.2. Materia vasorum templi.

LIBER NEHEMIAE QVI ESDRAS II. DICITVR.

C.3.℣.1. ET vsque ad turrim centum cubitorum sanctificauit eam, vsque ad turrim Hananeel. 310.B.1.

℣.8. Dimiserunt Ierusalem, vsque ad murum plateae latioris. 310.B.1. Vsque ad vsurpatio.

C.13. ℣.4.& 5. Qui fuerat praepositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiae. Fecit ergo sibi gazophylacium grande, &c. 23. B.2.

℣.12. et 13. Omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea. &c. quoniam fideles comprobati sunt. &c. Decimae. 23.B.1.

TOBIAS.

C.5.℣.6.&12. ℣.19. IGnorans quod Angelus Dei esset.&c. Videbat quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili & potu vtor. Cibus Angelorum spiritualis. 13.C.2.

C.12.℣.20. Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia eius. 227.A.1.

ESTHER.

C.1.℣.5.6.& 7. OMnem populum qui inuentus est in Susam à maximo vsque ad minimum, & iussit septem diebus conuiuium praeparari &c. Assueri Persarum Regis palatium describitur. 557.C 2.

C.2.℣.12. Cum venisset tempus singularum per ordinem puellarum. 362.E.2.

℣.17. Et posuit diadema regni in capite eius. 427.B 2. Cether diadema.

C.3.℣.9. Decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazae tuae.&c. Odium Aman in Mardochaeum. 71 E.2.

C.6.℣.8. Et accipere regium diadema super caput suum. 427. B 2. Honor regius.

C.10.℣.1. Assuetus omnem terram & cunctas maris insulas fecit tributarias, & regnauit ab India vsque ad Aethiopiam super centum viginti septem prouincias. 516.C.1.

IOB.

C.1.℣.21. DOminus dedit Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum. Benedictio vel gratiarum actio. 537.D.1.

C.5.℣.7. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. 215. B 1. Et, pro sicut.

C.6.℣.2. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui.&c. 409. A.2. Confidentia iusti.

℣.29. Respondete, obsecro, absque contentione, & loquentes id quod iustum est, iudicate. Iudicium attentum. 65.C.1.

C.10.℣.8. Manus tuae fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. 461.C.2. Manus attentam animi cogitationem denotant.

C.11.℣.8.&9. Excelsior caelo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari. 179 C 1 Infinitus Deus.

C.18 ℣.13. Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius. 302 C.1.

C.36.℣.16. Igitur saluabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter se. requies autem mensae tuae erit plena pinguedine. 294 A.1. Non habens fundamentum abyssus.

C.38.℣.31. Numquid coniungere valebis micantes stellas Pleiades? 383 B 2. Naturae ordo à solo Deo coaptatur.

C.41 ℣.7. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. 182.C 2. Vna alteri.

LIBER PSALMORVM.

Ps.1 ℣.1. BEatus vir qui non abijt in consilio impiorum. Hoc est, qui non est sequutus improborum consilia. 356. E. 1.

Lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. &c. 480. D.2. Iustus fructificat. ℣.3.

Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in Domino. 323.C.1. Coniunctio, &, pro, idest, Ps.4 ℣.6.

Dominus in templo sancto suo. Dominus in caelo sedes eius. 565 E. 2. Caelum dicitur templum. Ps.10.℣.5.

Iustus Dominus, & iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius. Benignitas Dei erga iustos. 567.D 2. ℣.8.

Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, 277.E.1. Ps.11.℣.1.

In circuitu impij ambulant. 202 A.1. ℣.9.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris. etenim hereditas mea praeclara est mihi. 166. B 1. Funibus Hebraei agros metiebantur. Ps.15 ℣.8.

Adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam. 262.C.2. Impiorum prosperitas in superbiam corruit. Ps.16.℣.10.

Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam, & sicut catulus leonis habitans in abditis. 327.C.1. Qui fame cogitur praedam inquirere, ferocius eam persequitur. ℣.12.

Eripe animam meam ab impio: frameam tuam ab inimicis manus tuae. 158.C.1. Manus, idest potentia, virtus, robur. ℣.13.

Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos. 465.C 2. Ps.17.℣.42.

In omnem terram exiuit sonus eorum. 185.C.1. Sonus, aedificantium Ecclesiam regula. Ps.18.℣.6.

In sole posuit tabernaculum suum. 152. A. 1. Hypallage. ℣ 5.

Tauri pingues obsederunt me. 427.A.2. Hebraei tauri pingues. Ps.21.℣.13.

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. 340.B.2. Mensa delicijs affluens Eucharistia. Ps.22 ℣.5.

Ipse super maria fundauit eam. &c. Terram. 27 A.1. Ps.23.℣.2.

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales, & introibit Rex gloriae. 279.D.1. Christus de inferis triumphat. ℣.9.

Et misericordiarum tuarum, quae à saeculo sunt. Idest aeternae. 269 D.1. Ps.24 ℣.6.

Dilexi decorem domus tuae, & locum habitationis gloriae tuae. 583 A.1. Gloria Israel arca testamenti 416.D.2. Res sacrae delectant. Ps.25.℣.8.

Vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius. 257.A.2. Templum Domini voluptas. 36.B.1. 413.A.2. Ps.26 ℣.4.

Verbo Domini caeli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. 208. D 2. Rerum omnium creator Deus. Ps.32.℣.6.

Quoniam dolose egit in conspectu eius. vt inueniatur iniquitas eius ad odium. 572. E. 2. Deo displicet impius. Ps.35.℣.3.

Homines, & iumenta saluabis Domine. 179 D.2. Iniqui iumenta vocantur. ℣.8.

Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. 191.E.2. Bonae arboris fructus boni. Ps.36.℣.30.

Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescet ignis. 313.E 2. Cor irae sedes. Ps.38.℣.4.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos 179 B.1. Breues. ℣.6.

Sitiuit anima mea ad Drum fortem viuum. 189. B. 1. Fortitudo per antonomasiam Deo tribuitur. Ps.41.℣.3.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. 366.D.1. Iusti amator Deus, iniqui osor. Ps.44.℣.8.

Omnis gloria eius, filiae Regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. 261.B.2. Interior Sanctuarij aula fascijs aureis vestita. ℣.14.

Fundatur exultatione vniuersae terrae, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni. 465. E. 2. Templum 505 E.2. Deus magnus Ps.47 ℣ 3.

Et homo cum in honore esset, non intellexit comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. 179.E.2. Iniqui tamquam pecudes. Ps.48.℣.13.

Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Et dominabuntur eorum &c. 416 A 1. Coarctate. ℣ 15.& 16

Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. 475. D. 1. Salutare Christus.

Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. 170.B 1. Vani pauperes, mendaces diuites. Ps.61 ℣ 10

Diui-

PROVERBIA SALOMONIS.

Beatus

℣. 34. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. 329. D. 1. Felix qui Sapientiae vocem audit.

C. 9. ℣. 2. Immolauit victimas suas sapientia. 212 D 1.

C. 9. ℣. 12. Si sapiens fueris, sapiens tibimetipsi eris: si autem illusor, tibi portabis malum Sapientia vtilis, malitia perniciosa. 45 A 2.

C. 10. ℣. 18. Abscondunt odium labia mendacia. qui profert contumeliam, insipiens est. 305. A. 2. Calumnia in calumniatorem.

C. 11. ℣. 13. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum. 305. B. 2.

C. 14. ℣. 4. Vbi non sunt boues, praesepe vacuum est: vbi autem plurimae segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis. 314. E. 1.

C. 15. ℣. 6. 7. 8. Domus iusti, plurima fortitudo: & in fructibus impij conturbatio. Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile. 314. A. 1. Fructus pro operibus.

C. 16. ℣. 33. Sortes mittuntur in sinum. 389. A. 2.

C. 17. ℣. 4. Malus obedit linguae iniquae, & fallax obtemperat labijs mendacibus 169. E. 2.

℣. 9. Qui celat delictum, quaerit amicitias. 305. B. 2.

℣. 19. Qui exaltat ostium suum quaerit ruinam. 191. D. 2. Ostium pro tota domo.

C. 18. ℣. 16. Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei faciet. 263. B. 2. Munera viam sternunt.

C. 20. ℣. 10. Pondus & pondus, mensura & mensura vtrumque est abominabile apud Dominum. 170. D. 1. Iniquum iudicium.

C. 21. ℣. 30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. 304 E. 1.

C. 25. ℣. 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. 453. B. 2. Decorum.

℣. 21. 22. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit da ei aquam bibere. prunas enim congregabis super caput eius 500. A. 1. Benefacere inimicis.

℣. 24. Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa. 477. E 1. Mala mulier graue malum.

℣. 25. Aqua frigida animae sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. 215. A. 1. &, comparatiua. 446 C. 1.

C. 27. ℣. 3. Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior est. 409. B. 2. Intolerabilis.

℣. 17. Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui. 326. E. 1. Facies mores significat.

C. 28. ℣. 5. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. 353. A. 2. Malorum & bonorum cogitationes variae.

℣. 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. 305. C. 2. Peccatorum confessio.

C. 31. ℣. 30. Fallax gratia, & vana est pulchritudo. 170. B. 1. Res humanae vanae.

ECCLESIASTES.

C. 1. ℣. 6. SOl oritur, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem 470 A. 1. Solis cursus.

C. 2. ℣. 4. & 8. Magnificaui opera mea. &c. Coaceruaui mihi argentum & aurum, & substantias regum & prouinciarum. 515. E. 2. 505. B 1.

C. 5. ℣. 15. Miserabilis prorsus infirmitas. quomodo venit, sic reuertetur 208 C. 2. Rerum vicissitudo.

C. 12. ℣. 9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum. 169. D. 2.

CANTICVM CANTICORVM.

C. 1. ℣. 3. OLeum effusum nomen tuum. 366. E. 1. Nomen Christi odoris eximij.

℣. 9. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea. Ecclesiae pulchritudo. 528. C. 2.

℣. 16. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. lectulus noster floridus. 454. C 1.

C. 2. ℣. 1. Ego flos campi, & lilium conuallium. 454. B. 1. Sanctitas Christi & pulchritudo

℣ 5. Stipate me malis, quia amore langueo. 453 B. 2. Mala aurea.

℣ 8. & 9. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos 198. E. 2. Fenestrae, cancelli eadem.

Sicut turris Dauid collum tuum, &c. 483. C. 2. C. 4. ℣ 4.
Ecclesia.

Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum C. 6. ℣. 3.
acies ordinata. 471. D. 1. Ecclesiae pulchritudo.

Terribilis vt castrorum acies ordinata. Firmitas. ℣. 3.
528. E. 2.

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia C. 7. ℣. 1.
principis. 275. B. 1. Pulchri gressus in Deum tendentes.

Si murus est, aedificemus super eam propugnacula ar- C. 8. ℣. 9.
gentea. 163 A. 1. Fortis sapientia.

LIBER SAPIENTIAE.

DEus patrum meorum, & Domine misericordiae, C. 9 ℣. 1. 2. 7.
qui fecisti omnia verbo tuo. &c. Da mihi sedium & 8.
tuarum assistricem sapientiam. &c. Tu elegisti me Regem. &c Et dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo. &c Imaginem tabernaculi tui quod praeparasti ab initio. &c. 465. C. D. 1. Et deinceps fuse explicatur.

Nam nubes castra eorum obumbrabat. 249. A. 2. C. 19 ℣. 7.

ECCLESIASTICVS.

SI videris sensatum euigila ad eum, & gradus ostio- C. 6. ℣. 36.
rum illius exterat pes tuus 329. C. 2.

Cibabit illum pane vitae, & intellectus & aqua sapien- C. 15. ℣. 3.
tiae salutaris potabit illum. Cibus & potus animae 24. D. 2.

Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quae vtilitas C. 20. ℣. 32.
in vtrisque. Rerum vtilitas in vsu est. 2. C. 2.

Gyrum caeli circuiui sola, & profundum abyssi pe- C. 24. ℣. 8. 9.
netraui, &c. 211. D 2. Vbi requiescat quaerit sa- & 10.
pientia.

Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata ℣. 15.
similiter requieui. &c. 211. E. 2 Requies sapientiae charissima.

Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortis- ℣. 54.
simum. 212. A. 1. Quippe sapiens Rex fortissimus Salomon.

Sicut Sol Oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris C. 26. ℣. 21.
bonae species in ornamentum domus eius. Lucer- & 22.
na splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super aetatem stabilem. 359. C. 2. Pulchritudo laudata.

Sol in aspectu, annuncians in exitu, vas admirabile, C. 43. ℣. 2.
opus excelsi 484. C. 1. & A. 2. Solis pulchritudo admirabilis.

Vas castrorum in excelsis, in firmamento caeli re- ℣. 9.
splendens gloriose, &c. 484. B. 2. Copiae militares vasa vocantur.

Et replesti in comparationibus aenigmata, & ad Insu- C. 47. ℣. 17.
las longe diuulgatum est nomen tuum. Fama Salomonis. 525. C. 2.

Ezechiel qui vidit conspectum gloriae, quam ostendit C. 46. ℣. 10.
illi in curru Cherubim, 15. D. 2. Ezechielis laus

ISAIAS.

COnfundentur ab idolis, quibus sacrificauerunt. C. 1. ℣. 29.
289 C. 1.

Et erit in nouissimis diebus praeparatus mons domus C. 2. ℣. 2.
Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, &c. Ecclesia catholica. 26 E. 2.

Ecce enim Dominus exercituum auferet, à Ierusalem, C. 3. ℣. 1. & 3.
& à Iuda validum, & fortem. &c. 46. B 2.

Peccatum suum quasi Sodoma praedicauerunt, nec ℣. 9.
absconderunt. 171 E 2 Praedicare, palam facere.

Et maerebunt, atque lugebunt portae eius, & desolata ℣. 26.
in terra sedebit. 268. E. 1 Hierosolymae ruina.

Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos. Spon- C. 4. ℣. 1.
si nomen sponsa inuocat. 324 E. 2.

Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. 511. D. 2. C. 5. ℣. 1.
Vbertas Palaestinae.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & C. 6. ℣. 1.
eleuatum Dei maiestas. 11. B 1.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, ℣. 3.
plena est omnis terra gloria eius. 322 A. 1. Gloria Domini implet orbem. 312. A. 2. Voces Seraphim.

IEREMIAS.

Et re-

℣. 22. Et retiacula, & malogranata super coronam in circuitu. 451. E 1. Corona quae.

℣. 23. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia, & omnia malogranata centum retiaculis circundabantur. 451. E. 1.

℣. 29. In anno octauo decimo Nabuchodonosor, animas octingentas triginta duas. 153. D. 1.

THRENI IEREMIAE.

C. 1. ℣. 1. PRinceps prouinciarum facta est sub tributo. 507. B. 2.

℣. 12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus. quoniam vindemiauit me. 155. D. 2. Vineae confertur.

C. 2. ℣. 8. Cogitauit Dominus dissipare murum filiae Sion; tetendit funiculum suum 166. D. 1. Non destruit Deus sine funiculo & mensura.

C. 3. ℣. 43. & 44. Operuisti in furore, & percussisti nos. &c. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. 305. D. 2. Impietatis nubes.

℣. 49. & 50. Oculus meus afflictus est, nec tacuit: eo quòd non esset requies, donec respiceret, & videret Dominus de caelis. 309. E. 1. Nulla nisi à Deo requies.

C. 4. ℣. 1. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij. 584. A. 2. Iudaeorum miseria.

BARVCH.

C. 3. ℣. 34. STellae autem dederunt lumen in custodijs suis, & laetatae sunt. 239. E. 1.

C. 6. ℣. 20. Nigrae fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit. 384. A. 1. Marmoreae imagines fumo nigrescunt.

EZECHIEL.

C. 1. ℣. 4. ET vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens. Dei apparitio. 13. C. 1.

℣. 9. & 10. Et in medio eius similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis in eis. quatuor facies vni, &c. 319. D. 2. 456. D. & E. 2. Eadem cum Apocalypsis animalibus.

C. 3. ℣. 12. & 13. Et assumpsit me spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnae. Benedicta gloria Domini de loco suo. &c. 321. A. 2. Gloria Domini, Arca. 595. A. 2.

C. 8. ℣. 16. Et introduxit me in atrium domus Domini interius & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare. 243. C. 2. 22. E. 1. A. 2.

℣. 16. Et ecce viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis. 396. A. 2. Ad Occidentem spectare oportuit Sacerdotes sacrificantes. 71. B. 1.

C. 10. ℣. 4. Et eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus: & repleta est domus nube. 173. C. 1. Domus pro templo.

℣. 14. Quatuor autem facies habebat vnum. facies vna, facies Cherub, & facies secunda, facies hominis & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilae.

℣. 19. & 20. Et gloria Israel erat super ea. Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Chobar. 311. D. 2.

C. 13. ℣. 10. Ipse aedificabat parietem, illi autem liniebant luto absque paleis. Maceria. 20. C. 1.

C. 16. ℣. 18. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria & operuisti illas. 305. D. 2. Imagines.

℣. 24. Et aedificasti tibi lupanar. 439. A 1.

C. 20. ℣. 29. & 31. Et vocatum est nomen eius Excelsum vsque ad hanc diem. Vos polluimini in omnibus idolis vestris vsque hodie. 309 A. 2.

℣. 46. & 47. Fili hominis pone faciem tuam contra viam Austri, & stilla ad Aphricum, & propheta ad saltum agri Meridiani. &c. Nunquid non per parabolas loquitur iste 13. C. 1. 431. D. 2.

C. 29. ℣. 21. Et tibi dabo apertum os in medio eorum, & scient quia ego Dominus 229. A. 2.

C. 33. ℣. 30. Filij populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, & in ostijs domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum suum. 217 C. 2. Vnus ad alterum distribuitur.

C. 40. ℣. 1. Facta est super me manus Domini. 15. C. 2.

℣. 2. In visionibus Dei. Ostenditur templum. 21. C. 1.

Et dimisit me super montem excelsum nimis. super quem erat quasi aedificium ciuitatis vergentis ad Austrum. Templum. 16. D. 2. & 17. A. 2. ℣. 2.

Fenestrae autem eius, & vestibulum, & sculpturae secundum mensuram portae, quae respiciebat ad Orientem 188. B. 1. Mensura mensurae respondet. ℣. 22. & 24.

Et introduxit me in templum. &c. Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum ante faciem templi. &c. Sanctum Sanctorum. 24. D. 1. C. 41. ℣. 1. & 4.

Introgressus intrinsecus. &c. Dixit ad me, hoc est Sanctum Sanctorum. 16. D 1. ℣. 3. & 4.

Et erat interior domus in lateribus domus. 72 C. 1. ℣. 9.

Et caelata erant in ipsis ostijs templi Cherubim, & sculptura palmarum, sicut in parietibus quoque expressae erant. &c. 450. A. 1. ℣. 25.

Quamobrem & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus. 446 A. 1. 447. E. 2. ℣. 25.

Vbi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus, quae ex illis eminebant. &c. Tristega enim erant, & non habebant columnas, &c. Atria qualia fuerint 22. E. 2. & 23. A. 1. 430. C. 1. Tres ordines. C. 42. ℣. 5. & 6.

Scalas suis locis collocat propheta. 83. E. 2. ℣. 9.

Haec sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur Sacerdotes. &c. Ibi ponent Sancta Sanctorum. Carnes Sanctae sunt partis Sacerdotalis. 210. C. 1. ℣. 13.

Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portae, quae respicit ad viam Orientalem. 34. B. 2. ℣. 15.

Longitudo & latitudo periboli dimensa est. 82. B. 1. 174. A. 2. Calamo metitur Angelus. ℣. 16. & seq.

Per quatuor ventos mensus est murum eius vndique per circuitum, &c. 23. D. 2. 228. A. 2. 86. D. 1. ℣. 20.

Et duxit me ad portam, quae respiciebat ad viam Orientalem. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem. 321. E. 2. Gloria Dei quae. C. 43. ℣. 1. & 2.

Et vidi visionem secundum speciem, quam videram, quando venit vt disperderet ciuitatem. 321. D. 2. ℣. 3.

Et eleuauit me spiritus, & introduxit me in atrium interius & ecce repleta erat gloria Domini Domus. 13. B. 1. 409. A. 1. Gloria templo datur. ℣. 5.

Non pollubent vltra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi & Reges eorum in fornicationibus suis. &c. Qui fabricati sunt limen. &c. Causae excidij templi. 32. D. 1. 151. A. 2. ℣. 7. & 8.

Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum. &c. Figuram domus, & fabricae eius exitus & introitus, & omnem descriptionem eius &c. Archetypum 18. E. 1. & 19 E. 1. & 21. B. 1. 13. B. 1. 66. E. 1. 32. C. 1. 38 C. 1. 415. B. 2. 21. B. 1. Sine imaginibus non intelligitur Ezechiel. 151. B 2. ℣. 10. & 11.

Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis eius in circuitu, Sanctum Sanctorum est 173. E. 2. ℣. 12.

Istae autem mensurae altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum. 175. A. 2. ℣. 13.

Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum, vt offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis &c. Sacrificium 37. A 1 33. B. 1. ℣. 18. & 19.

Et assumens de sanguine eius pones super quatuor cornua eius, & super quatuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu, & mundabis illud, & expiabis. 402. E 2. Expiationis ritus. 393. E. 1. ℣. 20.

Porta haec clausa erit non aperietur, & vir non transibit per eam Virgo mater. 13. C. 1. C. 44. ℣. 2.

Et adduxit me per viam portae Aquilonis in conspectu domus & vidi, & ecce impleuit gloria Domini domum Domini. 409. A. 1. 15. E. 2. Gloria saepe templo datur. ℣. 4.

Omnis alienigena, & incircumcisus corde, & incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum. &c. Obseruantia locis sacris debita. 37 A. 1. ℣. 9. & 10.

Sacerdotes autem, & Leuitae filij Sadoch, qui custodierunt caeremonias sanctuarij mei, &c. 37. A. 1. ℣. 15.

Cumque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur, nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrij interioris, & intrinsecus. 222 E. 2. ℣. 17.

Et primitiua ciborum vestrorum dabitis Sacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuae 161. B 2. ℣. 30.

Cumque coeperitis terram diuidere sortito separate primitias Domino 37 B. 1. C. 45. ℣. 1.

Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos quadratiam per circuitum, &c. 23. E. 2. ℣. 2.

Quis

MACHABAEORVM I.

MACHABAEORVM II.

NOVVM TESTAMENTVM.
SANCTVS MATTHAEVS.

S. MARCVS.

S. LVCAS.

AD

INDEX II.

PHRASIVM SACRAE SCRIPTVRAE QVAE PRO LOCORVM OPPORTVNITATE PASSIM PERTRACTANTVR, SACRAE SCRIPTVRAE STVDIOSIS PERVTILIS.

SVNT ET IN EO HEBRAICAE VOCES NONNVLLAE, EX QVARVM notione phrases etiam illustrantur, cuiusmodi voces, ne dubium Lectorem tenerent, * Asterisco notauimus.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, POSTREMVS columnam, littera vero columnae partem indicat.

A

B

C

* Caph

D

E

F

Tauri

INDEX III. VERBORVM ET RERVM.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, POSTREMVS columnam, littera vero columnae partem indicat.

An pl'u-

Boui

Con-

Damna

D

Dispositi

Ecclesiae

Ezechiel

F

Fora-

G

H

I

Inter

Lumina,

N

Nihil

Ostia

Perspe-

Q

Quan-

T

Trigin-

V

Visio

Z

INDEX IIII.

INDEX IIII.

EARVM VOCVM QVAE EX ARCHITECTVRAE vsu in hanc secundam secundi tomi partem translata sunt.

LATINAE VOCES.	HISPANICAE.	ITALICAE.
A		
ACroteriae, arulae in summo fastigio collocatae, quibus consistunt statuae, aut alia ornamenta.	*Remmates del edificio.*	*Piedestalli ouero Acroterio.*
Adytum secretum templi pars, ad quam nulli patet aditus.	*La parte interior del temple.*	*La parte interiore del tempio.*
Aestuaria, spiramenta, & veluti nares, per quas grauis spiritus relaxetur.	*Canales, o respiraderos.*	*Canali da respirare.*
Ancones, siue Prothyrides ad latera portae exculpuntur, supercilium, aut coronam sustinentes.	*Medallones a los lados de la puerta.*	*Mensole, o cartelle alli fianchi della porta.*
Antae, pilae parieti insertae aliquota latitudinis parte a muro extantes. Quadratas columnas vocant Grammatici.	*Pilastras.*	*Pilastri.*
Antepagmenta, lapides vtrumque ostij latus munientes.	*Las Iambas.*	*Pilastrate della porta, ouero erte.*
Anterides sunt pilae muris obnitentes.	*Estribos.*	*Speroni, contraforti.*
Areostylos, rarius quam oportet inter se diductis columnis.	*Quando el intercolunio es mas largo de lo que conuiene.*	*Che ha l'intercolonnio troppo largo.*
Astragali pro torulis vsurpantur tum in summa columna tum vero in media basi	*Bocelor pequeños astragalos.*	*Tondini.*
Axes, siue Asses, sunt sectiles tabulae ligneae unde coaxatio, & coassatio.	*Tablas de madera, Tablado.*	*Tauole di legno Tauolato.*
B		
BAsis, in vniuersum cuiuslibet rei fulcimentum significat: sed frequenter pro columnae fulcimento, & velut pede. Eius formam vide pag. 42r.	*Basa.*	*Base.*
C		
CAmera:	*Boueda.*	*Volta.*
Cauaedium, Cauum aedium, locus sub dio porticibus cinctus.	*Patio.*	*Cortile.*
Cauliculus, diminutiuum Caulis, hic conuoluitur in summis angulis capitelli.	*Cogollo. Caulículo.*	*Il gambo del'herba piu tenero.*
Canterij oblonga tecti ligna a culmine ad extremum tectum descendentia.	*Las tiseras del tejado.*	*I trauicelli che appoggiano sopra il colmello & sopra il muro.*
Capitellum, quasi columnae caput. Nostre formam habes pag. 42.	*Capitel.*	*Capitello*
Cerostrotum opus, tessellatum cornea materia.	*Taraceas de marfil*	*Commessi di corno, o d'auorio.*
Columen, trabs per longum extensa in summo tecto, cui omnia tecti ligna innituntur, vt minores pisces spinae maximae.	*Lauiga que sustenta el cauallete del tejado.*	*Colmello.*
Concamerare.	*Cubrir de boueda.*	*Coprere à volta.*
Corona, Coronicis fascia.	*La corona.*	*Gocciolatoio.*
Coronamenta pro trabeationibus vsurpantur.	*Toda la corniça con su Architrabe y friso.*	*La cornice tutta intiera.*
Coronix, pars summa aedificij quasi perficiens, & ornans	*Corniça.*	*Cornice.*
Corsa est quaedam epistylij, vel antepagmentorum veluti fascia	*Faxa.*	*Fascia.*
Cremachra, in vniuersum quodcumque conceptaculum suspensum significat.	*Qualquiera lugar, que esta colgado para guardar alguna cosa, o secar fruta*	*Luogo sospeso per conseruare, o seccare i frutti.*
Crepidines, basium plinthos significant.	*Los plintos*	*Zoccoli delle basi.*
Crepido, rei cuiusque extrema ora, vsurpatur autem pro basi altaris.	*Termino, orlo de alguna cosa*	*Il termine, o finimento, o sponda.*
Crusta, vnde Crustati parietes dicuntur, hoc est, crusta tecti.	*Corteza. Pared encalada, o entablada*	*Scorza, Muro incollato, o coperto di tauole*
Cryptoporticus vel Hypogaea sunt subterranea aedificia, fornicata	*Soterraños.*	*Cantine, Volte sottoterra.*
Cunei dicuntur lapides, quibus arcus constant a forma sic dicti.	*Las buñas del arco.*	*Bugne.*
Cymatium ornamenti genus de quo nos. Pag. 236. B C.	*Talon.*	*Gola riuersa, o cimasa.*
Cythropodes.	*Olla con pies.*	*Pignatta con piedi.*
D		
DIastylos trium columnarum intercolumnio.	*Quando el intercolunio es de tres colunas.*	*Che hà l'intercolonnio di tre colonne.*
E		
EChinus, lineamento rotundae lanci non absimilis est. Multo tamen magis voce & forma similis est marino erico	*Media bocel.*	*Vuouolo.*
Epistilium. Trabs est capitellis columnarum superimposita, vnde nomen accepit. Eius forma ostenditur p. 42	*Architrabe.*	*Architraue.*
Epistilium portae	*Dintel*	*Il ciglio della porta.*
Ereismae, eaedem quae anterides pilae muris obnitentes.	*Estriuos.*	*Contraforti speroni.*
Ethecae vox Hebraea, postes significat, aut porticus postibus fultas	*Pilarer, o portaler sobre pilarer.*	*Pilastri, o portici sopra le pilastri*
Eustylos, interuallorum iusta distributione, duarum columnarum & quartae partis.	*Quando el intercolumnio es de dos columnas y vn quarto.*	*Che ha gl'intercolonnij di due colonne, et vn quarto.*
Exhedra locus ad consedendum.	*Aposento.*	*Stanza.*
Exemplar operis.	*Modelo.*	*Modello.*
F		
FAstigium.	*Frontispicio.*	*Frontispicio.*
Fibulae. Ferramenta quibus ligna coniunguntur.	*Lañas de hierro.*	*Fibbie.*
Forma operis.	*Modelo*	*Modello.*
Fornicatum opus.	*Cubierta con bouedas.*	*Fatto à volta.*
Fornicatus partes.	*Abierto con arcos*	*Fatto con archi.*
Fornix in vniuersum, cameram significat, aut arcum, propriae quoddam genus camerae	*Boueda, o arco.*	*Volta o arco.*
Frontes, semicolumnae.	*Medias colunnas, o pilastras.*	*Meze colonne.*
G		
GAzophylacia. Loca illa significant in quibus gazae, aut opes asseruantur	*El arca o estancia donde se guardan las riquezas*	*Cassa, ò camera doue si conseruano le cose pretiose*
Glyphides. Sculpturae, aut concauitates	*Scultura*	*Scultura.*
Gradum retractiones.	*Las Huellas.*	*La faccia delli gradi.*
Gradum crassitudines.	*Peralter.*	*L'altezza delli scalini.*
H		
HEmisphaerium, est camerae genus a forma sic dictum.	*Boueda de horno*	*Cuppola.*
Hexastylos, sex columnarum	*De seis colunas*	*Di sei colonne.*
Hyalosthroum, opus.	*Mosaico*	*Musaico.*
Hyperthyron.	*El friso sobre la puerta.*	*Il fregio sopra l'architraue della porta*
Hypogaea, sunt subterranea aedificia fornicata.	*Soterraños.*	*Cantine, o volte sotto terra*
Hypotrachelium, subrotunda pars columnae aut capituli. Columnae vero summum Hypotrachelion dicitur illa pars, qua contractura terminatur mox in apophygim dilatanda.	*El cuello de la coluna, o capitel*	*Il collo della colonna, o del capitello.*
I		
IChnographia, vestigium.	*La planta.*	*La pianta.*
Ideae aedificij	*Las traças.*	*I disegni*
Imagines, figurae	*Las traças.*	*I disegni.*
Impages, a pangendo dictae, quod valuas veluti compingant, ac figant, transuersarij asseres.	*Las trauersas de la puerta.*	*Le trauerse della porta*

Imus

Imus scapus.	La parte inferior de la coluna.	La parte inferiore della colonna.
Incumbae, sunt pilae quibus arcus incumbunt.	Impostas.	Li pilastri sotto a i archi.
Intestinum opus, quod lignis constat.	Obra de madera	Cosa fatta di legname.

L

Lacunaria, propter contignationum sunt excauatae lacunae pro ipsa contignatione [illegible]	Artesones o alteabodemadera.	I soffitti, con li riquadramenti.
Laquearia Pars imae contignationis, idem quod lacunaria.	Caquegarisso	Il soffitto.
Latera Pilae sunt, aut cubicula a lateribus domus.	Pilastras, o camaras a los lados del edificio.	Contraforti, o camere da i fianchi.
Limbus extrema pars.	El borde.	Lembo. Lembo, la sponda.
Loculamenta Sigillorum, siue imaginum in parietibus loca.	Nichos.	Nicchi.
Lorica est quoddam veluti sepimentum aut peribolus a similitudine vsus & formae loricae militum forsassis sic dicta.	Antepecho.	Parapetto.
Lauer vasis genus ad lauandum comparatus	Bacia para lauar.	Conca da lauare

M

Meandes Ornamenti genus conuolutum, quod fluuium sic dictum imitetur.	Vna labor a caracolo a remolvnos	Lauoro à chiocciola
Melathrum idem quod Epistylium.	Architrabe	Architraue.
Metopae quadrata spatia intertriglyphos.	Metopas.	Metope
Modulus mensura est cuique aedificio propria qua omnes partes sunt dimetiendae.	Modulo Medida propria y vniuersal	Modulo propria misura di tutte le parte
Mutuli	Modillones.	Modiglione.

O

Oboli ornamenti genus, quo viuus Echinus solet incidi, a forma sic dicti.	Oboli	Oboli
Octastyles, octo columnarum.	De ocho colunas.	Di otto colonne
Oeci magni.	Salas grandes	Sale grandi
Orthographia est erecta frontis imago exterior vel interior.	La fachada. El perfil	L'alzato La facciata. Il profilo.
Ossa aedificij dicuntur ea, quae solidiorem exigunt structuram, vt pilae, anguli, &c.	Las esquinas y pilares del edificio.	Le cantonate & pilastri.

P

Parastata.	Pilar.	Pilastro.
Pastophoria Thalami sunt.	Aposentos.	Camere
Per bolus	Antepecho	Parapetto.
Peristyla, loca sunt columnis, clausa & vndique septa	Patio con colunas	Cortile colonnato
Pessuli	Cerrojo o aldaua	Catenacci
Pycnostylos Crebris columnis, vnius & dimidiatae columnae habens intercolumnium.	Quando las colunas distan por vn diametro y medio dela misma coluna.	Quando l'intercolunnio è d'vna colonna & meza
Pilam quadratam columnam liceret appellare.	Pilar, o Pilastra.	Vn pilastro.
Plinthus Plinthides, vel Plinthi. Pars basis ima, quadratum laterem vt forma ita Graeco nomine referens eius formam vide pag. 421	Plinto dela basa.	Plinto della base detto zocco, o lastro.
Podium Perpetuum aedificium cui insistunt columnae	Podio.	Basamento.
Proiecturae, in vniuersum appellantur partes illae vel ornamenta, quae a perpendiculo proijciuntur sic specialiter proiecturae dicuntur partes basium quae scapum superant Ecphorae appellantur a Vitruuio	Resalto.	La proiettura della sporto.
Prochycides siue ancones	Modillones.	Mensule, o cartelle.

Q

Quadra, Regula Ornamenti genus, quo omnia coronam, basium ac reliquarum partium ornamenta diuiduntur, vt vides Pag. 421	Filete.	Filetto listello.

R

Regula, Quadra, frequens est in omnibus ornamentis earumque quae vna re quasi omnia diuidat	Filete	Listello Filetto.
Rhombus figura quatuor paribus lateribus constans, angulis tantum oppositis aequalibus	Obra hecha à modo de rumgador.	Opera fatta à mandolo

S

Scapi Cardinales asseres sunt maximi quibus valuae cardines insitae	Los maderos mas largos dela puerta	I trauuelli della porta.
Scapus dicitur ipsum columnae corpus, quod inter capitellum & basim interiacet, & proprie de teretibus dicitur	El cuerpo dela coluna.	Il corpo de la colonna. Il fusto
Scenographia.	La perspectiua del edificio.	Lo edificio con prospettiue
Scotia Graecis Trochilus dicta, duplicem licet videre in basi pag. 421	Scotia	Cauetto Contrabozel
Sima ornamenti genus super coronam.	Papo de paloma.	Gola diretta
Sistylos duarum columnarum in intercolumnio.	Quando el intercolunio es de dos columnas	L'intercolunnio è di due colonne
Spirae bases columnae sic dictae quod in orbem circumducantur	Basas delas colunas	Basi delle colonne
Stereobata aedificij basis.	Podio.	Basamento
Stibadium Sedile, aut lectulus ex herba ad edendum deputatus Lunata forma.	Silla de yunsar medio redonda	Sedia di, herba ai Giardini.
Stylobata sic Graecis à sustinenda columna dictus	Pedestal	Piedestallo.
Stylus vox Graeca columnam teretem proprie significans ex qua plures voces componuntur.	Coluna redonda	Colonna tonda
Summus scapus	La parte superior de la coluna.	La parte superiore della colonna
Supercilium Quadra, regula	Filete	Listello Regolo
Supercilium idem quod superliminare.	Lumbral de la puerta.	Architraue della porta
Superliminare.	Lumbral de la puerta	Ciglio della porta
Superliminare lapis super antepagmentum superius	Lumbral de la puerta.	Architraue della porta.

T

Tabulata Sunt tabulis suffulta plana in summo aedificio	Terrados o Tablados	Solari, ò Palchi.
Templa transuersa ligna cantherijs imposita.	Las alfaxias.	Le piane.
A testudine non longe abest illud cameræ genus, quod constat ex quatuor semicylindris in ipsis angulis cameræ sese secantibus	Boueda de arista.	Volta a crociera.
Testudo, genus est camerae forma referens terrestris animalis concham cum, vt ego existimo, quatuor cubiculi parietes deflexi ad vnum medij punctum concurrunt	Boueda por rincon.	Volta à Schifo.
Tetrantes medij idest, vt medium triglyphi mediae columnae respondeat	En medio del quadrado dessotto sobre la coluna.	In mezo al quadrato che si dessi nesso sopra la colonna
Tetrastylos, quatuor columnarum.	Fachada de quatro colunas	Facciata di quattro colonne
Thalami portae.	Camaras de los porteros	Stanzone della portinare
Theca. locus in quo aliquid reconditur	Vaina, o vasera.	Guaina, fodera, vesta
Tigillus diminutiuum tigni	Vn leno.	Vn legnetto.
Tigna trabes quibus domus tegitur à tegendo sic dicta	Vigas	Traui.
Tympana inualuis, aut in quouis intestino opere sunt spatia, quae per ambitum includuntur	Los tableros.	Pannelli.
Torus quasi tortus dicitur est enim veluti contortus cylindrus, duos licet eius modi videre in basi pag 421	Bocel.	Ronbazel Bastone.
Trabeatio, illud omne ornamentum, quod columnis imponitur sic dicitur quod trabium antiquam dispositionem imitetur.	Architrabe friso y cornija	Architraue, fregio, & cornice.
Transtra trabes, quae a pariete ad parietem dirigunt	Las tirantes.	Le catene, Auarrecce.
Triclinia loca sunt coenationibus deputata a tribus lectis quibus conuiuae accubabant sic dicta	Sala de banquete Refitorio	Sala per mangiare Refittorio.
Triglyphi Capita trabium in zophoris indicant sic dicta quod tribus canalibus exarnaentur.	Triglifos.	Triglifi.
Tympanum fastigij Pars eius interna, quae coronis cingitur.	La parte del frontispicio que esta ceñida de cornijas	Quella parte del frontispitio che è cinta dalle cornice

V

Vectis Avehendo dictus Instrumentum aut ferreum, aut ex materia, quo adiecto, fores muniuntur	Barra, Cerrojo.	Stanga Catenaccio.
Vestibulum, locus ante Ianuam Apud Ezechielem spatium illud significat, quod fornice aperitur sine etiam ipsum postem, cui incutitur fornix	El zaguan de la puerta	Il corridore appresso alla porta, l'Andito
Vestigium Ichnographia	La planta del edificio	La pianta.
Volutae a conuoluendo sic dictae.	Las volutas.	Le volute.

X

Xylosthrotum	Taracea de leno	Commesso di legno

Z

Zophorus Ab animalium formis en loco insculpi solitis nomen accepit.	Friso	Fregio

Pag.	Col.	Lit.	Lin.	Errata	Corrige
17	1	D	8	suspicimus	suscipimus
	2	C	2	portione	proportione
24	1	E	5	ad adyta	ad adytus
36	1	C	9	Sed ne	Sed &
64	2	E	4	cdeis	ides
69	1	D	1	a &	& a
152	2	A	2	cauit	caruit
153	1	E	10	pauetim	paulatim
154	2	A	8	iubilari	iubilet
154	2	E	3	fortium	fortum
155	2	C	7	mensae	mense
156	2	B	5	publicae	publice
158	1	D	4	framem	frameam.
160	1	D	4	qua	quibus
160	2	A	7	adductus	adductum
161	1	B	1	lacrymis	lacrymas
161	2	B	5	℣ 13	℣ 18
161	2	D	9	exultauimus	exultabimus
162	1	C	9	rune,	tune
162	2	D	4	aedificacatur	aedificabatur
163	1	B	4	eant	erant
163	2	D	11	files	solet
166	2	A	12	maximae	maxime
166	2	A	12	veluerit	voluerit
168	2	B	11	goria	gloria
171	1	B	5	propius	propius
174	2	E	9	certe	certe
175	1	A	6	fit	fit
175	1	A	7	fi	fit
176	1	A	In marg. ex. sex	onstat, constat	
177	1	D	1	stylobate	stylobatae
179	1	A	12	metiri	metiri
179	1	D	7	sublimae	sublime
181	1	E	2	Ilas	illas
189	2	B	3	vesbis	verbis
189	2	C	12	innilatis	similitatis
195	2	B	9	dimentiamur	dimetiamur
198	1	B	7	potte	portae
198	1	E	7	spatium	spirarum
198	2	C	In marg. dicatur		dicantur
199	1	A	7	respicens	respiciens

Pag.	Col.	Lit.	Lin.	Errata	Corrige
199	1	B	6	pates	partes
199	1	D	13	calusae	clausae
199	2	B	12	Quibur	Quibus
199	2	C	vlt.	sermoenm	sermonem
200	1	C	9	vestioulis	vestibulis
203	2	E	4	im	in
204	1	D	2	possidemusis gnificatur, pos-	(sidemus, significatur
204	2	C	9	Sara	Sacra
206	2	A	3	historicos	historicas
208	2	C	5	longitupini	longitudini
210	2	B	penult.	ea	eas
211	1	A	2	araee	areae
213	1	A	2	addiuts	addita
215	1	D	5	mactare	mactatae
215	2	E	vlt.	protam	portam
213	2	B	13	Chaldaeus, lege Septuaginta	
Im vero vltima, mensus fuerat, mensi fuerat					
In margine adde, Dixi cap. 22 huius					
227	1	C	4	omes	omnes
231	2	A	12	car ens	carnes
237	2	A	12	sustinerni	sustinerent
258	2	C	vlt.	quis	qui
244	1	D	9	quamnius	quamuis
248	1	B	12	ve	vel
149	1	A	penult.	mentiri	metiri
	2	D	In marg.	areae,	aereae.
256	1	A	2	optimae	optime
261	1	C	5	exteriora	exteriora
264	1	B		nomine & In C	iii & nomine
274	2	B	10	non	dele
303	1	A	1	cti	Sancti
309	1	A	4	addetens	addenses
321	1	C	5	testimonia	testimonijs
327	1	B	5	Chebim	Cherubim
334	1	A	1	colere	colore
334	2	C	14	altitudine	altitudine
337	1	C	12	ignaae	igneae
349	1	A	1	dissimila	dissimilia
350	1	D	13	expressa	expressi
370	2	C	1	praelibatis	praelibatis

Pag.	Col.	Lit.	Lin.	Errata	Corrige
373	1	A	8	portius	porticus
404	1	C	13	artaris	altaris
415	1	C	8	paraiemus	putaremus
431	1	E	5	Salomonis	Salomonis
432	2	B	12	forentes	forenses
433	2	E	4	respixesse	respexisse
436	2	B	12	Albertoc,	Alberti, e
472	2	A	12	ad marginem	℣. 54 ℣. 19
487	B	2	6	In margine	841500
			7		134640
			10		96910078
Hanc summam in textu corrige.					
489	1	B	1	inter *adde*	&
493	2	A	8	y z.	[illegible]
500	1	A	2	nin	Hin.
503	2	A	1	denarium	donarium
510	1	C	9	aut inferior	vt inferiora
510	2	A	2	*adde*	sigmata tria
			12	esse	esset
	2	D	3	decies	duodecies
			4	fere	plusquam
519	2	A	10	dragmus	drachmas
519	2	C	5	conniectum	coniectura
510	1	C	7	dragmas	drachmas
520	2	D	10	Latius	Liuius
520	2	D	13	Graechus	Gracchus
521	2	D	3	horde	hordei
527	2	D	3	files	fictos
529	1	C	1	copia	copiam
537	2	D	10	merentur	fruerentur
545	1	B	12	ciuu.	cuius
547	2	D	8	cpalitati	exaltati
552	1	D	10	habeant	habebant
559	2	C	1		33906490
	2	C	3	sesquitertio	sestertio
			5		84916125
			10		4717568
		D	3	latitudinis	altitudinis
			7		924263
Ac ne videamus. Vsque ad finem columnae omnia sic corrige					

Vt ergo omnes septem pyramides simul computemus, ponamus tres maximas, reliquas minores: vt numero maioris per ternarium ducto, minoris numero per quaternarium multiplicato, summa collecta sit cubitorum cubicorum 17349776. His positis vtrumque meridianum angulum substructionis, & eum qui ad Orientem, & eum qui ad Occidentem respicit ob oculos ponamus, praetermissis antea eiusdam pro exstructis. Hi enim anguli sex quadratis basibus centenum cubitorum insistunt, quae aequales sunt quadratis cubitis 60000 hos si per minimam substructionum celsitudinem trecentorum cubitorum multiplicaueris, fient cubiti cubici 1800000 qui numerus superiore numero omnium pyramidum maior est cubitis cubicis 150224.

R E G E S T V M

✠ ✠✠ a b c d e f g n o p q r ſ t u x y z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh

Omnes sunt terniones praeter ✠✠ qui est duernio, & g Ff Mm quaderni. Sunt autem in Gg & Mm figurae aeneae in folio. Praeterea signaturae b i k l m consulto fuerunt praetermissae cum suis numeris paginarum, quorum loco interserendae sunt quindecim maximae figurae aeneae, quarum catalogum, formam, & ordinem habes pag. 88.

ROMAE

Superiorum Permissu. Et cum Priuilegijs.

Typis Illefonsi Ciacconij, Excudebat Carolus Vullietus. Absoluitque tandem hanc partem in Vigilia Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistae. Anno Domini M D C V. à qua die tres simul tomi incipient euulgari.

Dill.alp.idus in Ezechiē.p.s.et.A